



BIBLIOTHECA
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,

POSTREMA LUGDUNENSI MULTO LOCUPLETIOR ATQUE ACCURATIOR.




Cura & studio ANDREÆ GALLANDII *Presbyteri*
CONGREGATIONIS ORATORII.



TOMUS XIV.



VENETIIS CIↃIↃCCLXXXI. [1781]



EX TYPOGRAPHIA
JOANNIS BAPTISTÆ ALBRITII HIERON. FIL.
CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE

JOSEPPO CHRISTIANO.

I. NEC quis fuerit, nec quo loco vel tempore vixerit Joseppus, sive Josephus libri hypomnestici auctor, convenit inter scriptores: ut nihil dicam de Cavæi sententia, existimantis ex titulo capitis primi fortasse ad marginem adscripti, quo Josephus Hebræus illius argumenti tractator indicabatur, factum fuisse homini Josephi nomen, cui postea ad discrimen Judæi adhæserit Christiani appellatio. Fabricius [1] *non ante sæculi XI. exitum* vixisse suspicatur, ex cap. 136. in quo Hippolytus Thebanus affertur. Cavæus [2] refert ad annum Christi 420. Gallandius noster in suis adversariis consignavit ad annum Christi 1000. Ex Fabricii præfatione constat, OUdinum confudisse perperam Josephum nostrum cum Gorjonide: Lambecium item falli, qui ad Josephum Flavium pertinere putat. Cavæus, loco jam excitato, aliquando eumdem cum Josepho Tiberiensi ab Epiphanio memorato [3], illum se fecisse confitetur. Tanta eruditorum diffidia nobis quoque de veritate, si fieri potest, inquirendi facultatem præbent. Ex ipso igitur Josepho rem extundere nitamur, ut aliquid saltem plausibilius dicere queamus.

II. Auctor itaque noster capite statim primo sub num. 15. scribit, de Phaleg loquens: πληρoῦνται ἐπ' αὐτὸν ἀπὸ Ἀδὰμ ἔτη γ̄. ὥστε εἶναι τὸ ἥμισυ τοῦ χρόνου τῆς παρούσης ἐν ἑξάδι χιλιάδων κατασάσεως. *Complentur in eo ab Adam anni* 3000. *ita ut fuerit dimidium temporis præsentis computi in senario millenariorum*. Scribebat igitur Josephus intra sextum adhuc millenarium, atque ut cum maxime sero, ultimo ipsius sexti millenarii anno. Cum porro Græci ex æra sua historica, cujus auctor Africanus, natalem Christi consignent ad annum mundi 5500. eamque epocham octennio vulgaris pone sequatur; unde a civili eorumdem Græcorum æra idem natalis Christi dies ad annum consignatur mundi 5508. consequitur, Josephum scripsisse ad summum anno Christi 492. aut si mavis sequi Panodori æram Græcorum ecclesiasticam, quæ natum asserit Christum anno mundi 5494. scripserit Josephus noster anno æræ vulgaris 507. sicut suo loco ad calcem adnotavimus. At enim non cogimur ex modo loquendi Josephi annum præcise determinare, multoque minus necesse habemus illum existimare postremum fuisse sexti millenarii. Satis est si necessario cogamur propter τὸ παρούσης asserere, illum non ultra sextum millenarium ponendum esse. Potest ergo ad quintum, quartum tertiumve sæculum pertinere: non tamen ulterius ætas illius figenda est. Sensit hujus vim argumenti Cavæus, cujus alias heic animadversiones subjiciemus.

III. Ultimam quam memorat hæresim Josephus, est Anthropomorphitica. Ea porro cœpit circa annum Christi 399. Pertineat igitur Josephus noster hoc quidem argumento ad initia sæculi quinti. Obviat huic argumento Fabricius inquiens, potuisse Josephum non ultra hæreticos quarti seculi excurrere, quod Epiphanium ob oculos habuerit. Sed quam jejuna & frigida hæc ratio sit, nemo non sentit, in homine sæculi XI. jam senescentis, cujus institutum sit libellum, sive promtuarium ad memoriam rerum hujusmodi conscribere. An V. C. Fabricius Epiphanium sibi ob oculos proposuisset hac ætate, si laborem illiusmodi fuisset aggressus? Num etiam caput conclusisset, ut Josephus facit, inquiens: *Hæ sunt ergo hæreses, quæ contra sanctam Ecclesiam ortæ sunt?* Accedit, quod Josephus duas tantum & sexaginta hæreses commemorat, Epiphanius vero octoginta. Epiphanius Anchoratum suum, ut notat ipse Fabricius [4] scripsit A. C. 373. ideoque XXIII. & quod excurrit, annos ante ortos Anthropomorphitas ex Cavæi sententia. Non potuit ergo ob oculos habere Epiphanium: nec ultra quam ad initium sæculi quinti pertinere.

IV. Addit Cavæus, illum nusquam Nestorianæ hæresis mentionem facere, non in catalogo, non alibi. Quæ cum orta sit A. C. 418. vel ut serius 419. cogimur inde ætatem illius iterum non ultra initia sæculi V. detrudere. Equidem fatendum in fine cap. 139. inter hæreticos commemorari Hominicolas, quo nomine Nestoriani censeri possunt. Sed hujusmodi appellatio, quia quantum memini nisi apud quosdam medii ævi scriptores occurrit, assumenti cujusdam nos facile in suspicionem adducere potest. Hæc potissimum ex Cavæo.

V. Possumus & alias nonnullas animadversiones subjicere. Capite XXV. recenset auctor libros canonicos V. T. eosque enumerat XXII. non recensitis nominatim Paralipomenis, forte quia sub regibus comprehendantur. Ea porro numerandi ratio vetustior est, quam sæculum X. vel XI. immo communis in prioribus ecclesiæ sæculis, & vetustior adhuc penes Hebræos. Nam ex Josepho [5] eo numero olim ab Israelitis censebantur, pro numero viz. literarum Hebraicarum: quod etiam ex Origene autumat Eusebius [6]: *Sunt autem XXII. libri juxta Hebræos*. Postea vero apud recutitos obtinuit, ut ex repetita ter litera Jod, viginti quatuor numerarentur, quo etiam nomine κατ' ἐξοχὴν hodieque totum corpus biblicum suum appellant: sicut etiam apud Christianos quosdam interpretes capiuntur, ex interpretatione XXIV. seniorum de quibus fit mentio in Apocalypsi. Accedit nomenclatura eorumdem librorum apud Josephum nostrum, quæ Origenem potissimum exprimit, ut liquet ex n. 10. ubi tertius quartusque regum appellantur *Vammelech David*: quod itidem in loco citato Eusebii occurrit.

VI. Dum Josephus interpretes scripturæ affert [7], Lucianum non commemorat, cujus versio Nicome-

1. B. G. tom. x. pag. 109. & in Cod. Pseud.
2. H. L. pag. 257.
3. Hær. xxx. num. 4. seqq.
4. B. G. tom. vii. pag. 421.
5. Lib. I. contr. Appion.
6. H. E. lib. vi. c. 24.
7. Cap. cxxii.

diæ apud Judæos ſub Conſtantino M. reperta eſt, ante annum Chriſti 337. quo Conſtantinus fatis conceſſit. Ea porro interpretatio, teſte Hieronymo [1], *apud omnes orientales eccleſias ab Antiochia CPolim uſque* obtinebat. Vix ergo credi poteſt ignoraſſe Joſephum celebrem adeo vulgatamque interpretationem, ſin minus ſtatim ab inventu ejus, certe poſtquam tot eccleſias pervaſerat, ſi adeo ille ſero floruiſſet ut Fabricius ſibi velle videtur. Adde illum codd. ſcripturæ uſum fuiſſe nimium corruptis, quod utique non feciſſet poſt Lucianæam editionem. Ex his haud ab re ſcriptori noſtro ſæculum quartum aſſignaveris.

VII. Confirmatur hæc ætatis ejus epocha ex eo, quod capite CL. ultimam perſequutionem eccleſiæ illatam commemorat ſub Juliano apoſtata contigiſſe, videlicet circa A. C. 362.

VIII. Nonnihil etiam ſcriptoris noſtri antiquitas commendatur, ex eo quod cap. CL. Chriſtum natum dicat A. M. 5500. quæ videlicet eſt Græcorum æra hiſtorica Africani, qui floruit circa A. C. 220. eademque maxime inter Chriſtianos Græcos antiqua: quam exeunte demum ſæculo quarto ſub Theodoſio admodùm frequentanda excepit æra civilis propter indictiones.

IX. Adde denique, eum capite CXLIV. tot afferre μαντειῶν varia genera ac nomina, ut ſeſe ſcriptorem prodat manifeſtiſſime ea ætate viventem, qua adhuc ethnicismus longe lateque graſſabatur, & ſuperſtitio paſſim obtinebat. Hoc de ſcriptore quarti quam undecimi ſæculi probabilius affirmari poteſt.

X. Unum obeſſe videtur, quod cap. CXXXVI. Hippolytum Thebanum alleget: ex quo appareat, Joſephum inclinante ſæculo XI. floruiſſe. Et hæc ſane ratio eſt, quæ Fabricium a Cavæi ſententia divellit. At præterquam quod Fabricius ipſe ſubodoratus eſt [2], Caput illud fortaſſe aſſumentum eſſe aliena manu ſubjunctum, dum ait: *Si caput CXXXVI. ab ipſo auctore eſt*; alia etiam fatetur quæ ex æquo illiuſmodi ſententiam & hypotheſin evertant. Illi enim perinde atque nobis via ineunda eſſet, ut ratio reddatur quomodo potuerit Theodorus Cantuarienſis, qui obiit anno *690*. in Angliam primus attuliſſe apographum hominis, qui ſæculo XI. inclinante florebat. Quid quid ille reſponderit, nos hypotheſi noſtræ accommodaremus.

XI. Sed revera caput illud eſſe merum additamentum aliena manu aſſutum exinde liquet, quod ſuperiori jam capite CXXXV. Joannes & Zacharias more ſuo commemoraverit: breviſſimis nempe verbis & per interrogationem: heic vero mutata epigraphes ſcena & ratione dicendi, hiſtoricum apoſpaſmatium prolixis ſui auctoris verbis affertur. Hoc diſcrimen aſſumentum illud eſſe abunde prodit: ſimulque oſtendit tempus deſcripti illius Codicis, & cujus ætatis codices ſuppeditarint fragmentum illud Joſepho ſubjunctum, ſæculi nempe X. ut Boernerus in præf. a Fabricio allegatus perhibet.

XII. Ex iis quæ attulimus animadverſionibus cum noſtris, tum virorum eruditorum liquido apparet, nos in eam ſententiam prono animo incli-

A nari, quæ Joſephum hunc Chriſtianum mediante ſæculo quarto floruiſſe opinatur. At quiſnam is fuerit, longe adhuc difficilior & impeditior quæſtio eſt. Cavæus loco ſuperius excitato ſcribit: *Sæpe olim ſuſpicatus ſum, hunc non alium fuiſſe, quam Joſephum illum Tiberiadenſem, qui ex Judæorum apoſtolo, ſeu aſſeſſore patriarchali, factus eſt Chriſtianus, & a Conſtantino M. ad comitis dignitatem evectus. De cujus converſione, & egregiis erga eccleſiam meritis mira plane, atque ſatis prolixe narrat Epiphanius* [3]. A ſua tamen ſententia receſſit V. C. hac inductus ratiocinatione. Obiit Conſtantinus M. anno CCCXXXVII. ante quem certe ad Comitis dignitatem Joſeph ille Tiberienſis evehi

B debuit. Cum porro ille penultimo loco Macedonianam hæreſin commemoret, Macedoniuſque obierit an. 360. ac hæreſis illius damnata demum fuerit an. 381. in Synodo Œcumenica ſecunda: vix credi poteſt, ſuperſtitem tunc adhuc fuiſſe Joſephum noſtrum, qui anno jam 355. quo Epiphanius ædes illius adiit ad inviſendum Euſebium Vercellenſem apud illum hoſpitantem, decrepita jam erat ætate, annos natus circiter LXX. Fuiſſet enim quando damnatus eſt Macedonius annorum circiter *96*. Adde recenſeri ab illo ultimo loco Anthropomorphitas hæreticos, quorum placita inter Monachos Nitriæ fervebant maxime anno *399*. Hæc ratiocinia hominem eruditum deterruerunt a

C priori ſententia, ſuaſeruntque reputare Joſephum noſtrum alium a Tiberienſi Epiphanio ipſi commemoratum.

XIII. Sed, ut quod rem eſſe puto, fateri velim, hæc argumenta apud me tanti non ſunt, ut Joſephum Chriſtianum a Tiberienſi ſecernere cogar. Fateor an. demum 381. damnatam hæreſim Macedonii; an proinde ante annum illum tamquam hæretici produci non potuerunt ſequaces illius? Concedo inter Monachos Nitriæ graſſatam anno maxime 399. Anthropomorphiticam hæreſin; an non proinde ante illum annum inter hæreticos cenſeri potuerunt, cum præſertim haberentur pro ſar-

D culo Manichæorum, & ab Orthodoxis evitarentur ſtatim ab Audei obitu, qui mortuus eſt an. 370.? Quid, quod Macedonianæ & Anthropomorphiticæ hæreſis commemoratio additamentum eſſe poteſt, quod ex margine in textum immigrarit, quod item de hæreſi ἀνθρωπολατρῶν judicium fieri queat, ſi quidem ſub eo nomine Neſtoriani veniunt?

XIV. Neque etiam hominem ad ſex & nonaginta ætatis annos poſſe pervenire incredibile admodum eſt: præſertim cum Epiphanius idem ille ipſe amicus & hoſpes Joſephi Tiberienſis, quando ceſſit CPoli ſub Arcadio, natus eſſet annos CXV.

E ac menſes tres, ut notat idem Cavæus in illo [4]. Cum porro non alius innoteſcat per ea tempora cui melius congruat hypomneſticon, quam Joſephus ille Tiberienſis, nos in hac parte Iſ. Voſſium ſequimur, qui noſtrum Joſephum a Tiberienſi illo non diſcernit.

XV. Hunc ſub Joſephi Comitis nomine vulgo agnoſci, & inter ſanctos relatum eſſe a Græcis Latiniſque conſtat, cujus commemorationi aſſignata dies XXII. Julii [5]. Ex ipſomet Joſepho didicit ejus vitam S. Epiphanius, & in ſuo Panario refert, ex quo ceteri hauſerunt, Fleury, Baillet &c.

1. In apol. adv. Rufin.
2. B. G. tom. X. pag. 109.
3. Ad Ebion. hær. XXX. num. 4. ſeqq.
4. Pag. 147.
5. Baillet.

Summa eo redit. Natus eſt Joſephus A. C. 286. Tiberiade civitate Palæſtinæ, ex illuſtri inter Judæos familia, apoſtolique apud eorum patriarcham Hillelem munus obibat. Cum in graviſſimum morbum incidiſſet Hillel, accerſivit vicinum Tiberiadis epiſcopum, a quo ſanitatis obtentu baptiſmum recepit. Id clam obſervavit Joſephus, qui etiam vidit Hillel haud parvam auri vim dediſſe epiſcopo, ut pro ſe oblationem faceret. Biduo triduove poſt vita functo Hillele, parentem illum ſuum in patriarchali dignitate Judas filius adoleſcentulus excepit. Interea Joſeph & tutelam pueri & adminiſtrationem patriarchalium munerum obibat. Ex eo factum eſt, ut ſpe inveniendæ magnæ pecuniæ gazophylacium Tiberienſe aperiret, nec tamen niſi libros repererit: inter quos Joannis evangelium & Acta apoſtolorum hebraice deſcripta. Cum Judas in omne facinus profligatus, evidenti Dei potentia turpi ſpe cecidiſſet, Joſephi animum res illa uſque adeo perculit, ut quietus numquam conſiſteret. Dei etiam monitu ſæpius vocatus ut in Chriſtum crederet; tandem aſperſo energumeno aqua ſigno crucis a ſe benedicta ad periculum fidei capiendum, ab eoque dæmone expulſo, vulgatoque per urbem miraculo; quod tamen Judæi putarunt illum perpetraſſe ex pronunciatione & vi nominis tetragmmati; Spiritus ſancti impulſu pronius ad fi-A dem animum inclinavit: nec tamen niſi aliquot poſt annos baptizari ſeſe paſſus eſt.

XVI. Interea cum in Ciliciam veniſſet ex munere ſui Judaici apoſtolatus: ab epiſcopo civitatis cujuſdam Evangelia legenda accepit. Vexatus a ſuis ad Conſtantinum M. ſe recepit, a quo Comitis dignitatem obtinuit, ac veniam præterea ædificandorum templorum. Anno 355. Euſebium Vercellenſem exſilio profugum in ædes ſuas recepit, ad quem inviſendum ſequenti anno 356. ventitavit S. Epiphanius. Erat tunc Joſeph, relatu S. Doctoris, annos natus LXX. quare & natalem ejus ad annum conſignavimus 286. Beato tandem fine quie-B viſſe ex eo erudimur, quod inter ſanctos ab eccleſia referri videatur.

XVII. Editus eſt primum Joſephi Libellus memorialis a Fabricio in Cod. Pſeudep. veteris teſtamenti [1]: unde & nos accepimus. Verſionem tamen noſtram adornavimus ob rationem alibi ſæpe commemoratam: atque ſic textum illius ordinavimus, ut lectorum commodo maxime inſerviremus. Is quicumque demum fuerit, aut quacumque tandem ætate vixerit, erudita multa nobis ſuppeditat alibi fortaſſe non invenienda. Utinam ad nos integer perveniſſet! aut aliquis vir doctus & labo-C ris patiens ſimili conatu jacturam nobis reſarciret

1. Pag. 337.

CAPUT II.
DE
FORMULA RECIPIENDI NOVOS MANICHÆOS.

Edidit eam Formulam Jacobus Tollius ex MS. Vindobonienſi, in ſuis Inſignibus itineris Italici [1]. Communis inter Græcas eccleſias videtur fuiſſe, cum multa ex Euchologiis in illa habeantur. Conſtat inde quæ & quot fuerint novorum Manichæorum errores. Liquet etiam ex Oratione quæ ibi legitur [2], quam late pateret Græcanica ſententia de draconibus in Jordane deliteſcentibus, & per Chriſtum baptizatum contritis: qua de re etiam alibi quidpiam animadvertimus [3]. Sibi etiam invicem maximam lucem afferunt & Photiana de Manichæis hiſtoria, & anathematiſmi in hac formula relati.

1. Pag. 126. 2. Infr. pag. 96. D. 3. Tom. XIII. pagg. 236. 276.

CAPUT III.
DE
ABBONE MONACHO SANGERMANENSI.

Abbo, cognomine *Humilis* ſive *Cernuus*, Neuſtria ortus, monachus fuit Benedictinus S. Germani a pratis. An. 886. & 887. interfuit obſidioni Pariſinæ per Normannos & Danos, quam etiam verſibus deſcripſit. Ad nos pertinere viſi ſunt ſermones quinque, quos edidit Dacherius in ſuo Spicilegio [1]. Scripſit eos ſermones Abbo co-D gentibus Froterio Pictavienſi, & Fulrado Pariſienſi epiſcopo, *ad utilitatem ſimplicium clericorum*: quos etiam ait ſeſe *indicibili ſudore expleviſſe* [2]. Verſantur maxime circa ritus reconciliandi pœnitentes, & in deplorandis laicorum iniquis uſurpationibus bonorum eccleſiaſticorum. Patet exinde quantilla eſſet tunc ſcientia in eccleſia Gallicana.

1. Tom. IX. pag. 79. vel I. 336. edit. novæ. 2. Infr. pag. 99. A.

CAPUT IV.
DE
HIPPOLYTO THEBANO.

Hippolytus, patria Thebanus, Simeone Metaphraſte junior, quem ſæpe laudat, *domini* appellatione cohoneſtans, vixiſſe propterea creditur ſæculo X. vel etiam XI. Maximi factum olim videtur a Græcis ejus Syntagma Chronicum, quippe-E quod varia illius apoſpaſmatia paſſim in manu exaratis libris occurrant. Poſt Schelſtratem edidit Caniſius particulam ejus: a quo & nos accepimus, ut & quæ Baſnagius ſparſim collegit; ex quibus nonnulla conferre licuit cum fragmentis ſive ex Jo-

scepho Christiano, sive ex Mss. Marcianæis deprom- A tis. Adjecimus & nonnulla ex Nannianis & Marcianis Codd. quæ invenimus descripta à Bonjoannio nostro. Accessere ex Combefisio, Narratio de XII. apostolis & LXX. discipulis, cui subjunximus ex Cod. Nan. 76. fragmentum anonymum de nativitate & forma Christi, quod fortasse ad Hippolytum pertineat. Hoc pacto amplissima quantum per nos fieri licuit, immo & ex parte inedita protulimus hujus scriptoris quæ superant fragmenta.

CAPUT V.

DE

CONSTANTINO PORPHYROGENNETA.

Constantinus Leonis Sapientis ex Zoe quarta ejus conjuge imperatorio loco natus, cui proinde κατ' ἐξοχὴν *Porphyrogennetæ* cognomen adhæsit. Septennis parenti in Imperium successit an. 911. cujus habenas accepit demum an. 919. cum interea Zoe mater, & Alexander patruus rempublicam ejus nomine administrassent. Socium imperii sibi adjunxit Romanum Lecapenum, cujus filiam uxorem duxit. Ab anno 945. imperium solus tenuit. A Romano filio, quem Cæsarem fecerat, veneno sublatus est die IX. Novembris ann. 959. cum imperasset annos 49. vixisset 55. Encomiastem non minus, quam vitiorum suorum censorem inter ceteros invenit Zonaram [1]. Literis artibusque omne genus sese patronum præbuit. Varia ei scripta accepta feruntur, quæ recensent Bibliographi. Nos repræsentandam censuimus Narrationem ejus de imagine Christi Edessena, quam edidit Combefisius in Originibus CPtanis pag. 75.

De ejus tamen auctore ac parente non una est eruditorum sententia. Lipomannus & Baronius [2] Constantino Romano filio ejus attribuunt: quos tamen refellunt Combefisius in sua ad illam præfatione, Hanckius [3], & Pagius [4]. Ceteri plerique omnes Constantino patri ferunt acceptam. Quid ipse sentiam ex sequentibus animadversionibus meis planum fiet.

Auctor num. XXII. scribit anno 6452. Amiram Edessenum statuisse tandem certis conditionibus imaginem illam ad Imperatorem CPlim transmittere. Erat is annus Christi 944. quo jampridem D Porphyrogennetes ex fide historiæ imperitabat. At numero XXVII. legimus, adventante jam imagine exclamasse energumenum quemdam: *Recipe Constantini urbs claritatem & lætitiam: atque tu, Constantine Porphyrogenneta, tuum imperium.* Quæ verba satis ostendunt, id accidisse ante annum 919. neque ita intelligi possunt, quasi sensus sit, tollendum esse e medio Lecapenum, solumque debere imperitare Constantinum. Namque num. XXXI. auctor ait, imaginem illam Imperatorem in avitum & paternum solium extulisse. Quinimmo num. XXVIII. asserit, in occursum imaginis *juniores* tantum exiisse Imperatores: *senior enim, quod eum vires deficerent, domi relictus fuerat.* Itemque num. XXVII. ait, vaticinia energumeni *brevi post eventum fuisse sortita.*

Hæc porro abunde ostendunt contradictionem in C ea narratione inextricabilem inveniri, nisi dixerimus, in anno 6452. mendum cubare. Quod si asseruerimus; jam non sub Constantino ipso imperium administrante per sese, sed sub patruo ejus Alexandro translatio contigerit: quamvis auctor certe scripserit sub Porphyrogenneta imperitante, ut patet ex eo, quod num. XXVII. afferat, dictorum energumeni multos exsistere testes, & quod brevi post eventum fuerint sortita. Ex quo etiam infertur alium ab imperatore ipso esse narrationis auctorem: quod ex fine narrationis liquidius apparet: *Custodi eum, qui pie ac mansuete Nobis imperat, tuique adventus memoriam celebrat.*

1. Annal. tom. III. pag. 155. seqq.
2. Ad ann. 944. num. 14.
3. De Script. Byz. pag. 475.
4. Ad ann. 944. num. 5.

CAPUT VI.

DE

GIRBERTO PHILOSOPHO,

VEL

SILVESTRO II. PAPA.

Qui prius Girbertus, sive Gerbertus vocabatur, ubi ad pontificalem Petri sedem evectus est, Silvester fuit appellatus. Patria erat Aurelianensi, non ignobili loco natus, in philosophicis rebus haud mediocriter eruditus, monachus D. Benedicti, & Roberti regis Galliæ ejusque filii Hugonis præceptor fuit. Non cuncta ejus gesta ab omnibus ex æquo commendantur. Philosophiam & astronomiæ notitiam qua plurima pollebat, in E tenebricoso illo sæculo multarum in eum calumniarum ansam præbuisse facile creditu est, ut & Imperatorum favorem. Anno 999. Gregorio in pontificatum successit. Hæreses plurimas felici eventu sopivit. Exhibemus sermonem ejus de informatione episcoporum: quo maxime sacerdotalem dignitatem extollit, si cum pietate conjungatur, & acriter in simoniam invehitur. Hunc sermonem primus extulit Mabill. in Analectis tom. II. pag. 212.

CAPUT VII.

DE

ABBONE ABBATE FLORIACENSI.

ABbo, patria Aurelianensis, Læti & Ermengardis filius, in variis academiis literis eruditus fuit. Post Oyboldum abbas Floriacensis electus est. Anno 1004. ex itinere ad Monasterium Regulæ lancea transverberatus oppetiit. Vitæ suæ scriptorem nactus est Aimoinum, qui & illi historiam Francorum nuncupavit. Pluscula scripta ei tribuun- A tur, ex quibus heic repræsentamus Apologeticum pro immunitatibus monasterii Floriacensis: Epistolas XIV. ex Cod. Canonum ecclesiæ Romanæ e Biblioth. Pithœi: & Librum canonum ex Analectis Mabillonii. Postrema epistola est Alberti Abb. Misiacensis ad Joannem pap. XVIII.

CAPUT VIII.

DE

S. FULBERTO EP. CARNOTENSI.

FUlbertus, sive Folbertus, primum abbas Ferrariensis, deinde an. 1007. episcopus Carnotensis designatus est. Carus fuit Vilhelmo comiti Pictaviensi, & Roberto regi Francorum. Fervebat in B. V. Mariam immensa pietate & studio: in cujus honorem Carnotensem ecclesiam ædificavit, Carnuto Anglorum rege sumtus suppeditante. Inter ceteros quos auditores habuit, Berengarium quoque enumerant. Multa scripsit quæ recensent Bibliographi. Nos heic repræsentamus Commentarium ejus allegoricum in Caput Actorum duodecimum, quem ex Cod. MS. abbatiæ Longipontinæ B edidit an. 1692. OUdinus inter Opuscula quorumdam scriptorum Galliæ & Belgii. Item Epistolam ejus de usu bonorum ecclesiasticorum, ex Dacherii Spicilegio [1]. Obiit vir sanctus X. Aprilis ann. MXXVIII.

1. Tom. II. pag. 817. vel III. pag. 387. edit. nov.

CAPUT IX.

DE

HUMBERTO SILVÆ CANDIDÆ EPISCOPO

ET

DE NICETA PECTORATO.

FUit Humbertus monachus Tullensis ordinis S. Benedicti. Ex Lotharingia Romam venit cum Leone IX. anno 1049. Mox Cardinalis creatus Sublacensi Monasterio præficitur. Erat græce doctus: ideoque ann. 1053. latine vertit ep. Leonis Acridani & Michaelis Cerularii ad Joannem Tranensem. Cum episcopus Silvæ Candidæ designatus fuisset, insequenti anno 1054. mittitur legatus CPlim ad compescendum schisma. Re infecta Romam reversus est. Anno 1059. sub Nicolao papa composuisse dicitur formulam abjurationis Berengarii, & post annum denique 1064. obiisse. Cum esset CPli, rogatus a Constantino Monomacho scripsit disputationem inter Romanum & CPtanum. Cumque Nicetas Pectoratus Simeonis junioris discipulus, & in Cœnobio Studii monachus, infamem edidisset C libellum contra Latinos, quem habes infra pag. 211. hunc eumdem acriter confutavit Humbertus. Accidit hoc ante annum XI. Monomachi. Namque eo anno cum die ipso S. Joannis Baptistæ accessisset Humbertus ceterique legati [1] ad Studense Monasterium, Pectoratus suum illum infamem anathematizavit libellum: quod postridie ejus diei iterum fecit. Hinc *ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus*. Utrum perseveraverit, Græcorum laudes in suspicionem adducunt. Commentarium quoque eorum, quæ contra Michaelem reliquosque ab Apocrisiariis gesta sunt, scriptis antecedentibus subjunximus ex Canisio Basnagiano desumtis. Agitur in illis de A- D zymo præsertim, de Cœlibatu sacerdotum, & observatione Sabbati in quadragesima.

1. Inf. pag. 223. A. B.

CAPUT X.

DE

B. SAMONA GAZENSIS CIVITATIS ARCHIEPISCOPO.

FUit beatus Samonas Gazensis in Palæstina episcopus circa A. C. 1056. cujus exstat passim græce & latine disputatio quædam adversus Achmetem Saracenum de Eucharistia. A Saracenis interfectus fuit religionis caussa. Quare inter beatos martyres recenset illum Nic. Comnenus [1]. Totus in eo est, ut probet panem ac vinum per Sacerdotis consecrationem verum esse & integrum corpus ac sanguinem Domini. Ad quod suadendum Mahometano homini hebeti ac rudi, exemplis utitur apprime congruentibus. Eam disputationem ex itinere habuit.

1. Prænot. mystag. pag. 407.

CAPUT XI.

DE GOZECHINO SCHOLASTICO.

Gozechinus natione Germanus, Leodii aliquando literas docuit: ubi inter discipulos habuit Valcherum quemdam, sibi magnopere carum, ad quem scribit longiorem illam epistolam, quam exhibemus ex Anal. Mabill. [1] Suspicatur idem Mabillonius, Valcherum non esse alium a Valtero Burgundione, de quo Adelmanus in Rhythm. [2] Querebatur Valcherus, quod immutasset Cathedram & Leodium Gozechinus deseruisset: cui, sed præsertim adversariis suis respondet, apologiam facti A scribens. Post quam etiam excurrit ad deploranda prolixius mala sui temporis, quæ propter depravatos mores, & hæresin potissimum Berengarii invecta fuerant. Illud maxime ostendere nititur, posse quempiam deserere eos, a quibus parum vel nihil utilitatis exspectet. Hominem se prodit literarum non ineruditum pro temporis illius conditione. Scripta est epistola paullo post mortem Henrici Imp. & Luitboldi Archiep. qui obiit an. 1059.

1. Infr. pag. 230.

2. Pag. 382.

CAPUT XII.

DE VVIDMUNDO ARCHIEPISCOPO AVERSANO.

Diversimode scribitur hoc nomen: audit enim & Witmundus, & Wimundus, quin etiam Guitmundus. Is monachus fuit abbatiæ de Cruce S. Leufridi, sive Heltonis, deinde Aversanus episcopus. Cum adhuc presbyter esset interrogatus fuit a Fratre quodam Erfasto, de substantia & unitate SS. Trinitatis, de mysterio dominici corporis, item de similitudinibus quibus uti solent, puta B sphæræ, ad comprobandam Trinitatis unitatem. His postulatis ita respondet, ut catum sobriumque Theologum decet. Mutila ad nos pervenit epistola, quam ex Spicilegio Dacheriano recudendam sumus mutuati. In nomenclatore Cardinalium Ludovici Castaigneri [1] inter Cardinales censetur. Obiisse fertur A. C. 1080. Plura de eo vide sis apud Fabricium [2].

1. Cave, pag. 532.

2. Bib. Med. Lat. tom. III. pag. 172. edit. Patav.

CAPUT XIII.

DE DURANDO LEODIENSI, sive DEODUINO.

Fuit Durandus Henrici II. Imp. cancellarius, & mox Leodiensis episcopus ab anno 1021. ad ann. 1025. Erat in utraque literarum scientia longe satis expeditus, teste Alberico in suo Chronico. Nonnulli acceptam illi ferunt epistolam ad Henricum contra Brunonem & Berengarium de veritate corporis & sanguinis Christi [1]. Sed cum Durandus Leodiensis ante turbas Berengarianas fatis concesserit, ideo jure a Labbæo & Pagio [2] præter rem id factum fuisse erudimur. Eam potius epistolam C tribui volunt Deoduino Leodiensi episcopo ab ann. 1047. ad an. 1075. Integram edidit Mabill. ex duplici Cod. in suis Analectis, qui & testatur in MSS. legi tantum D. quam literam perperam alios per *Durandum* reddidisse censent, quum *Deoduinus* exscribendum fuisset. Idem de Parisiensibus, & Cantabrig. MSS. testatur OUdinus apud Fabricium. Quidquid sit eam sub vulgato Durandi nomine veluti Isagogen quamdam ad Durandum Troarnensem præmisimus.

1. Sammarth. Gall. Chr. tom. II. p. 640.

2. Apud Fabric. Bib. Med. tom. II. p. 67. edit. Patav.

CAPUT XIV.

DE DURANDO ABBATE TROARNENSI.

Durandus ab infantia Fiscamensis monachus ord. S. Benedicti: mox primus Troarnensis abbas, in monasterio diœcesis Bajocensis recens fundato ab Rogerio Comite Montgomericensi. Vir fuit, Orderico Vitali teste [1]: *Religione & sapientia præcipuus, ecclesiastici cantus, & divini dogmatis doctor peritissimus*. Coætaneus fuit Fulberti Carnoten- D sis, quem *sui temporis episcopum* appellat, quemque obiisse constat A. C. 1028. Librum scripsit de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, quem in novem partes distribuit, exaratum, ut creditur A. C. 1060. Obiit satis plenus dierum an. 1088. quo de videndus Pagius [2].

1. Lib. VIII. pag. 676.

2. Ad ann. 1050. num. 8. & 1088. num. 14.

CAPUT XV.

DE

PHILIPPO SOLITARIO,

SEU

DEMETRIO CYZICENO.

QUem sub nomine Philippi Solitarii, auctoritatem sequuti GALLANDII nostri, qui eo nomine in suis adversariis opusculum præscripserat edidimus; ἀνωνύμως græce & latine extulerat prius Combefisius in novo Auctario [1]. Sed vir eruditus in notis ex MS. Cod. Palatino Demetrio Cyziceno restituit, & sub eo item nomine habetur in Scorialensi Bibl. teste Possevino [2]: quibus succenturiatur etiam Cavæus [3]. Unde hauserit Gallandius, scriptum illud ad Philippum Solitarium pertinere, mihi non constat. Confer de Demetrio Fabricium [4]. Videtur auctor, quisquis ille fuerit, vixisse sub Armeniorum rege Pancratune Sympatho, & Catholico Isaac a Bazacastro: hos quippe ultimo loco commemorat in fine libelli sui, regni & archiepiscopatus annis silentio prætermissis.

1. Tom. II. pag. 261.
2. In app. pag. 100.
3. Differt. pag. 170.
4. Bibl. Gr. tom. VI. pagg. 388. 389.

CAPUT XVI.

DE

EUTHYMIO ZIGABENO.

FLoruit Euthymius imperii clavum tenente Alexandro Comneno, monachumque profitebatur in Cœnobio illo Byzantino Deiparæ Peribleptu, sive Illustris, prope mare, quod a Romano Argyro imperatore conditum, a Nicephoro Botoniata item Imp. restauratum, celeberrimum omnium erat CPoli. Auctor fuit plurimorum scriptorum, quæ Bibliograph. percensent. Nos ex Beureri interpretatione ex ejus Panoplia afferimus caput, in quo auctor exponit & confutat futilia Ismaelitarum dogmata. Equidem Panopliam græce typis impressam fuisse an. 1710. mense Majo Tergovisti, quæ metropolis est Οὐγγροβλαχίας i. e. Vallachiæ, erudimur a Fabricio [1]. Sed cum ibi caput contra Saracenos omissum fuerit metu Turcarum, illud græce & latine recudendum censuimus. Subjunximus etiam ex Tollii *Insignibus* Victoriam atque Triumphum de Massalianis: de quo opere videndus Cavæus & Fabricius in Euthymio. Excipiunt illud quæ in suis Lectionibus Mosquensibus græce publici juris fecit Christianus Fridericus Matthæus; videlicet I. Specimen catenæ in quatuor Evangelistas, cui nostram latinam adjecimus versionem, sicut & in sequentibus. De eo opere vere eximio videatur Fabricius [2]. II. Specimen scholiorum in in Psalmos, quæ Euthymio nostro, etsi hærens, accepta fert Matthæus. Revera tamen alterius esse facile intellexisset V. C. si quidem novissimam Venetam Theophylacti editionem in tam dissitis terris ei consulere licuisset, in qua studio Bonjoannis sæpe laudati græca Commentariorum Euthymianorum in Psalmos primo prodiere ad calcem tomi quarti. Si scholia & Commentarii conferantur, nihil commune habere videbuntur, sæpe etiam in alia omnia abire, nisi si quando sententiolas aliquas auctor ex Commentariis Euthymii decerpsisse videri possit. Ex quo inferre licet post illum floruisse. III. Expositio Symboli, quæ quod ad Euthymium pertineat, non alio fundamento suspicari fas est, nisi quia in Euthymii codicibus reperiatur. Cujuscujus tandem sit, ea nescio quid græcæ fulliginis adspersum habet, quo certe nomine Eutymio abjudicanda non est. Ultra annum 1118. Comneni emortualem vitam produxit auctor noster, sed quam diu superaverit, non constat.

1. Bibl. Gr. tom. VIII. pagg. 461. 462.
2. L. c. pag. 474.

CAPUT XVII.

DE

HILDEBERTO EP. TURONENSI.

IN Lavardiensi vico ortus Hildebertus, in Cluniacensi monasterio Cœnobitam professus est. Anno Christi 1095. factus est Archidiaconus, & quinquennio post Cenomanensis episcopus. Translatus deinde ad Turonensem sedem anno 1125. Diem obiit supremam anno 1139. Præceptorem habuit Berengarium. Fortuna usus est admodum varia. Perperam cum effreni quodam Adalberto traduci confundique a Baronio ad ann. 1088. contendit Cavæus. Ab Henrico Angliæ rege divexatus, circa an. 1107. ad Paschalem Romam venit. Variorum criminum insimulatus, & in carcerem conjectus, oblatam ab Henrico purgationem per ignem, monitu Ivonis, quippe indignam ac turpem conditionem, subire recusavit. Postremo cum Turonensem sedem per annos sex tenuisset, vitam cum morte commutavit anno 1136. vel 1132. ut aliis placet. Promissam a Stephano Baluzio V. C.

integram operum Hildeberti editionem, præclare ac feliciter exsequutus est Antonius Beaugendre ord. S. Benedicti, Parisiis an. 1707. in fol. In Beaugendriana editione, quantum quidem homini erudito, qui eam inspicere non potuit, existimare licuit, putavit Cl. Muratorius deesse nonnulla, quæ proinde in suis Anecdotis ex MS. Ambrosiano edenda curavit. Nos ex illo iterum exhibemus. Sed ut bene advertit Fabricius [1], tertia Muratoriana epistola, eadem est cum 47. lib. secundi apud Beaugendre. Quæ Ivonis inscribitur apud illum, penes hunc est Hildebrandina ad Henricum Angliæ regem. Quarta ad Honorium reperitur sub num. 40. lib. 2. Breves tamen quia sunt, & alicubi in lectione variant, non piguit eas recudere. Adjecimus ex eodem Muratorio Sermones duos: unum de Adventu Domini, alterum in Carnotensi Concilio habendum anni, ut putat Muratorius, 1124. in quo de tribus præcipuis sacramentis agit, sed mutilus ad nos pervenit.

1. Bibl. med. tom. III. pag. 258. edit. Patav.

CAPUT XVIII.

DE

NICETA BYZANTINO.

Nicetas civitate Byzantius, professione ut videtur monachus fuit. In rebus certe theologicis diu multumque versatus, & controversias sui temporis callens. Scripsit confutationem epistolæ cujusdam missæ ab Armeniæ principe, in qua fidem orthodoxam, & sanctam quartam Synodum Chalcedonensem calumniabatur. Jussu Imperatoris scripsit Nicetas, & Patriarchæ personam induit, quem loquentem inducit. Conjicit Cavæus eum floruisse circa A. C. 1120. Edidit eam confutationem Allatius in sua Græcia Orthod. [1]. unde illam cum Allatii versione mutuati sumus.

1. Tom. I. pag. 663.

CAPUT XIX.

DE

HERMANNO ABBATE TORNACENSI.

Hermanus, sive Herimannus, S. Martini Tornacensis abbas tertius post Segardum III. Kal. Febr. ann. 1127. vita functum, natus est Radulpho patre. Vix expletis IX. sui regiminis annis in paralysin lapsus, clavum sponte deseruit, resignavitque in manus Simonis Tornacensium episcopi [1]. Dicitur post dimissum regimen Romam missus fuisse: & mox Hierosolymam petiisse. Quid in eo itinere actum de illo sit, non constat; aliis captivum, aliis martyrem obiisse docentibus. Inter cetera cum abbas esset scripsit Opusculum de Incarnatione Domini ad Stephanum Archiep. Viennensem: quod ex Cod. abbatiæ Viconiensis edidit OUdinus inter Opuscula quorumdam scriptorum Galliæ & Belgii, nosque exinde recudendum accepimus. Pietatem ubique, & non vulgare ingenium redolet. Descriptus est codex ille an. 1149. ut ad calcem habetur.

1. OUdin. in compend. vitæ ejus.

CAPUT XX.

DE

GUILLELMO SIGNIACENSI.

Monachum Ordinis S. Benedicti professus est Guillelmus, factus deinde Prior S. Nicasii Remensis ad annum circ. 1112. Mox abbas fuit S. Theodorici prope Remos, ad annum usque 1137. quo anno ob eximiam erga S. Bernardum dilectionem, relicta abbatiali dignitate, monachum Cisterciensem professus est in Signiacensi cœnobio. Quanti eum faceret S. ipse Bernardus, passim apparet ex epistolis & scriptis illius. Plura scripsit, quæ Bibliographi recensent. Commentarium in duo priora capita Canticorum, quem Mabillonius edidit sub nomine S. Bernardi, rationabilius censet OUdinus restituendum esse Guillelmo nostro [1]. Quidquid sit, præter edita vulgavit insuper OUdinus ex MS. autographo Signiacensi Commentarium in Cantica ex verbis S. Gregorii papæ M. collectum, diversum ab eo, quem idem Guillelmus collegit ex verbis S. Ambrosii. De Guillelmo vide sis Fabricium [2], & OUdinum ipsum in compendio vitæ illius. Accepimus hunc eumdem commentarium ex Script. quibusdam Galliæ & Belgii, quam OUdini collectionem sæpe laudavimus. Constat porro totidem verbis quibus S. Gregorius usus est, dum passim ex occasione loca quædam Cant. interpretatus est. Fortasse Guillelmus nullum agnoscebat S. Gregorii Commentarium expansum in Cantica.

1. In compend. vitæ ejus.

2. Bib. med. tom. III. pag. 167. edit. Patav.

CAPUT XXI.

DE

ISAACO MAGNÆ ARMENIÆ CATHOLICO.

Catholici nomen penes Armenios titulus est patriarchalis sive archiepiscopalis, idemque valet atque *Œcumenicus* in CPtanis Patriarchis. Sic porro appellari videntur ex eo quod reliquis suæ nationis episcopis immineant. Forte postquam tempore Pelagii & S. Gregorii M. Joannes jejunator in sua Synodo CPtana anni *589.* hujusmodi titulum usurpare cœpit, innocenti fortasse de caussa, sed magna illorum pontificum zelotypia, verentium ne aliquis subesset error: videntes Armeniorum Patriarchæ in sua sententia perseveravisse CPtanos, quidquid in contrarium obstitissent Romani Pontifices; ut non minoris dignitatis in sua gente haberentur, simulque minus odioso vocabulo uti viderentur, Catholici appellationem assumserunt, nemine adversante quod sciam. Fuit igitur Isaacus quo de loquimur, magnæ Armeniæ Catholicus. Is inter Armenios hæreticos natus & educatus est, atque Catholicos orthodoxosque ab initio ludibrio habuit [1]. Sacerdotio inter suos cumulatus est. Sed Dei aspirante gratia, disjecta erroris caligine, occœpit deserere simul & confutare suorum errores. Ea re factum est, ut apud omnes illius fama vulgaretur, orthodoxos videlicet, dum interim apud Armenios suos usque adeo graviter offendit, ut non A modo sacerdotalibus muniis interdiceretur, verum etiam, proposita interfectoribus ejus mercede, plures quæreretur ad necem. Erat hæc merces venia peccatorum certissima. His agitatus turbis ad *sanctissimam* metropolim confugit [2]. Eo nomine Romam intelligi facile suadebunt ea, quæ passim docet & loquitur, conformia magis moribus Romanorum quam Græcorum. Memoratur Isaacus noster a Theoriano, qui circa A. C. 1170. scripsisse fertur, ut scite animadvertit Fabricius [3]. Duas ejus invectivas quas primus extulit Combefisius in Auctarii sui tomo II. a nobis inde acceptas in penum nostrum transtulimus: habent enim argumentorum & eruditionis, haud alibi fortasse invenien- B dæ, segetem non exiguam. Quæ fuerit tandem hominis fortuna non constat. Illud animadverto ex Fabricio [4]: apud Lambecium [5] recenseri inter scripta Euthymii Zigabeni epistolam quamdam invectivam adversus Armenios Theopaschitas, cujus initium est, Ἐπειδήπερ Εὐτυχὴς καὶ Διόσκορος. Cum autem a verbis illis ordiatur invectiva prima ejusdem argumenti quæ Isaaco nostro tribuitur; quibus fas est codicem illum Lambecio memoratum inspicere, dijudicare potuerunt quis a quo acceperit.

1. Infra pag. 438. C.
2. Ibid. E.
3. Bibl. Gr. tom. X. pag. 173. nota **.
4. Ibid. tom. VII. pag. 473.
5. Tom. V. pag. 127.

CAPUT XXII.

DE

ECKBERTO SCHONAUGIENSI.

Eckbertus frater germanus S. Elisabet Schonaugiensis, sive Schœnaugiensis abbatissæ fatis functæ A. C. *1165.* cujus etiam vitam scripsit relatam in tomis Sanctorum. Sacerdotio initiatus, Canonicus Bannensis fuit, quæ patria ejus erat in Coloniensi diœcesi: & mox monachus atque abbas Schonaugiensis abbatiæ S. Florini in Trevirensi diœcesi circa A. C. *1160.* Scripsit inter cetera sermo- C nes XIII. adversus Catharos cum excerpto de Manichæis, quorum errores Cathari innovarunt. Opus quantivis pretii, & revera cedro dignus, nec umquam satis commendandum studiosis rerum theologicarum, cum propter orationis evidentiam, tum propter ordinatissimam argumentorum methodum ac vim. Propterea a nobis iterum excusum, tametsi in Bibliothecis aliis reperiatur.

CAPUT XXIII.

DE

ERNALDO ABBATE BONÆ VALLIS.

Frequentius Arnoldus audit vir pientissimus, de quo nobis sermo est. Amicus fuit ac pernecessarius S. Bernardi, ut ex pluribus ejus epistolis patet. Ab Arnulpho Lexoviensi episcopo sæpe laudatus est, necnon ab Henrico Gandavensi, qui eum semper Ernaldum appellant. Pietatem hujus viri apprime commendat OUdinus [1]. Monachus fuit Ordinis S. Benedicti; fama & virtutibus illustris, obscuro tamen loco natus. Præfuit abbas monasterio Bonæ vallis in diœcesi Carnotensi. Ultra an- D num *1162.* vitam produxit, si Cavæo fides. Plura scripta ejus recensentur, aut saltem sub ejus nomine circumferuntur, de quibus præter Bibliographos, videndus idem OUdinus loco jam excitato: qui duos ejus tractatus primum edidit inter quosdam Scriptores Galliæ & Belgii, quos inde acceptos repræsentamus, alterum in psalmum CXXXII., alterum De donis Spiritus sancti: tametsi de hoc postremo ob dictionis quoddam discrimen nonnihil ambiguitatis superesse possit.

1. In compend. vitæ ejus.

CAPUT XXIV.
DE
GUALTHERO DE CASTELLIONE.

INsulis oriundus fuit Gualtherus de Castellione, A
a loco suæ præpositurae Tornacensis dictus. Secundum quosdam Megalonensis etiam episcopus fuit sæculo XII. licet hunc a Gualthero nostro alii secernant. Quam litem haud facile diremeris. Amicus erat Petri Comestoris, cujus quamdam interpretationem affert. Quædam ejus scripta circumferuntur: ad nos tamen pertinet Dialogus contra Judæos, quem ab OUdino accepimus ex quibusdam Scriptoribus Galliæ & Belgii. Sui collocutorem assumit Balduinum Valentianensem: quem ipse sacerdotis nomine honestat, OUdinus vero [1] S. Evodii Branensis Canonicum dicit. Consule hunc scriptorem præter Bibliogr.

1. In comp. vitæ.

CAPUT XXV.
DE
BERNARDO ABBATE FONTIS CALIDI.

HUnc sæculo XII. scripsisse, & Præmonstraten- B
sis ordinis fuisse abbatem tantum constat. Tractatum ejus satis utilem contra Waldenses hæreticos edidit primus Jacob Gretserus [1]. Deinde in Lugdun. Bibliothecam immigravit. Ex eo satis constat Bernardum ipsum cum Valdensibus in arenam identidem descendisse: quos Lucius papa, & Bernardus Narbonnensis Archiep. damnarunt. Non aliunde fortasse melius hominum illorum deliramenta haurire possis.

1. Ingolst. 1614.

CAPUT XXVI.
DE
GERHOHO.

HUnc alii Gerhoum, alii Gerochum, nonnulli C
Gerhardum appellant. In Bajoaria fuit præpositus Reicherspergensis Canonicorum ordinis S. Augustini, ab anno 1133. ad 1169. quo diem obiit supremam. Multa, immo plurima scripsisse fertur [1]: non tamen omnia vel æque pensiculata, vel publici juris facta. Ex editis ejus elegimus Epistolas quasdam ex Bernardi Pezii Thesauro [2]. Libellum de corrupto ecclesiæ statu [3], & alterum de gloria & honore filii hominis ex eodem Pezio [4]. De hoc homine jure dicitur in Chron. Reichersb. quod dilexerit omnem justitiam, & odio habuerit omnem iniquitatem. Certe ad cognoscendum statum ecclesiæ, & calamitatem temporum illorum Gerhohi scripta plurimum faciunt, etsi quædam indulgenda videantur scriptori placitis suæ ætatis pie magis quam κριτικῶς obsecundanti.

1. Fabric. Bib. med. tom. III. pag. 47. edit. Patav.
2. Tom. I. part. II.
3. Ex Baluz. Miscel. lib. V.
4. Loc. cit.

CAPUT XXVII.
DE
PETRO BLÆSENSI.

PEtrus patria Blæsensis, natione Gallus fuit. D
Primum canonicatu Bituricensi donatus, postea archidiaconus fuit Bathoniensis, deinde etiam Londinensis. Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarium, & Procancellarium regis egit. Cum Stephano Perticensi comite in Siciliam iter suscepit, indeque digressus Angliam repetiit: ubi anno 1200. obiisse creditur. Hic primus *Transubstantiationis* vocabulum usurpasse fertur. Inter operum ejus editiones eminet Gussanvillæana [1]. Ineditas tamen duas ejus epistolas suppeditavit nobis Martene [2]. De eo plura Fabricius, Cavæus & OUdinus. Distinguendus probe Petrus noster ab alio cognomine natione item Gallo, sed Canonico Carnotensi, de quo ille in epp. 76. & 77. Hoc igitur scriptore secundum datam a Gallandio fidem, & sæculum Ecclesiæ XII. & Bibliothecam nostram absolvimus.

1. Parif. 1667.
2. Anecd. tom. I. pag. 639.

INDEX CAPITUM

EORUM QUÆ IN PROLEGOMENIS CONTINENTUR.

INDEX CHRONOLOGICUS
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,
QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

INDEX CHRONOLOGICUS.



INDEX ALPHABETICUS
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,
QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SÆCUL. X. XI. & XII.

JOSEPPI

CHRISTIANI

LIBELLUS

MEMORIALIS.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 901.

ΥΠΟΜΝΗΣΤΙΚΟΝ ΒΙΒΛΙΟΝ ΙΩΣΗΠΠΟΥ.

MEMORIALIS LIBELLUS JOSEPPI.

ΚΕΦΑΛΕΟΝ ά.

Ὅσαι γεγόνασιν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ἕως τῆς τοῦ σωτῆρος παρουσίας γενεαί;

ά. Ἀδάμ.
β'. Σήθ.
γ'. Ενώς.
δ'. Καϊνᾶν.
έ. Μαλαλεήλ.
ς'. Ιάρεδ.
ζ'. Ενώχ. οὗτος μετετέθη καίπερ ἔτι ζῶν καὶ φυλαττόμενος.
ή. Μαθουσάλα.
θ'. Λάμεχ.
ί. Νῶε. οὗτος ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ διασώζεται ἐν λάρνακι μετ' οἴκου παντός. τρεῖς δ' αὐτῷ γεγόνασι παῖδες, Σήμ, Χάμ, Ιάφεθ. ἡ δὲ γενεαλογία εἰς τὸ Ἑβραίων ἐρχομένη γένος, ἀπὸ τοῦ Σὴμ συνίσταται.
ιά. Σήμ.
ιβ'. Αρφαξάδ.
ιγ'. Σάλα.
ιδ'. Εβερ.
ιέ. Φαλέκ. ἐπὶ τούτου ἐμερίσθη ἡ γῆ. πληροῦνται γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἀπὸ Ἀδὰμ ἔτη γ ὥστε εἶναι τὸ ἥμισυ τοῦ χρόνου τῆς παρούσης ἐν ἑξάδι χιλιάδων καταστάσεως.
ις'. Ραγαῦ.
ιζ'. Σερούχ.
ιή. Ναχώρ.
ιθ'. Θάῤῥα.
κ'. Αβραάμ, ὃς ἀπὸ τῆς Χαλδαίας εἰς τὴν Χαναναίαν θείῳ μετοικίζεται προστάγματι.
κά. Ισαάκ.
κβ'. Ιακώβ. οὗτος ἐγέννησε τοὺς δώδεκα φυλάρχους, ἐξ ὧν τὸ δωδεκάφυλον τοῦ Ισραὴλ συνίσταται. ἀπὸ δὲ τοῦ Ιούδα, ὃς ἦν τέταρτος αὐτῷ γόνος, τὸ βασιλικὸν παράγεται γένος.
κγ'. Ιούδας.
κδ'. Φαρές.
κέ. Εσρώμ.
κς'. Αράμ.
κζ'. Αμιναδάβ. ἐπὶ τούτου ἡ ἐξ Αἰγύπτου ἔξοδος τοῦ λαοῦ, Μωϋσέως ἡγουμένου, γεγένηται.
κή. Ναασσών.
κθ'. Σαλμών. οὗτος ἠγάγετο τὴν Ραάβ, τὴν τοὺς κατασκόπους κατακρύψασαν.
λ'. Βοόζ. οὗτος τὴν Μωαβῖτιν Ρούθ ἠγάγετο, ὅστις

A

CAPUT I.

Quot fuerint ab Adam adusque Salvatoris adventum generationes [1].

1. Adam.
2. Seth.
3. Enos.
4. Kainan.
5. Malaleel.
6. Jared.
7. Enoch. Iste translatus est quamvis adhuc vivus & vegetus.
8. Mathusala.
B 9. Lamech.
10. Noe. Iste a diluvio servatur in arca cum domo tota. Tres porro habuit liberos, Sem, Cham Japheth. At genealogia quæ in Hebræum derivatur genus, a Sem constituitur.
11. Sem.
12. Arphaxad.
13. Sala.
14. Eber.
15. Phalec, sub quo divisa est terra. Explentur vero in eum ab Adam anni MMM. adeo ut fuerit dimidium temporis præsentis computi in senario [2] millenariorum.
16. Ragau.
C 17. Seruch.
18. Nachor.
19. Tharrha.
20. Abraham, qui a Chaldæa in Chananæam divino transfertur mandato.
21. Isaac.
22. Jacob. Iste genuit duodecim capita tribuum, ex quibus coalescunt duodecim tribus Israel. Sed ab Juda, qui quartus erat ejus filius, deducitur genus regium.
23. Judas.
24. Phares.
25. Esrom.
26. Aram.
D 27. Aminadab. Sub hoc contigit egressio populi de Ægypto, duce Moyse. [a]
28. Naasson.
29. Salmon. Hic duxit uxorem Raab, quæ exploratores occultaverat. [b]
30. Booz. Iste duxit Ruth Moabitidem, qui de-

a Exod. VI. 23.

b Matth. I. 5.

1. Confer I. *Paral.* I. 1. *Lucæ* III. 23-38. *Matth.* I. 1-16.
2. Similiter Procopius ad *Gen.* XI. 18, aliique. Hinc videri possit Joseppus noster intra sextum millenarium scripsisse, h. e. non ultra annum 492. vel 507.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 901.

δέκατος ἀπὸ Αβραάμ. καὶ πληροῦται ἐπὶ Ρουθ τὸ προῤῥηθὲν ὑπὸ Μωϋσέως · Μωαβῖτις οὐκ εἰσελεύσεται εἰς τὴν ἐκκλησίαν κυρίου μέχρι γενεᾶς δεκάτης.

λα΄. Ωβὴδ.
λβ΄. Ιεσσαί.
λγ΄. Δαβὶδ, ὃς χρίεται τοῦ λαοῦ βασιλεὺς, δι' ἐπιείκειαν * ἀρεθεὶς ἀπὸ Θεοῦ ἄρχειν τοῦ λαοῦ.
λδ΄. Σολομὼν, ὃς τὸν ναὸν, τὸν ἐν Ιεροσολύμοις ἐδείματο.
λε΄. Ροβοὰμ, ἐφ' ὃν ἡ βασιλεία τοῦ Δαβὶδ διῃρέθη · καὶ τὸν Ιεροβοὰμ ὁ Ισραὴλ ἔστησεν ἑαυτῷ βασιλέα, μεταστὰς ἀπὸ τοῦ Ιούδα.
λϛ΄. Αβιά.
λζ΄. Ασά.
λη΄. Ιωσαφάθ.
λθ΄. Ιωράμ.
μ΄. Οχοζίας.
μα΄. Ιωάς·
μβ΄. Αμασίας.
μγ΄. Οζίας.
μδ΄. Ιωάθαμ.
με΄. Αχάζ.
μϛ΄. Εζεκίας, ἐφ' οὗ ὁ Ισραὴλ αἰχμάλωτος ἤχθη.
μζ΄. Μανασσῆς.
μη΄. Αμών.
μθ΄. Ιωσίας.
ν΄. Ιεχονίας, ὁ καὶ Ιωακείμ. ὃς αἰχμάλωτος ἤχθη εἰς Βαβυλῶνα.
να΄. Σαλαθιήλ.
νβ΄. Ζοροβάβελ · ἐφ' οἷς ἡ τοῦ Ιούδα αἰχμαλωσία ἀνήχθη ὑπὸ βασιλέως Περσῶν.
νγ΄. Ρησά.
νδ΄. Ιωαννά.
νε΄. Ιωλά.
νϛ΄. Ιωρήχ.
νζ΄. Σεμεή.
νη΄. Ματθάν.
νθ΄. Ναγγαί.
ξ΄. Σελήμ.
ξα΄. Ναούμ.
ξβ΄. Αμώς.
ξγ΄. Ματταθίας.
ξδ΄. Ιωσήφ.
ξε΄. Ιαννά.
ξϛ΄. Μελχί.
ξζ΄. Λευί.
ξη΄. Ματθάν.
ξθ΄. Ηλί.
ο΄. Ιωσὴφ, ὁ τῆς παρθένου Μαρίας τῆς Θεοτόκου μνηστὴρ, τῆς τὸν κύριον ἡμῶν Ιησοῦν Χριστὸν, τὸν προϋπάρχοντα Θεὸν λόγον, Θεὸν συναΐδιον τῷ πατρὶ τετοκυίας.

A cimus erat ab Abraham: impleturque in Ruth quod prædictum fuerat a Moyse: [a] *Moabitica non ingredietur in Ecclesiam usque ad generationem decimam.*

31. Obed.
32. Jessæ.
33. David, qui ungitur populi rex, propter suaves mores electus a Deo, ut regeret populum.
34. Solomon, qui templum Hierosolymitanum ædificavit.
35. Roboam, sub quo regnum Davidis divisum est: ac Jerobamum Israel regem sibi constituit, ubi a Juda descivit.
36. Abia.
37. Asa.

B 38. Josaphat.
39. Joram.
40. Ochozias.
41. Joas.
42. Amasias.
43. Ozias.
44. Joatham.
45. Achaz.
46. Ezechias, sub quo populus captivus ductus est.
47. Manasses.
48. Amon.
49. Josias.
50. Jechonias, alio nomine Joakim; qui captivus ductus est Babylonem. C
51. Salathiel.
52. Zorobabel. Sub his Judæ captivitas remissa est a Cyro rege Persarum.
53. Resa.
54. Joanna.
55. Jola.
56. Jorech.
57. Semee.
58. Matthan.
59. Naggæ.
60. Selem.
61. Naum.
62. Amos.

D 63. Mattathias.
64. Joseph.
65. Janna.
66. Melchi.
67. Levi.
68. Matthan.
69. Heli.
70. Joseph virginis Mariæ deiparæ sponsus, quæ dominum nostrum Jesum Christum, præexsistentem Deum Verbum, Deum coæternum patri genuit.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ β΄.

Οσοι γεγόνασιν ἀρχιερεῖς ἀπὸ τοῦ Ααρῶνος ἀρξάμενοι;

ΤΟῦ Ιακὼβ τρίτος γέγονε παῖς Λευὶ, τοῦ δὲ Λευὶ Καὰθ, τοῦ δὲ Καὰθ Αμβράμ, ἐξ οὗπερ γίνονται Ααρὼν καὶ Μωϋσῆς. καὶ ὁ μὲν Μωϋσῆς ἡγεμόνευσε τῆς τοῦ λαοῦ ἐξ Αἰγύπτου πορείας, Ααρῶν δὲ πρῶτος ἀρχιερεὺς ὑπὸ τοῦ Μωϋσέως χρίεται.

α΄. Ααρών.
β΄. Ελεαζάρ.
γ΄. Φινεές.

CAPUT II.

E

Quot fuerint pontifices ab Aarone facto initio? [1]

JAcobi tertius filius fuit Levi. Levi Caathum genuit, hic Ambramum, ex quo orti sunt Aaron & Moyses. Ac Moyses quidem dux populi fuit in profectione ex Ægypto, Aaron autem primus in pontificem ab ipso Moyse unctus est.

1. Aaron.
2. Eleazar.
3. Phinees.

[a] Deuter, XXIII. 3.

* Forte αἱρεθείς.

1. Confer Josephum, Eusebium D. E. l. 8. Nicephorum CPtanum *in Chron.* Ac inter recentiores Seldenum *l. de success. in pontif.* Voisinum *in not. ad Pugion. fidei*, & Calmetum *in lexic. & comm.*


δ'. Εβιέζερ.
ε'. Βοκχί.
ς'. Οζή.
ζ'. Ηλί.
η'. Αχιτώβ. ἐφ' οὗ ὁ Σαμουὴλ προφήτης ἦν, καὶ ἱερεὺς ἅμα κριτὴς τοῦ λαοῦ.
θ'. Αχιμέλεχ, ὃς ἀναιρεῖται μετὰ τριακοσίων πεντήκοντα ἱερέων ὑπὸ τοῦ Σαοὺλ, διὰ τὴν τοῦ Δαβὶδ δεξίωσιν.
ι'. Αβιαθὰρ, ὃς μόνος διασωθεὶς ἀπὸ τῶν ἀναιρεθέντων ἱερέων, κατέφυγεν ἐπὶ τὸν Δαβίδ.
ια'. Σαδὼκ, ἐφ' οὗ ὁ ναὸς ὑπὸ Σολομῶνος ᾠκοδομήθη.
Anathema iis, qui sanctam Deiparam Mariam contumelia afficiunt; ipsam vero honore se afficere simulantes illam, quæ supra est, Hierusalem intelligunt, quam intrasse & exiisse dominum ferunt. Item, qui de veneranda cruce male loquuntur, ipsam autem venerari se simulant, & pro ea Christum sentiunt, qui manus, ut inquiunt, extendens figuram crucis expressit. Item, qui a communione venerandi corporis ac sanguinis Christi abhorrent, ipsamque admittere fingentes, pro ea verba institutionis Christi mente agitant, quæ cum E Apostolis communicans dixit, *accipite*, *edite*, & *bibite*. Quique Baptismum aspernantes, maximi se illum facere præ se ferunt, & interim pro eo Christum dicentem animo agitant, *Ego sum aqua viva*. Item, qui Catholicam Ecclesiam aversati, honorare se illam jactant, proque ea propria intelligunt conventicula, & consessus; ut & Joanni, Paulli sectæ ipsorum antesignani fratri.

Anathema itaque omnibus hisce, quos diximus; quique simili in sententia sunt, ecclesiasque Christianorum rejiciunt ac damnant, quos ipsi *Romanos* vocant: quique beatam virginem Deiparam Mariam, & venerandam crucem, sacrasque imagines, ac salutare baptismi sacramentum contumeliose spernunt: item, qui divinorum mysteriorum participationem aspernati combustis infantium umbilicis ad

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.

ψυψῶν κεχρημένοις, καὶ τὰ ἴδια βρώματα τούτοις καταμιαίνουσιν.

Ἀνάθεμα τοῖς τῇ βρώσει τῶν θηρείων τῶν θνησιμαίων μολυνομένοις. καὶ τοῖς πᾶσαν μὲν ἐκτρεπομένοις χριστιανικὴν νηστείαν, κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τῆς δοκούσης αὐτοῖς τεσσαρακοστῆς, τυροῦ τε καὶ γάλακτος ἐμφορουμένοις.

Ἀνάθεμα τοῖς ἀρνουμένοις, ἢ νοθεύουσι τὰ τέσσαρα τοῦ Χριστοῦ εὐαγγέλια, καὶ τὰς τοῦ ἁγίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου ἐπιστολάς. καὶ ἀντὶ μὲν τοῦ δημιουργοῦ τῶν ἁπάντων Θεοῦ, σεβομένοις τὸν λεγόμενον ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου. ἀντὶ δὲ τοῦ ἀποστόλου Παύλου, τὸν τῆς Καλλινίκης υἱὸν Παῦλον τιμῶσι, καὶ τοὺς μὲν τέσσαρας αὐτοῦ μαθητὰς εἰς τύπον τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων δεχομένοις, τοῖς δὲ ἑτέροις τρισὶ τὸ τῆς τριάδος ἐπιφημίζουσιν ὄνομα.

Ἀνάθεμα τοῖς συμφθειρομένοις ἀδελφῇ, ἢ πενθερᾷ, καὶ νύμφῃ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν πρώτην Ἰαννουαρίου μηνὸς εἰς ἑορτὴν δῆθεν ἀθροιζομένοις. μετὰ δὲ τὴν ἑσπερινὴν μέθην ἀποσβεννύουσι τὰ φῶτα, σαρκικῶς τε ἀλλήλοις ἐνασελγαίνουσι, καὶ μηδεμιᾶς ὅλον φειδομένοις φύσεως, ἢ συγγενείας, ἢ ἡλικίας.

Ἀνάθεμα τοῖς μηδέποτε δι᾽ ὅρκου ἀληθεύουσιν, ἀλλ᾽ ἐξεπίτηδες ἀεὶ ψευδομένοις, καὶ ἐπιορκοῦσι, κατὰ τὴν τοῦ τρισκαταράτου Μάνεντος διδασκαλίαν, οὕτω λέγοντος, οὐκ εἰμὶ ἄσπλαγχνος, ὥσπερ ὁ Χριστός. οὐ γὰρ ἀρνήσομαι τὸν ἀρνησάμενόν με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. ἀλλὰ καὶ τὸν ψευδόμενον διὰ τὴν οἰκίας σωτηρίαν, καὶ τὸν διὰ φόβον ἀρνούμενον τὴν ἰδίαν πίστιν, μετὰ χαρᾶς προσδέξομαι.

Ἐὰν δὲ μὴ ἐξ ὅλης ψυχῆς ταῦτα φρονῶ, καὶ λέγω, ἐγὼ ὁ δεῖνα, ἀλλὰ μεθ᾽ ὑποκρίσεως ἐποίησα τοὺς προκειμένους ἀναθεματισμοὺς, ἀνάθεμά μοι εἴη καὶ κατάθεμα, ἔν τε τῷ νῦν αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ κατακριθείη, καὶ ἀπόλοιτο ἡ ψυχή μου, καὶ καταρωθείη.

Ταῦτα τοῦ προσερχομένου λέγοντος ἐπ᾽ ἐκκλησίας, ἢ δι᾽ ἑαυτοῦ, ἢ δι᾽ ἑρμηνέως, ἐὰν αὐτὸς μὴ γραικίζῃ, ἢ διὰ τοῦ ἀναδόχου αὐτοῦ, εἰ παιδίον ἐστὶ, πάλιν ὁ ἱερεὺς ἐπιφέρει τὰ ἀκόλουθα, καί φησιν ὁ διάκονος. τοῦ κυρίου δεώμεθα. ὁ λαὸς, κύριε ἐλέησον. καὶ κλίνοντος τὴν κεφαλὴν τοῦ ἐπιστρέφοντος, ὁ ἱερεὺς ποιεῖ τὴν εὐχὴν ταύτην.

Ὁ Θεὸς ὁ μέγας καὶ μεγαλώνυμος, ὁ τὸ πρὶν σκότος φωτίσας τῷ λόγῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ὁ τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν ἐξαποστείλας εἰς τὸν κόσμον, ἱλασμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῖς χερουβὶμ, καὶ δοξαζόμενος ὑπὸ τῶν σεραφίμ. ᾧ πᾶν γόνυ κάμπτει ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται. βασιλεῦ τῶν αἰώνων ὁ ἐπισυνάξας τὸ πεπλανημένον πρόβατον εἰς τὴν ποίμνην τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ ἐπιστρέφων ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, αὐτὸς ἐπίστρεψον καὶ τοῦτον τὸν δοῦλόν σου ἀπὸ τοῦ σκότους τοῦ ἀντικειμένου πρὸς τὸ φῶς τὸ αἰώνιον. ἀνακάλεσαι αὐτὸν ἀπὸ τῆς πλάνης τοῦ διαβόλου εἰς τὴν θεογνωσίαν τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. ἑδραίωσον αὐτὸν ἐν τῇ πίστει. κράτυνον αὐτοῦ τὴν καρδίαν ἐν πίστει, ἐν ἀγάπῃ τοῦ Χριστοῦ σου· μερίδα καὶ κλῆρον αὐτῷ χάρισον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ σου. σὺ γὰρ εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν. ἐκτός σου ἄλλον οὐκ οἴδαμεν. τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν, ἵνα πάντοτε, καὶ διὰ πάντων εἴης εὐλογημένος ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ ὁ μονογενής σου υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

Μετὰ δὲ τὸ ἀμὴν, σφραγίζων αὐτὸν ἀπολύει, καὶ

A purgationem, seu potius pollutionem, utuntur animarum, ipsosque etiam cibos suos iis conspurcant.

Anathema iis, qui se ferarum edendis morticinis inquinant: quique omni damnato Christiano jejunio tempore illius, quæ ab ipsis observatur, quadragesimæ, caseo semet & lacte implent.

Anathema iis, qui quatuor Christi Evangelia rejiciunt, aut adulterant, nec non sancti Paulli apostoli epistolas, & pro rerum omnium opifice Deo, principem, ut eum appellant, hujus mundi colunt: proque apostolo Paullo Paullum Callinices filium venerantur, quatuorque ejus discipulos ad instar quatuor Evangeliorum recipiunt: tribus autem re- B liquis SS. Trinitatis nomen imponunt, & adaptant.

Anathema iis, qui sorori miscentur, aut socrui, nuruive: quique a. d. Kalendas Januarias per festi diei caussam in unum convenientes post vespertinam [1] compotationem lumina exstinguunt, promiscuoque stupri commercio in illicitam venerem ruentes, nec naturæ leges reverentur, nec cognationis, ætatisve intuitu moventur.

Anathema iis, quibus nulla jurisjurandi religio est; verum qui studio semper, ac dedita opera mentiuntur, & quotidiana perjuria committunt, Manetis illius sui exsecrandissimi doctrinæ obsequentes, cujus hæc sunt verba: *Non ego adeo immiseri-* C *cors & durus sum, ac Christus. Non enim abnegabo, qui me coram hominibus abnegaverit; sed & pro salute domus suæ mentientem, fidemque suam per metum abnegantem, blande hilareque recipiam.*

Nisi vero ego talis toto hæc animo sentio, dicoque; verum si simulate prædictas hasce exsecrationes facio, exsecrabilis ipse & devotus sim, cum in hoc, tum in futuro sæculo; condemneturque, & pereat anima mea, diaboloque addicatur.

Ubi hæc vel ipse dixerit, qui ad ecclesiam accesserit, vel per interpretem, si græce loqui nescierit: vel per susceptorem suum, si puer fuerit, sacerdos iterum convenientia [2] adhibet: aitque dia- D conus, *Oremus Dominum*, &c. Populus autem: *Kyrie eleison* (*Domine miserere*) flectenteque caput, qui ad ecclesiam convertitur, sacerdos hasce preces dicit:

O Deus vere magnus, magnique nominis, qui eas, quæ fuerunt olim, tenebras oris tui verbo illuminasti; qui unicum filium in mundum misisti, ut peccatorum nostrorum expiator esset; qui super Cherubim sedes, & cujus Seraphim laudes canunt; cui genu omne flectitur eorum, qui in cælo, qui in terra, & qui sub terra sunt; quem omnis lingua confitetur: o rex omnium sæculorum, qui aberrantem oviculam ad Servatoris nostri Jesu Christi gregem compellis; qui peccatorem e via erroris ipsius convertis ac reducis: Quæsumus te, E *hunc quoque servum tuum ab adversarii tenebris ad æternam lucem tuam convertere digneris. Revoca illum ab errore diaboli ad divinam unigeniti filii tui agnitionem; confirma eum in fide; cor ejus per fidem in dilectione filii tui corrobora, & indulge ei partem sortemque in ecclesia tua. Tu enim Deus noster es: & præter te alium nullum novimus. Tuum nomen invocamus, ut semper, atque in omnibus benedictus sis tu Deus noster, & filius tuus unigenitus, & Spiritus sanctus, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

Postquam *Amen* succlamatum est, signatum illum

1. Huc forte referendum *ἰσχάδα*, de quo Photius.

2. *Potius*, sequentia.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.

λοιπὸν ὁ ἀναθεματίσας γίνεται χριστιανός· εἴτουν λογίζεται ὡς χριστιανὸς ἀβάπτιστος, οἷα τυχόν εἰσι τὰ τῶν χριστιανῶν παιδία τὰ μέλλοντα βαπτίζεσθαι. τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ συγκαταριθμεῖται τοῖς κατηχουμένοις. ἀποδυόμενος γὰρ αὐτὸν καὶ ἀπολουόμενον εἰσάγει ὁ ἱερεὺς, καὶ ἵστησιν ἔνδοθεν τῶν τοῦ ναοῦ πυλῶν κατ' ἀνατολὰς, καὶ ἐμφυσήσας αὐτῷ τρὶς, σφραγίζει τὸ μέτωπον αὐτοῦ, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὸ στῆθος, καὶ ἐπιθεὶς τὴν χεῖρα τῇ τούτου κεφαλῇ, λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην.

A discingit: fitque is, qui exsecrationes illas dixit. Christianus: sive inter Christianos non baptizatos refertur, cujusmodi Christianorum liberi habentur, qui necdum loti sunt. Sequenti vero die inter Catechumenos numeratur. Detractis enim vestibus ablutum inducit eum sacerdos, statuitque intra templi portas ad orientem versus, terque ei insufflans, frontem ejus, & os, & pectus signat. Manuque capiti ejus imposita hasce preces dicit:

Ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου, κύριε ὁ Θεὸς τῆς ἀληθείας, καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιτίθημι τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε, τὸν καταξιωθέντα καταφυγεῖν ἐπὶ τὸ ἅγιον ὄνομά σου, καὶ ὑπὸ τῆς σκέπης τῶν πτερύγων σου διαφυλαχθῆναι. B ἀπόστησον ἀπ' αὐτοῦ τὴν παλαιὰν ἐκείνην πλάνην, καὶ ἔμπλησον αὐτὸν τῆς σῆς πίστεως, καὶ ἐλπίδος, καὶ ἀγάπης, ἵνα γνῷ, ὅτι σὺ εἶ μόνος Θεὸς ἀληθινὸς, καὶ ὁ μονογενής σου υἱὸς ὁ κύριος ἡμῶν ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. καὶ δὸς αὐτῷ ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς σου πορευθῆναι, καὶ τὰ ἀρεστά σου φυλάξαι. ὅτι, ἐὰν ποιήσει αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς. καὶ ἔγγραψον αὐτὸν ἐν βίβλῳ ζωῆς σου. καὶ ἕνωσον αὐτὸν τῇ ποίμνῃ τῆς κληρονομίας σου. καὶ δοξασθῇ τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου ἐπ' αὐτὸν, καὶ τοῦ ἀγαπητοῦ σου υἱοῦ, κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ ζωοποιοῦ σου πνεύματος. καὶ ἔστωσαν οἱ ὀφθαλμοί σου πάντοτε ἀτενίζοντες εἰς αὐτὸν ἐν ἐλέει διὰ παντός. C καὶ τὰ ὦτά σου ἀκούειν τῆς φωνῆς τῆς δεήσεως αὐτοῦ. καὶ εὔφρανον αὐτὸν ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτοῦ, καὶ ἐν παντὶ τῷ γένει αὐτοῦ, ἵνα ἐξομολογήσῃ σέ σοι προσκυνῶν, καὶ δοξάζων τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, καὶ μέγα, καὶ ὕψιστον. καὶ αἰνέσῃ σε διὰ παντὸς πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ, σὲ γὰρ ὑμνεῖ πᾶσα ἡ δύναμις οὐρανῶν.

In nomine tuo, Domine Deus veritatis, & filii tui unigeniti, & Spiritus sancti manum meam huic servo tuo impono, quem dignum censuisti, ut ad sanctum nomen tuum confugeret, & sub umbra alarum tuarum custodiretur. Remove ab eo veterem illum errorem, eumque fide tua & spe, ac dilectione imple, ut te verum esse Deum cognoscat, unicumque filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum sanctum. Da, ut in omnibus tuis ambulet præceptis, & quæ tibi placita sunt, custodiat ac servet: siquidem omnis homo, qui ea fecerit, per ea servabitur. Inscribe eum libro vitæ tuæ, & aggrega ipsum gregi hereditatis tuæ: celebreturque nomen tuum super ipso, & dilecti filii tui, Domini nostri Jesu Christi, vivificique Spiritus tui. Oculi tui semper & perpetuum in ipsum intenti sint in misericordia. Aures tuæ vocem precationis ejus exaudiant: & lætifica eum in operibus manuum ejus, & in omni genere ejus, ut & adorans te confiteatur, & nomen tuum sanctum, & magnum, & altissimum prædicet, teque semper omnibus diebus vitæ suæ laudet, & extollat. Te namque omnis cælorum exercitus perpetuis laudum carminibus concelebrat.

Καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν σφραγίζων αὐτὸν ἀπολούει, καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἐξορκίζεται. πάλιν γὰρ ἄγων τοῦτον ὁ ἱερεὺς εἰς τὸν ναὸν, καὶ ἐμφυσήσας τρὶς εἰς τὸ πρόσωπον, καὶ τὰ ὦτα αὐτοῦ, ἐπιλέγει τὰς τῶν ἐξορκισμῶν εὐχάς.

Ubi *Amen* dictum, signatum ipsum abluit, & sequenti die exorcismo eum purgat. Iterum enim ipsum in templum ducens sacerdos, ter in ejus faciem & aures insufflat, & has exorcismorum preces recitat:

D

Εὐχαὶ ἀφορκισμῶν. Αφ. α'.

Ἐπιτίμα σοι κύριος, διάβολε, ὁ παραγινόμενος εἰς τὸν κόσμον, καὶ κατασκηνώσας ἐν ἀνθρώποις, ἵνα τὴν σὴν καθέλῃ τυραννίδα, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐξέληται, ὃς ἐπὶ ξύλου τὰς ἀντικειμένας δυνάμεις ἐθριάμβευσεν, ἡλίου σκοτισθέντος, καὶ γῆς σαλευομένης, καὶ μνημάτων ἀνοιγομένων, καὶ σωμάτων ἁγίων ἀνισταμένων. ὃς ἔλυσε θανατῶν τὸν θάνατον, καὶ κατήργησε τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστιν, σὲ τὸν διάβολον. ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ δείξαντος τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, καὶ τάξαντος τοὺς Χερουβὶμ, καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν, ἣν στρέφοιεν τοῦ φρουρεῖν αὐτό. E ἐπιτιμήθητι, καὶ ἀναχώρησον. κατ' ἐκείνου γάρ σε ὁρκίζω τοῦ περιπατήσαντος ὡς ἐπὶ ξηρᾶς ἐπὶ νῶτα θαλάσσης, καὶ ἐπιτιμήσαντος τῇ λαίλαπι τῶν ἀνέμων. οὗ τὸ βλέμμα ἐξερευνᾷ ἀβύσσους, καὶ ἡ ἀπειλὴ τήκει ὄρη. αὐτὸς γὰρ καὶ νῦν ἐπιτάσσει σοι δι' ἡμῶν. φοβήθητι, ἔξελθε, καὶ ὑπαναχώρησον ἀπὸ τῶν πλασμάτων τούτων, καὶ μὴ ὑποστρέψῃς, μηδὲ ὑποκρυβῇς εἰς αὐτοὺς, μηδὲ συναντήσῃς τινὶ αὐτῶν, ἢ ἐνεργήσῃς, ἢ ἐῤῥαγῇς, μὴ ἐν νυκτὶ, μὴ ἐν ἡμέρᾳ, ἢ ἐν ὥρᾳ, ἢ ἐν μεσημβρίᾳ. ἀλλὰ ἄπελθε εἰς τὸν ἴδιον τάρταρον, ἕως τῆς ἡτοιμασμένης μεγάλης ἡμέρας τῆς κρίσεως. φοβήθητι τὸν Θεὸν τὸν καθήμενον ἐπὶ θρόνον Χε-

Preces Exorcismorum. Exorc. I.

Dominus te increpet, diabole, qui in mundum venit, & inter homines tabernaculum suum posuit, ut tyrannidem tuam exstirpet, & hominum genus ab ea liberet: qui in cruce potestates sibi adversantes triumphavit, quum sol obscuraretur, & terra moveretur, & sepulcra aperirentur, & sanctorum corpora resurgerent: qui vim mortis morte ipsam afficiens dissolvit, & eum, qui mortis habebat potestatem, id est, te diabolum, enervavit. Adjuro te per Deum, qui lignum vitæ ostendit, quique Angelos Cherubim posuit, & gladium flammeum, quem ad illius custodiam ventilarent. Objurget te Deus, & hinc discede: per eum namque te adjuro, qui per dorsa maris, veluti per aridam obambulavit, qui ventorum turbines objurgavit: cujus oculus abyssos penetrat & explorat, & cujus comminatio montes liquefacit. Etenim hic ipse & nunc tibi per nos imperat. Extimesce, exi, ac discede ab his figmentis manuum ejus, neque revertaris amplius, neque ea iterum clam subeas, neque occurras alicui eorum, neque in iis opereris, aut erumpas, ac vim tuam exseras, neque noctu, neque interdiu, neque mane, neque media die: verum abi in destinatam ac propriam tibi inferorum sedem, in magnam usque illam judicio præparatam diem. Horre Deum illum, qui

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.

A ρουβὶμ, καὶ ἐπιβλέποντα τὰς ἀβύσσους· ὃν τρέμουσιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, καὶ τὰ πολυόμματα Χερουβίμ. ὃν τρέμει ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ, καὶ ἡ θάλασσα, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, ἔξελθε καὶ ἀναχώρησον ἀπὸ τῶν σφραγισθέντων νεολέκτων στρατιωτῶν τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. κατ' ἐκείνου γάρ σε ὁρκίζω τοῦ περιπατοῦντος ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων, τοῦ ποιοῦντος τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλέγον. ἔξελθε καὶ ἀναχώρησον ἀπὸ τῶν πλασμάτων τούτων [1] σὺμ πάσῃ τῇ δυνάμει, καὶ τοῖς ἀγγέλοις σου.

in throno Cherubim sedet, & abyssos perlustrat; quem angeli tremunt, & archangeli, & throni, & dominationes, & principatus, & potestates, & multoculi Cherubim: quem cælum & terra tremit, & mare, & omnia, quæ in his reperiuntur. Exi, & discede ab his signatis Christi Dei nostri tironibus. Etenim per eum te adjuro, qui super alas ambulat ventorum, qui nuntios suos spiritus facit, & ministros suos ignem ardentem: Exi, & discede ab hisce manuum ejus figmentis cum omnibus potestatibus, & angelis tuis.

Ἐκφώνησις.

B Ὅτι δεδόξασται τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί.

Exclamatio.

Exaltatum namque est nomen Patris, & filii, & Spiritus Sancti, nunc, & semper, &c.

Ἀφορκισμὸς β'.

Ὁ Θεὸς ὁ ἅγιος, ὁ φοβερὸς καὶ ἔνδοξος, ὁ ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις καὶ τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ ἀκατάληπτος, καὶ ἀνεξιχνίαστος ὑπάρχων, αὐτὸς προορίσας σοι, διάβολε, τῆς αἰωνίου κολάσεως τὴν τιμωρίαν, δι' ἡμῶν τῶν χριστιανῶν αὐτοῦ δούλων κελεύει σοι, καὶ πάσῃ τῇ συνεργῷ σου δυνάμει, ἀποστῆναι ἀπὸ τῶν νεωστὶ σφραγισθέντων ἐπ' ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ ἡμῶν Θεοῦ. C ὁρκίζω σε οὖν παμπόνηρον, καὶ ἀκάθαρτον, καὶ μιαρὸν, καὶ ἐβδελυγμένον, καὶ ἀλλότριον πνεῦμα, κατὰ τῆς δυνάμεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ πᾶσαν ἐξουσίαν ἔχοντος ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ γῆς. τοῦ εἰπόντος τῷ κωφῷ καὶ ἀλάλῳ δαίμονι, ἔξελθε ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν. ἀναχώρησον, γνώρισον τὴν σὴν ματαίαν δύναμιν, τὴν μηδὲ χοίρων ἐξουσίαν ἔχουσαν. ὑπομνήσθητι τοῦ ἐπιτάξαντός σοι κατὰ τὴν σὴν αἴτησιν εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων εἰσελθεῖν. φοβήθητι τὸν Θεὸν, οὗ τῷ προστάγματι ἡ γῆ καθ' ὑδάτων ἐστήρικτο. τὸν κτίσαντα τὰ ὄρη σταθμῷ, καὶ τὰς νάπας ζυγῷ, καὶ θέντα ἄμμον θαλάσσῃ ὅριον, καὶ ἐν ὕδατι σφοδρῷ τρίβον D ἀσφαλῆ. τὸν ἁπτόμενον τῶν ὀρέων, καὶ καπνίζονται. τὸν ἀναβαλλόμενον τὸ φῶς ὡς ἱμάτιον. τὸν ἐκτείνοντα τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέρριν, τὸν στεγάζοντα ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα αὐτοῦ, τὸν θεμελιοῦντα τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς, οὐ κλιθήσετε [2] εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, τὸν προσκαλούμενον τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐκχέοντα αὐτὸ ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. ἔξελθε καὶ ἀναχώρησον ἀπὸ τῶν πρὸς τὸ ἅγιον φώτισμα εὐτρεπιζομένων. ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ σωτηριώδους πάθους τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τοῦ τιμίου αὐτοῦ σώματος καὶ αἵματος, καὶ κατὰ τῆς ἐλεύσεως αὐτοῦ τῆς φοβερᾶς. ἥξει γὰρ ἐπὶ τῶν νεφελῶν. ἥξει, καὶ οὐ χρονιεῖ, κρινῶν πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ σὲ, καὶ τὴν E συνεργόν σου δύναμιν κολάσει, εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς παραδοὺς, εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ὅπου ὁ σκώληξ ὁ ἀκοίμητος, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

Exorcismus II.

Deus, qui sanctus, tremendus, gloriosus est, quique in omnibus operibus suis, ac potentia sua, incomprehensibilis & inexplorabilis est; ille, qui tibi, diabole, æternæ punitionis pœnam præstituit, per nos Christianos servos suos tibi præcipit, & omni auxiliari tuo exercitui, ut hinc discedas ab hisce recens signatis in nomine Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri. Adjuro te igitur, scelestissime, impure, profane, abominande, & aliene spiritus, per potentiam Jesu Christi, cui omnis potestas data in cælo & in terra: qui surdo & muto dæmoni dixit, Exi ex hoc homine, neque umquam in illum revertare. Abi hinc, agnosce vanam tuam potentiam, quæ ne in porcos quidem potestatem habet. Recordare jubentis tibi, uti petebas, ut in gregem porcorum intrares: Verere Deum, cujus imperio terra in aquis stabilita est: qui montes condidit ad perpendiculum, & fontes creavit ad libram, & arenam mari posuit pro limite, & tranquillam in vehementi fluctuum concitatione commorationem. Qui attingit montes, & ecce fumigant: qui lumen induit, ut vestimentum; qui cælum extendit, uti pellem; qui in aquis cœnacula sua contignat: qui super stabilitatem ejus fundamenta terræ inædificat. Non movebimini in sæcula sæculorum. Qui aquam maris ad se evocat, & in totius terræ faciem effundit. Exi & discede ab his, qui ad accipiendum Spiritum Sanctum præparati sunt. Adjuro te per salutarem Domini nostri Jesu Christi passionem, & per venerandum ejus corpus ac sanguinem, tremendumque ipsius adventum. Veniet enim super nubes. Veniet, & non tardabit, judicaturus omnem terram, & te, & auxiliarem tuum exercitum in gehennam ignis abjecturus, in tenebras exteriores, ubi vermis irrequietus, ignisque est inexstinctus.

Ἐκφώνησις.

Ὅτι τὸ κράτος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν σὺν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, &c.

Exclamatio.

Potentia namque Dei nostri Jesu Christi cum Patre & Spiritu Sancto & nunc est, & semper.

Ἀφορκισμὸς γ'.

Κύριε Σαβαὼθ, ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, ὁ ἰώμενος

Exorcismus III.

Domine Sabaoth, Deus Israel, qui omni morbo,

1. σὺμ pro σὺν ob sequens π, vitio pronunciationis.

2. Lege κλιθήσεται, inclinabitur.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 910.



πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν, ἐπίβλεψον A ἐπὶ τοὺς δούλους σου, ἐκζήτησον, ἐξερεύνησον, καὶ ἀπέλασον ἀπ' αὐτῶν πάντα τὰ ἐνεργήματα τοῦ διαβόλου. ἐπιτίμησον τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι, καὶ δίωξον αὐτὰ, καὶ καθάρισον τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, καὶ τῇ δεξιᾷ σου χρησάμενος ἐνεργείᾳ συύτριψον τὸν σατανᾶ ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτῶν ἐν τάχει, καὶ δὸς αὐτοῖς νικᾷν κατ' αὐτοῦ, καὶ τῶν ἀκαθάρτων αὐτοῦ πνευμάτων, ὡς τοῦ παρὰ σοῦ ἐλέους τυγχάνοντες, καταξιωθῶσι τῶν ἀθανάτων καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων, καὶ δόξαν ἀναπέμψωσι τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ, &c.

Αὖθις σφραγίζει, καὶ ἀπολύει. καὶ οὕτω πάλιν κατηχούμενος καὶ διδασκόμενος χρονίζει ἐν τῇ ἐκκλη- B σίᾳ. καὶ ἀκροᾶται τῶν γραφῶν. εἶτα τελουμένων πάντων τῶν ἐν τῷ βαπτίσματι νενομισμένων, καταξιοῦται τῆς θείας ἀναγεννήσεως.

Εὐχὴ μετὰ τὸ [1] ποιῆσαι τὸν κατηχούμενον, πρὸς τὸν πρὸς ὥραν βαπτιζόμενον.

Ω δέσποτα κύριε, ὁ ποιήσας τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα σου καὶ ὁμοίωσιν, καὶ μεταδοὺς αὐτῷ ζωῆς αἰωνίου. εἶτα ἐκπεσόντα διὰ τῆς ἁμαρτίας μὴ παριδὼν, ἀλλ' οἰκονομήσας διὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ σου τὴν σωτηρίαν τοῦ κόσμου, αὐτὸς καὶ τὸ πλάσμα σου τοῦτο λυτρωσάμενος ἐκ τῆς δουλείας τοῦ ἐχθροῦ, πρόσδεξαι εἰς τὴν βασιλείαν σου τὴν C οὐράνιον. διάνοιξον αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας εἰς τὸ ἐναυγάσαι αὐτῷ τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου σου. σύζευξον αὐτοῦ τὴν ζωὴν ἀγγέλῳ φωτεινῷ, ῥυομένῳ αὐτὸν ἀπὸ πάσης ἐπιβουλῆς τοῦ ἀντικειμένου, ἀπὸ συναντήματος πονηροῦ.

Καὶ ἐμφυσᾷ αὐτῷ τρὶς, καὶ σφραγίζει τὸ μέτωπον αὐτοῦ, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὸ στῆθος, καὶ λέγει·

Ἐξέλασον ἀπ' αὐτοῦ πᾶν πονηρὸν καὶ ἀκάθαρτον πνεῦμα, κεκρυμμένον, καὶ ἐμφωλεῦον αὐτοῦ τῇ καρδίᾳ, πνεῦμα πλάνης, πνεῦμα πονηρίας, πνεῦμα εἰδωλολατρείας, καὶ πάσης πλεονεξίας, πνεῦμα ψεύδους, καὶ πάσης ἀκαθαρσίας τῆς ἐνεργουμένης κατὰ τὴν διδασκαλίαν τοῦ διαβόλου, καὶ ποίησον αὐτὸν πρόβατον λογικὸν τῆς ἁγίας ποίμνης τοῦ D Χριστοῦ σου, μέλος τίμιον τῆς ἐκκλησίας σου, σκεῦος ἡγιασμένον, υἱὸν φωτὸς, καὶ κληρονόμον τῆς βασιλείας σου. ἵνα κατὰ τὰς ἐντολάς σου πολιτευσάμενος, καὶ φυλάξας τὴν σφραγίδα ἄθραυστον, καὶ διατηρήσας τὸν χιτῶνα ἀμόλυντον, τύχῃ τῆς μακαριότητος τῶν ἁγίων σου ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.

Ἐκφώνησις.

Χάριτι, καὶ οἰκτιρμῷ, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ....

Καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν, ἀποδυομένου καὶ ἀπολουομένου τοῦ βαπτιζομένου, ἀποστρέφει αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἐπὶ δυσ- E μὴν, ἄνω τὰς χεῖρας ἔχοντα, καὶ λέγει τρίς· ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ, καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ αὐτοῦ. καὶ ἀποκρίνεται ὁ βαπτισόμενος πρὸς ἓν ἕκαστον τούτων. εἰ δέ ἐστι παιδίον, ἢ βάρβαρος, ὁ ἀνάδοχος αὐτοῦ. καὶ μετὰ τοῦτο ἐρωτᾷ αὐτὸν ὁ ἱερεὺς, καὶ λέγει. ἀπετάξω τῷ σατανᾷ; καὶ ἀποκρίνεται αὐτὸς, καὶ λέγει, ἀπεταξάμην. καὶ ὅτι εἴπεν αὐτὸ τρίτον, λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ ἱερεὺς, ἐμφύσησον εἰς αὐτόν· καὶ μετὰ τὸ ἐμφυσῆσαι, ἵστησιν αὐτὸν κατὰ τὰς ἀνατολὰς κάτω

A *& omni imbecillitati medicaris, respice, quæsumus, servos tuos, exquire, erue, & exige ex ipsis omnes diaboli in iis operationes. Increpa immundos spiritus, & expelle eos, ac repurga manuum tuarum opera, dextræque tuæ usus efficacia Satanam obtritum pedibus eorum subjice celeriter, & da ipsis victoriam de illo, omnibusque illius spiritibus impuris: ut hanc a te misericordiam consecuti immortalium quoque & cælestium tuorum mysteriorum participatione digni habeantur, laudesque ac honorem tibi retribuant, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & semper, &, &c.*

Iterum signat eum sacerdos, & abluit. Atque ita B rursus institutus, doctusque in ecclesia aliquantum commoratur, auditque scripturas. Tum vero, ubi omnia perfecta & impleta, quæ ad baptismi pertinent sollemnia, divinam percipit regenerationem.

Precatio, postquam ea, quæ conveniunt, circa baptizandum absoluta fuerint;

O Domine Deus, qui hominem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam, vitamque largitus es æternam: neque eum postea, quum per peccatum lapsus esset, neglexisti; verum salutem generis humani per Christi tui assumtionem carnis procurasti: qui & hoc manus tuæ figmentum a servitute C *inimici liberasti, recipe, & admitte eum in cæleste regnum tuum. Aperi ei mentis oculos, ut ei Evangelii tui lumen illuceat. Commenda vitam ejus lucenti angelo, qui eum liberet ab omnibus adversarii insidiis, & ab occursu malo.*

Tum ter ei insufflat, frontemque ejus, & os, & pectus signat, ac deinceps subjicit:

Exige ab ipso omnem malum & impurum spiritum occultum, & in corde ejus latitantem, spiritum erroris, spiritum malitiæ, spiritum idololatriæ, & omnis cupiditatis, spiritum mendacii, & omnis immunditiei, quam diaboli doctrina operatur, & fac ex eo rationalem sancti Christi tui D *gregis oviculam, honoratum ecclesiæ tuæ membrum, vas sanctificatum, filium lucis, & heredem regni tui: ut ad præscriptum præceptorum tuorum vitam suam instituens, sigillumque inviolatum custodiens, & tunicam sine macula conservans, sanctorum tuorum in regno tuo beatitatem consequatur.*

Exclam.


Per gratiam, misericordiamque, & dilectionem ejus, &c.

Postquam *Amen* dictum, denudato lotoque eo, qui E baptizandus est, sacerdos sese ad occidentem versus convertit, * manusque in cælum tendens ter dicit: *Renuntio diabolo, & omnibus operibus ejus, & omni cultui ejus, & omnibus angelis ejus, & omni pompæ ejus:* & respondet is, qui baptizabitur, ad ea singula. Quod si vero puer, vel barbarus fuerit, sponsor ejus, seu susceptor id facit. Postea rogat illum sacerdos, dicitque: *Renuntiavistine diabolo?* respondet ille, dicitque, *Renuntiavi*. Quod ubi ter factum, ait ad eum sacerdos, *Suffla in eum*: & postquam insufflavit, statuit eum versus ortum ma-

1. Locus corruptus, *ait Tollius*, verti ut potui. *Sed nihil vitii inesse videtur, si vertas:* Oratio super mox baptizandum, postquam factus est catechumenus.

* Et hoc inter ritus baptismi, *χεῖρας ἄρας εἰς οὐρανὸν*, apud Basilium M. in Protrept. ad baptismum.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.



τὰς χεῖρας ἔχοντα, ϗ λέγει τρὶς, ϗ συντάσσομαι τῷ Χριστῷ. καὶ, πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, μέχρι τέλους, ἀποκρινομένου καθ' ἕκαστον τοῦ κατηχουμένου, ἢ τοῦ ἀναδόχου αὐτοῦ, ὡς εἴρεται.

Καὶ ὅτι ἐπλήρωσε τρὶς, ἐπερωτᾷ πάλιν αὐτὸν ὁ ἱερεὺς, λέγων· συνετάξω τῷ Χριστῷ; ϗ λέγει ὁ βαπτισόμενος, συνεταξάμην. ϗ ὅτι εἶπε τοῦτο τρίτον, λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ ἱερεὺς, καὶ προσκύνησον αὐτόν. εἶθ' οὕτως ἐπεύχεται ὁ ἱερεύς.

Δέσποτα ὁ Θεὸς, προσκάλεσον τὸν δοῦλόν σου τὸν δεῖνα, πρὸς τὸ ἅγιόν σου φώτισμα, καὶ καταξίωσον αὐτὸν τῆς μεγάλης ταύτης χάριτος τοῦ ἁγίου σου βαπτίσματος. ἀπόλυσον αὐτοῦ τὴν παλαιότητα ϗ ἀναγέννησον αὐτὸν διὰ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος δυνάμεως, εἰς ἕνωσιν τοῦ Χριστοῦ σου, ἵνα μηκέτι τέκνον σατανᾶ εἴη, ἀλλὰ τέκνον τῆς σῆς βασιλείας.

Ἐκφώνησις.

Εὐδοκίᾳ καὶ χάριτι τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ,
μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ·

Εἶθ' οὕτως ἵστανται ἔμπροσθεν τοῦ ὕδατος,
ϗ λέγεται τὰ διακόνων· ἐν εἰρήνῃ,

τοῦ κυρίου δεηθ'.

Ὑπς. Τῆς ἄνωθεν εἰρήνης καὶ τῆς σωτηρίας· Ὑπς. Τῆς εἰρήνης τοῦ σύμπαντος. Ὑπς. τοῦ ἁγίου οἴκου τούτου.

Ὑπς. Τοῦ ἁγιασθῆναι τὸ ὕδωρ τοῦτο τῇ δυνάμει, ϗ ἐνεργείᾳ, ϗ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Ὑπς. Τοῦ γενέσθαι αὐτὸ πρὸς καθάρισμα ψυχῆς ϗ σώματος. τοῦ κυρίου δεηθ'.

Ὑπς. Τῶν προσερχομένων νυνὶ τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι. τοῦ κυρίου δεηθ'. Ὑπς. τοῦ γενέσθαι αὐτοῖς τὸ ὕδωρ τοῦτο ὕδωρ ἀναπλάσεως, λουτρὸν παλιγγενεσίας, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἔνδυμα ἀφθαρσίας. τοῦ κυρίου δεηθ. Ὑπς. τοῦ ῥυσθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πλάνης.

Αντιλα. Σῶσον, ἐλέησον. τῆς παναγίας, ἀχράντου, Ὑπς. [1] εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, ϗ ἀεὶ παρθένου Μαρίας. τοῦ ἁγίου ϗ ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου, καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, μετὰ .....

Καὶ λέγει ὁ ἱερεὺς καθ' ἑαυτὸν τὴν εὐχὴν ταύτην,
ϗ τὴν ἐκφώνησιν αὐτῆς, ϗ τὸ ἀμήν.

Ο εὔσπλαγχνος ϗ ἐλεήμων Θεὸς, ὁ ἐτάζων καρδίας, ϗ νεφροὺς, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων ἐπιστάμενος. οὐ γάρ ἐστι πρᾶγμα ἀφανὲς ἐνώπιόν σου, ἀλλὰ πάντα γυμνὰ ϗ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς σου. ὁ γινώσκων τὰ κατ' ἐμὲ, μὴ βδελύξῃ με, μηδὲ τὸ πρόσωπόν σου ἀποστρέψῃς ἀπ' ἐμοῦ. ἀλλὰ [2] παρένεγκέ μου τὰ παραπτώματα, ϗ ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ, ὁ παρορῶν ἀνθρώπων ἁμαρτήματα εἰς μετάνοιαν. ϗ ἀπόπλυνόν μου τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, καὶ τὸν σπίλον τῆς ψυχῆς, καὶ ὅλον με ἁγίασον ὁλοτελεῖ τῇ δυνάμει σου τῇ ἀοράτῳ, καὶ πνευματικῇ δεξιᾷ, ἵνα μὴ ἐλευθερίαν ἄλλοις ἐπαγγελλόμενος, καὶ ταύτην παρέχων πίστει τῇ ἠρτημένῃ ἐκ τῆς σῆς ἀφάτου φιλανθρωπίας, αὐτὸς ὡς δοῦλος ἁμαρτίας ἀδόκιμος γένωμαι. μὴ δέσποτα, ὁ μόνος ἀγαθὸς ϗ φιλάνθρωπος, μὴ ἀποστραφείην τεταπεινωμένος, καὶ κατῃσχυμμένος. ἀλλ' ἐξαπόστειλόν μοι δύναμιν ἐξ ὕψους, ϗ ἐνίσχυσόν με πρὸς τὴν διακονίαν τοῦ

nibus in terram demissis, aitque ter: *& addico me Christo.* Item. *Credo in unum Deum, patrem omnipotentem*, usque ad finem, respondente ad singula catechumeno, seu sponsore ejus, uti diximus.

Ubi vero jam tertium id absolutum, sacerdos eum iterum rogat, dicens: *Addixistine te Christo?* respondet ille, *Addixi*: eoque ter dicto, ait illi sacerdos, *Flectamus genua*. Tum vero sacerdos hasce preces dicit:

Domine Deus, advoca hunc servum tuum N. N. ad sacram illuminationem tuam, & magna hac eum sacri baptismatis tui gratia dignare. Ablue veterem in eo hominem: & regenera eum potentia tui sancti Spiritus in unionem cum Christo tuo, ne amplius filius Satanæ sit, sed filius regni tui.

Exclamatio.

Per benignitatem & gratiam filii tui,
quicum benedictus es.

Deinde ita ante aquam consistunt,
aitque Diaconus: *in pace.*

Oremus Dominum.

* Resp. *Ut compotes, fiamus pacis, quæ supra in cælis est, & salutis*, Resp. *Pacis universi.* Resp. *Sanctæ ædis.*

Resp. *Ut sanctificetur aqua hæc potentia, & efficacia, & superventu sancti Spiritus.*

Resp. *Ut id ad repurgationem animæ fiat & corporis.* Oremus Dominum.

Resp. *Accedentium nunc ad sacrum baptismum.* Oremus Dominum. Resp. *Ut aqua hæc ipsis fiat aqua reformationis, lavacrum regenerationis, remissio peccatorum, indumentum incorruptionis.* Oremus Dominum. Resp. *Ut liberemur ab errore.*

Antiph. *Serva, miserere. Sanctissimæ, immaculatæ.* Resp. *Benedictæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper virginis Mariæ. Sancti & gloriosi prophetæ, præcursoris & Baptistæ Joannis.....*

Dicitque sacerdos tacite preces hasce, &
Exclam. & *Amen.*

Deus benigne & misericors, qui corda & renes scrutaris, & abscondita hominum nosti: non enim quidquam coram te occultum est: sed ante oculos tuos omnia nuda jacent, & resupinata: qui mea omnia nosti, ne rejicias me, neque vultum tuum a me avertas: sed peccata mea etiam in hac hora oblivione præteri, qui peccata hominum ad eorum conversionem ignoscendo pervidere soles: ablue sordes corporis, & maculas animæ meæ, & totum me sanctifica absoluta invisibili potentia tua, & spirituali dextera, ne libertatem aliis prædicans, eamque per fidem, quæ abs tua pendet ineffabili erga homines benevolentia, aliis præstans, ipse velut peccati servus rejiciar. Non rejiciar Domine, qui solus bonus, & amicus homines, humiliatus, confususque: sed demitte mihi cælitus potentiam, & largire mihi vires ad exsequendum ministerium præsentis hujus magni &

1. ὑπερευλογημένης.


2. πάριδέ μου.

* Constat Euchologio, unde hæc sumta sunt, legendum ὑπὲρ *pro*, & Αντιλαβοῦ; auxiliare.

προκειμένου μυστηρίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐπουρανίου, καὶ μόρφωσόν σου τὸν Χριστὸν ἐν τοῖς μέλλουσιν ἀναγεννᾶσθαι διὰ τῆς ἐμῆς ἐλεεινότητος, καὶ οἰκοδόμησον αὐτοὺς ἐν τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν προφητῶν, καὶ μὴ κάθελε. καὶ φύτευσον αὐτοὺς φύτευμα ἀληθείας ἐν τῇ ἁγίᾳ σου καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. καὶ μὴ ἔκτιλλε. ὅπως προκοπτόντων αὐτῶν ἐν εὐσεβείᾳ δοξάζηται καὶ δι᾽ αὐτῶν τὸ πανάγιον ὄνομά σου τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί. A

cœlestis mysterii; & efforma Christum tuum in his, qui per meam miseri hominis manum regenerabuntur: ædifica eos super Apostolorum ac Prophetarum tuorum fundamento, & ne destruas eos. Planta eos, ut plantæ sint veritatis in sancta Catholica ecclesia tua, & ne evellas eos: ut proficientibus hisce in pietate sanctissimum nomen tuum, & filii, & sancti Spiritus etiam per ipsos cum gloria celebretur, nunc, & semper, &c.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.



Καθ᾽ ἑαυτὸν δὲ λέγει καὶ τὴν ἐκφώ. καὶ τὸ ἀμήν. εἶτα πληροῦντος τοῦ διακόνου, τῆς παναγίας ἀχράντου, καὶ τοῦ ἱερέως τὴν εὐχὴν, ἐν ἐκφωνήσει. B

Tacite etiam *Exclam.* dicit, atque item *Amen.* Deinde, ubi Diaconus absolvit, *Sanctissimæ immaculatæ* &c. Sacerdos preces ordiens clara voce ait:

Μέγας εἶ κύριε, καὶ θαυμαστὰ τὰ ἔργα σου, καὶ οὐδεὶς λόγος ἐξαρκέσει πρὸς ὕμνον τῶν θαυμασίων σου. σῇ γὰρ βουλήσει ἐξ οὐκ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν τὰ σύμπαντα, τῷ σῷ κράτει συνέχεις τὴν κτίσιν, καὶ τῇ σῇ προνοίᾳ διοικεῖς τὸν κόσμον. σὺ ἐκ τεσσάρων στοιχείων τὴν κτίσιν συναρμόσας τέτρασι καιροῖς τὸν κύκλον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐστεφάνωσας. σὲ τρέμουσιν αἱ νοεραὶ πᾶσαι δυνάμεις. σὲ ὑμνεῖ ὁ ἥλιος. σὲ δοξολογεῖ ἡ σελήνη. σοὶ ἐντυγχάνει τὰ ἄστρα, σοὶ ὑπακούει τὸ φῶς. σὲ φρίσσουσιν αἱ ἄβυσσοι. σοὶ δουλεύουσιν αἱ πηγαί. σὺ ἐξέτεινας τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέῤῥιν. ἐστερέωσας τὴν γῆν ἐπὶ τῶν ὑδάτων. σὺ περιετείχισας τὴν θάλασσαν ψάμμῳ. σὺ πρὸς ἀναπνοὰς τὸν ἀέρα ἐξέχεας. ἀγγελικαὶ δυνάμεις σοὶ λειτουργοῦσιν. οἱ τῶν ἀρχαγγέλων χοροί σε προσκυνοῦσι. τὰ πολυόμματα Χερουβὶμ, καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφὶμ κύκλῳ ἑστῶτα, καὶ περιϊπτάμενα φόβῳ τῆς ἀπροσίτου σου δόξης κατακαλύπτεται. σὺ γὰρ Θεὸς ὢν ἀπερίγραπτος, ἄναρχός τε καὶ ἀνέκφραστος, ἦλθες ἐπὶ τῆς γῆς μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. οὐ γὰρ ἔφερες, δέσποτα, διὰ σπλάγχνα ἐλέους σου, θεάσασθαι ὑπὸ τοῦ διαβόλου τυραννούμενον τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. ἀλλ᾽ ἦλθες, καὶ ἔσωσας ἡμᾶς. ὁμολογοῦμεν τὴν χάριν. κηρύττομεν τὸν ἔλεον. οὐ κρύπτομεν τὴν εὐεργεσίαν. τὰς τῆς φύσεως ἡμῶν γονὰς ἠλευθέρωσας. παρθενικὴν ἡγίασας μήτραν τῷ τόκῳ σου. πᾶσα ἡ κτίσις ὕμνησέ σε ἐπιφανέντα. σὺ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθης, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφης. σὺ καὶ τὰ Ἰορδάνια ῥεῖθρα ἡγίασας οὐρανόθεν καταπέμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα. καὶ τὰς κεφαλὰς τῶν ἐκεῖσε ἐμφωλευόντων συνέτριψας δρακόντων. αὐτὸς οὖν, φιλάνθρωπε βασιλεῦ, πάρεσο καὶ νῦν διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ ἁγίασον τὸ ὕδωρ τοῦτο. καὶ δὸς αὐτῷ τὴν χάριν τῆς ἀπολυτρώσεως, τὴν εὐλογίαν τοῦ Ἰορδάνου. ποίησον αὐτὸ ἀφθαρσίας πηγὴν, ἁγιασμοῦ ὕδωρ, ἁμαρτημάτων λυτήριον, νοσημάτων ἀλεξητήριον, δαίμοσιν ὀλέθριον, ταῖς ἐναντίαις δυνάμεσιν ἀπρόσιτον, ἀγγελικῆς ἰσχύος πεπληρωμένον. φυγέτωσαν ἀπ᾽ αὐτοῦ οἱ ἐπιβουλεύοντες τῷ πλάσματί σου. ὅτι τὸ ὄνομά σου, κύριε, ἐπεκαλεσάμεθα τὸ θαυμαστὸν, καὶ ἔνδοξον, καὶ φοβερὸν τοῖς ἐναντίοις. C D E

Magnus es Domine, & mirabilia sunt opera tua, nec sermo ullus decantandis mirabilibus tuis sufficiet. Tua enim voluntate cuncta ex nihilo creata sunt, productaque: eaque omnia potentia tua tueris & conservas, mundumque tua providentia gubernas. Tu e quatuor elementis creationem compaginans anni circulum quatuor tempestatibus coronasti. Te metuunt tremuntque potestates universæ spirituales: te Sol prædicat; te celebrat Luna. Tibi Astra voces fundunt laudum: tibi lux obtemperat: Abyssi ad tuam vocem exhorrescunt: fontes tibi serviunt. Tu cælum tamquam pellem extendisti: Tu terram super aquas stabilisti: Tu mare arena circummœnisti: Tu ad respirandum aera effudisti. Angelicæ tibi ministrant potestates: & archangelorum te chori adorant. Multoculi Cherubim, & sexalares Seraphim circumstant te, & circumvolitantes præ horrore inaccessibilis gloriæ tuæ vultus suos obvelant. Tu enim, quum incircumscriptus Deus esses, sine initio, & inenarrabilis, in terras descendisti formam indutus servi, & humanam adsumens imaginem. Non enim sustinuisti, Domine, propter misericordiæ tuæ viscera, videre humanum genus sub diaboli languens tyrannide: sed venisti, & servasti nos. Fatemur hanc nos tibi debere gratiam: prædicamus misericordiam tuam; non occultamus tuam beneficentiam. Tu naturæ nostræ sobolem liberasti: tu partu tui alvum virgineam sanctificasti. Omnis te creatura in apparitione tua laudibus celebravit. Tu enim Deus noster in terris visus es, & cum hominibus vixisti. Tu & Jordanis fluenta demisso sancto Spiritu tuo sacrasti. Tu & delitescentium illic draconum [1] capita contrivisti. Adesto igitur & nunc, o generis nostri amator Rex, & Spiritus sancti superventu hanc quoque aquam sanctifica; & largire illi absolutionis gratiam, Jordanis benedictionem. Effice eam incorruptionis fontem, aquam sanctificationis, absolutionem peccatorum, morborum averruncationem, dæmonibus perditionem, potestatibus inimicis inacessibilem, virium angelicarum plenam. Fugiant ab illa, qui figmento manuum tuarum insidias struunt. Tuum enim nomen, Domine, invocavimus, admirabile illud & gloriosum, & adversariis tuis terribile, & extimescendum.

1. Vide Tom. XIII. pagg. 236. d. 276. e.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 910.

Καὶ ἐμφυσᾷ εἰς τὸ ὕδωρ τρίτον, καὶ σφραγίζει [1] τοῖς δακτύλοις τρίτον, καὶ λέγει·

Συντριβήτωσαν ὑπὸ τὴν σημείωσιν τοῦ τύπου τοῦ σταυροῦ σου πᾶσαι ἐναντίαι δυνάμεις. ὑποχωρησάτωσαν ἡμῖν πάντα τὰ ἐναέρια καὶ ἀφανῆ εἴδωλα, καὶ μὴ κρυβήτω ἐν τῷ ὕδατι τούτῳ δαιμόνιον σκοτεινὸν, μηδὲ συγκαταβήτω τῷ βαπτιζομένῳ, δεόμεθά σου, κύριε, πνεῦμα πονηρὸν, σκότωσιν λογισμοῦ, καὶ ταραχὴν διανοίας ἐπάγον. ἀλλὰ σὺ, δέσποτα τῶν ἁπάντων, ἀνάδειξον τὸ ὕδωρ τοῦτο ὕδωρ ἀναπαύσεως, ὕδωρ ἀπολυτρώσεως, ὕδωρ ἁγιασμοῦ, καθαρισμὸν μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἄνεσιν δεσμῶν, ἄφεσιν παραπτωμάτων, φωτισμὸν ψυχῶν, καὶ λουτρὸν παλιγγενεσίας, υἱοθεσίας χάρισμα, ἔνδυμα ἀφθαρσίας, ἀνακαινισμὸν πνεύματος, πηγὴν ζωῆς. σὺ γὰρ εἶπας, κύριε, λούσασθε καὶ καθαροὶ γένεσθε, ἀφέλεσθε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, σὺ ἐχαρίσω ἡμῖν τὴν ἄνωθεν ἀναγέννησιν δι' ὕδατος καὶ πνεύματος. ἐπιφάνηθι, κύριε, τῷ ὕδατι τούτῳ, καὶ δὸς μεταποιηθῆναι τοὺς ἐν αὐτῷ βαπτιζομένους εἰς τὸ ἀποθέσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, ἐνδύσασθαι δὲ τὸν νέον, τὸν ἀνακαινούμενον κατ' εἰκόνα σου τοῦ κτίσαντος αὐτόν· ἵνα οἱ γενόμενοι σύμφυτοι τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου σου, διὰ τοῦ βαπτίσματος κοινωνοὶ καὶ τῆς ἀναστάσεως γένωνται. καὶ φυλάξαντες τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ αὐξήσαντες τὴν παρακαταθήκην τῆς χάριτος, δέξωνται τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως. καὶ συγκαταριθμηθῶσι τοῖς πρωτοτόκοις ἀπογεγραμμένοις ἐν οὐρανῷ. ἐν σοὶ τῷ Θεῷ, καὶ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, [ᾧ] ἅμα τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, δόξα, καὶ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν, καί·

Ὁ λαὸς, ἀμήν. ὁ ἱερεὺς, εἰρήνη πᾶσι. καὶ κλίνει ὁ ἱερεὺς τὴν κεφαλὴν εἰς ἀγγεῖον τοῦ ἐλαίου βασταζομένου ὑπὸ τοῦ διακόνου, ἢ ἀναγνωστῶν, καὶ ἐμφυσᾷ αὐτῷ τρίτον, καὶ σφραγίζει τρίτον, καὶ λέγει·

Δέσποτα κύριε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, ὁ τοῖς ἐν τῇ κιβωτῷ τοῦ Νῶε περιστερὰν ἀποστείλας κάρφος ἐλαίας ἔχουσαν ἐπὶ τοῦ στόματος, καταλλαγῆς σύμβολον, σωτηρίας τε τῆς ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ τὸ τῆς χάριτος μυστήριον δι' ἐκείνο προτυπώσας· ὁ καὶ τῆς ἐλαίας τὸν καρπὸν εἰς ἀποπλήρωσιν τῶν ἁγίων σου μυστηρίων χορηγήσας, ὁ δι' αὐτοῦ καὶ τοὺς ἐν νόμῳ πνεύματος ἁγίου πληρωθέντας, καὶ τοὺς ἐν τῇ χάριτι πλείους [2], αὐτὸς εὐλόγησον καὶ τοῦτο τὸ ἔλαιον τῇ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ, καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. ὥστε γενέσθαι αὐτὸ χρῖσμα ἀφθαρσίας, ὅπλον δικαιοσύνης, ἀνακαινισμὸν ψυχῆς καὶ σώματος, πάσης διαβολικῆς ἐνεργείας ἀποτρόπαιον, εἰς ἀπαλλαγὴν κακῶν πάντων τοῖς χριομένοις πίστει, ἢ καὶ μεταλαμβάνουσιν ἐξ αὐτοῦ.

Καὶ ἀναστάμενος ἐκφωνεῖ.

Εἰς δόξαν σου καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ παναγίου, καὶ ἀγαθοῦ, καὶ ζωοποιοῦ σου πνεύματος, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας·

Ὁ λαὸς, ἀμήν. ὁ διάκονος, προσχῶμ. [3] ὁ ἱερεὺς λαμβάνει τῷ τρυβλίῳ ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου, καὶ ποιεῖ ἐξ αὐτοῦ εἰς τὸ ὕδωρ σταυροὺς τρεῖς, ψάλλων τὸ, φωνὴ

Tum ter in aquam insufflat, terque eam digitis sui signat, ac dicit:

Conterantur sub signo imaginis crucis tuæ omnes potestates adversæ. Cedant nobis cuncta in aere commorantia & invisibilia spectra, & non occultetur in aqua hac dæmonium aliquod tenebrosum, neque una cum baptizando descendat, quæsumus te, Domine, spiritus aliquis malus, obscurationem rationis, mentisque perturbationem adferens. Verum tu noster omnium Domine, exhibeto aquam hanc aquam requietis, aquam absolutionis, aquam sanctificationis, repurgationem contaminationis carnis & spiritus, vinculorum resolutionem, peccatorum dimissionem, animarum illuminationem, lavacrum regenerationis, donum adoptionis, indumentum incorruptionis, renovationem spiritus, & fontem vitæ. Tu enim dixisti, Domine, Lavamini, & mundamini, auferte malitias ab animabus vestris. Tu supernam nobis per aquam & spiritum regenerationem benigne indulsisti. Adesdum, Domine, aquæ huic, & concede, ut qui hac tingentur, immutentur; & deposito vetere homine, qui desideriis fallaciæ corrumpitur, novum induant, qui ad imaginem conditoris sui innovatus sit: ut qui similitudinis mortis tuæ fuere consortes, resurrectionis quoque tuæ per baptismum participes fiant: donumque sancti Spiritus tui custodientes, ac depositum gratiæ adaugentes, supernæ tandem palmam vocationis accipiant, atque inter primogenitos in cælo descriptos accenseantur. Gloria & potentia sit tibi Deo & Domino nostro Jesu Christo, una cum principio carente Patre, & sanctissimo, benigno, & vivifico Spiritu tuo, nunc, & semper, &c.

Populus tum succlamat, *Amen*. Sacerdos, *Pax omnibus*. Reclinatque sacerdos caput ad vas olei, quod diaconus, aut lectorum aliquis portat, eique ter insufflat, terque signat, & dicit:

Domine & Deus patrum nostrorum, qui illis, qui in arca Noe erant, columbam, ore ramulum olee ferentem, pacis misisti symbolum, salutisque e diluvio restitutæ: qui eo ipso gratiæ tuæ mysterium præsignificasti; qui & olivæ fructum ad consummationem sacrorum tuorum mysteriorum suppeditasti, qui per ipsum & tempore legis Spiritu sancto plenos, & tempore Gratiæ perfectos. Huic quoque oleo potentia, & efficacia, & superventu Spiritus tui sancti benedicere dignare: ut sit unctio incorruptionis, arma justitiæ, spiritus & corporis renovatio, omnis operationis diabolicæ averruncatio, ad aversionem omnium malorum his, qui in fide unguuntur, ejusque fiunt participes.

Et surgens exclamat:

In gloriam tuam, & unigeniti Filii tui, & sanctissimi, boni, & vivifici Spiritus tui, nunc & semper, & in omnia sæcula.

Populus, *Amen*. Diaconus: *Accedite*, &c. Sacerdos acetabulo de sancto oleo accipit, & ex eo in aquam tres cruces facit, accinens illud: *Vox Do-*

1. τοῖς δακτύλοις] in V.C. erat, τοὺς δακτύλους. 2. Lege τελειῶν, perfectos effecisti. 3. πρόσχωμεν, attendamus.

κυρίου ἐπὶ τῶν ὑδάτων, καὶ τὸ ἀλληλούϊα τρίτον, σὺν A
τῷ λαῷ, καὶ ἐκφωνεῖ.

Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ φωτίζων καὶ ἁγιάζων πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ὁ λαὸς, ἀμήν. καὶ προσφέρεται ὁ βαπτιζόμενος ἑνὶ τῶν πρεσβυτέρων. καὶ λαμβάνων ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου τοῖς δακτύλοις αὐτοῦ ποιεῖ σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τοῦ στήθους, καὶ τῶν μεταφρένων τοῦ βαπτιζομένου, καὶ λέγει·

Χρίεται ὁ δεῖνα ἔλαιον ἀγαλλιάσεως, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

B

Καὶ τότε χρίεται ὑπὸ τοῦ διακόνου, ἢ τοῦ ἀναγνώστου, ἐκ τοῦ ἐλαίου ὅλον τὸ σῶμα. ἐν δὲ τῷ ἀλείφεσθαι τοῦτον, ὁ ἀρχιερεὺς βάλλει τὸ λεντίον καὶ τὰ μανίκια. καὶ μετὰ τοῦτο βαπτίζει, λέγων.

Βαπτίζεται ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Ἑκάστῃ προῤῥήσει κατάγων αὐτὸν, καὶ ἀνάγων. καὶ μετὰ τὸ βαπτισθῆναι πάντας, νίπτεται, καὶ ἐκβάλλει τὸ λεντίον, καὶ τὰ μανίκια. καὶ τοῦ διακόνου λέγοντος, προσχωρ. ἄρχονται οἱ ψάλται τὸ Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι. τοῦτο τρίτον C
λέγει, καὶ δοξάζει, καὶ εὔχεται ὁ ἀρχιερεύς·

Εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ παντοκράτωρ, ἡ πηγὴ τοῦ ἀγαθοῦ, ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, ὁ λάμψας ἐν σκότει φῶς σωτηρίας διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ χαρισάμενος ἡμῖν τοῖς ἀναξίοις τὴν μακαρίαν κάθαρσιν ἐν τῷ ἁγίῳ ὕδατι, καὶ τὸν θεῖον ἁγιασμὸν ἐν τῷ ζωοποιῷ χρίσματι, ὁ καὶ νῦν εὐδοκήσας ἀναγεννῆσαι τοὺς δούλους σου τοὺς νεοφωτίστους δι' ὕδατος καὶ πνεύματος, καὶ τὴν τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων ἄφεσιν αὐτοῖς δωρησάμενος. αὐτὸς οὖν, δέσποτα, βασιλεῦ εὔσπλαγχνε, χάρισαι αὐτοῖς καὶ τὴν σφραγίδα τῆς δωρεᾶς τοῦ D
ἁγίου, καὶ παντοδυνάμου, καὶ προσκυνητοῦ σου πνεύματος. καὶ τὴν μετάληψιν τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. φύλαξον αὐτοὺς ἐν τῷ ἁγιασμῷ. βεβαίωσον αὐτοὺς ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει. ῥῦσαι ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, καὶ πάντων αὐτοῦ τῶν ἐπιτηδευμάτων, καὶ τῷ σωτηρίῳ σου φόβῳ, ἐν ἁγνείᾳ, καὶ δικαιοσύνῃ, τὰς ψυχὰς αὐτῶν διατήρησον. ἵνα ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ εὐαρεστοῦντές σοι υἱοὶ καὶ κληρονόμοι τῆς ἐπουρανίου σου γένωνται βασιλείας.

Ἐκφώνησις.

Ὅτι σὺ εἶ Θεὸς ἡμῶν, Θεὸς τοῦ ἐλεεῖν καὶ σώζειν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν. E

Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην ψάλλει, ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθησαν, καὶ χρίει τοὺς βαπτισθέντας τῷ ἁγίῳ μύρῳ, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, λέγων·

Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου.

Καὶ μετὰ τοῦτο ἄρχεται τῆς ἁγίας λειτουργίας. καὶ ἀξιοῦνται τῆς ἁγίας μεταλήψεως. τῇ δὲ η. ἡμέρᾳ λύει τὸ σάβανον, τὸ κουκούλ. καὶ τὴν ζώνην, καὶ λέγει τὴν εὐχήν·

mini super aquas. Et ter *Alleluja*, cum populo, & exclamat:

Benedictus Deus, qui illuminat & sanctificat omnem hominem venientem in mundum, nunc & semper, & in omnia sæcula.

Populus, *Amen*. Et adducitur baptizandus ad presbyterorum aliquem: hic autem digitis sui aliquantulum sacri olei capiens imaginem crucis in fronte & pectore, ac scapulis format baptizandi, dicitque:

Talis ungitur oleo exsultationis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Et tunc ungitur oleo hoc a diacono, vel lectore, per totum corpus. Dum vero ungitur, episcopus cingulum, & mantile sumit. ac postea eum baptizat, dicens.

Baptizatur talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ad singulas pronuntiationes eum immergens & educens. Postquam vero omnes baptizati sunt, lavatur, & deponit cingulum cum mantili. Diacono vero dicente, *Accedite*. Cantores psalmum auspicantur, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*. Hoc ter dicit: Episcopus autem laudat Deum, & precatur:

Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons omnis boni, sol justitiæ, lumen salutis in tenebris emittens per apparitionem unigeniti Filii tui ac Dei nostri: qui indignis nobis beatam in aqua sacra purgationem largiris, divinamque sanctificationem in unguine vivifico; quique & nunc servos tuos recens illuminatos per aquam & spiritum regenerare dignatus es, ac peccatorum tam voluntariorum, quam involuntariorum ipsis concedere remissionem. Tu igitur, Domine rex, benigne & misericors, imperti ipsis & sigillum doni sancti & omnipotentis, atque adorandi Spiritus tui, participationemque sancti corporis, & venerandi sanguinis Christi tui. Custodi & conserva ipsos in sanctificatione tua: confirma eos in vera fide: libera eos a malo, & ab omnibus artibus ac dolis ejus: salutarique tui timore in puritate, & justitia animas eorum retine, ut in omni opere ac sermone tibi bene placentes cælestis regni tui filii fiant & heredes.

Exclamatio.


Quia tu es Deus noster, Deus misericordiæ & salutis; & tibi gloriam.

Post has autem preces, psallit, *quicumque in Christo baptizati sunt*: ungitque baptizatos sacro oleo, signum crucis in fronte faciens & super oculos, dicens:

Signaculum doni Spiritus sancti.

Post illa incipit sacram liturgiam, & admittuntur baptizati ad sacram communionem. Octava vero die solvit sabanum, cucullum & cingulum, & has dicit preces:

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.



SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 910.



Ὁ λύτρωσιν ἁμαρτιῶν διὰ τοῦ βαπτίσματος τοῖς δούλοις σου δωρησάμενος, καὶ ἀναγεννήσεως ζωὴν αὐτοῖς χαρισάμενος, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα κύριε τὸν φωτισμὸν τοῦ προσώπου σου ἐναύγασον ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν διὰ παντός. τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως αὐτῶν ἐπὶ τῇ σῇ πέτρᾳ θεμελίωσον. τὸ ἔνδυμα τῆς ἀφθαρσίας παντὸς ῥύπου ἁμαρτημάτων ἀμόλυντον διατήρησον, καὶ τὴν πνευματικὴν σφραγίδα τῆς φοβερᾶς χρίσεως ἀνεξάρνητον διατήρησον, ἵλεως γενόμενος αὐτοῖς τε καὶ ἡμῖν κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν σου. A

Domine Deus noster, qui peccatorum solutionem per baptismum servis tuis largitus est, vitamque ipsis regenerationis benigne concessisti; nunc quoque illuminationem, quæsumus, vultus tui in cordibus eorum in perpetuum infunde: & [1] ostiarium fidei ipsorum lapidem petræ tuæ firmiter inædifica, Indumentum incorruptionis ab omni peccatorum macula intaminatum conserva; & hoc tremendæ unctionis spirituale signaculum indelebile custodi, & ipsis & nobis propitius factus secundum multitudinem miserationum tuarum,

Ἐκφώνησις.

Exclamatio.

Ὅτι ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν. B

Benignus enim & hominum amans Deus es, & tibi gloriam.

Εἶθ' οὕτως λαμβάνων ὁ ἱερεὺς βαμβάκιον, καὶ ὕδωρ ἐν σκεύει, ἀπολούει τὰς πέντε αἰσθήσεις αὐτοῦ, ἃς διὰ τοῦ μύρου ἔχρισε, λέγων·

Deinde episcopus vasculum capit, & aquam infundit pelvi: & abluit quinque sensus ejus, quos oleo inunxerat, dicens:

1. θυρεὸν verte scutum, & mox super tua petra. ἀνεξάρνητον quoque nulli obnoxium negationi sonat; & βαμβάκιον est gossypium.

CETERA DESUNT.



SERMONES V. SELECTI ABBONIS MONACHI S. GERMANI A PRATIS.

Incipit argumentum libri sequentis.

NOveris, Lector sive Auditor, quicumque es mediocris loquacitatis dives, sed latinitatis indiges, hoc opusculum tibi nudo nuditer factum, ut qui per obscura doctorum commenta & homilias non intelligis Evangelia, saltem huic libello ab illis mutuato intendas vel legendo, vel audiendo. In hoc quippe codicillo omnia quæcumque legeris invenies patefacta tuæ saluti, aliorumque hominum quibus revelabitur; evangelicas videlicet expositiones, simulque sermunculos rebus temporibusque aptissimos. Me revera, Abbonem scilicet monachum, & miserabiliorem cunctis mortalibus, coegerunt Episcopi Froterius videlicet Pictavæ sedis, & maxime Fulradus Parisiacæ, illud tenui stilo cudere negotium, ad utilitatem simplicium clericorum; quatenus hinc omni tempore sumant ausum, & hauriant potum prædicandi subjectis. Igitur memores estote, lectores, Abbonis in vestris sacris, vernaculi beatissimi Germani tutoris Parisii ab obsessione hostili. Dignum est siquidem, ut qui pene indicibili sudore expleveram jussa Præsulum, quodlibet adminiculum mente sentiam orationibus.

SERMO I.

In Cœna Domini.

I. HÆc igitur dies, fratres carissimi, a fidelibus Christi longe lateque per orbem diffusis congrua devotione, tota in celeberrimæ solemnitatis laude expenditur. Hodie dignissimum pascha a Domino & a discipulis celebratur, & ab ipso in exemplum imitandæ humilitatis, pedes eorum lavantur, atque sancta mysteria corporis ac sanguinis sui traduntur. Hodie ad colligendos novos populos sanctum chrisma ab episcopis conficitur; templi pavimenta, & altaria, sacra quoque vasa purificantur. Hodie pia mater ecclesia super filios adoptivos, quos in fide genuit, quosque olim pro quibusdam erratuum suorum piaculis corrigendos amisit, dum iterum ad se reverti per reconciliationem conspicit, ovanter congratulatur. In qua videlicet die omnes vos ad eamdem reconciliationem, ut absolvi possitis a delictis, promtissima voluntate confluere dinoscimus: quam largiflua supernæ pietatis gratia annuente, sicuti devotis exposcimus animis, ut debitores adsumus, & pro vobis rationem reddituri, totis præcordiorum nisibus ejus fiducia freti, qui dixit: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælo;* vobis administrare cupimus.

II. Sed cum pastoralis curæ sarcinam nos scelerum gravedine fessos immerito subisse comperimus, quam [1] imprudenter arripuimus quod non debuimus, ad hoc assurgere formidamus; timentes ne illud propheticum in nos retorqueri videatur, quod de reprobis pastoribus dicitur: [a] *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Unde adeo necesse est, ut proprias primum continuis fletibus mundemus maculas criminis, deinde unumquemque vestrum pastorali sollicitudine admoneamus, ut qui hanc absolutionem adipisci desiderat, introrsus redeat, oculos cordis ad conscientiam revolvat, & si illicita quæque, a quibus nemo liber sit, admisit, sinceræ confessionis recordatione, & spiritu contribulato in ara cordis Domino hostiam immolet, & se se in omnibus corrigere satagat. Non enim cogitationum nostrarum intentiones, nisi qui *omnia scrutatur corda, & universas mentium cogitationes intelligit*, quislibet potest intueri. Omnes quidem ad captandæ absolutionis effectum veniunt, sed non æquanimiter: alii namque in sordes peccatorum illapsi obstinato animo perseverant: alii quoque ea quæ inique aliquando gesserunt, non solum perpetrare erubescunt, verum etiam fletibus amarissimis punire sollicitant. De istis vero legitur: *Beatus homo qui semper est pavidus:* de illis quippe statim subsequitur: *Qui etiam mentis est duræ, corruet in malum.*

III. Proinde paterna admonitione jubemus, ne quislibet converti ad Deum differat, cum ille dicat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et: *In quacumque hora peccator conversus fuerit & ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur.* Hinc etiam ipse in Evangelio ait: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta justis, qui non indigent pœnitentia.* Cum autem, fratres carissimi, tot sanctarum Scripturarum exempla, pluraque alia mentis nostræ in intellectu tantam inferant consolationem, & converti ad Deum nolumus, quomodo ex peccatis veniam quærimus? Hinc enim Dominus per Prophetam dicit: [b] *Pluam super unam civitatem, super aliam non pluam.* Super unam quidem civitatem Dominus pluit, dum super quorumdam corda fidelium ad se convertentia, salutiferum sancti Spiritus imbrem infundit. Sed super aliam civitatem idem Dominus non pluit, dum plerisque animo obduratis gratiam suæ visitationis subtrahit. Sic namque in hac Ecclesia timeri potest, ut quibusdam pro meritorum suorum qualitate concedatur absolutionis gratia, & quibusdam, quod absit! subtrahatur. Audistis enim quid Dominus cum ad prædicandum mitteret discipulos præceperit eis, dicens: *In quamcumque domum intraveritis, ibi manete: si autem ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra; sin autem, revertetur ad vos.* Ideoque, fratres, omni constantia procurate ne dispar, sed sicut in omnibus communis est gratia ba-

a Ezech. XIII. 19. b Amos IV. 7.

1. Forte *quoniam*.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 940.

ptismatis, ita exstet & absolutionis; quia hodie, A
ut præmissum est, pascha celebravit cum discipulis, & in crastinum gloriosam subiit mortem: & de hoste resurgendo a mortuis nos eripuit Jesus Christus Dominus noster.

SERMO II.

De Cœna Domini, & de multis sacramentis ejusdem diei.

I. FRatres carissimi, hodie in ista die gaudent & sunt læti omnes fideles Christi, qui sunt per totum istum mundum. Hoc debetis scire pro quali caussa debent hodie læti esse toti Christiani B plusquam in alia die. Propterea debetis vos esse læti, quia in ista die fecit Dominus pascha cum discipulis suis, & in ista die lavavit Dominus pedes discipulorum suorum, & ostendit omnibus hominibus exemplum de humilitate; ut omnes homines illi se humiliarent, & lavarent pedes pauperum. Et in ista die fecit Dominus cœnam cum discipulis suis, hoc est manducavit & bibit cum suis discipulis. Et in ista die consecravit Dominus prima vice de pane suum corpus, & de vino suum sanguinem. Et in ista die cessavit vetus Testamentum, & accepit finem lex Judæorum. Et in ista die incipit novum Testamentum, hoc est Evangelium. Et hodie incepit religio Christianorum in C ipsa cœna Domini. Et hodie in ista die debent omnes Episcopi consecrare, hoc est benedicere chrisma, unde nos facimus novellos Christianos. Et hodie debent lavari Ecclesiæ, & altaria, & illa sancta vasa quæ sunt in Ecclesia. Hodie gaudet sancta mater Ecclesia recipere, & reconciliare sibi suos filios, hoc est, Christianos, quos emisit foras pro illorum culpis. Et in ista die, fratres, videmus nos, quia propterea venistis ad istam matrem ecclesiam, ut possitis habere ipsam reconciliationem quam perdidistis propter vestra peccata, & quo vos possitis absolvi ab omnibus vestris peccatis.

II. Vere, fratres carissimi, hoc debetis scire unde fuit inceptum hoc exemplum, ut episcopi pec- D catores homines ejicerent de Ecclesia in capite jejunii, & iterum post completam dignam pœnitentiam, reciperent ipsos peccatores in ecclesia. Nam quando noster Dominus, qui est Deus omnipotens, fecit primum hominem Adam, totum illum fecit sanctum, & justum, & immortalem. Sanctitas autem & justitia, & immortalitas fecerunt ipsum Adam habere imaginem & similitudinem Dei. Et propterea dixit Deus antequam crearet Adam: [a] *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*, hoc est faciamus hominem sanctum, & justum, & immortalem. Et istam suam imaginem nos commendat Dominus habere, quando dicit in Evangelio: *Estote sancti, quia & ego sanctus sum*. Et in alio lo- E co dicit: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est*. Ergo quia Deus tam bonum & tam sanctum fecit Adam, propterea legimus, *quia misit eum in paradisum, ut operaretur, & custodiret illum*. In ipso autem paradiso dedit ei Dominus omnem gloriam. Ibi videbat angelos, & loquebatur cum illis; & numquam moreretur si non peccasset. Ibi audiebat Dominum secum loquentem, & talem obedientiam sibi commendantem, ut numquam comederet de ligno scientiæ boni & mali. In ipsa vero hora qua peccavit Adam, ejecit eum Dominus, qui est episcopus episcoporum, foras de paradiso; & dixit illi: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Et postquam fuit Adam ejectus de paradiso, quid fecit? Certe longam pœnitentiam fecit per sexcentos annos, & eo amplius. Ad ultimum vero post suam mortem missus est in carcerem infernalem [1], ubi longo tempore planxit & doluit, quia propter suum peccatum perdiderat paradisum: & tam grandi tempore fuit sibi dolens & pœnitens, donec Dominus noster Jesus Christus, qui est pontifex pontificum, absolvit eum per suam passionem, & liberavit eum de pœnis tenebrarum, & reddidit ei paradisum.

III. Igitur, fratres, nos episcopi sumus vicarii Domini nostri Jesu Christi in hoc mundo, & sumus missi, & ordinati in loco ejus: & propterea post Apostolos dedit nobis Dominus potestatem ligandi animas atque solvendi, & præcepit nobis ædificare, & plantare bonos homines in domo Domini, & evellere (de ea) hoc est de Ecclesia. Sic enim dicit Dominus per Jeremiam prophetam: [b] *Ecce constitui te super gentes, & super regna, ut evellas, & dissipes, & ædifices, & plantes in domo Domini*. Attendite, fratres, de bono animo hoc quod nos vobis volumus dicere. Propterea misit Dominus Adam in paradisum, ut in ipso paradiso nascerentur omnes electi, & operarentur voluntatem Dei usque ad plenam senectutem, de illo transirent ad cæleștem patriam. Et certe sic faceret, si Adam non peccasset.

IV. Fratres, istud exemplum Domini nostri Jesu Christi tenemus nos episcopi in Ecclesia, peccatores vero tenent exemplum Adam. Verbi gratia, sicut filius Dei misit Adam sanctum & justum in paradisum, similiter nos & omnes sacerdotes mittimus in Ecclesiam homines sanctificatos, & justificatos in baptismo. Cur mittimus eos homines in Ecclesiam? quia jam facti sunt sancti per baptismum: & propter ipsam caussam pro qua Dominus misit Adam in paradisum, hoc est ut operaretur & custodiret illum paradisum. Similiter & nos sacerdotes propterea mittimus homines baptizatos in Ecclesiam, ut omni tempore operentur in ea voluntatem Dei, & custodiant illam Ecclesiam, hoc est christianitatem. Deus omnipotens donavit Adam, legem quam debuit observare per obedientiam. Qualem legem? Ut non manducaret de arbore scientiæ boni & mali. Similiter & Dominus per nos donat vobis legem quam debetis servare in Ecclesia. Qualem legem vobis donat Dominus per nos, id est, per nostram admonitionem? *Non occides, non mœchaberis; non adulterabis; non furtum facies; non falsum testimonium dices; non perjurabis; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & diliges proximum tuum sicut temetipsum*. Fratres, ista omnia præcepta vobis donat Dominus per nos, ut custodiatis illa, & operemini illa per obedientiam.

V. Sed quid fecit Dominus de Adam, pro eo quod non custodivit obedientiam? Certe ejecit eum foras de paradiso plorantem, & lugentem, & nimis contristantem. Similiter & nos episcopi propterea quia vos non custodistis obedientiam præceptorum Dei, quæ nos supra nominavimus, propterea ejecimus vos foras de Ecclesia, & cantavimus post vos hoc quod

a Gen. I. 26. b Jerem. I. 10.

1. Hæc intellige de inferis, seu sinu Abrahæ. Et quæ de pœnis scribit, interpretare de privatione visionis intuitivæ.

Dominus post Adam cantavit, quando expluit eum de paradiso: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, & reliqua. Sed quid fecit Adam postquam fuit ejectus de paradiso? Certe multam & dignam pœnitentiam fecit Adam, ut dignus esset quod Deus reciperet eum in paradisum. Et vos similiter fecistis dignam pœnitentiam in ista Quadragesima, quo vos sitis digni intrare in Ecclesiam, & communicare corpori & sanguini Domini. Et propterea vos gaudenter recipit sancta mater Ecclesia inter filios suos, qui sunt filii Dei adoptivi, hoc est electi. Hoc tamen debetis scire, quia sicut beatus Ambrosius dixit, nullus episcopus potest absolvere pœnitentes, nisi ipsa pœnitentia eorum fuerit digna de absolutione. Pœnitentia de pœna accepit nomen, ut homo peccator habeat pœnam in corpore, jejunando & affligendo carnem suam per abstinentiam, & per vigilias in orationibus. Unde ait beatus Hieronymus, grandia jejunia expellunt fortia vitia de homine; & longa parcitas cibi & potus occidit luxuriam. Et propterea vobis dicimus hoc, ut si non habetis adhuc illam pœnitentiam factam, quæ Deo placeat, ex vestra voluntate perficite illam: & si non potestis jejunare, vel eleemosynas facere, quæ liberent vestras animas de inferno, non debetis hoc attendere ut vos umquam non faciatis plus de pœnitentia, nisi quantum vobis fuerit commendatum: sed de vestra voluntate debetis plus facere, sicut faciebant sancti, qui portabant cilicia, & abstinebant a carne & a vino, & jejunabant usque ad vesperam propter desiderium vitæ æternæ; & umquam non fuit illis sanctis de sacerdotibus talis pœnitentia commendata.

VI. Fratres, jam modo est Adam receptus in cælesti paradiso; propter multum laboriosam pœnitentiam meruit accipere societatem cum Dei fidelibus redemtis de sanguine Christi. Et vos, Deo gratias, hodie propter vestram pœnitentiam estis recepti in Ecclesiam quasi in paradisum. Et quia vos convenistis in ista die ad recipiendam societatem sanctæ Ecclesiæ, & absolutionem de vestris peccatis, & ideo venistis cum toto desiderio, quo vos possitis recipere tam magnum gaudium de paschali solemnitate, & quo possitis communicare de corpore & sanguine Domini: propterea non debet remanere in vobis superbia, per quam cecidit Lucifer angelus de cælesti gloria in infernum. De ipsa superbia inquit scriptum: *Deus superbis hominibus resistit, humilibus autem donat suam gratiam.* Si ille angelus Lucifer per superbiam perdidit æternam gloriam; nos qui homines sumus non poterimus umquam habere illam gloriam, si non per humilitatem. Debet cessare in vobis omnis iracundia, de qua dicit Joannes Apostolus: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Et Dominus dicit in Evangelio: *Si non dimiseritis peccata hominibus, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Debetis etiam dimittere, ut non decipiatis alios homines per vestra vitiosa mendacia, & per vestra ingeniosissima juramenta. Vere illos tales homines qui hoc faciunt maledicit omnis Ecclesia, orans cum Propheta: *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Et: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis, Deus, secundum ipsorum opera.* De ventris ingluvie admonet vos Dominus temperare, dicens: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Crapula & ebrietas est nimium manducare, & nimium bibere. Satis scitis vos quia propter ingluviem ventris cruciatur dives in inferno. Illi homines qui semper manducant & bibunt usque ad saturitatem, & usque ad ebrietatem, illi de suo ventre faciunt suum Deum. Unde ait Apostolus: *Quorum Deus venter est, & gloria eorum in confusione:* hoc est in verecundia ipsorum erit, qui terrena sapiunt. Et iterum dicit Apostolus: *Esca*, hoc est cibus, *ventri est Deus, & venter escis*, hoc est cibis. *Deus autem hunc* ventrem, *& hæc*, id est, escas, *destruet* in fine mundi. Hoc etiam nos commonet ut fugiamus fœtores luxuriæ, & omne genus fornicationis. Unde dicit Apostolus: *Neque fornicatores, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Et beatus Hieronymus ait: *Qui autem luxuriatur, vivens mortuus est.* Præterea grandis bonitas est, ut dimittamus avaritiam, de qua dicit Apostolus: *Avaritia est idolorum servitus:* hoc est, ille homo qui avarus est, ille adorat idola, & servit diabolis. Et iterum ait Apostolus: Illi homines, *qui volunt esse divites, cadunt in tentationem & in laqueum diaboli:* hoc est in catenam diaboli, & cadunt *in desideria multa & nociva, quæ mergunt homines in perditionem.* Unde ait Jacobus Apostolus ad ipsos divites: *Vestræ divitiæ putrefactæ sunt; vestimenta vestra tineæ comedunt; aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum erit vobis in testimonium; & ipsa ærugo devorabit vestras carnes sicut ignis.* Omnis homo qui divitias habet, & vestimenta satis habet, & aurum vel argentum possidet, & videt ante se pauperes mori de fame, aut de frigore, homicida est. De discordia vero admonere vos debemus ut non fit umquam in vobis discordia, quia non est sub cælo ulla pestilentia, quæ sic devastet regna, & civitates & villas, & ipsos homines, quomodo discordia facit, teste salvatore in Evangelio: *Omne regnum in se ipsum divisum*, id est discordans, *desolabitur*: hoc est in desertum veniet.

VII. De istis omnibus peccatis supradictis debetis Deum deprecari, ut donet vos facere talem pœnitentiam, & talem emendationem, quæ Deo placeat, & vobis proficiat ad vitam æternam, ipso adjuvante qui nunc vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

In porta Ecclesiæ ad Pœnitentes nondum adeptos reconciliationem.

I. Vobis quoque, fratres, quos nunc mater Ecclesia non recipit, quia non est adhuc tempus completæ pœnitentiæ vestræ: vobis, inquam, convenit exhortatio atque consolatio; scilicet ut non contristemini de hoc, quod non modo vos recipit mater Ecclesia. Non enim audemus, nec debemus decipere animas vestras, quæ nobis commissæ sunt ad vitam æternam perducere. Nullus est certe episcopus qui possit absolutionem dare, nisi post pœnitentiam factam & dignam satisfactionem. Ac propterea volumus vos confortari, & consolari & exhortari, ut non habeatis tristitiam, sed cum omni cura observate vestram pœnitentiam. Nam vestra pœnitentia si bene fuerit facta, est magnum gaudium angelorum in cælo. Quia sicut ipse Salvator ait, *Gaudium est angelis Dei in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia.* Ergo cum omni humilitate & puritate cordis, sine ira & sine aliquo scandalo pœnitemini, & deprecamini pium Deum, ut respiciat vos, atque dignanter recipiat vestram humilitatem.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 920.

II. Providete etiam, ut pœnitendo & jejunando non cadatis in aliquod criminale peccatum, quia ille homo qui jejunat & peccat, similis est diabolo semper jejunanti & semper peccanti. Hoc quoque debetis observare in vestra pœnitentia, ut illud faciatis jejunium, quod sit sanctificatum ex duabus caussis, hoc est, de orationibus atque eleemosynis. Unde commonet nos Propheta: *Sanctificate jejunium*. Concedat omnipotens nobis & vobis hujusmodi jejunium omni tempore perficere, quod nobis aperiat paradisum. De ebrietate vero castigo vos, fratres nostri concives, ut declinetis ab ea, & non teneatis eam in usu. Quia ebrietas nullum vitium excusat, sed omnia peccata generat, & est magnum & criminale peccatum. Nam ista ebrietas quam tenetis a mane usque ad noctem profundam, est perditio animarum vestrarum. Vere numquam habebitis vitam æternam, nisi per abstinentiam a crapula & ebrietate, hoc est, a nimia comestione & potatione. Vos etiam non observatis jejunium, per quod debetis vincere diabolum, sed infringitis omne jejunium, & a Deo commendatum, & a nostra auctoritate jussum. Et non cogitatis quod ille homo qui infringit unum diem in Quadragesima, totam Quadragesimam infringit. Et propterea præcipiunt sancti canones, ut qui infringit unum diem in Quadragesima, quadraginta dies pro uno die solvat auctori Deo suo. Propter ingluviem & gulositatem fuit ejectus Adam de paradiso. Et nos si volumus nostram recipere hereditatem, id est, paradisum, necesse est ut per aliam viam, hoc est, per jejunium & abstinentiam revertamur ad paradisum. Quod ipse præstare dignetur, qui in trinitate & unitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

In Cœna Domini,

Ad pœnitentes reconciliatos.

I. HOdie, fratres, est Cœna Domini, in qua Dominus noster cum discipulis suis manducavit, & lavit pedes eorum, dans nobis exemplum quo similiter faciamus nos nostris famulis & pauperibus. Hodie consecratur chrisma, unde omnes fiunt Christiani. In hac die pœnitentes societatem Ecclesiæ recipiunt, & sancti angeli gaudent de reconciliatione eorum hominum, qui veraciter pœnituerunt se peccasse, & tribulationem in suis corporibus jejunando, & vigilando, & Oratoria circumeundo, patienter sustinuerunt, ut Deum sibi placabilem obtinerent. Vobis itaque, fratres, quos hodie recipit sancta Ecclesia, vobis dico, convenit admonitio & exhortatio. Illa scilicet vobis convenit commonitio, ut omni tempore recordemini quales eratis ante confessionem & pœnitentiam, & indulgentiam, quæ nunc consequuti estis, vobis Deo inspirante: ipse enim Deus dixit: *Sine me nihil potestis facere.*

II. Igitur ante confessionem & pœnitentiam peccatorum vestrorum eratis filii diaboli, & servi peccati, quia *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Nunc vero quia fugistis diabolum, & venistis ad pium Christum per pœnitentiam, liberati estis a peccato, & servi facti estis Deo. Ergo necesse est vobis cum omni sollicitudine, & omni cura ut laboretis in omnibus operibus bonis, videlicet & non
A manducetis nimium, & non bibatis usque ad ebrietatem, neque ante horam, neque post horam; & studeatis vivere de vestra justitia, non de rapina, quoniam sicut ait Apostolus, *Raptores regnum Dei non possidebunt*. Memores etiam esse debetis terribilis sententiæ, quam dixit Apostolus: [a] *Qui in uno offendit, omnium reus est*; hoc est qui unum peccatum facit, offendit Deum, qui omnia peccata prohibuit nobis facere. Propterea vobis dico talia, ut si non facitis peccata quæ pœnituistis, nec alia committatis. Nam nihil adjuvat pœnitere, si post pœnitentiam revertitur homo ad peccatum. Et ille talis homo qui hoc facit, similis est cani
B revertenti ad vomitum suum. Et de talibus hominibus repetentibus peccata sua quæ jam fecerunt, dicit Spiritus sanctus per prophetam David, *Quia justificationes Domini non exquisierunt*, id est, non permanserunt in promissionibus suis, quas promiserunt in baptismo & in confessione iniquitatum suarum; quas per omnia tempora vitare tribuat vobis Deus, qui vos hodie recipit in societatem plebis suæ.

SERMO V.

De fundamento & incremento Christianitatis.

C I. PEnsate, fratres carissimi, & considerate toto corde vestro, & tota anima vestra, quam magnum nomen sit Christianitas, & quomodo crevit & diffusa est per omnes gentes totum habitantes mundum. Nulla siquidem caussa fuit umquam, nullum quippe regnum, nulla prorsus ædificatio urbium cum toto labore constructa, quemadmodum Christianitas, quam nostra quotidie prava destruit vita. Et quamvis crevisset Christianitas, ejusdemque sacra religio cum modestia dictu ineffabili, tamen omnem utique superstitionem & mortiferam gentilitatis idololatriam gloriose vicit, & ad pulverem usque prostravit. Suos denique observatores sancta Christianitas, quæ est civitas Dei, ad per-
D fectionem conduxit. Nec mirum est, si res perfecta perfectos facit. Unde est ergo Christiana religio profecta? Ex fundamento videlicet immobili, omniumque firmissimo rerum fundatarum. Super hoc quidem fundamento veraci assertione loquitur Apostolus, dicens: *Nemo potest aliud fundamentum ponere, præter id* fundamentum Christianitatis, *quod jam positum est*. Ipsum etiam appellat vates David pavimentum, dicens; *Adhæsit pavimento anima mea*. Hoc igitur fundamentum, sive pavimentum est Jesus Christus Dominus noster, super cujus mortem fundata est Christiana religio. O quantus labor ædificandæ Christianitatis! Ani-
E madvertite vos Deicolæ, quam inenarrabili tormento mortis stabilivit noster Dominus ecclesiam Christianitatis, quam exosi justitiam male dissipant: ac pro ea fundanda, sed & stabilienda per diversa mundi climata sustinuit Dominus Jesus zabuli tentamenta, hominum opprobria, sputa, spineam coronam, tandem vero terribilem crucis necem, inque manibus ac pedibus clavos formidolosæ molis; simulque sanctus in sancto Christus latere ultro lanceam suscepit.

II. Præter id tamen sacramentum catholici cultus, omnia quæ operatio divina creavit sæcula & gubernat, sine ulla quidem molestia plene condidit & moderatur. Siquidem in ipso formationis mundi principio creavit cælum & terram, ange-

a Jac. II. 10.

los, aerem, & aquam de nihilo absque ulla onerositate. In primo etiam die mundi fecit lucem de nihilo: secundo autem die statuit firmamentum in medio aquarum sine quolibet sudore: tertio edidit species maris & humi, cum surculis radicitus terræ inhærentibus: quarto luminaria cæli de luce, quæ in primo die paruit facta omni procul gravedine: quinto creavit natatilia & volatilia de aquis ullo sine dolore: sexto quidem die psalmavit cetera animantia, hominemque partim de humo, partim ex nihilo. Et hæc omnia quidem suaviter, & sine quavis amaritudine Dominus noster patravit Jesus Christus, Dei scilicet filius manens semper cum patre, & Spiritu sancto personaliter trinitas, substantialiter unitas. Verum non sic leviter primo & novissimo collibuit omnipotenti qui fuit mortuus, & ecce est vivens in sæcula sæculorum, habens claves mortis, & erebi: illi, inquam, non placuit tam leviter cultum orthodoxæ religionis pullulare. Quomodo igitur libuit illi? Estote, fratres, vehementer intenti, ut auditu cordis percipere queatis. Nam crucis aram subiit, ubi seipsum jecit fundamentum Christianitatis, & suis sequacibus prætendit exemplum ejusdem perficiendæ religiositatis.

III. Hujus autem & pavimenti memor & exempli beatus infit apostolus Petrus: *Christus*, inquiens, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Christus Dominus ideo vitam carnis amisit, quo stabiliret Ecclesiam Christianitatis, quam judices iniquitatis cæca cupidine incessanter evertunt. Christus Deus idcirco suum corpus salutiferum sepulturæ tradidit, quo omnis sacrilega cupiditas in æternum sepulta jaceret, sicque muta jugiter quiesceret. Christus Deus pro eo morte carnis mortem animæ occidit, quo humanæ carnis aviditas in homine simili Deo mortua semper exsisteret. Ceterum omnipotens vita Christus a mortuis resurrexit, apostolos firmavit, in vastum orbem contra lupos ut oves destinavit. Illos quoque primos armis veræ Christianitatis vestivit, suaque prælia quo fortiter pugnarent cum benedictione præcepit.

IV. Ita perpendite, fratres, quanto labore, quantisque tribulationibus propagaverunt Apostoli, id est, arbores paradisi & columnæ, Christianitatem cæli & regnum cælorum in terris, & sedem Dei ædificaverunt invitis principibus orbis, qui appellantur lupi, & sunt titiones inferni. Igitur singuli singulas, quibus Christianitatis ovilia cuderent, elegerunt Apostoli provincias, quidam vero ampliores. Andreas videlicet Christianitatem in Acaia ædificavit emtam crucis patibulo, Ægea proconsule inferni titione facto. Thomas quoque in India citeriore quatuor lanceis perforatus, ex totidem corporis partibus aulam Christianitatis stabilivit, rege Mesdeo resistente, & ob id in stipulam erebi verso. Bartholomæus æque in finali India truncatione capitali claustra Christicolæ fidelitatis viriliter fundavit, rege expugnabili Astyage. Matthæus etiam Christum Æthiopiæ indidit in Hyrcanum regem, martyrioque ibidem solidavit. Christianitatem Simon quoque & Judas apostoli in regno Persidis sui dumtaxat fundamenti imitatores Christi, dogmata Deicolæ religionis cordibus innumeris profanorum infuderunt: ob quod itaque pretiosissimum facinus a sacerdotibus idolorum interfecti, & sibi, omnique Persidis regni Ecclesiæ obtinuere polum, redactis eisdem sacerdotibus in fomitem ignis averni. Siccine propagata est Christianitas, quæ est civitas Dei, sævis mortibus fundata propagatorum. Jacobus quoque beatissimi Joannis Evangelistæ germanus, quin etiam sui homonymus Domini nostri Jesu Christi frater, ob fidem sanctam in Samaria atque Judæa stabiliendam similiter occubuerunt: alter quidem gladio Herodis, alter vero letifero ictu cujusdam fullonis lapidibusque Judæorum velociter obrutus. Joannes nihilominus suorum condiscipulorum Christo carissimus, fluenta sophiæ ab herili pectore hausta Asiæ propinavit, Christique Christianitatem sponsam ibidem honestissime constituit. Philippus sic etiam nihilominus cælestem docens vitam, hoc est Christianitatem, claustra ejusdem religionis potissimum Illicinæ fixit. Itaque non voluptates carnis, nec delitiæ, neque hujus sæculi divitiæ, nec honores plantaverunt Christianitatem per orbem, sed tristes mortes Apostolorum, eorumque doctrinis obtemperantium: primum tamen salutiferam, & Christi semper multiplicantis genimina totius sacro-sanctæ religionis a suo nomine ubique regnorum sole clarius effulgentis.

V. Beatissimi quoque principes apostolorum Petrus & Paullus incipientes a Judæa Christum prædicare, Christianitatem quoque plantare cum multis tribulationibus per diversas urbes, earumque regiones, Romam tandem pervenerunt, ubi & caput orbis erat, & primates mundi manebant, ac proinde omnium conventus nationum illuc confluebat. Attendite, fratres, Romam ubi consistebat Nero imperator dumtaxat subterioris mundi, (alter enim est superior & sydereus) necnon & Simon magus infinitæ peritus malitiæ: illuc convenerunt Apostoli principes a Deo constituti super omnem terram, quatenus scilicet diabolo, & membris ejus Neroni & Simoni auferrent principatum mundi, ac regi superno, cui jure debetur, restituerent: quod quidem ita, gratias Deo, factum est. Siquidem tantam tamque spatiosam ibidem cælestes legati plantaverunt Christianitatem, ut eadem totum pene repleret mundum, quin etiam omne in eo collideret idolum. Hoc tamen opus divinæ religionis omni laude dignissimum pollere & crescere intuens, ac indolens hostis antiquus possessor Neronis, magique Simonis, suasit eis qui erant titiones erebi, occidere legatos Christi, qui erant arbores paradisi; pro eo quod ipsi verbis atque miraculis Christum, ejusque cultum totis viribus satagebant plantare: e contra vero Simon & Nero explantare certatim contendebant quantum valebant. Talis nimirum labor ædificandi bonum, illudque evellendi ardebat inter athletas Dei & stipulas averni. Verum ne diuturnitatem pateretur hujusmodi certamen, quatenus Nero Simonem magum crederet esse Deum, immundis spiritibus se vehentibus cœpit idem volare; Paullus orare, Petrus Satanæ imperare, magum volantem præcipitare; cujus itaque perditi ob ultionem cives Dei Nero reddidit astris, Petrum videlicet cruce, Paullum vero capitis amissione.

VI. Sic igitur pretiosis mortibus apostolorum, sanctorumque cunctorum, præcipue martyrum diversis interitionibus plantata est Christianitas & stabilita, & fundamento ejus Christo per orbem incrementata. Beatorum quoque Confessorum sanis tam exemplis, quam dogmatibus est deinceps illuminata. Deinde Christianitatis monasteria & claustra pii reges, eorumque religiosi proceres ubique fundave-

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 920.

runt, fuifque rebus cum donis ditaverunt. Quin A etiam principes, qui erant inclyti urbium poffeffores, dimiferunt eas, Chriftique aulas in eifdem urbibus condiderunt, ftatuentes ibidem epifcoporum cathedras, quibus corda & animæ fidelium credentium indefinenter in Deo firmarentur. Se quoque, fuaque omnia, villas fcilicet & fifcos tam his fedibus, quam monafteriis tradiderunt, fatifque adjecerunt ibidem die ac nocte Chrifto fervientibus tam canonicis quam monachis. Siquidem pro certo fciebant ipfi primates nullo melius alio modo dies conftare, ac fine tenus mundi perfeverare ftabilitam cælitus Chriftianitatem.

VII. Ergo hanc religionem tam Deo caram, B tamque humanis animabus falubrem, proh dolor! quotidie diffipant illi qui nunc funt principes mundi; reges videlicet, comites, vicecomites, confules, proconfules, eorumque vicarii, Vaffi dominici, horum fatellites, omnefque mali judices. Auferunt namque perverfa calliditate urbalibus ecclefiis, necnon monafticis res, & villas, quibus debent epifcopi, monachi, & canonici vivere. Diverfis plane dolis & fraudibus prædicti invafores Ecclefiæ deftruunt præfidia Chriftianitatis, hoc eft, fedes epifcopales & monafteria, prædis fcilicet, rapinis, precariis falfidicis, manufirmitatibus iniquis. Habentes enim eas, infcriptum contemnunt reddere C cenfum. Sic autem res Chrifti transferunt fibi in prædium & alodium poffeffores facrilegi: interdum vero violenter eafdem res Ecclefiæ diripiunt, fibique illicite poffident. Quamobrem multa jam fcimus & videmus monafteria a clericis derelicta; propter res quippe unde vivere deberent illis ablatas. Ergo quidnam funt aliud tales facrilegi, prædones, violenti raptores, nifi titiones inferni, & efcæ diaboli, & explantatores paradifi, quæ eft Ecclefia Chrifti? Prorfus nullum alium comedunt cibum diaboli in inferno, nifi animas eorum, qui res Ecclefiarum Dei devorant, depopulantes, vel injufte poffidentes. Certe animas eorum omnibus horis poft terminum præfentis vitæ devorant dæmones, & D redevorabunt in æternum. Væ vobis prædones, raptores Ecclefiarum & pauperum earum! Revera quotidie veniunt illi pauperes ad tumulos fanctorum, clamantes fe occidi a prædonibus fame & nuditate. Sed quid erit illis talia facientibus mala Ecclefiis, earumque miniftris Dei, atque vernaculis? Vera & perpetua pœna. Deinde quidnam proveniet miniftris Dei, eorumque pauperibus famulis hujufmodi mala innumera patientibus? Vere æterna gloria, fi tamen patienter tolerant adverfa.

VIII. Ergo, fratres, qui veri eftis Chriftiani, nolite pfeudochriftianos timere graviter vos quoti- E die opprimentes. Nempe fi illi vos devaftant, Deus & Dominus nofter Jefus Chriftus, cujus nomen habetis, ipfe vos honorat, fuifque facultatibus quotidie ditat, ut non tam ab hoftibus efficiamini pauperes, quam ab ipfo Deo divites. Sic nempe nos hortatur Scriptura: *Timentibus Deum numquam deficient bona*. Et rurfus inquit Propheta: *Numquam vidi juftum derelictum, nec femen ejus quærens panem*. Et, *Spera in Domino, & fac bonitatem, & pafceris in divitiis ejus*. Scitote igitur, fratres, quia nullam rem ita fe numquam diligere Deus oftendit, quomodo Chriftianitatem. Etenim ipfam appellat in Scripturis fuam civitatem, in qua fibi complacet continuo habitare. De qua civitate fic ait Propheta: *Gloriofa dicta funt de te, civitas Dei*. Plane hæc eadem civitas, id eft Chriftianitas, vocatur fponfa agni, hoc eft filii Dei, unde profecto teftimonium perhibet beatus Joannes in Apocalypfi, dicens: *Loquutus eft ad me unus ex feptem angelis dicens: Veni oftendam tibi novam nuptam fponfam agni*. Gaudeat ergo omnis plebs Chriftiana, quia vocata eft & facta eft fponfa agni, hoc eft filii Dei. Cæleftis nihilominus Jerufalem nuncupatur Chriftianitas, probante eodem Joanne in eadem Apocalypfi: *Vidi*, inquit, *Jerufalem defcendentem de cælo, ornatam auro mundo, & lapidibus pretiofis intextam*.

IX. Lætetur itaque omnis Chriftianitas per univerfum orbem dilatata, pro eo quod meruit vocari fponfa Chrifti, & civitas Dei, quam de cælo defcendentem afferit Apocalypfis Evangeliftæ. Revera quidquid de terra cœpit, terrenum eft; omne autem terrenum tranfitorium eft; id vero quod tranfitorium eft, vile eft. Igitur Chriftianitas quæ eft Dei civitas, quæ eft fedes Dei, unde legitur, *Deus fedet fuper fedem fanctam fuam*, non cœpit de terra, fed de cælo defcendit in fuo gloriofiffimo auctore Chrifto: quapropter Chriftianum nomen non eft terrenum, Catholica Religio non eft tranfitoria, fed perpetua: nec vilis eft, fed cariffima Chrifto tamquam fua caro, tamquam fua anima, quam morti tradidit pro Chriftianitate quæ eft thronus ejus, Ecclefia ejus, Templum ejus eft: *Templum*, inquit Apoftolus, *fanctum eft, quod eftis vos* Chriftiani. Oftium autem & janua & porta hujus civitatis & templi eft Chriftus Dominus & Deus nofter. Huic etiam puto Jacob patriarcham dixiffe: *Vere locus ifte fanctus eft, & nihil aliud eft, nifi domus Dei*, quæ eft Chriftianitas, *& porta cæli*, quæ eft Chriftus. Sic ipfe approbans: *Ego*, inquit, *fum oftium. Per me fi quis introierit, falvabitur.*

X. Ergo, fratres, certemus cunctis nifibus, celfis quoque defideriis, denique orando fine intermiffione, uti docemur apoftolica voce, quatenus immenfa Dei miferatione digni mereamur fieri magis ac magis intrare per illud oftium, ac quotidie idonei cooperatores exfiftere civitatis Chrifti, & crefcere in ifta valle lacrymarum de virtute in virtutem, donec videamus Deum deorum in cælefti Sion. Jam fiquidem in illa congratulatur fuo auctori Chrifto, fuoque congaudet fundamento maxima pars Chriftianitatis, fummi fcilicet apoftoli, fanctique martyres, venerandi confeffores, facratæ virgines; femper orantes, qui fumus ejufdem religionis reliqua fpecies, & adhuc terreni mole corporis vexamur & gravamur, illis fociemur caritate indefinenti, contemplatione perenni, lætitia inenarrabili.


XI. Qua de re, fratres, ficut portamus nomen Chrifti, nomenque civium jam cæleftium, ita oremus, ut fectemur & imitemur facra eorum veftigia & exempla, quatenus & nomine & vita dignemur eorum collegio. Enim vero omnem terram in qua exivit fonus eorum; omnes quoque partes orbis ad quas pervenerunt verba eorum, comprehendit & complectitur noftra fraternitas, quæ eft Dei civitas & Chriftianitas Chriftum habens fundamentum. Tali quippe modo exfiftimus omnes Chriftiani fratres; ubique regnorum degentes, cæleftis quoque Jerufalem fumus concives; e quibus nimirum jam plurimi fpiritaliter ultra fidera poffident aulas diverfo meritorum nitore corufcas, reliqui vero adhuc lutea in carne manentes, terrea quoque inhabitant cœnobia. Omnia autem hæc agmina tam in fuperis exfultantia, quam in imis peregri-

nantia, sunt civitas Dei, quam Joannes vidit evangelista descendentem de cælo ornatam, & omni decore compositam. Pro hujusmodi omnino civitatis prosperitate oramus quotidie psallentes: *Salvum fac populum tuum, Domine*, id est, universam Christianitatem, *& benedic hereditati tuæ*; scilicet eidem Christianitati, *& rege eos* Christianos, *& exalta eos in æternum*. Hæc procul dubio Christianitas, est Ecclesia Dei sancta catholica, id est universalis & recta, in toto orbe terrarum diffusa. Hæc est domus Dei, & templum Domini, & sacrarium Spiritus sancti.

XII. Porro hæc est illa vinea, in quam introduxit nos Dominus suam operari voluntatem. Operariis autem unum promisit denarium, utpote unam vitam æternam. Ista quippe est illa domus, & civitas Dei, de qua per prophetam einctuerunt Spiritus sancti hæccine verba: *Nisi Dominus ædificaverit domum, & custodierit civitatem*, id est Christianitatem, *in vanum laborant & vigilant*, qui volunt ædificare & custodire illam. De qua prorsus civitate, hoc est de Christianitate, prælibatus testatur evangelista: *Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam a Deo paratam, Et audivi vocem de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

XIII. Istam profecto civitatem Dei quotidie certant penitus destruere hujus sæculi amatores injusti & sacrilegi, prædando, omnibusque flagellis affligendo. Quidnam sunt isti rapaces lupi, qui sine cessatione persequentes devorant & depannant Christianitatem? In orientis mundi partibus, & australibus Idumæi & Ismaelitæ, Moabitæ & Agareni, Ammonitæ & Amalecitæ, simulque illis pejores Pseudochristiani. In climate vero septemtrionali & A occidentali gens Normanica, pariterque Danica, sed & impiissima Tungrorum natio; necnon crudeliores his omnibus gentibus nostri, qui sunt falso nomine Christiani, non cessant omnibus horis plebem Christi occidere fame & frigore, scilicet manducando escas, & bibendo vestes pauperum. Curnam id agunt? Quoniam amplius sunt mundi amici quam Dei, magis amant arva quam sidera, potius diligunt equos canesque suos, quam sanguine Christi pauperes emtos,

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 920.



XIV. Hujusmodi plane prædones & rapaces propria sponte destruunt Christianitatem & deserunt, contemnentes habitare divini imperatoris civitatem: B & propterea minus fiunt cives & domestici Dei, sed diaboli, & titiones inferni. Itaque, o Ecclesia Dei! o civitas Dei! patienter hos fer lupos, devorantes vos Christi agnos. Siquidem hoc malum quod vobis æstimant nostri facere adversarii, multo magis sibi illud ingerunt. Nemo enim alteri prius quam sibi nocere potest. De quibus lupis compatiens vobis, sic inquit Dominus per prophetam: *Omnes qui operantur iniquitatem, sic devorant plebem, ut cibum panis*. Unde & pius idem pastor noster Christus Dominus benigna consolatione nos confortat dicens: *Noli metuere pusillus grex, quia complacuit patri nostro dare vobis regnum*. Ergo, Fratres, unanimiter simus patientes ad omnes tam hospites, C quam hostes. Nam vir habens patientiam, omnia superare vitia potest facile, agia teste Scriptura. Sic revera civitatem Dei quæ est in nobis, hoc est Christianitatem cruore nostri redemtoris fundatam valebimus omni tempore excolere, sacrisque excubiis custodire, piisque moribus ornare, auxiliante nobis eodem Domino nostro Jesu Christo, qui est principium & finis omnium, cum patre & Spiritu sancto regnans per omnia sæcula sæculorum. Amen.



Sæcul. X. circa Ann. Chr. 935.

FRAGMENTA
EX SYNTAGMATE CHRONOLOGICO
HIPPOLYTI THEBANI.

I.

FRAGMENTUM.

ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ ΤΟΥ ΘΗΒΑΙΟΥ

ἐκ τοῦ χρονικοῦ αὐτοῦ συντάγματος πρὸς τῆς συγγενείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ.

ΕΓένετο τοίνυν ἡ ἐνανθρώπησις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ ἔτους εφ.

Επὶ Αὐγούστου βασιλέως γεγέννηται ἐν σπηλαίῳ μηνὸς Δεκεμβρίου κέ.

Απὸ Αδὰμ μέχρι Νῶε ἔτη βσμβ΄.

Καὶ ἀπὸ τοῦ Νῶε ἕως τοῦ Αβραὰμ ἔτη αρό.

Καὶ ἀπὸ Αβραὰμ ἕως Μωσέως ἔτη υμδ΄.

Καὶ ἀπὸ Μωσέως ἕως Δαβὶδ ἔτη φϛθ΄.

Καὶ ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τοῦ Χριστοῦ ἔτη αμέ. , ἅμα ἔτη εφ΄.

Απὸ δὲ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς τῶν μάγων παρουσίας β΄.

Καὶ ἀπὸ τῆς εἰς Αἴγυπτον φυγαδείας μέχρι τῆς τελευτῆς Ηρώδου υἱοῦ Αντιπάτρου ἔτη γ΄.

Παρῴκησαν ἐν Αἰγύπτῳ ἐν Ηλιουπόλει τῇ κατὰ Μέμφιν ἔτη γ΄.

Απὸ δὲ τῆς πρὸς Γαλιλαίαν εἰς τὰ ἴδια αὐτῶν ἐπάνοδον μέχρι τῆς τελευτῆς Αρχελάου ἔτη ιθ΄.

Σὺν τῷ Αρχελάῳ τελευτᾷ καὶ Αὔγουστος ἔτη πή. βασιλεύσας ἔτη νϛ΄.

Απὸ δὲ τελευτῆς Αρχελάου μέχρι βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ ἔτη γ΄. ὁμοῦ ἔτη λ΄.

Απὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς τοῦ Ζαχαρίου λιθοβολίας ἔτος ά.

Απὸ δὲ τῆς τελευτῆς τούτου μέχρι τῆς Ιωάννου υἱοῦ αὐτοῦ τῆς ἐπὶ Ηρώδου τοῦ νεωτέρου υἱοῦ Αρχελάου ἐν τῇ φρουρᾷ γεγονυίας ἔτος ά.

Καὶ ἀπὸ τελευτῆς Ιωάννου μέχρι τοῦ σωτηρίου πάθους μῆνας ϛ΄.

Εζησε γὰρ Ιωάννης ὁ βαπτιστὴς ἔτη * λγ΄. τὰ μὲν λ΄. ὑποχωρῶν ἐν τοῖς ἐρήμοις, τὰ δὲ τρία βαπτίζων ἐν Ιορδάνῃ, καὶ κηρύττων μετάνοιαν. ὡσαύτως καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς τριάκοντα ἔτη ἐν τοῖς παιδικοῖς διῆξε.

Μετὰ δὲ τὸ βάπτισμα ἐπελέξατο τοὺς μαθητὰς κηρύσσειν τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἕως σταυροῦ ἔτη γ΄.

Οθεν οἱ ἐν Νικαίᾳ πατέρες διετάξαντο, μὴ χειροτονεῖν πρεσβύτερον πρὸ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρκετὸν εἰπόντες τῷ μαθητῇ τὸ τοῦ διδασκάλου, καὶ τῷ δούλῳ τὸ τοῦ κυρίου αὐτοῦ.

Απὸ δὲ τοῦ σωτηρίου πάθους, καὶ τῆς ἀναλήψεως ἄχρι τῆς τοῦ Στεφάνου λιθοβολίας ἔτη ζ΄. καὶ ἀπὸ ταύτης μέχρι τοῦ φανέντος τῷ Σαύλῳ φωτὸς μῆνες ϛ΄.

Καὶ ἀπὸ βαπτίσματος καὶ κηρύγματος Παύλου μέχρι ἀναλήψεως τῆς δεσποίνης ἡμῶν ὑπεραμώμου ἔτη τρία. ὁμοῦ ἔτη μδ΄.

Εζησε γὰρ σὺν τῇ ἀνθρωπότητι ἡ πάναγνος Θεοτόκος ἐν τῷ ναῷ ἔτη ιδ΄. ἐν τῷ οἴκῳ Ιωσὴφ μῆνας δ΄.

A HIPPOLYTI THEBANI

ex commentario ejus Chronico de prosapia D. N. Jesu Christi. †

INcarnatus igitur est Dominus noster Jesus Christus anno 5500.

Sub Augusto Imperatore natus est in spelunca, mense Decemb. die 25.

Ab Adam usque ad Noe anni 2242.

Et a Noe usque ad Abraham anni 1170.

Et ab Abraham usque ad Moysem anni 444.

Et a Moyse usque ad David anni 599.

Et a David usque ad Christum anni 1045. simul anni 5500. B

[1] A Christi incarnatione autem usque ad magorum adventum anni duo.

Et a fuga in Ægyptum usque ad mortem Herodis filii Antipatri anni tres.

Habitarunt in Ægypto Heliopoli juxta Memphin annis 3.

A regressu vero ipsorum ad propria in Galilæam, usque ad mortem Archelai anni 19.

Cum Archelao moritur & Augustus anno 88. regni 56.

[2] A morte vero Archelai usque ad baptismum Christi an. 3. simul an. 30.

A baptismate autem Christi usque ad lapidationem Zachariæ an. unus. C

[3] A morte vero Zachariæ usque ad Joannis filii ipsius mortem, sub Herode juniore Archelai filio in carcere patratam an. unus.

Et a morte Joannis usque ad salvificam passionem menses 6.

Vixit enim Joannes Baptista annis 33. triginta quidem in eremo; tribus vero annis baptizavit in Jordane prædicans pœnitentiam. Sicque Dominus noster Jesus Christus triginta annis in juventute vixit.

Post baptismum vero elegit discipulos, ut prædicarent regnum suum, usque ad crucem annis 3.

Unde Patres in Nicæna Synodo statuerunt, ut non ordinarentur presbyteri ante triginta annos, dixeruntque sufficere discipulo, ut sit sicut magister; & servo, ut sit sicut dominus ejus. D

A salvifica vero passione, & ascensione, usque ad Stephani lapidationem anni 7. & ab illa usque ad lucem, quæ Paullo apparuit, menses sex.

Et a Paulli baptismate ac prædicatione usque ad Dominæ nostræ perquam immaculatæ assumtionem sunt anni tres, simul anni 44.

Vixit enim inter homines purissima Deipara in templo annis 14. in domo Joseph mensibus 4. &

* Legit Canisius λϛ΄. seu 36. sed erronee, non enim vixit ultra 33. annos, unde nostra lectio retinenda.

1. Hic incipit fragmentum Hippolyti Thebani a Canisio editum.

2. Hæc omnino aliter habentur apud Canisium.

3. Heic nonnulla alia interferuntur apud Canisium.

† Ex Ms. 573. Biblioth. Vaticanæ. Edidit Samuel Schelstrates.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 935.



ϗ εὐηγγελίσθη, ϗ συλλαβοῦσα ἔτεκε τὸν κύριον ἡμῶν A Ἰησοῦν Χριστὸν, ὁμοῦ ἔτη ιέ.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ ἔζησεν ἔτη λγ'.

[1] Ἕως ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννου ἔτη ιά.

Ὡς εἶναι τὰ πάντα αὐτῆς ἔτη νθ'.

Οὗτος δέ ἐστιν Ἰωάννης, ὃν ἠγάπα ὁ Χριστὸς, ὁ παρθένος, ϗ εὐαγγελιστὴς, ὅστις ἔμενεν ἐν Ἱεροσολύμοις τὴν τῶν ἐκκλησιῶν μήτερα εἰς τὴν αὐτοῦ οἰκίαν, εἰς ἣν ἔφυγον οἱ ἀπόστολοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων.

[2] Ἐκεῖ ἡτοιμάσθη ϗ τὸ πάσχα· ἐκεῖ ϗ τὸ πρῶτον μυστήριον ἐπλέσθη τοῖς μαθηταῖς· ἐκεῖ ἐφάνη αὐτοῖς καὶ ὁ κύριος μετὰ τὴν ἀνάστασιν· ἐκεῖ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατῆλθε τοῖς μαθηταῖς· ἐκεῖ καὶ B [3] τῶν Θωμᾶν ἔδειξε τοὺς τύπους τῶν ἥλων· ἐκεῖ πρῶτον ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν οἱ ἀπόστολοι τὸν υἱὸν Ἰωσὴφ τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, οὐ τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννου· ὁ γὰρ Ζεβεδαῖος ἰδιοναύκληρος λέγεται, τῶν δὲ ἐν Γαλιλαίᾳ ἐπισήμων ἀνδρῶν πρῶτος ἦν.

Μετὰ δὲ τὴν πλάτην * Ἰωάννης τὴν ἐν Γαλιλαίᾳ κτῆσιν τοῦ πατρὸς ἀπέδοτο, καὶ ἐκτήσατο ἐν Ἱεροσολύμοις, ὅθεν ὡς λέγει περὶ αὐτοῦ τό, ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ.

Οὗτος ἐδέξατο τὴν παναγίαν Θεοτόκον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ μέχρι τῆς ἀναστάσεως αὐτῆς καὶ μετὰ τοῦτο κηρύξας τὸν λόγον ϗ αὐτὸς ἀνελήφθη.

Ἰάκωβος δέ ὁ γεγονὼς πρῶτος ἐπίσκοπος Ἱερουσαλὴμ, ἀδελφὸς μὲν τοῦ κυρίου κατὰ σάρκα λέγεται εἶ- C ναι, υἱὸς δὲ τοῦ τέκτονος Ἰωσὴφ ἐκ τῆς βιωτικῆς αὐτοῦ γυναικός. τέσσαρας γὰρ ἔσχεν υἱοὺς ὁ Ἰωσὴφ, Ἰάκωβον, Σίμωνα, Ἰοῦδα, ϗ Ἰωσὴφ, ϗ β'. θυγατέρας, τὴν Ἐσθὴρ, ϗ τὴν Μάρθαν ἐκ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Σαλώμης, θυγατρὸς Ἀγγαίου τοῦ ἀδελφοῦ Ζαχαρίου τοῦ πατρὸς Ἰωάννου, υἱοῦ Βαραχίου, υἱοῦ Ἀβία τοῦ ἱερέως.

Καὶ τότε ἐχήρασεν Ἰωσὴφ, ὡς εἶναι δὲ τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην ϗ τὴν Σαλώμην ἀδελφῶν τέκνα ἀρρενικῶν. ὁ γὰρ Ἀγγαῖος υἱὸς Βαραχίου θεῖος ἦν Ἰωάννου. ὁμοίως ϗ Ζαχαρίας ἀδελφὸς Ἀγγαίου θεῖος Σαλώμης τῆς γυναικὸς Ἰωσὴφ τοῦ τέκτονος. [4] αἱ δὲ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου ἀπὸ Βηθλεὲμ τρεῖς ἦσαν ἀδελφαὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ θυγατέρες Ματθὰν τοῦ ἱερέως ϗ Μαρίας τῆς αὐτοῦ γαμετῆς ἐπὶ τῆς βασιλείας D Κλεοπάτρας, ϗ Σώπαρος τοῦ Πέρσου, πρὸ τῆς βασιλείας Ἡρώδου τοῦ Ἀντιπάτρου. ὄνομα τῇ πρώτῃ Μαρία. τῇ δὲ β'. Σωβὴ, ϗ τῇ τρίτῃ Ἄννα. Ἐγήματο οὖν ἡ πρώτη ἐν Βηθλεὲμ, ϗ ἔτεκε Σαλώμην τὴν μαῖαν. ἡ δὲ β'. ὁμοίως ἐν Βηθλεὲμ, ϗ ἔτεκε τὴν Ἐλισάβετ· ϗ ἡ τρίτη εἰς γῆν τῆς Γαλιλαίας, ϗ ἐγέννησε Μαρίαν τὴν Θεοτόκον. ὡς εἶναι τὴν τε Σαλώμην τὴν μαῖαν, ϗ τὴν Ἐλισάβετ, ϗ τὴν ἁγίαν Θεοτόκον θυγατέρας ἀδελφῶν τριῶν θηλειῶν. ἐντεῦθεν ἦν ὁ βαπτιστὴς Ἰωάννης ϗ ὁ κύριος ἡμῶν ἀνεψιοί. υἱὸς δὲ τοῦ Ἰωσὴφ λέγεται ὁ Χριστὸς ἔκ τε τῆς συναναστροφῆς τῶν υἱῶν αὐτοῦ, ϗ ἐκ τῆς συγγενείας Ἀγγαίου ἀδελφοῦ Ζαχαρίου τοῦ ἱερέως τῶν υἱῶν Βαραχίου.

A annuntiatio ei facta est, & concepit, peperitque Dominum nostrum Jesum Christum, simul annis 15.

Ab incarnatione vero Christi vixit annos 33.

Usque ad assumtionem Christi in domo Joannis anni 11.

Ita ut omnes ejus anni sint 59.

Porro hic est Joannes, quem diligebat Christus, fuitque virgo & Evangelista, mansit Hierosolymis in domo sua, Ecclesiarum matre, ad quam confugerunt Apostoli propter metum Judæorum.

Ibi præparatum fuit & pascha: ibi primo mysterium discipulis traditum fuit: ibi post resurrectionem Dominus illis apparuit: ibi Spiritus sanctus illapsus est discipulis: ibi Thomæ ostendit typos clavorum: ibi Apostoli in primum Episcopum ordinarunt filium Josephi, fratrem Domini, non filium Zebedæi, fratrem Joannis, Zebedæus enim propriam navem habens appellatur, & præcipuorum, qui in Galilæa erant, virorum fuit primus.

Post mortem vero (Zebedæi) Joannes patris sui hereditatem distraxit in Galilæa, & Hierosolymis domicilium comparavit, unde ut dicitur de ipso, erat notus pontifici.

* Hic recepit sanctissimam Deiparam in domum suam usque ad resurrectionem ipsius, & postea cum prædicasset verbum, & ipse assumtus est.

** Jacobus autem factus primus episcopus Jerosolymitanus, frater quidem Domini secundum carnem esse dicitur, filius vero fabri Josephi ex carnali uxore ejus. Quatuor enim filios habuit Joseph, Jacobum, Simonem, Judam, & Joseph: & duas filias Esther & Martham ex uxore sua Salome, quæ fuit filia Aggæi fratris Zachariæ, patris Joannis, filii Barachiæ, filii Abiæ sacerdotis.

Et tunc quidem viduus erat Joseph: adeo ut Joannes Baptista & Salome sint fratrum germanorum liberi. Aggæus enim Barachiæ filius erat patruus Joannis. Similiter & Zacharias frater Aggæi patruus Salomes uxoris Josephi fabri. Erant porro sanctæ Dominæ nostræ Deiparæ ex Bethleem tres sorores a Bethleem filiæ Mathan sacerdotis, & Mariæ uxoris ejus regnante Cleopatra & Sopare Persa, ante regnum Herodis Antipatri. Primæ nomen erat Maria; secundæ vero Sobe; tertiæ autem Anna. Nupsit igitur prima in Bethleem, & genuit Salomen obstetricem. Secunda autem similiter in Bethleem, & genuit Elisabeth: & tertia in terra Galilææ, & genuit Mariam matrem Dei. Quare Salome obstetrix, Elisabeth, & sancta Deipara sunt trium sororum filiæ: atque hinc Joannes Baptista & Dominus noster erant consobrini. Christus vero filius Josephi dicitur, tum quod una cum filiis suis eum nutriebat, & tum quod erat ex cognatione Aggæi fratris Zachariæ sacerdotis, E filii Barachiæ.

1. Aliter hæc habet Can. ita legens: *ϗ μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίου, ἔζησεν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ ἔτη ιά. Et post Domini assumtionem cum discipulis ejus vixit in domo Joannis Evangelistæ annis* 11. Quæ lectio genuina est, & confirmat sententiam Apollonii, quod Apostoli post resurrectionem Christi 12. annis in Judæa permanserint.

2. Hæc omnia mirum in modum interpolata sunt apud Canisium.

3. *τῷ Θωμᾷ.*

4. Hactenus, hinc Josephus.

* Hæc non habentur apud Canisium.

** Hin incipit caput CXXXVI. Josephi Christiani conferendum ob variantes lectiones.

II.

Aliud Fragmentum Hippolyti Thebani ex Ms. Codice Græco Urbino-Vaticano ante 600. annos ſub Alexio Comneno Conſtantinopoli, ut ex ejuſdem imagine libro præfixa apparet, conſcripto. [1]

Εὑρίσκομεν δὲ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ, ὡς ἐν τῷ ἕξ καὶ δεκάτῳ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἡ παναγία δέσποινα Θεοτόκος τὸν Σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγέννησεν. ἐβαπτίσθη δὲ παρὰ Πέτρου καὶ Ἰωάννου τῶν ἀποστόλων, αὐτοὺς δὲ τούτους ἐβάπτισεν ὁ Χριστός. ἔζησε δὲ μετὰ τὸ σωτήριον πάθος ἡ Θεοτόκος ἔτη ιά. ὁ δὲ τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνος εἷς καὶ ἑξήκοντα. ἐβίωσε δὲ καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Θεολόγος μέχρι * Δομετίου βασιλέως Ῥωμαίων, ὡς ἐκ τούτου εἶναι τὸν ἅπαντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον δέκα πρὸς ἑκατόν.

INvenimus autem in divina ſcriptura, quod decimo ſexto anno ætatis ſuæ ſanctiſſima domina Deipara ſalvatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pepererit: baptizata vero ſit a Petro, & Joanne Apoſtolis, ipſos autem baptizarit Chriſtus. Vixit vero poſt ſalvificam paſſionem Deipara annos XI. fueruntque omnes totius vitæ ejus anni ſexaginta unus. Vixit autem & divus Joannes Theologus uſque ad Domitianum Imperatorem Romanorum, † adeo ut omne vitæ ejus tempus ſit centum & decem annorum.

III.

Fragmentum ex Cod. Ms. Regio 1296. [2]

ὑπεξίστατο, καὶ τὰ παρειμένα οἱονεὶ συνεσφίγγετο, καὶ ἡ ἀμορφία διεσκεδάννυτο, καὶ πάντα πρὸς ὑγείαν ἔτρεχε, τῷ πανταχόθεν θάμβει ὁ Αὔγαρος συνεχόμενος· ἐπ᾽ ἀληθείας ἔφη, γνήσιος εἶ μαθητὴς Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ δίχα φαρμάκων καὶ βοτανῶν θεραπεύοντος. καὶ ἐγὼ τοσοῦτον τῇ περὶ αὐτὸν στοργῇ καὶ πίστει συνδέδεμαι, ὥστε εἰ μὴ ἐδεδίειν τὸ ὑπερέχον τῆς τῶν Ῥωμαίων δυνάμεως, οἳ τοὺς ὑπὸ σφᾶς οὐκ ἀνέχονται κατ᾽ ἀλλήλων ὁπλίζεσθαι, τάχα ἂν κατὰ τῶν σταυρωσάντων τὸν κύριον Ἰουδαίων ὅπλα ἐκίνησα, καὶ παρεστησάμην αὐτούς. νῦν δὲ ἐπεὶ καὶ τὸ πάθος αὐτοῦ ἐδιδάχθην ἑκούσιον, καὶ πέπεισμαι ὡς οὐκ ἄν, μὴ βουληθέντος αὐτοῦ, κατίσχυσαν οἱ ἀγνώμονες κατ᾽ αὐτοῦ, οὐδὲν προσπεριεργάζομαι. δέομαι δὲ καὶ τοῦ θείου βαπτίσματος ἀξιωθῆναι, καὶ πανοικὶ προσοικειωθῆναι, καὶ ἀναθεῖναι τῷ δεσπότῃ Χριστῷ. πολλὰ τοίνυν ἐπιτελέσας θαύματα πρότερον ὁ τοῦ κυρίου ἀπόστολος, καὶ πάντας ἀπὸ τῶν νόσων αὐτῶν ἰασάμενος, ἐν οἷς ἦν καὶ ὁ πρῶτος τὴν περὶ αὐτοῦ φήμην τῷ Αὐγάρῳ ἀνενεγκών, ὃν ποδαλγικοῦ παθήματος ἠλευθέρωσε, προσήγαγε τῇ θείᾳ κολυμβήθρᾳ τὸν Αὔγαρον. καὶ τὰ νενομισμένα ἐπ᾽ αὐτῷ τελέσας, ἐβάπτισεν αὐτόν τε καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα, καὶ πάντας τοὺς ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. καὶ ἐξῆλθεν ἀπὸ τοῦ θείου τούτου τῆς καθάρσεως ὕδατος, καθαρὸς ὅλος καὶ ὑγιής, ἀφανισθέντος ἀθρόως καὶ τοῦ ὑπολειφθέντος μικροῦ λειψάνου τῆς λέπρας ἐν τῷ μετώπῳ αὐτοῦ.

A lorum vis sensusque aufugerat, membraque resoluta velut adstringebantur, atque oris deformitas evanescebat, cunctaque ad sanitatem currebant: rei tantæ compendio undique Augarus admiratione defixus: Vere, inquit, Jesu filii Dei discipulus es, qui curabat absque mediamentis & herbis. Ac ego tanta illi amoris vi ac fide devinctus sum, ut si per eminentem Romani Imperii potestatem, per quam subditis nefas bello invicem lacessere, bellum movere liceret; in Judæos forte, qui Domino crucem posuerunt, arma movissem, mihique subegissem. Nunc autem quod & mortem sponte subiisse doceor, ac certus sum fore, ut nisi voluisset, numquam sibi improba turba subjiceret, nihil ultra quæ- B ro ac disputo. Solum divino baptismate lustrari rogo, ac cum tota familia Christi necessitudinis jura obire, meque illi addicere. Multis itaque ante patratis miraculis, cunctisque quibus laborabant ægritudinibus sanatis, in quibus, qui [1] proxime Augarum claritate ac potentia attinebat, ipse quoque podagra qua laborabat, sanatus, muneris præco erat; cum curasset Christi apostolus, divinæ Augarum piscinæ admovit: legitimisque in eo peractis, ipsum ac uxorem liberosque cum tota familia tinxit; exiitque e divina hac exspiationis unda mundus totus ac sanus, lepra repente abolita, iisque ipsis paucis reliquiis, quibus viri frons inusta perstiterat.

C

Ἐντεῦθεν παντίως τιμῶν καὶ σεβόμενος τὸ τοιοῦτον ὁμοίωμα τῆς τοῦ κυρίου μορφῆς, καὶ τοῦτο τοῖς ἄλλοις ὁ τοπάρχης προσετίθηκεν. ἐκ τῶν παλαιῶν τῆς Ἐδέσσης πολιτῶν τε καὶ οἰκιστῶν τῶν ἐπισήμων, τινὸς [δὲ] Ἑλληνικῶν θεῶν ἄγαλμα πρὸ τῆς δημοσίας πύλης τῆς πόλεως ἀνεστήλωτο, ᾧ πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ ἄστεος γενέσθαι βουλόμενον, ἀναγκαῖον ἦν προσκυνῆσαι, καὶ νενομισμένας τινὰς εὐχὰς ἀποδοῦναι, καὶ οὕτως ἔχεσθαι τῶν ἐν τῇ πόλει ὁδῶν τε καὶ ἀγυιῶν. τοῦτο οὖν τότε ὁ Αὔγαρος καθελών, καὶ ἀφανισμῷ παραδούς, εἰς τὸν τῆς ἐκείνου στάσεως τόπον, τὴν ἀχειροποίητον ταύτην εἰκόνα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπὶ σανίδος κολλήσας, καὶ διὰ τοῦ νῦν φαινομένου χρυσοῦ καλλωπίσας, ἀνέστησεν, ἐπιγράψας ἐν τῷ χρυσῷ ταῦτα τὰ ῥήματα. Χριστὲ ὁ Θεός, ὁ εἰς σὲ ἐλπίζων οὐκ ἀποτυγχάνει ποτέ. ἐθέσπισέ τε πάντα τὸν διὰ τῆς πύλης ἐκείνης διέρχεσθαι μέλλοντα, ἀντὶ τῆς παλαιᾶς ἐκείνης στήλης τῆς ἀχρήστου καὶ ἀνωφελοῦς, τὸ προσῆκον σέβας, καὶ τὴν ὀφειλομένην προσκύνησιν καὶ τὴν τιμὴν ἀπονέμειν τῇ πολυθαυμάστῳ θαυματουργῷ τοῦ Χριστοῦ εἰκόνι, καὶ οὕτως εἰς τὴν πόλιν Ἐδέσσης εἰσέρχεσθαι. καὶ διετηρήθη τοιοῦτον τῆς τοῦ ἀνδρὸς εὐσεβείας οἷον προχάραγμα καὶ ἀνάθημα, μέχρι τῆς ἐν τῷ βίῳ παροικίας αὐτοῦ τε τοῦ Αὐγάρου, καὶ τοῦ τούτου υἱοῦ, ὃς τῆς βασιλείας καὶ τῆς εὐσεβείας τῆς πατρικῆς κατέστη διάδοχος. ἀλλ᾽ ὁ τούτων υἱός τε καὶ οἰωνός, τῆς μὲν πατρῴας καὶ παππῴας ἀρχῆς διάδοχος γέγονεν, οὐ μὴν καὶ τῆς εὐσεβείας κληρονόμος ἐγένετο· ἀλλ᾽ ἀπελάκτισεν, ὡς εἰπεῖν, τὴν εὐσέβειαν, καὶ πρὸς τοὺς δαίμονας, καὶ τὰ εἴδωλα ηὐτομόλησε. διὸ καὶ οἱονεὶ τὸ ἀνταπόδωμα τοῖς δαίμοσιν ἀνταποδιδοὺς, ἐβουλήθη, ἐπεὶ ὁ πάππος αὐτοῦ τὴν εἰδωλικὴν ἐκείνην στήλην ἀφανισμῷ παραδέδωκε, τὴν αὐτὴν καταδίκην καὶ τῇ τοῦ κυρίου εἰκόνι προσαγαγεῖν. ἀλλ᾽ οὐκ ἐπέτυχε τῆς θήρας ὁ δόλιος. ὁ γὰρ ἐπίσκοπος τοῦ τόπου τοῦτο προγνούς, τὴν ἐνδεχομένην ἔθετο πρόνοιαν, καὶ ἐπεὶ ὁ τόπος, καθ᾽ ὃν ἀνέκειτο ἡ εἰκών, κυλινδροειδοῦς ἡμισφαιρίου σχῆμα διέσωζεν, θρυαλλίδα πρὸ τῆς εἰκόνος ἅψας, καὶ κέραμον ἐπιθείς, εἶτα ἔξωθεν τιτάνῳ καὶ πλίνθοις ὀπταῖς ἀποφράξας τὸ ἐμβαδόν, εἰς ὁμαλὸν ἐπιφάνειαν τὸ τεῖχος ἐπηύθυνε. καὶ ἐν τῷ μὴ ὁρᾶσθαι τὴν φθονουμέ-

XV. Hinc factum ut regulus, qui ejus dominicæ effigiei ac formæ modis omnibus venerator cultorque exsisteret, hoc quoque ad aliam ejus religionem adjiceret. Nempe, antiquis Adessæ civibus dii cujusdam Græcanicæ superstitionis statua, pro publica urbis porta erecta erat, cui necesse cultum adhibere, quisquis demum in urbem ingredi vellet, certaque simulacro vota reddere, ac tum libero aditu urbis vicos plateasque percurrere. Sustulit itaque eam Augarus ac abolevit, inque ejus basis loco ad asserem glutino compactam hancce non manufactam Domini nostri Jesu Christi imaginem, quo nunc auro conspicua est egregie ornatam, sta- D tuit, his illi auro inscriptis verbis: *Christe Deus, qui in te sperat, numquam voto frustratus abit:* sanxitque, ut quisquis per eam portam transiturus esset, pro veteri illo nullius frugis simulacro prorsusque inutili, convenientem cultum atque debitam adorationem honoremque, multiplici titulo admirandæ miraculorum effectrici Christi imagini redderet, sicque Edessam urbem amicus hospes intraret. Duravitque pietatis viri monumentum hoc ac sacra devotio, quam diu tum ipse Augarus, tum filius vita superstes fuit; quippe qui paterni regni pariterque pietatis successor exstitit. Horum nihilominus filius nepo͡sque, fuit is quidem patris avique principatus successor, at nihil horum pietatis heres. E Quin in pietatem, ut sic dicam, calcibus insultavit, atque ad dæmones ac simulacra descivit. Velut itaque dæmonibus vicem redditurus, hoc secum statuit, ut sicut avus superstitiosum simulacrum illud aboleverat, sic ipse dominicam imaginem eidem noxæ subjiceret. Haud tamen vir dolo confertus, prædæ compos effectus est. Loci namque episcopus, rei præscius, quantam licuit ipse curam adhibuit. Quodque locus ubi imago collocata erat, cylindri speciem referentis hemisphærii figuram retinebat; accensa ante imaginem lucerna, tegulaque imposita, ac tum deforis calce coctisque lateribus obstructo loci ambitu, quidquid ejus erat in planam superficiem redegit, ereptaque oculis forma invidiæ ha-

1. *Potius*, qui primus famam de illo ad Augarum attulerat.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 950.

τὴν μορφὴν, ἀπέστη τῆς ἐγχειρήσεως ἐκεῖνος ὁ δυσ- A σεβής. ὁ δὲ κέραμος διὰ τοῦτο οἶμαι πρὸ τῆς εἰκόνος τεθεῖναι πρὸς τοῦ ἱερέως διώριστο, ὡς ἂν μή τινα σῆψιν ἐκ τοῦ ἀπὸ τῆς οἰκοδομῆς ἱδρῶτος, καὶ τῆς ἐκ τοῦ πτάνου νοτίδος ἐγγενέσθαι ἐν τῷ ὑποδοχεῖ τῆς εἰκόνος, καὶ τὴν ἐκ τοῦ χρόνου βλάβην προσδέξηται.

Ἐῤῥει τοίνυν ὁ χρόνος διὰ μέσου πολὺς, καὶ τῆς ἐξ ἀνθρώπων μνήμης ἀπεῤῥύη καὶ ἡ ἀναστήλωσις τῆς ἱερᾶς ταύτης εἰκόνος, καὶ ἡ ἀπόκρυψις. ὡς οὖν ἐν τοῖς οἰκείοις καιροῖς Χοσρόης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς τὰς τῆς Ἀσίας πόλεις πορθῶν, καὶ πρὸς τὴν Ἔδεσσαν ἔφθασε, καὶ πρὸ ταύτης πηξάμενος χάρακα, πᾶσαν μηχανὴν ἐκίνει, καὶ πᾶν τὸ πρὸς ἅλωσιν πόλεως ἐπιτήδειον ὄργανον ἐξηρτύετο, ἐτε- B κταίνετο δὲ πάντα τὰ πρὸς ἀφέσεις βελῶν, κατασείσεις τειχῶν, διατραύσεις [1] πυλῶν. ἐν τοσούτῳ κινδύνῳ οἱ Ἐδεσσηνοὶ γεγονότες, ἐπενόουν μὲν τὰ δυνατὰ καὶ αὐτοὶ πρὸς τὴν ἀντιπαράταξιν, διεπρεσβεύοντο δὲ περὶ βοηθείας καὶ πρὸς τοὺς Ῥωμαίων στρατηγούς. Ἡλίων δὲ, ὁ τότε τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατευμάτων ἡγούμενος, καὶ καθ' ἑαυτὸν ὑπὸ τῶν πολεμίων πονούμενος, τοῖς ἐν Ἐδέσσῃ συμμαχίαν πέμψαι οὐχ οἷός τε ἦν. διὰ γραμμάτων δὲ διεθάῤῥυνε, τῆς τοῦ κυρίου ἀναμιμνήσκων ἐπιστολῆς, καὶ τῆς ἀψευδοῦς ἐν αὐτῇ ἀποφάσεως, δι' ἧς ἀπόρθητον τηρεῖσθαι τὴν πόλιν καὶ λέγεται καὶ πιστεύεται. οἱ δὲ Πέρσαι μετὰ τῆς ἐμφανοῦς ἐπιθέσεως, καὶ τὰ ἀφανῶς ἐπενόουν ἐπιβουλεύματα. καὶ πόῤῥωθεν ὀρύττειν ἀρ- C ξάμενοι δι' ὑπονομῶν, ἔνδον γενέσθαι τῆς πόλεως ἐπηγνάζοντο. ὡς δὲ ἦσαν οἷον ὕφυδροι κολυμβηταὶ τοῦ τείχους ἐντὸς ὑπὸ γῆν, ἐκ τοιαύτης αἰτίας καταφανεῖς τοῖς ἔνδον τοῦ τείχους .... χαλκέα οἰκεῖν, οὗ τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν αἰωρούμενα σκεύη χαλκᾶ ἦχον ἀπετέλει, τῶν Περσῶν ὑπὸ γῆν κοπτόντων, καὶ ἐκφορούντων τὸν χοῦν. ἐν ἀμηχανίᾳ οὖν, καὶ τῇ ἐσχάτῃ ἀπογνώσει οἱ τῆς πόλεως καταστάντες, πρὸς τὸν Θεὸν καταφεύγουσι, καὶ μετ' ὀδύνης καρδίας καὶ δακρύων ἐξεζήτουν αὐτόν. φαίνεται τοίνυν διὰ νυκτὸς τῷ ἐπισκόπῳ, Εὐλάλιος δὲ οὗτος ἦν, γυνή τις εὐσταλὴς καὶ σεβασμία, κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον, ὑποτιθεμένη αὐτῷ τὴν ἀχειροποίητον εἰκόνα λαβεῖν τοῦ Χριστοῦ, καὶ λι- D τανείαν μετ' αὐτῆς ποιήσασθαι. πάντως δεῖξαι τὸν κύριον τὰ θαυμάσια αὐτοῦ. ὁ δὲ ἐπίσκοπος παντελῶς ἀγνοεῖν ἔλεγεν εἰ ἔστιν ὅλως, εἴτε παρ' αὐτοῖς εἴ τε παρ' ἄλλοις τισὶν ἡ εἰκών. τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ ἐν γυναικείῳ φαινομένη τῷ σχήματι, ὅτι ἐπάνω τῆς πύλης τῆς πόλεως ἐν τῷ τόπῳ διὰ τόνδε τὸν τρόπον ἡ τοιαύτη εἰκὼν κέκρυπται.

Ἕωθεν οὖν ὁ ἐπίσκοπος τῷ ἐναργεῖ τῆς ὄψεως πεποιθὼς, μετὰ λιτῆς πρὸς τὸν τόπον ἐλθὼν, καὶ διερευνησάμενος εὗρε τὴν θείαν ταύτην εἰκόνα ἀδιαλώβητον, καὶ τὴν θρυαλλίδα ἐν τοῖς τοσούτοις μὴ ἀποσβεσθεῖσαν ἔτεσι. καὶ ἐν τῷ πρὸς φυλακὴν ἐπιτεθέντι E πρὸ τοῦ λύχνου κεράμῳ ἐπεκτυπωθὲν ἕτερον ὁμοίωμα τοῦ ὁμοιώματος, ὃ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐν Ἐδέσσῃ τυγχάνει σωζόμενον. λαβὼν οὖν κατὰ χεῖρας τὸ θεῖον τοῦτο θεανθρώπου Χριστοῦ ἀπεικόνισμα, καὶ ἐπὶ κρείττονος ἐλπίδα γενόμενος, ἔρχεται κατ' ἐκεῖνον τὸν τόπον, καθ' ὃν οἱ Πέρσαι διορύττοντες ἀπὸ τοῦ τῶν χαλκωμάτων ἤχου κατάφωροι καθεστήκεσαν. καὶ ἀρξάμενοι ἔνδοθεν ὀρύττειν [2] τῶν τῆς πόλεως, ὡς ἐγγὺς ἀλλήλων ἐγένοντο, ἀπὸ τῆς λυχνίας ἐκείνης ἔλαιον ἐπιστάξαντες, εἰς τὸ κατὰ τῶν πολεμίων αὐτοῖς εὐτρεπισμένον πῦρ, καὶ κατὰ τῶν ἐν τῷ ὑπονόμῳ Περσῶν ἀφέντες, πάντας ἀπώλεσαν. καὶ τῆς ἐντεῦθεν ῥυσθέντες ἐπιβουλῆς, πρὸς τὰς ἐκτὸς τοῦ τείχους μηχανὰς τὴν

bita, a consilio ac molitione impius homo abstitit. Ideo autem, ut arbitror, ante imaginem testa sacerdoti collocata est, ne ex situ ædificii & calcis humore, cui impressa imago linteum putredinis aliquid contraheret, ac per longiores temporis moras damnum acciperet.

XVI. Multum interim temporis annorum longa serie fluxerat, exque memoria hominum & quod erecta sacra hæc imago, & quod occultata, effluxerat. Ubi itaque suis Chosroes Persarum rex temporibus, Asiæ civitates diripiens, Edessam quoque petierat, valloque posito nullam non movebat machinam, ac quicquid expugnandæ civitati videbatur, B diligenter instruxerat; constructis nimirum omnis generis tormentis, quibus tela jaceret, muros quateret, portas effringeret; Edesseni in tantum adducti periculum, ipsi quoque qua se via tuerentur aciemque opponerent, serio cogitare. Missi legati & ad Romanorum duces, a quibus sociali munere auxilia impetrarent. Romani tunc exercitus prætor Helio erat, ipseque a se, Persarum vi acie laborans, auxiliares copias sufficere Edessæ civibus non valebat, animos tamen scriptis literis addebat, Dominique epistolam ac veram in ea sententiam, qua incolumis futura, nullaque hostium vi expugnanda civitas & ferretur & crederetur, in memoriam revocabat. Porro Persæ cum palam adoriebantur, tum C ex insidiis structisque cuniculis civitatem tenebant. Procul igitur occepta scrobe, per subterraneos meatus sibi in urbem aditum struebant. Cumque jam perinde ac quidam urinatores intra muros ex cuniculis successissent, contigit insidias detegi per talem occasionem. Nimirum illa in urbis parte faber quidam ærarius intra muros ædes habebat, cujus vasa ænea in domo sublimia, Persis sub terra tundentibus ac pulverem egerentibus, sonitum emiserunt. Itaque consilii inopes, & ad extremam cives desperationem redacti, ad Deum confugiunt, ipsumque cordis dolore ac lacrymis exquirunt. Porro noctu mulier quædam ornato habitu, gravique ac modesta specie, præstantior denique quam ut homo vi- D deretur, episcopo; Eulalio huic nomen erat; apparet, monetque arrepta non manufacta Christi imagine, cum ipsa supplicationem habeat; foreque omnino, ut Dominus portenta sua ac miracula ostendat. Ajebat episcopus, nescire se prorsus, an omnino talis imago apud cives aliosve ullos exstaret. Tunc ad illum quæ muliebri habitu se conspicuam fecerat; Supra portam urbis tali loco per talem modum imaginem absconsam subjecit.

XVII. Mane igitur episcopus, aperta visione fretus, cum supplicatione ad locum conveniens, scrutansque, integram ac incolumem divinam offendit imaginem, lucernam quoque tot retro annis inex- E stinctam: inque testa ante lucernam ejus conservandæ caussa imposita, alteram imaginis expressam effigiem, quæ ipsa hactenus Edessæ incolumis est. Sumta igitur in manus divina Christi Dei hominis effigie, præfidentior episcopus ad locum pergit, ubi Persæ ex vasorum ære sonantium tinnitu cuniculum struentes deprehensi erant: cumque cives & ipsi intus aggressi in alios alii incurrissent, in ignem ipsis in hostes paratum ex lucerna stillantes, inque Persas in cuniculo repertos mittentes, omnes perdiderunt. Iisque demum liberati insidiis, eodem molimine etiam machinas extra muros positas adorsi, has quoque repente combusserunt, pluresque in eis

1, διαθραύσεις.

2. Locus fortasse non sanus.

ὅμοιον πεῖραν προήνεγκαν, καὶ ταύτας ἀθρόως κατέφλεξαν. καὶ πολλοὺς τῶν ἐν αὐτοῖς πολεμίων ἀνάλωσαν. ἤδη δὲ ἀνατεθαῤῥηκότες, καὶ λίθων ἀφέσεις συχνῶν ἀπὸ τῶν τειχῶν ἐπεποίηντο, ὑφ' ὧν καὶ τὸν στρατοπεδάρχην τοῦ μιαροῦ στρατεύματος συνέβη πεσεῖν, καὶ ἄλλους πολλοὺς σὺν αὐτῷ. οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τὴν ἔξωθεν ὑπὸ τῶν Περσῶν ἀναφθεῖσαν κατὰ τῶν ἔνδον πυρὰν, ἣν ἄπειρος ὕλη ἐλαιῶν τε καὶ ἄλλων συχνῶν καταπεσόντων δένδρων ὑπέτρεφε, κατ' αὐτῶν γενέσθαι ἡ τῆς συμμάχου θείας εἰκόνος ...., ὡς γὰρ ἄνωθεν Εὐλάλιος ταῖς οἰκείαις τοῦ τείχους ἐφαπλώσας ταύτην παλάμαις τὴν πόλιν διώδευε, ἐξαίφνης, ὡς κατὰ τὸν τόπον τοῦτον ἐγένετο, βίαιος ἄνεμος ἐξεγερθεὶς, κατὰ τῶν ἀναφλεγόντων τὴν τοιαύτην πυρκαϊὰν τὴν φλόγα ἐπέστρεψε· καὶ ἐδίωξε τούτους, καὶ ἐνεπύριζεν, ὡς τοὺς Χαλδαίους τὸ πρίν.

A militares viros sustulerunt. Jamque adeo aucti fiducia, crebros etiam e muris mittentes lapides, eorum jactu ac rotatione, impuri exercitus Duci aliisque non paucis necem consciverunt. Neque id modo, sed & extrinsecus a Persis adversus cives accensam pyram, quam olearum multarumque aliarum, quas immiserant arborum infinita aggesta materia alebat, in ipsos qui accenderant, divinæ virtus imaginis benigne opitulantis convertit. Cum enim eam e muro desuper suis ipse manibus Eulalius explicans civitatem obiret, ut ad eum locum successit, obortus repente ventus validus, in eos qui rogum accendebant, flammam convertit, hæc illos persequuta, haud secus ac olim Chaldæos, incendit. B

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 950.

Ταῦτα οὐκ ἀμάρτυρός ἐστι λόγος, εἰς ἡδονὴν ἀκοῆς ἢ ἀπάτην παρ' ἡμῶν συμπλασθεὶς, ἀλλὰ τρεῖς ὁμοῦ πατριάρχαι, Ἰὼβ Ἀλεξανδρείας, Χριστοφόρος Ἀντιοχείας, καὶ Βασίλειος Ἱεροσολύμων ἀνέγραψαν, καὶ οὕτως ἔχειν ταῦτα ἐγνώρισαν, Θεοφίλῳ γράψαντες τῷ βασιλεῖ τὰς ἱερὰς εἰκόνας ἐξυβρικότι, ὅτε διὰ πολλῶν ἀποδεικνύοντες τὸ τῶν θείων εἰκόνων ἱερὸν καὶ σεβάσμιον, καὶ περὶ τούτου διέλαβον. καὶ ἔξεστι βουλομένῳ τὴν πολύστιχον ἐκείνην ἐπιστολὴν ἀναλέξασθαι, καὶ περὶ τούτου μαθεῖν. ἀλλὰ καὶ τῇ Εὐαγρίου ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ εἴ τις φιλοπόνως ἐνέτυχεν, ἔγνω πάντως οἷα περὶ τῆς ἱερᾶς ταύτης εἰκόνος κατὰ τὸν τέταρτον λόγον φησί.

XVIII. Non hæc aures mulcendi caussa, aut veritati fucum faciendi, nullis testibus a nobis conficta narratio: quinimmo tres simul patriarchæ, Job Alexandrinus, Christophorus Antiochenus, & Basilius Hierosolymitanus, ipsi scripserunt, atque hæc sic se habere, datis Theophilo imperatori literis, qui sacrarum violator imaginum esset, palam fecerunt: tum nimirum cum longa dissertatione divinas imagines sanctas astruentes ac veneratione habendas, istud quoque tractarunt: ac licet C nosse, si quis in multos versus fusam eam epistolam ut legat in animum induxerit. Sed & Evagrii ecclesiasticam historiam si quis attentius legerit, plane novit quanta ille de hac sacra imagine libro quarto scribit.

Ἀναγράφει γὰρ, ὡς μετὰ τῶν ἄλλων ὁ Χοσρόης καὶ τοῦτο πεποίηκε, θέλων περιφανῶς ἐλέγξαι ψευδῆ τὸν παρὰ χριστιανοῖς θρυλλούμενον περὶ τῆς τοιαύτης πόλεως λόγον, ὡς εἴη ἀπόρθητος, ξύλων γάρ τι μέγα χρῆμα, καὶ πλῆθος ἄπειρον ἐν βραχεῖ τῇ τοῦ στρατεύματος πολυχειρίᾳ συναθροίσας ἐξ ἐπιτάγματος, καὶ ταῦτα κατὰ δύο τείχους πηξάμενος κύκλῳ τῆς πόλεως· εἶτα χοῦν κατὰ τὸ μέσον ἐπεμβαλὼν, καὶ ἀντιμέτωπον ἄλλο τεῖχος οἰκοδομῶν, ὑψηλότερος ἐγίνετο τῶν τῆς Ἐδέσσης τειχῶν, καὶ ὡς ἐξ ὑπερδεξίων τὰ βέλη κατὰ τῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως προκινδυνευόντων ὅσον οὔπω ἀφίεσθαι ἔμελλεν. ὅπερ οἱ Ἐδεσσηνοὶ ὡς ὄρος ἀντικρὺ τῶν τειχῶν ὁρῶντες ἐξεγειρόμενον, δι' οὗ ὡς ἐκ τοῦ ἰσοπέδου τοὺς πολεμίους ἐπιβῆναι τοῦ ἄστεος ἤλπιζον· ἐν ἀμηχανίᾳ καίπερ ὄντες, ἀντιμηχανώμενοι δὲ ὅμως τὰ δυνατὰ καὶ αὐτοὶ, διώρυγμα ἐπεχείρουν πρὸ τοῦ νεοστάτου ἐκείνου τείχους ὀρύξασθαι, ὡς ἂν εἰ δυνηθεῖεν τὰ πρὸ τοῦ χώματος ὑφάψαι σταυρώματα, πρὸς τὴν διώρυχα τὸν χοῦν ὑποσπάσωνται, καὶ οὕτως τὸ μέγα τεῖχος ἐκεῖνο οἷον ἐξ ὀνείρου ἀναπλασθὲν, θᾶττον κατενεχθῇ καὶ διαῤῥυῇ. ἐπὶ δὲ τὸ μὲν ὄρυγμα διήνυστο, πῦρ δὲ τοῖς ξύλοις ἀνιέντες τοῦ σκοποῦ διήμαρτον, μὴ δυναμένου τοῦ πυρὸς διὰ τὸ συμπεπιλημένον ἔνδον εἶναι τὸν χοῦν, καὶ τὰ ξύλα ἔτι χλωρὰ, καινοῦ τινος δίχα τῆς ὕλης ἐμπεριδράξασθαι, τὴν ἱερὰν ταύτην εἰκόνα εἰς τὴν νεότευκτον ἐκείνην τάφρον εἰσαγαγόντες, καὶ ὕδωρ ἐκ ταύτης καθαγιάσαντες, καὶ τοῦτο τῇ πυρᾷ καὶ τοῖς ξύλοις προσεπιῤῥάναντες, ἐνεργὸν γενέσθαι τὸ πῦρ κατεπράξαντο. καὶ τῇ πίστει τῶν δεδρακότων τῆς θείας συνεπιλαβομένης δυνάμεως, ὡς ἔλαιον τὸ ὕδωρ ἐγένετο τῷ πυρὶ, καὶ ἐξῆψε τὴν φλόγα, καὶ κατανάλωσεν ἅπαν τὸ προστυχόν. τότε οὖν ὁ Περσῶν βασιλεὺς τὴν ἅλωσιν τῆς πόλεως ἀπογνοὺς, καὶ τὴν βοήθειαν ὅθεν εἶχον μαθὼν, πρὸς συμβιβάσεις ἐχώρησε, καὶ σπονδὰς εἰρηνικὰς ποιησάμενος, πρὸς τὰ οἰκεῖα ἀνθυπενόστησεν.

XIX. Refert enim, quod cum aliis de caussis, tum ob eam potissimum rationem Chosroes exercitum duxerit, ut aperte ostenderet esse falsum, quod de Edessa civitate Christiani jactabant, eam nulla vi expugnari posse ac diripi. Cum enim ingentem lignorum struem & pene infinitam conferta militum manu succedanea ope opus maturantium brevi coegisset, atque his fixo vallo duplici quasi muro D civitatem cinxisset, tumque mediam aream ingesta humo opplevisset, inde surgens oppositus murus alius, civitatis mœnibus altior effectus est, moxque futurum erat, ut e superioribus in præsidiarios jaculorum imber deplueret. Vident itaque cives ex adverso murorum velut montem assurgere, per quem hostes, quasi ex plano haud incerto eventu in urbem ingressuri essent. Quamquam igitur vix non consilii inopes, ipsi quoque quanta facultas, adverso molimine objectam novo illi muro fossam ducere; in cujus voraginem, si modo liceret communientes vallos succendere, detracto aggere, ea ratione velut insomnio repente enatum ingentem illum murum pessumdarent ac solo æquarent. E At ubi absoluta quidem fossa est, ignisque lignis immissus, nec ex voto res succedebat, quod humo constipata, ac cum ligna adhuc viridia essent, non poterat ignis absque novo pabulo vallum corripere; in fossam recenter ductam sacra hæc addacta imago, exque illa sanctificata aqua asperso rogo effectum est, ut flamma vivax atque efficax exiret, fuitque igni olei loco aqua, divina virtute his qui rem moliti erant propitia: indeque succensa flamma absumtum quidquid obvium erat. Tunc ergo Persarum rex urbis expugnandæ spe omissa, ac cum non lateret unde civibus corrogata auxilia, ad conventiones adjecit animum, percussoque pacis fœdere, in suam regionem reversus est.

Ἔμελλε δὲ ἄρα καὶ οὗτος οὐκ εἰς μακρὰν εὐεργεσίας τυχεῖν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ταύτης εἰκόνος, τῆς τῶν

XX. Erat autem hic quoque haud ita post ab hac sacra imagine beneficium accepturus, hostes de-

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 950.



πολεμίων αὐτῷ ἀνεργετίδος, καὶ τῶν ἑαυτῷ ἀναιρετί- A
δος. τὸ γὰρ τούτου θυγάτριον ὑπὸ δαιμονίου πνεύματος
συσχεθὲν, καὶ τῆς κατὰ φύσιν ἐκστὰν καταστάσεως,
ἐβόα συνεχῶς δι' αὐτοῦ ἐνεργούμενον· εἰ μὴ ἐξ Ἐδέσ-
σης ἡ ἀχειροποίητος ἔλθῃ εἰκὼν, ἐντεῦθεν τὸ ἐνοι-
κον τούτου μὴ ἐξελάσεται. ὅπερ ἀκούσας ὁ βασιλεὺς,
καὶ τὰ ἐπὶ τῆς πολιορκίας λογισάμενος· οὐδὲ γὰρ
οὐδ' αὐτὸν ἡ παράδοξος ἐξαίφνης ἰσχὺς, καὶ τὸ θάρ-
σος διέλαθε τῶν Ἐδεσσηνῶν· γράφει παραχρῆμα
πρός τε τὸν τῆς πόλεως προεξάρχοντα, καὶ πρὸς τὸν
μητροπολίτην Εὐλάλιον, καὶ πρὸς τὸ κοινὸν τῆς πό-
λεως, ἀποσταλῆναι θᾶττον αὐτῷ τὸ θεῖον καὶ πανσθε-
νὲς ἀπεικόνισμα, προσθεὶς καὶ τὴν αἰτίαν, τὴν τῆς
θυγατρὸς συμφοράν. καὶ παντοίως ἀξιῶν τε καὶ βια-
ζόμενος, μὴ ἀποτυχεῖν τῆς αἰτήσεως. οἱ δὲ τό, τε τοῦ B
Περσικοῦ ἤθους ἄπιστον ὑπονοοῦντες, καὶ ὑποπτεύον-
τες δόλῳ βούλεσθαι τὸν Πέρσην τὴν ἑαυτῶν ὑφελέ-
σθαι ἰσχὺν, καὶ μὴ προέσθαι τὴν προστάτιν καὶ εὐερ-
γετίδα προνοούμενοι, ἀλλὰ μηδὲ τὴν εἰρήνην λῦσαι τῆς
τοιαύτης προφάσεως ἕνεκα, βουλὴν βουλεύονται συνετὴν,
καὶ λυσιτελοῦσαν αὐτοῖς. μεταγράψαντες γὰρ ἴσην κατὰ
πάντα, καὶ ὁμοίαν ὡς ἐνὴν εἰκόνα τῆς ἀγράπτου γρα-
πτὴν, καὶ πρὸς τὸ ἐμφερὲς κατὰ τὸ δυνατὸν ἀπεικά-
σαντες, πρὸς τὸν αἰτησάμενον ἀποστέλλουσιν. ὡς δὲ
ἐντὸς τῶν τῆς Περσίδος ὁρίων ἐγένοντο οἱ τὴν εἰκόνα
διακομίζοντες, εὐθέως διὰ τῆς τοῦ βασιλέως θυγατρὸς
ὁ δαίμων ἀνέκραξε, θᾶττον ἐξέρχεσθαι, καὶ διαμεί-
βειν τὴν οἴκησιν τῆς τοῦ ἐρχομένου δυνάμεως ἕνεκα,
μόνον εἰ τὸ μετακληθὲν ἀποστραφείη ὁμοίωμα, καὶ μὴ C
τοῖς βασιλείοις, μηδὲ τῇ πόλει Περσῶν προσπελά-
σει. καὶ πρὸς τοῦτο πολλὰ τοῦ βασιλέως ἐδεῖτο καὶ
καθικέτευεν. ὑποσχομένου δὲ βασιλέως, ἐξελθόντος
ἀπὸ τῆς κόρης τοῦ δαίμονος, καὶ ἐν ὑγείᾳ καταστά-
σει γεγονυίας τῆς βασιλείου παιδὸς, ὁ Χοσρόης, εἴ-
τε τὴν τοῦ αἰτησαμένου δαίμονος ἀξίωσιν ἐκπληρῶν,
καὶ τὴν ὑπόσχεσιν ἐμπεδῶν, εἴτε τὴν τοῦ ἐρχομένου
δύναμιν δεδιὼς, διὰ τὸ φαῦλον αὐτοῦ τῶν ἔργων καὶ
μιαρὸν, ἀποστείλας ὑποστρέψαι πρὸς τὴν, ἀφ' ἧς
ἐξῆλθε, πόλιν τὴν τοιαύτην εἰκόνα ἐκέλευσε. καὶ δῶρα
προσθεὶς παρ' ἑαυτοῦ πρὸς τοὺς ταύτην ἐκπέμψαντας.

Ἦν οὖν παρὰ τοῖς Ἐδεσσηνοῖς ὁ πολύτιμος ὄλ-
βος οὗτος, ὁ ἀκένωτος θησαυρὸς, ἡ εἰκὼν ἡ πρω- D
τότυπός τε καὶ ἄγραφος, τιμωμένη ἀεὶ πρὸς
αὐτῶν, καὶ ἀντιφρουροῦσα αὐτούς. ἐπεὶ δὲ
πρὸς τὴν βασιλεύουσαν ταύτην τῶν πόλεων τὰ
πανταχόθεν συνερρύηκεν ἀγαθώτατά τε καὶ κάλ-
λιστα· ἦν δὲ ἄρα θεῖόν τε βούλημα καὶ τὴν
ἱερὰν ταύτην εἰκόνα ἐνταῦθα μετὰ τῶν ἄλλων
ἀποθησαυρισθῆναι καλῶν. ὁ τῆς Ῥωμαίων κυ-
ριεύων ἀρχῆς Ῥωμανὸς, σπούδασμα ποιεῖται δι'
ἑαυτοῦ ταύτης κατευμοιρῆσαι καὶ καταπλουτῆ-
σαι τὴν βασιλεύουσαν. καὶ δὴ κατὰ διαφό-
ρους καιροὺς ἀποστείλας πρὸς Ἔδεσσαν, ᾐτεῖτο
ταύτην αὐτῷ μετὰ τῆς αὐτογράφου τοῦ κυρίου
ἐκπεμφθῆναι ἐπιστολῆς, καὶ ἀντιδιδόναι καθυπι-
σχνεῖτο αὐτοῖς εἰς ἀντάλλαγμα, Σαρακηνοὺς τε E
μέχρι διπλῆς ἑκατοντάδος τὸν ἀριθμὸν, καὶ ἀρ-
γύρου ἐπισήμου χιλιάδας δύο πρὸς μυριάδι μιᾷ.
οἱ δὲ τῆς Ἐδέσσης, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς ἔλε-
γον τὴν φύλακα καὶ φρουρὸν τῆς οἰκείας πόλεως
ἀργυρίου καὶ θνητῶν ἀνθρώπων ἀλλάξασθαι.

Ὡς δὲ ὁ μὲν ἐπείκειτο [1] καὶ αὖθις αἰτῶν, οἱ δὲ
πολλάκις τὴν δέησιν παρεκρούοντο· τέλος κατὰ τοῦ ἑξ-
ακισχιλιοστοῦ τετρακοσιοστοῦ πεντηκοστοῦ δευτέρου τῆς τοῦ
κόσμου γενέσεως ἔτους, ὁ τῆς Ἐδέσσης ἀπέστειλεν
Ἀμηρᾶς, ἀξιῶν ἐγγράφῳ ἀσφαλείᾳ διὰ σφραγίδος
χρυσῆς ἐχούσης τὸ βέβαιον, τὸν βασιλέα κατεγγυήσα-
σθαι, τοῦ μὴ πολεμίους ἐπέρχεσθαι τὰ τῶν Ῥωμαίων

A merente, ejusque necessariorum hostibus exitium parante. Regis enim filia quam malus dæmon invaserat, mentisque statu qui ex natura est dejecerat, obsidentis afflatu dæmonis continue clamabat: Qui in puella domicilium habet spiritus, non egressurum, nisi imaginis non manufactæ Edessa adventu ac præsentia. Audivit rex, ac secum animo reputans quæ in obsidione gesta acciderant; nec enim inaudita repente Edessenorum fortitudo audaciaque eum latuerat; missi statim ad civitatis præsidem Eulaliumque metropolitam, ac civitatis ipsum commune literis, divinam ad se citius summaque vi pollentem mitti petit imaginem, omnino rogans, ne preces cassæ eant. Illi autem, tum gentis insidos mores suspectos habentes, tum veriti ne Persarum rex hoc moliretur, ut ipsorum eis robur ac præsidium auferret: serioque cogitantes ne temere proderent, qua res illis in tuto positæ essent, ac unde beneficia affluerent; cumque nihilominus ea occasione pacem dissolvere nollent, solers atque oppido utile consilium ineunt. Ex primo scilicet exemplari, aliam omnino æqualem, aç quam licuit similem ducentes imaginem, ex non picta, artis opera pictam, summa quadam possibili illius imitatione, ad regem qui poposcerat, ablegant. Vixque adeo sacræ sarcinæ bajuli Persarum fines intraverant, cum statim dæmon puellæ ore clamat, mox se adventantis virtute, exiturum ac hospitio migraturum, modo solum accersita imago reverteretur, C ac neque ad regiam, neque ad Persarum civitatem accederet. Id dæmon a rege magnopere contendebat supplexque efflagitabat. Pollicetur rex: egressoque dæmone ac filia sanitati reddita, fidem Chosroes liberaturus quam obstrinxerat dæmoni, atque promissum servaturus; sive etiam propter mala opera & impura, venientis potentiam veritus, ut in urbem unde exierat imago referatur jubet, ac præterea eos qui miserant, muneribus donat.

XXI. Erant ergo apud Edessenos pretiosæ hæ D reliquiæ, inexhaustus thesaurus; imago illa primaria nullaque picturæ arte effecta, jugem illic venerationem habens, suosque vicissim clientes servans ac tuens. Postquam autem ad augustam hanc urbem optima quæque ac pulcherrima confluxerant, divinæque voluntatis erat, ut & hoc sacrum pignus cum reliquis ejus præclaris ornamentis in ea reconderetur; qui imperii Romani clavum Romanus teneret ac rerum summa potiretur, in eam rem incumbit ac navat operam, suis ut curis urbs augusta felicitatis cumulo, id quoque nanciscatur. Sæpius enim aliis aliisque temporibus missis nuntiis, Edessa mittendam una cum epistola quam sua Dominus manu conscripserat, sacram imaginem E rogaverat, ac vicissim ducentos Saracenos, argentique signati duodecim millia commutationis jure daturum se pollicitus erat. Haud tamen Edesseni ex suis rationibus esse dicebant, quod suæ civitatis custodem ac conservatricem pecunia, ac mortalibus capitibus commutarent.

XXII. Repetitæ sæpius preces, sæpius repulsam passæ: donec tandem a mundi conditu sexies millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo *, missis Ameras Edessenus nuntiis, ut scripta cautione aureo signaculo firmata Imperator fidejuberet, fore scilicet ut deinceps hostiles Romanorum copiæ

1. Forte ἐπέκειτο.

* Calculo nostro, Christi 944.

στρατεύματα κατὰ τῶν τεσσάρων τούτων πόλεων, φημὶ δὴ τῆ Ροχᾶν, ὅπερ τὴν Εδεσσαν ἡ βάρβαρος ὀνομάζει φωνή. τῆ Χαρᾶν, τῆ Σαράτης, ϗ τῶν Σαμοσάτων. μηδὲ ληΐζεσθαι τὰς τούτων ἀγροὺς, ἢ τοὺς ἐν αὐτοῖς κατοικοῦντας ἀνδραποδίζεσθαι. ἀπολυθῆναι δὲ αὐτῷ ϗ τοὺς διακοσίους ἀπὸ τῶν ὁμοφύλων Σαρακηνοὺς, μετὰ τῆς προϋπεσχημένης τοῦ ἀργυρίου ποσότητος. ϗ ἀνταποδοῦναι αὐτὸν τὴν ἐπιζητουμένην εἰκόνα, ϗ τὴν ἐπιστολὴν τοῦ Χριστοῦ.

A hasce quatuor civitates non invaderent; Rochan, quam vox barbara Edessam vocat; Charam, Sarote, & Samosata: neque eorum agros diriperent, aut ex incolis captivos abigerent. Ducentos quoque Saracenos ex contribulibus liberos abire sineret, ac quam ante promiserat, pecuniæ vim dependeret. Hæc si præstarentur, redditurum se quam flagitabat imaginem ac Christi epistolam.

Ο' δὲ βασιλεὺς τῇ ἐφέσει τοῦ τοιούτου καλοῦ πρὸς πάντα ὑπείξας τὰ προβαλλόμενα, Αβράμιον τὸν θεοφιλῆ τοῦ Σαμοσάτου ἐπίσκοπον, ἐνταῦθα κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐπιχωριάζοντα, ἐπὶ τῇ ἀναλήψει τῆς θείας εἰκόνος, καὶ τῆς ἐπιστολῆς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐξαπέστειλε. σκοπῶν δὲ καὶ ὁ ἀποστείλας, καὶ ὁ διακονούμενος μὴ κατασοφισθῇ περὶ τὴν ἀπόδοσιν, καὶ ἀντὶ τῆς ἀγράφου καὶ ἀληθοῦς, μεταγραφεῖσα τότε διὰ τὴν Περσικὴν περίστασιν τούτῳ ἐπιδοθῇ, ἀμφοτέρας ταύτας μετὰ καὶ ἑτέρας τῆς ἐν τῇ τῶν Νεστοριανῶν ἐκκλησίᾳ τιμωμένης, πάλαι καὶ αὐτῆς, ὡς ἔοικεν, ἀπὸ τῆς πρωτοτύπου μεταληφθείσης, ἐπιζητήσας, πρὸς πίστωσιν ἔλαβεν, αἳ ϗ αὖθις ἀντεπεδόθησαν, μόνης ἐγκρατηθείσης τῆς κυρίας καὶ ἀληθοῦς.

XXIII. At imperator ejus boni desiderio ad omnia hæc proposita facilis, atque ea quæ petebantur munifice tribuens, religiosissimum Samosati episcopum Abramium tunc temporis Byzantii agentem, ad B divinam imaginem, Christique Dei nostri epistolam recipiendam misit. Cavens autem tum qui miserat, tum qui ministerio defungebatur, ne quid fraudis sacro pignore consignando obreperet, ac pro imagine non manufacta veraque, ea traderetur quæ ob ingruentem Persicam necessitatem ex illa tunc ducta fuerat; ambas has necnon & tertiam aliam, quæ in Ecclesia Nestorianorum colebatur, quæ ipsa quoque ut est verisimile, ex primo illo ducta exemplari fuerat, cum quæsiisset accepit, ad fidem rei adstruendam, quæ rursus redditæ sunt, ea solum retenta, quæ propria veraque erat.

Τοῦτο μὲν ὕστερον. καὶ τότε δὲ στάσις παρὰ τῶν ἐν Εδέσσῃ πιστῶν διηγείρετο, ϗ θόρυβος τὴν πόλιν κατεῖχε συχνὸς, μὴ μεθιέντων ἀφαιρεθῆναι τὰ τιμιώτατα τῶν παρ' αὐτοῖς, καὶ τῆς ἐνεγκαμένης αὐτῶν φυλακτήρια, ἕως ὁ τῶν Σαρακηνῶν ἀφηγούμενος, τοὺς μὲν πείσας, τοὺς δὲ βιασάμενος, τοὺς δὲ καὶ ἀπειλαῖς σφαγῆς δεδιξάμενος, ἐπιδοθῆναι αὐτὴν κατεπράξατο. βροντῶν δὲ ϗ ἀστραπῶν μεθ' ὑετοῦ λαβροτάτου κατά τινα τέχνην ἢ πρόνοιαν αἰφνιδίως καταρραγεισῶν ἐν τῷ μέλλειν ἐξέρχεσθαι τῆς Εδέσσης τὴν εἰκόνα ϗ τὴν ἐπιστολὴν τοῦ Χριστοῦ, πάλιν οἱ καὶ πρότερον ἀντεχόμενοι τούτων ἀνεκινοῦντο, ϗ τὸ θεῖον ἐπισημαίνεσθαι [1] τὴν τοῖς πραττομένοις διεβεβαίουν, μὴ κατὰ θείαν βούλησιν γίνεσθαι τὴν ἐντεῦθεν τῶν ἁγιωτάτων τούτων μετάστασιν, ἀλλὰ τοῦ τῶν Σαρακηνῶν στρατηγοῦ, ὑφ' ᾧ τὸ πᾶν τῆς ἐξουσίας ἀνέκειτο, ἐμμένειν τοῖς ὡμολογημένοις κρίναντος δεῖν, καὶ ἐκπληροῦν τὴν ὑπόσχεσιν, ἐξῄει τῆς πόλεως τὸ τιμαλφέστατον ἀπεικόνισμα, ϗ τὸ χειρόγραφον ἐπιστόλιον, ϗ πρὸς τὰ ἐνταῦθα διεκομίζετο.

XXIV. Sed hæc quidem postea. Tunc autem fi- C delium Edessæ excitata seditio, frequensque erat civitatis commotio, cum sibi pretiosissima pignora, & quibus patriæ salus constabat ac incolumitas auferri non ferrent: donec Saracenorum dux alios suasionibus adducens, alios vi cogens, atque alios necis metu subigens, ut sibi illa traderentur effecit. Cum autem tonitrua & fulgura cum imbrium immensa vi, quadam sive arte sive providentia repente erupissent; quo ipso momento exportanda Edessa esset sacra imago & Christi epistola, rursus eorum orta commotio qui prius obsistebant, ejusque rei portento ajebant significare Numen, haud divinæ voluntatis esse, quod sanctissima hæc pignora inde commigrabant. Verum Sara- D cenorum duce, penes quem omne arbitrium erat, standum esse conventis statuente, ac explenda promissa, egreditur e civitate effigies pretiosissima ac Christi manu scripta brevis epistola, hucque transferuntur.

Καὶ δὴ τὴν ὁδὸν διανύοντες οἱ ταῦτα ἐπιφερόμενοι, τὸν Εὐφράτην κατέλαβον, καὶ πάλιν θόρυβος μηδενὸς τῶν προτέρων ἐλάττων ἐγείρεται, τῶν τῆς Εδέσσης λεγόντων, ὡς εἰ μή τι σημεῖον θεόθεν δειχθῇ, οὐδ' ἂν εἴ τι γένηται, προΐσοντο [2] τὰ συνεκτικὰ τῆς ἀσφαλείας αὐτῶν. δίδοται τοίνυν σημεῖον αὐτοῖς ἀπίστοις οὖσι, καὶ ἐκπειράζουσιν. ἡ γὰρ ναῦς, μεθ' ἧς τὸν Εὐφράτην περαιωθῆναι αὐτοῖς προὔκειτο, ἔτι πρὸς τὰ τῆς Συρίας ὁρμιζομένη μέρη, ὡς μόνον εἰσῆλθον ἐν αὐτῇ οἱ ἐπίσκοποι τὴν θείαν εἰκόνα καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἐπικομιζόμενοι, ἔτι τοῦ σάλου τοὺς στασιώτας κατέχοντος, ἐξαίφνης χωρὶς ἐρετῶν, χωρὶς τοῦ κυβερνῶντος ἢ ἕλκοντος, πρὸς τὴν ἀντιπέραν κατῆρε γῆν, μόνῳ τῷ θείῳ κυβερνωμένη βουλήματι. ὃ δὴ τοὺς προστυχόντας καὶ ἰδόντας ἅπαντας, θάμβους ἐπλήρωσε καὶ ἐκπλήξεως, καὶ ἑκόντας παραχωρῆσαι τὴν ἔκπεμψιν ἔπεισεν.

XXV. Denique iter conficientes, ad Euphratis oram sacræ sarcinæ vectores advenerant; rursusque nullo priorum minor excitatus tumultus, conclamantibus Edessenis, nisi cælitus signum aliquod exhibeatur, quicquid accidat, non dimissuros quibus eorum tuta salus esset & incolumitas. Datur itaque eis signum, qui infideles essent & tentarent. E Navis enim cum qua constitutum ut Euphratem transirent, dum adhuc ad partes Syriæ in littore staret, ubi solum ingressi in eam episcopi divinam deferentes imaginem ac epistolam, cum adhuc seditiosos tempestas detineret, repente nullo remige aut gubernatore, seu etiam trahente, ad alteram ripam, divina dumtaxat voluntate gubernante, profecta est appulitque. Quæ res quotquot aderant & & viderant, stupore implevit & admiratione, fecitque ut sponte mittenda sacra pignora permitterent.

1. τὴν videtur redundare.

2. Forte προΐσοιντο, vel προήσοντο.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 950.

Ἐντεῦθεν καταλαμβάνουσι τὰ Σαμόσατα οἱ τῶν φερομένων διάκονοι. ἦσαν δὲ, ὁ τῶν Σαμοσάτων καὶ τῆς Ἐδέσσης ἀρχιερεὺς, καὶ ὁ τούτου πρωτοπρεσβύτερος, καὶ ἕτεροί τινες τῶν εὐλαβεστέρων χριστιανῶν, οἷς καὶ ὁ τοῦ Ἀμηρᾶ ὑπηρέτης συνῆν, ὃς ἀπὸ Ῥώμης κατωνομάζετο. ἐνταῦθα ἐπὶ τινὰς ἡμέρας χρονοτριβήσαντες, πολλῶν ἐκεῖσε θαυμάτων γεγονότων, εἴχοντο τῆς ὁδοῦ, καὶ πάλιν ἄπειρα θαύματα ἐπετελεῖτο ἐν τῇ ὁδῷ ὑπὸ τῆς ἱερᾶς εἰκόνος, καὶ τῆς ἐπιστολῆς τοῦ Χριστοῦ. τυφλοὶ γὰρ ἀπροόπτως ἀνέβλεπον, καὶ χωλοὶ ἐδείκνυντο ἄρτιοι, κλινήρεις τε πολυχρόνιοι ἥλαντο, καὶ οἱ ξηρὰς ἔχοντες τὰς χεῖρας ὑγιοῦντο. καὶ συνελόντι φάναι, πᾶσα νόσος καὶ μαλακία ἐδραπετεύετο, καὶ ἐδόξαζον ὑγιαζόμενοι τὸν Θεὸν, καὶ ἀνύμνουν αὐτοῦ τὰ θαυμάσια.

A XXVI. Hinc Samosata perveniunt qui piæ farcinæ ministri erant. Erant autem Samosatorum atque Edessæ episcopus, ejusque presbyterorum primus, aliique quidam religiosi Christiani, iisque comes una aderat Ameræ minister cognomento a Roma. Ibi dies aliquot cum egissent, multis ad sacra pignora miraculis editis, iter prosequuntur. Rursus in procinctu itineris per sacram imaginem ac Christi epistolam innumera patrata miracula: cæci ex improviso visus facultate donati, claudi sani atque membris integris redditi; saliebant quos olim morbus lecto affixerat, ac quorum erant manus aridæ, vegeto robore exibant. Et ut semel dicam, morbus omnis & languor fugabatur: ac qui (B) sani evaserant, Deum glorificabant, atque ejus mirabilia laudabant.

Ἤδη οὖν τὸ πολὺ τῆς ὁδοῦ διανύσαντες, φθάνουσιν εἰς τὴν τῆς ἁγίας Θεοτόκου μονὴν, ἣ τὰ Εὐσεβίου κατονομάζεται, ἐν τῷ τῶν ὀπτιμάτων λεγομένῳ τυγχάνουσαν θέματι. ἐν τῷ ναῷ δὲ τοιούτου φροντιστηρίου ἁγιοπρεπῶς ἡ τὴν τερατουργὸν εἰκόνα κρύπτουσα θήκη ἐναποτίθεται, καὶ πολλοὶ προσελθόντες ἐξ εἰλικρινοῦς διαθέσεως, ἀπὸ τῶν οἰκείων νόσων ἰάθησαν. ἔνθα καί τις προσῆλθεν ὑπὸ δαίμονος ἐνοχλούμενος, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ τὸ πονηρὸν ἀποχρώμενον πνεῦμα, καὶ πολλὰ τῶν εἰς ἔπαινον ἡκόντων τῆς εἰκόνος καὶ τῆς ἐπιστολῆς δι' αὐτοῦ ἐκφωνοῦν, ἐπεὶ καὶ πάλαι, οἴδαμέν σε τίς εἶ, ἅγιος τοῦ Ἰσραὴλ, πρὸς τὸν κύριον ἔλεγον, οἱ τῆς ὁμοίας μερίδος αὐτῷ, τέλος, τάδε οἱονεὶ ἀπεφοίβαζεν· ἀπόλαβε, λέγων, ἡ Κωνσταντινούπολις δόξαν καὶ χαράν. καὶ σὺ Κωνσταντῖνε Πορφυρογέννητε τὴν βασιλείαν σου. καὶ τούτων ῥηθέντων, ἰάθη ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἀπελύθη παραχρῆμα τῆς τοῦ δαίμονος ἐπιθέσεως. τούτων δὲ πολλοὶ καθεστήκασι μάρτυρες τῶν ῥημάτων. τοῦ γὰρ βασιλέως εἰς τιμὴν καὶ ὑπάντησιν τοῦ ποθουμένου τοὺς πρώτους τῆς ἐν τέλει βουλῆς ἀποστείλαντος, καὶ τούτοις τῶν ἐκ τῆς δορυφόρου τάξεως συνεξελθόντων πολλῶν, συνέβη μαγίστρους καὶ πατρικίους μετὰ τῶν ὑποβεβηκυιῶν τάξεων εἶναι τοὺς ἀκουστάς τε καὶ μάρτυρας. καὶ ἐπεὶ τὰ ῥηθέντα τὴν ἔκβασιν θᾶττον ἐδέξαντο, ἀπορῆσαι ἄξιον πόθεν ἡ πρόγνωσις τῷ δαίμονι προσεγένετο. οὐ γὰρ ἔχειν πιστεύονται ταύτην οἴκοθεν, τῆς θείας δόξης ἀπολισθήσαντες, καὶ σκότος ἀντὶ φωτὸς χρηματίσαντες. ἢ δῆλον, ὅτι καθάπερ τῷ Βαλαὰμ ἡ θεία δύναμις ἐχρῆτο διακόνῳ τοῦ τότε προαγορεύματος, καὶ ἄλλο τε ἄλλοις οὐκ ἀξίοις πολλάκις τοῦ πράγματος, κατ' οἰκονομίαν πάντως τινὰ σοφὴν καὶ ἀμήχανον· οὕτω καὶ νῦν ἡ ἐν τῷ θείῳ ἀπεικονίσματι δύναμις, τῷ δαίμονι ἀπεχρήσατο, καὶ διὰ τοῦτο τὰ μετ' ὀλίγον ἐκβησόμενα προεδήλωσεν. ἀλλὰ τούτου μὲν οὕτως συμβάντος μεταξὺ, μνησθῆναι ἴσως οὐκ ἄκαιρον. ἐπὶ δὲ τὰ ἐχόμενα τῆς διηγήσεως βαδιούμεθα.

XXVII. Jam pene confecta via, ad sanctæ Deiparæ monasterium veniunt, quod Eusebii ædes vocant, ac in Themate situm est, quod Optimatum appellant. In ejus monasterii templo pie religioseque deposita capsa est, quæ prodigiorum effectricem imaginem contegebat, multique sincere ex animo accedentes morbis curati. Quo etiam venit quidam obsessus a dæmone, quo ut organo usus spiritus nequam, in laudem imaginis ac epistolæ plura proloquebatur; quippe cum ejusdem generis olim (C) spiritus Domino dicerent: *Scimus te quis sis, sanctus Israel.* Hic postremo illud vaticinio edidit: *Recipe Constantini urbs claritatem & lætitiam; atque tu Constantine Porphyrogenneta tuum imperium.* Quo dicto, homo curatus est, ac statim dæmonis vexatione solutus. Horum autem verborum multi testes exsistunt. Nam cum imperator primos quosque fere senatus ac magistratus in desiderati pignoris occursum obsequio misisset, unaque cum illis stipantium turba ingens exivisset, contigit ut Magistri & Patricii, ac qui inferioris ordinis erant, audirent ac testes essent. Cumque vaticinio dicta brevi post eventum sortita sint, jure merito dubitari possit, undenam præscientia dæmoni accessis(D)set. Non enim a se creduntur illa præditi, qui a divina claritate prolapsi sunt, ac pro luce tenebræ effecti. Nam palam sicut divina virtus Balaam rei tum prædicandæ ministrum adhibuit, aliasque alios ea re sæpe indignos, prorsus sapienti quodam solertique consilio; ita nunc quoque in divina vis exsistens effigie, dæmone usa est, & ideo per eum quæ brevi post erant eventura ante manifestavit. Sed cum hoc interim evenisset, ejus meminisse haud forte importunum. Ad ea vero pergamus, quæ narranda sequuntur.

Τῇ πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου μηνὸς συνήθως τῶν βασιλέων νῦν ἑορτὴν ἀγόντων τῆς μεταστάσεως τῆς ἀειπαρθένου καὶ θεομήτορος ἐν τῷ πανσέπτῳ ταύτης κατὰ Βλαχέρναις ναῷ, περὶ δείλης ὀψίας κατέλαβον ἐκεῖσε οἱ τῶν τιμίων τούτων διάκονοι, καὶ ἀπετέθη ἐν τῷ ὑπερῴῳ εὐκτηρίῳ τοῦ τοιούτου θείου ναοῦ ἡ ἔνδον ἔχουσα τὴν εἰκόνα καὶ τὴν ἐπιστολὴν κιβωτός. καὶ προσελθόντες οἱ βασιλεῖς, ἔξωθεν ταύτην σεβασμίως ἠσπάσαντο προσκυνήσαντες. εἶτα μετὰ τιμῆς καὶ δορυφορίας καὶ λαμπάδων συχνῶν πρὸς τὴν βασίλειον τριήρην ταύτην διακομίσαντες, σὺν αὐτῇ κατέλαβον τὰ βασίλεια. καὶ ἐν τῷ θείῳ ἐκεῖσε ναῷ, ὃς Φάρος ὠνόμασται· ἴσως διὰ τὸ οἷον ἱμάτιον λαμπρὸν κεκαλλωπῖσθαι αὐτὸ περιττῶς· ταύτην ἀπέθεντο. τῇ ἱκνουμένῃ τῶν ἡμερῶν, ἥ τις ἑξαδε-

(E) XXVIII. Quintadecima die Augusti mensis, cum ex more festum migrationis semper virginis ac Dei matris Mariæ in ejus venerabili templo quod est in Blachernis, imperatoribus solemne ageretur: alto crepusculo sacrorum pignorum ministri illuc advenerunt, atque in ejusdem templi superiore Oratorio, arcam in qua reposita imago ac epistola, collocarunt. Accedentesque imperatores eam reverenter a foris fixo oculo adoravere. Deinde honorifice frequentique obsequio, ac luminum gestatione ad prætoriam [1] detulerunt, eaque in regiam venerunt, atque in divino templo quod illic est, ac *Phorus* appellatur; propterea forte quod sicut vestis splendida id sit egregie ornatum; ipsam exposuerunt. Alteroque statim die, mensis scilicet sex-

1. triremem.

κάτη τοῦ μηνὸς ἦν, μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας πάλιν A τὸν ἀσπασμὸν καὶ τὴν προσκύνησιν ποιησάμενοι, καὶ λαβόντες αὐτὴν ἐκεῖθεν οἵ τε ἱερεῖς καὶ οἱ νεάζοντες βασιλεῖς· ὁ γὰρ γέρων οἰκουρὸς δι' ἀσθένειαν κατελείπετο· μετὰ ψαλμῶν καὶ ὕμνων, καὶ δαψιλοῦς τοῦ φωτός, διὰ τῆς πρὸς θάλασσαν καθόδου εἰς τὴν βασίλειον τριήρη αὖθις ἐνθέμενοι, τῆς πόλεως ἐν χρῷ σχεδὸν τὴν εἰρεσίαν [1] ποιούμενοι, ἵνα τρόπον τινὰ διασώσῃ τὸ ἄστυ διὰ τῆς ἐν θαλάσσῃ πορείας αὐτῆς, ἐκτὸς τοῦ πρὸς δύσιν τείχους τῆς πόλεως προσωρμίσθησαν, ἔνθα τῆς νεὼς ἐκβάντες, πεζοποροῦντες οἵ τε βασιλεῖς, καὶ πάντες οἱ τῆς γερουσίας βουλῆς, καὶ ὁ τῶν ἱερῶν κατάρχων μετὰ παντὸς τοῦ τῆς ἐκκλησίας πληρώματος, τῇ προσηκούσῃ δορυφορίᾳ, ὡς ἄλλην κιβωτόν, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ ταύ- B την, τὸ τῶν ἁγιωτάτων καὶ τιμίων φρουρὸν σκεῦος παρέπεμπον. καὶ τὰ ἐκτὸς τοῦ τείχους μέχρι τῆς χρυσῆς διελθόντες πύλης, εἶτα ἐκεῖθεν ἐντὸς γεγονότες τοῦ ἄστεος, μετὰ μετεώρων ψαλμῳδιῶν καὶ ὕμνων καὶ ᾠδῶν πνευματικῶν, καὶ ἀπείρου λαμπάδων φωτὸς τὴν πάνδημον συγκροτοῦντες προπομπήν, διὰ μέσης τῆς πόλεως τὴν πορείαν διήνυον· ἁγιασμοῦ μεταλαβεῖν καὶ κρείττονος σθένους τὴν πόλιν διὰ τοῦτο πιστεύοντες, καὶ ἀβλαβῆ καὶ ἀπόρθητον εἰς τὸν αἰῶνα συντηρηθήσεσθαι. τοῦ δὲ σχολάζοντος ὄχλου πρὸς τὴν θέαν συντρέχοντος, καὶ ὥσπερ κύματα μακρά, τοῦ δήμου πανταχόθεν κινουμένου τε καὶ συρρέοντος, ἄνθρωπός τις τὰς βάσεις παρειμένος, καὶ ἀσθενὴς ἀπὸ χρόνου μακροῦ, τοῖς οἰκείοις διακόνοις C ἐπερειδόμενος διανέστη πρὸς τὸ τὴν θείαν εἰκόνα διερχομένην ἰδεῖν. καὶ ἅμα τῇ θέᾳ παραδόξως ὑγιασθείς, καὶ γνοὺς ἰσχυροποιηθέντα τῶν βάσεων αὐτοῦ τὰ σφυρά, προσέδραμεν αὐτοποδὶ βαδίζων, καὶ κατησπάζετο τὴν τῆς εἰκόνος σορόν, καὶ ἐμεγάλυνε τὸν Θεόν, τὸ θαῦμα τὸ ἐπ' αὐτῷ διηγούμενος. ὃν οἱ συμπαρόντες ἅπαντες θεασάμενοι, καὶ τῶν ῥημάτων αὐτοῦ ἐπακούσαντες, δόξαν ἀπέπεμψαν τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ, τῷ ποιοῦντι ἀεὶ θαυμάσια καὶ ἐξαίσια.

Τοσαύτη δὲ χύσις δακρύων ὑφ' ἡδονῆς, καὶ πρεσβεία καὶ δέησις πρὸς Θεὸν καὶ εὐχαριστία παρὰ πάσης τῆς πόλεως γέγονε, τῆς θείας εἰκόνος καὶ D τῆς σεβασμίας ἐπιστολῆς διὰ μέσου διερχομένων τοῦ ἄστεος, ὅσην οὐκ ἔνι λόγῳ ἐνδείξασθαι, ὡς ἡττομένου τοῦ λόγου τῆς ὄψεως. τὰ γὰρ ὑπερβολὴν ἔχοντα τῶν πραγμάτων, ὁρᾶν ἐστιν μᾶλλον ἢ ἀκούειν, ἐπεὶ κατόπιν ὁ λόγος τῶν πραγμάτων εἴωθεν ἔρχεσθαι. τὴν πρὸ τοῦ Αὐγουστίου τοίνυν φθάσαντες ἀγορὰν οἱ τῆς πανηγύρεως ἔξαρχοι, καὶ τῆς εὐθείας ὁδοῦ μικρὸν πρὸς τὰ λαιὰ παρεκκλίναντες, τὸ τῆς Σοφίας Θεοῦ ἐπώνυμον ἱερὸν καταλαμβάνουσι τέμενος, καὶ τῶν ἀδύτων τοῦ ἱλαστηρίου ἐντὸς τὴν τιμίαν εἰκόνα καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἀποτίθενται.

Ἐνταῦθα δὲ παντὸς τοῦ τῆς ἐκκλησίας πληρώματος E προσκυνήσαντος, καὶ τὰ εἰκότα τιμήσαντος, ἐξῆλθον πάλιν ἐκεῖθεν μετὰ τοῦ φόρτου τοῦ ἱεροῦ οἱ τελοῦντες τὴν πρόοδον, καὶ τὰ τῶν βασιλείων καταλαβόντες ἀνάκτορα, ἐν τῷ κατ' ἐπωνυμίαν τρικλίνῳ χρυσῷ ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου, ἐν ᾧ περὶ τῶν μεγίστων χρηματίζειν εἰώθασι, τὴν θείαν εἰκόνα τέως ἱδρύουσιν· ἁγιασθῆναι πάντως καὶ τὴν ἀνακτορικὴν καθέδραν, καὶ δικαιοσύνης ὁμοῦ καὶ χρηστότητος ἐπιεικῶς μεταδοῦναι τοῖς ἐπὶ ταύτης ἐφεζομένοις, οὐκ ἀπεικότως πιστεύσαντες. ἐκτενοῦς δὲ συνήθως γεγονυίας

A todecimo, pie iterum ac reverenter oſcula libantes, adoratione perfuncti, atque inde tollentes, ſacerdotes pariter atque juniores imperatores; ſenior enim, quod eum vires deficerent, domi relictus fuerat; cum pſalmis & canticis ac copioſo lumine, per deſcenſum ad mare, ea rurſus in prætoria impoſita, ad ipſam civitatis oram citimam navigantes, quo ſcilicet maris ipſo itinere urbi incolumitatem præſtaret, extra ejus murum, qui eſt ad occidentem appulerunt. Quo loco nave egreſſi, pedibus tum ipſi imperatores, tum ſenatus omnis atque ſacrorum antiſtes, omniſque eccleſiæ cœtus, eo quo par erat comitatu proſequuti, tamquam arcam aliam, ſeu potius rem arca ſuperiorem, vas illud B quo ſanctiſſima ac venerabilia recondita pignora, deducebant. Emenſoque extra muros ad auream uſque portam itinere, tumque inde in urbem ſubeuntes, alto pſalmorum & canticorum laudumque ſpiritalium ſono atque tripudio, infinitoque lampadum lumine, plebis univerſæ concurſu deductionem celebrantes, per mediam civitatem iter tenuerunt, cum eo videlicet cultu impertiendam civitatem ſanctitate ac præſtantiore robore, incolumemque in ævum & inexpugnabilem ſervandam arbitrarentur. Plebe autem urbana per lucis ferias ad ſpectaculum concurrente, populoque undique ingentium fluctuum more glomerante ac confluente, homo quidam jam olim paralyticus atque infirmus, ſuorum lacertis C nixus ſervorum, videndæ cauſſa divinæ imaginis aſſurrexit; moxque ejus aſpectu, novo inauditoque miraculo ſanus effectus, ac pedum ſuorum baſes conſolidatas intelligens, ipſe pedibus ambulans accurrit, atque imaginis ciſtellam exoſculans, magnifice Deum prædicavit, narrans quod in ſe factum fuerat miraculum: eumque qui aderant omnes conſpicati, ejuſque auditis ſermonibus, Deo qui eſt ſuper omnia, ſemperque mirabilia fecit ac ſtupenda, laudem ſubmiſerunt.

XXIX. Tanta porro præ gaudii magnitudine fuſa lacrymarum vis, tam multæ ad Deum preces D & gratiarum actiones, vota tanta ab omni civitate cum ipſa * media divina imago & venerabilis epiſtola tranſirent, ut nulla verborum vi repræſentari poſſint; quod nimirum ipſo longe aſpectu auditus inferior ſit. Res enim eximias videre quam audire præſtat, quod oratio minoris quam pro rerum dignitate eſſe ſoleat. Cum ergo ad forum quod ante Auguſtæum eſt, veniſſent qui hujus duces pompæ erant, atque a recta paullulum ad ſiniſtram declinaſſent, ad celeberrimum Dei Sapientiæ ſacrum delubrum veniunt, atque intra adytorum propitiatorium venerabilem imaginem ac epiſtolam deponunt.

E XXX. Heic ubi adoraſſet eccleſiæ omnis cœtus, ac quem par erat honorem cultumque adhibuiſſent; inde rurſus egreſſi qui ſacræ ſarcinæ geſtatione proceſſum habebant, atque ad regiam venientes, in aureo quod vocant Triclinio, in throno regio, in quo de rebus maximis reſpondere conſueverunt, divinam hactenus imaginem collocant: hoc nempe non immerito exiſtimantes, imperatoris ipſum ſolium omnino ex ea ſanctitate imbuendum, ac fore, ut in eo ſeſſuris juſtitiam ſimul & lenitatem abunde præſtaret. Intenſa vero prolixaque ex more ora-

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 950.

1. ἰρεσίαν.

* per mediam urbem.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 950.

A δενήσεως, ἤρθη μετὰ τὴν ταύτης συμπλήρωσιν ἐντεῦθεν πάλιν ἡ θεία εἰκὼν, καὶ ἐν τῷ προῤῥηθέντι τοῦ Φάρου ναῷ, ἐν τῷ δεξιῷ πρὸς ἀνατολὰς ἀφιερώθη καὶ ἀνετέθη μέρει, εἰς δόξαν πιστῶν, εἰς φυλακὴν βασιλέων, καὶ εἰς ἀσφάλειαν ὅλης τῆς πόλεως, καὶ τῆς τῶν χριστιανῶν καταστάσεως.

tione habita, atque ea completa, hinc rursus sublata divina imago, atque in eo quod diximus Phori templo, in dextera parte quæ vergit ad orientem, consecrata fuit ac reposita ad fidelium gloriam, ad custodiam imperatorum, totiusque civitatis ac Christianæ reipublicæ securitatem ac tutamen.


Ἀλλ' ὦ θεῖον ὁμοίωμα τοῦ ἀπαραλλάκτου πατρὸς ὁμοιώματος· ὦ χαρακτὴρ τοῦ χαρακτῆρος τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως· ὦ σεπτὴ καὶ πάντιμε σφραγὶς τοῦ ἀρχετύπου κάλλους Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν· ὡς γὰρ ἐμψύχῳ σοι πιστῶς διαλέγομαι· σῶζε καὶ φρούρει ἀεὶ τὸν εὐσεβῶς καὶ πρᾴως ἡμῶν βασιλεύοντα, καὶ τὴν τῆς σῆς ἐπιδημίας ἀνάμνησιν λαμπρῶς ἑορτάζοντα· ὃν τῇ παρουσίᾳ σου ἐπὶ τὸν παππῷον καὶ πατρῷον θρόνον B ἀνύψωσας. φύλαττε τὸν τούτου βλαστὸν εἰς διαδοχὴν τοῦ γένους, καὶ τῶν σκήπτρων ἀνώλεθρον. βράβευε τῇ πολιτείᾳ εἰρηναίαν κατάστασιν. τὴν βασιλίδα ταύτην τῶν πόλεων ἀπολιόρκητον διατήρησον. καὶ δὸς ἡμᾶς εὐαρεστοῦντας τῷ ἀρχετύπῳ σου Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, ἐν τῇ ἐπουρανίῳ εἰσδεχθῆναι βασιλείᾳ αὐτοῦ, δοξολογοῦντας καὶ ἀνυμνοῦντας αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ πρέπει δόξα, καὶ ἡ προσκύνησις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

XXXI. Sed, o divina invariabilis patris similitudinis similitudo ac effigies; o figura ejus qui figura est paternæ substantiæ; o venerabile omnique honore prosequendum principis decoris Christi Dei nostri signaculum: velut enim cum re animata, fideli tecum mente loquor: serva & in ævum custodi eum, qui pie ac mansuete nobis imperat, tuique adventus memoriam splendide celebrat; quem tui præsentia in avitum ac paternum solium exstulisti. Ejus prolem custodi incolumem ad generis successionem, ac sceptrorum perpetuitatem. Pacem reipublicæ præbe & tranquillitatem. Urbem augustam serva inexpugnabilem: ac præsta, ut nos exemplari tuo Christo Deo nostro placentes, in ejus cæleste regnum admittamur, ipsi gloriam concinentes atque laudantes. Quoniam eum decet gloria & adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

ΤΕΛΟΣ.

EXPLICIT.





SERMO GIRBERTI PHILOSOPHI,

Papæ urbis Romæ, qui cognominatus est SILVESTER,

De informatione episcoporum.

I. SI quis, fratres, oraculi reminiscatur, quo frugi famulum de reservata sibi pecunia, quam prærogandam susceperat, increpavit, dicens: *Tu dedisses pecuniam meam, & ego veniens cum usuris exigerem eam*; non jam otiosus auditor collatam sibi divini muneris gratiam suis tantum usibus reservabit: sed cunctis eam communicabilem faciens, copiosius prærogando securius possidebit, ut sibi per hæc & plurimis ædificationis exhibeat fructum; & velut decora arbor, pomis referta, non infructuosa probetur occupare terram, dum vivit, cum & ipsa suis pomis ornatur, & omnes qui ex ea fructum perceperint, saginantur, beato nos etiam Apostolo ad hæc eadem invitante: *Nolite quærere quæ vestra sunt, sed quæ aliorum.* Et alibi: *Non quæro quod mihi utile, sed quod multis, ut salvi fiant.* Idcirco nos quibus verbi Domini credita est dispensatio, & gregem Christi alendum nutriendumque suscepimus: non sine ingentis periculi noxa nos credimus evasuros, si non modo secundum hæc vivamus, sed etiam si minime prædicemus. Et licet ad hæc prædicanda nos retardet vitæ improbitas, invitat tamen præcepti necessitas. Et ut væ mihi est, si minime prædicavero, & si susceptum thesaurum in terra defossum in meo corde diu occultavero, & lucernam divini verbi compressam sub modio retentavero, & non super candelabrum proposita cunctorum oculis manifestavero: ita si claustra humanæ imperitiæ per claves illas regni cælorum, quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minime reseravero, ut audire per hæc merear pro linguæ meæ modulo: *Euge serve bone & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam.* Unde verens his increpationibus & suppliciis sub Dei timore pene perculsus, & amore fraterno invitatus, non jam ad subditum loquar vulgum, quos jugiter monere soleo: sed ad ipsos jam prædicatores vulgi mea convertam verba, & meis conservis, velut obediens servus, id est Episcopus sacerdotibus, audaciter prædicare salutis munia non retardabo. Nec prærogativam mihi conscientiæ, si hæc meis consacerdotibus caritatis intuitu prærogem, vindicavero, aut vitæ perfectæ me esse fateor, cum de vita perfecta alios moneo: sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor audiam.

II. Aggrediar jam, divina ope suffultus, facultate qua valeo, & eorum precibus adjutus, ad quos noster respicit sermo, desideratum iter carpam, & quasi cum in gremio sacerdotum positus, ipsos alloquar sacerdotes. Audite me, beatissimi patres, &, si dignum ducitis, sanctissimi fratres: audite me, stirps Levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi: audite me rogantem pariter & timentem, & commodis communibus sollicite consulentem, & A honorem episcopatus demonstrare volentem: ut cum honoris ejus prærogativam monstravero, merita etiam congrua requiramus. Nec falli possumus in opere, qui cognoscimus veritatem. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, & sic deinde servetur a nobis, ut Psalmographi sententia repellatur a nobis: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

III. Honor igitur, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus æquari. Si regum compares infulas & principum diademata, longe erit inferius, quasi plumbi metallum ad auB ri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla & principum genibus submitti sacerdotum; & exosculatis eorum decretis, orationibus eorum credant se communiri. Quid jam de plebis multitudine dixerim, cui non solum præferri a Domino meruit, sed ut eam quoque jure tueatur paterno, præceptis imperatum est evangelicis? Sic certe a Domino ad beatum Petrum dictum est: *Petre, amas me?* Et ille: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Et cum hoc tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est ei a Domino tertio: *Pasce oves meas.* Quas oves, quem gregem, non solum tunc beatus suscepit apostolus, sed & nobiscum eas accepit, & cum illo C eas suscipimus omnes. Unde regenda sacerdotibus contraduntur, & merito rectoribus suis subdi dicuntur: quia evangelico mandato coruscante, videmus nihilo minus esse præfixum; *Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum: sed sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servus sicut dominus ejus.*

IV. Hæc vero cuncta, fratres, ideo præmisisse nos debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri: ut cum dignitatem episcopatus demonstramus, episcoporum oculis & digni noscamur quod sumus; & quod sumus professione, D actione potius, quam nomine demonstremus: ut nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini: ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita pœnalis, ne sit deifica professio, & illicita actio; ne sit religiosus amictus, & irreligiosus profectus; ne sit gradus excelsus, & deformis excessus; ne habeatur in ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur multo humilior; ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ovinam, & feritatem habeamus lupinam: ut digne nobis per Prophetam respondeatur a Domino: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quia, fratres, ut senatorem chlamys monstrat, agricultura rusticum, barbarum arma, nautam remigii peritia,

SÆCUL. X.
CIRCA
ANN. CHR.
980.



& singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores: sic episcopum non nisi episcopalis opera signat, ut ex tempore magis quam professione noscatur, meritis episcopus quam nomine vocitetur; quia ut nihil esse dicimus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sua vita episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur, si pontifex vitiorum maculis polluatur. Et ut levius est de plano corruere; sic qui ex sublimi ceciderit, grave incurrit exitium. Honor quidem coram hominibus episcopalis magnus: sed post lapsum (quod absit!) dolor magnus. In ecclesia gradus altus: sed si exinde per negligentiam delabatur, a cunctis miserabiliter denotatur. Magna sublimitas magnam cautelam desiderat; honor grandior grandiori sollicitudine indiget. Cui plus creditur, plus ab illo exigitur, & *potentes potenter tormenta patientur*; & *scienti legem & non facienti*, peccatum est illi; & *servus qui novit voluntatem Domini, & non facit digna, plagis vapulabit multis*.

V. Aliud enim ab episcopo requirit Deus, & aliud a presbytero; aliud a diacono, & aliud a clerico, atque aliud a laico: & licet cunctorum per singula requirat opus, plus tamen ab illo exigetur, cui major est cura commissa; ampliores pœnas luet, cui numerosior regendorum populorum, si neglecta, credita est dispensatio. Et ut ipsius episcopatus modum & formulam nostris consacerdotibus depingamus, apostolica nobis est per omnia regula revolvenda: quia de eis per singula episcopatus lineamenta distinguit. Ne aliqui sacerdotum garruli querelentur commentis se nostris in hoc opere increpatos magis, quam apostolicis sententiis redargutos.

VI. Sic enim ad cunctos episcopos beatus ait Apostolus: [a] *Fidelis sermo*: ac si diceret; De quo sum locuturus, veraciter dico, ne quis me existimet fuisse mentitum. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: hoc est; episcopus esse cupis? magnum est quod ambis; sed opus bonum simul, si amplecteris. Ceterum episcopus esse non poteris, si episcopales actus aspernari volueris. Et denuo infert, & ait: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse*. Irreprehensibilem ait, nempe si reprehenderis, culpæ deformitati subderis. Et profecto culpa ad reatum trahit, reatui pœnæ subditus pœnæ servituti obnoxius erit, servituti obnoxius libertatem amittit. Ecce quæ evenit libertas episcopalis per hos gradus, quos diximus criminales! Sed ut reprehendi non possis, irreprehensibiles per omnia actus custodi. Post hæc addit: *Unius uxoris virum*. Si ad litteram respicias, bigamiam condemnat, ne secundos noverit concubitus, qui episcopatus gradum consequi desiderat. Si vero allegoricis sentiatur sensibus, inhibet episcopo duas habere uxores, id est, ne post catholicum dogma, sensum hæreticum sumat: sed Christianæ tantum sinceritatis sibi associet fidem, ut unius uxoris tantum, id est ecclesiæ vir, episcopus appelletur. Sequitur, *Sobrium*. Sobrium ait, hoc est non vino tantum, sed moribus parcum, ut ne vino amplius indulgeat, & mente sobrius gaudeat: qui si hoc non facit, episcopus non erit. Et adjungens sequentia ait: *Prudentem*. Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur, quod stultitia sit apud Deum: sed spiritualem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & verbo perita: ut sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba. Qui si talis non est, episco- A pus non est. Et denuo infert: *Ornatum*. Si ad superficiem tantum litteræ attendamus, non aliud sacerdotis, quam amictum quæramus clariorem, verbi gratia, castorinas quæremus aut sericas vestes: & ille inter episcopus se credet sanctiorem; qui indumentum [1] habuerit clariorem. Sed sanctus apostolus taliter se intelligi non vult, qui non carne episcopum, sed mente ornare desiderat, ut ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. Qui vero hæc non facit, episcopus non erit; & injusti infamiam incurrit, qui sanctum apostolum contemnit. Et post hæc addit: *Hospitalem*; ut humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentem hospitium, & egenum sine tecto in domum B inducat suam; nec solus consumat dona Christi, quod ei largita est bonitas Christi. *Docibilem*, id est, sic polleat sapientia, ut non solum creditum sibi populum sufficienter edoceat, sed & cunctarum queat hæresum contradictiones repellere: ne sua imperitia imperitos minime doceat, & hujusmodi eveniat quod scriptum est: *Cæcus cæco si ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt*. Qui vero talem se, ut diximus, ignorat; sacerdotium minime appetat, ne locum alterius adimat, qui fulgore suæ sapientiæ cunctos conlustrare poterat. Item ait: *Non vinolentum*; hoc est *non multo vino deditum*, ut sic potet episcopus, ut utrum biberit, ignoretur, ne post largam potationem muliebri delectetur C libidine, quia per vinum, sicut ait Apostolus, omnis enutritur luxuria. Qui si hæc non potest, episcopus esse non potest. Demum subsequitur dicens: *Non percussorem, sed modestum*; id est, manus improbas ad cædem non habeat, & suspicionibus pravis minime percutiat conscientias aliorum: ne dum petulans invenitur, ad cædem athleta magis quam episcopus judicetur. Sed e diverso illatas ab aliis patienter ferat injurias, ut mentis modestiam tranquillam monstret in firma patientia. Iterum dicit: *Non litigiosum*; id est, linguam ad convicium non relaxet, ut qui Dei laudes personat, & divina sacrificia libat, litium venena non proferat. Quia non potest ex sacerdotis ore benedici D Deus, & homo maledici, qui imaginem Dei noscitur possidere: nec mala sibi & bona ullatenus poterunt convenire. Qui si hæc non agit, episcopus non erit. Et subsequitur deinceps: *Non cupidum*; hoc est, ne lucri cupidine in aliquo episcopus superetur, & turpis lucri gratia delicti factus obnoxius, radicem malorum omnium enutriat avaritiam, qui stipendiis tantum contentus Ecclesiæ, penitus non ambiat quæ intelligit esse superflua: sed ea ipsa potius pauperibus Christi impertiens, cælorum sibi comparet regna. Et connectit deinceps consequentia, & ait: *Suæ domui bene præpositum*; *filios habentem subditos cum omni castitate*. Domui, inquit, suæ bene præesse, scilicet ut corporis sui domum E imperioso jure contineat; nec subdatur ipse a corpore, & in habenas luxuriæ infrenis nequaquam feratur & in præceps, ut suos possit filios castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam gubernare. Qui si hæc non egerit, episcopus dici non poterit. Deinde dicit: *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* hoc est nempe quod superius diximus, qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? & qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, ex cujus oculo festucam summovebit? Qui hoc non agit, episcopus non erit. Item sequitur, & ait: *Non neophytum*; hoc est,

a I. Tim, III, 1. seqq.

1. Leg. *vestem*,

qui nuper ad fidem ex gentilitate venit; aut ex A militia sæculi clericali officio est sociatus, non passim sacerdotii accipiat gradum, *ne elatus in superbiam & in laqueum incidat diaboli*. Quia quod longo tempore minime didicit, in parvo tempore servare minime poterit: sed lapsus & inscius judicium suscipiet, quod meruit suscipere superbiens diabolus. Et concludens regulam & episcopalem formam, ad extremum incidit, dicens: *Oportet illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*, id est hæreticis & schismaticis, qui extra sanctam Ecclesiam conventicula profana faciunt, apud quos tamen apostolus testimonium dicit habere bonum de immaculata & sancta vita episcopum, ... unde occasionem accipiant obtrectandi, B & infamare incipiant religionis sanctæ catholicum dogma. Qui talis esse non poterit, episcopus quomodo esse poterit?

VII. Ut reor, in hoc opere nos a grandi fœnore persensimus liberatos, cum nos non nostra contra episcopos, sed Apostoli opposuimus testimonia, ne velut nubes .... Cum vero auctoritas nobis per singula sancti adriserit Apostoli, Apostolum potius, si ausi sunt, quam nos reprehendere audeant.

VIII. Coartet nos licet ribelli prolixitas properare ad finem, sollicitudo tamen fraterni retardat C amoris, illorum præcipue sacerdotum, qui mentis torpore hebetati diffamant sacerdotalem honorem, & qui novam prodigaliter regulam hac tempestate reperisse deflentur: & Giezi leprosi & Simonis magi sectantes exemplum, gratiam Spiritus sancti coemerunt pretio, & distraxerunt, nequaquam timentes, cum honorem coemerint sacerdotii, a beato se Petro apostolo cum Simone fuisse damnatos: *Pecunia tecum sit in perditionem, qui donum sancti Spiritus sperasti te pretio possidere*: & lepram cum Giezi a sancto se suscepisse Helifeo, cum gradum item sacerdotii pretio æstimant distrahendum. Et sicut validioribus morbis capite vitiato reliquum necesse est corpus inundatione superioris mor- D bi letaliter irrigari: ita & isti qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage infauciatum possit evadere, quod negligentum sacerdotum vitiositatis non inficeret virus. Et videas in Ecclesia passim sacerdotes, quos non merita, sed pecunia provexerunt; nugacem & indoctum, sacerdotalem arripuisse gradum: quos si percunctari fideliter velis, quis eos præfecerit sacerdotes, respondent mox & dicunt: Ab archiepiscopo sum nuper ordinatus episcopus, centumque solidos dedi, ut episcopalem gradum mihi conferret: quos si minime dedissem, hodie episcopus non fuissem. Unde melius est mihi aurum de locello minuere, E quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatum accepi: quod tamen, si feliciter vivo, recepturum illico non diffido. Ordino presbyterum, & accipio aurum: facio diaconem, & accipio argenti multitudinem; & de aliis nihilo minus ordinibus singulis, & de abbatibus benedicendis & ecclesiis, pecuniæ quæstus profligare confido. Ecce aurum quod dedi, in meo locello inlibatum habeo.

IX. Respondeo ego: nempe hoc est quod de te doleo, quia archiepiscopus carnaliter te episcopum fecit. Pecuniam spiritualiter leprosum ordinavit: pecuniam dedisti, Dei gratiam comparare æstimasti, & per hoc lepram ipsam suscepisti. Item pecuniam accepisti, & Dei gratiam pretio distrahere non timuisti: simul etiam lepram tradidisti, & commercium miserabile in animarum exitio peregisti. Abbatem propter denarios super monachos ordinasti, & leprosum hominem in mortem monachorum exaltasti. Et nescii homines in ordinationibus clamant vestris: *Dignum & justum est*; & conscientia misera clamat: Indignus & injustus est. Pronuntiat talis episcopus, *Pax vobiscum*: & ipse interius pacem non habet secum. Oculis carnalibus videtur episcopus magnus: & divinis obtutibus leprosus est maximus. Per pecuniam indebitum ordinem adquisivit, & Deum in interiore homine perdidit. Caro dignitatem suscipit: & anima honestatem perdit. Caro ancilla, facta est domina: & anima domina, facta est famula. Hæc minor dominatur populis, & illa superior servit dæmoniis. Carni sacerdotium comparavit, & animæ detrimentum paravit. Et quid proderit hujusmodi homini, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Quod dedisti, cum ordinareris, aurum fuit: & quod perdidisti, anima fuit. Cum ordinares alium, quod accepisti, pecunia fuit: & quod dedisti, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia vestra, quæ egistis in pernicie vestra.

X. Interrogo tamen paullisper fratrem coepiscopum, quia episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic mihi, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Quid? inquit: Gratiam episcopalem. Et hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Cur? inquit: Ut reor, ab eo quod gratis datur, & ideo gratia vocitatur. Et si gratia gratis datur, non auro æstimatur, cur a te pecunia comparatur? Sed non mihi, ais, daretur, si nummis non emeretur: nec episcopus ordinaret, si minime pecuniam darem. Ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti; & si gratiam, frater, non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Si ad discipulos a Domino dicitur: *Gratis accepistis, gratis date*: cur gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere? Ut video, & aurum, cum dares, perdidisti; & sanctam gratiam minime adquisisti.

XI. Adhuc semel adjiciens, fratrem perquiro episcopum, ne quid nos de approbamentis veridicis prætermisisse videamur. Quis dat, frater episcope, gratiam episcopalem, Deus an homo? Sine dubio Deus, sed tamen per hominem. Homo imponit manum, & Deus largitur gratiam. Sacerdos Deo servit supplici dextra, Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O justitia! o æquitas! si homini pecunia datur, qui nihil in ordine plus operatur, nisi solum servitium quod ei conceditur; cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Justumne tibi videtur, ut servus honoretur; Deus injuriam patiatur, & injuste sacerdos accipiat pecuniam, & Deus patiatur ab homine injuriam? Sed quia pro concesso ordine Deus a te nihil exspectat, cur a te sacerdos pecuniam impudenter exspectat? Deus homini concedere voluit gratis: & episcopus rapax pecuniam ab homine expetit? Gratis ei Deus ut benignus donavit: sacerdos ut malignus eum captivavit? *Quid enim habes quod*

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 980.

non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

XII. Ecce ad quæ mala devolvitur deificus ordo! Ecce ad quæ sunt probra prolapsi, qui audire meruerunt a judice mundi: *Vos estis lux mundi!* Ecce quibus subjiciuntur gentes, quibus a Domino dictum est: *Vos estis sal terræ!* Si lux es Ecclesiæ a Domino constitutus, ut imperitiæ tenebras, prædicationis tuæ eloquio rutilante, conscientiarum tenebras illumines; cur ipse tenebris palpabilibus teneris obstrictus per supra memoratos excessus? Et non solum quia hæc agis, ipse digne peris; & insuper alios tecum indigne perdis. Salis etiam si meruisti possidere saporem, ut insipientium queas arva condire; cur infatuatus tali dedecore vitiorum, immundis te suibus conculcandum præbes, ut nec alios, nec teipsum post hæc condire possis? Oculorum etiam in corpore officium, id est in Ecclesia, voluptuarius appetisti, ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet: & nunc, quia lippitudine in caligine vitiorum obtenebratus, nec ipse lucem præbes, & aliis lucem adimis. De quibus oculis in evangelio dicitur: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: id est, si episcopus, qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitatis innocentia decoratur; omnis Ecclesia splendore radiabitur lucis. *Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit*: id est, si episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cetera faciunt membra, quibus lux ademta est oculorum? id est, quid sæcularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis, & actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem episcopus multitudinem provocaverit, ut nullum jam illicitum videatur, quod ab episcopo quasi licitum perpetratur? Sed ipsum credunt magis cuncti laudabile, quicquid episcopus habuerit delectabile: nec quisquam agere timeat, quod agere pontifex minime dubitat.

XIII. Nomen quo censeris, te ipsum arguit. Episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris: & quid aliud episcopus, quam Superinspector exponitur? Cum in Ecclesiæ solio editiore cunctos merito respicis, & cunctorum in te respiciunt oculi, ut *des illis escam in tempore opportuno*: cur velut tetrum te speculum universorum obtutibus monstras, ne possint obscuritate sua te exornare?

XIV. Sufficiat huc usque nostris consacerdotibus paullulum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum monstravimus: ne confidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum; & non crederent se sacerdotes, si nomine tantum & non opere vocarentur. Et quamquam sciam in hac discretione plurimos mihi sacerdotes, qui hæc amplecti negligunt, infideliter detracturos; credo tamen pluriores qui hæc obnituntur assequi, fideliter oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum minime prægravamur: sic probatorum virorum orationibus adjuvamur. Age jam nunc, sanctificatus Spiritus, qui nos in hoc opere divinis inspirationibus adjuvasti, sacerdotes cunctos adjuves, ut faciant quæ in hoc opusculo ipse jussisti: ut eis merito tribuas cælorum regna quæ promisisti, qui cum Patre & Filio unigenito in trinitate & unitate vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sæcul. X.
circa
Ann. Chr.
1000.

APOLOGETICUS
ABBONIS ABBATIS
AD
HUGONEM ET RODBERTUM
REGES FRANCORUM.

I. SÆpe contingit, ut dum nimius insurgentium calamitatum horror mentem fatigat, ipso horrore non ea quæ dicere debuerat, turbatus animus expediat, sed phantasmate cogitationum aliorsum raptus, quæ tacenda erant dicat, ac quod est consequens, quæ dicenda, taceat. Semper enim summæ tranquillitatis quietem diligit, qui veritatis arcanum ratiocinando disponere gestit: quapropter ab ipsis disciplinarum rudimentis, *sicut cervus desiderat ad fontes aquarum*, *ita desideravit anima mea* laboriosum spiritalis philosophiæ otium, quod ad multorum utilitatem verterem in honestum negotium, sed meis peccatis præpedientibus, eo relicto, quodammodo ad sæculi sollicitudinem sum reductus, qui sub cura pastoralis regiminis quotidie sustentor aqua angustiæ & pane tribulationis. Corrodit me canino dente æmulorum supplantatrix calliditas, circumlatrat adversariorum frequens acerbitas, nec aliud contra me immurmurant, nisi quod monachorum senatum salvum esse volui, nostræ reipublicæ augmentum quæsivi, ac cavillationi insidiantium auctoritate qua valui contradixi, nec *abscondi omnino misericordiam & veritatem a consilio multo*. Pro hujusmodi malis meo insidiantur sanguini, me succenturiatis insequuntur odiis: adeo ut nec regia majestas eos deterreat, quin me clanculo trucident, si eis locus tempusve arrideat. Unde sedulus in orationibus meis Deum deprecor, ut *judicet & discernat caussam meam* solito, *eripiatque ab homine iniquo & doloso*; & si coram dominis meis episcopis quos catholica fide orthodoxos didici, locum defendendi accipiam, credo me innoxium futurum a crimine, si jurgiorum originem examinaverint absque personarum acceptione.

II. Quis enim suo præjudicio ad id deveniet, ut aliqua qualiscumque monasterii possessiuncula abalienari debeat? Quis rerum extortor legumque contortor funiculos ecclesiasticæ hereditatis miscendo confundere præsumat, cum scriptum sit, *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui?* Ecce secundum regulas sanctorum patrum judicio episcoporum subditus audientiam non diffugio villicationis meæ rationem redditurus, tantum fide accepta, ut non ab insidiantibus interceptus aliquid patiar, qui paratus sum mori, si aliquando digna morte commisi; & primum de fide mea discutiendum exopto, sine qua salvus esse non potero, ut mea examinatione alii proficiant, vel mea obrestatione se in hæresim cecidisse cognoscant, a qua conentur quantocius erui: ne in ea usque ad mortem manendo fiant stipula diaboli. Nam quicumque de Deo, de religione, de communi statu sanctæ Ecclesiæ aliter credit, quam Christus docuit, aut sub sanctis apostolis catholica Ecclesia tenuit, suisque successoribus tenendum tradidit, non catholicus vel fidelis, sed plane hæreticus exsistit. Siquidem omnes hæreses ita persecuti sunt patres nostri, ut primitus, fide exposita, explorarent in suis conciliis, ne quis sentiret aliquid contrarium ipsis apostolis, qui repertus absque ulla dilatione, aut ad corpus totius Ecclesiæ est reductus, aut usque ad erroris abrenunciationem perculsus anathemate, catholica privatus est communione: nec magis serpentem tangere vitaverunt orthodoxi, quam adhærere hujusmodi lepra contaminatis. Unde in canonibus prohibemur, si nos catholicos esse scimus, ne cum eis saltem oremus. Nam sub Marciano principe apud Calcedoniam XV. & eo amplius dierum actio de hac re ventilata est, residentibus episcopis ducentis, & ut quibusdam placet mille ducentis, quibus omnibus pius princeps ex suarum rerum copia sumtus abundanter præbuit, quoad omnes hæreticos a se repellerent, id est eos qui in verbo vel opere aliter quam sancti apostoli sensissent. Quo facto in tantum puritas fidei pio placuit principi, ut eam ipse cum sua conjuge sub chirographo hoc publice profiteretur coram illo magno concilio, cujus piam religionem imitamini domini nostri Hugo & Rodberte clarissimi reges, si in terra viventium Christi vultis esse heredes & cohederes: & de regno vestro omnem hæreticam pravitatem depellite, ut Deus vos custodiat in æterna pace. Sciendum quippe est quod sacerdos quotidie inter missarum solemnia non pro hæreticis vel schismaticis, sed pro orthodoxis tantum atque *catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus* Deo supplicans intercedit: a qua nimirum supplicatione alienus exsistit, qui in verbo vel opere se ab eorum unanimitate superbiendo dividit. Qui vero se peccatis obnoxium vel fide dubium humiliter confitetur, portandus & corrigendus est, non ut extraneus, sed ut frater: quia nec dum partem suam posuit cum hypocritis, præsertim cum & Petrus princeps ecclesiæ Deum negaverit, & Thomas in fide dubitaverit. Siquidem ex utroque sexu fidelium tres ordines, ac si tres gradus in sancta & universali Ecclesia esse novimus: quorum licet nullus sine peccato sit, tamen primus est bonus; secundus melior, tertius est optimus. Et primus quidem ordo est in utroque sexu conjugatorum; secundus continentium, vel viduarum; tertius virginum vel sanctimonialium. Virorum tantum similiter tres sunt gradus vel ordines, quorum primus est laicorum, secundus clericorum, tertius monachorum. Sed quoniam horum graduum differentias proposui, & alium alio meliorem seu sanctiorem dicere ratum duxi, qualiter singuli in suo proposito exspectant præmium æternæ retributionis, vel qualiter sanctorum patrum authoritate de suo gradu in alterum promoveri possint, breviter expedendum credidi.

III. Et conjugii quidem ratio sola indulgentia permittitur, ne fragilitate carnis in deterius ætas

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.

proclivior delabatur. Nulli enim conjugium interdicitur, nisi ei qui ob promerenda supernæ patriæ gaudia sponte sua delegit jugem continentiam, quam & si minus exhibuit, devotatione secretius irrita, secretiori facinus delendum est pœnitentia. Ita tamen ut in eo gradu permaneat, in quo malum se perpetrasse deplorat; sin vero more sacerdotum testamenti veteris hanc sibi deffendere voluerit, proprio gradu decidens, fletibus culpam diluit. Ecce ratio: si inter eos sit, quibus licet, nulla pœna mulctatur, sed etiam digna præmio habetur, eo quod obediendo, castitate contenta sit, quam Apostolus docuit; propterea autem adjectum est si inter eos sit quibus licitum est, quia sunt in utroque sexu, qui se voto obligant, ut si virgines sunt in virginitate permaneant; & si virgines non sunt, spreta carnis copula in cœlibatu perpetualiter vivant. Est etiam cognatio vel propinquitas generis, a cujus carnali commixtione prohibentur omnes, qui sunt sub catholica fide. Porro inter eos qui se voto obligant, vel inter eos qui nec dum transierunt septimam generis lineam detestabile connubium; ita sub pœnitentiæ remedio solvendum est illico, sicut illud quod pœnitentia non indiget, quia ex autoritate licet, numquam solvendum est, nisi aut alterius conjugum morte, aut utriusque cœlibatus professione.

IV. Hinc transitur ad continentium vel viduarum excellentiorem ordinem, in quo secundum apostolum si permanserint, tanto majorem æternæ remunerationis merebuntur coronam, quanto de experta carnis voluptate graviorem sustinent pœnam. His quoque per discretionem secundas nuptias indulsit, dicens quod melius esset *nubere, quam uri*. De tertiis vero vel quartis, nec non & pluribus nuptiis non me legisse memini, utrum a catholicis debeant celebrari: sed hoc absque ullo scrupulo occurrit; quod si hoc facinus grave est in fœminis, multo gravius est si contingat in viris.

V. Virginum quanta sit gloria, nullus ignorat. Quis scit hoc appetere hominem ex gratiæ prærogativa, quod habet angelus ex natura? Quæ virtus virginitatis cum in humilitate solidatur, singularis meriti recompensatione donabitur, quia Deus repromittit virginibus quod *sequantur agnum quocumque ierit;* hac virtute sanctimonialium decoratur venerabile collegium, hanc se gaudent multi per omnes viriles ordines promeruisse in gremio suæ matris Ecclesiæ.

VI. Sed his posthabitis primo de virorum ordine, id est de laicis dicendum est, quod alii sunt agricolæ, alii agonistæ. Et agricolæ quidem insudant agriculturæ, & diversis artibus in opere rustico, unde sustentatur totius Ecclesiæ multitudo. Agonistæ vero contenti stipendiis militiæ, non se cullidunt in utero matris suæ, verum omni sagacitate expugnant adversarios sanctæ Dei Ecclesiæ.

VII. Sequitur clericorum ordo, qui in tribus gradibus specialiter distinguitur, hoc est, Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum. Nam omnes qui sunt inferioris gradus per abusionem clerici vocantur, dum eis sicut & laicis ex indulgentia permittitur sociari conjugibus. Constat sane ab apostolis & eorum successoribus esse prohibitum clericos, id est Diaconos, Presbyteros & Episcopos esse uxorios. Κλῆρος etenim græce, latine dicitur sors, unde clerici ad sacrificandum vel ad ministrandum

A in sortem Dei adsciti studeant non carnaliter, sed spiritualiter filios gignere, ut semper sint memores sortis sanctorum in lumine, nam ipsi quotidiana sollicitudine omnium ecclesiarum suscepta, in activa vita laborant cum Martha quæ *turbatur erga plurima*. *Porro illud unum quod est necessarium* in contemplativa vita, adepti monachi, cum Maria tanto magis delectantur *pedes Jesu lacrymis rigare & capillis tergere*, quanto remotiores sunt ab omnium negotiorum sæculi inquietudine. Siquidem clericorum ordo inter laicos & monachos medius, quantum est superior inferiore, tantum inferior superiore, quandoquidem quo discrepat ab utroque

B ordinum jungitur ad alterutrum. Illi namque sunt conjugibus colligati, rei familiaris curæ dediti, sæculi actibus occupati: isti a sæculi actibus alieni propriæ voluntati abrenunciando, patris spiritualis imperiis obsequendo, qui & eleemosyna bonorum virorum & labore manuum suarum vivunt, & possunt dicere cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Denique clericorum vita irreprehensibilis, speculum est totius Ecclesiæ, sicut monachorum habitus & professio firma, exemplum est totius summæ pœnitentiæ. Et quamvis clerici reprehensione digni, ne tractent sancta profani, degradentur certis ex caussis; monachi tamen nisi caussa superbiæ numquam privantur ex toto fratrum

C suorum communione, cum & criminosos laicos vel clericos suscipiant, & se in crimine deprehensos regulari disciplina corripiant. Denique ex monachis presbyter ordinatus, vel ex clerico monachus factus, sciat se non clericorum more ecclesiasticis officiis deservire, sed Gregoriani privilegii institutione missas celebret in congregatione. Verum quia de singulis Ordinibus quæ videbantur, dicta sunt, qualiter alterius in alterum promotio fiat, tacendum non est.

VIII. Promoventur namque ex laicis vel clericis ad monachatum, promoventur ex laicis vel monachis ad clericatum: quod quando, vel quomodo

D fieri debeat sanctorum patrum authoritas liquido manifestat, quam qui secuti non sunt extra ecclesiam Catholicam a fide aberraverunt. Quamobrem in canone dum orant pro *orthodoxis, atque catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus*, cavendum illis summopere est, quod papa Gregorius in suo symbolo refert; *Una est*, inquiens, *fides, unum baptisma, una ecclesia catholica, in qua sola possint relaxari peccata*. Si enim extra eam remissio peccatorum non est, hæreticus vel schismaticus ut quid jejunat? ut quid decimas dat? ut quid Deum supplex adorat? *Nam sicut fuit multitudinis credentium unum cor & anima una*, ita per totum or-

E bem terrarum eorum omnium, qui secundum doctrinam apostolorum unum in Deo sapiant, una est ecclesia, quæ de græco in latinum convocatio interpretatur; quia ad unam fidem & ad unum baptisma omnes vocamur. Quapropter unaquæque domus ubi erecto altari populus ad Deum supplicandum convenit, dum habeat nomen ecclesiæ, veneratione & summo honore digna est in omni gente, quoniam in ea renascimur ex aqua & Spiritu sancto, in ea divina celebrantur mysteria, in ea fit confessio & remissio peccatorum. Caveat igitur quicumque vult salvus esse eam alicujus, nisi solius Dei possessionem credere. Unde Petro apostolorum principi dicitur: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*. Meam, inquit, non tuam; & Christus alibi: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Psalmista quoque: [a] *Domum tuam, Domine,*

[a] Psalm. XCII. 5.



decet sanctitudo. Si ergo ecclesia non est Petri, cujus erit? aut successores Petri audebunt potestatem sibi vindicare, quam non habuit Petrus princeps ecclesiæ?

IX. Certe carissimi principes, nec catholice vivimus, nec catholice loquimur; quando ego illam ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam, ac veluti quædam jumenta comparati jumentis insipientibus utrasque aliquando venales proponimus, propositasque ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo fertur altare esse episcopi, & ecclesia alterius cujuslibet domini; cum domo consecrata & altari unum quidquidam fiat quod dicitur ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore & anima. Videte, æquissimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit caritas; ex dono omnipotentis Dei quæ gratis accipiuntur, mercatores efficimur, & vendere conamur, quod profecto non possidemus. Nihil enim pene ad ecclesiam, quæ est solius Dei, pertinere videtur, quod ad pretium non largiatur, scilicet episcopatus, presbyteratus, diaconatus, & reliqui minores gradus, archidiaconatus quoque, decania, præpositura, thesauri custodia, baptisterium, sepultura, & si qua sunt similia. Et hujusmodi negotiatores subdola responsione solent astruere, non se emere benedictionem, qua percipitur gratia Spiritus sancti, sed res ecclesiarum, vel possessiones episcopi, cum certum sit quod in catholica ecclesia alterum altero carere non possit. An aliquis usus est igne sine ea qua nutritur fomenti materia? aut ignem aliquando tenuit, & calore caruit? quis mel sine dulcedine? quis absinthium sine amaritudine deprehendit? Attamen eamdem aquam diverso tenore dulcem & amaram est inveniri possibile, quod quia ex contingenti fit, aliquando nostram opinionem fallit, & quæ creditur dulcis amara exsistat. Sic quoque talis negotiatio bona æstimatur, cum pro certo mala sit, quia turpis lucri gratia contingit: de qua re adeo consuetudo inolevit, ut hoc jam credatur sine peccato fieri. Verum Spiritus sanctus per os beati papæ Gregorii dicit: [1] *Quia benedictio illi in maledictionem vertitur qui ad hoc, ut fiat hæreticus promovetur: a qua maledictione nullus extraneus habetur, qui lucri cupiditate se ministerium ecclesiasticum invasisse lætatur:*


X. Unde vero processerit usus, ut laici vendant episcopatus, satis demiror, cum beatus Ambrosius in sermone pastorali flendo, potius quam ridendo post multa subjungat. [2] *Videas*, inquiens, *in ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordines provexerunt: nugacem populum & indoctum, qui talem sibi adsciverunt sacerdotem, quos si percontari fideliter velis, quis eos præfecerit sacerdotes? Respondebunt mox, & dicent: Ab archiepiscopo sum nuper ordinatus, centumque ei solidos dedi, ut episcopalem gratiam consequi meruissem: quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem: unde melius mihi est aurum de sacello invehere, quam tantum sacerdotium perdere; aurum dedi, & episcopatum comparavi: quos tamen solidos, si vivo, recepturum illico non diffido; ordino presbyteros, consecro diaconos, & accipio aurum: nam & de aliis ordinibus nihilominus pecuniæ quæstum profligare confido. Ecce aurum quod dedi in meo saccello recepi, & episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est, quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit: nam propter pecunias specialiter leprosum ordinavit;*

A *pecunia*, inquit, *tecum sit in perditionem, quia donum sancti Spiritus gratiæ pretio comparasti, & commercium mirabile in animarum exitium peregisti.* Hæc sanctus vir, quo animo dixerit ex præcedentibus & consequentibus facile datur intelligi. Quod vero illi qui dicuntur Simoniaci laicos suæ immiscuerunt maledictioni, exemplo factum est sacerdotum, qui ad ministerium Dominicæ passionis adjunxerunt sibi Pilatum & Herodem principes suæ gentis. Nec illud nos latet, quod pro hujuscemodi episcopis, qui non pro vitæ merito, vel sapientiæ doctrina, sed magis eliguntur pro pecuniarum summa maxima, discordiarum semen & detrimentum regno accrescat, teste Gregorio in epistola ad Theo-
B debertum & Theodericum reges scripta: [3] *Fertur*, inquit *Simoniaca hæresis, quæ prima contra ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, & in ipso ortu suo telo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita.* Et post pauca: *Hinc non solum in ordinatoris & ordinati animam letale vulnus infigitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum episcoporum culpa, quorum intercessionibus juvari debuerat, prægravatur.* Ac deinde; *Major ergo metuenda est locis illis forte calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. Nec*
C *hoc quoque malum solicitudo nostra patitur negligenter committere, quod quidam instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu sacerdotii honorem arripiunt, & quod dicere pudet & grave tacere est, regendi rectores, & qui docendi sunt doctores nec erubescant videri nec metuant.* Huc usque sanctus Gregorius. Cumque hujusmodi prælati avaritiæ intenti ecclesias funditus dirui sinant, mores subjectorum suo exemplo perdant, quos corrigere debuerant, restat ut defensores ecclesiarum ac fundatores earum heredesque fundatorum se subtrahant eorum communioni, ne participes sint maledictionis.

XI. Verumtamen si catholica sit pontificalis su-
D blimitas & regalis majestas, æqua lance pensat utriusque auctoritas, ut prosint Ecclesiæ quam Christus redemit suo sanguine. Nam illius sublimitas legem Domini spiritualiter populis pronunciat, quam istius majestas, si necesse sit, armorum defensione commendat. Quapropter cavendum est, ne ab invicem resiliant, quorum adinvicem ministeria concordant. Sed concordia eorum in diversis officiis tanto sibi consulit, quanto unanimiter consulendo de communi utilitate sentit. Ob hoc antiquorum conciliorum paginis præfiguntur nomina imperatorum vel consulum, quorum favore magnorum habita sunt consulta episcoporum, qui semper prius diligenter discusserunt de fidei puritate, quos conci-
E lio dignos reperirent ex ordine. Quamobrem, piissimi, more prædecessorum vestrorum regum illis assensum præbete conciliis, quibus per reconciliationem res publica melioratur & crescit; quia si quocumque conciliabulo alterius prædia vel possessiuncculas alter privatis negotiis velit sibi adscribere, ac ideo fratris damno, pecuniam per arcas & loculos aggregando, sitim suæ avaritiæ exstinguere, non observata tricennali lege, quæ emanavit ex constitutione principum, seu authoritate canonum; sciatis proculdubio quod ad vos hoc malum respicit, qui idcirco regni apicem tenetis, ut justum judicium omnibus faciatis. Pro vobis nimirum dominis no-

1. Lib. VII. epist. 3. 2. Lib. de dignitate sacerdotali, cap. 5. Vide supra pag. 135. n. VIII. 3. Lib. VII. epist. 115.

SÆCUL. X, CIRCA ANN. CHR. 1000.



ſtris unuſquiſque ſubjectorum ad Deum clamat & dicit: *Deus, judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis: judicare populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio*. Quorum verſuum ſenſus quamvis referri poſſit ad Deum patrem omnium filiumque ejus unigenitum, tamen nihil obeſt intelligi de terreno rege precari, ut judicet populum non ſuo, ſed Dei judicio; cui rationem rediturus eſt, etiam de otioſo verbo.

XII. Nec me veſtro aliorumque ſapientium examini ſubduco: qui contra canones ſenſiſſe ſuſpicor, in epiſcopos monachorum manum moviſſe accuſor, veſtram benevolentiam proprio epiſcopo abſtuliſſe blaſphemor, quibuſdam excommunicatis participaſſe criminor. Sed eſto, cui ſententiæ canonum contradixi, qui nullo concilio vix apertum librum videre potui? aut quod concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt & diſconciliati receſſerunt, cum ibi diſcordes reconciliari debuerint, aut canonica diſtrictione mulctari? Quid in me ſingulariter commiſerunt epiſcopi, ut eis ſaltem cogitatione obeſſe voluerim; præſertim cum non inimicum, ſed fide & opere amiciſſimum graviora pericula pertuliſſe contigerit? Ecce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequentium conclamatione, ultra quam dici poſſit indolui, recordatus priſtinæ amicitiæ & beneficiorum tanti viri, cujus nix capitis reverendum oſtendit, excepta primatis prerogativa & ſacerdotali infula. Qua ſuggeſtione vos decepi, ut veſtram benevolentiam optimis auferretis, male meritis conferretis? Num ego Deus ſum qui mutat mentes, mutat regna & tempora? Vere fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didiciſſe: unde ille qui de hac re contra me queritur, neminem præter vos incuſare videtur, qui relicto tramite æquitatis, beneficiorum ejus viciſſitudinem rependere neglexiſtis. Aut fortaſſe regiæ majeſtatis autoritatem contemno. Quantulumcumque vos exacerbavit, exacerbando irritavit, irritando offendit, offendendo placare diſtulit, & pro talibus beneficiis miratur ſibi impendi munuſcula juſtæ recompenſationis, nec ſibi imputat quod promeruit, ſed crimen transferre nititur in perniciem inſontis; ſi enim nihil vos nocuiſſe putavit, dum noſtra tulit, profecto nec dominos noſtrarum rerum eſſe, nec defenſores credidit; ſi autem credidit, vos mecum læſit, nec ſe læſiſſe ignoravit. Cur igitur me declamatorie accuſat? cur mihi ſoli imputat quod illum gravat? An ſcire potero, quotiens legatos miſi, quotiens de pace rogavi, quotiens me ſupplicem obtuli? teſtis mihi eſt Deus, quod ſalvo jure noſtri monaſterii ad omnia quæ regulariter injunxiſſet obtemperare paratus fui, & ſi aliquid mali commerui, manente rerum copia inconcuſſa, epiſcoporum juſta jaculetur in me ſententia: quia ipſe ſolus ut debuerat, numquam juſto amplius, niſi clandeſtina exſecutione, in me deſæviet. Novi enim quam auſterus in Letaldo Miciacenſi monacho fuerit, quem oblitus reverentiæ ſacerdotalis injurioſe & ſine ullis legibus tractavit. Qui ſi epiſtolam Gregorii ad Lupum abbatem legiſſet, profecto numquam tantum facinus perpetraſſet: *Quoniam multæ*, inquit, *occaſiones in deceptatione religioſarum perſonarum a pravis illic, ut dicitur hominibus exquiruntur, presbyterum prædictæ eccleſiæ nullomodo privandum, deponendumque cenſemus, niſi cauſſa ſpecialiter criminis exigente. Unde neceſſe eſt, ut ſi qua contra eum hujuſmodi querela ſurrexerit, non ſolus epiſcopus civitatis cauſſam examinet, ſed adbibitis ſibi coepiſcopis ſuis ſubtili inveſtigatione perquirat, quatenus cunctis concorditer judicantibus, canonica di-*

A *ſtrictionis cenſura aut reum ferire, aut innocentem poſſit abſolvere.*

XIII. Denique quod excommunicatis me miſcuiſſe aſſerit, ejus exemplo utique feci, qui filios Belial nocturno latrocinio in meam necem graſſantes recepit, poſtquam eos anathematizaverat ſuus archiepiſcopus ſingularis meriti Siguinus, & Odo Carnotenſium epiſcopus, nec non & alii magnæ vitæ & religioſi viri. Hoc ſane palam omnibus, ſicut magnæ auctoritatis eſt, aſſeruit quod nemo poſſit eum excommunicare, qui emendationi & ſatisfactioni intendit, præſertim cum uſque ad ſatisfactionem congruam ſuam ipſe & alii epiſcopi prætendant male-
B dictionis ſententiam. Porro qui vel quot intereſſe debeant reorum obligationi, qui vel quot eorum abſolutioni, nuſquam me legiſſe memini, niſi in degradatione ſacerdotis. Tantum evangelicus ſermo prodit: *Quod ſi peccaverit in te frater tuus, corrige eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum; ſi te non audierit, dic Eccleſiæ; quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. Ecce divinæ miſerationis regula, qua jubemur reorum alios audientes pia correctione ſecretius arguere, alios non audientes publica invectione objurgare uſque ad aures eccleſiæ. Sed numquid publica invectio ſecretam indulgentiam ſuſtulit, aut ſecreta invectio publicam indulgentiam
C ademit? An publica invectio publicam indulgentiam, & ſecreta invectio ſecretam indulgentiam requirit? Porro qui offert munus ſuum ad altare, non ibi reconciliabitur mihi pro ſcelere, quia proditus eſt eccleſiæ? O tempora! o mores! Certe qui volunt exſequi in fabrateria mendacii cupiditates ſuas pravas, ipſi nituntur condere leges novas. Sed Apoſtolus nobis conſulens eis occurrit. *Si quis vobis*, inquiens, *aliud annuntiaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Quod anathema quantum cavendum ſit, liber Judicum oſtendit, ubi legitur, *anathema in medio tui eſt, Iſrael: non poteris ſtare coram inimicis tuis*. Nam quod leviter excommunicandum non ſit, & quod membrum Chriſti a cor-
D pore cum gravi dolore reſecandum ſit, manifeſtatur in concilio Africano, caput eſt: *Quamdiu*, inquit, *excommunicato non communicaverit ſuus epiſcopus, eidem epiſcopo ab aliis non communicetur epiſcopis, ut magis caveat epiſcopus ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non poteſt*. Siquidem quidquid in eccleſia fit, niſi auctoritate patrum fulciatur, ſimulatio, non veritas judicatur; & ſcimus ſi qua ſimulatores & callidi provocant iram Dei, an presbyter vel epiſcopus habebitur, qui contra auctoritatem canonum ordinatur? Aut ſine autentica degradatione presbyter vel epiſcopus ceſſabit ab officii ſui munere?

E XIV. Numquid credemus excommunicatum, quem non remordet conſcientia criminis, pro quo debeat communione privari? Tunc enim juſta eſt excommunicatio paſtoris, quando canonica vocatio in reum præceſſit, & ille reatum ſuum ſub judicio eccleſiæ corrigere noluit, eoque modo elatione tumidum a ſanis ovibus ſegregat, quem divino judicio ſegregandum non ignorat; & quia in ſuum paſtorem excommunicatus peccaverat, eum alter abſolvere nec debuit nec potuit. Porro quicumque fratri meo in me peccanti excommunicationem intorſerit, non ille ei peccatum dimittit, ſed ego in quem peccavit: a quo excommunicationis malo regnum veſtrum purgate, ſereniſſimi principes, quia vix eſt in eo aliquis hominum, qui ſaltem idcirco excommunicatus non ſit, quoniam in convivio vel

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



pacis osculo excommunicato adhæsit. Præterea dominos meos cum familiariter alloquens bona suadeo, multorum animos scio contra me concito, juxta illud Comici, [1] *obsequium amicos, veritas odium parit.* De quorum animositate non multum moveor; [2] *dulce decus meum*, Rodberte, quem *atavis regibus editum* divina pietas perduxit ad regni fastigium, si post Deum & sanctos ejus vestro specialiter sustenter auxilio & consilio, cujus mentionem in quotidianis orationibus meis numquam prætereo. Tandem capitulatim subtexam huic indiculo quæ maxime sunt corrigenda in vestro imperio, nec tamen hæc verbis meis sed autenticis sanctorum dictis, ut postmodum episcopos moneatis, hæc canonice emendare in suis conciliis.

XV. Primitus de fide discendum credidi, quam alternantibus choris, & in Francia & apud Anglorum ecclesiam variari audivi. Alii dicunt, ut arbitror, secundum Athanasium, *Spiritus sanctus a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens:* alii vero tantum, *Spiritus sanctus a Patre & Filio non factus nec creatus, sed procedens*, qui dum id quod est, nec genitus subtrahunt, synodicam domni Gregorii se sequi credunt, ubi A ita est scriptum: *Spiritus sanctus nec genitus est, nec ingenitus, sed procedens.* De fine quoque mundi coram populo sermonem in ecclesia Parisiorum adolescentulus audivi, quod statim finito mille annorum numero Antichristus adveniret, & non longo post tempore universale judicium succederet: cui prædicationi ex Evangeliis ac Apocalypsi & libro Danielis qua potui virtute restiti. Denique & errorem, qui de fine mundi inolevit abbas meus beatæ memoriæ Richardus sagaci animo propulit, postquam litteras a Lotharienfibus accepit, quibus me respondere jussit. Nam fama pene totum mundum impleverat, quod quando Annunciatio Dominica in Parasceve contigisset absque ullo scrupulo finis B sæculi esset. De initio etiam Adventus qui ante nativitatem Domini per singulos annos agitur, aliquando error gravissimus exstitit, aliis inchoantibus post v. Kalend. Decembris, alii ante, cum numquam plus quatuor hebdomadas, saltem unam diem Adventus habeat; cumque de hujusmodi diversitate soleant contentiones in ecclesia crescere, consilio determinandum est, ut omnes qui in ea vivimus unum sapiamus, quod vestra industria concedat, qui nos unanimes vult habere in domo sua.

1. Terentius in Andria, Scen. I. Act. I. ℣. 1.

2. Horat. Lib. I. Od. 1.

Explicit Apologeticus Abbonis Abbatis Floriacensis ad Hugonem & Rodbertum reges.



EPISTOLÆ ABBONIS ABBATIS.

I. *Abbo Gregorio V. summo pontifici.*

DOmino semper in Christo venerabili Gregorio sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis præsuli, ac ideo universalis ecclesiæ doctori, Suus illius Abbo Floriacensium rector, salutem in Christo. Sæpius contingit ut puritas integræ veritatis sententia vacillet malefidi interpretis: quod ego, venerabilis pater, cavens, vestri animi sensa fideliter simpliciterque, ut præcepistis, depromsi, nec animositatem regis perhorrui, dum fidem quam vobis promiseram ex asse servavi: quandoquidem nihil addidi, nihil minui, nihil mutavi, nihil reliqui. Horum omnium ipse Arnulphus Remensis archiepiscopus a custodia liberatus & absolutus, testis est. Cui vestrum pallium eo tempore obtuli, quo illico acceperam ex sanctis manibus vestris. Testis etiam dominus meus Rodbertus Francorum rex inclitus, vocatur utique spiritualis in Christo filius qui vobis parere decrevit, ac si beato Petro apostolorum principi, cujus vices in terris nunc geritis. Porro unum vestræ majestati persuadeo, quo prædictum archiepiscopum doceatis, qualiter cum suis clericis conversari debeat, qualiter filios suæ ecclesiæ a pristinis erroribus abstrahat, & prædia seu possessiones quas sancta Maria perdidit restituat. Nam sicut ait quidam sæcularium, [1] *quicquid delirant reges plectuntur Achivi*. Ita Remensi ecclesiæ accidit, ut in rebus sanctæ Mariæ vindicatum sit, quicquid Arnulphus & Gerbertus commiserunt mali; & quia utrumque ut amicum & colo & colui, si qua in eis reprehensione digna comperi, quamvis eis displiceret non tacui. Nihil tamen ab his factum reprehensibilius didici, quam quod nobilissimam omnium Gallicanarum ecclesiarum inopem, abjectam, vilem & desolatam suo litigio reddiderunt. Eidem vestra irrefragabili auctoritate succurrite, & eam ad illum pristinum statum reducite quo beatæ memoriæ Adalberonem constat reliquisse. Ceterum suggero vestræ sanctitati, ut eorum recordemini quæ per me vobis comes Fulco mandavit, malle se scilicet vetera monasteria diruta restaurare, quam nova a fundamentis condere. Quod quam frivolum sit & omnino vacuum, vicinum nobis sancti Petri monasterium, quod dicitur Ferrarias, indicat, priscis temporibus regia munificentia magnificentissimum & Romanæ ecclesiæ membrum, nunc vero suorum vassallorum beneficio ita corrosum, ut vix aliquid remanserit ad stipendia paucorum fratrum. Hæc & alia rogant violentorum lacrymæ: his consolationis manum porrigite, quam *Dominus de cælo prospexit, ut solveret gemitum compeditorum*, quando vos fecit caput omnium nostrorum. Tandem quid & ipse patiar, innotescat. Est quidam Quaz nepos Wal comitis de castro Nantonis qui devastat possessiones nostri monasterii, de quo precor ut cum ipso Wal, qui nunc Romæ est, loquamini, minando contra ejus nepotem virgam excommunicationis nisi resipuerit, si inveni gratiam in oculis vestris, nam liberalitatis vestræ memor, ut servus domino gratias refero, qui inter missarum solemnia vestro munere plane usus, vestri nullo modo oblivisci valeo in meis orationibus. Ceterum A vobis semper decrevi parere cujus apostolatum Deus custodiat in æterna pace. Valete.

1. Horat. Lib. I. epist. 2.

II. *Gregorius V. P. P. Abboni.*

DOmino specialiter venerabili Abboni abbati, servus servorum Dei salutem in Christo. Quia litterarum vestrarum portitor festinabat quantocius redire, vix vespertinalis synaxeos spatio ut remoraretur valui impetrare; unde breviloquio usus, vestræ semper erga me novæ benevolentiæ gratias refero, petens, sicut mandastis, ut nobis fratrem R. in præsentiarum dirigatis, qui nobis de vestra prosperitate, de regis promissione, de Cantuariorum B archiepiscopi incolumitate renunciet: unum deprecans ut ex vestris missalibus libris optimum transmittatis, quatenus quotiescumque inter missarum solemnia videro, specialis amici memor sim, numquam ingratus vestro beneficio. Valete.

III. *Abbo Gregorio V. summo pontifici.*

DOmino semper venerabili sanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ Præsuli Gregorio suus ille Floriacensium rector Abbo. Multi se importunos ingerunt, qui me aliquid posse apud vestram clementiam suspicantur, genutenus implorantes pro suis peccatis opem intercessionis; quorum opinio C nem adeo veram credidi, ut eorum declamatoriam orationem vestris auribus dispensatorie allegarem, arbitratus vestræ ecclesiæ utilem fore, quam omnes expetunt, qui in Christo pie volunt vivere. Quorumdam vero qui se se magni faciunt preces abhorrui, ne forte ad iracundiam irritem, quam eis placare debueram, si improbus seu etiam importunus intercessor accedam: siquidem Moyses ad aquas contradictionis dum rebelli populo prodesse voluit, sententiam divinæ animadversionis vir mitissimus super omnes homines, excepit. Unde mihi amicorumque necessitati consului, qui ante præsentiam vestræ majestatis, in quantum potui, nec tacenda dixi, nec dicenda reticui. Quare vestra benevolen D tia usus experimento didici quod vester animus compatiatur miserorum infortuniis, afflictorum calamitati, lapsibus humanæ fragilitatis; dum enim vobiscum conferendo loquerer de passionibus animæ, quid aliud reperi, nisi moralitatem Gregorianæ facundiæ, & severitatem paternæ indulgentiæ? Quibus illectus Floriacum lætus redii, & omnibus ad quos meus sermo pervenire potuit, plenam sanctitatis & reverentiæ vestram conversationem innotui; sicque mihi contigit, ut *reginæ Austri, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis*, reversaque in terram suam regem ac servos ejus beatificavit; quamvis sane momento temporis in Italia vobiscum degui, vix diebus quibus spiritus hos re E git artus referre valeo mira quæ audivi & vidi. Unde quædam venerabilis femina Ildegardis nomine super his obstupescens cum Romam ire disponebat, lacrymabiliter expostulavit jure propinquitatis, quatenus litteris nostris vobis commendaretur, quæ peccatrix est & nobilis, non autem ideo nobilis quia peccatrix, sed ideo peccatrix quia nobilis; nam

lenocinante humani generis inimico multa in fæcu- A lo fæcularis mulier commifit, pro quibus pœnitentiæ remedium expetiit & confilio bonorum virorum duo monafteria, unum Canonicorum, alterum Sanctimonialium ex propriis rebus & poffeffionibus conftruxit, in fingulis quoque novem ferme millibus a fe invicem difparatis, tantos redditus delegavit, ut fufficere poffint etiam plurimis quam funt animæ utriufque congregationis. Porro monafterium alterum in honore fancti Petri apoftolorum principis, alterum fancti Andreæ apoftoli Romanæ Ecclefiæ fub cenfus tributo addicere cupit, & ea privilegio veftræ irrefragabilis authoritatis muniri. Quapropter veftram ferenitatem plus folito deprecor, ut prædecefforum morem fequendo eifdem novis monafte- B riis novus author novos indiculorum biblos corroboretis, quibus ipfæ congregationes ab omni mundano ftrepitu quietæ Domino fervire poffint, maxime fub epitimio [1] excommunicationis.

IV. *Abbo Gregorio V. fummo pontifici.*

DOmino femper venerabili fanctæ Romanæ & univerfalis Ecclefiæ præfuli Gregorio fui illius memor Floriacenfium rector Abbo. Experimento didici, quod *qui apponat fcientiam, apponit dolorem*. Cum intelligentia divinæ legis *pretiofum feparo a vili*, & memoria præteritorum malorum cor pungit, quod fe virtutibus minus ferviffe reco- C gnofcit: ficque fit ut fcientia contra fragilitatis humanæ lenocinia inflet, quam caritas ædificat, ficut ex collatione quam ad invicem habuimus, expertus fum, cum de paffionibus animæ loquentes in Spoleti provincia itineris otium vertimus in honeftum negotium. Cujus collationis recordatus paternitatem veftram oro & deprecor, ut veftris orationibus adjutus, Domino placentium merear adipifci confortium: & hic vefter fidelis nomine Hunboldus erga fe fuamque neceffitatem veftram fentiat bonitatem, quam totus orbis optat nancifci ad fuam perpetuam pacem. Denique qualiter monachorum legislatoris Benedicti corpus in Galliam translatum fit, quæve in Cifalpinis partibus hiftorialiter gefta D habentur, requififtis: cui poftquam hiftoriam patefeci, eam ut juffiftis tranfalpinis legendam dirigere non diftuli: & hoc indiculo vobis fatisfeci. Direxi etiam duo vafcula Manzerina, in quibus anaglypho opere continentur Caritas & Ethica, quarum altera, id eft Caritas utraque manu vetus & novum Teftamentum præfert per fingula epitemata [2], Ethica alis fuis complectitur hiftoriam & allegoriam, ita ut utraque virtus Caritas fcilicet ac Ethica quatuor virtutes per fingula vafculorum ora exclu-foris opere prætendant.

Fafcibus exemtos dum cernimus urbis alumnos,
Externis dominis fubdita Roma furit.
Nec mirum, cum fcena fibi fit fævior illis,
Et crudelis habet, unde cruenta fiet. E
Quam caveas alter mage, quam jam denique quintus
Gregorius, mundi pervigil excubiis.
Cujus amore vacas tranfcendi cernuus Alpes
Heridamque nives Abbo fequendo pares.
Translatos patris cineres Bene nomine dicti,
Mandavit Hefperiis & tibi Sancte Dei.
Hos loquendos pariter Franci veneramur ovantes,
Et venerare cui gefta legenda dedi.

V. *Abbo monachis fancti Martini.*

HIS patribus & fratribus in monafterio fancti Martini commanipularibus maxime Heriveo bonæ indolis fpeculo, amatorum Chrifti amator Abbo. Opportunitas temporis folet quæri ad exfequendam efficaciam cujuslibet negotii, quandoquidem nihil fit quod eo carere poffit. Quod ideo veftræ caritati objeci, quia plus æquo diftuliftis mittere indiculum veftræ legationis: ac idcirco vobis parere mihi fuit impoffibile, quibus placere omnimodis geftio, nec umquam bonorum præceptis inobediens apparebo, nifi conftrictus aut religionis propofito, aut temporis articulo. Verum cum caritative ad expeditum iter monuiffetis, hæc adeo demiror, cur cauffam promotionis in veftris litteris non fignificaftis. Nam autoritates fanctorum patrum quas fpecialiter deferri juffiftis, quoquo locorum præ manibus habeo, ne decipiar æmulorum lenocinio, qui fratri parant foveam, & fortaffis incident in eam. Unum quafi ex vulgi opinione addidici, domnum videlicet AR. archiepifcopum contradicere privilegiis fancti M. communis patroni, quod quis defipiens crederet, ut vir tantæ autoritatis & manfuetudinis contraire velit Romanorum pontificum decretis & fanctorum canonum inftitutis? Siquidem Romana Ecclefia fua fuper omnes Ecclefias excellentia hoc habet privilegii, ut ficut claviger regni cæleftis obtinet principatum apoftolici culminis, ita eadem Romana Ecclefia autoritatem tribuat omnibus quafi fuis membris, quæ funt per quatuor climata totius orbis. Qui ergo Romanæ Ecclefiæ contradicit, quid aliud quam fe a menbris ejus fubftrahit, ut fiat portio adverfariorum Chrifti? Certe unicuique Ecclefiæ fuum jubet fervari privilegium, illud magnum & inviolabile Nicænum concilium, quod fanctiffimus papa Gregorius ita fe fatetur venerari, ac fi fanctum evangelium. De privilegiis quoque idem papa venerabilis fcribit epifcopo Joanni, inquiens: [3] *Grave nimis & contra facerdotale conftat effe propofitum, cujufquam monafterii privilegia olim indulta confundere, & arritum* [4] *quæ funt pro quiete difpofita niti deducere.* Et infra. *Proinde his fraternitatem veftram hortamur affatibus, ut a monafterii moleftia fe fine aliqua excufatione contineat, & quæ eis funt diutius cuftodita, nullius occafionis tentet ufurpatione convellere, fed cuncta illibate & fine aliqua ftudeat refragatione fervare, & plus fibi in eodem monafterio, quam prædecefforibus fuis licuit, noverit non licere.* Abfit itaque, abfit ut fanctorum virorum, & maxime antiquorum pontificum Romanorum fcripta modernorum fuftineant præjudicia, & flocci pendant pofteriorum fenfa, quorum venerantur memorias. Si enim juniores tempore veterum afpernantur edicta, quibus affenfum præbere debuerant; quid reftat, nifi ut plumbum aquis fupernatet, lignum vero fundo tenus merfum dehifcat, præfertim cum fcriptum fit: *Ne tranfgredia-ris terminos quos pofuerunt patres tui?* Hoc unum fuadeo, ut perquiratis merita Turonenfium & Romanorum pontificum, quorum alter edixit, alter confcripfit, & poftea utrum illis a contradicentium induftria præ pondere dijudicare poteritis. Valete.

VI. *Abbo Roberto regi Francorum.*

ROberto regi Francorum inclito famulorum Dei famulus Abbo *memor falis quod aliquando in*

1. Id eft, pæna. 2. ἐπιθέματα, opercula. 3. Lib. VII. epift. 33. 4. ad irritum.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



palatio comedi. Satis admodum miror unde hi sales eloquentiæ proruperunt, quorum amaritudinem, domine mi rex, inopinato abhorrui, abhorrens silentio tegere nequivi. Nam palatina facundia hactenus usus sum, & ab ipsis cunabulis pene in monasterio veritatem puer didici, quam me amisisse caussatur ille a secretis. Dum jam albet nix capitis, cui gratias refero, quoniam me ad me reduxit, quandoquidem hominem esse innotuit, quem mutabilis fortunæ casibus subditum, & dixit & scripsit; ait enim scriptura, *Omnis homo mendax*. Sed fortassis cum propheta in ecstasi hoc protulit, quod ego quoque benigne accepissem, nisi esset B scriptum *perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Ad quid enim aliud amicus meus Apostoli verba ad me retorsit, dum in sermone meo *est* & *non esse* enuntiavit, nisi quia aut quod est non esse, aut quod non est esse fatentem reprehendere voluit? Cujus criminis in hac re me nullo modo reum esse sciatis, quippe ante has litteras in quibus mendacii redarguor, neminem pro hujusmodi caussa vidi cum quo est, & non potuissem sermocinari. Quod vero adjecit, sed sit in illo est, meæ fragilitatis modum considerans hominibus quam Deo similis esse malui, abominatus superbiam illius qui fuit *signaculum similitudinis Dei*. Porro sicut *nemo bonus, nisi solus Deus*, sic nihil est in rerum creaturis, C nihil enim in eis est quod mutabile non est. Sane hoc sibi proprium reservavit, de quo dictum est in veteri testamento, *qui est misit me ad vos*. Ecce, Venerabilis rex meus, apud majestatem vestram sermo apologeticus, & ne hujusce locutionis ineptiis decipiamini cautum esse opto & semper optavi. Valete.

VII. *Abbo Odiloni abbati Cluniacensi.*

I. Domino semper venerabili Odiloni Cluniensis congregationis patri, ejusdem officii Abbo indignus famulorum Christi famulus. Sæpe contingit ut spiritalis philosophiæ dapibus amicis convi- D via pro modulo nostro præparemus, sperantes hac introductione eorum deliciis communicare, quoniam, ut dicit scriptura, amicorum sunt omnia communia, quapropter quempiam solum suis studiis uti minime delectat, & caritatis epulas tunc bona voluntas libenter degustat, cum inter ejusdem scientiæ sectatores non est expers muneris, quo sibi illicit amatores veritatis. Unde, venerabilis pater, floccipiendens æmulorum vesaniam instar commentatoris scribere decrevi aliquid gratum amicis, utile posteris, quo communicatum te esse volui, quem postquam semel cognovi, semper in omnibus pio amore & diligo & dilexi. Nec pudet te habere judicem propositæ quæstionis quem com- E mendat lepor dulcissimæ affabilitatis, ut puta antiquæ nobilitatis comtum prosapia, cum eloquentia A quam venustat frequens & humilis sapientia, hanc nimirum plus solito expertus sum compendioso itinere, cum pariter remoraremur tam in nostro quam in sancti Dei monasterio, ubi quidam ex fratribus vestris, ut mihi visum fuit satis benevolus, attentus & docilis requisivit de repetitione similium numerorum qui habentur frequentius in canonibus [1] evangeliorum.

II. Quam quæstionem expediendo ei ad plenum satisfacere nequivi, partim ob difficultatem sui, partim quia nec locus, nec tempus sufficiebat negotio hujusmodi. Nunc vero occasionem nactus, explicabo quomodo se habeat congeries numerorum in prædictis canonibus, exposita prius ratione, qua in singulis evangeliorum libris sunt tripliciter præfixi numeri, quorum alii *Capitula*, alii *Æras*, alii *Subnotationes* designant, communes scilicet & proprias. Et Capitula quidem, nec non Æræ ex minio hoc videntur differre, quod Capitula exprimuntur majore caractere: Æræ vero nusquam denarium excedunt, nec infra denarium ex ordine se sequuntur, nisi contingat. Subnotationes quoque ex atramento in singulis Evangelistis ab uno incipiunt, & in multam pluralitatem primæ vel solæ ordinabiliter lege numeri excrescunt: quod facilius intellectui patebit, si quod faciendum in reliquis unius Evangilistæ annotatio descripta pro exemplo sit. Sunt itaque apud Matthæum Capitula XXVIII. inter quæ sunt Subnotationes CCCLV. quibus singulis adjecta est sua Æra, ex qua cognoscatur in quo Canone ipsa subnotatio reperiatur. Ut autem decem sint Canones & non amplius in quibus Evangelistæ sibi novies tantum conferuntur, illud facit, quod Marcus hanc proprietatem servat cum Joanne, qua nusquam ei soli solvi consentit. Nec eidem cum altero, nisi cum Matthæo. Nam inter quatuor si concordia sit, unus modus exsistit; alter vero si discrepaverit, quatuor modi inveniuntur; si unus quilibet duobus conferatur, sex extremum erunt si ad similitudinem monomachiæ unus reliquis sigillatim respondeat. Ceterum hoc in eisdem canonibus est animadvertendum, quod distinguuntur lineis directis a sinistra in dexteram legentis, inter quas usque ad finem quinque Subnotationes fiunt, de singulis videlicet Evangelistis, qui sunt dispositi in capite uniuscujusque Canonis. Inter primas igitur lineas primi Canonis sunt Subnotationes XX. ex quibus nihil ingerit dubietatis ille ordo in quo scribuntur: apud Matthæum VII. apud Marcum II. apud Lucam VII. apud Joannem X. De reliquis quæstio est, quam illud facit, quod Joannes sparsim scripsit in diversis locis ea quæ alii colligentes semel dixerunt singuli in suis opusculis. Exempli gratia, disponantur Evangelistarum verba ut sunt in textu propria cum subnotatione diversa.

M. XI. Mar. IIII. L. X. J. VI.	*Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.*
Mar. IIII. M. XI. L. X. J. XII.	*Et erat Joannes vestitus pilis cameli & zona pellitia circa lumbos ejus, & locustas & mel silvestre edebat, & prædicabat dicens: Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus: ego baptizavi vos in aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.*

1. Nempe canones XX. Eusebii.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.

L. x. M. xi. Mar. iiii. J. xiiii.	*Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.*
J. vi. M. xi. Mar. iiii. L. x.	*Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.*
J. xii. M. xi. Mar. iiii. L. x.	*Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos non scitis.*
J. xiiii. M. xi. Mar. iivi. L. x.	*Hic est de quo dixi, Post me venit vir qui ante factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum, sed ut manifestetur Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.*
J. xxviii. Mar. xi. M. iiii. L. x.	*Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim ego non sum Christus, sed qui missus sum ante illum.*

III. His ita præmissis, sobrius Lector intelligit quia Joannes nunc heic, nunc illic tetigit quod Matthæus & alii collegerunt in ordine unius suæ Subnotationis: quapropter in ejusdem Joannis Evangelio post primam Subnotationem quater est facta similium numerorum repetitio. Siquidem de viro venturo & de baptismo Joannis, ubi ille alterum reticuit, & rursus alibi utrumque simul dixit. Ad ultimum de prædicto viro venturo repetiit, quem Christum vocavit. Perspiciamus itaque primi canonis initium, post hanc unam concordiam omnium Evangelistarum. Denique post secundam lineam Joannes unam Subnotationem tertio repetiit, reliqui secundo: post tertiam quoque lineam idem ipse Joannes quinquies variavit, quod aliorum unusquisque semel suo loco exposuit. Hæc ratio observatur in aliis, qui sunt in collatione, canonibus. Nec hoc silendum est quod una & æqualis progressio fit Subnotationum: sed in canonibus numero aliquando intermisso, in singulis Evangeliis numerorum ordine raro. Cavenda tamen est in his discordia, in quibus nulla esse debet omnino diversitas. Nam ut de Matthæo loquar qui principatum obtinet in prædictis canonibus, exceptis duobus a principio libri ejus usque ad finem, prima Æra primi canonis ordinat tenorem; similiter secunda secundi, tertia tertii, sic de reliquis, unde falso existimatur, scripta esse illa Subnotatio, quæ in textu Matthæi est LXXXVI. cum Æra prima. Idcirco quia evolutis quampluri- C mis Evangeliorum voluminibus, nusquam inter LXX. & XCVIII. Subnotationem, ulla in canone reperitur, quapropter eamdem Matthæi LXXXVI. scilicet Subnotationem, in sexto tantum canone apud Matthæum reperire poteris & nusquam alibi, ideoque non ibidem scribenda est Æra sexta, sicut unius antiqui voluminis series recensita innotuit. Nam A quod sub hac digessit Matthæus ipse ducentesima quadragesima sub prima Æra repetiit, ac idcirco reciproca vicissitudine eidem concordant reliqui, in qua Marcus CXXXIX. pene similia est prosecutus.

IV. Repetendum igitur quod illius Evangelistæ qui primus habetur in quolibet canone, licet intermisso, ordinato tamen augmento Subnotationum progressio sit. Verbi gratia, apud Matthæum post Subnotationem octavam undecima sequitur: apud Joannem post decimam quartam invenitur, reliquorum vero eidem primo consentientium propter concordiam aliquando transgressio fit. Si qua sane in talibus dubitatio incidit, assumatur præ manibus B de consensu Evangelistarum liber Augustini omnium ecclesiasticarum quæstionum singulariter subtilissimi expositoris. Post Ammonium enim qui de quatuor Evangeliis fecit unum ad similitudinem libri qui dicitur concordia regularum, hic Augustinus omnes dubitabiles propositiones Evangeliorum decerpsit, atque in uno codice ordinavit, earumque obscuritati maximam lucem infudit. Post eumdem quoque Ammonium Eusebius Cæsariensis libros Evangeliorum, ut fuerant remanere permisit, & eorum concordiam numerorum ratione distinxit, quam *Evangeliorum Canones* appellavit; quem secutus Hieronymus divinæ legis interpres & de græco fecit esse latinum, atque eorumdem Canonum ordinatio, qualiter intelligenda sit, ita scripsit ad Damasum. *Sciendum est*, inquiens, *ne quis ignarum ex similitudine numerorum error involvat, quod sicut in subnotatione Canonum distinctorum, in Canone quolibet tres Evangelistæ bis ter, vel quater aut etiam amplius eumdem numerum per ordinem habuerunt adnotatum, & quartus e contrario discrepantes, quod id quod tres illi in eo loco semel dixerint, quartus to-*

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



tiens in corpore voluminis sui ponat, quotiens diversi numeri in ejus Canone positi sunt, contra prædictorum numerorum continuatas similitudines. Item si in uno quolibet eorum aut etiam duobus, ibidem in Canone numerus bis, ter aut eo amplius reperiatur in ordine collocatus, & dispar is inveniatur in cæteris, dubium non erit quod id quod illius illorumve Canones numeris bis vel ter repetitis ab his in volumine semel dictum sit: alteri vero eorum totiens in uno atque eodem sensu loquantur, quotiens prætulerint in numerorum annotatione distantiam. Hoc & in omnium novem Canonum conlatione servabitur. Ceterum in decimo quoniam propria singulorum tantummodo continentur; non potest contra id comparatio esse, quod solum est. Tandem quia, venerabilis pater, ex prædicti viri commentariis ista enodando transtuli, atque ea non præjudicii, sed judicii censuræ direxi, qui illius benevoli fratris sagacitati satisfacere volens, me apud vos fuisse verbosum aut nimis garrulum pertimui, timendo plura dicere supersedi. Restat tamen ei, quia fortassis non didicit quid sit Æra, proprie exponere eo quod Isidorus, quem sum secutus, ea sit usus quam frequenter in Canonibus. Æra est singulorum annorum supputatio, dicta ab ære, quod singulis annis reddebatur Romanæ reipublicæ, ideoque Hispanorum consuetudine pro centesimo vel alio quolibet anno, centesima vel alia quælibet ponitur Æra. Cognoscat itaque ille meus familiaris exactor me attentum illi operam impendisse, ei ferculum de lignis Libani construxisse ea caritate media, qua Apostolus optat; *Deus patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum.* Siquidem vos utrique mihi solatio estis quos idipsum sapere desidero, quod secundum illum Christum sapio, quatenus unanimes uno ore pariter glorificemus sub Catholicæ fidei integritate. Valete.

VIII. *Domino in Christo dilectissimo fratri coabbati G. humilis Floriacensium rector Abbo.*

I. DEsiderii mei fuerat bonorum virorum studia moresque explorare, explorando imitari, imitando describere; non pravorum hominum plenam vitiis vitam investigare, investigatam multis lacrymis deplorando exponere. Quod ut facerem illa res compulit, qua ingemisco, quod sub novissima hora multorum caritas refrigescit, eorum maxime qui in habitu præferunt, quod eis *mundus crucifixus sit*, quandoquidem non tantum simulatione, verum etiam dissimulatione provocant iram Dei, quorum dolos, venerabilis pater, caveas, fraudulenta verba ne audias: quoniam *sepulcrum patens est guttur eorum*, qui turbare rempublicam maximum lucrum putant. Sub ovina pelle lupi ad monasterii asylum confugiunt, sub selliis se pro latibulis abscondunt, & ubi tempus male faciendi invenerint, malefaciunt, simpliciores fratres falsis circumventionibus sollicitant, lenocinio blandæ perditionis incautos decipiunt, & corruptos veneno suæ iniquitatis præcipitant in labyrinthum sui erroris; melioribus se detrahunt, crimina auditu horribilia confingunt, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione.* Quia nimirum terrena sapientes non *a gustaverunt quam suavis est Dominus & Christus ejus, sub quo vivimus, movemur & sumus.* Hæc idcirco tuæ sanctitati scribo, similibus similia conferens, quia in sancti Martini majori monasterio tibi satis admodum vicino talia facta rumor innotuit, quæ tuis rationibus possunt imputari, non quod malevolis assensum præbueris, sed quod inauditum nefas tua irrefragabili autoritate corrigere neglexisti. Siquidem percurrentibus legatis e diversis mundi partibus amatores sacræ religionis judices convenire oportuit, eorum sententia determinare objectiones criminis, & utrum judicio justo repulsam meruerit, qui dicitur reus ante conspectum divinæ majestatis.

II. Non enim ille sanctissimus & magnus papa Gregorius, ita abbates pro recens ortis rumoribus tractari voluit, qui Lupo presbytero & abbati propter Siagrium Augustodunensem episcopum inter alia scribit, præcipiens ne solus episcopus civitatis præsumat judicare caussas accusati abbatis: sed adhibitis quampluribus coepiscopis in concilio audientiam deferat, ut omnium communi parique decreto aut innocens absolvatur, aut reus condemnetur. Idipsum etiam nostro privilegio inserendum credidi, quod de sanctis manibus Donni Gregorii nostra ætate papæ sanctissimi sub autoritate sancti Petri suscipere, quamvis indignus emerui. Quapropter venerabilis in Christo, non declamatorie, sed dispensatorie tibi persuadeo quem plurimum diligo, ne credas subornatis testibus, ne credas derepente falsis fortasse criminationibus, quia & diabolus, ut bonos decipiat aliquando in angelum lucis se transfigurat. Recordare testimonii presbyterorum quos convicit falsa dixisse, argumento usus, semel patratum scelus non potuisse fieri sub locorum diversitate. Hinc sumtum est quod habetur in canonibus, ut in appellatione virorum sacri ordinis alii accusatores, alii testes sint, alii judices, & singulorum vita discutiatur, ne vindictam meditentur, ne velint exercere in innocentem suæ indignationis achimœniam rabiem. Quippe juxta illud Sallustii, necesse est ut omnes sint ab ira, odio, gratia & misericordia alieni. Dic, quæso, ubi lectum est oves pastorem judicavisse? An ubi Judas magistrum prodidit? sed ipse nec accusavit, nec judicavit. David in circumcisione positus, in Saul dominum suum manus mittere noluit. Cui tamen oram chlamidis præscidit, docens procul dubio subjectos prælatorum vitia ita manu humillimæ reprehensionis tangere, ut eorum nomen nolint exstinguere; *non enim est potestas nisi a Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Videant igitur monachi Majoritanæ congregationis quid in abbatem commiserint, quorum fuit regula silentio vitam degere, nulli detrahere, nullum odisse, obmutescere non solum a malis, verum etiam a bonis, maledicentes non remaledicere, sed magis benedicere. Quis eos a jugo regulæ absolvit, ut buccis crepantibus pacem prædicent, & dentibus mordeant, liberi per plateas discurrant, delationi inserviant, cum delatores morte mulctentur, aut humanius ad vitam reservati septennio pœnitentiæ remedio castigentur? Qui contemplativæ vitæ sectatores? qui pedes illius cum Maria lacrymis rigare debuerant, & infra septa sui claustri tribunal conscientiæ conscendere, sua & aliena peccata non detegere vel publicare, immo potius deflere. Quis, inquam, docuit homines proscribere? in foris reos damnare? Ecce fama exiit quod contra divinas humanasque leges abbas ignito ferro se purgare voluit, cui audientia denegatur, prærogativa judicii excluditur, palam præjudicium passus apportatur, examen laicis datur, monachis subtrahitur; quibus sanior mens saniusque consilium, ac in-

a Act. XVII. 28.

ter malesanos unius lustri spatio regularis ordo A confunditur.

III. Sed esto conscius criminis prælibatus obtunditur, furca dignus atque cruciatibus miserabilis obruitur. Numquid subditorum catenis colla committet? numquid suorum manibus dilaniandus deficiet? At fortassis ille quondam noster Fredericus bonorum æmulus fratrum, insidiator pessimus, hujusmodi apud vos scholas instituit, quatenus sicut ab Ario, Ariani; a Gnatone, Gnatonici: ita sui discipuli a Frederico, Fredericiani. Certe, venerabilis pater, cavenda est talium ansa calumniæ, cavenda mendaciorum fabrateria impunitæ nequitiæ, ne vos decipiant ullo modo, qui hactenus bonus B odor estis Deo in omni loco. Nam ego ab eis inter deteriores, deterrimus adjudicor, parricida appellor, *quibus si placerem Christi servus non essem*, vobis autem gratias refero, qui mea vice doluistis, & de me licet minimo fratre vestro maledicta perpeti non potuistis. De cetero vestris litteris scire velim utrum repudiatus abbas libellum repudii fratribus suis miserit, an præjudicatus violentiam sustinuerit, quoniam mecum ille totius religionis signifer Odilo contemnitur, & fraties Cluniensis cœnobii, ut nobis relatum est, de majore monasterio cum dedecore sunt expulsi, & id duos tantum factionis principes egisse comperimus, quorum temeritas eo promtior ad audendum omne facinus, quo C faventis conciliabuli major est potentatus. Sæpe namque, ut inductione cognovimus, easdem vires taciturnitas argumento invehit, quas eloquentia quæ illationis necessitatem colligit. Quandoquidem & dicenda tacere malum est, & tacenda dicere pessimum.

IV. Quapropter, omnium amantissime, quam plurimos ejusdem congregationis bonos fratres ut in melius proficiant ammone. Murmuratores autem ac bilingues ut a nequissimo vitio desinant, corrige. Proposito exemplo de veteri lege; *Vas*, inquit *Moyses*, *quod cooperculum non habet*, *immundum est*, quia illud os animam coinquinat, quod absque mo- D derationis obstaculo ad omnem turpitudinem proferendam patet. Recordentur suæ professionis, & discant subditi prælatis obedire, non imperare: cum humilitatis subjectione a Priore quidlibet requirere, non superbiendo ejus imperiis contradicere. Qui enim nituntur collum excutere de sub jugo regulæ, Seniorem conantur non obsecrare, sed increpare: scandalum ei, non pacem quærere: conspirationi seu conjurationi semper satagunt inservire, nec metuunt pœnas conjurantibus propositas, quas patiuntur desertores militiæ, vel rei majestatis Imperatoriæ. Nec ad hoc nostra procedit oratio, quo sanctorum virorum atque electorum judicum velim subtrahere examini patrem, qui dicitur incestus vel E sacrilegus; sed filiorum pietati ac miserationi consulo, ne veluti Cham nuditatem patris detegant, immo potius aversis vultibus abscondant. Quis enim ignorat quod ille postmodum paternam maledictionem in posteris sustinuit, & non fratrum servus, sed servus servorum fuit? Tandem his prælibatis unam de eadem re conditionaliter propositionem subnexui, ex qua oriuntur syllogismi quos ab antecedentibus, consequentibus ac repugnantibus etsi tua caritas non elicuit, tamen autoritas vim necessariæ conclusionis suggerere quibit. Dum enim super caussa Bernerii, quod verum est assumseris, quid inferendum sit absque ullius scrupuli ambiguo manifestabis. Hæc autem sit, Abbas si palam reus est intentati criminis, indignus est officio indultæ paternitatis. Sane sic alterum exsistit ut in abbate aut hoc, aut illud non esse necesse sit; non enim & palam reus est intentati criminis, & non est indignus officio indultæ paternitatis. Porro ad ultimum unum persuadeo, ne laxioribus habenis parcas illi nostro jam secundo fraternæ necis æmulo; quia nimirum vir linguosus, ut in suis insulsis litteris agnovi, aut bonis detrahit, aut manibus & pedibus ad malum quasi serpens repit. Valete.

IX. *Abbati Bernerio.*

Utinam abbati B. auctoritas ecclesiastica nihil indiscussum præterit, quin patenter doceat, qualiter vivendum seu conversandum sit prælatis cum subditis, qualiterque de suis commissis judicandi sint prælati & subditi. Quod te ignorare non arbitror, qui ab ipsis cunabulis educatus es inter magistros sacræ religionis, nec subterfugit judicium quo damnantur vel absolvuntur criminibus appetiti. Nosti etiam quod Deus personas non accipit, & quia monachalis professio inventa culpabilis, magis damnat quam liberet reum ab objectis, nec valet ad defensionem criminis. Idcirco quid tua refert bonorum virorum exspectare sententiam, quem propria conscientia accusat, turpissimæ actionis opinio infamat? adeo ut sicut relatu veridicorum dici, partem abominationis confessus detegas, partem sub nomine cujusdam facti mirabilis, discretor vitiorum abscondas. Sed quid prodest utrum partem facti, an factum habeas, cum illum versiculum; *Dimidium facti qui bene cœpit habet*, omnes laudent, omnes sapienter dictum existiment. Nec te juvat illa quæ est apud rhetores translatio criminis, aut transmutatum nomen facti, quando scelus quod in prostibulo perpetratum est cum uxore alicujus, aliter vir, aliter reus nominat; alter enim de adulterio queritur, alter non adulterium, sed quod fecit in prostibulo licuisse fatetur. Neutrum tamen firmas vires defensionis suggerit, maxime tibi qui incentor factus es vitiorum, ad hoc electus, ut fieres magister virtutum. Plurimos commissi gregis tuo morbo contaminasse diceris, lepra fœdissimæ contagionis perdidisse convinceris, nihil aliud dicens nisi quia fecisti, sed non perfecisti. Ferro socium, immo filium, & eum qui te suæ vitæ tutorem elegerat transfixisti, venenum ei porrexisti, ignem sacris ædibus injecisti; si ferro transfixus evasit, si venenum potatum non exstinxit, si ignis non convaluit, te peccasse negas, & nihil tua interesse affirmas? Resipisce, resipisce, inquam, & ad te redi, atque si objectorum conscius es, noli abbates & monachos tecum infamare, quandoquidem non tu solus, sed omnes tui ordinis tales esse creduntur. Ego autem in Christo verum fateor, quia omnes qui tales sunt, qualis diceris, & ut audivi confiteris, quia delatoribus non contradicis, omnes inquam & monachico habitu & abbatis officio indigni sunt. Verumtamen hoc absit a te, cujus defensionem, si fieri potest, ut nostram quærimus, quo mœrente mœrebimus, quo gaudente gaudebimus, nec differas audientiam, quæso, si innocentiam defendis; sin aliter, fratribus satisfac misso libello repudii, ac reddita episcopo cura pastoralis regiminis, ut alter qui dignus est quantocius succedere possit. Valete.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.

X. *Episcopo amatorum Christi amator Abbo.*

I. Quid prosit scientia litterarum agnoscitur ex difficultate quæstionum, quas dum enodare imperitia vulgi nescit, a docto earum sententiam investigare contendit: si tamen imperitos aliqua de inauditis rebus dubitatio attigit, dum enim in rerum natura, quidquid illud est, quæritur an sit, cur sit, & quomodo sit, nec has quæstiones etiam imperitum vulgus præterit; certum est quod de ignotis omnino rebus nihil quærit. Nam philosophia in his exercet suam operam etiam quæ non sunt, ut nihil naturæ, nihil moralitatis eam effugiat, de quibus subtiliter investigat. Quapropter de juramenti observatione proponitur, nec ignota quærendi via est, cui argumentandi copia præsto est; cum jurare nihil aliud sit quam jure orare: qui enim orat quantum ad veri falsique opinionem, unam tantummodo tractat orationis speciem, etiamsi necesse est juramento obnoxiam. Hanc autem orationem dialectici enunciativam nuncupant, quæ præsenti tempore contenta, præteritum respicit ex facti actione: futurum vero ex facti promissione; sed facti actio enunciari jurejurando potest, ut definite vera vel falsa sit apud eum qui rem definite novit; promissio vero futuræ actionis sicut definite sub scientia non cadit, ita juramentum de promissis rebus ignoratur verum falsumne definitive sit, nisi de his quæ necessitas naturæ trahit, ut Deum immortalem esse & hominem mori; siquidem definite verum est quod omne ortum occidet. Illud autem quod contingit, quoniam non necesse est fieri & opinabile plurimum exsistit, si quis jurejurando affirmare vel negare voluerit definite, id ratio facere non permittit, quoniam de contingentibus caussis promissivus modus sæpe nos fallit, & aliter quam putamus res casu vel necessitate impulsa succedit. Qui ergo jurat, an jure oret, quæritur, & quæ juramenti circumstantiæ sint. Scilicet locus, tempus & persona considerantur, quippe si loco vel tempore seu persona legitima caruerit, juramento reus non erit. Unde Dominus in veteri testamento per Moysen præcipit, ut puella quæ adhuc in domo patris est si votum voverit, seu jusjurandum fecerit, ne voto vel juramento obligata teneatur, si mox ut ad notitiam parentis pervenerit, paternæ autoritatis invectione prohibita fuerit. Mulieris nihilominus quæ sub viro agitur votum vel juramentum irritum fiat, si virilis autoritatis majestas assensum præbere noluerit, immo potius ea die qua ejus stultitiam compererit districtissima correctione inhibuerit. Vota enim stultorum, ut ait Salomon, frangenda sunt. Idcirco ibidem Moyses prosequitur quod propitiationem Domini ipsa illa mulier meretur, quæ perjurii noxam incurrisse putabatur. Sed & obstetricibus Hebræorum Deus bene fecisse legitur, quæ mendacio suo necandos filiorum Israel pueros a morte servasse dictæ sunt. Mendacii igitur & perjurii caussa pensanda est qua aliquando levius, aliquando gravius peccatum committimus, nec umquam absque peccato mentimur, quandoquidem omne peccatum ex diabolo esse perhibetur. Alibi quoque Dominus per Prophetam præcipit, *juramentum mendax ne diligatis*: & quid est mendaciter jurare, nisi pejerare? Hoc autem vetat diligere, ac si concedat invitum pejerare, juxta illud Apostoli, *non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio. Si autem quod nolo malum hoc ago, non ego operor* A *illud, sed quod habitat in me peccatum.* Idcirco cogitur exclamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

II. Huic sententiæ concordat illud Tobiæ, qui bonis naturaliter moribus instituens filium, Noli inquit mentiri omne mendacium. Id præceptum hoc continet, non enim mendacio utendum est: hoc est quodam mendacio utendum non est. Verumtamen veritas Evangelii non solum non omni, sed nec ullo mendacio utendum esse innotuit, ubi omne mendacium ex diabolo esse proposuit. Quidquid enim B ex diabolo est, malum est: nullo autem malo utendum est, nullo igitur quod ex diabolo est. Et omne mendacium ex diabolo est: nullum autem mendacium bonum est; nullum igitur quod ex diabolo est bonum est. Porro Scriptura dicit: *Omnis homo mendax* est, siquidem eo vitio humanam naturam diabolus corrupit, ut & mortalis & mendax sit, nec mendax nisi unde mortalis, nec mortalis nisi unde mendax exsistit.

III. In perjurio igitur, hoc est in juramento mendaci considerandum est vitium mendacii, & in vanum assumtum nomen Domini, quoniam illud solum ad mortem sufficit, juxta quod scriptum est, C *Os quod mentitur occidit animam;* cui dum aliud malum supervenit, gravius peccatum gignit: quod nunc metu mortis committitur pro tuenda corporis salute, nunc spe lucri pro adipiscendis rebus terrenis: & hoc perjurium vocari placuit. Sed pro tuenda salute corporis peccatum commissum non magnificat miseratio humanæ compassionis, juxta illud Comici: [1] *Pro magno peccato paullulum supplicii satis est pati;* metus enim & pietas æqualiter flectunt animum judicis ad misericordiam, qui trutina justi examinis distinguat modum culpæ levioris & gravioris. Siquidem ejusdem legis capitula quamvis sibi videantur contraria, nullus præterit nisi transgressor legis, quem tamen aliquando me- D tus vel pietas absolvit. Denique lex jussit ut masculus qui intraret templum Veneris, capite puniretur, siquidem jussit ut qui matrem cædi videret, nisi eam eriperet, capite puniretur: quidam itaque juvenis in templo Veneris matrem cædi vidit, & ingressus templum, matrem eripuit. Quæritur quid magis observare debuerit, dum matrem cædi vidit, seu enim intraret, seu non intraret, capite puniendus erat. Sed pietas præjudicat, quæ pro matris affectu cum utilitate & honestate accusatum purgat. Similis est lex Moysi de circumcisione pueri: si ejus octava dies a nativitate contigerit, In novo quoque testamento alibi uxor diligenda, alibi odio habenda præcipitur: quæ omnia discretionis ille gla- E dius separat, quem ignoraverunt Judæi, qui ad interrogationem Jesu de baptismo Joannis timentes utrinque feriri, hebetes sunt facti.

IV. Ceterum quia nos de juramento cœpimus, dicendum est quod remota cupiditate neminem sponte delectet jurare: sed sæpius a malo est juramentum, ut ait Evangelium, nam malus dives opprimit pauperem, malus latro spoliat viatorem, malus calumniator disceptat contra innocentem, atque ita nequit miser effugere laqueos inimici, quem plus æquo patitur ignobilis. Dum enim violentia exactoris quem vitare nequimus, jurare cogimur, aliquando in perjurium labimur necessitate coacti, aut quorumdam malesarta gratia illecti; siquidem adul-

1. Terent. in Andr. Act. V. Scen. 3.



ter fugiendo mortem temporalem absolvit se sacramento non esse reum adulterii, & ita se æternæ morti addixit. Quidam etiam in tumultu seu conspiratione militari juravit mortem optimi imperatoris. Et quid dicam? Ille jam occidit suam animam, licet veritas dicat, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: iste vero in affectione peccati adhuc deliberat, atque sub partibus deliberationis quid sit utilius vel honestius consulit, cui consulenti exemplo fit factum illius manu fortis, qui postquam juravit interfectionem Nabal viri stulti & impii, interventu Abigahil prudentis feminæ maluit perjurium pœnitendo delere, quam perpetrato homicidio mali voti compos exsistere. Quapropter si quem jurandi consuetudo ad hunc exitum vergit, quo plerosque Deum offendisse non nescit, suademus aliorsum pedem leviter figere potius quam tale præcipitium appetere, quo difficilior resurgendi spes possit inesse. Sic de naufragio obsessæ civitatis evadere cupientes, illam partem muri expetunt quam breviorem noverunt; semper enim hostium cuneis circumsessi grave periculum vitamus, dum evadendi aditum quærimus; siquidem multi labyrintho erroris perjurium vitare nequeunt, dum idipsum quod alter jurisjurandi sacramento astruit, alter rursus juramento negare contendit, & id pro dicto uterque accipit; verumtamen altera pars contradictionis absque ullo scrupulo semper falsa exsistit.

V. Quæritur quoque si rem suam sibi injuste ablatam debet repetere, qui ne repetat tormentis compulsus est jurare? Quam quæstionem argumentum a nota facillime dissolvit, dum jurare sit jure orare. Qui enim falso veraciterve orat jure aut non jure pronuntiat; jure autem orat qui a veritate non declinat; non jure vero qui cogit veritatem involvere mendacio: nec jure raptoris violentiam sustinet, qui juste accepit quod habet. Debet igitur repetere quidquid juste habuit, injuste perdidit. Attamen juravit, ait aliquis. Licet defendi possit non jurasse qui non oravit jure, quandoquidem ad sui defensionem atque ad abluenda crimina dat locum juridicialis clementia & lex divina. Si autem audientia subtrahitur, non jure sed crudelitate exhibita innocentia damnatur: nam sicut majus peccatum fuit Judæ tradentis, quam Pilati crucifigentis: ita majus peccatum est pejerare cogentis, quam ejus qui innocens pejerat timore mortis, quandoquidem Petrus dum mori timuit, vitam negavit. Verumtamen humanæ fragilitati compatiens respexit Dominus Petrum, & ejus lacrymas quibus flevit amare, & non legitur eos respexisse quorum terrore defecit a Christi confessione, siquidem incurrit non dissimiliter peccati foveam hujusmodi negator & pejerans, cum & ille nomen Domini confiteri erubescit, & iste in vanum assumit, videlicet quantum est in se aut timore aut cupiditate: & cupiditate quidem sicut negotiator, timore autem sicut fidei invitus proditor. Unde Scriptura divina jurare prohibet, & additur quare? scilicet ne forte perjuret, quia perjurare, non jurare peccatum est. Alibi quoque scriptum est, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, quoniam juramentum sed mendax tantum, sequitur pœnitentiæ remedium.

VI. Hæc de juramentis sponte prolatis & violenter extortis tuæ fraternitati scribens distinxi, & eorum differentias collegi, ut postquam ad tuæ peritiæ sacrarium pervenerint, tuoque examine quibusque fratribus placuerint, palam omnibus recitari possint: nec differt is qui jurare compellitur ab eo qui violenter baptisatur, si uterque sacramenti violator habeatur, quoniam, ut ait Augustinus [1], *ad Ecclesiam potest trahi nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens, fidem in corde potest servare nisi volens.* Quapropter caveat quis ad sacramenta fidei nolentem compellere, ne damnationis compede se potius obliget, quam illum quem violatæ fidei reum existimat. Nam veneni propinator & potator uterque moritur, sed ille in anima, iste violata corporis natura; unde me tædet vitæ meæ, & aliquando satis lacrymarum effundo, dum innocentum calamitates intueor, & cum eis vim passus exclamare compellor, *Domine libera animam meam a labiis iniquis*, quoniam *cum his qui oderant pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis*. Vale.

XI. *Abbo monachis Miciacensibus.*

I. Floriacensium rector, fratribus Miciacensibus, maxime eorum decano Constantino, salutem in Domino. Dum caritas sit bona voluntas, miror qua fronte eo bono carere non erubuistis, qui palam confitemini rancorem vestræ malæ voluntatis, non tantum verbis, quantum litteris, quas nostris fratribus direxistis: quod utique facere non debuistis. Neque enim illorum benevolentia libenter suscipit prædicatores scelerum, proditores reorum, accusatores fratrum, maxime ubi non admittitur, ubi audientia reo denegatur, cum scriptum sit, quod nemo absens damnari possit. Vere fateor, fratres nostros vestris laudibus commaculare voluistis, quos ac si complices vestræ calumniæ adjunxistis fautores, detrectationis judices, accusationis præsules. Verum eorum innocentia ab hujusmodi peste quam sit extranea, testatur Fredericus ignobilis scriba, qui nunc Hierosolymis exsulat pro suorum mendaciorum fabrateria, pro excogitatorum de suis fratribus vitiorum inaudita historia. Siquidem & in nostra professione singularis Odilo Clunensium rector hujusmodi historiographos nuperrime detectos de suo monasterio flagris cæsos expulit, & ferro abscisionis terribiliter inussit; prosequendi quippe sunt a Christianis Saterrici quos persecuti sunt pagani, quorum nunc multitudo excrevit, quam de sub cælo exterminet clementia divinæ pietatis. Denique Acephalorum hæresis quæ nunc exorta est cum Saterricis damnanda est, quoniam sine capite regnant, sine patre spiritali, contra jus fasque naturæ suos fratres dilaniant, & mordentes pacem prædicant, cum nullum genus animalium sæviat, nisi indispar feris. Quapropter professionis vestræ memores vos ad vos reducite, quid coram Deo & sanctis ejus voveritis mementote: abbatem quem cum sua una ovicula expulistis regulariter vobis præesse desiderate, ejus arbitrio fratrum suorum culpas relinquite; & si regula Benedicti monachorum legislatoris displicet, saltem Apostoli sententia placeat, qua dicit, *Tu qui es qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit, stabit autem, potens est enim Dominus statuere illum.* Si denique in pastorem vestrum manum reprehensionis mittitis, scitote quia pastor pastorum Jesus Christus vobis contradicit, cujus exemplum imitatur in eo quod vos quasi nullius egentes in montibus reliquit, & unam ovem quæ erraverat, ad gregem reducere quærit. Hoc

1. Aug. Tract. xxvi. in Joan.

quoque gravissimum in vestra conspiratione reperi quod benignitatem Domni Fulconis Aurelianensis episcopi contra vestrum abbatem exasperastis, ad inclementiam vestro consilio perduxistis, contra auctoritatem canonum in innocentem armastis. Innocentem autem idcirco fateor, quoniam bona conscientia, ut asserit, utitur, objectis respondere conatur, hæc quemquam vestrum legisse aliquando testatur; unde conjicimus quod invidia diaboli, qua mors introivit in orbem terrarum, depascat animum insidiantium gregem succenturiatorum, quandoquidem ei locum defensionis obstruunt, quod in Ecclesia catholica nulli hactenus fuit licitum.

B II. Tandem ad te, mi quondam familiaris Letalde, nunc sermo dirigitur, cujus alias singularem scientiam mea parvitas amplectitur, & summis laudibus extollere nititur. Quid tua interfuit unius miseri vitam corrodere, unius homuncionis quæ non erant vitia denotare, cum scriptum sit, quod sapiens pœnitenda non committit? At fortassis tuorum factorum non pœnitet. Verumtamen quis ministerium diaboli libenter assumsit, ut vitia hominum denotet, in cathedra pestilentiæ sedeat, conciliabula malignantium unde struat? Hortor & obtestor, carissime, recordare infirmitatis tuæ, assume viscera misericordiæ, fratres tuos *argue*, *obsecra*, *increpa in omni patientia & doctrina*, ita scilicet ut nec increpatio ad desperationem pertrahat, nec patientia C vitiorum fomiti succumbat. Tu enim hujus conspirationis caput diceris: tu domini Rotberti abbatis tui officium, quod dictu nefas est, præsumsisti, nec delatoris pœnam exhorruisti, quem expeditum omnibus malis absque ulla rebellione restituat omnipotens Deus patris & fratrum unanimitati. Vale.

XII. *Abbo Odiloni.*

PRærogativa insignito Odiloni Cluniensium patri, amatorum Christi amator Abb. Floriacensium rector, salutem in Domino. Proficiscenti mihi in Wasconiam ob institutionem monasticæ religionis, contigit devenire ad monasterium sancti Cypriani D martyris situm in suburbio Pictavensis famosissimæ urbis; quem locum postquam reperi vestræ subditum ditioni nostrum credidi, quoniam amicorum sunt omnia communia, ut est quorumdam sententia; atque idcirco nimis indolui de fama, quæ tunc temporis volitabat per aures vulgi, quam vice discutiens vestra ultra modum ingemui, quod in viros nostræ professionis invidia diaboli per indisciplinatos subrepit, quod illi qui dicuntur monachi efficiantur satyrici criminatores fratrum, incentores vitiorum, ac vipereo dente corrodunt viscera matris Ecclesiæ. Quorum insania, venerabilis pater, deterreri necesse est, ne conculcent sancta profani, ne vilescant pretiosi lapides sanctuarii, quandoquidem jam E refrigescit multorum caritas, & mali cucullati sibi auxilio & consilio junguntur, ut de pennis Leviathan scribitur, quarum *una uni conjungitur, & nec spiraculum quidem incedit per eas*. Delatores enim mundanis legibus capitali sententia puniuntur. Qua temeritate ergo audent miseri os aperire in necem fratris, in detractionem proximi, assumendo officium proditoris, quorum professio est tacere, etiam a bonis? Prudenter, dilectissime, horum præcave versutias, qui mordentes bonorum vitam simplicem, & lupi sub ovina pelle prædicant pacem. Quo certe lectum est monachos & sacerdotes Domini damnatos esse accusatione meretricis: quis monachus auctoritate patrum abbatem suum ad sæculare judi-

A cium compulit? quis clericorum vel episcoporum concilio addixit? Vere fateor sævissima districtione feriendam esse hujusmodi præsumtionem, quia, ut ait discretissimus monachorum legislator Benedictus, suum & alienum peccatum ille suæ professionis immemor abbati vel spiritali seniorum debuit patefacere, non detegere & publicare, quod non vobis potestatem judicandi de fratribus vestris sustulit, cum hanc alteri commisit. Tandem quia in objectione criminis auctoritate magni Gregorii alii sunt accusatores, alii testes, alii judices: age, vir prudentissime, ut innocens expeditus crimine gaudeat, & accusator temerarius reum se sentiat, ne de pœnis innocentum rideat. Vale.

XIII. *Alberti abbatis Misiacensis epistola Joanni PP. XVIII.*

DOmino sancto & venerabili papæ Joanni XVIII. Albertus abbas abbatiæ sancti protomartyris Stephani & Christi confessoris M. & omnis congregatio monachorum ejusdem loci, videlicet Miciacensis, salutem in Christo. Novimus te, pater reverende, constitutum in terris vicarium universalis Ecclesiæ vice beati Petri, ut sustentes eos qui injuste opprimuntur, & opprimas eos auctoritate beati Petri qui nimium se erigunt. Quapropter ad tuam confugimus reverentiam per hanc epistolam, ut subvenias nobis, & facias quod precamur. Locus in quo habitamus dicitur Miciacus, quem sanctissimi viri, scilicet beatus Eusicius & nepos ejus venerabilis Maximinus regio munere Clodovei primi Christiani Francorum regis fundaverunt, & alii quamplurimi deinde proprio beneficio construxerunt; & idem præfatus locus in tantum floruit olim in spirituali & temporali bono, ut CXL. monachi ibidem congregati Deo assidue famularentur, in tantum postmodum dissipatus persuasione malorum, ut nullus vivere potuerit monachus; gratia autem Christi juvante paullatim nunc, quasi quidam redivivus æger a longa ægritudine convalescens, ita idem locus a vilitate suæ dejectionis resurgere aggreditur per eleemosynas bonorum virorum ac mulierum, ex quibus hæc bona mulier est Domna Regina nomine, quæ multa prædicto loco pro salute sua & pro remedio animarum, videlicet sui mariti & filiorum suorum jam defunctorum Deo & sanctis ibidem venerans obtulit. Timens autem ut post suum obitum aliquis suorum vel extraneorum conetur aliquid auferre ex his omnibus quæ dedit Deo; & ob hoc suggerimus vestræ sanctitati, ut duos tomos quos in vestro nomine scripsimus, quorum unus proprietatem largiti beneficii hujus venerabilis feminæ continet: alter autem totius summam substantiæ nostri cœnobii, corroboretis vestra auctoritate cum titulatione sigilli vestri nominis; & nos assidue pro vobis, vivo & mortuo Deum deprecabimur. Dignum est enim, venerande pater, ut prædecessorum vestrorum morem sequamini, & monasteriis novos indiculorum biblos corroboretis, quibus ipsæ congregationes ab omni mundano strepitu quiete Deo servire possint, maxime sub epithimio excommunicationis. Vestrum apostolatum Deus custodiat in æterna pace. Vale in Christo, beate pater.

XIV. *Carissimo fratri G. amatorum Christi amator abba Abbo Floriacensium.*

I. SÆpe contingit, ut veritate odium crescat: quod sapientis animus patientissime tolerat,

dum rei negotium utilem & honestum finem prætendit; pro quo illud sustinet, atque sustinendo pro inimicis clementer orat. Quod te fecisse non abnego, qui pro injustitia quam pateris, ad Deum clamans de profundis, & quibuscumque potes pro modulo tuæ possibilitatis declamatoriæ contradicis: inimicos sustines, quos amicos habere debueras, quoniam sui propositi obliviscuntur Christiani qui ad inimicitias erumpunt, dum agros non suos demetunt, aliena invadunt, stipendia servorum Dei diripiunt. Et quid dicam? non id idiotæ faciunt, sed doctores Christianorum, rectores plebium, & ita quodammodo obcæcati omnium radice malorum pauperes Christi ad inopiam pertrahunt. Quod procul dubio minime facerent, si illud divinæ scripturæ vetitum perhorrescerent: *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui, non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.* Et Dominus per Esaiam prophetam: *Væ iniquo qui transfert terminum proximi sui!* Et rursus: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis!* Subjungit etiam inferius: *Væ, qui condunt leges iniquas & scribentes justitiam, scripserunt ut opprimerent in judicio pauperes!* Condunt quippe leges iniquas ut opprimant in judicio pauperes, quoniam dotes ecclesiarum, non ecclesiis, quarum dotes sunt, derelinquunt, ut inde pauperes Christi sustententur, sed suis militibus aut pro donativis erogant, aut vice beneficiorum dispertiunt, fingentes regnam bonam sæculis inauditam, quod ipsæ dotes non sint ecclesiarum, sed potius altarium, cum maximum altare lapsum uno tremisse valeat restaurari: ecclesia vero vix quamplurimis solidorum impensis,

II. Nec mireris, frater carissime, quod hæc hæresis nostro moderno tempore crevit, quo justitia excessit terris: quandoquidem nunc & novitates verborum placent, quas apostolus prohibet, & in templo Dei fit sæculare quod sanctum est. Altaria laicis in possessionem dantur, peccata populi non monachi vel clerici comedunt, qui pro peccatis ejusdem populi apud Deum interveniunt; sed judicio episcoporum oblationes ecclesiæ plus equis & canibus laicorum prosunt, quam peregrinis, orphanis & viduis, aut restaurationi ecclesiarum. Sua enim altaria esse astruunt, quæ absque ullis auctoribus ab Ecclesia secernunt, eo errore ducti quo detinebantur hæretici, qui unam personam Jesu Christi in duabus naturis conati sunt dividere in personarum pluralitate, contra illud, *si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Siquidem Apostolus crucifixum asserit quem gloriæ sua confessione patefecit: quia *sicut anima & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*, qui suam sponsam sanctam, videlicet Ecclesiam totam sibi consecravit, consecratam univit; & si spectes ad temporum ædificia, fundamentum, parietes & tectum absque Christi mensa, domus est, non ecclesia, sicut & cadaver dicitur corpus absque anima. Hæc idcirco dixerim, ne quis individua velit dividere, aliud dicens Ecclesiam, aliud altare, quia minus solers stulto consumitur labore, qui conatur quod est impossibile. Quod vero sacerdotes Domini Ecclesiarum dotes & decimas in manu sua consistere canonum auctoritate confirmant, nemo contradicit, qui eo loci manum potestatem intelligit. Nam prædictæ res in manu sunt episcopi, sicut regnum in manu regis, quatenus eorum potestate & judicio servetur unicuique æquitas ad res suas obtinendas. Ne quis autem me falso existimet de manu hanc fixisse significationem, recor-

A detur quod peccator pavidus de manu mortis se frequentius orat eripi. Ipsa tandem Ecclesia cujus sit, Christus manifestius dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Meam, inquit, non tuam. Si ergo omnis Ecclesia Christi est, nulla autem Petri, aut alicujus est; restat ut hominum altercatio de pastibus seu bonis ejus nulla esse debeat, quandoquidem ejus est pars, cujus est totum. Si quid vero de temporalibus ejus bonis partiendum est, illis debet specialiter prodesse, qui Ecclesiæ spiritualiter deserviunt die ac nocte.

III. Verumtamen non mediocriter moveor, quid illud sit, quod cum omnes decimæ in manu episcopi sint, tertiam, seu potius quartam partem episcopo auctoritas canonum concedit. Cui enim totum concessum est, & pars: sin autem & pars conceditur, totum concessum fuisse frustra contenditur. Nisi forte illud totum ad ordinationem episcopi, non autem ad illam cessionem juris pertineat, ut dare, vendere, seu in proprios usus retinere queat. Quis enim ignorat clericos & ecclesiasticas res consistere sub manu episcopi, qui per œconomos dispensandas easdem res potestatem accepit? Ceterum de tertia, seu potius quarta parte, ei ad votum competit quidquid ut ecclesiastico dispensatori agere placuerit: quandoquidem ei dono dare, vendere & possidere facultas arrisit, cumque in uno quolibet episcopio interdum mille sint ecclesiæ, mirum est, si tanta est avaritia sacerdotum, ut satiari nequeat tertia, vel quod minus est quarta parte suarum ecclesiarum. Quod prævidens Bracharense concilium ait: *Tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parochialibus episcopus non requirat, sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ vel recuperatione servetur, & singulis annis episcopo exinde ratio fiat.* Cum igitur de hac parte ecclesiarum transcriptum sit, ubi quæso de dotibus vel decimis scriptura quælibet tradit, quod singulis annis episcopo ratio reddenda sit? An aliquid ecclesiæ, maxime res immobilis, poterit abalienari? Est sane rei alicujus abalienatio, talis in jure cessio, ut post hanc nulla sit legitima repetitio, quoniam ad priorem possessio jam non pertinet. Omnino hanc abalienationem de rebus ecclesiæ non posse fieri, tot sunt testes, quot sunt legum seu canonum auctores.

IV. Quidam igitur antecessor meus in possessione nostri monasterii ecclesiam ædificavit, dotem contulit, num idcirco monasterium possessionem amisit? aut abbas id abalienare potuit? Requisiti itaque in hoc hujus nostri monasterii libri politici a temporibus Magni Caroli pene vetustate consumti, quid ædificata ecclesia mihi meisque fratribus debeat, innotescunt; quid contra illa dotis nomine data suis burdationibus solvat, ibidem perpendit procuratoris diligentia. Porro quod te aliquando sub mei præsentia turbavit, dum diceretur quod monachi ecclesias tenere nequirent, remove ab animo, & scito, quod monachus, nisi ad clericatum promotus, ecclesiæ retentis ministeriis, deservire, ne quid de redditibus ejus seu oblationibus vivere debeat & possit. Hæc omnia tuæ fraternitati scribens, quibusdam capitulis ecclesiæ subjectis sollicitum & cautum contra obloquentes reddere volui, ne imparatum inveniat, qui nostris utilitatibus derogat; siquidem qui nos simplicitatem habere monuit columbinam, serpentinam astutiam tenendam præmisit, ne alicujus fictæ amicitiæ malefacta gratia illiciat, ne versuta calliditas innocentes opprimat. Quoniam in canticis canticorum præcipimur ca-

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



pere vulpeculas quæ demoliuntur vineas: nam flores apparuerunt in terra nostra divinæ gratiæ prærogativa quibus nutrimur, velut hæduli qui pascuntur in liliis peccatorum nostrorum conscii sub magisterio & regula legislatoris Benedicti; qui etiam ingemiscimus, quoniam eorum ferinos rictus patimur, quos ab aliis passos graviora non ignoramus: nec in eos audent retorquere vindictam, sed in nos minimos, nostramque innocentiam movent persecutionem, juxta illud Maronis: [1] *Torva leena lupum sequitur lupus ipse capellam, Florentem cithisum sequitur lasciva capella.* Ne indigneris quod te capellæ similem dixerim, quæ lupo nonnumquam obediens murmurat, & flebiliter balatibus suam ærumnam ejulando conqueritur. Tu quoque, quia cogeris dulcia arva perdendo relinquere de impatientia blasphemaris, de taciturnitate reprehenderis. Sed capella aliquando lacrymosis questibus de ipsis faucibus lupi eripitur, tacendo vero ad mortem præceps rapitur. Siquidem igitur potes, enitere, malis resiste, Christianum maxime episcopum, quia Christianus es, in te peccare noli permittere: ei alteram maxillam non præbeas, auferre volenti tunicam non dimittas, ne tua patientia illam perdas. Recordare proverbii quod scriptum est: [2] *Malo arboris nodo malus cuneus quærendus est.*

V. Nec id dico uti monachus contra tuam professionem in aliquem manibus excedas, sed ut gladio divini verbi inferiusque prolatis sanctorum patrum sententiis eum confodiens corrigas, qui Christianæ professionis immemor satagit esse rerum extortor, legumque contortor, dum fundatoribus ecclesiarum aut heredibus eorum nititur auferre quod eis competit, & ita tuam ejusque animam salvans salvabis. Gregorius Magnus papa episcopis & clericis ad monasteriorum dominationem occasione regiminis importune tendentibus resistit in multis epistolis. De qua re Joanni Ravennati episcopo scribens, ait [3] " Pervenit ad me quod in ecclesiis
„ fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis
„ consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam
„ laicorum facta sunt, dumque hi, qui sunt in ec-
„ clesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis
„ præponi appetunt, & per eorum vitam mona-
„ steria destruuntur. Nemo enim potest & eccle-
„ siasticis obsequiis deservire, & in monachica re-
„ gula ordinate persistere, ut ipse districtionem
„ monasterii teneat, qui quotidie in ministerio ec-
„ clesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas
„ tua hoc quolibet in hoc factum emendare festi-
„ net, quia ego nullo modo patiar loca sacra mo-
„ nachorum ut per clericorum ambitum destruan-
„ tur. „ Item Mariano Ravennæ episcopo, quod non debeat episcopus monasterium inquietare. " [4] Du-
„ dum ad nos multorum relatione pervenerat, mo-
„ nasteria in Ravennatibus partibus constituta omni-
„ no clericorum vestrorum dominio prægravari, ita
„ ut occasione quasi regiminis ea, quod dici gra-
„ ve est, velut in proprietate possideant. Quibus
„ non modicum condolentes decessori vestro litte-
„ ras misimus, ut hoc emendare per omnia de-
„ buisset. Sed quoniam vitæ termino citius occu-
„ patus, ne hoc onus in monasterio remaneret,
„ fraternitati vestræ eadem nos scripsisse recolimus,
„ & quia ut comperimus, in hujus rei hactenus
„ correptione cessatum est, hæc ad vos iterum per-
„ vidimus scripta dirigere. Hortamur ergo, ut o-

A „ mni mora omnique excusatione summota, ita
„ monasteria ipsa ab hujusmodi studeatis gravami-
„ ne relevare, quatenus nullam deinceps in eis
„ clerici, vel ii qui in sacro suo ordine constitu-
„ ti ob aliud habeant nisi orandi tantummodo caus-
„ sa accedendi licentiam, aut si forte ad peragen-
„ da sacra missarum fuerunt invitati mysteria. Sed
„ ne vel per cujuslibet monachi aut abbatis pro-
„ motionem, onus aliquod fortasse sustineant, stu-
„ dendum nobis est, ut si quispiam abbatum aut
„ monachorum ex quocumque monasterio ad cle-
„ ricatus officium vel ordinem sacrum accesserit,
„ non illic aliquam habeat, ut diximus, ulterius
B „ potestatem, ne monasteria hujus occasionis vela-
„ mine, ea quæ prohibemus sustinere onera com-
„ pellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura e-
„ mendare jam secundo commonita sanctitas vestra
„ non differat, ne si post hoc negligentes vos esse
„ quod non credimus, senserimus, aliter monaste-
„ riorum quieti prospicere compellamur. Nam no-
„ tum vobis sit, quia tantæ necessitati servorum
„ Dei congregationem amplius subjacere non pa-
„ timur. „

VI. De injusta excommunicatione episcopi, Januario quoque Caralitano episcopo, post aliqua scribit dicens: " [5] Inter querelas multiplices, Isidorus
C „ vir clarissimus a fraternitate tua frustra se ex-
„ communicatum, anathematizatumque conquestus
„ est: quod quamobrem factum fuerit, dum a cle-
„ rico tuo qui præsens erat voluissemus addiscere,
„ pro nulla alia caussa, nisi pro eo quod te inju-
„ riaverat factum innotuit. Quæ res nos vehe-
„ menter afflixit, quia si ita est, nil te ostendis
„ de cælestibus cogitare, sed terrenam te conver-
„ sationem habere significas, dum pro vindicta
„ propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur,
„ maledictionem anathematis invexisti. Unde de
„ cetero omnino esto circumspectus atque sollicitus,
„ & talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ in-
„ ferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid
D „ feceris, in te scias postea vindicandum. „ Luminoso abbati monasterii sancti Thomæ de Arimino. " [6] Petitionem tuam, congregationisque tuæ
„ libenter suscepimus, secundum statutam patrum
„ jurisque formam tuis precibus accommodantes fi-
„ delem effectum: Castorio fratri & coepiscopo no-
„ stro nostra præceptione transmissa, ei successori-
„ busque ejus a te monasterioque tuo cunctæ læ-
„ sionis abstulimus funditus potestatem, ut nec ul-
„ tra in vestro versetur gravamine, nec monaste-
„ rii res describat, nec publica illic debeat esse
„ processio, illa videlicet ei jurisdictione relicta,
„ ut in defuncti abbatis locum alium, quem di-
E „ gnum communis consensus congregationis elege-
„ rit, debeat ordinare. His ita perfectis in Dei
„ opere estote solliciti, & assiduæ orationi operam
„ date, ne non videatur magis vobis quæsita men-
„ tis in oratione securitas; sed male, quod absit,
„ degentibus episcopalis evitata districtio. „ Gregorius Castorio episcopo Arimino de supra dicta re.
" [7] Luminosus abbas monasterii sanctorum Andreæ
„ & Thomæ in Ariminense civitate constituti,
„ quas nobis lacrymabiliter preces effuderit, indi-
„ tæ textus petitionis informat: pro qua re frater-
„ ternitatem tuam hortamur, ut obeunte abbate
„ monasterii ipsius ecclesiæ, tua in describendis
„ providendisque acquisitis, acquirendisve ejusdem
„ monasterii rebus, nulla se occasione permisceat.

1. Ecloga II. 2. S. Hieronymus ad Oceanum. 3. Lib. IV. epist. 1. 4. Lib. VI. epist. 40.

5. Lib. II. epist. 34. 6. Lib. IV. epist. 41. 7. Lib. IV. epist. 43.

„ Abbatem vero eidem monasterio non alium, sed A quem dignum moribus atque actuum disciplinæ monachicæ communi consensu congregatio tota poposcerit, ordinare te volumus. Missas autem illic publicas per episcopum fieri omni modo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, popularibus occasio præbeatur ulla conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat frequentior quoque muliebris introitus. Hanc autem scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore vel post episcopis ordinandis formam statuimus, illibatamque servari, ut tecum tua ecclesia, juvante Domino, suo tantummodo sit jure contenta, & monasterium illud nulli alterius aliique generali B canonicæve jurisdictioni deserviens, remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus divinum opus cum summa animi devotione perficiant, data mense Julio, indict. XIV. „

VII. Quod non debet episcopus monasterium inhibere a missis nec a sepultura. “ [1] Gregorius Joanni episcopo de urbe vetere. Agapitus abbas monasterii sancti Georgii insinuavit nobis plurima se a vestra sanctitate gravamina sustinere, & non solum in his quæ necessitatis tempore aliquod monasterium possit subferre subsidium, verum etiam in ipso monasterio missas prohibeas celebrari, sepeliri etiam ibidem mortuos interdicas. C Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas, nulla ulterius habita contradictione, permittas; nec denuo querelam de his quæ dicta sunt prædictus vir venerabilis deponere compellatur; quod non debeat episcopus monasterium inhibere a missis. „ Item Martiniano episcopo. “ [2] Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum securitate perpetua tractare, ante-actum vos officium, quod in regimine monasterii exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Joannis & Stephani, quod in Classitana civitate constitutum est, cui communis filius Claudius abbas præesse dinoscitur, D multa a prædecessoribus vestris præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futura quiete salubri ordinatione disponat, quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, liberi perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine, quisque illic quolibet tempore quidque molestiæ præsumat inferre; necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Nullus igitur ultra audeat de reditibus, rebus vel chartis prædicti monasterii, vel de loco aliquo E qui ad eum pertinet quocumque modo, qualibet exquisitione minuere, nec immissiones vel dolos aliquos facere. Sed si qua forte caussa inter Ravennatem & præfatum monasterium evenerit, & pacifice non potuerit ordinari, apud electos a partibus timentibus Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, & qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solertem de aliis monasteriis sibi similiter eligant ordinandum: neque venienti abbati quæcumque persona qualibet occasione in suo monasterio præponatur, nisi forte exstantibus, quod absit, criminibus, quæ sacri canones punire monstrant. Pariter autem custodiendum est, ut invito ejusdem monasterii abbate ad ordinanda alia monasteria aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant, sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de his qui superfuerint offerat, quos dignos coram Deo putaverit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennates episcopus ad ordinanda alia monasteria de his qui supersunt tollat. Ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci ammonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam nec licentiam habeat habitandi. Observandum quoque est, ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit; sed abbas loci cum abbatibus aliis rerum inventarium faciat. Quotiens autem pro utilitate monasterii sui ad pontificem Romanum abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeant exspectari, quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nuntiatum est prægravatum, oportet ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium, quotiens placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur: sed sic caritatis officium illic episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram vero fraternitatem prædictus abbas non solum non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit: sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit. „

VIII. Ut privilegia & ordinationes & decreta beati Gregorii & aliorum sanctorum sine aliqua refragatione serventur. “ [3] Bonifacio primo defensori. Ecclesiasticis utilitatibus fideliter insudantes congruo sunt beneficio prosequendi, ut & nos respondisse eorum digne obsequiis videamur, & illi ex indulta gratia utiliores exsistant. „ *Et post aliqua*: “ Hæc itaque institutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt privilegiis & ordinatione deposita, perpetua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione servari, sive quæ scripto decrevimus, seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse disposita, nec a quoquam pontificum in totum vel partem, vel ex qualibet occasione convelli decernimus, vel mutari. Nam nimis est asperum, & præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumque rationis excusatione, ut quæ bene sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere ceteros, sua quandoque posse constituta dissolvere. [4] Joanni episcopo Scillitano *item de eadem re*: “ Grave nimis & contra sacerdotale constat esse propositum, vel cujusque monasterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ

1. Lib. I. epist. 12. 2. Lib. VII. epist. 18. Ind. 2. 3. Lib. VII. epist. 17. 4. Lib. VII. epist. 33.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



,, sunt pro quiete disposita, niti deducere. Questi namque nobis sunt monachi Castellienses, quod in fraternitatis vestræ civitate est constitutum, quia eidem monasterio quædam quæ prædecessoribus vestris permissa ac consuetudine longa servata sunt, festinetis inducere, & antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut si ita est, ab ejus se molestia, sine aliqua excusatione contineat, & quæ eis sunt diutius custodita, nullius occasionis tentet usurpatione convellere, sed cuncta illibate & sine aliqua studeat refragatione servare, & plus sibi in eodem monasterio quam prædecessoribus suis licuit, noverit non licere. Quia vero pariter questi sunt fraternitatem tuam quædam de monasterio sub exenii quasi specie abstulisse, necesse est ut si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis debuerat magis munificentia demonstrare. ,,

Item post pauca: " Indicaverunt etiam monachi monasterii castrum quod Scillacium dicitur, in solo juris monasterii eorum esse fundatum, atque ob hoc habitantes illic factis libellis solatium singulis annis expandisse persolvere, sed postea contemsisse, & ab eadem se præsentatione supervacue suspendisse. Fraternitas ergo vestra subtiliter veritatem curet addiscere, & si ita repererit instanter studeat, ut ea quæ promiserunt, quia & ratio ita exigit, præbere non differant, quatenus & illi quiete quod tenent possideant, & monasterii jura præjudicium non incurrant. Præterea questi nobis sunt prædicti monachi monasterii, abbatem suum intra Scillanum castrum quod sexcentos pedes extenditur, sub prætextu fabricandæ ecclesiæ fraternitati tuæ donationis titulo concessisse, & ideo volumus quantum parietes possunt ædificatæ ecclesiæ circumdari, juri ecclesiæ vindicari. Quidquid vero extra parietes ejusdem ecclesiæ esse potuerit, ad jura monasterii sine difficultate aliqua revertatur; quia nec mundanarum legum, nec sacrorum canonum statuta permittunt res monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. Quapropter donationem ejusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua restitue contradictione. *Item*, Æquitatis jus exigit, ut hoc quod prædecessoribus nostris cognita veritate est redditum, nostra debite denuo ecclesia tenere non debeat: nec quod omnino contra religiosum constat esse propositum, non vera, sed imaginaria ac magis dolosa fuisse restitutio videatur; & ideo quoniam Stephanus abbas monasterii sancti Marci, quod constitutum juxta muros Spolitanæ civitatis esse dinoscitur, questus nobis est massam Veneris in provincia Campaniæ sitam territorio Menturnensi, quam ei beatæ memoriæ decessoris nostri Benedicti redditam præceptione cognovimus, ab ecclesia nostra nunc indebite retineri. Idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut si manifeste ab ecclesiæ nostræ hominibus detinetur, in jure eam prædicti monasterii, sine aliqua mora vel altercatione restituas. Si vero non a nostris, sed a quibusdam forsitan extraneis detinetur, strenua te agere sollicitudine volumus, ut in jure modis omnibus memorati debeat monasterii reformari; quatenus & ipsum quod suum est te sollicitante sine aliqua fatigatione recipiat, & alter de dispendio monasterii injuste lucrum non habeat.

IX. ,, [1] De ecclesiasticis vero privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra deffendimus, ita singulis quibusque ecclesiis sua jura servamus, nec cuilibet favente gratia ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante derogabo; sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honores in oculos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. Responsalium vero vestrorum moribus valde congaudeo, in quibus mihi ostensum est quantum me diligitis, qui ad me electos fratres & filios transmisistis. [2] Licet fraternitatem vestram erga monasteriorum curam pastorali vigilantia credamus esse sollicitam, ea tamen quæ de monasterio in Africana provincia posito cognovimus, vobis necessario prævidimus indicare illa. Queritur autem Concodeus abbas lator præsentium, quia si quando monachos, quibus præesse dinoscitur, sub regulari voluerit disciplina restringere, monasterium temere deserant, & licite quocumque voluerint vagantes existant. Quia ergo hoc & ipsis omnino perniciosum est, & aliis perditionis monstrat exemplum, hortamur fraternitatem vestram, ut si ita est, ecclesiasticam in illos correctionem exerceat, & cum gravi eos ultione a tali proculdubio præsumtione compescat; atque ita ad obediendum salubri provisione superbientes animos jugo disciplinæ subjiciat, ut quos ad hujusmodi pravitatis excessum eorum poterat imitatio provocare, emendatio a culpa revocet, & suis, ut dignum est, doceat præpositis obedire. Quia vero a quibusdam episcopis excedentes monachos perhibet defensari, fraternitas vestra in hoc studeat esse sollicita, & eos a tali defensione sua modis omnibus interminatione suspendat. [3] Cum piæ desiderium voluntatis & laudandæ devotionis intentio sacerdotalibus sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete religionis & conversationis sint ordinata, ne dissimulatione negligere, ne quadam valeat præsumtione perturbare; sed sicut hoc quod ratio exigebat non aliter oportuit definiri, ita quod definitum est non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus Francorum rex catholicæ religionis amore succensus intra muros Arelatensis civitatis monasterium virorum, ut scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit, cujus ne voluntas umquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete monachorum disposita fuerant turbarentur, quæque contulit in jure ejusdem monasterii epistolis suis apostolica petiit auctoritate firmari; hoc quoque suæ petitioni subjungens, ut eidem monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione abbatis quædam pariter privilegia largirentur. Sciens quippe eam apostolicæ sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreto disposita nullius deinceps inlicitæ usurpationis molestia quaterentur. Unde quia effectum & regia voluntas & res valde desiderata poscebat, a prædecessore nostro Vigilio Romanæ sedis antistite, ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, ubi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat apostolicæ auctoritatis libenti animo subfirmata sunt: quia difficultates pati non potuit hujusmodi res petita. Sed ut fraternitas vestra quæ fuerint tempore illo decreta

1. Lib. II. epist. 39. 2. Lib. VI. epist. 32. 3. Lib. VII. epist. 115.

„ cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta A „ his prævidimus scriptis adjungi; quibus lectione „ percursis, hortamur ut omnia sacerdotali, sicut „ decet, studio inviolata conserves, nihilque illic „ de vetitis, nihil permittas de illicitis. Ex abun„ danti tamen cuncta quæ pro hujus rei quiete a „ prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum „ auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas „ ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat, „ quatenus & omnem inquietudinis occasionem ex„ cludat, & aliis hoc operari studeat, dum se in „ custodienda defuncti piissima voluntate, sollici„ tam, ut decet, exhibuerit & devotam. „

X. *Item de servandis privilegiis:* " Gregorius B „ omnibus episcopis. Nulli fas est vel velle, vel „ posse transgredi apostolicæ sedis præcepta, nec „ ejus dispositionis ministerium, quod omnium „ oportet sequi caritatem. Si ergo ruinæ suæ do„ lore prostratus quisquis apostolicis voluerit con„ traire decretis: nec locum deinceps inter sacer„ dotes habeat, sed extorris a sancto ministerio „ fiat, ne de ejus judicio quisquam postea curam „ habeat, quoniam jam damnatus a sancta & apo„ stolica ecclesia, ejusque auctoritate & propria in„ obedientia atque præsumtione a quoquam esse non „ dubitatur. Quia majoris excommunicationis de„ jectione est exigendus, cui sanctæ ecclesiæ com- C „ missa fuerit disciplina, qui non solum prælatæ „ sanctæ ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed e„ tiam alios ne præterirent insinuare, sitque alie„ nus a divinis & pontificalibus officiis, qui no„ luit præceptis obtemperare apostolicis. „

[1] Dicta beati Hieronymi ad Jovinianum, qualis debeat eligi episcopus. " Non ait Apostolus, eli„ gatur episcopus qui unam ducat uxorem & filios „ faciat; sed qui unam habuerit uxorem & filios „ in omni disciplina subditos. Certe confiteris non „ posse esse episcopum qui in episcopatu faciat „ filios, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi „ vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut D „ permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, „ ut idem sint virgines quod mariti; aut si sacer„ dotibus uxores non licet tangere, in eo sancti „ sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed „ & hoc inferendum, si laicus & quicumque fide„ lis orare non potest nisi careat officio conjugali; „ sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt „ sacrificia, semper orandum est: si semper oran„ dum, ergo semper carendum matrimonio. Nam „ & in veteri lege qui pro populo hostias offere„ bant, non solum in domibus suis non erant, „ sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separa„ ti, & vinum vel siceram non bibebant, quæ so- E „ lent libidinem provocare. „ *De episcopis qui cum mulieribus habitabant.* " Nullus episcopus cum „ muliere habitet penitus, sin autem probatus fue„ rit hoc non observasse, episcopatus honore reji„ ciatur, quia ipse se indignum sacerdotio osten„ dit. „ *De Clericis qui mulieres in domo sua habent.* " Presbyteris & Diaconis, & in clero aliis „ scriptis non habentibus uxores secundum divinas „ regulas, interdicimus & nos mulierem habere in „ sua domo, exceptis matre & filia & sorore & „ aliis personis, quæ omnem querelam effugiunt „ permittimus. Si quis autem adversus istam obser„ vationem mulierem in domo sua habuerit, quæ „ potest suspicionem inferre turpitudinis, & ille a „ conclericis suis audierit cum tali muliere habita„ re, & noluerit eam a domo sua repellere, vel „ accusatore emergente probatus fuerit inhoneste „ cum tali muliere versari, tunc episcopus secun„ dum ecclesiasticos canones a clero eum repel„ lat. " *De nuptiis clericorum.* „ Si Diaconus vel „ Subdiaconus futurus non habent uxorem secun„ dum ea quæ superius exposuimus sibi conjunctam, „ non alter consecretur, nisi prius a consecratore „ interrogatus promiserit posse post consecrationem „ & sine legitima uxore caste vivere, non conce„ dendo consecratori tempore consecrationis Dia„ cono vel Subdiacono futuro permittere, ut post „ consecrationem uxorem accipiat. Quod si hoc „ permiserit fieri, episcopatu suo repellatur. Præs„ byter autem vel Diaconus, vel Subdiaconus qui „ uxorem duxerit repellatur quidem de clero, cu„ riæ autem ejus civitatis in qua clericus erat cum „ facultatibus suis tradatur. Sin autem lector se„ cundas nuptias contraxerit, vel primas quidem, „ sed duxerit uxorem viduam vel disjunctam a ma„ rito, vel canonibus vel legibus sacris reproba„ tam, in alium gradum ecclesiæ non procedat. „ Sed si quocumque modo in majorem gradum „ productus sit, rejiciatur ab eo, & priori resti„ tuatur. „ *De clericis qui nuptias contrahere non possunt:* " Clericus qui supra lectores & cantores „ est, veluti Subdiaconus vel Diaconus, nullas nu„ ptias contrahere audeat, alioquin sacerdotio ca„ dat. Lector quoque si secundas contraxerit nu„ ptias, ad majorem gradum ecclesiastici ordinis „ prohibeatur ascendere. Laicus etiam si appareat „ uxori conjunctus esse quæ alium maritum ha„ buit, aut si non jure conjunctus sit, aut si ille „ aliam uxorem habuit, neque Subdiaconus, neque „ Diaconus, neque Presbyter fieri poterit. Nam „ & si clandestinis artibus ad consecrationem irre„ pserit, honor ejus cadit. Item qui duas nuptias „ contraxerit, Diaconus vel Presbyter fieri prohi„ betur. Sed & si mulierem disjunctam a marito „ suo quem ipsa reliquit, uxorem quispiam habue„ rit, neque Diaconus neque Presbyter fieri po„ test. Idem est & si concubinam habuerit; quip„ pe tales homines cum castitate vivere decet; ca„ stus autem est qui habet vel habuit uxorem ca„ stam & ipsam virginem, & ab ipso virgine re„ ceptam. Si quis autem Presbyter vel Diaconus „ aut Subdiaconus uxorem duxerit, vel concubinam „ habuerit sive clam, sive palam, sive sub aliqua „ figura, cadat clericatus honore, & sit privatus „ & Laicus. Item ea quæ de clericis diximus te„ neant etiam & in Diaconissis. Diaconissas au„ tem creari constitutio præcipit, si quinquaginta „ annorum ætatem agunt, ita tamen ut virgines „ sint, vel si unum maritum tantum habuerunt. „ Si autem mulier propter aliquam necessitatem „ minor quinquaginta annis Diaconissa facta fue„ rit, non liceat ei alibi degere quam in Archi„ sterio [2] sanctimonialium mulierum, ubi neque „ mares conversantur, neque vivere liceat ei quo„ modo velit. Nam Diaconissæ super se habitare „ debent, vel nullum alium ammittere secum, nisi „ revera fratrem; sin autem aliqua suspicio sit „ quasi simulatus frater cum ea degat, vel ab ini„ tio non consecretur, vel si consecrata fuerit, „ amittat honorem. „

XI. *De clericis.* " Nemo clericus fiat, nisi is „ qui & bonum testimonium habet & litteratus est.

1. Lib. I. adversus Jovinianum.

2. Forte *asceterio*.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.

„ Qui enim litteras non scit, clericus esse non potest. Doceantur & presbyteri & Diaconi sacras orationes & ecclesiasticos canones, quos scilicet consecrari oportet sine reprehensione, sine contradictione, sine pecuniarum datione, liberatos tam officiali quam curiali conditione, nisi forte secundum observationem, quam in primo capite præsentis constitutionis exposuimus. Item sive Lector, sive Subdiaconus, sive Presbyter clericatus honorem contemserit, & in aliam vitam transierit, duorum alterum sit; vel curiali conditioni cum suis facultatibus subjiciatur: vel si plures curiales civitas habeat, sive ut ipse vilior sit, ad officialem conditionem trahatur, id est taxioticam. „ *De episcopis*. „ Hæc constitutio in primo capite consecrationis episcoporum loquitur quemadmodum oportet procedere. Necesse est enim prius disceptari de vita episcopi, utrum bona sit an reprehensibilis, & iterum bonis testimoniis muniatur, an non. Sed & si officialis vel curialis conditionis sit, prohibetur episcopus fieri, nisi forte a tenera ætate in monasterio fuit. Eoque modo liberatus est a prædictis conditionibus; ita tamen ut quartam portionem substantiæ suæ curiæ præstet, secundum legis observantiam. Sed neque ex laico statim ad episcopatum ascendere licet, neque clericatus honorem simulatum habuisse sufficit. Oportet eum qui episcopus fit neque uxorem habere, neque concubinam, neque filios, neque nepotes seu legitimos sive legibus incognitos; & si quis contra hæc fecerit, & is qui factus est, & is qui eum fecit, episcopatus expellatur honore. Ne liceat pecuniæ datione episcopum esse. Eum autem oportet qui episcopus fit, vel monachum, vel clericum: ita tamen ut non minus sex mensibus appareat eum in clericatu fuisse. Legere autem debet & sacros canones, eoque tempore quo consecratur, consulatur eum is qui consecrat, si possit facere atque custodire omnia quæ divini præcipiunt canones, & siquidem negaverit se posse custodire, non consecretur; si autem pollicitus fuerit observaturum se quantum hominibus possibile est sancta canonum præcepta, tunc is qui consecrat eum ammonere atque prædicere debet, quod si non observaverit canones sanctos & alienus erit a Deo, & religiosis episcopis non connumerabitur. Nam canones patrum vim legum habere oportet. Sin autem aliquis pecuniam dederit, eodemque modo episcopus creatus fuerit non solum ipse, sed etiam qui consecravit eum inter episcopos non erit, sed pecuniæ vel res datæ consecrationis caussa sacrosanctæ ecclesiæ addicantur, sive episcopus, sive ...... est qui dedit. Is autem qui accepit non solum res amittat, sed etiam gradum atque honorem clericatus. Similiter autem & si laicus sit qui pecuniam vel res accepit, & ipsas amittat, & aliud tantum quantum accepit pecuniæ nomine sanctæ ecclesiæ præstare compellatur; sed & si magistratum gerat, in magistratu esse desinat, & in exsilio irrevocabili condemnabitur. Sin autem aliquis Presbyter vel Diaconus constitutus pecunia data ad episcopatum pervenerit, non solum episcopus esse desinat, sed etiam priorem gradum Presbyteratus vel Diaconii amittat. Consecratio autem episcopi fiat ante omnem populum christianitatis, ut sit facultas unicuique si velit contradicere. Et siquidem ante consecrationem facta fuerit contradictio, non prius consecretur episcopus nisi disceptatio de contradictione facta sit, & undique appareat innoxius. Is autem qui eum contradixit calumniator, si contradictionis judicium deseruerit, & si non peregerit caussam, prohibeatur sacra communione in omni vita sua ab eo qui consecraverit episcopum. „

XII. “ De Presbyteris constituendis statutum est, ut sine auctoritate vel consensu episcoporum presbyri in quibuslibet ecclesiis nec constituantur nec expellantur, & si laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ episcopis consecrandos suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant. *In concilio Carthaginensi*. Ut cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores & filiæ fratrum vel sororum. *Item in eodem concilio*, ut clerici vel continentes ad viduas vel virgines, nisi ex jussu & permissu episcoporum non accedant, & hoc non soli faciant, sed cum clericis, aut cum his cum quibus episcopus jusserit. Nec ipsi episcopi aut Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi feminas, sed aut ubi clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani. *In Aquitano concilio*: Diaconi cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores, neque posse continere: hi postea si ad nuptias venerint maneant in clero tantum, & a ministerio abjiciantur. Quicumque sane tacuerunt & susceperunt manus impositionem professi continentiam, & postea ad nuptias convenerunt, a ministerio & clero cessare debebunt, laicam tantum communionem recipientes. *In Decretalibus papæ Leonis*, quod subdiaconis carnale connubium denegetur. Nam cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo vel secundo, tertiove servandum est, ne aut Levitico, aut presbyterati honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a voluptate uxoris nec dum frenasse detegitur? *Innocentius Papa*: Quod hi qui in presbyterio filios genuerint removeri oportet ab officio. Quia zelo fidei ac disciplinæ doctus non patitur ecclesiam pollui ab indignis Presbyteris quos in presbyterio filios asserit procreasse, quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideo, fratres carissimi, libelli qui subjectus est tenore perspecto, eos qui talia perpetrasse dicuntur, jubete in medio collocari, discussisque objectionibus quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio; quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiuntur a monasterio, quod vivendo illicite polluerunt. Miramur autem hæc eorum dissimulare episcopos, ut aut cohibere connivere, aut nescire esse inlicita judicentur. „

XIII. *In Nicæno concilio de subintroductis mulieribus*: “ Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. „ Hoc autem Nicæ-

num concilium beatus Ambrosius in libro de Trinitate his verbis in immensum effert. " De conciliis vel potissimum sequar quod trecenti decem " & octo sacerdotes, tamquam Abrahæ lecti judicio consona fidei virtute victores, velut trophæum " toto orbe subactis perfidis extulerunt: ut mihi " videatur hoc esse divinum, quod eodem numero " in conciliis fidei habeamus oraculum, quod in " historia pietatis exemplum ". *In Decretalibus quæ feminæ habitent cum clericis:* " Feminas vero " non alias esse patimur in domibus clericorum, " nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum " caussas habitare cum hisdem Synodus Nicæna permisit ". *In Concilio Laodicensi:* " Viris cum mulieribus lavacra non celebranda. Quod non oporteat sacris officiis deditos aut clericos aut continentes, vel omnem laicum Christianum lavacra " cum mulieribus celebrare, quia hæc apud gentiles prima reprehensio est ". *Non licere clericis ludicris, & spectaculis interesse:* " Oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis " aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in cœnis exhibentur interesse, sed antequam cemelici [1] ingrediantur surgere eosdem convivio & abire debere ". *In Synodo Neocæsariensi Capitul.* I. " Presbyter qui uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit vel " adulterium commiserit, extra ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam inter laicos redactus agat ". *In eadem Synodo Capitul.* XII. " Quæ forma servatur in clericis, maxime cum vetus regula " hoc habeat, ut quisque correctus baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere. " *In Synodo Carthaginensi de continentia:* " Aurelius episcopus dixit: Cum præterito concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui conscriptione quadam castitatis per consecrationes " adnexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros " & Diaconos, ita placuit, ut sacros condecet " antistites, ac Dei sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter " quod a Deo postulant impetrare, ut quod apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos " quoque custodiamus. "


XIV. *In eadem Synodo de diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis:* " Faustinus episcopus ecclesiæ " Potentinæ provinciæ Piceni legatus sanctæ ecclesiæ dixit: Placet ut Episcopi, Presbyteri, & " Diaconi, vel qui sacramenta contractant pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant? Ab universis episcopis dictum est, Placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari inserviunt ". Præterea cum de quorumdam clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur " Placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos secundum priora statuta etiam " ab uxoribus continere: quod nisi fecerint, ab " ecclesiastico removeantur officio; ceteros autem " clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque ecclesiæ consuetudinem observari debere ". *In Synodo Romana cui beatus Silvester papa præsedit cum Episcopis* CCLXXXIV. " Nemo Presbyter a die honoris presbyterii sumat conjugium: " quod si quis hoc neglecto aliter egerit, duodecim annis eum dicimus privari honore. Quod si " quis contra hoc chirographum præsens & publice dictum egerit, condemnabitur in perpetuum ".

1. *Thymelici*, id est, *tibicines*.

Ambrosius in epistola ad Titum inter cetera sic ait: " Unius uxoris virum, quamvis secundam numero uxorem non sit habere prohibitum, ut tamen " quis dignus ad episcopatum sit, etiam licitam " debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis, quia ceteris melior debet esse, qui cupidus " est sedis illius. Sobrium, pudicum, ornatum, " hospitalem, docibilem, non obnoxium vino, non " verberatorem, sed modestum; non litigiosum, " non asperum, domum suam bene regentem, filios " habentem subditos cum omni caritate. Talem " hominem qui hæc custodiat quæ enumerat bona " creari debere dicit episcopum: hæc enim signa " sunt dignitatis episcopalis. Si quis autem potiora sectatus est, corpus & animam suam Deo dicaverit, ne se copulet matrimonio, tanto magis " dignior fiet; ideo enim inferiorem posuit, ut de " potiore nemo dubitaret. Sit autem episcopus pudicus, quem Græci σώφρονα vocant; & Latinus " interpres verbi ambiguitate deceptus pro pudico " prudentem transtulit. Si autem laicis imperatur " ut propter orationem abstineant se ab uxorum " coitu, quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo " oblaturus est victimas? Relegamus Regum libros, " & inveniemus sacerdotem Abimelech de panibus " Propositionis noluisse prius dare David & pueris ejus, nisi interrogaret utrum mundi essent " pueri a muliere, non utique aliena, sed conjuge: & nisi eos audiisset ab heri & nudius tertius vacasse ab opere conjugali, numquam panes " quos prius negaverat concessisset. Quantum interest inter Propositionis panes & corpus Christi, quæ differentia inter umbram & corpora, " inter imaginem & veritatem; inter exemplaria " futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur? Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, " hospitalitas quoque & benignitas præcipue esse " debent in episcopo & inter cunctos laicos eminentia, sic & castitas propria, & ita dixerim " pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere se " in mundo abstineat, sed etiam a jactu oculi & " cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera. Justus quoque episcopus debet " esse & sanctus, ut justitiam in populis quibus " præest exerceat, reddens unicuique quod meretur, nec accipiat personam in judicio. Inter laici autem & episcopi justitiam hoc interest, quod " laicus potest justus apparere in paucis, episcopus " vero in tot exercere justitiam, quot & subditos " habet. Sit quoque episcopus abstinens, non tantum, ut quidam putant a libidine, ab uxoris " complexu, sed ab omnibus animi perturbationibus, ne ad iracundiam concitetur, ne illum tristitia dejiciat, ne terror agitet, ne lætitia immoderata sustollat. Abstinentia autem in fructibus spiritus ab Apostolo munerata est ".

XV. *Isidorus Spalensis Episcopus in libro Officiorum sacrorum:* " Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse " est ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis " arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam " cum qua fronte subjectos arguere poterit, cum " illi statim possit correptus ingerere, ante te doce quæ recta sunt, o episcope? Quapropter qui " negligit recta facere, desinat recta docere; prius " quippe semetipsum corrigere debet qui alios ad

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



Sæcul. X.
circa
Ann. Chr.
1000.



,, bene vivendum admonere studeat, ita ut in omnibus A semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus & doctrina & opere provocet. Cui etiam & scientia scripturarum necessaria est, quia si episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli potest prodesse sic vivendo. Porro si & doctrina & sermone fuerit eruditus, potest quoque ceteros instruere & docere suos & adversarios repercutere; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt simplicium corda prevertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex & aptus; cujus præ ceteris speciale officium est scripturas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus habere pacem, B nec quemquam ex membris suis despicere, nullum damnare, nisi comprobatum, nullum excommunicare nisi discussum: quique ita humilitate pariter & auctoritate præstabit, ut nec per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, nec per immoderatam auctoritatem severitatis potestatem exerceat, sed tanto cautius erga commissos agat, quanto durius Christum judicare formidat“. *Idem in eodem libro*: Sint igitur & virgines episcopi, casti, mundi, & pergant viam sublimitatis, pede humilitatis sequantur Christum, tenendo perseveranter quod voverunt ardenter, ita ut professi hac servata integritate, ceteris etiam moribus congruant, C sine quibus procul dubio otiosa & inanis manet virginitas. Illi ergo virgines esse probantur qui sic continentiæ inserviunt, ut nullis criminibus, nulloque terrenæ sollicitudinis honore prægraventur. Curam enim mundi conjugalis copula gignit, Paullo docente, dum dicit: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Unde agnoscitur non posse placere Deo hujusmodi continentiæ votum, quod præpeditur secularium impedimento curarum ,,. *Idem eodem libro*: “ Debent ergo & ipsi episcopi ita esse perfecti, & D in officiis sacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco sancto, in atriis tabernaculi testimonii ipsi non peccando consumant. Quid autem est in loco sancto manducare peccatum? Locus erat sanctus in quem pervenerat Moyses secundum quod dictum est ad eum: Locus enim in quo stas terra sancta est. Similiter ergo & in Ecclesia Dei locus sanctus, est fides perfecta & caritas de corde puro & conscientia pura. Videant & discant episcopi quid sit tactus qui faciat immundum; quid vero sit tactus qui faciat mundum. Apostolus dicit, Bonum est homini mulierem non tangere. Hic tactus immundus est, hoc est enim illud quod Dominus in Evangelio ait: E Si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo: tetigit enim cor ejus concupiscentiæ vitium, & immunda facta est anima ejus. Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem, id est vel per mulieris concupiscentiam, vel per pecuniæ cupiditatem, vel alio quolibet peccati desiderio, immundum tetigit, & inquinatus est. Oportet ergo te si quid tale tetigeris scire quomodo offeras sacrificium secundum ea quæ in superioribus memoravimus, ut mundus effici possis ,,.

XVI. *Ambrosius in epistolam ad Romanos*: “ Fratres, quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; & prudentia carnis inimica est in Deum, & qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Arbitror eos qui serviunt officio conjugali quod prudentiam carnis diligant, & in carne sunt, a qua retrahens nos Apostolus, & jungens Spiritui deinceps loquitur: Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. *Idem post pauca*: ,, Vide, frater, quanta pudicitia exigatur in episcopo, ut si filii ejus impudici fuerint, ipse episcopus esse non possit, & eodem vitio offendat Deum quo offendit Heli pontifex, qui corripuerat quidem filios, sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit, & mortuus est. In omni gradu & sexu tenet pudicitia principatum. Cernis igitur quod Episcopus, Presbyter, Diaconus non ideo sint beati quia Episcopi vel Presbyteri sunt aut Diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum & officiorum: alioquin si Diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo quod in inferiori gradu est, apud Christum deterior erit: ut Stephanus Diaconus, qui primus martyrio coronatus est, minor futurus in regno cælorum multis Episcopis, & Timotheo ac Tito: quos ut subjicere non audeo, ita nec anteponere. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, ut nulli vitio luxuriæ mancipatus sit: unius uxoris virum, qui unam uxorem habuerit, non qui habeat: sobrium, sive ut Græco dicitur, vigilantem, id est Niphanon: pudicum, hoc enim significet Sophronon, ornatum & castitate & moribus: hospitalem, ut imitetur Abraham, & cum peregrinis, immo in peregrinis Christum suscipiat: doctorem, nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi & creditum sibi populum possit instruere. Ut valeat exhortari in doctrina, & eos, qui contradicunt, redarguere: non violentum, quia semper in sanctis sanctorum est, & offert hostias, vinum & sinceram non bibit: non vinolentum, quia in vino luxuria est. Non violentum: sic bibat episcopus ut an biberit ignoretur “. *Ambrosius in epistolam ad Romanos*: Quanta felicitas non uxoris esse servum, sed Christi; non carni servire, sed spiritui! qui enim adhæret Domino unus spiritus est. Ac ne forsitan in eo quod supra dixerat, si servus vocatus es, non sit tibi curæ, sed & si potes liber fieri, magis utere; sugillasse continentiam videretur, & in famulatum tradidisse nos conjugum; infert sententiam quæ omnem cavillationem amputet: pretio magno emti estis, nolite fieri servi hominum, neque conjugum, redemti sumus pretiosissimo Christi sanguine. Vere amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum, majorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigeris. Apostoli uxoris onere contemplato, si talis, inquiunt est, caussa hominis cum uxore, non expedit nubere; quorum sententiam Dominus probans, Recte quidem, ait, sentitis, quod expediat homini ad cælorum regna tendenti non accipere uxorem. Sed difficilis est res, & non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. *Et paullo post tractanda sententia est*: “ Beati, inquit, qui se castraverunt propter regna cælorum: ergo qui se non castraverunt, locum non possunt accipere castratorum. Qui potest, inquit, capere, capiat. Grandis fidei est, grandisque virtutis Dei templum esse purissimum. Totum se holocaustum offerre Domino, & juxta

„ eumdem Apostolum, esse sanctum & corpore & A „ spiritu. Hi sunt eunuchi, qui se lignum aridum „ ob sterilitatem putantes, audiunt per Isaiam quod „ pro filiis & filiabus locum habeant in cælis pa- „ ratum. Hieronymus, Non potest Domini servi- „ re militiæ, qui servus est uxoris. De speculis „ mulierum jejunantium quasi de purissimis corpo- „ ribus virginum. Luter in tabernaculo funditus, „ & intrinsecus in sanctuario tam Cherubim, quam „ propitiatorium & Arca testamenti, & mensa „ Propositionis & Candelabrum & Turribulum ex „ auro mundissimo sunt: neque enim in Sancta „ Sanctorum poterat inferri argentum. Sicut in „ ligno vermis, ita perdit virum suum uxor ma- B „ lefica. Si autem asserueris hoc de malis dictum „ esse conjugibus, & ego tibi breviter responde- „ bo: quæ enim mihi incumbit necessitas venire „ in dubium, utrum mala sit, an bona futura quam „ duxero? melius est habitare in terra deserta, „ quam cum uxore litigiosa & iracunda. Quam „ rarum sit uxorem sine his vitiis invenire, no- „ vit ille qui duxit uxorem! Unde pulcre Varius „ Geminus sublimis orator: Qui non, inquit, li- „ tigat, cælebs est. Melius est inhabitare in an- „ gulo tecti, quam cum uxore maledicta in domo „ communi: assiduis quippe jurgiis, & quotidiana „ garrulitate facit perpluere domum ejus, & ejicit „ eum de ædibus suis, id est ecclesia. Æstimo quod C „ qui uxorem habet quamdiu ad idipsum revertitur, „ non tentet eum satanas, quia in carne seminat, „ & non in spiritu; qui autem in carne seminat, „ non ego, sed Apostolus loquitur, quod metat „ corruptionem. Elegit nos in Christo Deus pater „ ante constitutionem mundi, ut essemus sancti & „ immaculati coram eo. Ambulavimus in concu- „ piscentiis carnis facientes voluntatem ejus & co- „ gitationum; & fuimus filii iræ sicut & ceteri; „ nunc autem cum resuscitavit [1] & consedere nos „ fecit in cælestibus in Christo Jesu, ut depona- „ mus secundum priorem conversationem veterem „ hominem, qui corrumpitur juxta desideria car- „ nis: Quæcumque ergo sunt vera, quæcumque „ pudica, quæcumque justa, quæcumque ad ca- „ stitatem pertinentia, his copulemur, hæc sequa- „ mur. „

[1]. conresus.

XVII. D. Ambrosius ad Pammachium: " Conse- „ quens est ut secundum imaginem ejus, qui sa- „ cerdotium ecclesiæ dedit, etiam ministri & sa- „ cerdotes ecclesiæ peccata populi accipiant, & „ ipsi imitantes magistrum remissionem populo pec- „ catorum tribuant. Debent ergo & ipsi ecclesiæ „ sacerdotes ita perfecti esse, & in officiis sacer- „ dotalibus eruditi, ut peccata populi in loco san- „ cto, in atriis tabernaculi testimonii ipsi non pec- „ cando consumant. Quid autem est in loco san- „ cto manducare peccatum? Locus erat sanctus in „ quem pervenerat Moises, secundum quod dictum „ est ad eum: Locus enim in quo stas, terra san- „ cta est. Similiter ergo & in Ecclesia Dei locus „ sanctus est, Fides perfecta, & Caritas de corde „ puro & conscientia bona; qui in his stat in Ec- „ clesia, in loco se sancto stare cognoscat". *Item post pauca*: „ Discant Sacerdotes Domini qui Ec- „ clesiis præsunt, quia pars eis data est cum his „ quorum delicta repropitiaverint. Quid autem est „ repropitiare delictum? si assumseris peccatorem, „ & monendo, hortando, docendo, instruendo ad- „ duxeris eum ad pœnitentiam, ab errore corre- „ xeris, a vitiis emendaveris, & effeceris eum ta- „ lem, ut ei converso propitius fiat pro delicto, re- „ propitiasse diceris. Si ergo talis fueris sacerdos, „ & talis fuerit doctrina tua & sermo tuus, pars „ tibi datur eorum quos correxeris, ut illorum „ meritorum tua merces sit, & illorum salus, tua „ gloria.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.



INCIPIUNT CANONES

DOMNI ABBONIS ABBATIS,

Et Regis HUGONIS, & RODBERTI filii ejus Francorum regis;

Excerpti de aliis Canonibus.

PRÆFATIO.

DOminis meis gloriosissimis Francrum regibus, Hugoni, filioque Rodberto, speciem gerenti dignam imperio, humilis Floriacensium rector Abbo, perpetuæ salutis munus in Christo. Postquam divina providente clementia regni fastigium suscepistis; ad probationis emolumentum multa infortunia, occulto, sed non injusto Dei judicio, perpessi estis. Nec id ab externis gentibus, sed a regni primoribus, ut vestri imperii primordia fermentarentur. Sed quia de omnibus vos eripuit omnipotens Dominus, recordamini bonitatis & pietatis Dei; recordamini prædecessorum vestrorum bonorum regum; recordamini judiciorum justorum: ac semper habetote in animo, [1] *parcere subjectis, & debellare superbos*. Certe, serenissimi domini, A quia vos in nostrum ordinem benevolos comperi, capitula inferius scripta ex canonum legumve libris, partim meis, partim aliorum sententiis, uno tenore digessi; & vestro nomini consecrans, postquam contra æmulos Apologetico usus sum, uno tomo breviter collecta explicui: in quibus & vestri ministerii summam expressi; & qualiter vobis fidem servare debeant optimates regni, non tacui. Ad defensionem quoque monastici ordinis plura congessi: quia monachorum senatum semper salvum esse & volo, & volui, quorum etiam vos piissimi Defensores & Advocati estis. Unde simul cum monachis vestri Abbonis miseremini, ut det vobis Deus suam invenire misericordiam heic & in perpetuum cum regibus sanctis. Valete.

[1] Virg. IV. Æneid.

CAPITULA.

I. *De honore ecclesiarum & monasteriorum.*

Ecclesia quæ est templum Dei vivi, quo honore habenda sit, testatur ipse Dominus in Evangelium quo dicit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Quia igitur ipsa est oratorium, de quo beatus pater Benedictus dicit: [1] *Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quidquam aliud agatur aut condatur*; providendum est, ne cui Christus fundamentum est, in usus sæcularium transferatur propter rapinas suarum rerum: quia perhibentur Christiani intus vel foris violentiam ingerere atriis domus Dei. Unde [2] Theodosius & Valentinianus Augusti libro nono legum, B capitulo xxxiv. Antiocho præposito; " Pateant, inquiunt, summi Dei templa timentibus, nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, quæ [3] ecclesia quadripertito intrinsecus parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: sed usque ad extremas fores ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus; & aditum pariter templi, quem parietum descripsimus cinctu. Et post loca publica januas primas ecclesiæ quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis & balneis, areis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendo eos conetur quisquam sacrilegas C manus immittere: neque [4] ausus sit, cum discrimen suum videat, ad expendendam opem ipsi quoque confugiant. Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo & sacrosanctis altaribus confugientium quemquam mane vel vespere cubare vel pernoctare liceat, ipsis hoc clericis religionis caussa vetantibus. "

Interpretatio. Ecclesiæ sunt loca Deo dicata. Et ideo reos, qui ibidem compulsi timore confugerint, ita tueantur, ut nullus locis sanctis ad direptionem rerum vim aut manus afferre præsumat: sed quidquid spatii vel in porticibus, vel in areis ad ecclesiam adjacentibus pertinet; velut interiora templi præcipimus custodiri, ut reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, & loca D venerabilia polluantur. Sane si qui ad sancta loca confugerint, arma si qua secum portaverint, mox deponant: nec se æstiment magis armorum præsidio, quam sanctorum locorum veneratione defendi. Quod si deponere arma noluerint, & sacerdoti vel clericis non crediderint, sciant se armatorum viribus pertrahendos. Si vero aliquis extrahere de locis sanctis quemlibet reum quacumque ratione tentaverit, capitali supplicio esse damnandum.

II. *De defensoribus ecclesiarum vel monasteriorum.*

Defensores ecclesiarum qui dicuntur hodie, contra auctoritatem legum & canonum sibi defendunt quod fuerat juris ecclesiarum: sicque violentiam clericis & monachis ingerendo, res ecclesiarum seu monasteriorum usufructuario diripiunt, colonos in paupertatem redigunt, possessiones ecclesiarum non augent, sed minuunt: & quorum defensores esse debuerant, eos vastant. Patet rerum copia cunctis hostibus prædæ, nec parant saltem vel verbis obviam ut resistant: qui se putant non A jam advocatos, sed dominos, dum post abscessum hostium, consumunt quidquid fuerit residuum, juxta illud propheticum: *Residuum erucæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit locusta.* Denique idcirco videmus ecclesias destructas, monasteria quædam diruta, quædam ad summam inopiam redacta, quæ bonorum virorum eleemosyna aliquando floruerunt in magna gloria: quia multi se ultro offerentes sub advocationis obtentu, de possessionibus, de reditibus, de oblationibus maximam portionem intercipiunt, quam ecclesiastici capere debuerant. Unde ut talis præsumtio cessaret, ita cautum est in concilio Affricano cap. LXIV. " Placuit etiam ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi, Vincentius & Fortunatius, a gloriosissimis Imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt vel in munere defensionis caussarum: ut more sacerdotum provinciæ id ipsi, qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria. "

III. *De ministerio regis.*

Quale ministerium regis sit, & ipse sui officii nomine prodit, & totius regni suscepta cura innotescit. Nec magis ulla sententia animum regis ad bene agendum subrigit, quam diversorum principum clementia proposita sub exemplis: quia & Constantini imperatoris mansuetudo laudatur inter diffidentes episcopos, & Marciani pura fides inter hæreticos & orthodoxos. Sed de externis quid loquor, & loquendo immoror? cum ad dispensationem reipublicæ & utilitatem ecclesiarum tanta fuerit pietas ac prudentia Caroli, & filii ejus Ludovici. Certe utrique pro tempore ac ratione noverant *parcere subjectis, & debellare superbos.* Unde ex libris, qui ex conciliis sui temporis effecti sunt cum subjectione episcoporum, quanta facile est reperiri, expressum libro II. cap. I. post aliqua. " [5] Justitia regis est, neminem injuste per potentiam opprimere; sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare; advenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere, ecclesias defensare, pauperes eleemosynis alere; justos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere; magorum & ariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere; iracundiam differre, patriam fortiter & juste contra adversarios defendere; per omnia in Deo vivere; prosperitatibus non elevare animum, cuncta adverE sa patienter ferre; Fidem catholicam in Deum habere; filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum. *Væ enim terræ, cujus rex est puer, & cujus principes mane comedunt.* Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad cælestia regna meliora perducunt. "


IV. *De fidelitate regis.*

Cum regis ministerium sit totius regni penitus negotia discutere, ne quid in eis lateat inju-

1. S. Bened. Reg. cap. 52.
2. Cod. Theod. lib. IX. tit. 45.

3. Al. *qui.* 4. Al. *ne qui hoc.*
5. Conc. Paris. VI. lib. II. cap. 1.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



ftitiæ; quo modo ad tanta poterit fubfiftere, nifi A annuentibus epifcopis & primoribus regni? Et cum Apoftolus dicat: *Deum timete, regem honorificate*; qua ratione fui minifterii vices exercebit in contumacium perfidia, fi ei primores regni auxilio & confilio non exhibeant debitum honorem cum omni reverentia? Ipfe enim folus non fufficit ad omnia regni utilia. Idcirco partito in aliis onere, quos dignos credit honore, honorandus eft & ipfe fincera devotione, ne quis ei contradicat quomodocumque: quia *qui poteftati refiftit, Dei ordinationi refiftit*. Siquidem ut melius eft non vovere, quam poft votum non reddere: ita melius eft electioni principis non fubfcribere, quam poft fubfcriptionem B electum contemnere vel profcribere. Quandoquidem in altero libertatis amor laudatur, in altero fervilis contumacia probo datur. Tres namque electiones generales novimus, quarum una eft regis vel imperatoris, altera pontificis, tertia abbatis. Et primam quidem facit concordia totius regni, fecundam vero unanimitas civium & cleri; tertiam fanius confilium cœnobialis congregationis. Et unaquæque non pro fæcularis amicitiæ gratia vel pretio, fed ad fuam profeffionem pro fapientia vel vitæ merito. Porro ordinatus rex ab omnibus fubditis fidem fibi facramento exigit, ne in aliquibus regni fui finibus difcordia generari poffit. Hinc habes fcriptum in Concilio Toletano cap. LXXV. C " [1] Poft inftituta quædam ecclefiaftici ordinis vel decreta, quæ ad quorumdam pertinent difciplinam; poftremo nobis cunctis facerdotibus fententia eft pro robore noftrorum regum & ftabilitate gentis, pontificale ultimum fibi Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama eft, tanta exftat perfidia animorum, ut fidem facramento promiffam regibus fuis fervare contemnant, & ore fimulent juramenti profeffionem, dum retinent mente perfidiæ impietatem. Jurant regibus fuis, & fidem quam pollicentur, prævaricant: nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio fuper eos, qui jurant in nomine Domini mendaciter. Quæ D igitur fpes talibus populis contra hoftes laborantibus erit? quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hoftibus jurata fponfio permanebit, quando nec ipfis propriis regibus juratam fidem confervant? Quis enim adeo furiofus eft, qui caput fuum manu propria defecet? Illi, ut notum eft, immemores falutis fuæ, propria manu feipfos interimunt, in femetipfos fuofque reges proprias convertendo vires. Et cum Dominus dicat: *Nolite tangere chriftos meos*. Et David: *Quis*, inquit, *extendet manum fuam in chriftum Domini, & innocens erit?* Illis nec vitare metus eft perjurium, nec regibus fuis inferre E exitium. Hoftibus quippe fides pacti datur, nec violatur; id eft fi bello fides vallet, quanto magis in fuis fervanda eft? Sacrilegium quippe eft, fi violetur a gentibus regum fuorum promiffa fides: quia non folum in eis fit pacti tranfgreffio, fed & in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipfa promiffio. "

V. *De privilegiis.*

Romanæ & apoftolicæ fedis auctoritas Chrifto Domino propitiante refulget per univerfalem totius orbis Ecclefiam. Nec mirum, cum ejufdem fedis pontifices beati Petri, qui princeps eft totius Ecclefiæ, videantur vices gerere. A Chriftianis quoque Imperatoribus hanc eamdem obtinuerunt fingularitatis excellentiam, ut fundatis epifcopalibus ecclefiis, virorum feu fanctimonialium monafteriis, legem quam femel fub excommunicationibus anathemate impofuiffent, numquam, nifi neceffitas impediret, deinceps perderent. Unde ita habes fcriptum in concilio Nicæno cap. VI. " Antiqua confuetudo fervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus epifcopus horum omnium habeat poteftatem: quia & urbis Romæ epifcopo parilis mos eft. Similiter autem & apud Antiochiam ceterafque provincias fuis privilegia ferventur ecclefiis. " *Item* [2] Gregorius Joanni epifcopo: " Grave nimis & contra facerdotale conftat effe propofitum, cujufquam monafterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum quæ funt pro quiete difpofita, niti deducere. Quefti itaque funt nobis monachi tuæ diœcefeos, quia fuo monafterio quædam contra ea quæ a prædecefforibus veftris permiffa, ac longa confuetudine fervata funt, feftinetis inducere, & antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde his fraternitatem veftram hortamur affatibus, ut, fi ita eft, ab ejus fe moleftia fine aliqua excufatione contineat, & quæ ei funt diutius cuftodita, nullius occafionis tentet ufurpatione convellere: fed cuncta illibate & fine ulla ftudeat refragatione fervare; & plus fibi in eodem monafterio, quam prædecefforibus fuis licuit, noverit non liceret. " Item in legibus cap. DX. " Poffeffiones ad religiofas domos pertinentes nullam defcriptionem agnofcant, nifi ad conftructionem viarum vel pontium ædificationes: ita tamen, fi habuerint poffeffiones intra territorium conftitutas illius civitatis, in qua defideratur defcriptio. Habeant autem immunitatem, fortitis muneribus extraordinariis, & lucrativorum defcriptione. "

VI. *De præceptis regalibus vel imperialibus.*

Gloriofiffimorum regum potentia ftabile firmumque effe voluit, quidquid verbo vel opere præcipiendo conftituit, maxime quod ad utilitatem ecclefiæ fuorum procerum fuggeftionibus ratum effe judicavit. Quapropter qui præceptis regalibus contradicit, fe regem non diligere, nec timere oftendit: præfertim cum prifcorum virorum fulcitur affertione, quam autenticam non ignorat effe. Nam Dominus dicit: *Si quis diligit me, fermones meos fervabit*. Qui ergo regem odit, odit præceptum illius; fermones etiam irreprehenfibiles reprehendere quærit. Sed unde hoc contingit, nifi ex nimia manfuetudine regis? Omnia enim nimia nocent. Propterea denique jubemur habere fimplicitatem columbinam ac ferpentinam aftutiam: ne ad utramque partem fit vehementior animus, qui nefcit fervare modum plus æquo anxius. Siquidem non de imperiali præcepto, fed de indiculis epiftolarum fuarum hoc Carolus propofuit edictum in libro VI. capitul. fuorum. " Si quis litteras noftras defpexerit, id eft tractatoriam, quæ propter miffos recipiendos dirigitur; aut in loco quo prædictos miffos fufcipere debuit, tamdiu refideat, & de fuis rebus legationes illuc venientes fufcipiat; quo ufque animo noftro fatisfactum habeat. Qui vero epiftolam noftram quocumque modo; juffu noftro ad palatium veniat, & ad voluntatem noftram congruam ftultitiæ fuæ caftigationem accipiat. Et fi homo liber, id eft minifterialis comitis, hoc fecerit, honorem qualemcumque habuerit, five bene-

1. Conc. Tolet. IV. cap. 75.

2. Greg. lib. VII. epift. 33. Ind. I.



ficium, amittat: & si servus, nudus ad palum vapulet, & caput ejus tondeatur.„

VII. *De differentia testamentorum, & precariis.* [1]

QUoniam testamentorum alia fiunt dotis nomine, alia hereditatis donatione, alia de rebus ecclesiæ, quas abalienari est difficile, & dicuntur precariæ. Exceptis his, sunt præcepta regalis, id est imperialis, jussionis auctoritate roborata, quibus consentiunt Romanorum pontificum privilegia sub excommunicationis anathemate decreta. At vero precariæ, quæ ex conventione fiunt, & precibus obtinentur, aliæ sub quotlibet personis censualiter retinentur usu fructuario; aliæ per commutationis emphyteosim, id est contractum: quæ fit eo modo, quo habetur in libro Conciliorum tertio [2] cap. XXII. " Precariæ a nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate conventi [3] datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus ecclesiæ, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias & ecclesiasticas usu fructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus ecclesiasticis fructuario usu in suo tantum quis nomine adsumat: quia sic eas quemcumque tueatur oportet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem. Et a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo & sanctis dicatis: cum ratio & usus obtineat, neminem qui non vult, contra utilitatem & rationem præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit: quoniam præcepta in jure ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas regia, nisi ab ecclesiastico rectore petantur. Isdem autem custos ecclesiæ sollertissime caveat, ne sui ordinis & ecclesiasticæ communionis forte immemor, contra actoritatem præceptum regium pro quacumque assentatione fieri petat. Qui etsi fecerit, non audiatur: si autem obtinuerit, regia discretione & episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro principis injusta suggestione digne corripiatur.„

VIII. *De eo quod necessitas excludit leges & canones.*

ECclesiasticæ regulæ, quas Græci canones vocant, a sanctis patribus sunt inventæ idcirco, ut absque ullo erroris anfractu per justitiæ semitam gradiamur. Nec differt qua canonum institutione quis imbuatur ad competentem Christianæ fidei professionem, dum tamen inoffenso vestigio viam veritatis ingressus, per ducatum Evangelii non recedat a divinis oraculis. Non enim omnis inventio necessitatem comitatur, ut alio modo fieri impossibile sit, quod aliquis utiliter invenit. Sicut in concilio Affricano plura tractat Osius Cordubensis ad placitum, quæ libenter suscipit Ecclesia pro verissima institutione canonum. Unde considerandus est terrarum situs, qualitas temporum, infirmitas hominum, & aliæ necessitates rerum, quæ solent mutare regulas diversarum provinciarum. Potestate etiam multa mutata sunt pro communi utilitate ec-


A clesiarum, quæ nemo reprehendit fidelium. Et quid mirum? cum nonnumquam inveniantur canones sibi contradicentes: & quod in altero concilio præcipitur, in altero prohibetur. Nec enim id frustra factum existimant, qui pro temporalis vitæ commodo numquam cupiunt declinare a virtute ad vitia, nec a veritate ad mendacium. Nam in decretis Pontificum eadem ratio exsistit, quorum tanta auctoritas est, ut sententiæ plurimorum unius Romani pontificis exspectent judicium. Semper igitur in talibus præponderat utilitas & honestas, non illecebrosa, quam sancti viri fugiunt, desideriorum voluptas. Sed ne in cassum talia dicere videamur, exempla proponimus. Transmigratio episcoporum
B prohibita est in Nicæna & Calchedonensi synodo: necessitate vel utilitate concessa est in Antiocheno concilio. Et necessitate quidem propter frigus scilicet, quod ejus debile corpus ferre non poterat, Silvanus ab Attico ex Philippopoleos in Trojam mutatus est. Potestate quoque Romani pontificis Perigenes in Petris ordinatus est episcopus, nec [4] receptus inthronizatus in Corintho, defuncto ejus episcopo. Nec de his mirandum, cum odio habendam Christus doceat, quam Apostolus uxorem nos diligere præcepit. Gregorius quoque ab aliis episcopis damnatos suæ auctoritatis privilegio pristinis gradibus reformabat, episcopatus unibat, successores episcopis dabat, Salonitanæ civitatis episco-
C pum, nomine Maximum, quia pecuniis ordinatus simoniacam hæresim incurrerat, [5] Gregorius excommunicavit: qui excommunicatus missas celebravit; tamen post VII. annos pœnitentia ductum suæ sedi restituit, & pallio donavit, accepto [6] sacramento de interdictis super corpus sancti Apollinaris.

IX. *De differentia legis & consuetudinis.*

SIcut rex a regendo dicitur, ita & lex a legendo. Quapropter legum promulgatio regum edictis extenditur, & unusquisque infra sui regni fines imperium Christianum pietate exsequitur. Cui con-
D suetudo paret: quæ si publicis utilitatibus non impeditur, ipsa pro lege succedit. Nam Cicero [7] in Rhetoricis harum similitudinem ac differentiam ita definitione pandere non supersedit: *Consuetudinis jus esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit.* Jura vero legitima ex legibus cognosci oportebit, & a vulgari intelligentia remotiora sunt: ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam sæpe sunt inferenda. Quocirca, si bene memini, lex & mos species sunt juris. Nam lex est principum constitutio scripta: mos vero consuetudo vetustate probata, nec tamen scripta. An vetustas adeo sibi consensit in malo, ut morum disciplinar nullus vellet aliquando? Sed hoc nusquam
E gentium dicimus, omnibus hominibus bonum naturæ etiam male agendo amantibus. Omnes igitur homines bonis legibus, aut bonis moribus utantur necesse est. Porro quosdam comperimus, qui nec bonis moribus per consuetudinem, nec ullis legibus se subditos arbitrentur: & qui sine lege vivunt, sine lege peribunt.

1. Confer Berardum Can. VI. cau. II. q. 2.
2. Conc. Meldens. cap. XXII. an. 845. Et apud Reginon. lib. I. cap. 363.
3. Al. *convenienti*.
4. Forte *necnon*.
5. Greg. lib. III. epist. 20.
6. Lib. VII. epist. 82. Ind. II.
7. Cic. lib. II. de invent.

SÆCUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.



X. *De eo quod sacerdotes mandatum ad gentem extraneam non mittant.*

EX Toletano concilio cap. xxx. [1] " Consinitimi hostium sacerdotes, præter eos qui regia potestate licentiam acceperunt, quodlibet ad gentem extraneam mandatum occulte accipere vel dirigere non præsumant. Qui autem deprehenditur atque convincitur, denunciatus principi apud concilium, magna animadversione & condigna multabitur.,,

XI. *De clericis electis ab ædificatoribus venerabilium locorum, vel heredibus eorum.*

IN legibus cap. CCCCLVI. " Si quis oratoriam domum ædificaverit, & ipse vel heredes ejus clericos in ipsa domo consecrare maluerint; sumtus administrantes ejusdem domus audiantur, si dignos nominaverint clericos: sin autem illi tales sine, ut divinis canonibus non comprobentur, ad episcopum pertinebit alios clericos idoneos eligere.,,

XII. *De ordinatione vel degradatione presbyterorum.*

EX Hispalensi concilio cap. VI. [2] " Ecclesiæ presbyterum a pontifice suo injuste olim dejectum, & innocentem exsilio condemnatum. Quem C rursus per subscriptionem nostram decrevimus, ut juxta priscorum patrum synodalem sententiam nullus virorum sine concilii examinatione dejiciendum quemlibet presbyterum vel diaconum audeat. Nam multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica damnant; & sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, & ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimina non approbant. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre non potest. Si enim hi qui in sæculo a dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis nexum non revolvuntur, nisi publice apud proceres tribunali foro fue- D rint accusati: quanto magis hi qui divinis altaribus consecrati honore ecclesiastico decorantur? Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris sui privilegiis exui: sed præsentati synodali judicio, quod canon de illis præceperit definiri,,.

XIII. *Ut nulla pecunia data episcopi ordinentur.*

EX libro legum [3] cap. CCCCXXX. " Ante omnia illud observari sancimus, ut nemo sub præstatione auri vel alterius rei episcopus consecretur. Quod si tale aliquid admissum fuerit, seipsos & suas animas perdunt hi qui pecunias accipiunt vel E præstant; & mediatores eorum secundum divinas regulas & sacros canones condemnationi subjiciuntur. Eapropter hoc & qui dat, & qui accipit, & qui mediator factus est, sacerdotio vel clericatus honore removeatur. Quod pro caussa datum est, ecclesiæ vindicetur illi, cujus voluit sacerdotium emere. Si autem laicus erit, qui pro hac caussa aliquid accepit, vel mediator rei factus est; ea quæ data sunt, in duplum ab eo exigantur, ab ecclesia vindicanda. Non solum autem ea quæ data sunt, vindicari præcipimus; sed & omnem cautio-

A nem, & omnem aliam qualemcumque actionem cessare sancimus: ut ille qui promissionem accepit, non solum cautionem reddere, sed & aliud tantum, quantum cautio continet, conveniat ecclesiæ dare.,,

Item ex concilio Calchedonensi cap. II. " Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ; pro suo turpissimo lucri commodo, is qui hoc adtentasse probatus fuerit, proprii B gradus periculo subjacebit: & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat; sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis, vel acceptis exstiterit; siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat: si vero laicus aut monachus, anathematizetur.,,

XIV. *De electione abbatis.*

IN legibus cap. CCCCLXXX. " Restat ut de monachis dicamus. Igitur sancimus, ut abbas sive archimandrita in singulis monasteriis præponatur, non secundum gradum monachorum, sed quem cuncti monachi, vel melioris opinionis constituti elegerint: propositis sanctis Evangeliis dicentes, quod non propter amicitiam, vel gratiam, sed scientes eum fidei rectæ & vitæ castæ, & administratione dignum & potentem ad monachorum disciplinam & omnem monasterii statum utiliter custodire, eum elegerint. Et si sic electus fuerit, modis omnibus confirmetur ab episcopo, cui monasterium subjectum est. Quæ autem de monasteriis monachorum diximus, eadem teneant & in monasteriis & archisteriis mulierum.

XV. *De abbatis ordinatione, & de accessu episcopi ad monasterium.*

I. [4] " GRegorius Mariniano episcopo Ravennæ. Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, ante actum vos officium, quod in regimine monasterii exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Joannis & Stephani, quod in Classitana civitate est constitutum, cui communis filius Claudius abbas præesse dignoscitur, multa a decessoribus vestris præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus; oportet ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futura quiete salubri ordinatione disponat: quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est, consuetudine quisquam illic quolibet tempore quicquam molestiæ præsumat inferre; necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Nullus igitur ultra audeat de reditibus, rebus, vel chartis dicti monasterii, vel de loco aliquo, qui ad eum pertinet, quocumque modo, qualibet excusatione minuere, nec immissiones dolosas aliquas facere. Sed si qua

1. Conc. Tolet. IV. cap. 30.
2. Hispal. Conc. II. cap. 6. Al. *Comperimus Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ*.
3. Novell. VI. cap. 8. & CXXIII. cap. 1.
4. Greg. lib. VII. epist. 18. Indict. I.

forte caussa inter Ravennatem ecclesiam & præfatum monasterium evenerit, & pacifice non potuerit ordinari; apud electos a partibus timentes Deum, sine voluntaria dilatione mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate, non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit; & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Neque venienti abbati quæcumque persona qualibet occasione in suo monasterio opponatur, nisi forte exstantibus criminibus, (quod absit) quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, ut invito ejusdem monasterii abbate ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel ad clericatus officium tolli exinde monachi non debeant: sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Deo laudes, vel utilitates monasteriorum complendas suffecerint, abbas cum devotione de his qui supersunt, offerat, quos dignos eorum putaverit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas episcopus ad ordinanda alia monasteria de his qui supersunt, tollat: ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam, nec licentiam habeat habitandi. Observandum est quoque, ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit: sed abbas loci cum abbatibus aliis rerum inventarium faciat. Quoties autem pro utilitate sui monasterii ad pontificem Romanum abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeat exspectari; quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nunciatum est prægravatum: oportet, ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur; sed sic caritatis officium illic episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram vero fraternitatem prædictus abbas non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit, sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit."

II. Et rursus eidem in alia epistola post aliqua: "[1] Hortamur ut omni mora omnique excusatione summota, ita monasteria Ravennæ a vestro vestrorumque clericorum studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis clerici, vel hi qui in sacro ordine sunt constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo caussa, accedendi licentiam: aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint invitati mysteria. Sed ne vel pro cujuslibet monachi aut abbatis promotione onus aliquod fortasse sustineant, studendum vobis est, ut si quispiam abbatum aut monachorum ex quocumque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam (ut diximus) habeat ulterius potestatem: ne monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundo commonita sanctitas vestra non differat."

A III. Item Gregorius Joanni Episcopo de Urbe vetere. "[2] Agapitus abbas monasterii sancti Georgii insinuavit nobis plurima se a vestra sanctitate gravamina sustinere, & non solum in his quæ necessitatis tempore aliquod monasterio possint ferre subsidium, verum etiam in eodem monasterio missas prohibeatis celebrari: sepeliri etiam mortuos interdicas. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas nulla ulterius habita contradictione permittas: ne denuo querelam de his quæ dicta sunt, prædictus vir venerabilis deponere compellatur."

B XVI. *De eo quod abbas sacerdos esse debet.*

Eugenius Papa cap. XXVII. [3] "Abbates per monasteria tales ordinentur, qui sibi subjectos bene regere possint: sacerdotalem quoque sint honorem adepti."

XVII. *De accusato abbate quid sit agendum.*

"Gregorius Lupo [4] abbati. Quoniam multæ occasiones in deceptionem religiosarum personarum a pravis illic, ut dicitur, hominibus ex-
C quiruntur; Presbyterum prædictæ ecclesiæ nullo modo privandum deponendumque censemus, nisi caussa specialiter criminis exegerit. Unde necesse est, ut si qua contra eum hujusmodi querela surrexit, non solum episcopus civitatis caussam examinet, sed adhibitis sibi coepiscopis subtili hoc investigatione perquirat: quatinus cunctis concorditer judicantibus, judicio canonicæ districtionis censura aut reum ferire, aut innocentem possit absolvere.

XVIII. *De monachis & sanctimonialibus, ut regulariter vivant.*

D "[5] Monasteria tam virorum, quam puellarum, quæ contemserint secundum ordinem regulariter vivere, ab episcopo in cujus parochia esse videntur, emendentur. Quod si non potuerit episcopus emendare, metropolitano innotescat. Quod si nec ipse emendare poterit, ad synodum publicam exinde veniant: & si publicam synodum contemserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus episcopis; & talis in loco ejus in ipsa synodo constituatur voluntate domini regis, vel consensu servorum Dei, qui regulariter ipsam congregationem regat."

XIX. *De abbate ad regem pertinente.*

E Ex Concilio Verni palatii. [6] "In alia synodo nobis perdonastis, ut illa monasteria, ubi monachi, vel monachæ vivunt regulariter, eis res dimitterentur, unde vivere possent. Exinde si regalis esset locus, ad dominum regem fecisset rationes abbas vel abbatissa: si episcopalis, ad illum episcopum."

1. Lib. VI. epist. 40.
2. Lib. I. epist. 12.
3. In Synod. Rom. ann. 826. cap. 27. cujus tamen sensa potius, quam verba afferuntur heic, & infra cap. 37.

4. Gregor. lib. II. epist. 32. Et vide Frodoardum Hist. Rem. lib. III. cap. 27.
5. Ex Conc. Vernensi I. cap. 5.
6. Ibid. cap. 20.

SÆCUL. X.
CIRCA
ANN. CHR.
1000.

XX. *De rectore Floriacensi.*

In Concilio Tullensi cap. XII. " Tandem postulavit humiliter generalis synodus se ad terram usque prosternens ante Carolum gloriosum regem, & Radulfum Bituricum archiepiscopum, obsecrans & adjurans per crucem & sanguinem Christi, ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverat, quodque idem Radulfus subscripserat, ratum & inconvulsum servare studerent. Quod si abbas negligens, & sacris regulis non conveniens per directos missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius qui dignus repertus fuerit, substituatur; & privilegii auctoritas in eodem monasterio quacumque occasione non destituatur. "

XXI. *De sacerdotio monachi.*

" Gregorius Lucio [1] episcopo. Filius noster Joannes abbas presbyterum sibi in monasterio suo ex congregatione eadem petiit ordinandum. Ideoque fraternitatem vestram præsenti auctoritate duximus adhortandam, quatinus virum quem vobis de congregatione sua ad ordinationem obtulerit consecrandum, sicut est consuetudo, quæque sunt discutienda, subtiliter perquiratis: & si nihil in eo repertum fuerit quod ei possit obviare, canonice, sicut mos est, consecretur. Nihil autem aliud ei privilegii concedentes, nisi ut in congregatione sua, quotiens opportunum fuerit, sacra missarum debeat tantummodo celebrare mysteria. " Et sanctus Benedictus in Regula sua, cap. LXII. " Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam: nec quidquam præsumat, nisi quod ab abbate suo ei præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum, &c. "

XXII. *De monachis non servantibus propositum.*

In legibus cap. CCCCXC. " Si quis monasterium suum reliquerit, aut ad aliud monasterium transierit; res ejus priori monasterio in quo ante intraverat, competant. "

Item cap. XVI. " Si quis in monasterio se collocaverit, & postquam vestem religiosam vestitus est, e monasterio recesserit; omnia bona ipsius quæ in monasterium introduxit, ad ipsum monasterium pertineant. Idem est ex alia constitutione: etsi non introduxit. Omnes enim res cum ejus domino monasterii sunt. "

Item cap. XVIII. " Si quis introierit in monasterium, & post religiosam vestem recesserit, vel militaverit, vel simpliciter laicus factus fuerit; spolietur cingulo militari, & vita libera non potiatur, sed officio præsidis provinciæ servire cogatur. Substantia autem ejus in monasterio maneat. "

Item exempla Siricii papæ ad Himerium episcopum Terraconensem cap. VI. " Preterea monachorum quosdam atque monacharum sive monialium, abjecto proposito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint: quod & publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant.

A Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatinus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltim solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire. "

XXIII. *De clericis qui monachi volunt fieri, & de insolentia episcoporum in monachos.*

Cap. LII. [2] ex Toletano concilio. " Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meB liorem vitam sequi cupiunt, liberos eos ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. "

Item cap. LI. " Nunciatum est præsenti concilio, quod monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, & jura monasteriorum contra statuta canonum illicita præsumtione usurpentur: ita ut pene omnis ex cœnobio [3], atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos, qui ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant: sed hoc tantum sibi in monasteriis vindicent sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est monachos ad conversationem sanC ctam præmonere, abbates ad aliqua [4] officia instituere, atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumserint, aut usurpare quippiam de monasterii rebus tentaverint; non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis. "

XXIV. *De clericis, qui propter vanitatem efficiuntur monachi.*

Ex concilio Cæsaraugustano cap. VI. " [5] Si quis de clericis propter luxum vanitatemque præsumtam de officio sponte discesserit, ac se, velut D observatorem legis, monachum se videri maluerit esse, quam clericum; ita de ecclesia repellendum, ut nisi rogando & obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis episcopis dictum est: Ita fiat. "

XXV. *De possessionibus ecclesiæ.*

Ex alio Toletano concilio cap. IV. " Si quis sane clericorum agellos vel vineolas in terris ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ caussa, usque ad diem obitus sui possideat. Post suum vero de hac vita discessum, juxta priorum canonum institutiones jus suum ecclesiæ restituat, nec E testamentario ac successorio jure cuiquam heredum proheredumque relinquat, nisi forsitan cui episcopus pro servitiis hac præstatione ecclesiæ largiri voluerit. "

[6] Gregorius Joanni Episcopo. " Questi sunt monachi tuæ diœceseos, te quædam de monasterio sub exenii quasi specie abstulisse: & ideo necesse est, ut si quid indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas; ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare. Questi quoque sunt monachi, abbatem suum terram tibi

1. Greg. lib. X. epist. 54. Al. *Lucida.*
2. Conc. Tolet. IV. cap. 50. lib. 1.
3. Al. *pene ex cœnobio possessio fiat, atque.*
4. Al. *Albates, aliaque.*
5. Conc. Cæsar. sub Damas. cap. 6.
6. Greg. lib. VII. epist. 33. Indict. I.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.

donationis concessisse sub prætextu fabricandæ ecclesiæ. Et ideo præter id quod circumdant parietes ecclesiæ, volumus ut in jura monasterii sine aliqua difficultate revertatur: quia nec mundanarum legum, nec sacrorum canonum statuta permittunt, res monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. Quapropter donationem ejusdem terræ quæ contra rationem facta est, sine aliqua restitue contradictione. „

Item in legibus cap. ccccciv. " Si quis mala fide res alienas possidens vendiderit eas, vel donaverit, vel alio modo alienaverit; is autem qui se dominum earum putat, sciens hoc testatione denuntiaverit; ei qui res cepit intra decennium inter præsentes, vel inter absentes intra vicennium, res firmiter apud emtorem, vel qui donationem excepit, vel alio modo alienationes nactus est, permaneant. Quod si ignorante domino mala fide possessor alienaverit, non aliter hoc præjudicet domino, nisi triginta annorum spatium transactum sit, quamvis is qui emit, vel alio modo alienationes nactus est, bonæ fidei possessor fuerit. „

XXVI. *De monacho. vel sanctimoniali in jus vocata.*

Ex Constitutione II. cap. LXXIV. " [1] Si quis cum monachis vel sanctimonialibus habeat litigium, non audeat eos ad civilem judicem accusare, vel trahere in archisterio vel monasterio constitutos: sed magis adeat civitatis episcopum. Ille enim æstimabit, utrum repræsentari principalis persona debeat; an per defensorem, egumenum vel apocrisiarum defendi cum omni scilicet honestate: ita ut episcopus legibus & canonibus consentaneam sententiam proferat. „ De temeratoribus, cap. IV. " Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu quidem positus x. librarum auri pœna multabitur; exsecutor autem litium constitutus, in decanicis ecclesiarum recludatur competentes pœnas luiturus: & postea non concedatur officium exsecutoris habere. „

XXVII. *De his quæ a fidelibus in basilicis offeruntur.*

Ex concilio Aureliacensi cap. XI. " [2] De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta serventur, & omnia in episcopi potestate consistant. De his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter episcopis deferatur. „

XXVIII. *De episcopis invasoribus prætermissa synodo.*

[3] Ex concilio Carthaginis, cap. LXVI. " Placuit ut episcopi quascumque ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram existimant pertinere, non ita repetierint, ut caussas suas episcopis judicantibus agant; sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, caussæ suæ detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc contendunt; ille inde discedat, quem constiterit prætermissis judicibus ecclesiasticis invasisse. Nec sibi quisquam blandiatur, si a primate, ut retineat litteras, postularit [4]. Sed sive habeat litteras, sive non habeat; conveniat eum qui tenet, & ejus litteras accipiat; ut appareat pacifice tenuisse ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos judices caussa finiatur, sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos cum consulto primatus [5] elegerint. „

XXIX. *De tricennali præscriptione.*

[6] Ex concilio Calchedonensi cap. XVII. " Singularum ecclesiarum rusticas parœcias, vel in possessionibus manere debere inconcussas illis episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maxime si per tricennium eas absque vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt. Quod si intra tricenninm facta fuerit de his, vel fiat altercatio; licere eis qui se læsos asserunt, ad sanctam synodum provinciæ certare. Quod si quis a metropolitano læditur, apud primatem diœceseos aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superius dictum est. Si qua vero civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur; civiles dispositiones & publicas ecclesiasticarum parœciarum quoque ordinationes subsequantur. „

XXX. *De dote ecclesiarum.*

[7] Ex concilio Toletano cap. XIX. " Multi contra canonum constituta sic ecclesias quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem ejus ecclesiæ censeant ad episcopi ordinationem non pertinere, quod factum & in præteritum displicet, & in futurum prohibetur: sed omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant. „

XXXI. *De episcopo, quid debeat habere de ecclesia.*


[8] Ex concil. quo supra cap. II. " Placuit ut nullus episcoporum suas diœceses perambulans, præter honorem cathedræ suæ, id est duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parœcialibus requirat: sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ, vel recuperatione servetur: & singulis annis episcopo exinde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit ecclesiæ. Similiter & ut parœciales clerici servili more in aliquibus operibus episcopis servire non cogantur, Quia scriptum est: *Neque vi dominantes in clero.* „

XXXII. *De rebus ecclesiæ, & de proximis fundatorum ejus.*

[9] Ex concilii Toletani cap. I. " Omnis itaque rei ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparat fraudatori. Et ideo nullus sacerdotum vel ministrorum ex rebus ecclesiæ, quæ in quibuscumque locis a fidelibus largiuntur, aliquid auferat; vel juri suo, aut cathedræ propriæ utilitati convertat. Devotio enim uniuscujusque, sicut gratanter votum contulit Domino, ita definivit, quod plenitudo votorum conservaretur in loco: in quo velut si conlata tenen-

1. Novell. LXXIX. cap. I.
2. Conc. Aurel. I. cap. 15.
3. Conc. Afric. seu Carthag. cap. 87. sub Bonif. I. & Cælest. I.
4. Al. *impetrarit*.
5. Al. *ex consensu delegerint*.
6. Concil. Calched. cap. 17.
7. Concil. Tolet. III. cap. 19.
8. Conc. Bracar. III. cap. 2.
9. Conc. Tolet. IX. cap. 1.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.



tur, manet gratia offerentis; ita si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. Verum ut rei hujus potior soliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus honestioribusque propinquis ejus qui construxit vel ditavit ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere sollertiam, ut si sacerdotem vel ministrum aliquid ex conlatis rebus providerint defraudare; aut commonitionis honesta conventione compescant, aut talia episcopo vel judici corrigenda denuntient. Quod si talia episcopus agere tentet, metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auditibus intimare non differant. Ipsis tamen heredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem præferre; non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcumque præsumere: sed solum in eo salutarem sollicitudinem adhibere, quod in nullam noxam operationis attingat, aut vel in multam, vel in aliquam partem salutaris merces adsumat. Si quis autem deinceps hæc monita temerare voluerit; & male rapta cum confusione restituat, & excommunicationis annuæ sustinebit sententiam. „

Item cap. II. “ Cum sæpe sit solitum etiam illa quæ non debentur, prece supplicationis, & vi quodammodo extorquere doloris: quanto magis jam sine obstaculo non cedi debent exquisita simul & ordine juris & dolore compassionis? Quia ergo fieri plerumque cognoscuntur, ut ecclesiæ parœciales vel sacra monasteria ita quorumdam episcoporum vel insolentia, vel incuria horrendam incidant in ruinam, ut gravior exoriatur ædificantibus mæror, quam in struentibus [1] gaudii exstiterat labor. Unde [2] pia compassione decernimus, ut quamdiu earumdem fundatores ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, & sollicitudinem ferre præcipuam, atque rectores præcipuos vel idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi offerant episcopis ordinandos. „

In legibus cap. CCCCLVI. “ Si quis oratoriam domum ædificaverit, & ipse vel heredes ejus clericos in ipsa domo consecrare maluerit, sumtus administrantes ejusdem domus; audiantur, si dignos nominaverint clericos. Sin autem illi tales sint, ut divinis canonibus non comprobentur, ad episcopum pertinebit alios clericos idoneos eligere. „

XXXIII. *De provisione suffragii episcoporum.*

[3] CAp. XXXVII. “ Quicumque episcopi suffragio cujuslibet aliud ecclesiasticæ utilitatis providerint, & pro eo quodcumque modicum in remuneratione promiserint; promissi solutionem eos exsolvere oportebit, ita ut id ad concilium comprovinciale deductum eorum conniventia confirmetur: quia sicut apostolus Paullus ait, mercedem suam accipient. „

XXXIV. *De indigentia eorum, qui res suas contulerunt ecclesiæ.*

CAp. XXXVIII. “ Præbendum est a sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maxime his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicumque ergo fidelium de facultatibus suis ecclesiæ aliquid devotione propria contulerint; si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, de eadem eccle-

A sia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim clericis, vel monachis, seu peregrinis, aut quibuslibet necessitatem patientibus pro solo religionis intuitu in usum res ecclesiasticæ largiuntur; quanto magis his consulendum est, quibus retributio justa debetur? „

XXXV. *De avaritia sacerdotum.*

I. CAp. XXXIII. “ Avaritia radix cunctorum est malorum: cujus sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amorem Christi & martyrum in parœciis episcoporum basilicas construunt, oblationesque conscribunt: sacer-
B dotes autem auferunt, & in usus suos convertunt. Inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium ædificia basilicarum non reparantur: quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est a præsenti concilio, episcopos ita diœceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre: sed juxta priorum auctoritatem conciliorum tam de tributis ac fructibus tertiam consequantur. Quod si amplius ab eis præsumtum exstiterit, per concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam illi a sæculo decesserunt. Noverint tamen conditores basi-
C licarum, in rebus quas eidem ecclesiæ conferunt, nullam potestatem habere: sed juxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere. „

II. Gregorius Leoni episcopo. “ [4] Volumus ut quidquid ecclesiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris, diaconibus ac clero, ut tibi visum fuerit, discrete dividere, & unicuique, ut meritum laboris exegerit. „

III. Quod quatuor fieri debeant portiones de re-
D bus ecclesiæ, [5] Gelasius in Decretalibus cap. XXVII. “ Quatuor autem, inquit, tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet facultas ecclesiæ permittit, sicut dudum est rationabiliter decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda ecclesiæ. „

IV. [6] Simplicius episcopus Florentino, Equitio, & Severo episcopis. De reditibus ecclesiarum vel oblationibus fidelium quid deceat, nescienti nihil licere permittat: sed sola & ex his quarta portio remittatur, duæ ecclesiasticis fabricis & erogationi
E peregrinorum & pauperum profuturæ a Bonagro presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur. Ultima inter se clericis pro singulorum meritis dividatur. „

XXXVI. *De injuste excommunicatis.*

I. EX concilio Africano [7] cap. C. “ Quamdiu excommunicato communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere potest. „

II. Item ex concilio Coloniæ [8] cap. LVI. “ Ut

1. Al. *construendo*.
2. Al. *Ideo*.
3. Concil. Tolet. IV. cap. 37.
4. Gregor. lib. VII. epist. 8. Indict. I.

5. Gelasii Decret. cap. 27.
6. Simpl. papæ Decr. cap. 2.
7. Deest in editis.
8. Est forte conc. anni 870.

nemo episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati caussa, communione privet ecclesiastica. Anathema autem sine consensu archiepiscopi & episcoporum prælata etiam evangelica ammonitione nulli imponat, nisi unde canonica doceat auctoritas: quia anathema æternæ mortis est damnatio; & non nisi pro mortali debet imponi crimine; & illi qui aliter non potuerit corrigi. „

III. Item in legibus cap. CCCCXLI. " Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam caussa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus eum excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum abstineat a sacra cummunione tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit: ut id quod injuste fecit, ipse juste patiatur. „

XXXVII. *De ecclesiis & earum presbyteris.*

I. EX concilio [1] Tolet. cap. XX. " Multorum querela hanc constitutionem exegit, qua cognovimus episcopos per parœcias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire: & dum scriptum sit, *Forma estote gregi, neque vi quasi dominantes in clero*, exactiones diœcesis suæ vel damna infligant. Ideoque censemus, excepto quod veterum constitutiones a parœciis habere jubent episcopos, ut illis alia quæ huc usque præsumta sunt, denegentur. Hoc est, neque in angariis presbyteros, aut diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videantur in ecclesia Dei exactores potius, quam Dei pontifices nominari. Hi vero clerici tam locales, quam diœcesani, qui se ab episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad metropolitanum deferre non differant: qui metropolitanus non moretur ejusmodi præsumtiones coercere. „

II. [2] Eugenius papa, cap. XXI. " Monasterium vel oratorium constructum canonice, a dominio constructoris invito non auferatur: liceatque illi presbytero cui voluerit, cum consensu sui episcopi, ne malus sit, commendare; ita ut ad placitum episcopi sacerdos obedienter recurrat. „

Item cap. XXIV. " Episcopis in propriis suis ecclesiis presbyteros ordinent. Quod si quilibet alius homo in sua basilica infra trium mensium spatium, ab episcopo monitus, presbyterum non miserit, episcopus principi suggerat, ut hoc emendet. „

Item cap. XXV. " Si destructæ ecclesiæ de propriis rebus reædificari non potuerint, a populo plebis auxilientur. „

Item cap. XXVI. " Nullus episcopus a nullo sibi subjecto clerico donationes ultra statuta patrum exigat nec angarias. „

XXXVIII. *De eo, quod episcopus habeat tertiam partem ecclesiæ, & potest dare cui voluerit.*

I. [3] CAp. VI. " Opportune duximus decernendum, ut episcopus tertiam, quam de rebus ecclesiæ sanctione patrum debitam sibi novit, aut ipsi ecclesiæ cujus res esse patebit, aut alteri ecclesiæ, cui elegit, conferre decreverit, ut licitum maneat, & irrevocabile robur ejus sententia ferat. „

II. Item [4] ex Toletano Concil. cap. III. " Nulli episcoporum liceat res alienare ecclesiæ, quoniam & antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid vero quod utilitatem non gravet ecclesiæ, pro suffragio monachorum vel ecclesiarum ad suam parœciam pertinentium dederint, firmum maneat: peregrinorum vero vel clericorum & egenorum necessitati salvo jure ecclesiæ præstare permittuntur pro tempore quæ potuerint. „

XXXIX. *De sanctitate vitæ clericorum.*

[5] SIricius papa in epistola, cap. VII. " Plurimos sacerdotes Christi atque Levitas post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. Sed illi per successionem generis eligebantur de sola tribu Levi, quibus Deus dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Unde & procul a suis domibus anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt, ne cum uxoribus possint carnale exercere commercium. Nos vero omnes sacerdotes atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora: dummodo per omnia Deo nostro in his quæ cotidie offerimus, sacrificiis placeamus. Qui ergo ignorantia lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent: si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Qui vero exemplo veteris sacerdotii quasi licito conjugio utuntur, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigni usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse divina attrectare mysteria deinceps ulla nostra indulgentia, sive sit episcopus, sive presbyter, sive Diaconus. „

XL. *De filiis presbyterorum, vel episcoporum, vel Diaconorum.*

[6] EX conc. Tolet. cap. X. " Quicumque vero clericorum ab episcopo usque ad subdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti filios procrearint; illi quidem ex quibus geniti probantur, canonica censura damnentur: proles autem alienata [7] pollutione non solum parentum hereditatem numquam accipiet, sed etiam in servitutem ejus ecclesiæ, de cujus sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni permanebunt. [8] Filii autem sacerdotum, qui ante sacerdotium nati sunt, spectacula sæcularia non exhibeant; sed nec spectent, licet hoc Christianis omnibus interdictum sit: & ubi blasphemiæ sunt, non accedant. Sicut habes in concilio Carthaginensi, cap. XV. „

1. Concil. Tolet. III.
2. Synodus Rom. sub Eugen. II.
3. Ex alio Concilio.
4. Conc. Tolet. III.

5. Siric. Decr. cap. 7.
6. Concil. Tolet. IX.
7. Al. *tali nata*.
8. Ex Concil. Carthagin.

SAECUL. X. CIRCA ANN. CHR. 1000.

A

XLI. *De rebus ecclesiæ dispensandis.*

EX Concilio Orientalium Episcoporum cap. XIV, de præsumtione episcopi in rebus ecclesiæ. " Si quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut ubi forte non est presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumserit vendere; res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in judicio episcoporum dejiciatur inauditus, & tamquam furti aut latrocinii reus a suo honore privetur. "

Item cap. XVI. " Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, ut dispenset necessitatem patientibus cum omni reverentia & timore Dei. Participare eum oportet quæ necessaria sunt: si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquid, aut necessitatem ullo modo patiantur, secundum sanctum Apostolum dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti simus.* Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas voluntates usurpare voluerit, & lucra ecclesiæ & fructus agrorum non cum Presbyterorum vel Diaconorum consilio intaminaverit, aut fratribus vel filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos res lædantur latenter; hunc oportet obnoxium esse concilio. Similiter Presbyteros & Diaconos, si eadem faciant, corripi oportet. "

XLII. *Ut nullus eligat episcopum successorem.*

[1] EX Concil. Antioch. cap. XXV. " Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi constitutum. Servetur autem jus ecclesiasticum id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & judicio episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus exstiterit, promovere. "

Item, [2] Gregorius Anatolio Constantinopolitano subdiacono. " Nusquam canones præcipiunt, ut pro ægritudine, episcopo succedatur. Et omnino injustum est, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus: atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in anima mea ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est, ut si is qui est in regimine, ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit ejus curam omnem agere, & locum ejus in regimine ecclesiæ, ipso non deposito, ac in custodia civitatis implere: ut neque Deus omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero idem reverentissimus Joannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab episcopatus honore debeat vacare; eo petitionem scripto dante concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non valemus. Quod si hoc petere noluerit; quod piissimo Imperatori complaceat, quidquid jubet facere, in ejus est potestate. Sicut novit, ipse provideat: nos tantummodo in depositione non faciat permisceri. Quod vero ipse Imperator fecerit, si canonicum est, sequimur: si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro possumus, portamus. "

XLIII. *De communione.*

I. [3] AUgustinus in ecclesiasticis regulis cap. XXIII. " Cotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen diebus dominicis communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purgari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cetero non habeat voluntatem; & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus. Hæc cum fecerit, confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia peccata non gravant. Nam quem mortalia post baptismum commissa premunt, hortor primum publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium vel condemnationem Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu: ut religionis studio per vitæ correctionem, & jugem, immo perpetuum luctum, miserante Deo, veniam consequatur, ita dumtaxat ut contraria pro his quæ pœnitet, non [4] agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis supplex usque ad mortem percipiat. "

B

C

II. [5] Gregorius. " Sanctæ communionis mysterium mulier percipere menstruo tempore non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna non præsumit percipere, laudanda est. Sed si perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est, ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est: quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis actum est ut esuriamus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quæ naturaliter accidit: sed tamen quod natura ipsa vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo seipsam, qualis per judicium facta sit humana natura, cognoscit: ut homo qui culpam sponte perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo feminæ seipsas considerent, & si in menstrua consuetudine ad sacramentum dominici corporis & sanguinis accedere non præsumant; de sua recta consideratione laudandæ sunt: dum vero ad percipiendum ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ (sicut prædiximus) non sunt. " *Et infra.* " Vigilanti vero mente pensandum est, quod in monte Sina Dominus loquuturus populo, prius eumdem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei reciperent, mulieribus mixti non essent; quanto magis mulieres, quæ corpus omnipotentis Dei accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine graventur? Hinc etiam ad David de pueris suis per sacerdotem dicitur, ut si a mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent, quos omnino non acciperent, nisi eos David mundos esse fateretur. Tunc autem vir post admixtionem conjugis, si aqua lotus fue-

D

E

1. Conc. Antioch. sub Julio papa I. cap. 23.
2. Gregor. lib. IX. epist. 41.
3. Auctor. de dogmat. eccl. cap. 53.

4. Al. deest *non*.
5. Gregor. in resp. 10. ad interrog. Augustini.

rit, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei juxta præfinitam sententiam etiam ecclesiam licuerit introire." [1] *Item de pollutione somnii.* "Hunc quidem testamentum veteris legis pollutum dicit, & nisi lotum aqua, usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens, sub eodem intellectu accipit: quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat, & nisi prius ignis tentationis recedat, reum se quasi ad vesperam recognoscat. Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quam subtiliter pensare debeas, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnino hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero appetitus gulæ ultra modum in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur; habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel missarum sollemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpi imaginatione non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur, quod ipsa mens rea non sit tunc, sed suo judicio libera, cum se, etsi dormienti corpore, nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo reatus suus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens."

III. Quando Monachi & alii pœnitentes communicare debent, manifestat sanctus Eucherius. "Detur pœnitentia sæculari, cujus adhuc cervix sub jugo dependet sæculi, & huic pro immanitate peccati sive delicti terminetur tempus, qui adhuc tempori servit. Ceterum abrenuncians sæculo & ejus militiæ, spondensque se cunctis diebus serviturum Deo; cur pœnitentiam moretur, quilibet effectus velut onager sectatur eremi vastitatem? sicut ait Job: [a] *Quis dimisit onagrum liberum in deserto? a leone fortiter caveat, & arentibus herbis poculo exiguo alatur in eremo.* Erigat in aera caput, & sic flagrantem nimium sitis ardorem sancti Spiritus aura restinguat; ne dum valde desiderat amœna virentia, nimiis deliciis præpeditus periculum salutis incurrat. Igitur abrenuncianti pœnitentia publica non est necessaria: quia conversus ingemuit, & cum Deo æterno pactum iniit. Ex illo igitur die non memorantur ejus delicta quæ gessit in sæculo, ex quo facturum justitiam de reliquo promiserit Deo. Ergo chirographum, de quo se monachus debitum ex tota fide promiserit implere, etsi fidelis factus

A peccavit in sæculo, post abrenunciationem suam iterum factam, dominicum corpus non dubitet accipere, nec occasione humilitatis nimiæ prolongetur a corpore ejus & sanguine, cui se junxit, ut unum corpus efficeret. Communicare ergo non desinat, qui peccare quievit: tantum ne de reliquo peccet... Nam sicut ignis ille visibilis duas in se quasdam efficacias habet, id est comburere fragilia, & illuminare tenebrosa: ita ignitum illud dominicum corpus, quando cum metu & reverentia grandi fuerit sumtum, corporis quidem delicta consumit, animæ vero sensum illuminat. Et idcirco communicare frequentius debet. Si vero fuerit, sicut scriptum est, lepra in pelle, immunda erit, id est
B peccatum in monacho, quia pellem esse monachum Scriptura significat, mortificantem membra sua super terram. Cinis ossibus adhæsit, caroque immutatur propter oleum, & jejunio infirmatur, & genua velut fenum arescunt. Ergo si in hac pelle visa fuerit lepra, immunda erit, & nisi fuerit hyacinthina, aut rubra pura, ad ornatum tabernaculi non erit apta."


IV. Hæc sunt sanctorum patrum sententiæ, discretionis plenæ, quibus monentur viri ac feminæ, quando, vel quales debent accedere ad communionem Eucharistiæ. Peccatorum enim quibus abstinere jubemur in Eucharistia, alia nos trahunt na-
C turæ vitio etiam invitos, alia voluntarios. Nam invitus lege peccati ducebatur, qui ingemiscens querebatur: *Video utique aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Unde Gregorius discretionis & eloquentiæ singulariter magnificus, indulgendo infirmitati humanæ, accessum ecclesiæ & communionem Eucharistiæ talibus tribuens, dolentem consolatur: quia aliquando invitus & vir polluitur nocturno somnio, & mulier suo menstruo: cujus auctoritate discimus, quod solus sibi conscius in peccati opere, solus sibi erit judex, etiam post confessionem, in percipienda corporis & sanguinis Christi communione. Qui vero
D peccati lege voluntarius rapitur, hunc peccatorum recordatio non tantum contristat, quantum delectat: quia ex consensu peccare deliberat. Ac idcirco sicut Augustinus dicit: *Communione Eucharistiæ magis credendum est gravari, quam purgari. Quandoquidem totus in affectu peccandi consistit. Omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Sciendum itaque est de eo, qui vel in se, vel in alterum peccat libenter, quod a communione arceri debet, ne videamur margaritas nostras ante porcos ponere, & esse participes perditionis alienæ. Attamen Christi exemplum occurrit, qui Judæ proditori intinctum panem porrexit, de quo
E scriptum est, quia *post buccellam introivit in eum satanas.* Sed ille, ut secretorum non ignarus, ad ostensionem perditi discipuli panem porrexit, nos vero peccatorum nostrorum conscii, non ad ostensionem, sed ob commemorationem Christi Eucharistiam præbeamus fratri. Unde Augustinus: "[2] Quid miraris, si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas e contrario datum Paullo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? Ita & malo bonum obfuit, & bono malum profuit. Scriptum est: *Quicumque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indi-*

a Job. xxxix. 5. 6.

1. Resp. II.

2. August. tract. xvi. in Joan.

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.



gne, *reus erit corporis & sanguinis Domini*. Hic igitur si corripitur qui non dijudicat, hoc est non discernit a ceteris cibis dominicum corpus: quomodo damnatur, qui ad ejus mensam, fingens se amicum, accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis: qua pœna percutitur venditor invitantis? Quid autem erat panis traditori datus, nisi demonstratio, cujus gratiæ fuisset ingratus? Intravit ergo post hunc panem satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet.,,

XLIV. *Qualiter sacerdotum accusatores examinandi sint, vel si scriptis inter partes sententia recitata est.*

I. [1] GRegorius Joanni defensori inter cetera: " Quia igitur Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta, & de falsis se capitulis queritur accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed injuste se asserit condemnatum; diligenter quærendum est primum, si judicium ordinabiliter est habitum, aut si alii accusatores & alii testes fuerint. Deinde caussarum qualitas est examinanda, si digna exsilio vel depositione fuit; aut si eo præsente jurejurando contra eum testimonium dictum est, seu scriptis actum est, vel si ipse licentiam respondendi & defendendi se habuit, Sed & de personis accusantium & testificantium subtiliter quærendum est, cujus conditionis cujusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra episcopum inimicitias habuissent; & utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sint: vel scriptis judicatum est, & partibus sententia recitata est. Quod si forte hæc sollemniter acta non sunt, neque caussa probata est, quæ exsilio vel depositione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus revocetur: hi vero qui eum contra Dei timorem & statuta canonum condemnaverunt, excommunicati in monasterium ad agendam pœnitentiam in sex mensibus sunt mittendi, ita sane, ut si cui eorum mortis contigerit imminere discrimen, viatici benedictio non negetur. Ipse autem qui eo vivente locum ejus temerarie ambiit, privatus sacerdotio ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, atque eidem dilectissimo fratri & coepiscopo nostro tradatur, ut eum ecclesiastico judicio aut ipse ad nos transmittat, aut apud se in custodiam habeat. Episcopi vero qui eum ordinare præsumserunt, vel perversæ ordinationi ipsius præbuere consensum; communione privati in sex mensibus ad agendam pœnitentiam in monasterio deputentur. Si autem episcopi in præjudicium condemnationis vel depositionis memorati Stephani se metu judicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte professi fuerint; tempus eis abbreviandum est, & modus pœnitentiæ temperandus.,,

II. Item de quodam Episcopo in crimine accusato, & utrum noceat, si sit extorta confessio. [2] Gregorius Constantino Mediolanensi: " Relatis epistolis quas ad nos per Marianum latorem præsentium transmisistis, gratam nobis sollicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quod ea quæ ad vos de fratre & coepiscopo nostro Pompeio, qui adhuc ita nominandus est, pervenerit, dissimulare minime pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum est, fuisset ambiguum: sed utrum verum, an esset compositum, patuisset: quia jam contra ipsum dudum in Sicilia apud reverendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum talis quæstio, ut cognovimus, mota est. Sed quia caussa ipsius subtili omnino investigatione quæsita est, inventus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa, quæ contra eum dicta sunt, non sub illa quæ decuit districtione quæsita sunt; & gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere; non levis res agitur, ut incaute vel in transcursu debeat definiri. Nam grave est satis & indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur. Si tamen eamdem confessionem subtilitas examinationis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret: quæ frequenter hoc agit, ut noxios se fateri cogantur etiam innoxii. Nam postquam præfatus episcopus, ut dicitur, cruciari custodia cremarique fame se asserit, scire debetis, si ita est, utrum noceat, si sic fuerit extorta confessio. Numquid quando sententiam tales caussæ suscipiunt, & ad sedem apostolicam appellatur; nonne & persona quæ judicatur, præsens est; & districtim atque ab omni latere veritas quæritur, ut tunc si debeat manere sententia, decernatur? Necnon & si prædictus episcopus ad sedem apostolicam appellare voluerit, caussa ipsius interius & cum omni diligentia est perscrutanda. Et ideo postquam & persona absens est, & gesta quæ ad nos transmisisti, nobis, sicut præfati sumus, idonee satisfacere non videntur; temere aliquid de episcopi persona decernere non debemus, nec possumus: ne (quod absit) reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit tractare sententias.,,

III. Item de Episcopo quem redarguit, quod non utiles viros in caussam suam miserit, & quod sacramento præstito in gratiam rediit. [3] Gregorius Maximo episcopo Salonitano: " Alia quidem scripta ad fraternitatem tuam antea feceramus: sed & tempore quo homines tuos quos ad nos misisti, relaxare voluimus, scripsisse te quibusdam nostris comperio, quod Veteranum presbyterum, atque Optatum defensorem tunc minime in caussa transmiseris; & idcirco ea quæ cum ipsi acta sunt, non debere subsistere. Sed Thomas ecclesiæ tuæ defensor, non hoc verbum a te dictum perhibuit. Ex qua re jam nec præsentium portitoribus judicamus esse credendum, ne de ipsis quoque post hos similiter diceretur. Quia ergo hæc nos valde fecit ambigere, & cautos esse debere præmonuit, si caussam vultis dicere, instructam de cetero personam cum mandato legaliter facto tua, ac presbyterorum seu diaconorum & testium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito transmittito: ut quidquid pro re actum fuerit, possit jure subsistere. Nam nos non solum tibi, sed etiam omnibus quod justum legitimumque fuerit, parati sumus, Deo juvante, per omnia custodire: tantum, ut tu quod lege præcipitur, facere non omittas.,,

IV. *Item*, [4] " Gregorius Castorio notario & chartulario Ravennæ: Quantum credi tibi a nobis,

1. Gregor. lib. II. epist. 52.
2. Lib. VIII. epist. 30.
3. Lib. II. epist. 13.
4. Lib. VII. epist. 81. Indict. II.

& necessarias vides caussas injungi; tanto te magis strenuum debes & sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmaverit se simoniaca hæresi non teneri; aque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se responderit, & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputavimus, egerit: volumus ut ad consolandum eum epistolam, quam ad eum scripsimus, ubi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signavimus, experientia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus severos esse nos convenit, sic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.„

V. Quidam episcopus per sacramentum purgavit se crimine ante corpus beati Petri. [1] Gregorius ad Justinianum: " Proprium hoc habet antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum perpetratione Deo sibi resistente decipere non valeat, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre & coepiscopo nostro sinister rumor adsperserat, utrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquirere; & nullam in eo de his quæ dicta fuerant, culpam invenimus. Sed ne quid videretur omissum, quod nostro potuisset cordi dubium remanere; ad beati Petri sacratissimum corpus fecimus sacramenta præbere: quibus præstitis magna sumus exsultatione gravisi, quod hujuscemodi experimento innocentia ejus evidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni caritate suscipiat, ac reverentiam ei, qualem sacerdoti decet, exhibeat, nec quædam cordi remaneat de his, quæ purgata sunt, dubietas; sed ita suprascripto vos episcopo devotissime oportet adhærere in omnibus, ut congrue decenterque Deum in ejus persona videamini, cujus minister est, honorare.„

XLV. *Ee episcopis in judicium testimonii caussa evocatis.*

EX Constitutione cap. IX. " Nullus episcopus cogatur ad judicium venire dicendi testimonii caussa: sed judex ad episcopum mittat ministros suos, ut propositis sanctis Evangeliis, quod scit episcopus, dicat secundum hoc quod sacerdotibus honestum est.„

LXVI. *De accusatis episcopis.*

CAP. X. " Nullus episcopus neque pro civili, neque pro criminali caussa apud quemvis judicem, sive civilem, sive militarem, perducatur vel exhibeatur, nisi imperialis jussio processerit. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissione cinguli & XX. librarum auri condemnatione plectatur, ut istæ XX. libræ ecclesiæ addicantur, cujus episcopus produci vel exhiberi jussus est. Litis autem exsecutor post cinguli amissionem, tormentis subjiciatur, & in exsilium mittatur.„

XLVII. *De his qui contra episcopum habent caussam.*

CAP. XXXVII. " Si clericus, vel si quis alius contra episcopum propter qualemcumque caussam audiri maluerit; prius metropolitanus eorum secundum sanctas regulas & nostras leges discernat: & si quis judicatis contradixerit, ad patriarcham illius regionis res referatur, & ille secundum canones & legem finem ei præbeat. Si contra metropolitanum adire quispiam velit, regionis illius patriarcha discernat negotium. Quicumque episcopus apud quemvis judicem accusatur, omnino nullam fidejussionem neque promissionem pro litigio facere compellatur, sic tamen ut operam det intensiones & caussas actoris dissolvere.„

XLVIII. *De testimoniis Clericorum.*

CAP. XXXIII. " Presbyter & Diaconus in caussa pecuniaria si falsum testimonium dixerint, in tormentis non subjiciantur: sed per tres annos separentur a divino ministerio, & monasterio tradantur. Pro criminalibus caussis si falsum testimonium dixerint, clericatus honore nudati legitimis pœnis subjiciantur. Ceteri autem in minore gradu clerici, pro quocumque falso testimonio, ordine ecclesiastico nudati, legitimis coercitionibus subjiciantur. Si quis contra clericum, vel monachum, vel diaconissam, vel monasterium, vel archisterium habeat aliquam actionem, adeat prius religiosissimum episcopum, cui eorum unusquisque subjectus est; ille autem rem in ipsos decernat. Quod si unus ex litigatoribus contradixerit judicatis, & ex imperiali vel judiciali jussione episcopus videat, ad Imperatorem vel ad judicem qui jussit, referatur. Si de judicio ecclesiastico idem canonica caussa emerserit, non magistratus, sed religiosus episcopus secundum sacros canones imponat negotio finem.„

XLIX. *Quantum prosit frequens oblatio sacrificii.*

GRegorius in homilia Evangeliorum XXXVII. " Pensate, fratres, quam benignum sit, quod is qui adventu suo valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se surgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.„ Cujus rei exemplum idem Doctor subintulit, cum de quodam in captivitate vincto, quoties solveretur, expressit. " Ejus, inquit, uxor putans eum esse mortuum, singulis hebdomadibus pro eo offerebat sacrificium: & ut ipse domum reversus postmodum agnovit, toties solvebatur, quoties pro ipso salutaris hostia offerebatur.„

L. *De militantibus.*

AUgustinus de verbis Domini homilia XIX. " Militare non est delictum: sed propter prædam militare, peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere rempublicam, ut

1. Lib. II. epist. 23. Al. *Justinum.*

Sæcul. X. circa Ann. Chr. 1000.

rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea autem providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumtus quæritur, præda grassetur. Illud autem quale est, cum ob errorem aliquem a senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alienas pervaserit, cædem cur turbulentus admiserit; statim respondeat: Quid habebam facere homo sæcularis & miles? Numquid monachum sum professus aut clericum? Quasi omnis qui clericus non est, aut monachus, possit ei licere quod non licet.

LI. *De stipendiis militum.*

DIcitur secundum Evangelium, interrogaverunt Joannem & milites: *Quid faciemus & nos?* ait illis Joannes: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: sed contenti estote stipendiis vestris.* Heic jam cognoscere se debet qui militat. Non enim tantum de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur: sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque hæc sententia potest dici verbi gratia militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus. Quicumque enim stipendia sibi publice decreta consequitur, si amplius quærit, tamquam calumniator & concussor Joannis sententia condemnatur. Usque adeo autem hoc insolevit malum, ut jam quasi ex A consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit: & nulla jam caussa possit esse sine caussa.

LII. *De militantibus clericis, & eorum stipendiis.*

HÆC sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri: quia etiamsi non militare videantur sæculo, tamen Deo militant, sicut ait Apostolus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Videmur, inquam, non militare remissis ac fluentibus tunicis: sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ B interiora constringamus. De quo cingulo Dominus ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Nam & catholicus clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino jubente consequitur; sed exercet mercimonium, intercessiones ad Dominum vendit, viduarum munera libenter amplectitur; hic negotiator magis potest videri, quam clericus. Nec discere possumus: Nemo nos invasores arguit violentiæ, nullus accusat. Quasi non interdum majorem prædam viduis blandimenta eliciant, quam tormenta. Nec interest apud Dominum, utrum vi, an circumventione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

E X P L I C I T.

SANCTI
FULBERTI
CARNOTENSIS EPISCOPI
TRACTATUS

In locum Actor. XII.


ITEM EPISTOLA EJUSDEM.



ACCEDUNT

HUMBERTI Silvæ Candidæ *Tractatus* adversus Græcorum calumnias: Item *Libellus* NICETÆ, & *Responsio* Humberti ad illum. SAMONÆ Archiep. Gazensis *Disceptatio* cum Achmede. GOZECHINI *Epistola*. VVIDMUNDI Archiep. Aversani *Epistola* ad Erfastum. DURANDI Episc. Laodicensis *Epistola*, & DURANDI abbatis Troarnensis *Liber* de Corpore & Sanguine Domini. PHILIPPI Solitarii *Tractatus* de rebus Armeniæ. EUTHYMII Zigabeni *Opuscula* quædam. Denique, S. HILDEBERTI Episc. Cenomanensis, *Epistolæ* quædam, & *Sermones* duo.

Saecul. XI. circa Ann. Chr. 1016.



INCIPIT
TRACTATUS S. FULBERTI
CARNOTENSIS EPISCOPI

In illud Actor. xii. i.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia, &c.

Factus in festo sancti Petri ad vincula.

SCripturam sacram recte cum legit intelligit, qui modos locutionum ejus non negligit. Hos autem considerare non sufficit, nisi qui eam meditatione continua frequentavit. Nam sicut homini cuilibet frequentius colloquendo, paullatim cujus sit qualitatis, advertimus: ita & morem Scripturæ sacræ, sæpius eam retractando cognoscimus. Ipsa enim sicut Patrum magisterio edocemur, nonnumquam per hoc quod vituperabiliter justa historiam gestum narrat, virtutem laude dignam juxta mysticum intellectum significat. Hoc autem in eo vel maxime claret, quod de David & Uria sacra historia gestum refert: ubi & Uriæ innocens devotio, Judæorum infidelitatem designavit: & peccatum Davidis, sacramentum magnum Christi & Ecclesiæ figuravit. Sciendum tamen, quia in his quæ historialiter acta referuntur, agentium caussæ propter significationem non mutantur: ita ut nec justo aliquid de justitia sua minuat, etiamsi per quod ab eo laudabiliter gestum est, malum aliquod designetur: nec injusto justitiæ meritum conferat, etiamsi per hoc quod improbabiliter gessit, aliquod bonum figuretur. Neque enim peccatum David, ideo peccatum non fuit, quia bonum illud maximum figuravit: aut Uriæ innocentia malum fuit, quia infidelis populi duritiam designavit. Hæc idcirco præmisimus, ne meritis apostolicis derogasse ab aliquo judicemur: cum per ea quæ de illis in hodierna lectione narrantur, aliquid quod sanctitati eorum non congruat, significare diximus. Hodie namque nobis de more Ecclesiæ, Apostolorum Actuum lectio recitatur, in qua frater Joannis Jacobus gladio narratur occisus, apostolus quoque Petrus & comprehensus legitur & exceptus. Digna prorsus fidei historia est, etiam juxta litteram venerabiliter amplectenda: verumtamen quia in spirituali libro Ecclesiæ continetur, & ex illa quædam patres spiritualiter intellexisse legimus; non videtur incongruum, si historiæ veritate servata, quomodo spiritualiter tota possit intelligi, demonstremus. Sed jam audiamus exordium.

I. [a] *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia*. Quem sub Herodis vocabulo accipere debeamus significatum, & nominis ejus appellatione, & operis crudelitate docemur. Herodes quippe pelliceus interpretatur, quo nomine recte antiquus humani generis adversarius designatur: cujus suasionibus dum primi homines crediderunt, stola immortalitatis perdita, pelliceas tunicas mortalitatis indices acceperunt. Nam quia pelles mortuis animalibus solent detrahi, non incongrue per pelliceas tunicas dicitur mortalitas figurari. Quas quidem tunicas Deus fecisse, & homines induisse legitur: non quod eos ipse mortales creaverit, de quo Scriptura verax veraciter protestatur, *Quia*
A *Deus mortem non fecit*: sed quia quos ad vitam æternam, si mandatum servarent, condidit; post prævaricationem mortales factos, ipsa vestis qualitate monstravit. Sed hujus indumenti ipse proprie hominibus auctor exstitit, qui eis culpam qua illud mererentur promissione seductoria persuasit. Jure igitur ipse pelliceus nominatur, cujus instinctu humana natura pelliceis tunicis mortem significantibus, amicitur. Rex autem Herodes iste vocatur, quia ipsum esse *regem super omnes filios superbiæ*, Scriptura testatur: qui & omnibus regimini suo subjectis ad mortem perpetuam principatur. Cujus Herodis manus sunt, vel maligni spiritus qui illi ad deceptionem obsequuntur: vel certe perversi ho-
B mines, in quibus juxta Paulli vocem, *Iniquitatis mysterium operatur*. Hostis quippe humanæ perditionis insatiabiliter avidus, cum ei ad votum sua solum nequitia non plenarie satisfacit, ad exsatiandam famem suæ malitiæ socios sibi vel malignos spiritus vel homines perversos adjungit. Qui nimirum ad læsionem bonorum totiens manus mittit, quotiens cordi eorum vel per subjectos spiritus immunda desideria injicit, vel per humanam sævitiam contra eos in exteriori acerbitate crudescit. Quod enim contra caput nostrum semel egit, hoc etiam contra nos membra ejus, indesinenter agere non omittit. Nam quia mentem ejus tentando penetra-
C re non potuit, ad perimendam carnem ipsius, manus suas, videlicet Judæos & milites armatos Romanos, armavit. Sic ergo etiam nunc quotiens a corde electorum repellitur, ut eos saltem in corpore perimat, invidia ardescente succenditur. Ad quid autem tantopere sæviat, aperitur cum subditur: *Ut affligeret quosdam de Ecclesia*. Ea enim quamprimum intentio illum ad contemplandam electorum innocentiam concitat, ut vel eos in culpam perversa suadendo dejiciat: vel certe dum ejus suasionibus resistunt, eos requiescere non permittat. Justorum vero mens, quæ in superna contemplatione requiescere appetit, hoc ipso vehementer affligitur; quod occulto insidiatori continua congressione repu-
D gnare compellitur: quibus etsi numerositas triumphorum coronam victoriæ repromittit, hoc ipsum tamen quod crebro dimicare coguntur, eos vehementer affligit. Scientes namque humanam fragilitatem ad casum esse præcipitem; valde suspecti sunt, ne hostis, qui eos ad certamen frequentius provocat, remissius decertantes quandoque devincat. Notandum interea quod non dicitur: *Ut affligeret Ecclesiam*, sed *quosdam de Ecclesia*: quia etsi fideles omnes odio generali persequitur, acerbitatem tamen illius illi gravius sentiunt, qui levibus desideriis ejus, matura gravitate resistunt. Quos videlicet tanto atrocius impugnat, quanto eos fortius repugnantes considerat. Vel certe missis manibus quos-

[a] Act. xii. 1. seqq.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1016.

dam specialiter Herodes affligit, cum tentamenta illius aliis evadentibus, alios ad vitiorum præcipitia trahit.

II. Sequitur, *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio*. Hanc quidem beati Jacobi passionem omni veneratione suscipimus credentes, & illum pro triumpho martyrii justitiæ corona donatum, & hostem ipsius pro sua crudelitate morte æterna multatum. Sed quod juxta historiam semel factum audivimus, non frustra quomodo quotidie fiat mystice, perscrutamur. Quia igitur Jacobus luctator & supplantator interpretatur, & Joannes, gratia Dei: possunt per hæc duo vocabula, duo in Ecclesia ordines figurari, unus scilicet incipientium, qui adhuc in lucta fidei contra diabolum certat: alius autem eorum, qui per gratiam Dei superato adversario, nulla jam mentis instabilitate vacillat. Is autem qui luctatur, modo supra, modo infra inspicitur: ita & qui necdum perfecte compressis carnis motibus, contra diabolum luctantur; sic illum interdum sibi subjicientes supplantant, ut ab illo etiam aliquotiens, saltem delectatione noxia supplantentur. Quæ videlicet noxia delectatio, si non cito compescitur, protinus anima, vitalis flatu justitiæ perdito, consensus gladio trucidatur. Recte ergo consensus delectationi succedens, gladius appellatur: quia intra sanctam Ecclesiam, illi quoque qui blandimentis diaboli enormiter succumbunt, cum illis qui per gratiam Dei in virtute perfecti sunt, uno verbi semine concepti, uno sanctæ matris Ecclesiæ utero sunt renati. Sicque illos meritorum diversitas separat, ut tamen sacramentorum communio, quadam ut ita dixerim fidei consanguinitate conjungat. Nec novum sane si semen verbum dicitur, quia & Paullus cum idem verbum super corda Atheniensium spargeret, ab eisdem *Seminiverbius* vocatus est. Si autem per hanc Apostoli necem, non mors peccati, sed carnis accipitur; sciendum est, quia crudelis adversarius læsionem bonorum semper esuriens, cum (ut supra dictum est) ad interiorem mortem se prævalere non posse considerat, eum qui sibi resistit, saltem corporaliter trucidare festinat. Sed quolibet modo electis noceat, ejus sævitia illis maxime placet, quibus pro sua innocentia, vita fidelium displicet.

III. Unde & sequitur, *Videns autem quia placeret Judæis, apposuit apprehendere & Petrum*. Judæi namque qui confitentes interpretantur, quos alios hoc in loco designant, nisi eos qui juxta Apostolum: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*? Possunt tamen Judæorum nomine etiam immundi spiritus accipi, qui & ipsi in Evangelio, dum de obsessis corporibus pellerentur, quamquam inviti Christum Dei vivi filium fatebantur. Sed sive perversos homines, seu immundos spiritus Judæorum vocabulo designatos accipiamus; constat profecto quia de bonorum afflictione, utrique voto non dispari gratulantur. Unde & idem caput iniquorum ad persequendos bonos tanto expeditius accingit se, quanto se per hoc, votis suorum amplius satisfacere sentit. Sed justo morte carnis peremto, pars iniqua exsultat: quia videlicet, ille e medio subtractus est, qui sub umbra suæ protectionis multos ab æstu malitiæ defendebat. Justo vero in peccati mortem delapso, tanto amplius lætitia perversis augetur, quanto is qui lapsus est, per vitæ meritum stare altius videbatur. Sed sicut supra beati Jacobi martyrium juxta historiam venerabiliter amplexantes, quomodo juxta internam intelligentiam accipi possit ostendimus: sic nunc quoque servato textu historiæ, quomodo juxta eumdem sensum, hæc beati Petri comprehensio intelligi valeat, ostendamus.

Ad investigandum mysterium comprehensionis viam nobis aperit ipsa ejus, qui comprehensus est, appellatio nominis. Sicut enim fere omnes novimus, a petra Petrus nomen accepit. Quinam ergo hoc nomine designantur, nisi qui per mentis constantiam fortiter stare in virtutum soliditate videntur? Contra quos nimirum hostis tanto acrius pugnat, quanto per illos etiam alios in virtute roborari dolens pensat. Et quia fortassis soliditatem mentis eorum, primo impetu tentationis labefactare non sufficit; more aquæ crebro superveniens, duram eorum constantiam rumpit. Nam sicut quidam ait: [1] *Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo*. Quod etiam divina Scriptura testatur: [a] *Lapides excavant aquæ, & alluvione paullatim terra consumitur*. Cum itaque diabolus fortem virum in laqueum peccati inducit, quasi ad comprehendendum Petrum manus Herodes apposuit. Ubi ipsa quoque verborum proprietas est nobis magnopere perpendenda. Nam qui supra, ut quosdam de Ecclesia affligeret, manus misit: nunc ut Petrum comprehenderet, apposuit. Sciendum itaque, quia tanto se unusquisque a diabolo minus elongat, quanto ad comprehendendum culmen perfectionis minus appropiat. Unde cum aliquem ex talibus ad culpam diabolus rapit, quasi juxta se manus mittit: quia ad se eum qui non longe discesserat, retrahit. Cum vero fortem quemque atque in virtute perfectum decipere nititur & non valet, quasi ad comprehendendum Petrum, manus (ut ita dicam) arctas habet. Unde manus ut Petrum comprehendat apponit, quia ut robustum quemque decipiat, multiplices deceptionum laqueos nectit. Nulla autem callidi tentatoris arte, tam cito virtus pectoris infirmatur: quam cum roboris sui vires sibi arrogans, privata apud se exsultatione lætatur. Nam mox a superno protectore desertus, in virtutum culmine diu minime perseverat, quia eum exinde ventus elationum perturbat. Ab alto vero corruentem adversarius excipit, cum superno auxilio destitutum, per quælibet vitiorum præcipitia trahit. Quasi ergo appositis manibus Petrum Herodes apprehendit, cum illum, qui per virtutum iter gradiens procul a se discesserat, protensis fraudum laqueis iterum irretivit. Ad quod astruendum, si exemplum quæritur, non est opus ut longius evagemur. Quia is ipse Petrus, cujus historiam figurata interpretatione discutimus, in semetipso partim est expertus quod dicimus. Nam cujus carnem Herodes historicus adprehendit, ipsius animam jampridem Herodes typicus trinæ negationis laqueo, quasi fune torto tripliciter alligavit. Et certe de suæ firmitatis robore, multa jam experimenta tenebat: jam Christum Dei vivi filium confessus fuerat: jam beatum se ore veritatis audiverat: jam a soliditate inviolabilis petræ Petri agnomen traxerat: jam claves regni cælestis acceperat: & tamen post tot & tanta divinæ largitatis munera, cum ad horam dominicæ passionis ventum est; quia paullo amplius de sua firmitate præsumsit, sibimet relictus, protinus quisnam esset invenit. Qui certe in æternum periret, nisi illum benignus Jesus intuitu benignitatis suæ respiceret, respiciens emolliret, emolliens ad amaras lacrymas commoveret, commovendo ad lacrymas, crimen quod

a Job. xiv. 19.

1. Ovid. de Ponto lib. iv.

SÆCUL. XI, CIRCA ANN. CHR. 1016.



commiserat, indulgeret. Quo nimirum exemplo nos infirmi ad cautelæ vigilantiam evidenter instruimur, ut mens nostra etiam summis virtutibus prædita, semper se in humilitate deprimat, semper non ex se esse quod est, trepidare cognoscat: ne forte dum ultra se præsumtionis aura raptatur, quanto se altius extulit, tanto gravius elidatur.

IV. Sequitur, *Erant autem dies azymorum*. Juxta litteram patet sensus, quod scilicet Apostolus infra Judaicæ paschæ septimanam sit ab Herode comprehensus: dies quippe azymorum illi septem proprie vocabantur, qui quartum decimum primi mensis, quo agnus immolabatur ad vesperam, ex ordine sequebantur. Evangelistarum tamen auctoritas & pascha pro azymis, & azyma pro pascha ponere consuevit: sicut facile est ei agnoscere, qui eorum volumina studuerit recensere. Sed nos hæc paucis juxta historiam diximus: nunc interiorem sensum hujusce sententiæ videamus. Ait ergo, *Erant autem dies azymorum*. Dies azymorum omne hoc tempus accipimus, quod ab adventu nostri salvatoris usque ad finem mundi evolvitur: in quo nimirum tempore verus ille agnus qui tollit peccata mundi, immolatur: per cujus sanguinem a peccati dominio fidelis populus liberatur. Unde etiam Paulus dicit: *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*. Non igitur otiose comprehensionem Apostoli, per quam fortis viri casus designatur, in diebus azymorum contigisse, scriptam afferui. Sed nimirum significans, quia cum ab ipso humanæ conditionis primordio adversus homines invidia diaboli exarsit; a tempore tamen incarnationis Dominicæ tanto acerbius sævit, quanto sævitiæ suæ finem jamjamque imminere præsentit. Unde scriptum est: [a] *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*. Terræ quippe & maris nomine, carnales quique significantur, quia & terrenis solis intendunt, & undarum more vicissim se saltu superbiæ superponunt: ad quos diabolus habens iram magnam descendit, quia electorum corda deserens, in reproborum cordibus requiescit. Qui quia jam ad beatitudinem se non posse redire considerat, quasi in solatium suæ perditionis, socios sibi cum quibus væ in æternum habeat, coacervat.

V. Sequitur, *Quem cum apprehendisset, misit in carcerem*. Comprehensum Petrum Herodes in carcerem mittit, cum antiquus hostis justum letali crimine captivatum, in latebris conscientiæ peccatricis abscondit. Recte autem peccatrix conscientia appellatur carcer: quia ibi homo interior & vinculis peccatorum adstringitur, & nocte interna cæcatus, videre solem justitiæ prohibetur.

VI. Sequitur, *Tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum*. Inter omnes hujus lectionis sententias, ista est ad penetrandum obstrusior, quæ & ideo fortassis tam gravis ad intelligendum videtur, quia per illam grave aliquid signatur. Gratiam itaque suam nobis Dominus subministrare dignetur, quatenus sic de illa loqui possimus, ut si quis est inter nos qui adhuc vinculis inimici teneatur adstrictus, de istis quaternionibus quantum expedit audiat, audiens intelligat, intelligens doleat, dolens ingemiscat, ingemiscens talibus se exsecutori-

A bus traditum perhorrescat, perhorrescens autem det operam, ut evadat. Quia utique unusquisque quaternio quatuor sub se milites habet, quatuor quaterniones cum sibi subjectis militibus, simul viginti milites sunt. Qui numerus, quia ex quinario & denario conficitur, nam & quater quini & bis deni viginti sunt: potest per illum universa vitiorum multiplicitas designari, quæ contra decalogi præcepta per quinque corporis sensus perpetrantur. Sed fortasse exigitur a nobis, ut eosdem quaterniones & qui sub eis militant satellites, specialiter distinguamus. Est quidem hoc aliquantulum operosum, sed & hoc duplici ratione indagare conabimur. De quibus nimirum quaternionibus ut secundum inter-

B nam intelligentiam loqui apertius valeamus, primum oportet eos seorsum construere, ac deinde singulis suos milites prout ratio dictaverit, assignare. Ponamus itaque aliquem a diabolo ita omni prorsus lumine rationis privatum, ut possit velut insipiens dicere in corde suo, *Non est Deus*: de quo plane pronuntiare possumus, quia per insipientiam suam in infidelitatis est carcere mancipatus. Qui nimirum, quia alterius bona vitæ, vel mala esse aliqua omnino non credit: ad vitæ præsentis bona appetenda vel mala cavenda, curam suam ex toto inflectit. Unde fit ut animæ illius jam in infidelitatis carcere retrusæ, quatuor modos perturbationum diabolus supponat, qui eam sub sæva custodia

C clausam teneant, ne evadat. Quæ nimirum perturbationes etiam in anima sapientis, vicissim sibi pro caussarum varietate succedunt: sed in anima insipientis perturbationes sunt, quia per eas insipiens perturbatur. In anima sapientis non tam perturbationes quam affectiones vocantur, quia ne perturbent, ratione sapientiæ moderantur. Primus itaque perturbationum modus cupere: secundus metuere: tertius dolere: quartus gaudere. Nec moveat, quod istos perturbationum modos non eo ordine posuimus, quo illos sæcularis poeta locavit: quia Scripturæ nostræ auctoritatem judicamus potiorem, in qua legitur: *Radix omnium malorum cupiditas*. Sed nec ipsi, qui inter sæculi sapientes habentur, eo-

D dem illos ordine in libris suis posuerunt, aut iisdem nominibus nuncupaverunt. Ecce etenim unus eorum cum de animabus corpore exutis secundum suam opinionem ageret, ait:

> *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque*, &c.

Alius autem qui in scholis sæcularibus legitur, ita posuit:

> *Gaudia pelle, pelle timorem; spemque fugato, nec dolor adsit*.

Ecce quod ille ultimum, iste posuit primum; quod ille primum, iste secundum; quod ille secundum, iste mutato loco & nomine, posuit tertium. Dolor autem qui heic quarto loco est positus, ibi in ter-


E tio ponitur. Jam autem verum constat, quod his quatuor perturbationibus, quasi quatuor quaternionibus insipiens in infidelitatis carcere custodiatur inclusus. Et poeta in eodem loco ipsius quoque carceris fecerit mentionem, ait enim:

> *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras*
> *Respiciunt clausæ tenebris & carcere cæco*.

Auctoritate itaque Scripturæ nostræ, primum modum perturbationis, quasi primum quaternionem, ponimus cupiditatem: secundo loco motum, tertio dolorem, quarto gaudium: quod cur inter turbationes animi numeretur, inferius ostendemus. Ecce isti sunt quatuor quaterniones, quibus captivum

[a] Apoc. XII. 12.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1016.



suum diabolus custodiendum committit, quem prius in infidelitatis carcerem per insipientiæ ostium introduxit. Qui ut præfati sumus, quia præter hoc quod corporeis oculis videt, nihil aliud credit: bonis interioribus vacuus, totus in exteriora prolabitur. Et primo quidem vallat eum cupiditas, ut habeat: secundo metus ne amittat: tertio, dolor si amiserit: quarto, gaudium si recuperaverit. Habent autem & isti quaterniones, ad servandum captivum diaboli, singuli sub se milites suos. Vitia etenim quæ de unaquaque perturbatione quasi originaliter nascuntur, ipsi sunt milites, qui unicuique quaternioni, quasi pro adjutorio ad peccatoris custodiam deputantur. Sub primo itaque quaternione quem cupiditatem nominavimus, primus miles est tenacia, secundus multiplicatio, tertius inaffectio, quartus voluptas. Recto siquidem ordine cupiditatem tenacia sequitur, quia tanto quisque studet strictius quod acquisitum est retinere, quanto se meminit in acquirendo gravius laborasse. Tenaciæ vero multiplicatio subnectatur, quia dum longa sibi vitæ spatia pollicetur, instat magnopere, ut quæ jam parta sunt, quotidiano fœnore cumulentur. Quod cum ad votum multiplicari contigerit, res quidem exterior dilatatur, sed ipse interius angustatur. Unde & tertio loco, inaffectio subinfertur: quia tanto crudelius contra indigentiam proximi induratur, quanto sibi soli credit vir posse sufficere, quæ habentur. Sed inter hæc cogitat, quia frustra in congregandis tantopere desudavit, si sic ab eorum communione indigentem proximum sublevat, ut ipse quoque ab eorum usu alienus existat. Unde quia post hæc, totum se in lasciviam voluptatis dejecit, in commilitonum agmine quarto gradu voluptas incedit: per quam scilicet ita illecebris carnis suæ resolvitur, ut ei illa voluptuosorum sententia merito coaptetur: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Et *coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Et: *Ubique quæramus signa lætitiæ: & nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sed dum infelix anima taliter in sua voluptate resolvitur, incipit vehementer metuere, ne scilicet id quod eam tantopere delectat, ab ea subito auferatur. Unde bene loco secundi quaternionis, metus cum suis satellitibus subrogatur, quorum I. est sollicitudo, II. inconstantia, III. fictio, IV. irrationabilitas. Quos videlicet frustra sic ordinavimus, si non rationem quoque cur taliter sint ordinati, reddamus.

Sollicitudo namque metum primo gradu subsequitur, quia metuentis animus, dum aliquid quod vehementer amplectitur, amittere trepidat, immensa illum suspicionum varietas turbat: quæ menti trepidæ dum damna ventura proponit, omnia illi per cogitationem irrogat, quæ posse irrogare confingit. Sollicitudinem autem inconstantia comitatur, qua dum ea quæ pati metuit, intolerabilia fore præponderat, effeminatus per ignaviam, nulla se tolerantiæ virtute confortat. Cum vero se ad tanta discrimina prævidet virtutis robore non posse subsistere, tentat magnopere, si ea saltem per fictionem valeat devitare. Ac proinde post inconstantiam fictio numeratur, quia metu concussus animus de campo confidentiæ fugiens, in duplicitatis angulo occultatur. Post fictionem autem irrationabilitas subrogatur, quia idcirco animum tam densa perturbationum nebula circumfudit: eo quod amisso humanitatis consilio, nulla se rationis moderatione componit. Huic jam dolor quem tertium quaternionem diximus, cum suo agmine ad captivi custodiam subrogatur. Est autem satellitum ejus primus livor, secundus amaritudo, tertius clamor, quartus crudelitas. Dolorem quippe primus livor prosequitur: quia cum alter adipiscitur quod alter amiserit, amittens in adipiscentem livore invidiæ succenditur. Livori autem amaritudo succedit, quia invidentis animus tanto ad omnes amarescit exterius, quanto exurente invidia radices ejus intimas, succus alicujus infundit. Post amaritudinem quoque clamor non incongrue numeratur, quia amaricatus animus cum jam flammas suas apud se ipse tolerare non sufficit, exterius eas cum clamoris vociferatione profundit: tantoque eas altius jaculatur, quanto id quod amissum est carius amabatur. Quartus in hoc agmine satellitum, crudelitas nominatur. Quia exasperatus per dolorem animus, qui dolorem suum sub livoris tegmine diutius enutrivit, cum hunc clamores efferendo plene non satiat, studet inhianter, ut verbis crudelibus opera crudelitatis adjungat: quæ nimirum crudelitas eousque doloris immensitate se dilatat, ut in eumdem ipsum qui dolet, doloris pœnas retorqueat. Plerisque etenim accidit, ut vel rerum vel pignorum amissione turbati, dum doloris sui vulnus lenire rationis medicamine neglexerunt, in eos perturbationum fluctus inciderint, ut vel sensum communem amitterent, vel in seipsos crudeliter manus injicerent. Ecce quousque per satellites suos dolor sævit, ut quasi parum sit ei quietem animæ perturbare, studeat illam etiam de ipso habitaculo corporis effugare!

Restat quartus quaternio, quem veteres gaudium nominaverunt, post dolorem congrue collocatus. Quia sicut dolor de re generatur ademta, ita & gaudium de re generatur adepta. Sed videndum cur majorum auctoritas, inter eas perturbationes quæ statum mentis solent avertere, gaudium numeravit, cum hoc inter fructus justitiæ sanctus Paullus apostolus computaverit dicens: *Fructus autem spiritus, est gaudium, pax,* &c. Unde noverimus gaudium si quando in mala significatione ponitur, non proprie, sed abusive nominari. Unde & apud Esaiam ubi nostra translatio habet, *Non est pax impiis, dicit Dominus:* alia translatio habet, [a] *Non est gaudere impiis, dicit Dominus.* Verumtamen Apostolus cum de caritate loqueretur, hoc verbum abusive posuit, dicens: *Non gaudet super iniquitate.* Cum certe quicumque super iniquitate lætatur, non gaudere, sed potius gestire dicendus est. Gaudere etenim tantummodo hominum est, gestire autem non solum hominum, verum etiam irrationabilium animalium est: unde & catuli gestire dicuntur, cum internam alacritatem gestibus caudæ, vel aliorum membrorum ostentare videntur. Hoc itaque loco cum gaudium inter perturbationes animi numeratur, non proprie gaudium, sed potius gestus quidam irrationabilis est accipiendus: qui & mentem per immoderatam lætitiam a gravitatis pondere levigat, & hanc eamdem levitatem per signa exteriora demonstrat. Unde quia per dissolutionem exteriorem demonstratam levitas interna detegitur, non incongrue ipsa dissolutio huic quarto quaternioni pro primo milite deputatur. Cum enim mens conceptam intus lætitiam gravitatis freno retinere non curat; qualis apud se intrinsecus lateat, motus exterior manifestat, qua scilicet manifestatione non minimum illi dispendium irrogatur. Quia cum motus exterior ab internæ superfluitatis fontibus hauriat quidquid in externis obtutibus foris manat; tanto jam mens vilior ab omnibus æstimatur,

a Isaj. XLVIII. 22.

quanto interno ejus gazophylacio pretium gravitatis non inesse deprehenditur. Secundus in hac extrema acie miles, jactantia nominatur: quia nimirum cum membra per motus inconditos dissolvuntur, lingua quoque ruptis habenis silentii, per verba jactantiæ diffrenatur. Pro tertio adhuc milite mendacium computatur, quia qui multa de se jactanter loquitur, fieri non potest ut non etiam quædam interserat, unde mentiatur. Mendacio autem superbia subrogatur, quæ supradictis omnibus materiam subministret, & ultima superatur. Nam sicut scriptum est: *Radix omnium malorum cupiditas*. Ita etiam scriptum legitur: *Initium omnis peccati, superbia*. Quæ utræque sententiæ valde ab invicem discreparent, nisi aliquo modo unum essent. Sed B quia una semper aliam gradu individuo comitatur, recte & *Radix omnium malorum cupiditas*, & *Initium omnis peccati superbia* perhibentur. Quia nisi cupidus per superbiam intumesceret, nequaquam divitiarum copia excæcare ceteros festinaret; & nisi superbus cupiditatis stimulis urgeretur, non utique ad apicem singularis potentiæ tanto opere rapetetur.


VII. Sed quia hoc quod Apostolus comprehensus & quaternionibus traditus dicitur, uno modo tractavimus: libet hoc ipsum sub alia significatione exponere, & ejus judicio qui hæc fortassis legere dignabitur, utramque expositionem relinquere. Nam C qui jam per divinam gratiam illuminati sumus, non nobis utique jam congruit, quod *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*. Et quia sæculum omne contemsimus, jam fortassis non nos cupiditas habendi inflammat, non metus amittendi sollicitat, non dolor amissi addicit, non gaudium recuperati extollit. Sunt autem alia vitia, quæ nos etiam fugientes de sæculo prosequuntur, quæque nobis tanto importunius insistunt, quanto in nobis ipsis materiam importunitatis inveniunt. Ex his itaque unum assumamus, & secundum ejus significationem, de istis quaternionibus pertractemus.

Ponamus itaque aliquem, qui per delectationis suæ mollitiem in cœnum luxuriæ ceciderit: hunc D sine dubio diabolus apprehendit, quia eum libertate castitatis ablata, in servitute libidinis captivavit. Sed comprehensus peccator carceri mancipatur, si post perpetrationem criminis, in suæ conscientiæ latebris occultatur. Nec tamen sufficit crudeli adversario suo, quod captivum suum tenebris carceralibus damnat, insuper etiam custodes illi adhibet, ne evadat. Nam peccator quem per admissum facinus diabolus captivavit, nonnumquam de ejus captione per confessionis foramen exire disponit: sed custodes adhibiti volentem exire retentant, quia difficultatum obstacula quæ supponit, illum ne possit exire retardant. Salva itaque veritate historiæ, quaterniones quibus Petrus clausus carcere cu- E stoditur, ipsa sunt difficultatum obstacula, quibus peccata confiteri deliberans, a confessione præpeditur. Quos nimirum quaterniones ut evidentius ostendamus, necesse est eos nominatim exprimere, & eis singulos suos milites assignare. Sed ut de aliis sicut ordo processit, vidimus; nunc restat, primus quo censeatur nomine & quo stipetur agmine, videamus. Sit itaque quaternio primus, affectus peccandi; & habeat sub se milites suos, quorum primus vocetur recordatio præteritæ voluptatis, secundus excusatio fragilitatis, tertius imitatio pravitatis, quartus ratiocinatio conditionis. Recto autem ordine in quaternionum numero primus omnium, affectus peccandi locatur: quia nimirum is qui in

A carcere est luxuriæ retrusus, citius exinde progredi festinaret, nisi eum peccare iterum delectaret: sed quia adhuc peccare affectat, non potest confitendo peccatum, impugnare quod amat. Sub hoc autem primo quaternione, primus miles est, ut diximus, recordatio præteritæ voluptatis: quæ quaternioni suo fœdere copulatur, ut & cum illo ad peccatoris custodiam excubet, & eidem iterum peccandi materiam subministret. Quæ nimirum recordatio, tanto peccatorem ut iterum peccet violentius cogit, quanto illi expressius repræsentat voluptates suas, quas expertus est dum peccavit. Sed si per recordationem præteritæ voluptatis, peccator ad repetendum peccatum urgetur: cur non ipsa in hoc agmine affectui peccandi præponitur? Si enim ista illi materiam exsistendi, sicut præmisimus subministrat: plus utique videtur esse, quam ipse. Sed sciendum nobis est, plus esse aliquid, peccandi habere affectum, quam peccati habere recordationem. Ille etenim sic est vitium, ut virtus esse omnino non possit: hæc autem sic nunc inter vitia numeratur, ut nonnumquam etiam in virtutum numero computetur. Nam quæ peccatorem peccare volentem admonet ut iterum peccet, ipsa peccatorem peccasse dolentem, admonet ut amplius ploret. Vel certe ideo affectui peccandi postponitur recordatio præteritæ voluptatis, quia recordari eorum proprie dicimur, quæ pridem aliquo modo experti sumus: affectare autem ea etiam possumus, de quibus nullum adhuc experimentum tenemus. Unde recordatio eorum, nobis nunc peccatorum delectationes repræsentat, quæ fecimus: affectus autem peccandi ad illa etiam nos pertrahit, quæ per sensum experientiæ ignoramus. Qui ergo plus valere cognoscitur, dignum fuit ut primus in hoc agmine poneretur. Sub quo nimirum loco, secundi militis militat excusatio fragilitatis: quia nonnumquam dum perpetrato scelere peccator ipse quoque suo addicitur, hæc repente interveniens quasi blando eum alloquio consolatur. Suggerit enim illi non esse mirum si peccato consentit, quippe quem ipsa carnis fragilitas ad peccatum impellit. Tertius miles imitatio pravitatis vocatur, quia perversa mens quæ culpam suam tegere velamento fragilitatis propriæ nititur, hanc etiam aliquotiens exemplo alienæ iniquitatis tueri conatur; & damnanda agens inde se quasi minus damnabilem credit, quia plures socios in iniquitate invenit. Quarto gradu miles IV. ingreditur, qui ratiocinatio conditionis vocatur: per quam videlicet ratiocinationem mens reproba in eam plerumque perversitatem prosilit, ut reatum suum ratiocinando defendat; affirmans scilicet, quia si Deus misceri utrumque sexum noluisset, membra ipsi huic operi apta in humano corpore non locasset. Quid igitur hoc quarto satellite perversius, per quem peccator sic in tenebris interioribus coarctatur, ut totius justitiæ auctorem suæ injustitiæ suspicetur?

Hunc primum quaternionem sequitur alius, qui pudor confessionis vocatur, ordine, non crudelitate secundus. Ut quid enim in latebris conscientiæ se peccator abscondit, nisi quia pudet eum, confiteri quod fecit? Sub hoc secundo quaternione, I. loco levigatio militat culpæ, II. longiturnitas vitæ, III. præsumtio veniæ, IV. torpor negligentiæ. Primas enim excubias in hoc agmine levigatio culpæ observat, quæ dum aut nihil aut parum esse quod perpetratum est persuadet, mentem quæ jam salubriter contristari cœperat, manu noxiæ consolationis demulcet: sicque dum apud ejus existimationem pondus peccati levigat, agit ut eam pondus judicii

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1016.




quandoque intolerabiliter premat. Loco autem secundi militis, longiturnitas vitæ computatur, quia nimirum, dum mens longa sibi vitæ spatia pollicetur, serius quam oportet de peccati sui carcere per ostium confessionis egreditur. Quam etiam ad confessionis dilationem ea nonnumquam cogitatio nutrit, quod quandocumque convertatur, veniam sibi donari præsumit, sicut scriptum est: *In quacumque die peccator conversus fuerit & ingemuerit, salvus erit*. Quia ergo per hoc quod sibi de divina misericordia plus justo blandiens veniam se mereri, quandocumque redeat, repromittit; non immerito ipsa præsumtio veniæ per quam confessio differtur, loco tertii militis numeratur. Quartus quoque miles est torpor negligentiæ, quia dum peccator pudori suo carnaliter prospiciens, confiteri dissimulat; dum sibi noxie blandiens, pondus sibi sui peccati levigat; dum de divina longanimitate præsumens, converti detrectat: repente in torpore negligentiæ resolutum dies extrema supplantat. Sed ut quid se homo in culpa tam molliter palpat? Ut quid eam tot velaminibus operit? nisi quia amore privato se diligens, æquitatis regulam ut se diligat, non assumit.

Unde & amor ipse privatus per quem homo ab intuitu rectitudinis avertitur, hoc in loco vice quaternionis tertii computatur. In hujus comitatu primus miles est appetitus famæ, II. rubor abjectionis, III. rigor pœnitentiæ, IV. metus perseverantiæ. In istius itaque quaternionis acie, primus militat appetitus famæ, qui nimirum sic suo primicerio ad adjutorium copulatur, ut de illo etiam generetur. Nam quisquis privato amore se amat, ad hoc magnopere nititur, ut per famam laudabilem nomen suæ opinionis extendat: quæ videlicet opinionis extensio vultum confessionis præpedit: quia difficile, immo impossibile est, ut culpas suas possit pure detegere confitendo, quisquis adhuc apud aliorum æstimationem gloriosus appetit apparere. Unde de hoc quoque milite alius procreatur, qui pudor abjectionis vocatur: quia tanto se quisque in confessione tardius de commissis humiliat, quanto illum amplius aut loci aut ordinis altitudo delectat. Et dum abjectus videri exterius erubescit, in interni judicis obtutibus erubescendus haberi non metuit; magisque veretur ne inter consortes despectus appareat, quam ne eum æquus arbiter extra consortium humilium mittat. Quo circa exemplo suo Psalmista nos instruit dicens: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Sed inter hæc sciendum quia plerumque peccatorem nec appetitus famæ, nec rubor abjectionis a confessione retrahit, sed rigor pœnitentiæ & metus perseverantiæ. Unde & hæc duo pro duobus qui restant militibus computantur, quia & ipsa maxime præpediunt, ne is qui captus est, emat; quorum unum nascitur ex amore carnis, aliud ex immissione adversarii. Rigor enim pœnitentiæ qui peccatorem a confessione deterret, ex carnis amore nascitur: quia dum apud se tacitus perpendit, quanta sibi si confessus fuerit, pro satisfactione criminis injungentur, carnis suæ teneritudini parcens, a confessione retardatur. Metus autem perseverantiæ ex immissione adversarii generatur; qui idcirco peccatorem de perseverantia reddit suspectum, ut semper illum teneat in iniquitate reclusum: ut scilicet numquam bonum audeat inchoare, dum metuit ne possit in eo quod cœpit perdurare.

Quartus quaternio qui profundum malorum dicitur, ultimus omnium excubat, ut commissum sibi, A de profundo malitiæ in profundum pœnæ pertrahat. Habet enim & ipse IV. satellites ad captivi custodiam deputatos, quorum I. est contemtus, II. obduratio cordis, III. impœnitentia; IV. cæcitas mentis. De profundo enim malorum ante illos I. contemtus exoritur, quia sicut scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit*. Obduratio quoque cordis pro II. milite numeratur, quia cum considerata malorum suorum enormitate, veniam se jam non posse mereri confingit, per campos totius malitiæ mente obdurata discurrit. Obdurationem quoque cordis impœnitentia sequitur, per quam peccator divitias divinæ longanimitatis contemnens, dum peccata peccatis accumulat, iram B sibi in die iræ juxta Apostolum thesaurizat. Loco autem IV. militis cæcitas mentis accipitur. Quia ad normam divinæ rectitudinis pertinet, ut peccatori qui sæpe in culpam videndo & contemnendo præcipitatur, in eam quandoque etiam non videns impingatur: & qui per cor impœnitens antea perdidit bene vivere, postmodum per cor divinitus excæcatum, perdat etiam bene scire. Ecce in quam sævam custodiam se retrudit, qui hostis persuasionibus consentiens, delectationi noxiæ molliter acquiescit! Ecce quam non suæ potestatis se efficit, qui satanæ potestati peccando se tradit! Ecce quantis & quam sævis custodibus delegatur, quisquis C confiteri dissimulans, in suæ conscientiæ latebris occultatur! Cavendum itaque summopere nobis est, ne umquam delectatio prava in consensum transeat, & usque ad affectum peccandi progrediens, satanæ nos laqueis jam captivos adstringat. Si autem per nostram mollitiem jam capti tenemur, caveamus omnimodis ne in carcere retrudamur: sed quantocius ardore pœnitentiæ succensi, eos qui nos adstringunt satanæ laqueos exuramus: ne forte si tamdiu differimus, tanto difficilior jam ad progrediendum aditus pateat, quanto nos multiplex custodia undique circumvallat. Sed Petro retruso in carcere, & quaternionibus deputato, videamus quid sequitur. D

VIII. *Volens post pascha producere eum populo*. Ecce ad quid captivum suum diabolus tantopere servat, ecce cur eum carceri mancipat! Ecce cur tot & tantis eum apparitoribus delegat! ut scilicet eum populo ad spectaculum post pascha producat. Quia enim pascha transitus dicitur, non incongrue per hoc vocabulum transitus uniuscujusque de hac vita signatur. Omnes quippe moriendo transimus, sed interest utrum per mortem ad mortem, an per mortem transeamus ad vitam. Per mortem enim ad mortem transeunt, quibus post mortem carnis, restat æternus interitus mortis. Ad vitam vero per E mortem transeunt, quibus post resolutionem corporis, gaudia æterna succedunt. Ad hoc itaque captivum suum tam diligenter diabolus servat, ut eum populo ad spectaculum post pascha producat, quia ad hoc peccatorem usque ad mortem in peccato retentat, ut illum de hac vita transeuntem de carcere in carcerem mittat: de carcere scilicet tenebrosæ conscientiæ in carcerem pœnalis gehennæ. Si autem captionem istam, ad eum qui post susceptum religionis habitum in crimen letale corruit, proprie referamus: hoc quod ait, *Producere eum populo*, non otiose additum advertemus. Certe enim ad illud extremum judicium, non solum homines, sed & boni & mali angeli deducentur. Cum ergo illi extremo judicio, & homines & angelos bonos & malos adfuturos noverimus: cur religiosus in perpetrato crimine usque ad finem perdurans, soli



populo produci ad spectaculum perhibetur? Videtur itaque ad ignominiam nostram qui sæculo renuntiavimus, additum esse quod dicitur, *Producere eum populo*. Nam quia a populando populus dicitur, populari autem vastare dicimus: nobis qui religiosi videmur, magna profecto ignominia erit, si post transitum vitæ hujus, illis etiam ad spectaculum derisionis producimur, qui per lata voluptatum itinera discurrentes, vitam suam quotidie populantur.

IX. Sequitur, *Et Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Cum is qui in captionem diaboli detinetur, per se exinde exire aut non velit aut non valet: ad pietatis sanctæ matris Ecclesiæ pertinet sinum, ut ei a Domino egrediendi imploret effectum. Utrumque enim a Domino necessario postulatur, quia peccator in carcere peccati reclusus tanta aliquotiens insensibilitate obdurescit, tantis tenebris obumbratur: ut nec squallorem sui carceris sentiat, nec vincula quibus alligatus est, videat. Unde quantominus calamitatem qua punitur sentit, tantominus ab ea desiderat liberari. Nonnumquam vero & miseriam suam videt, & erui ab illa exoptat: sed exire non prævalet, quia illa eum multiplex quaternionum custodia circumvallat. Sed sive volens, sive nolens teneatur in carcere, dignum est ut mater Ecclesia filium quem genuit recognoscat, & ei maternæ pietatis viscera pro eo orando, intendat. Quod qua instantia sit agendum, sententia interposita manifestat. Nam cum diceretur, *Oratio autem fiebat*: interpositum est, *sine intermissione*: quia nimirum tunc quod petimus impetramus, cum nulla impetrandi difficultate ab oratione lassamur. Unde etiam juxta litteram, quantum orationes beato Petro profuerint, aperitur, cum subditur,

X. *Cumque producturus esset eum Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus*. Si juxta litteram ipsum ordinem apostolicæ liberationis paullo diligentius intuemur, juxta interiorem sensum, quantum peccator divinæ misericordiæ debeat, evidenter instruimur. Quid enim innuit, quod Apostolus tunc refertur erutus de carcere, cum jam esset populo ad spectaculum producendus; nisi quod divina pietas plerumque tunc etiam peccatorem de sua captivitate liberat, cum jam proximum est, ut eum diabolus eductum de corpore ad æternam irrisionem perducat? *In ipsa nocte*, inquit, *erat Petrus dormiens*. Comprehensus Petrus in nocte dormit, quando vir fortis in peccatum prolapsus, a cognitione sui mentis oculos claudit. Nox enim in qua dormit, ignorantia est: nisi enim seipsum & quæ circa eum aguntur, ignoraret, in sui utique considerationem oculos aperiret, aperiens periculum suum videret, videns sentiret, sentiens doleret, dolens ingemisceret, ingemiscens autem evadere festinaret. Sed comprehensus Petrus dormit, quia quid sibi immineat, non adtendit. Dormit inter duos milites, vinctus catenis duabus. Iterum cogimur investigare, quinam sunt isti duo milites, qui dormientis Petri latus utrumque ambiunt: vel quæ sint catenæ, quæ manus illas adstringunt. Supra audivimus, quod Apostolus missus in carcerem, quatuor quaternionibus sit ad custodiam delegatus: quod nos quoque quomodo specialiter intelligi possit, ostendimus. Sed cum dicitur quod inter duos milites dormiebat, intelligitur quod ei a dextro & a sinistro latere milites cohærebant: usu autem quotidianæ locutionis, pro dextro nos habere quidquid adjuvat, pro sinistro quidquid adversatur. Sit itaque miles, qui dextro lateri assistit, præsumtio veniæ, quam pro III. milite sub secundo quaternione supra posuimus: quæ nimirum dum peccatori quandocumque redeat, veniam repromittit, securum illum juxta se dormire facit. Miles ergo iste, dextrum latus dormientis observat; quia illud scilicet pollicetur, quod peccatorem somno negligentiæ resolutum ad veniæ præsumtionem adjuvare videtur. Sit etiam miles sinistro lateri assistens, rubor abjectionis, pro II. milite superius quaternioni tertio deputatus: per quem videlicet ruborem abjectionis, dum peccator adversi aliquid se perpeti opinatur, eligit potius intus apud se qualicumque quiete quiescere, quam foras exeundo, abjectionis verecundiam sustinere. Duæ autem catenæ quibus dormiens vincitur, sunt consuetudo & desperatio, quibus ne bonum aliquid faciat, præpeditur. Catena enim malæ consuetudinis, peccatoris manus obligantur: quia plerumque dum ad bonum opus se conatur extendere, ab eisdem peccatis quæ consuevit facere, retinetur. Catena quoque desperationis, manus ejus adstringit; quia tanto pigrior ad omne opus bonum efficitur, quanto jam sibi non posse prodesse, quidquid boni fecerit, suspicatur.

XI. Sequitur, *Et custodes ante ostium custodiebant carcerem*. Si ostium carceris aditum confessionis accipimus; custodes qui ante ostium excubant, sunt illa difficultatum obstacula, quæ jam supra nominatim in descriptione secundi quaternionis expressimus. Sed licet heic parum persistere, & captivi hujus miserias exprimere. Ecce etenim quia hosti blandienti consentit, ab eodem est atrociter apprehensus! Ecce quia confiteri distulit, in carcerem est retrusus! Ecce illi jam retruso, multiplex quaternionum custodia exterius adhibetur! Ecce intra ipsum quoque carcerem, catenis adstrictus a militibus observatur! Quando ergo evadit, quem intus & extra tam multiplex custodia circumvallat? Sed ubi humana major miseria, ibi plerumque major claret divina misericordia, nam sequitur,

XII. *Et ecce angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo*. Notandum magnopere video quod dicitur, *Et ecce*. *Ecce* etenim dicere solemus, cum aliquid præter spem subito contigisse monstramus. Unde per hoc quod dicitur, *Et ecce*: repentina & inspirata subventio innuitur, quæ plerumque tunc etiam captivum de sua captivitate liberat, quando ipse quoque jam se posse liberari desperat. Sed jam videamus, quisnam sit iste angelus, per quem de carcere suo peccator educitur. Ipse est utique de quo per Prophetam dicitur: [a] *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*. Nam quia græce angelus, latine dicitur nuntius, recte is qui legem annuntiat, angelus appellatur. *Sacerdotis* ergo *labia scientiam custodiunt*, quia nimirum ille sacrum ducatum populis legendo ostendit, qui quod novit sciendo, etiam vivendo custudit. *Ex cujus ore legem requirunt*, quia prælatum suum subditus tanto reverentius audit, quanto eum intelligit non de præsumtionis, sed de scientiæ certitudine proferre quod dicit. Qui bene *angelus Domini* dicitur, quia per hoc quod legem

[a] Malach. II. 7.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1016.



Domini nuntiat, ad ejusdem Domini lucra, non ad suos favores, anhelat. Nam non jam proprie Domini, sed suus angelus esset, si ideo loqueretur, ut per vocem ejus exercitus Domini non cresceret: sed ut ipse, quam esset doctus & sapiens, appareret. Quia vero per omne quod dicit, ad hoc principaliter intendit, ut sui Domini exercitus augeatur, angelus Domini exercituum nominatur. De quo nimirum angelo magnopere notandum est, quia non proprie stetisse, sed adstitisse refertur: adstare etenim proprie quasi juxta stare dicimus. Prædicator autem legem Domini nuntians, auditori suo stat quidem, sed nequaquam adstat: quando ipse quidem recte juxta regulam fidei exhortatur, sed auditor id quod audit nullo amoris brachio complexatur. Valde itaque prædicator ab eo cui prædicat remotus est, quando ad cor ipsius prædicando appropinquare non valet. Unde & habitaculum talis carceris angelus non illustrat, quia dum peccator non curat obedienter audire quod audit, lumen sanctæ prædicationis tenebras illius conscientiæ non expellit. Cum vero angelus adstat, habitaculum carceris illustratur: quia cum prædicatio sancta a corde obedienti excipitur, tanto magis illud reddit perspicuum, quanto amplius per obedientiam sibi sentit propinquum. Tunc angelus non solum stat, sed etiam adstat: quia vox prædicationis non solum exterius perstrepit, sed etiam interius juxta cor compunctum assistit.

Potest tamen in hoc quod angelus in carcere astitisse dicitur, adhuc aliud figurari. Nam quia stare laborantis est, vel pugnantis; quid per stantem angelum, nisi labor pœnitentiæ signatur? Angelus itaque Petrum de carcere educturus, juxta eum astat: quia nimirum prædicator peccatorem ad magnum certamen provocat, cum eum ad congressum diaboli per pœnitentiæ laborem invitat. In quo nimirum congressu, etiam contra semetipsum pugnare compellitur, cum contra delectationes peccatorum, quæ se gessisse meminit, reluctatur. Si enim nullus in statu pœnitentiæ labor esset, Psalmista utique non dixisset: [a] *Laboravi in gemitu meo*. In gemitu enim suo peccator laborat, quando de malis quæ perpetravit, pœnitentiæ se dolore castigat. Sed ad hujus laboris congressum tunc fortius laboratur, quando ei per prædicationis vocem passio redemtoris ad memoriam reducitur: unde bene de angelo typum prædicatoris tenente subjungitur.

XIII. *Percussoque latere Petri, excitavit eum dicens; surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus*. Sicut jam & ante nos dictum est, percussio lateris commemorationem designat dominicæ passionis. Nam quia aperto latere redemtoris, sanguis & aqua manavit, quorum unum ad pretium, aliud vero ad lavacrum: recte hæc utraque peccatori converso ad memoriam revocantur, ut & dignitatem sui pretii perpendens, peccare ulterius dedignetur: & inquinatus post lavacrum, pœnitentiæ fontibus iterum baptizetur. Vel certe ideo necesse est, ut pœnitens quisque angustias dominicæ passionis ante oculos mentis suæ depingat, quatenus exemplo illius, suum quoque animum ad tolerantiam passionum accingat. Unde quoque ipse beatus Petrus nos admonet dicens: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*. Ac si aperte dicat; Qui peccatores estis, tanto necesse est ut vestrum animum ad tolerantiam informetis, quanto eum qui peccatum non fecit,

A talia passum agnoscitis. Ergo quæ & quanta in carne vestra pro vobis sit perpessus redemtor, attendite; & ita demum vos ipsos ad eamdem patientiam per cogitationem armate. Sed Petrus percussus in latere expergiscitur, quia peccator per recordationem dominicæ passionis a somno suæ inertiæ excitatur: excitatus autem surgere velociter imperatur, ut qui eatenus prostratus in cubili iniquitatis jacebat, nunc humiliatus per gratiam, mala quæ perpetravit, relinquat. Ubi notandum, quod non solum surgere, sed etiam velociter, surgere jubetur: quia sunt nonnulli qui etiam post illuminationem gratiæ, bonum quod per intellectum vi-
B dent, pigre exsequuntur. Sed velociter exsurgenti, catenæ de manibus cadunt: quia qui bonum quod agnovit cum fervore spiritus arripit, quidquid eum præpedire poterat, citius evanescit. Catenas enim superius esse diximus, pravam consuetudinem & desperationem, quæ utræque velociter exsurgenti de manibus cadunt: quia cum audita prædicatione de torporis sui lecto sine mora peccator exsurgit, nec peccandi consuetudo valet illum ad peccatum retrahere, nec desperatio a speranda indulgentia deterrere.

XIV. Sequitur, *Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & calcia te caligas tuas. Et fecit sic*.
C Heic etiam juxta litteram, de virtute discretionis instruimur. Petrus enim ut frigus noctis sibi aliquantulum temperaret, vestimentum quo induebatur, soluto cingulo circa pedes dimisit. Exemplum nobis infirmis præbens, cum vel humana sævitia afficimur, vel corporis infirmitate gravamur, licere nobis aliquid de propositi rigore laxare: ut dum fragilitati corporis in minimis condescendimus, vires illi majores ad exercendum certamen fidei reparemus. Juxta internam vero intelligentiam prædicator peccatorem præcingi imperat, cum illum hortatur, ut luxuriæ fluxa cingulo castitatis restringat. Hoc cingulo discipulos suos castitatis magister præcingebat, cum diceret: *Sint lumbi vestri*
D *præcincti*. De hoc quoque cingulo ipse Petrus nos admonet dicens: *Succincti lumbos mentis vestræ*. Sed quia prædicator tunc congruentius prædicat, cum auditorem suum de antiquorum dictis & exemplis informat; recte Petrum angelus non solum præcingi, sed etiam caligas calciare præcepit. Quid enim per caligas quibus crura muniuntur, nisi Patrum dicta & exempla signantur? quæ nimirum nos & a vulnere peccati custodiunt, & ad amorem Dei nos calefacientes accendunt. Caligas itaque nostras calciamus, cum ex dictis & exemplis sanctorum, gressus nostrorum operum contra vulnus peccati defendimus, & ad supernam patriam eorum imita-
E tione calefacti, ardenti desiderio anhelamus. Nec moveat quod Ecclesiæ caligæ, nostræ dicuntur: dicta enim & exempla Patrum, & sua sunt, quia per eos exhibita; & nostra, quæ nobis ad imitandum relicta. Sciendum enim est, quia hoc in loco Græcus codex non habet *Caligas*, sed *Sandalia*, quæ latine dicuntur *soleæ*. Est autem genus calceamentorum, quæ partem pedis inferiorem ex toto contegunt, superiorem autem intectam ostendunt. Quo nimirum genere calceamenti, & apostoli usi sunt, sicut in præsenti monstratur: & episcopi hodie, non sine certi caussa mysterii utuntur. Pars ergo hujus calceamenti quæ per terram trahitur, providentiam significat temporalium, per quam subditis a prælatis terrena subsidia ministrantur. Pars autem superior quæ pedem intectum ex

a Psalm. VI. 7.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1016.



parte ostentat, est contemplatio supernorum, per A quam & prælatus ipse divinis revelationibus pascitur, & his qui sibi commissi sunt spiritualem alimoniam impartitur. Hæc sandalia Petrum angelus calciare præcepit, quia & dignum valde est ut is ad quem liberandum Dominus angelum suum mittit, ad eam quandoque perfectionem attingat, ut proximis ad necessitatem utramque sufficiat. Si autem quod dicitur: *Præcingere, & calcia te caligas tuas*, ad doctores ecclesiasticos specialiter referimus, quibus & dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti*. Et, *calciati pedes in præparatione Evangelii pacis*. Notandum summopere est, quod prius *præcingi* & postmodum *calciari* præcipitur. Quia nimirum rectum ordinem in sua actione non servat, qui prius pedes suos ad evangelizandum calciat, quam renes suos balteo castitatis restringat. Sed prius præcingatur, & postmodum calcietur: ut prius in se luxuriæ fluxum pudicitiæ rigore restringat, & postea in seipso jam pacatus, in præparatione Evangelii pacis, calceatis pedibus incedat. Calceatos autem pedes habere prædicatores jubentur, ut ad prædicandum parati semper esse debere monstrentur. Nam quasi discalceatus prædicator est, qui non semper est ad docendum paratus; quem cum subditus de aliqua necessaria quæstione interrogat, hinc primum incipit quærere, cum debeat respondere. Hoc prædicationis calceamento magistros Ecclesiæ Petrus calciabat, cum diceret: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem fidei, de ea quæ in vobis est spe*. Sed ad hanc perfectionem ille quandoque pertingit, qui cum ad bonum instruitur, institutoris sui monitis reverenter obaudit. Unde post præceptum angeli, obedientia Petri subinfertur, cum dicitur: *Et fecit sic*. Ad vocem enim præcipientis angeli Petrus sic facit, cum auditor prædicatori suo tanta devotione obtemperat, ut ad peragendum quod ei injungitur, moras nullas innectat. Cum vero auditorem suum prædicator, ea quæ jam didicit, studiose implere considerat, magis magisque provocatur, ut omnia illi quæ ad perfectionem innotescat. Unde & sequitur.

XV. *Dixit autem angelus ad eum, Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me*. Quod vestimentum ad corpus, hoc est justitia ad animam. Vestimentum enim tegit & calefacit, justitia quoque ab anima & frigus malitiæ expellit, & quæ in ea per peccatum sunt verenda, divino judicio abscondit. Si enim malitia frigus non esset, Propheta utique sub Judææ specie de mente reproba non dixisset: *Frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam*. Et rursum si justitia vestimentum non esset, Psalmista utique non dixisset: *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Nos quippe sacerdotes Domini sumus, quia membra summi sacerdotis exsistimus, & per mortificationem carnis nos ipsos hostiam vivam Domino immolamus. Qui nimirum tunc veracius justitia induimur, cum nulla quæ sunt facienda prætermittimus. Unde heic quoque notandum est quod angelus Petro nequaquam ait: *Vesti vestimentum tuum*, sed *Circumda vestimentum tuum*. Fieri enim potest in aliquo genere vestimenti si ex una parte tegamur, ut ex parte alia intecti videamur. Quando autem sic vestimur, ut nulla ex parte nudi remaneamus, hinc non tantum vestimento vestiti, sed etiam circumdati sumus. Qui igitur sic quædam bona agit ut alia negligat, & ex parte vestitus est, & ex parte nudus: quia profecto eam partem sui intectam relinquit, quam velamento justitiæ operire neglexit. Petro itaque de carcere educendo præcipitur, ut vestimentum suum sibi circumdet: quia nimirum necesse est, ut qui perfecte a carcere peccatorum exire desiderat, sic se undique vestimento justitiæ circumtegat, ut nulla quæ ad eum pertinent, prætermittat. Sed ecce carcerem jam quo tenebatur, adstans angelus illustravit, quia lux sanctæ prædicationis in conscientia peccatoris emicuit. Ecce jam surrexit, quia stratum peccati in quo jacebat, reliquit. Ecce jam lumbos præcinxit, quia luxuriæ fluxa restrinxit. Ecce jam se calciat, quia exemplis Patrum gressus sacrorum operum communivit. Ecce jam vestimentum suum sibi circumde- B dit, quia nulla quæ didicit, prætermisit. Quis jam imperfectus esse censendus est, qui tantum profecit? Sed huic angelo adhuc nec ista sufficiunt, adhuc instat, adhuc quæ novit superesse, inculcat: ut eum quem liberandum suscepit, aut obedientem perfecte excipiat, aut si obedire neglexerit, ab illius damnatione se immunem reddat. Unde cum dixisset, *Circumda tibi vestimentum tuum*: protinus intulit dicens, *Et sequere me*. Circumdato autem Petro vestimento suo, Petrus post angelum vadit: cum conversus peccator sic vestigiis sanctæ prædicationis inhæret, & ab itinere justitiæ nullo diverticulo transitoriæ intentionis abstinet. Post circumdationem etenim vestimenti sui angelum minime se- C quitur, quisquis post adimpletionem boni operis, in se & non in Domino gloriatur. Longe quippe a consectatu sui angeli deviat, qui per bonum quod agit, aliud intendit, quam est illud quod singulariter appetendum ex ore sui prædicatoris audivit. Opportune igitur angelus Petrum ut sequeretur admonuit, quia sermo divinus postquam de omnibus quæ pertinent ad nostram salutem instruit, etiam qualiter appetitum inanis gloriæ præterire debeamus, ostendit. Sed cum ea quæ Petrum facere angelus monuit, ad tantam perfectionem pertineant: quærit fortasse aliquis quomodo peccatori adhuc retruso in carcere, hæc tantæ perfectionis instituta conveniant? Quod recte forsitan quæreretur, si nos D modo ageremus de peccatore adhuc in peccati sui carcere dormiente, & non de illo potius, cujus jam carcerem angelus illustravit, quem jam Dominus per compunctionis spiritum excitavit. Cui certe omne quod de perfectione dicitur, tanto verius congruit, quanto ipse se devotius per oppositum confessionis accingit. Petrus itaque adhuc in captione positus, præcepta libertatis accipit, quia peccator tunc etiam per os prædicatoris quæque sibi agenda cognoscit, cum adhuc per aliquam mentis debilitatem in suæ conscientiæ latebris delitescit. Sed jam tandem omnem nodum debilitatis abrumpat, jam angelum præcedentem sequatur, jam præcepta perfectionis non se frustra audisse testetur. E Quid adhuc in carcere facit, ad quem liberandum, jam angelum suum Dominus misit?

XVI. Sequitur, *Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum; existimabat autem se visum videre*. Tanta fuerat custodia circumseptus, ut visum se videre æstimaret, etiam cum eum in veritate angelus liberaret. Solet enim in animo humano ex consideratione præteritæ tribulationis, ista liberationis hæsitatio generari: quia cum immensitatem periculorum per quam transivit reminiscitur, quomodo potuerit evadere, apud se ipse quasi dubitando miratur. Unde est illa vox beatorum martyrum per Psalmistam dicentium: *Torrentem pertransivit anima nostra, forsi-*

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1016.



tan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. A Non enim idcirco dicitur forsitan, quasi vere de sua liberatione dubitent: sed verbo hæsitationis illius per quam transierunt, insinuant, quod bene etiam mysterio significationis cooptatur. Nam quia in die clare videmus, in nocte vero sub visu dubio caligamus: quid per visionem divinam nisi manifesta veritas, quid per nocturnam nisi dubia designatur? In die itaque non immerito jam esse dicuntur, qui remota omnis corruptionis caligine, claritatem veritatis incommutabiliter contuentur. Nos qui adhuc in hujus exsilii cæcitate detinemur, sicut scilicet *ex parte scimus & ex parte prophetamus*, sic etiam ex parte videmus. Quia etsi jam videmus per fidem, nondum tamen per speciem. B Per quam videlicet fidei visionem, sic jam in spe de nostra liberatione gaudemus, ut tamen de occulta super nos interni judicis dispositione solliciti, liberationem nostram clare conspicere non possimus. Nam ut scriptum est: *Omnia in futurum servantur incerta, & nescit homo utrum amore, an odio dignus sit*. Petrus itaque & cum angelum sequitur, visum se videre arbitratur: quia peccator conversus etsi jam carcerem exivit, quia culpas suas detexit; etsi jam angelum sequitur, quia bona quæ per prædicatorem didicit, operatur: oportet tamen ut omnes profectuum suorum gradus quasi visionem nocturnam existimet, quia etsi ipse jam utique videt quod agat, utrum in his tamen C perseveraturus sit, vel ab interno qualiter æstimetur, ignorat.

XVII. Sequitur, *Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis*. Supra legimus, quod comprehensus Petrus traditus fuerit quatuor quaternionibus, id est, simul viginti militibus. Unde datur intelligi, quod iidem ipsi qui custodiendum susceperant, ut eum cautius observarent, in binas se diviserunt custodias. Præter istos enim, alios illi custodes deputatos non legimus. Quia ergo iidem ipsi in primam & secundam custodiam distinguntur, nos quoque juxta sensum D interiorem easdem custodias dividamus. Sed ab hac divisione illos duos milites sequestremus, inter quos eum dormire supra ostendimus. Illis ergo duobus exceptis, quomodo reliqui in primam & secundam custodiam dividi valeant, videamus. Primum itaque quaternionem quem affectum peccandi nominavimus, cum suo agmine pro prima custodia habeamus. Recte etenim ipse & milites sui pro prima custodia deputantur, quia scilicet ut supra dictum est, idcirco peccator de carcere suo exire detrectat, quia eum peccare iterum delectat. Pro secunda quoque custodia, secundum quaternionem qui pudor confessionis est, cum suis militibus deputemus. Congruenter autem & ipse pro secunda custodia col- E locatur, quia & prius nos in peccatum præcipitat affectus peccandi, & subsequenter pudor confessionis in peccato retentat. Sed quia angelum sequitur, a neutra harum custodia detinetur: quia qui prædicatorem veritatis obedienter auscultat, nec per peccandi affectum peccatum iterat, nec per pudorem confessionis, ea quæ commisit occultat. Cum ergo post angelum vadit, utramque custodiam sine læsione pertransit: quia prædicator suus ex Scripturis sanctis ei assidue arma subministrat, quibus se contra pericula circumjecta defendat. Ne enim illum peccandi affectus ad iterandum peccatum pertrahat, sententia eum de Scripturis per prædicatorem adhibita castigat: *Fili, peccasti? ne adjicias iterum, sed & de præteritis deprecare, ut tibi dimittatur*. Et Apostolus: [a] *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*. Quid enim est *Voluntarie peccare*, nisi peccandi voluntatem habere? Quæ videlicet peccandi voluntas per participium præsentis temporis notatur. Sed ei qui voluntarie peccans est, id est, cui peccandi voluntas semper in præsenti est, pro peccatis hostia non relinquitur; quia per oblationem corporis Christi, peccatis ejus medicina nulla confertur. Item ne per pudorem confessionis peccata sua peccator abscondat, sententias illi ex Scripturis prædicator opponat: *Fili ne confundaris confiteri peccata tua, est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam*. Et iterum, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Et Psalmista, *Revela Domino viam tuam, & spera in eo*. Hinc Jacobus Apostolus, *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Cum ergo hæc & ejusmodi exhortamenta auditori suo prædicator adhibet, quid illum nisi & affectui peccandi & confusioni confitendi resistere admonet; id est, qualiter per primam & secundam custodiam transire debeat, docet?

Sed heic forte opponitur, quomodo cum eatenus de IV. quaternionibus tractaverimus, nunc de duobus tantummodo tractare videamur? Unde sciendum, quia si subtiliter inspicimus, in duobus istis de quibus hæc diximus, duo quoque alii continentur. Et quia Scripturam sacram ille congruenter exponit, qui omnibus quæ lectorem possunt movere, providenter occurrit: ostendamus si possumus, quomodo in hac prima & secunda custodia, quam de primo & secundo quaternione confecimus, duo quoque quaterniones alii comprehendantur: ita ut duobus illis transitis, duo quoque alii transeantur. Ecce enim primum quaternionem, peccandi affectum diximus, & eumdem cum suis militibus in prima custodia collocavimus. Est autem ut præmisimus, militum ejus primus, recordatio præteritæ voluptatis: II. excusatio fragilitatis: III. imitatio pravitatis: IV. ratiocinatio conditionis. Quartum quoque quaternionem nominavimus profundum malorum, in quod cum venerit peccator, contemnit, obduratur, impœnitens efficitur, excæcatur. Videamus ergo quomodo duo isti quaterniones & eorum milites inter se vicissim contineantur, ita ut unus cum suis, alter quoque cum suis pariter superetur. Certe enim quia per affectum peccandi, peccator peccatum repetit, in profundum malorum descendit: quia per recordationem præteritæ voluptatis, iniquitas illi in corde dulcescit, de malorum suorum profundo redire contemnit: quia culpis suis excusationem fragilitatis obtendit, paullatim adversus viscera divinæ misericordiæ obdurescit: quia per imitationem pravitatis exempla alienæ iniquitatis attendit, non curat per pœnitentiæ correctionem emendare quod facit: quia reatum suum ratiocinando tueri conatur, justo judicio, rationis lumine quod ad malum intorquet, privatur. Ecce primum & secundum Quaternionem: utrorumque milites invicem contulimus, ut qualiter in hanc primam custodiam pariter conveniant, monstraremus. Nunc etiam per hanc primam custodiam, qualiter duce angelo peccator transeat, ostendamus. Itaque transito peccandi affectu, profundum malorum transitur; quia profecto peccata multiplicare iterando non po-

a Hebr. x. 26.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1016.



test, qui peccandi voluntatem non habet. Transita recordatione præteritæ voluptatis, contemtus quoque pariter pertransitur: quia dum per laudabilem oblivionem transactas delectationes a sua mente obliterat, ad eum qui se diu toleravit, citius redire postposito contemtu festinat. Transita excusatione fragilitatis, obduratio quoque cordis pariter pertransitur: quia cum subducto excusationis velamine, semetipsum accusare incipit, confestim per respectum divinæ gratiæ, cordis sui duritiam in lacrymis liquefacit. Transita imitatione pravitatis, impœnitentia quoque pertransitur: quia nequaquam ad malum alienæ nequitiæ exemplo informatur, dum diligenter quæ pœnitentes maneant, intuetur: quin immo ad pœnitentiam tanto celerius currit, quanto ne in malis suis deprehendatur, formidolosus pertimescit. Transita ratiocinatione conditionis, cæcitas quoque mentis pariter pertransitur: quia dum lumen rationis ad culpæ defensionem nequaquam intorquet, illuminatus per gratiam, quid sequi, quid cavere debeat, lucidius videt. Ecce duo Quaterniones cum suis militibus in primam custodiam convenientes, qualiter transeantur, ostendimus: nunc duo alii, qualiter in secundam conveniant, ostendamus. Secundum itaque Quaternionem qui pudor confessionis dicitur, & tertium quem amorem privatum nominavimus, cum suis militibus pariter conferamus, & eos in secundam custodiam, prout ratio dictaverit, ordinemus. Sed quia de istorum Quaternionum agmine, sunt illi duo milites, inter quos per significationem captivus dormire superius dictus est; illis duobus prætermissis, de aliis videamus. De agmine itaque secundi Quaternionis uno extra carcerem excubante, reliqui tres sunt levigatio culpæ, longiturnitas vitæ, torpor negligentiæ. Item de agmine tertii Quaternionis, uno milite intra carcerem relicto, residui tres sunt, appetitus famæ, rigor pœnitentiæ, metus perseverantiæ. Duo itaque isti Quaterniones ita sibi conveniunt. Ideo namque culpas suas confiteri erubescit, quia privato amore se diligit: ideo peccatum suum excusationibus levigat, ne apud æstimationem aliorum reprehensibilis convictus, nomen famæ quod appetit, perdat; ideo rigorem pœnitentiæ subire refugit, quia longa sibi vitæ spatia repromittit; ideo eum torpor negligentiæ astringit, quia metus eum ad frigus perseverantiæ suspectum reddit. Et ideo ne contingat ab iniquitate redire, eligit potius semper in peccato torpere, quam bonum aliquid in quo perseverare nequeat, inchoare: cum deberet & de sua bona voluntate incipere, & de Deo perfectionem perseverantiæ sperare. Sed jam quia istos pariter contulimus, videamus nunc quomodo nihilominus transeantur. Transito itaque pudore confessionis, amor quoque privatus pariter pertransitur: quia nimirum sui ipsius adversarius efficitur, dum culpas suas detegens, salubri odio insectatur. Transita levigatione culpæ, appetitus quoque famæ pariter pertransitur: quia dum reatum suum ipse sibi adgravat, Deo soli placere gestiens, de fama exteriori non curat. Transito rigore pœnitentiæ, longævitatis quoque promissio pariter pertransitur: quia dum illum quem offendit placare citius concupiscit, seductoriæ dilationis inducias non admittit. Transito torpore negligentiæ, metus quoque perseverantiæ pariter pertransitur: quia dum ferventi spiritu ipse bonum facere incipit, ex divino adjutorio hoc posse consummare se præsumit. Hoc itaque modo isti duo quaterniones cum suis satelitibus in secundam custodiam rediguntur, hoc etiam mo- A do a peccatore converso, duce angelo transeuntur. Sed quia jam de carcere exiit, quia primam & secundam custodiam transiit ductorem suum sequendo, videamus quo venerit.

XVIII. *Venerunt*, inquit, *ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem*. Postquam de carcere tenebrosæ conscientiæ peccator exiit, postquam primam & secundam custodiam transiit, id est, obstacula vitiorum quæ se in peccato detinebant evadit, ad portam ferream venit: quia sola peccatorum confessio ad salutem non sufficit, si non etiam pro his quæ commisit, per satisfactionis duritiam se affligit. B Videamus David de carcere exeuntem, & ad portam ferream properantem qui ait; *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. Peccator etenim cum iniquitatem suam confitendo annuntiat, de carcere exit: cum vero cogitat, qualiter Deo pro unoquoque peccato satisfaciat, ad portam ferream tendit. Ipsa itaque satisfactio, qua Deo pro peccatis nostris satisfacimus, porta ferrea non inconvenienter accipitur: quia homini mollibus desideriis olim dedito, valde durum est dum conversus ad pœnitentiam cogitur eadem desideria relinquere, carnem macerare, ingemiscere, flere, jejunare, sæculo funditus renuntiare, remotam vitam expetere, & deinceps ad alterius arbitrium vi- C vere. Peccati ergo satisfactio recte porta ferrea nominatur, per quam homo ut Deum sibi placatum reddat, quidquid in se carnaliter vixit, ferro duræ pœnitentiæ necat. Unde & Joannes Baptista peccatores ad se confluentes, ad portam ferream invitabat, dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Dignos enim fructus pœnitentiæ facere, hoc est ad portam ferream properare, hoc est ita plenariam Deo satisfactionem offerre, ut a licitis etiam debeat abstinere, qui se meminit illicita perpetrasse. Ad hanc itaque portam ferream Petrum eductum de carcere angelus ducit: quia sermo divinus postquam nos de carcere peccati per officium D confessionis extrahit, quam districta satisfactione Deum nobis placare debeamus, ostendit. Quæ nimirum porta ferrea ducit ad civitatem, quia satisfactionis angustia ad latitudinem nos supernæ civitatis intromittit. Ad cujus nimirum civitatis gaudia, cum conversus peccator ferventi amore festinat, gressus desiderii ejus quælibet portæ ferreæ districtio non retardat. Unde bene porta ferrea dicitur,

XIX. *Quæ ultro aperta est eis*. Cum Petrus angelo præeunte ad portam venit, ante ipsum porta eadem se ultro aperit: quia cum conversus pecca- E tor vestigia sanctæ prædicationis cum alacritate prosequitur, cuncta illi fiunt facilia, quæ prius difficilia videbantur. Et qui antea peccatorum grossitudine dilatatus, nonnisi per ampla voluptatum incedere potuit; nunc extenuatus lima pœnitentiæ, quaslibet angustias sine difficultate pertransit. Sed quærendum video, cur sit dictum, *aperta est eis*: & non potius, *aperta est ei*. Certe angelus qui Petrum ducebat, spiritus erat; & proinde etiam non aperta porta eadem, per subtilitatem spiritualis naturæ transire poterat. Nam carcer quoque de quo Petrum extraxit, clausus erat: in quem tamen cum intrasset, non legitur aliqua janua patefacta. Sed heic forte opponitur, quia scilicet non legitur aliquis aditus patefactus cum ad eum intravit, ita nec tunc quidem dum cum eodem exivit; ac proinde

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1016.

videri debere, quod illum non reserato aditu eduxerit. Sed hæc opinio non mihi recipienda videtur, nisi aliquo canonicæ Scripturæ testimonio confirmetur. Canonicam autem scripturam nunc appello eam, quæ in canone librorum veteris & novi Testamenti continetur. In qua plane nusquam me legisse recordor, quod homo quispiam mortali corpore vestitus, per aliquem aditum non apertum cum suo solido corpore transire potuerit, excepto Domino nostro Jesu Christo, qui & cum nasceretur, non aperto ostio de ventre matris exivit: & cum resurgeret, cum eodem suo immortali, sed tamen vero corpore, clausis januis, ad discipulos intravit. Nam si quis illud opponit, quod de quodam apostolo legitur, quod scilicet ad regem quemdam clausis januis intravit: exemplum hoc non me tenet, non me terret: quia ipsa quoque Scriptura in qua hoc legitur, Patrum auctoritate inter apocrypha numeratur. Potius itaque hoc credendum, quod angelus qui ad Petrum in carcere non aperto aditu per subtilitatem angelicæ naturæ intravit, idem ipse ut eum educeret, per virtutem Domini ostium carceris patefecit. Sed quolibet modo eum eduxerit, viderit ille qui fecit, nos ad propositam redeamus quæstionem.

Quærebamus enim, cur de porta pluraliter dictum sit, *aperta est eis*; & non potius singulariter, *aperta est ei*: cum utique non angelo qui spiritus erat, sed tantum Petro qui solido corpore vestiebatur, necessaria ista apertio videbatur. Sed ista litteræ difficultate ad internam intelligentiam mittimur, quam si paullo diligentius intueamur, videbimus statim quam congruenter, ambobus aperta esse porta eadem memoretur. Sicut enim supra jam diximus vir fortis prolapsus in peccatum per Petrum designatur, per angelum quilibet prædicator demonstratur veritatis. Jam nunc ergo investigemus, quomodo prædicator cum converso peccatore ad portam ferream veniat, & quomodo portam istam cum eodem pertranseat. Videamus angelum cum Petro suo ad portam ferream properantem. Et quis verius dicendus est angelus, quam ille de quo scriptum est: *Ecce ego mitto angelum meum ante te, & præparabit viam tuam?* qui nimirum cum diceret, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quid aliud agebat, nisi Petrum suum, id est conversos peccatores ad portam ferream properare monebat? Videamus nunc, si & ipse per eamdem portam transierit. Et quis melius illo, immo quis adeo sicut ille, qui in indicium pœnitentiæ & afflictionis, pilis camelorum corpus suum limabat: qui in signum mortificandæ voluptatis zonam pelliceam circa lumbos habebat: qui in documentum singularis abstinentiæ, pane contemto, locustas & mel silvestre edebat: qui in exemplum remotæ conversationis, in eremo consistebat? Videamus alium angelum cum Petro suo ad portam ferream properantem. Quis enim verior angelus illo qui dixit, *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus?* Ipse itaque Petro suo, gentibus scilicet quas de carcere infidelitatis eduxerat, quid ait? *Sic currite ut comprehendatis; omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Cum ergo eos sic currere ut comprehendant admonet, quid cum illis agit, nisi ad portam illam quæ ducit ad civitatem ubi bravium recepturi sunt, tendere persuadet? Cum vero illos exemplo sæcularis athletæ ab omnibus quæ agonem impediunt, præcipit abstinere; quid cum illis agit, nisi quomodo per portam ferream debeant intrare, ostendit? Videamus nunc si & ipse hoc agat, ad quæ agendum suos sequaces informat. Ait: *Ego sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* Cum itaque & seipsum currere, & pugnare insinuat, quid nisi se quoque ad portam ferream properare demonstrat? Bene ergo de hac porta dicitur, *quæ ultro aperta est eis*: quia sancti prædicatores nostri qui nos de carcere peccatorum educunt, nobiscum portam ferream intrant, cum ipsi quoque ut nobis exemplum pœnitentiæ præbeant, carnem suam cum vitiis & dura afflictione castigant.

XX. Sequitur, *Et exeuntes processerunt vicum unum, & continuo discessit angelus ab eo.* Quid per vicum unum, nisi mors carnis accipitur? Quæ videlicet mors carnis, bene non vicus quidem, sed vicus unus dicitur, quia per ipsam viam universitas carnis transire compellitur. Unde & in Scripturis mors eadem, via universæ carnis vocatur. Angelus itaque qui Petrum de carcere educit, quousque vicum unum procedat, eum non deserit: quia sermo divinus, qui nobis per ora prædicantium viam egrediendi de peccato ostendit, tamdiu nobis individuo comitatu adhæret, quousque morte carnis pertransita, eum nobis quem promiserat repræsentet. Nam eousque necesse est ut nobiscum pergat, quia etiam egressi de carcere citius erraremus, nisi per illum nobis iter quo deberemus ingredi, monstraretur. Cum autem vicum unum procedimus, continuo angelus a nobis discedit: quia cum ipso, qui via, veritas, & vita est, vidimus, jam ductore ulterius non egemus.

XXI. Sequitur, Et Petrus ad se reversus dixit, Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Judæorum. Juxta litteram patet sensus, quia Petrus ab illo mentis excessu, in quem præ gaudio super se raptus fuerat, ad hoc redit, quod intellectu communi & prius fuit. Sed si quemadmodum cœpimus, hæc quoque verba ad internam intelligentiam referimus: magnam in eis futuræ nostræ ereptionis imaginem prævidemus, magnam & in præsenti futuræ nostræ exsultationis dulcedinem prægustamus. Nos etenim quamdiu in hujus exsilii religatione detinemur, nobiscum esse perfecte non possumus: quia imaginem illam & similitudinem, quam a conditore accepimus, immunem a peccato servare, sicut condita est, non valemus. Nam quoties peccamus, & nos sumus, & nobiscum sumus: quia per peccatum subter nos lapsi, ab illius similitudine qui super nos est, degeneramus. Sed cum illis superius dictis periculis omnibus evitatis, ad eum qui nos fecit, venerimus: tunc etiam ad nos ipsos perfecte revertimur, quia peccatum nullum habentes, quales nos condidit, tales sumus. Tunc jam de nostra ereptione securi, in vocem exsultationis erumpemus dicentes:

XXII. Nunc scio vero, quia misit Deus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Judæorum. *De manu Herodis*, id est, de potestate diaboli tunc in veritate eripimur: quando de loco tentationis assumti, ejus insidias non [illegible] timemus. *De omni quoque exspectatione* [illegible] *eripimur*: quia sive ma[illegible] homines, qui bonorum [illegible] exspectant, nostris casibus [illegible] non insultant. Nec sane negligenter

præterеumdum videtur, quod non ait: *De exspectatione*; sed *De omni exspectatione*. Adversariis enim nostris toties ad spectaculum irridendi producimur, quoties eis risum de nobis, perpetrato quolibet crimine exhibemus: quia aliud est spectaculum iracundiæ, aliud avaritiæ, aliud gulæ, aliud luxuriæ, aliud vanæ gloriæ, aliud superbiæ. Hostes autem qui nostram irrisionem inhianter exspectant, quanto nos profundius lapsos aspiciunt, tanto sibimet applaudentes, insultationis cachinnos altius attollunt. Quamdiu vero in hac vita, quæ tota tentatio est, consistimus, etsi quædam irrisionis eorum spectacula devitamus; difficile tamen est, ut non in aliquod incidamus, unde tamen per Dei gratiam ad pœnitentiæ remedium recurrentes, quotidie liberamur. Cum vero ad illam securitatem venerimus, tunc *De omni exspectatione plebis Judæorum perfecte eripimur*: quia morte in victoria resurrectionis absorpta, nec caro nostra ulli corruptioni exterius subjacebit, nec mentem nostram interius ulla concupiscentia titillabit. Tunc plane veraciter dicere poterimus: *Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum* &c. Magnifice enim dictum est, *Nunc scio vere*; ne quis videlicet vere se receptum præsumat, quousque ad illam libertatem gloriæ filiorum Dei perveniat. Quia etsi jam per fidem nos liberatos scimus, adhuc tamen per speciem vere liberatos nos nescimus; donec ipsi libertatis nostræ auctori æterna societate jungamur. Ad quam veræ ereptionis scientiam nos perducere dignetur ille magni consilii Angelus, qui nos & prius per seipsum de tenebris & umbra mortis eripuit, & quotidie per suos angelos eripit, Jesus Christus Deus & Dominus noster, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1016.



EXPLICIT.



EPISTOLA FULBERTI CARNOTENSIS EPISCOPI.

1

FULBERTUS *Carnotensium Episcopus H. salutem ab illo qui mandat salutes Jacob.*

EPistolari brevitate coactus interrogationi tuæ compendiose respondeo. De ecclesiasticis rebus Hieronymus dicit ad Nepotianum: “ Amico quidpiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est, accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis, vel cautum esse, vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid exinde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. ” Item ad Pammachium. “ Ubi ditior est largitore cui largiendum est: pars sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus. ” Unde Isidorus: “ Magnum scelus est res pauperum præstare divitibus, & de sumtibus inopum acquirere favores potentium. ” Considera itaque quia nullum scriptura excipit, non episcopum, non abbatem, non aliquem domus Dei œconomum. Quisquis sibi commissæ Ecclesiæ bona subtrahit, intelligat se jam non pastorem, sed invasorem esse, omnique prædone crudeliorem, furemque domesticum ac familiarem inimicum. Qui enim ea quæ solis omnino pauperibus eroganda suscepit, in alienos usus temere dilapidat, non vult in deserto hujus sæculi turbam pauperum esurientem reficere, sed cum sceleratissimo Juda loculos sibi constituit, & ea quæ in pauperum cibos aggregamus, fur improbus asportat.

Debent quippe nosse sacerdotes, Ecclesiarum substantiam pauperum esse non suam, nec abutantur in tyrannicæ effusionis morem creditam sibi degentium dispensationem. Unde Hieronymus dicit ad Paullinum: “ [1] Jam nunc non sunt tua quæ possides, sed dispensatio tibi credita est. Memento Ananiæ & Sapphyræ. Illi timide sua servaverunt, tu considera ne Christi substantiam imprudenter effundas, id est, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & secundum dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. ” Debemus quoque considerare, quid cui tribuendum sit, sicut idem paullo superius ad eumdem scribit. “ Præter victum & vestimentum, & manifestas necessitates, nihil umquam alicui tribuas, ne filiorum panem canes comedant. ” Sicut ergo pium est & justum bona Ecclesiæ servare solummodo ad opus pauperum & captivorum, ita sacrilegum est in propriam voluntatem, & in alienos usus distribuere, & a christiana devotione semotum. Quod ipse quoque Hieronymus testatur in Matthæum: “ Omnes qui stipendia templi, & his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & sacerdotum redimentium mendacium & sanguinem salvatoris. ” Scire debet itaque pia sollicitudo pastorum, quia nihil omnino agere debent de rebus Ecclesiarum sine consilio & consensu subditorum, quoniam prudentiæ eorum commis-A sum est ministrandi officium, non dispergendi arbitrium.

His prælibatis, ad vasa Ecclesiæ veniamus, de quibus potissimum interrogas. Cum enim dicatur sacrilegium incurrere qui aliquid de bonis Ecclesiæ in expletionem voluntatis suæ contraxit, perpendere potes, quantum delinquit qui vasa sacris dicata mysteriis abstulerit.

Primum si tanta pauperum & captivorum necessitas incumbit: tribuenda sunt cetera quæ in thesauris Ecclesiæ reposita sunt, deinde ipsa vasa frustatim comminuenda sunt, & in operibus misericordiæ eroganda. Unde dicit Ambrosius in libro de Officiis. “ [2] Aurum Ecclesia habet, non ut B servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri & argenti de templo Domini Assyrii sustulerunt? Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam sacrilegus contaminet, & asportet hostis? ” *Et post pauca*: “ Numquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere? Opus est, ut quis fide sincera & perspicaci providentia munus hoc impleat. Sane si in suum aliquis derivet emolumentum, crimen est; sin vero pauperi eroget, captivum redimat, humandis fidelium reliquiis spatia amplificet, misericordia est. In his tribus generi-C bus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. ” Breviter mihi depinxisse videtur quid agendum sit de rebus Ecclesiæ. Sed neque licitum est de Ecclesiæ tutela vasa sacra abstrahere, & aliquorum manibus loco vadimonii tradere, sicut idem quoque testatur: “ [3] Opus est ut de Ecclesia mystici populi forma non exeat, ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo intra Ecclesiam primum quæsita sunt vasa quæ initiata non essent: deinde comminuta, postremo conflata, per minutas erogationes dispensata egentibus, captivorum pretiis profecerunt. ” Quod si desint nova, & quæ nondum D initiata videantur, in hujusmodi, quos supradixi, usus omnia arbitror pie posse converti. Prius ergo usuale argentum in supradictis necessitatibus distribui debet, sicut beatus Gregorius dicit domino episcopo Messanæ: “ [4] Fraternitas vestra multum debet esse sollicita, ut si quidem in Ecclesia vestra usuale argentum est, prius illud erogetur in redemtione captivorum: alioquin de sacratis vos vasis præbere necesse. Nam sicut omnino grave est frustra ecclesiastica venumdare ministeria, sic iterum culpa est imminente hujusmodi necessitate, res etiam desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, & in eorum redemtione cessare. [5] Item idem Fortunato episcopo Phanensi: “ Sicut repre-

1. Epist. XIII. sub med.
2. Lib. II. cap. 28. sub init.
3. Ibid. paucis interjectis.
4. Lib. VI. epist. XXXV.
5. Ibid. epist. XIII.

„ hensibile, & ultione dignum est, sacrata quem- A quam vasa, præter in his quæ lex & sacri canones præcipiunt, venumdare; ita nulla est objurgatione vel vindicta plectendum, si pietatis caussa pro captivorum fuerint redemtione distracta.„ Notandum quod beatus Gregorius dicit, quia omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria, id est, candelabra, turibula, & cetera hujusmodi venumdare; nisi præter illa tantum, quæ lex & sacri canones præcipiunt, scilicet pro redemtione captivorum, & eleemosynis nihil penitus habentium. Qui ergo in alia expendit, contra canones facit. Unde etiam sacerdotali dignitate quisquis ille est, noverit se indignum, juxta ejusdem Papæ sententiam scribentis Joanni episcopo La- B rissæo: "[1] Consona sanctis Patribus diffinitione sancimus, ut qui sanctis nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, vel communionem capere, sit dignus altaribus.„

Ex superioribus itaque, quantum conjicio, perpendere potes quia si omnino grave est, vendi ea scilicet, quæ minora sunt Ecclesiæ ministeria sine certa necessitate, sacrilegium est, & omnino gravissimum absque maxima pauperum indigentia, excellentiora illa, videlicet vasa sacrata & cruces venumdare. Quapropter noverint omnes ministri Ecclesiæ, quia gregi cui præsunt, ut puta his qui sunt pauperes Christi, scilicet monachis, & canonicis regularibus, vel religiosis quibusque commu- C niter viventibus, prius omnia necessaria ministrare moderata distributione debent: id summopere præcaventes, ne nimium prodiga superfluitate talis necessitas proveniat, quæ thesauros Ecclesiæ expendi compellat. Si enim immoderate effundunt, peccant; quia inconsiderata effusio totius domus ruina est. Enimvero ceteris in operibus misericordiæ distributis, si tanta necessitas obvenerit, ut aliquod vas Ecclesiæ capiendum sit, ad hoc tantummodo alteri Ecclesiæ venumdari potest, ut in ipso idem officium quod antea celebretur, & ex ipsa pecuniæ distractione aliud in loco ejus restituatur, vel pauperibus erogetur. Ita ergo, ut prædiximus, vendi potest, aut secundum supradicta sanctorum Patrum D testimonia in frusta comminui; sed incongruum est, ut in vadimonium ponatur. Etenim sæculares personæ debitam reverentiam sacris mysteriis nesciunt impendere, quoniam hic usus non est eis commissus. Fortasse autem contingere potest, ut prope arcam, vel in ea domo in qua vasa abscondita sunt, committantur adulteria & fornicationes, & ea crimina quæ iram Dei provocent. Nam cum in historia regum legimus Ozam, eo quod calcitrantibus bobus arcam Domini tetigerit, illico interisse. Et in Levitico præceptum sit Aaron & filiis ejus, ne permitterent filiis Caath vasa sanctuarii ferre, vel tangere, ne forte perirent de medio Levitarum; quomodo audet quispiam extra Ecclesiam suam cuicumque personæ, sive clerico, sive laico aram Christi, vel sepulcrum ejus, in vadimonium dare? Quid enim crux est, nisi ara Christi? Et quid calix, nisi sepulcrum ejusdem Domini nostri? Qui ergo aram, & sepulcrum in vadimonium ponit, cum Juda Christum vendit: & qui in vadimonium accipit, cum militibus ne Christi resurrectionem & gloriam, quam ad sepulcrum Domini viderant, prædicarent, pecuniam a sceleratis Judæis suscipit. Legimus quoque in Daniele regem gentilem Balthasar, eo quod in vasis, quæ de templo Domini pater ejus sustulerat, concubinis suis potum ministraverit, subito manum scriptitantem vidisse, & de scripturæ interpretatione cognovisse mortem sibi instare, & divisionem regni sui.

Ego ipse, ut de præsentibus interim loquar, unum tibi breviter exempli caussa proferam quod nuper audivi, nescio an ad te quoque fama pervenerit. Accidit in Britannia minori quoddam miraculum. Nam quidam nummularius vasa Ecclesiæ sibi loco vadimonii in arca reposita servabat; casu pueri parvuli super eamdem arcam ascenderunt, qui illico in amentiam versi sunt; sed & canes forte ascenderant, & in rabiem efferati fuerunt. Sensit dominus ultionem divinam esse, eo quod vasa sacrata non his deputanda locis, vel pactis, pro accommodata pecunia accepisset, nimiumque perterritus fugit ad Ecclesiam, quid factum fuerat omnibus intimavit, & sacra vasa quantocius a se emisit, non minori formidine, quam olim Philistii arcam fœderis Domini propter imminentem cladem a se expulerunt. Quæ res adeo terræ incolas exterruit, ut scelerationem quolibet idolatra prædicent, qui sacra vasa deinceps in vadimonium posuerit, vel acceperit. Perpende ergo quanta culpa sit vasa de sinu Ecclesiæ rapere, & sæcularium manibus committere.

Caveant itaque prælati Ecclesiæ, ne res sibi commissas, & susceptam pauperum dispensationem negligenter tractantes, incurrant detrimentum animæ suæ. Audivi enim de quibusdam episcopis, sicut in quadam epistola me scripsisse tibi memini, quia sæcularia arma complectuntur, & militares copias pretio conducunt, & alia similia nequaquam eis convenientia sequuntur. De quibus non ego sed Propheta: *Principes*, inquit, *vestri socii furum*, qui sibi creditam Ecclesiarum substantiam in supradictos usus nefarie effundunt. Spreto quippe episcopali officio, ea appetunt quæ omnimodo fugere oporteret. Unde consilio meo prælati quique in quantum prævalent, omnes a se occasiones abscidant, quibus innumera damna filiis suis & rebus ecclesiasticis provenire solent, ut bene ministrantes ab eo mercedem recipiant, cujus & locum tenent, & vestigia sequi deberent. Vale.

1. Lib. II. epist. VII. ante fin.

Sæcul. XI.
circa
Ann. Chr.
1054.

HUMBERTUS
SILVÆ CANDIDÆ
ADVERSUS
GRÆCORUM CALUMNIAS.

Calumnia episcoporum Michaelis Constantinopolitani, & Leonis [1] *Arridani pervicaciter exhalantium pestiferas* [2] *mefites diversarum hæreseon, adversus sanctam Romanam Ecclesiam apostolicamque sedem: immo contra omnem latinam & occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, & Joanni Kannensi episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa: cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ episcopo, in latinum est translata ejus studio, atque delata domino Leoni Nono. Quæ etiam heic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad utilitatem aliquam inserta, cunctis scire volentibus, fideliter est conservata.*

MICHAEL
UNIVERSALIS PATRIARCHA NOVÆ ROMÆ,
ET
LEO ARCHIEPISCOPUS.

[3] *Arridæ metropolis Bulgarorum, dilecto fratri*
JOANNI KANNENSI * *episcopo.*

I. DEI magna dilectio & jocunda compositionis A viscera flexere nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad universos principes Sacerdotum & sacerdotes Francorum, & monachos & populos, & ad ipsum reverendissimum Papam, & memorari de azymis & sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis, & communicatis Judæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire a Moyse jussi sunt: nostrum vero pascha Christus est. Qui ut non juxta legem inveniretur adversarius, & circumcisus est, & legale pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est. Et hoc manifestum est in Evangelio secundum Matthæum, de mystica cœna loquens Evangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accessere discipuli ad Jesum dicentes ei: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? Qui ait: Ite ad civitatem ad quemdam & dicite ei: tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim. Et edentibus illis dixit: Amen amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Et post pusillum dicente Juda: *Numquid ego sum Rabbi?* dixit ei: *tu dixisti.* Huc usque, o Dei homines, universa legalis paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt addidit: Evangelista enim dixit: *Edentibus autem illis accepit Jesus panem, fregit & dedit discipulis suis & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus novi Testamenti.* Dicendo enim, *novi*, ostendit, quomodo ea quæ veteris fuerunt testamenti, cessavere. Aspicite quomodo panem corpus suum sub novo Testamento vocavit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Αρτος autem interpretatur elevatus & sursum portatus a fermento & sale, calorem & elevationem habens. Azymæ autem nihil distant a lapide sine anima, & luto lateris deorsum conjunctæ terræ & sicco luto comparatæ. Quas Moyses cum amaritudinibus comedere miseris Judæis semel in anno legem constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt, at nostrum pascha gaudium & lætitia totum est: & extollit nos ab hu- B mo propter gaudium, ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem, qui panis omni suavitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis; Quia *vos estis sal terræ?* Et quoniam *Simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, usque dum fermentaretur totum?* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus modis repletis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes. Dicit enim & David de Christo: *Tu ex Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraham & Moysen, cæli & terræ & ceterarum creaturarum agnoscens Deum, exsurgens obtulit illi panem & vi-

1. *Achridani.* 2. *Mephites.* 3. *Achridæ.*

* Legendum *Tranensi*, fuit enim *Tranensis* Episcopus cui litteras suas direxit Michael; & cum Græcis faveret in eosque propensior esset, depositus est a Nicolao II. in synodo Apuliæ, ut testatur *Petrus Daminaus*.

num. Ideo dicit divinus Apostolus: *Quoniam si consummatio per Leviticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech sacerdos Christus diceretur*. Et quia *translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat*, quæ lex lutulenta constituit azyma Judæis custodire.

II. Idem ipse magnus Paullus ad Corinthios prima epistola ex his loquens ait: *Fratres ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus in nocte qua tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis in meam commemorationem, mortem Domini annunciabitis*. Azymæ vero quoque commemorationem habent Dei, neque mortem illius annunciant, sicut Mosaicæ & ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ: & per novum Testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium & per Christum maledictæ & derelictæ.

III. Sabbata vero quomodo in Quadragesima judaice observatis? Aut non audistis Evangelistam loquentem: quia transeuntes discipuli in sabbatis cœperunt iter agere evellentes spicas & comedentes? Dicebant autem Judæi ad Christum: *Vides quid isti fecerint sabbatis*? Qui dixit: *Etiam. Aut nescitis quid egit David cum esuriret ipse, & qui cum eo erant? quomodo intravit in templum, & panes propositionis comedit*, & cetera. Et quia *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum*. Qui & dicebant, *quoniam homo iste non est ex Deo, quia sabbatum non custodit*. Et iterum loquente Christo in sabbato, & qui manum habebat aridam, similiter & eo qui dæmonis spiritum habebat, in sabbato mundato, & murmurantibus Judæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ, unusquisque vestrum non solvit asinum a præsepe, aut bovem suum & ducit adaquare?* Et paralytico similiter quem sanum fecit. Et ideo hi qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

IV. Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? An nescitis, ut omnis animalis sanguis anima ipsius sit, & qui comederit sanguinem, animam comedit? Et idcirco secundum hoc nec gentiles ex toto sunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.

V. Item Alleluja in Quadragesima non psallitis, sed semel in pascha tantummodo: quod interpretatur, *Dominus venit, Laudate, hymnum dicite, & benedicite ei*. Ergo secundum hoc neque *Domini Dominum*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluja hebraice dictum est.

VI. Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos & vosmetipsos, sicut qui debent judicari ex his a Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paullus & ceteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt, quæ Petrus & Paullus & ceteri Apostoli & Christus docuit: & sancta Ecclesia catholica suscepit & custodit religiose. Quæ & vos correcti custodite. Azymas vero & custodias sabbatorum projicite miseris Judæis. Similiter & suffocata barbaris gentibus, ut siamus puri in recta & immaculata fide, & unus grex unius pastoris Christi. Cujus in cruce divino sanguine inebriati laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Universa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Judæis, qui velut cæci perquirentes Christum lumen amiserunt, permanentes in umbra, sicut insipientes perpetuo. Hæc autem homo Dei, & multotiens ipse cum populo agnoscens docuisti esse, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum & sacerdotibus, & adjura, ut per hæc seipsos corrigant, & Dei populum, ut Dei mercedem in istis habeas. Et si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem majora & perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione & firmamento animarum pro quibus Christus posuit animam suam,

TEXTUS PRÆFATORUM

Sycophantarum explicatur.

Incipit responsio fratris Humberti sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ dicti Episcopi, instar Dialogi ab ipso latine conscripta Apocrisariatus sui tempore Constantinopoli. Et jussu Imperatoris religiosi & orthodoxi Constantini Monomachi [1] *græce edita, sub nominibus Constantinopolitani & Romani: anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.*

I. Romanus. Præfulgiente gratia sanctæ & individuæ Trinitatis, in cujus manu nos & sermones nostri, hinc jam aggredimur responsum in literis & cavillationibus vestris: ut palam sit nos illius summi Petri disciplina eruditos, qui dixit: *Sitis parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem*. Quod figurate per Moysen Dominus innuit, ubi vectes quibus arca portaretur, circulis ipsius semper inesse præcepit: nec umquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret quotiescumque arcam elevare necesse esset. Arca siquidem sanctam Ecclesiam; circuli ejus divinam scripturam; vectes ejus præpositos Ecclesiæ significant, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere: ne pudenter tunc velint discere, quando

1. Græci.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.

jam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quæstiones quorumlibet enodare. Unde calumniam vestram feriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri.

Insuper ut manifestius vestra dicta a nostris secernantur, vestra obelis, nostra autem asteriscis, prænotantur. Sed tandem videamus quale sit illud vestræ calumniæ proœmium, quo laborastis auditorem vestrum efficere benevolum: ita dicendo.

II. CONSTANTINOPOLITANUS. Dei magna dilectio & jocunda compassionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad universos principes sacerdotum, & sacerdotes Francorum & monachos & populos, & ad ipsum reverendissimum papam: & memorari de azymis & sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis, & communicatis Judæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire a Moyse jussi sunt.

III. ROMANUS. Ex hac vestra præfatione, sicut profitemini, crederemus vos salutem totius Latinæ seu occidentalis Ecclesiæ pro sola magna Dei dilectione quærere: si sciremus vos vestram vestrorumque non negligere. Cum vero vos ipsos & vobis commissos negligatis, ut nefandos Jacobitas, immo Theupaschitas, seu alias hæreticorum pestes, inter vos & penes vos habeatis: neque eorum consortia, neque colloquia, neque convivia seu pariter orare devitetis: Quomodo saltem suspicabimur, vos aliqua dilectione Dei aut proximi præmonitos compati nostræ perditioni, sicut putatis? Et quare ad præceptum gloriosi Paulli, sic aures præcordiorum obdurastis, ut dicentem non advertatis: *Hæreticum hominem post unam & secundam admonitionem devita?* Unde ipse Paullus sciens, quod nulla pars esset fideli cum infideli, Irenæum & Philetum devitavit, & Timotheo Alexandrum Ærarium devitare præcepit. Cur etiam non animadvertitis beatum Joannem contestantem fidelibus: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis: Qui enim dicit Ave, communicat operibus illius malignis?* Ast vos, quasi omnia munda immunda sint vobis: oculis contra vos & vestra clausis, sanctam Romanam & omnem occidentalem Ecclesiam pollutam hæresi & Judaismo proclamatis, & velut quamdam abominationem devitatis. Ex qua tam cæca & hactenus inaudita audacia ad hoc prorupistis, ut cunctorum hæreticorum quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. Quamvis omnino singulæ hæreses suis adinventionibus aliqua Ecclesiæ membra fatigaverint: nulla tamen adhuc ad tantam vesaniam erupit, ut opinionem suam primæ & apostolicæ sedi ingerere præsumsisset, cum interpositione anathematis. Recensete si placet, ab initio Christianitatis usque ad nostra tempora cunctarum hæreseon volumina; & videbitis an aliqua earum præsumserit talia. Et cum non inveneritis, saltem tunc resipiscite, ne, quod absit, permaneatis viciniores præcursores illius Antichristi, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. In cujus arrogantiæ monte consistentes, & ex supercilio ejus omnia subter vos jacere reputantes, dicitis vos flexos visceribus compassionis scribere cunctis sacerdotibus Francorum & reverendissimo Papæ. Sed non solum Romani & Francorum sacerdotes, verum etiam omnis Latina Ecclesia de monte domus Domini clamat, vobis contradicens: *In domino confido: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Tamen eum quem Papam reverendissimum dixistis, revereri & non detestari debuistis.

IV. Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Judæis, observando typice azyma & sabbatum, phrenesi inveterata arbitramur adeo vos perdidisse sensum, ut nec factum vestrum respiciatis, nec dictum. Quapropter suademus vobis ut ad cor redeatis & animadvertatis quid in Exodo Moyses jubeat de azymis: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperum comedetis azyma, usque ad vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris comedetis azyma.* Item unde superius: *septem diebus azyma comedetis. In die prima non erit fermentatum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a prima die usque ad diem septimam. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & observabitis azyma.* Item in sequentibus, scilicet in capitulo tertio decimo ejusdem Exodi dicitur: [a] *Septem diebus vesceris azymis, & in die septima solemnitas Domini erit. Azyma comedes. Septem diebus non apparebit apud te aliquod fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* Item: *solemnitatem azymorum custodies: Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi: in tempore messis novorum.* Et in Levitico: *mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est: & in quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque, omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque opus servile fiet in eo.* Et in Numero. *Mense primo quarta decima die mensis Phase Domini est, & quinta decima die solemnitas. Septem diebus comedetis azyma. Quorum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea, offeretisque holocaustum Domino: vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos & immaculatos septem, & sacrificia singulorum, & similam quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos, & hircum pro peccato unum ut expietur vobis.* Et in Deuternomio: *observa mensem novarum frugum & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vesperi, die primo mane.*

V. Hæc omnia si ita Judæis carnalibus carnaliter observanda veteris legis lator cælitus censuit: constat hæc secundum carnalem observationem omnino aliena a nobis. Quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus & terminis no-

[a] Lev. XIII. 7.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1054.



ftris & domibus inveniuntur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis observamus: nec apud nos perit de cœtu nostro anima illius, quicumque tam de advenis quam & de indigenis terræ comederit fermentatum in diebus supra dictis. Sed nec velut ipsi a decima die mensis primi sumtum agnum masculum anniculum ex pecoribus usque ad quartum decimum servamus, nec ad vesperam immolamus, ut sanguine ejus postes signemus; nec carnes ejus assas igni accincti & calciati, tenendo baculos in manibus, nocte comedimus festinanter, cum azymis panibus & lactucis agrestibus. Insuper non offerimus incensum holocaustum Domino in his diebus quotidie in igne vitulos duos de armento, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: & sacrificia singulorum, & similam consperſam oleo: neque hircum pro peccato, ut expietur pro nobis. In quo ergo communicamus Judæis? & in quo solemnitatem azymorum custodimus? An forsan quia solemnes eosdem dies & feriatos habemus, & a quarta decima luna usque ad vicesimam primam observamus? Et cur eadem vos observatis? nisi quia aliud nobis innuunt, aliud illis? Illis enim data sunt in memoriam spiritualis egressionis nostræ ex hoc mundo, ut vacemus & videamus, quoniam ipse est Deus qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, conresurgere, & consedere nos faciens secum in cælestibus, & ut instar lunaris globi incipiamus lucem cordis nostri, id est, rationem a terrenis avertere, & ad cælestia convertere, sicque sapiendo & quærendo quæ sursum sunt, reviviscamus Deo, & moriamur mundo. Sic quoque omnia, quæ superius nos carnaliter observare negavimus, Domino annuente, spiritualiter & observamus, & omnimode cupimus observare, procul dubio credentes, quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt beato Paullo sic protestante: *Hæc omnia in figuris contingebant illis: Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.*

VI. Nunc ad observantiam sabbati veniatur. De quo ita in Exodo præcipitur: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die sabbatum Domini Dei tui. Non facies omne opus, tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem sabbati, & sanctificavit eum.* Item in eodem: *Sex diebus operaberis: die septimo cessabis arare & metere.* Igitur in hujusmodi observatione sabbati, ubi & qualiter communicamus Judæis? Illi enim in sabbato otiosi & feriati nec arant, non metunt, nullumque opus ex more faciunt, sed festum habent & convivium, & requiescunt servi & ancillæ eorum, boves & jumenta. Nos vero nihil horum observamus, sed omne opus facimus, sicut & in præcedentibus quinque diebus, & jejunamus sicut & in proxima sibi feria sexta jejunamus. Vos vero si non judaisatis, dicite cur Judæis in simili observantia sabbati communicatis? Sabbatum certe ipsi celebrant, & vos celebratis: epulantur ipsi, & solvunt semper in sabbato jejunium. Illi in sua quadragesima solvunt a jejuno omne sabbatum, præter unum, & vos in vestra quadragesima solvitis a jejunio omne sabbatum præter unum. Illis duplex est caussa sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, & quod

A contristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gavisi. Unde quia cum Judæis sabbatum, & nobiscum celebratis diem dominicum, videmini in tali observatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum, ut non dimittant Judaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo & sepulto Domino, congaudet resurgenti in die dominica, quando Judæos nimia occupavit mæstitia, & custodes sepulcri conati sunt corrumpere pecunia. Unde nos traditionem apostolicam usque in hodiernum diem de sabbato retinentes, & usque in finem retinere cupientes, hic subscribere curavimus, quid super hoc senserint & confirmaverint nostri antiqui

B & venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus Papa Silvester, magni Constantini Augusti spiritualis pater inter alia dixit: *Si omnis dominicus dies resurrectionis gratia est colendus in gaudio Christianorum: omnis ergo sabbati dies sepulturæ deputandus est in exsecratione Judæorum. Omnes enim discipuli Domini sabbato fletum habuerunt, sepultum Dominum suspirantes, & Judæis exsultantibus lætitia inerat: Apostolis autem jejunantibus, tristitia imperabat. Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum iisdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est ut destructiones ciborum & cerimonias Judæorum, more Judaico observemus.* Hæc & his similia dicente sancto

C Silvestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio apostolicæ sedis, sed magis elegerunt celebrare sabbatum cum Judæis. Cujus sententiæ concordans sanctus papa Innocentius ait: *Sabbato jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem dominicum ob venerationem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi non solum in pascha celebramus, verum etiam per singulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Quod utique constat Apostolos biduo isto & in mærore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique*

D *non dubium est, & in tantum eos jejunasse biduo memoratur, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma utique per singulas hebdomadas est tenenda, propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda.* Quod si putatis semel atque uno sabbato jejunandum, ergo & dies dominica & sexta feria semel in pascha erit utique celebranda. Si autem dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui agere consuetudine, sabbato prætermisso, cum non disparem caussam habeat a sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando & apud inferos fuit, ut die tertia resurgens redderet lætitiam, post biduanam præceden-

E tem tristitiam. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum, sed dicimus in sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis in his qui Christum secuti sunt indixerunt, qui die dominico exhilarati, non solum ipsum festivissimum esse voluere, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. Hinc jam reliqua vestra dicta discutiamus.

VII. Constantinopolitanus. Nostrum vero pascha Christus est. Qui ut non juxta legem inveniretur adversarius, & circumcisus est, & legale pascha celebravit primitus. Sic illo discedente, nostrum novum operatus est.

Sæcul. XI circa Ann. Chr. 1054.

VIII. Romanus. Quod Christus vestrum pascha sit, sciatis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, immo totius catholicæ Ecclesiæ pascha esse. Quod si, quod absit! pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum Jesum Christum sic suos præmonentem de Pseudochristis & Pseudoprophetis: *Si quis vobis dixerit: Ecce heic est Christus, aut ecce illic: nolite ire, neque sectemini*. Quod vero dicitis Dominum Jesum celebrato vetere pascha, novum discipulis suis celebrandum tradidisse: quis sapiens id negat? Sed illud quod dicitis, Dominum nostrum Jesum Christum ideo circumcisum & vetus pascha celebrasse, ne juxta legem inveniretur Deo contrarius: quis umquam ausus erit astruere, nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini perverse cum Marcionitis & Manichæis sentire alium Deum veterem legem, alium novam dedisse, & ut apertius dicam, Deum malum & Deum bonum multis introducere. Et ne illi malo, hoc est, Deo tenebrarum, bonus iste Deus lucis inveniretur adversarius, & circumcisus fuit & celebravit pascha vetus. Et quasi devitans illius tyranni, velut fortioris se, iram incurrere, ad tempus simulavit se legem ejus observare. Sed absit tam pestiferum virus a fidelium auribus & cordibus, ut vel suspicetur aliquis aliquid aliquando simulasse omnipotentem & simplicissimam veritatem, quæ est Christus Deus noster: aut alium veteris legis esse, alium novæ auctorem, cum ipsa veritas protestetur dicens: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere legem, sed adimplere*. Et Psalmista dicat: *Etenim benedictionem dabit legis lator*. Deinde subjunxistis.

IX. Constantinopolitanus. Et hoc manifestum est, sicut in Evangelio secundum Matthæum de mystica cœna loquens Evangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? Qui ait: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis*. Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est*. Et post pusillum dicente Juda: *Numquid ego sum Rabbi?* Dicit ei: *Tu dixisti*. Huc usque Dei hominis, universa legalis paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt, addidit Evangelista & dixit: *Edentibus autem illis, accepit Jesus panem, fregit & dedit discipulis suis & dixit; accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus novi Testamenti*. Dicendo enim, *novi*, ostendit quoniam ea quæ veteris fuerunt Testamenti cessaverunt.

X. Romanus. Hæc omnia non a vobis, sed a veracibus Evangelistis conscripta, & ab omnibus orthodoxis patribus constanter prædicata credimus, & ipsum Dominum nostrum Jesum Christum quarta decima luna ad vesperam pascha vetus perfecisse, & mox novum inchoasse prædicamus. Quapropter sequentia videamus.

XI. Constantinopolitanus. Aspicite quomodo panem corpus suum sub novo Testamento vocavit, sicut vivificum & plenum Spiritu, & sicut caloris demonstrativum. Vos quidem panem, nos

A ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus & sursum portatus a fermento & sale, calorem & elevationem habens. Azymæ autem nihil distant a lapide sine anima & luto lateris deorsum conjunctæ terræ & sicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris semel in divina lege constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt significativa.

XII. Romanus. In hac vestra disputatione, illud tantum approbamus, quod Dominus Jesus panem benedictum & fractum in memoriam sui sub novo Testamento corpus suum vocavit. Et quod omnis panis hujusmodi vivificet & det vitam mun-
B do, utpote plenus Spiritu & calore Dei vivi, & quod nos panem, vos ἄρτον dicitis; reliqua vero vehementer detestamur, & velut hæreticam vanitatem & audaciam olentia atque resonantia, anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet absque mysterio, quod supra diximus, asserere plenum Spiritu & animatum, nisi discipulus Manichæi? Ipsi enim delirando, sicut vere pleni insania, impudenter asserunt, panem & vinum, lignum, lapidem & vestem, ceteraque talia animam habere. Illud quoque quod azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est ἄρτος, conamini nos vincere; sciatis omnino vanum & puerile. Quia & a linguarum peritis di-
C versæ etymologiæ dantur ex uno nomine, secundum humanum placitum magis quam secundum naturam rerum. Et in omnibus scripturis invenimus panem indifferenter dici, sive fuerit azymus, sive fuerit fermentatus. Quod hinc demonstrare incipimus.

XIII. Primo omnium, ecce Manna tam in lege & prophetis & psalmis, quam in evangelicis & apostolicis literis, panis, id est, ἄρτος vocatur. Sicut in Psalmo: ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος: quod latine dicitur: *panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo*. Et in Evangelio: κύριε, ἀεὶ δὸς ἡμῖν τὸν
D ἄρτον τοῦτον. Et in Exodo: οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος. Si ergo manna, quod erat album & minutum sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ, gustusque ejus quasi similæ cum melle, auctoritate divina dicitur panis, sive ἄρτος, quod utique nullam similitudinem, aut verum saporem panis habebat; quomodo azymæ possit tolli nomen panis, non videmus: qui utique natura, forma, & sapore omnimodis panis est & dicitur, præsertim cum angeli apud Abraham & Loth subcinericios panes, ἄρτους ὑποτίφρους dicantur comedisse, Angelusque Heliæ legatur in desertum attulisse. Sed quid multa? In lege & in Evangelio invenimus τοὺς ἄρτους προθέσεως, id est, *pa-*
E *nes propositionis*, quos azymos fuisse nemo dubitat, qui legis Mosaicæ aliquam notitiam retentat. Ubi dicitur: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet; nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini*. Et in Deuteronomio Moyses azymum vocavit, ἄρτον ταπεινώσεως, id est, *panem afflictionis*. Sermo quoque Domini ad Ezechielem factus dixit: *Et tu fili hominis, sume tibi frumentum, ordeum, fabam, lentem, milium & viciam, & mittes in vas unum, & facies tibi panes*. Ecce tam heic quam in subsequentibus panes dicuntur, ubi nulla fermenti mentio habetur: in tantum ut subcinericius, hordaceus ibidem vocetur. Verumtamen ut de vestris aliquid dicamus: audite quid Joannes monachus Damascenus in lau-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.

de Dei genitricis dicit: [1] ἐπεὶ αὖτε τῶν βροτῶν ὀυσία διὰ σοῦ ὁμιλίσατα Θείῳ πυρὶ ὡς [2] ἔγκυμα πάναγνε παρθένε ἐξ ὃ ὤπτης Θεοτόκον ἀληθινὸν διαφυλάξαντα. Quin etiam volumus, ut dicatis fermentatusne azymus sit de quo Salomon ait: *Suavis est homini panis mendacii*. Et, *panis absconditus suavior est*. Scilicet quem mulier stulta repromittit. Et heic enim & illic non azymus, sed ἄρτος dicitur. Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, ut pro eo tantum quod Matthæus dicit: λαβὼν ὁ Ιησοῦς τὸν ἄρτον, id est, *accepit Jesus panem*, incipiamus credere fermentatum, & non azymum discipulis suis in memoriam suæ passionis Dominum dedisse; sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse, si aliud non habetis, quod possit vestræ parti favere. Omnis enim sententia ex opinione procedens, est dubia. Quæ autem ex scientia procedit, certa omnimode & rata. Unde si aliam sententiam firmiorem non habetis, hac sola tam ambigua nostrum consensum vobis non vendicabitis. Quia ut superius copiose monstravimus, azymus sicut fermentatus, dicitur ἄρτος. Quin etiam Matthæus, qui hebraice scripsit Evangelium, non dixit: λαβὼν ὁ Ιησοῦς τὸν ἄρτον, sicut Græcus, sed ut Hebræus Hebræis, *Lacbah Jesus Lechem*. Lechem autem hebraice etiam azymum vocari in Deuteronomio cognoscite, ubi sic habetur: *Lechem oni*, id est, panem afflictionis, atque panes propositionis *Lechem pavini* [3] dicuntur. Unde in Psalmo, manna quoque similiter vocatur, ut *Lechem* [4] *albicini acbal is*, quod interpretatur, *panem angelorum manducavit homo*.

XIV. Tam copiosis ergo trium principalium linguarum exemplis enervatam etymologiam vestram, ex nomine quod est ἄρτος, sapienter considerate, & azymo nostro fermentatum vestrum præferre cavete. Quia si non obstinata mente manifestæ veritati resistitis: & si vetus & novum Testamentum aperte non impugnatis, nobiscum sentire & profiteri habetis, azymum panem fuisse, quem ipse Dominus Jesus in cœna primis Ecclesiæ suæ fundatoribus distribuit in memoriam suæ passionis. Nam sicut sufficienter supra ostensum est, in septem paschæ diebus fermentatum nec inveniebatur, nec apparebat in cunctis domibus seu finibus Israel. Et apud quemcumque fuisset inventum, justa animadversione, velut divinæ legis transgressor, absque recrastinatione peribat de cœtu Israelitarum. Quod si credimus verbis veritatis dicentis: *Non veni solvere legem, sed adimplere:* credendum etiam & prædicandum est, Dominum Jesum nec unum Jota, aut unum apicem legis præteriisse, & ut totius transgressionis expertem insidiatoribus suis dixisse: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus oravit, ut non perirent: nec pro nobis passus, sed pro sua prævaricatione juste punitus: præsertim qui nec solus legis transgressor inventus est, fermentato apud se tunc reperto, sed insuper multos discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermentato. Videte quorsum evadat hæc vestra disputatio. Nempe si in solemnitate azymorum dicitur quolibet usus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Judæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo, & fidem nostram evacuandi: si gloriantes nomine Christiano objecerint Christo, quod Judæorum nemo

A objicere præsumsit, nec tunc nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamvis enim principes sacerdotum & omne concilium quæsissent falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & nec in verbis ejus invenissent: tamen tale aliquid, quale vos objicitis, nullus eorum objecit. Quod si fuisset objectum, solum unum sufficeret ad perdendum illum. Nec jam Pilato dicenti: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, dicerent: *Nobis non licet interficere quemquam*; quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentati participem. Denique tota in Jesum calumnia ex interrogatione Pilati & responsione Judæorum facillime potest animadverti juxta Evange-
B lium Matthæi & Marci, ubi interrogante Pilato: *Quid enim mali fecit?* clamaverunt: *Crucifigatur*. Porro Luca attestante, omnis multitudo tradentes Jesum Pilato dixerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse*. Quibus paullo post ait Pilatus: *Nihil invenio caussæ in hoc homine*. Et illi: *Commovit populum per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc*. Deinde post aliqua dixit eis Pilatus: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam caussam mortis invenio in homine isto in his, in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Corripiam ergo illum, &
C dimittam*. At illi postulabant ut crucifigeretur. Joannes autem refert, Pilatum sic dixisse Judæis: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Qui dixerunt ei: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*. Et post aliqua dicente eis Pilato: *Accipite eum vos & crucifigite*. Responderunt: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*. Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus & iniquitate mentienti sibi, suffecisset hoc unum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in pascha comedit? aut certe apud eum
D apparuit? Et forte dicetis eum clam egisse hoc. Absit! Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi pontifici percunctanti: *Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audiverunt, quæ dixerim ego*. Numquid etiam dominum domus in qua pascha celebrabat, sanctæ legis prævaricatio posset latere? quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse. Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit: numquid & Judam complicem malignorum Judæorum latere potuit, qui juxta Psalmistam: *Unanimis ejus, dux & notus*,
E & præsertim dispensator fuit? Quem ipse Dominus dilecto Joanni demonstrans ait: *Ipse est cui intinctum panem porrexero*. Et cum intinxisset panem dedit Simoni Iscariotis. Ecce heic bis dixit ἄρτον, quem vos non nisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Judam demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quemadmodum volebat prodere clam? Aut quid necesse habuit desperando dicere: *Peccavi tradens sanguinem justum?* cum tradendo transgressorem legis averterit a se & a populo furorem Domini, & gratiam promeruerit? Ut enim præceptum legis divinæ super hoc breviter tangamus, perpendite quid in Deuteronomio latius dicatur: *Si pro-*

1. Locus plane depravatus. 2. ἄζυμα. 3. *panim*. 4. *abirim*.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



pheta quilibet , sive frater tuus , filius aut filia , A *uxor vel amicus quem diligis ut animam tuam, voluerit clam persuadere tibi ut avertaris a cerimoniis legis , non acquiescas ei , nec audias, neque parcat ei tuus oculus ut miserearis & occultes eum : sed statim proditum populo interficies, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tibi, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis .*

XV. Hic ne quid minus factum videatur, etiam vestratium ridiculæ opinioni obviamus : qui non invenientes, quarum sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicujus stabilitatis litus , fluctuando pertrahuntur in illud divinæ omnipotentiæ pelagus . Namque sciscitanti- B bus nobis , unde Dominus Jesus fermentatum in cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inveniretur ; Respondent : Si creditur omnipotens, potuit subito undecumque fermentatum exhibere , aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare . Quod quam sit frivolum , nemo non intelligit . Quia quocumque modo apud eum in ipsa solemnitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, plane dignus puniri, qui in sanctæ legis contumeliam fermentatum tractasset. Sed etsi quolibet modo id fuisset factum, aliquis Evangelistarum tantum narraret miraculum , non inferius illo , quo aqua conversa narratur in vinum. Et cum tam subtiliter gesta sive dicta in ipsa cœna describunt, ut C etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare ; Sicut illud est de contentione prioratus inter discipulos facta , sive quod Dominus ipse præceperit vendi tunicam & emi gladium ; quomodo tam obstinato silentio reticuere tam necessarii sacramenti initium, & ut ita dicamus, omnimodam metamorphosim , & qualem vos somniatis? Neque enim fuerat negligenter commemorandum , quod totius Ecclesiæ exstat fundamentum , & usque secundum Christi adventum retinebit Christianitatis statum , per quod in Christo manemus & ipse in nobis . Unde vos assertionis vestræ difficultatem passi , laboratis nobis præjudicium facere ex omnipotentia Christi . Sed vobis fideliter & constanter responde- D mus . Quamvis omnia quæcumque voluit fecerit , & faciat Dominus Jesus , hoc facere non potuit , sicut quondam de lapidibus panem facere non potuit. Si quæritur, cur? Breviter respondetur, quia noluit . Sed unde scitur , quia noluit ? quia non transgredi potuit, nec transgressus est legem, quam non venit solvere , sed adimplere . Itaque unum e duobus eligatis necesse est . Aut enim fermentato abjecto in solemnitate azymorum legem implevit , aut suscepto fermentato legem solvit , propter quam adimplendam se venisse mentitus invenietur, quod absit . Porro de omnipotentis Dei coomnipotente Filio, ita habetur in Joannis Evangelio : *Non potest filius facere quicquam a se* . Qui etiam , secun- E dum Marcum , in patria sua non poterat virtutes multas facere .

XVI. Hinc nil tergiversationum vestrarum prætermittentes, quia confideratis vestro fermentato secundum legem & Evangelium juste contradici : astruere conamini, Dominum non celebrasse pascha cum Judæis , quarta decima luna mensis primi , sed priusquam fieret legalis abjectio fermentati . Et hoc probare contenditis ex Evangelio Joannis qui ait : ^a *Et ipsi non introivere in prætorium, ut non contaminarentur , sed ut manducarent pascha.* Quod quanta absurditate dicatur , saltem ex hoc perpendite : quod Christum transgressorem legis non cavetis denuo pronuntiare : Quia *cum facta esset hora discubuit* . Quamvis enim bis posse celebrari pascha lex concedat , tamen quartam decimam lunam omnimodis observandam denuntiat . Et mundis quidem quartam decimam lunam primi mensis, immundis autem quartam decimam secundi mensis . Et quicumque aliter præsumsisset , de medio populi sui periret. Quod si quæritur, quare Joannes decimam quintam lunam, id est, a pascha secundam dixerit *pascha* ? cum videatur dicere debuisse : & ipsi non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent azyma : quorum prima erat dies ipsa : Sciatis indifferenter ab Evangelistis dici *pascha* & *azyma* . Nam licet Dominus discipulis dixerit : *Scitis quia post biduum pascha fiet* ; Matthæus tamen ipsius diei in cujus vespere fiebat pascha mentionem faciens , inquit : *Prima autem azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : ubi vis paremus tibi pascha comedere* ? Cui concordans Marcus ait : *Erat pascha & azyma post biduum* . Et post pauca : *Et prima die azymorum , quando pascha immolabant* . Ubi si indifferenter non accipiuntur pascha & azyma , ut modo pascha pro festo azymorum , modo festum azymorum intelligatur pro pascha : Quomodo stabit : *Erat pascha & azyma post biduum* ? Nam juxta opinionem vestram debuit sic scribi : Erat pascha post biduum , & azyma post biduum . Sed beatus Lucas omnem hujusmodi dissolvens controversiam inquit : *Appropinquabat dies azymorum , qui dicitur pascha* . Et quia cum eo qui proprie dicebatur pascha , subsequentes quoque septem dies azymorum abusive nuncupabantur pascha , quem diem vellet specialiter intelligi, in sequentibus luce clarius ostendit dicens : *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha* . Quod plane in quarta decima luna fiebat ad vesperum , quando agnus occidebatur. Quem etiam pascha dici sic Evangelista perhibuit, ut ipsum pascha occidendum diceret. Idem quoque in actibus Apostolorum narrat, quod Herodes captum Petrum misit in carcerem , volens post pascha producere eum populo . Qui quod pascha dicat mox subjungens declarat : *Erant autem dies azymorum* . Nec mirum . Cum etiam Exodi tertio Dominus tria festa præcipiens , pascha tacuit : solemnitatem azymorum tantum custodiri jussit, quæ prætermisso pascha observari nequit . Porro Joannes qualiter intelligi vellet quod ait : *Ut non contaminarentur , sed ut manducarent pascha*. Paullo post ait : *Erat autem parasceve paschæ , hora quasi sexta* . Parasceve paschæ , præparatio paschæ interpretatur : quando jam præparabatur vel instabat celebritas magni diei sabbati , qui celebrior reliquis paschalibus diebus apud Judæos habebatur : adeo ut ob reverentiam ejus, gentilis hominis cohabitatione , vel introitu prætorii pollui vererentur. Et insuper ne in cruce remanerent corpora in sabbato, præcaverent . Nec repugnat vero quod pascha solemnitas azymorum dicitur : quandoquidem ipsum pascha cum azymis edebatur, nec per totum diem illum , sicut scriptum est , apparebat fermentatum in finibus illis usque ad vesperum octavæ diei , quam habebant celeberrimam .

XVII. Insuper harum trium solemnitatum continuati octo dies pro uno die sunt habiti , sicut de Scenopegiæ diebus Dominus dicit : *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum hunc* . Qui tamen postea jam die festo mediante, dicitur ascendisse , & in novissimo magnæ

^a Joh. XVIII. 28.

festivitatis die stetisse & clamasse: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.*

XVIII. Ecce vestris opinionibus reluctati forsitan plus necessario fuimus verbosi: sed hinc minime debemus reprehendi, quia caussam humano generi super omnia necessariam voluimus evacuari. Si Dominus Jesus legem potuisset transgredi, inanis enim esset fides nostra, inanis & prædicatio nostra, quia posset doceri peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem autem Christi nihil profuisse. Nunc sequentia videamus: ubi postquam vanis declamationibus, ut supra monstratur, ἄρτον interpretati fuistis elevatum & sursum portatum a fermento & sale, calorem & elevationem habentem, horrenda cæcitate, abominati azyma dixistis:

XIX. CONSTANTINOPOLITANUS. Azyma autem nihil distant a lapide sine anima & luto lateris deorsum conjuncta terræ, & sic luto comparata.

XX. ROMANUS. Heu heu heu Domine Deus! ecce compleri videmus principis Apostolorum præsagium nostris temporibus. *Ex vobis*, inquit, *erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis, & eum qui eruit eos Dominum negant. Superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Cujus sententiæ concordans doctor gentium ait Timotheo: *Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, & cetera.* Et post pauca: *Quemadmodum Jamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Unde & vos impudenter detrahentes azymis, etiam illi vivifico mysterio redemtionis nostræ inauditas injurias irrogare non timetis. Nec mirum si in secretis cælestibus acies mentis vestræ caligat: quandoquidem in terrenis tam perverse errat, ut azymum quod visu & tactu atque gustu simul & usu quotidiano panem comprobat, lapidem seu siccum lutum lateris credat. Et o quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis retrusis, & omni consolatione humani victus fraudatis, lapidem seu siccum lutum lateris apponeret aliquis pro azymis! Ibi proculdubio in summo discrimine vestro disceretis plurimum distare lapidem sive laterem ab azymis, & quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autem confirmetur cor hominis. Quæ quamvis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine anima esse, sicut & fermentatum, nullus negare audet, nisi Manichæus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuo. Sed dum nitimini apostolicæ sedi derogare super azymis, putredine inveteratæ hæresis vos scatere monstratis, afferendo panibus inesse animam fermentatis, etiam absque mysterio aliquo dominicæ passionis.

XXI. Quod autem calumniamini azyma deorsum terræ conjuncta, non negamus, vulgo hæc eadem sic parari lapidibus aut argilla superposita, non sicut dicitis, terræ conjuncta. Verum hæc ad communes usus hominum & ceterorum animalium transeunt. Nam ad magnam Christi mensam non accedunt; sed illud solum quod Diaconi cum Subdiaconis seu ipsi sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum conspersum, & in ferro paratum ex secretario proferunt. Nempe, sicut Apostolici actus indicant: Diaconi specialiter constituti sunt super hoc opus, Petro dicente: *Non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis.* Vos autem sicut facere nos reprehenditis, nec in lapide aut argilla seu aliquo metallo vestrum fermentatum paratis. Ergo aut in aqua paratis, aut de cælo manna venit vobis, quod ad humanos & divinos usus habetis.

XXII. Sed ad reliqua frivola vestra veniamus. Non invenitur Moyses dixisse, azyma malæ passionis & tribulationis symbola fuisse, sed *lechem oni*, id est, *panem afflictionis:* non quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam revocet, quia ab Ægyptiis exire compulsi, conspersam farinam, antequam fermentaretur, asportarint in humeris: quæ ut superius sufficienter disseruimus, nihil nos tangunt juxta carnalis observantiam ritus. Ideo discutiamus quod sequitur.

XXIII. CONSTANTINOPOLITANUS. Nostrum vero pascha gaudium & lætitia totum est, & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem; qui panis omni suavitate repletus est. Azymum vero, neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem discipulis suis: *Vos estis sal terræ?* Et *simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier, abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum?* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus, hoc est, tribus modiis repletis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps.

XXIV. ROMANUS. Optamus vobiscum celebrare pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudii, in terra scilicet viventium, quia hoc nemini concessum est in terra morientium, ubi & de præteritis scandalis subest gemitus, & de futuris metus. Unde si cupitis de continuo pascha postmodum gaudere, in isto animo non sitis interim sine timore, Sed sicut Psalmista monet: *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore.* Et instanter cum Apostolis petite, ut gaudium vestrum sit plenum. Illum etiam quod asseritis, id est, pascha vos ab humo sustollere ad cælum præ gaudio, ita agere debet omnino. Quia si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: sin alias, jam non levatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum.

XXV. Sane quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit, ambigimus jam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix invenimus, nec fermentatus panis absque consecratione est suavitate aliqua plenior azymis panibus, quos plerique sibi salubriores & sapidiores arbitrantur: sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio.

XXVI. CONSTATINOPOLITANUS. Azymum vero neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



XXVII. ROMANUS. Iteratis contumeliis in tantum azyma laceffitis, ut pene omnibus vifibilibus & invifibilibus naturis injuriam irrogetis. Si enim, ut definiftis, lutum aridum eft quidquid neque fal, neque fermentum habet; ergo beati fpiritus & animæ juftorum, five ipfa quatuor elementa, ex quibus omnia vifibilia exfiftunt, lutum funt: quoniam neque fal neque fermentum habent. Nec fuffecit vobis tantum nefas evomuiffe, nifi infuper Dominum teftem veftræ opinionis produceretis, quafi pro fola commendatione & confectione veftri fermentati dixerit difcipulis fuis: *Vos eftis fal terræ, & fimile eft regnum cælorum fermento*. Ergo quia verba quæ funt fpiritus & vita, ad litteram placet vobis intelligere: placeat etiam veftro fermentato aliquid palmitum & finapi adjungere. Nam idem Dominus dicit difcipulis: *Vos eftis palmites*. Et: *Simile eft regnum cælorum grano finapis*. Quod fcilicet calorem adminiftrat, quem tantopere tota veftra calumnia in fermento collaudat. Noveritis tamen ipfam de fermento abfconfo expofitionem veftram catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclefiam fignat, & tria fata fanctam Trinitatem: Ubi & quando & ad quid Ecclefia in ipfa beata Trinitate fermentum abfcondit? An forte quifquam fummo & incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit aut poterit? Quapropter convenientius parabolam hanc expofuiffetis, fi regnum cælorum fanctam Ecclefiam fignificare dixiffetis: Fermentum autem doctrinam apoftolicam, tria fata tres filios Noe, quibus poft diluvium menfuratur farina, id eft, totius humani generis maffa. In qua utique mulier, id eft, coæterna Deo patri fapientia facta ex muliere, doctrinam apoftolicam quafi fermentum recondidit, & regnum cælorum, id eft, præfentem Ecclefiam ex diverfis nationibus coadunavit.

XXVIII. Jam quia poft multiplices azymorum obtrectationes ad hoc prorupit veftra infolentia, ut in ipfa terribilia & vivifica facramenta redemtionis noftræ apertis contumeliis irreverenter infurgat, & azymum exclamet lutulentum, & nequaquam fanctæ Trinitatis particeps effe: Refpondere cogimur deinceps vobis ftultis juxta ftultitiam veftram, ne vobis fapientes effe videamini. Certiffime fciatis quod gloriatio veftra ftercus eft & vermis, hodie enim extollimini, & cras non inveniemini, & fecundum Pfalmiftam, ut pulvis ante faciem venti comminuemini & ut lutum laterum delebimini, juxta proverbium Sapientis, de ftercore boum lapidandi, & velut ftercus in via conculcandi ficut & anteceffores veftri hæretici ac præcurfores Antichrifti. Ut enim in libro beati Job dicitur: *Ex quo pofuit Deus hominem fuper terram, cognofcitur laus impiorum brevis effe, & gaudium hypocritæ ad inftar puncti*. Unde quia in eo putatis vos fapientes, fi aliorum inftitutionibus detrahitis: hinc par pari referemus, quod veftram impudentiam mordebit: ut retrahat a reverendorum facramentorum injuriis.

XXIX. Salva ergo ut dignum eft reverentia corporis Domini noftri Jefu Chrifti, & in fermentato & in azymo, perquiramus an fermentatum ad humanas menfas præparatum fincerius ac mundius fit plebejo azymo. Et primo omnium fermentatum repetamus, ut perfpecta diligenter ejus fcaturigine verax judicium de puritate fermentati habeamus. Neceffe eft enim ut rivus fontis qualitatem & naturam fequatur. Ita enim originem fermenti invenire cupimus, ficut hominis cujuslibet originem ipfam matrem omnium terram invenimus. Nam fi hominis originem alium hominem diximus: jam propago non origo erit; quomodo nec fermentum fermenti origo effe poterit. Sicut enim fententia vulgi exftat, fermenti origo fit, cum aut fpuma mufti feu fex cujufdam rufticæ potionis quæ apud Gallos *cervifia* dicitur, vel certe jus elixati ordei, aut ciceris, five lac ficulneæ, vel pecorum corruptum, injicitur confperfæ farinæ. Cum ergo fpuma, fex, elixatum leguminum & lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter fordida: conftat fermentum fordibus non carere per omnia. Maffa autem cuicumque fermentum injicitur, neceffe eft corrumpatur: ficut ait fapientiffimus Paullus: *Modicum fermentum totam maffam corrumpit*. Ubicumque autem corruptio tam in divinis quam & in humanis litteris dicitur, ibi etiam deterioratio feu vitiofitas aliqua fubftantiæ accidiffe comprobatur. Unde fi non poteft aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium eft, quin fermentato azymum mundius fit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum & pura aqua conficitur. Fermentum quoque fi aliquamdiu in maffa negligitur, tanto acrore eam corrumpit, ut ultra humanis ufibus non profit. Deinde panis fermentatus parvo fitu efficitur mucidus, quod rariffime incurrit azymus, utpote planus & folidus, non tumidus & cavernofus, uti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar fit noftris laudibus, tamen per omnia par eft veftris moribus. Ipfe enim fermento veteri corruptus deprehenditur acidus, cavernofus & tumidus: & vos haud fecus humana opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, calliditate cavernofi. Et ut divinæ fcientiæ vacui, humana fcientia inceditis inflati, juxta illud dictum Apoftoli: *Scientia inflat*. Cui etiam fupradicta vitia ineffe ibidem Apoftolus atteftatur Timotheo dicens: *Si quis aliter docens, & non acquiefcens fanis fermonibus Domini noftri Jefu Chrifti, & ei quæ fecundum pietatem eft doctrinæ, fuperbus, nihil fciens, fed languens circa quæftiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blafphemiæ, fufpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati funt*. Quod vero fermentum ficut præfati fumus, in divinis & humanis litteris, in malum ponatur: Dominus in Evangelio teftatur: *Cavete*, inquiens, *a fermento Pharifæorum, quod eft hypocrifis*. Et Paullus: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum*. Et paullo poft: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ*. In fæcularibus quoque litteris Satyricus [1] effeminationem & corruptos mores Romanorum redarguens ait:

> *Quid didiciffe nifi hoc fermentum, & quo femel intus*
> *Innata eft rupto jecore, exierit caprificus?*

XXX. Et fi omnes fcripturas perfcrutati fueritis, numquam & nufquam fermentum in bonam fignificationem poni invenietis, nifi in uno loco Evangelii, ubi regnum cælorum fermento fimile Dominus dicit: Doctrinam videlicet apoftolicam fignificans. Si vero omnes revolvatis Scripturas, numquam & nufquam invenietis azyma poni in fignificationem contrariam, fed aut finceritatem aut veritatem fignificare, ficut Apoftolus ait: *Epulemur in azymis finceritatis & veritatis*. Unde veftra du-

1. Perfius.



plicitas suo fermentato contenta Romanæ & Latinæ A simplicitati azymum extorquere desinat. Ne si fuerit pertinax, anathema maranatha cum suo fermentato fiat, & prophetam sibi exprobrantem audiat: *Ite ad Bethel & impie agite, & sacrificate de fermentato laudem.*

XXXI. Nunc videatur quænam Ecclesiarum majori diligentia & subtiliori significatione dominici corporis proprietatem imitetur. Romana quippe & occidentalis Ecclesia a ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti & lympida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in una mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Jesu Christi persona, tres B perfectas credere, & venerari substantias: humanam scilicet carnem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cælesti, non autem aliqua commixtione virili factam omnipotens divinitas animavit, puriorem substantiam, id est, animam, quasi aquam præclaram & nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio Verbum Dei rite suscepit, & mediante suæ divinitatis calore, tamquam igne sibi construxit & consolidavit. Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis, fit verum & singulare corpus Christi. Non sicut Theupaschitæ C volunt corpus Patris & Filii & Spiritus sancti. Quod & vos videmini sentire, dicentes, Patris & Filii & Spiritus sancti particeps non esse azymum, sed subaudiatur, sicut fermentum est particeps eorum. Ex qua prava sententia si non vultis cum Theupaschitis damnari, nolite in ipsa commemoratione dominicæ passionis aliquod participium seu communionem præter solam consecrationem vel cooperationem concedare sanctæ & impassibili Trinitati, quia mors solius humanitatis filii Dei in illo sacramento visibili, ut Apostolus ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ipse quoque Dominus Jesus in speciali commemorationis suæ D privilegio discipulis distribuens panem, ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Meum, inquam, quod Spiritus sancti septemplici gratia subnixum, ipsa sapientia Dei patris æterni ædificavi mihi templum quadraginta & sex diebus in utero & ex utero intactæ Virginis: quodque mox pro vobis & pro multis per passionem crucis in mortem resolvendum, omnipotens Trinitas post triduum suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionem. *Meum*, inquam, hoc est, filii Dei & filii hominis, qui vadit sicut scriptum est de illo. Quapropter sicut prædiximus tota beata Trinitas E in consecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors Christi in fractione ejus & in usu annuntiatur.

XXXII. Hinc jam quæ apud vos habeatur disciplina & cautela supra tanto mysterio advertamus. Vos aliquando pretio fermentatum a quocumque viro, seu femina præparatum habetis, in tantum ut nonnumquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emtum panem ad dominicam mensam transferatis. Quem tractatum illotis & sordidis quorumlibet manibus negare non potestis. Qui sane, juxta nostram narrationem, quinque substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis. Quorum omnium significationes congruas in illa simplici & sincera carne salvatoris, si habetis, date nobis. Par est enim ut de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de azymis vobis: ne forte, quod absit, perversitas Manichæorum, ad fulciendum errorem suum afferat, has quinque substantias in sacrificium Christianorum assumi, propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi. Date quoque evidentem caussam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad sanctum sacrificium ferro levatis, cum immaculata hostia, immaculatum corpus Domini aptius videatur significare, & integritas panis, integritatem Ecclesiæ, quæ corpus Christi fit participatione ejus integerrimi corporis. Quod qualiter fieri debeat, Paullus Corinthiis ita prædicat: *Panis quem frangimus, nonne participatio Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & uno calice participamus.* Unde & Dominus panem accepisse benedixisse & fregisse, non autem legitur ante vel postea incidisse. Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calicem intritum cum cocleari sumere consuestis, quid opponitis? Neque enim ipse Dominus panem in calice vini intrivit, & sic Apostolis dedit dicens: accipite & cum cocleari comedite: Hoc est enim corpus meum. Sed sicut sancta Romana Ecclesia usque nunc observat: panem integrum benedixit & fractum singulis particulatim distribuit dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Quibus postquam cœnatum est, calicem porrexit dicens: *Bibite ex eo omnes.*

XXXIII. Quam reverendam angelis & hominibus institutionem etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit: adeo ut quidam Hierosolymitanorum pontificum datis epistolis significaverunt, quantum illorum institutio discrepet a Græcis. Sic enim scriptum reliquerunt: *Ex ipsa sancta civitate Hierusalem, quæ & sancta Hierosolyma, exiit fides Christiana: in ipsa quoque sancta Sion & sancta resurrectio primæ Ecclesiæ dicuntur & veraciter habentur. In ipso sancto & venerabili loco adimpletur divina & immaculata oblatio Domini nostri Jesu Christi, sicut decet per ordinem.* Et puto quia benefaciunt ibi, quod non nisi integras & sanctas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec quomodo Græci habent lanceam ferream qua scindunt in modum crucis ipsam oblationem, id est, proscomide. Porro in præfatis sanctis Ecclesiis, cum ipsa sancta patina sanctam anaphoram, id est, oblationem exaltant. Etenim veræ & aptæ sunt ipsæ oblationes, tenuesque ex simila. Lanceam vero ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Jesu Christi aperuit. Coclear vero cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorum, minime habent, quia non ita commiscent ipsam sanctam communionem in calice, sed sola communione communicant populum. Itaque & in magnis & in parvis Ecclesiis hunc morem traditum sibi a sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius provinciæ. Græci autem cohabitantes eis, alii sic, alii qualiter a suis acceperunt. Ad hæc si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filii Dei communicare ibi desiderant, quia & locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis, in omni terra. Et ibi est sepulcrum sanctum & honorabile Domi-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.

ni noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctus Calvariæ locus. Subterrare autem vel infodere ſanctam Euchariſtiam in terra, ſicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam, negligentia magna eſt & nullus timor Dei. Etenim fides Chriſtianorum, ipſa impolluta & divina myſteria ſunt, ſecundum quod Chriſtus dixit: *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, vita vivet in æternum*. Sed de his hactenus: præcipue cum vos ipſi poſſitis hæc colligere ſubtilius ex tenore epiſtolæ illius, quam iſtis ex græca latinam perfecimus. Ubi luce clarius intelligi datur, eumdem ritum divini ſacrificii ſanctam Hieroſolymitanam eccleſiam obſervaſſe antiquitus, quem ſacroſancta Romana eccleſia obſervare non ceſſat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex ſimila præparatas integras & ſanas ſacris altaribus nos quoque ſuperponimus, & ex ipſis poſt conſecrationem fractis cum populo communicamur. Et tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidem nemini diſcipulorum niſi Judæ proditori intinctum panem a Domino porrectum invenimus: ſignificante, quod eum eſſet traditurus: pari modo etiam reſiduum dominicæ oblationis reponimus.

XXXIV. Jam quia ſufficienter auctoritate novi & veteri Teſtamenti conſtat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum commemorationem ſuæ paſſionis recolendam in azymis diſcipulis ſub ipſa cœna commendaſſe, ſicut hodieque ſancta Romana & Latina Eccleſia noſcitur recolere: dicere debetis cujus inſtitutionem in fermentato tam obſtinate detenditis. Nempe quicumque, ſeu qualiſcumque ille fuerit, juxta beatum Job, compoſitus Deo, qui eſt ipſa juſtitia & ſapientia, nec ſapiens erit. Nec poteſt fieri, ut quilibet convenientius aut verius commendare prævaluiſſet ſacroſanctum myſterium fidei, quam ipſe qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis: agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi. Cui comparata, imperfecta, cujus inſcientia ſumma eſt ignorantia. Quapropter eventilemus reliqua dicta veſtra.

XXXV. CONSTANTINOPOLITANUS. Dixit autem David de ipſo: *Tu es ſacerdos in æternum ſecum ordinem Melchiſedech*. Qui ante Abraham & Moyſen cæli, terræ & ceterarum creaturarum agnoſcens Deum, exſurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit divinus Apoſtolus: * *Quoniam ſi conſummatio per Leviticum ſacerdotium erat, non ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdos Chriſtus diceretur. Et quia translato ſacerdotio, neceſſe eſt ut legis translatio fiat*. Quæ lex lutulenta conſtituit azyma Judæis cuſtodire. Idem ipſe magnus Paullus ad Corinthios prima Epiſtola ex his loquens ſic ait: *Fratres ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibitis in meam commemorationem: quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*.

XXXVI. ROMANUS. Quamdiu veſtigia doctiloqui Paulli fideliter tenuiſtis, omnino irreprehenſibiliter cucurriſtis. Sed mox ut præcurrere tentaſtis, miſerabiliter corruiſtis. Quibus non ſuffecit A aberraſſe, niſi inſuper doctorem gentium in fide & veritate maluiſſetis poſt vos reluctantem trahere, quam illius veſtigia repetendo errorem veſtrum evadere. Inſuper inauditum præjudicium eidem facitis, quando ſuis dictis eum impugnando azyma lutulenta pronuntiatis, quæ tam ipſe quam omnis catholicus eſſe ſinceritatis & veritatis aſſerit. Illam deinde etymologiam veſtram ſuper pane contra nos defenſando, complicem veſtrum tantum apoſtolum laboratis efficere, quaſi in eo quod veraces Evangeliſtas ſecutus ait: *accepit panem*, non niſi fermentatum voluiſſet infirmare. Quod ſi fieri potuit, inanis prædicatio & labor tanti Apoſtoli erit. Evacuabitur mors Chriſti, quia jam non tradidit ſe- B metipſum pro nobis, ſed juſte interiit, ſicut transgreſſor legis. Verum quam ſit hæc veſtra etymologia frivola, ſatis abundeque oſtenditur ſupra. Jam videamus quorſum pertrahere conamini tantum Apoſtolum ſuæ aſſertionis funibus.

XXXVII. CONSTANTINOPOLITANUS. Azyma vero neque commemorationem habent, neque mortem annunciant, ſicut Moſaica & ante mille quadringentos annos ex lege conſtituta, & per novum Teſtamentum, hoc eſt, per ſanctum Evangelium & per Chriſtum maledicta & derelicta.

XXXVIII. ROMANUS. O ſacrilega temeritas! o C viroſa & manioſa Manichæorum dicacitas! o ab omnium viribus & cordibus procul abigenda impietas! Eone pertraxiſtis Apoſtolum, ut in tantæ perfidiæ baratharum præcipitaretis vobiſcum? Ecce illud peſtiferum ovum, quod tamdiu parturiſtis, repente peperiſtis, ex quo qui comederit morietur, ut Eſaias propheta dicit: *Et quod fuerit confotum, erumpet in regulum!* Ecce ut claret, dolorem concepiſtis, iniquitatem peperiſtis, & contra ipſam veritatem & omnes divinas paginas mentiti impudenter latratis, ipſum filium Dei legem & azyma, quæ conſtituerat, maledixiſſet. Sed o ſancta, o bona, o venerabilis lex cum univerſis mandatis, & obſervationibus tuis, quicumque te & tua uſque ad D unum jota maledixit, maledicit aut maledicet: ſit ille maledictus! Potuitne aut debuit Dominus noſter ſic ingratus eſſe, ut tam fidelem & devotum præconem & conſtantiſſimum teſtem ſuum, aliqua maledictione confunderet? qui non ceſſavit tota ſua intentione, ſignis, mandatis, ſacrificiis, ceremoniis, atque verbis gloriam ejus conclamare. Et ubi didiciſtis quod Dominus legi & azymis maledixerit? Forſitan dicturi eſtis, ubi novum paſcha tradidit diſcipulis ſuis, aut ubi ſurrexit a mortuis. Sed ut ſuperius liquido cognoſcitur, & ipſis benedictis & fractis novum paſcha inſtituit: & ipſa ſuæ reſurrectionis dies a duobus invitatus in Emaus Caſtello, accepit panem, benedixit, & mox *ἐγνώσθη αὐτοῖς* E *ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου*: id eſt, *cognoverunt eum in fractione panis*: quem omnimodis azymum fuiſſe conſtat, quia uſque ad octavas paſchæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Iſrael apparebat. Sane quod ipſe factus ſub lege legis teſtimonium habuerit, dicit Judæis: *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Et iterum: *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Unde in alio loco proteſtatur ſe non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere. Cujus quodlibet minimum mandatum quiſquis ſolverit, etiam in regno cælorum, hoc eſt in præſenti Eccleſia, minimus foret: ne dum illam futuram aliquo mo-

* Hebr. VII, 11.

do introiret. In qua factor & doctor legis magnus vocaretur. Ipsa quoque suæ resurrectionis die, duobus supra dictis discipulis, incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur Scripturas, quæ de ipso erant. Deinde undecim congregatis dixit: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis & in Prophetis & in Psalmis de me. Et quia oportebat pati Christum, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes.* Ecce breviter salvator innotuit incarnationis ac passionis suæ humilitatem, atque resurrectionis gloriam omniumque gentium vocationem, & per baptismum salvationem, in veteri Testamento præmonstratam, & in novo fuisse exhibitam, ut merito Evangelium nihil aliud sit dicendum, quam legis expositio. Quæ lex velut bajula & nutrix Christi & Ecclesiæ, id est, sponsi & sponsæ, capitis & corporis, in plenitudine temporum prævia evangelicæ gratiæ & veritatis lucerna publicis visibus revelavit, quod diu in secretis cubiculi occultevit; tunc repente illius speciosi forma præ filiis hominum omni creaturæ resplenduit, ubi per sanctos Apostolos, quibus aperuit sensum ut intelligerent scripturas, mysterium cunctis retro sæculis absconditum, in omnem terram, & usque in fines orbis transmisit. Maledicendus ergo est uterus ille, qui Spiritu Dei gravidatus ab initio parturivit omnia sacramenta Christi & Ecclesiæ, tandemque in fine sæculorum peperit ipsum Evangelium prædicandum ubique? Siquidem vetus Testamentum efficit, ut per novum libera fronte prædicetur partus Virginis, & credatur resurrectio ex mortuis, atque per lignum & aquam & Spiritum reparatio humani generis: alioquin deleto veteri Testamento novum evanesceret, fabulaque putabitur, nec retineri poterit absque charactere suo, quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis & dictis suppofuit, & Apostolis seu prædicatoribus suis inspiravit narrationis suæ cursum firmare anchora Testamenti veteris. Cujus auctoritatem primus magister Ecclesiæ profitetur certiorem esse illa voce, quam super Dominum transfiguratum factam audivit. Unde firmissimum credendum est, & liberrime profitendum, quod quicumque veteri Testamento contradicit, etiam novi adversarius existit, quod velut rota in medio rotæ inesse veteri sanctus Ezechiel vidit.

XXXIX. Deinde quasi subjectum vel fundamentum est vetus Testamentum, cujus ædificium vel superior pars constat Novum, quod necesse est deficiet vel corruet, deficiente vel corruente subjecto, cui insidebat. Et subjecto quidem seu fundamento permanente, permutantur superfidentia sæpe: intereunte autem vel ruente, nequeunt pariter non interire vel ruere. Hoc utique Dominus utriusque Testamenti lator intelligi volens, cum posset omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias in nuptiis vino de nihilo repente creato implere: maluit tamen certi mysterii gratia prius aqua easdem hydrias a festi ministris, usque ad summum impleri, & post solo nutu suo, mirabile vinum fieri. In quo provido redemtoris nostri facto dicimus, aquam non substantiam suam, sed qualitates, id est, saporem & colorem, & si qua sunt hujusmodi permutasse, ut animadvertamus ipsum Dominum vetus Testamentum quo sex mundi ætates, per ministerium priorum patrum repleverat, non evacuasse, sed innovasse, nec inde quidquam reprobando minuisse, sed quod ei inerat & latebat, approbando exhibuisse.

A In quibusdam enim, sola permutatione temporum seu varietate excepta, lex & Evangelium idem concorditer clamant. Verbi gratia, lex prædicit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris.* Et: *Ecce virgo concipiet & pariet Filium.* Evangelium prædicat: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Et: *Virgo concepit & peperit filium.* In quibusdam etiam tempore & themate salvo, commemorant voces pietatis & impietatis. Ut est: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et: *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Porro si alicui insipida videtur talis lympha, noverit nullo vitio lymphæ istud sibi contingere, sed nimio palati sui stupore. Animalis enim homo non
B percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia siquidem est illi lex Dei, nec novit ex ea mentis ventrem salubriter replere, sed perniciose distendere. Spiritualis autem qui judicat & discernit omnia, cum nostro architriclino Paullo fideliter decantat: *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Et illud: *Scimus quoniam lex spiritualis est.* Quod si lex spiritualis est, ministratio Spiritus sit spiritualiter examinata, & ministratio mortis carnaliter discussa. Quamvis enim lex suapte natura sit vita, vitio tamen hominum mors fit, sicut idem Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit! Sed peccatum non agnovi, nisi per legem.* Et post pauca: *itaque lex quidem sancta, & mandatum*
C *sanctum & justum & bonum: Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit! Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Et rursus: *Invenio igitur legem volentem mihi bonum facere, quoniam mihi malum adjacet.* Tandem si sapienter audistis quæ præmisimus, resipiscite ab injuriis legis, quam sanctam, & mandatum sanctum & justum & bonum affirmat Apostolus: ne medicum demonstrantem morbos & curare volentem, videamini obruere lapidibus, tamquam phreneticus.

XL. Porro numerosa patrum conjugia, & ex tribu sua, atque carnalia sacrificia, & circumcisionis seu variarum purificationum cerimonias, ciborumque dif-
D ferentias, noveritis temporaliter carnalibus aut permissa aut jussa: ut eos talium jugo vel licentia mandatorum retineret, ne ad idololatriam seu ad cetera flagitia corruerent. Spirituales autem significatione bonorum futurorum quæ in his promittebantur, jugiter sublevaret, ut advenientia a longe conspicerent & devote salutarent. Quod licet hujusmodi observationibus pro loco & tempore viderentur nimium dediti, ut sua condescensione paullatim brutas plebes per signa traherent ad res: tamen quid in his senserint, ex his beati David dictis liquet: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Unde rursum ait: *In me sunt Deus vota tua.*
E Cujus personam suscipiens, carnali populo contestatur dicens: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Nonne huic & reliquis patribus aqua legis, colorem & saporem mutaverat, quæ pallida & insipida carnalibus apparebat? Quippe his frigebat, quæ illis sic calebat, ut jam tunc discipuli Jesu dicere possent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via & aperiret Scripturas?* Littera enim legis per Moysen data, carnales occidebat, cujus spiritus, gratia & veritate per Jesum Christum facta, spirituales vivificabat: ut illi timore temporalis mortis ac si frigore contracti, inde pallerent, unde isti amore æternæ vitæ, quasi calore vegetati



rubebant, & cum Paullo libere proclamant: *Plenitudo legis est dilectio*. In cujus duobus præceptis caritatis totam pendere veritas perhibuit. Quod si Deus caritas est, Deo procul dubio adversatur, quisquis aliquid legi Moysi subtrahere conatur, quam ipse totam in caritate perdere testatur. Quæ caritas gemina carnalibus & terrenis ceremoniis contecta, velut quidam bifulcus hamus vermiculis seu volaticis plumis insertus, & in pelagus humanæ captivationis cælitus demissus, vagos & vacuos cælestium homines, inescatos visibilibus, invisibili mucrone trajecit, & trajectos ad sinum angelicæ libertatis retraxit: dicentes Deo in canticorum canticis: *Trahe me post te*. Et: *Vulnerata caritate ego sum*. Sic dum homo adhæret Deo & homini proximus, decentissima linea, & tamquam aurea mandatorum divinorum catena, pariter ad paradisum retrahuntur.

XLI. Deinde quanta instantia Euphration Rhodiorum episcopus legem veterem contra Severianos hæreticos defenderit, ex subjectis verbis ipsius liquet: ubi inter nonnulla alia dixit: *Fundamenta domus præclaræ circa squalida loca sunt posita, ut ea quæ sunt superius nullas contumelias stercorum patiantur: superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibusque pictis, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora vero humori terreno vicina: degesta etiam superiorum universa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? Si auferimus inferiora, superiora corruunt: tamen si destruenda erant inferiora: non hoc alius poterat, nisi Dei filius facere. Videamus ergo utrum ipse destruxerit, hoc quod nos dicimus permanere. Putatis, inquit, quia veni legem solvere aut Prophetas? Non veni legem solvere, sed adimplere*. Et vos ergo saltem his & aliis proprii doctoris vestri vocibus revocati, ab injuriis sacratissimæ legis cessate: ne ab eodem & ab omnibus Catholicis anathema cum Severianis sitis.

XLII. Sed ne forte adhuc vobis nimium placeatis ex opinationibus vestris, cum nihil teneatis, diligentius recapitulemus dictum Apostoli, quem supra violenter ad vestrum suffragium attrahere tentastis. Quia ait: [a] *Si consummatio per sacerdotium Leviticum erat; populus enim sub ipso legem accepit; quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est, ut legis quoque translatio fiat*. In quibus verbis, sicut superius ostenditur, nil aliud intelligitis consummationem, nisi consumtionem, id est, abolitionem & finem, non qui perficit, sed qui interimit. Quod longe aliter esse idem Apostolus edocet dicens: *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti*. Unde quoniam aliter dicitur: finivi panem, aliter, finivi telam: accipiamus necesse est Christum finem legis, consummantem, non consumentem: perficientem, non annihilantem; complentem, non evacuantem. Quod finis ab initio sæculi promissus, & in fine exhibitus, dum penderet in cruce pro nobis sacrificium vespertinum & ultimum factus: sciens quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: *Sitio*. Qui cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est*. Et inclinato capite tradidit spiritum. Ubi certe nec Evangelista dicit; ut consumeretur, sed ut consummaretur scriptura. Nec ipse Dominus: consumtum est, sed consummatum est. Ad quam morientis vocem, velum templi scissum est usque deorsum, ut juxta Apostolum accedentibus ad Christum velamen usque tunc positum in lectione veteris Testamenti significaretur ablatum. Quæ consummatio non per Leviticum sacerdotium fuit, quia attestante Apostolo: *Nihil ad perfectum duxit*. Ex quibus Apostoli verbis, ne forte resumatis ansam calumniandi, attendite quia non dixit, nil boni fecit lex, sed, nil perfecit. Habuit enim, ut idem Apostolus ait, justificationes culturæ & sanctum sæculare, & tabernaculum manufactum & pontifices præsentium bonorum, qui per alienum sanguinem semel in anno introeuntes sancta sanctorum, sanctificabant inquinatos ad emundationem carnis. A quibus munera & hostiæ offerebantur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemtione inventa, quando per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, & mundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Equidem secundum legem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: qui solus proprio sanguine semel æternam redemtionem perfecit, quam illi alieno sanguine incessanter imitantes, imperfectam repræsentabant. Quæ ut accessit, omnis ille sacrificiorum seu cerimonialium carnalium cursus jure conquievit. Neque enim deinceps pluribus sacrificiis indigemus, quia in uno æternam redemtionem invenimus, quæ per Leviticum sacerdotium incepta, per pontificatum Domini Jesu constat perfecta, qui non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech ideo sacerdos dicitur, quia panem & vinum offerendum atque sumendum in veritate carnis & sanguinis sui constituit fidelibus suis. Cujus generatio inenarrabilis de patre, sine matre, de matre, sine patre: nec initium dierum nec finem habens, solus verus rex justitiæ & pacis. Cui quia convenientius assimilatur Melchisedech, non solum ex uno sacrificio & genealogia, sed etiam ex prænomine, quam Aaron, dicitur sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech, non secundum Aaron. Denique Melchisedech ille, nec corpus & sanguinem suum in pane & vino divinitati obtulit, nec sine parentibus aut initio & fine fuit, neque substantialiter rex justitiæ & pacis: sed quod hæc omnia scripturæ de illo homine aut tacuerunt aut dixerunt, in manifestiori significatione nostri Melchisedech: cujus ille sicut & Aaron umbra, non veritas fuit. Ad quem translato sacerdotio, necesse est ut legis quoque fiat translatio, a littera scilicet occidente, ad spiritum vivificantem, a vetustate ad novitatem, ab imperfectione ad perfectionem, a servitute ad libertatem, & filiorum Dei adoptionem, a Judæis ad gentes, quibus Apostolus ait: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater*. Quia utique lex translatione est alterata, non facta alia: immutata, non est mutata: accessu gratiæ cumulata, non est recessu suo exinanita. Sicut Dominus suis inquit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum &*

[a] Hebr. VII, 11.

Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. A Numquid dixit: nisi reprobaveritis aut omnino reliqueritis justitiam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum? Sed quoniam justitia illorum erat tantum a malo opere abstinere: voluit Dominus in hoc suorum justitias superabundare: ut non solum malum ab opere, sed insuper a cogitatione satagerent resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere, nec mœchari: istis autem super hoc ex gratia optimum & perfectum, non irasci, nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit: gratia vero etiam radices ejus evellit. Et sicut in resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ & non aliud reformabitur, sic & lex ipsa per Evangelium reformata in toto mundo præ- B dicatur. In qua utique reformatione quamvis plurimum decus augeatur naturæ, tamen integritas in nullo aufertur, quando, ad similitudinem grani, seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, & seminatum in infirmitate, surget in virtute. Hac quoque reformatione cælum & terra transibunt, non interibunt, transferentur, non auferentur. Nec moveamur a nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis sacramenta exhorret animalis sensus: quandoquidem ipsius sancti Evangelii nonnulla mysteria exhorruit hactenus, in tantum, ut Domino dicente: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; etiam maxima pars C discipulorum ejus ab eo discessissent, dicendo: *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* Præterea novum Testamentum ideo dicitur, quia procul dubio æterna sunt quæ pollicentur, sicut mali supplicium æternum. Nam quantum ad recitationem seu conscriptionem, ipsum Evangelium in novissimo die omnino præteribit: ubi deinceps nec scriptura aliqua necessaria erit.

XLIII. Ceterum si ad rem pertineret, monstraremus non mille quadringentos annos tantum, sicut scripsistis, sed mille quingentos & amplius annos ab institutione azymorum per Moysen usque ad passionem Christi decurrisse. Sed cum nostræ intentio- D nis sit, Romani ritum sacrificii approbare, Chronographis relinquimus opinionem vestram præfato annorum numero reprobare. Itaque si azyma, quemadmodum astruere conamini, per Christum & ejus Evangelium fuerunt maledicta, reprobata & derelicta, & ideo deinceps non debere offerri in sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Judæis: sciatis fermentatum quoque constitutum per Moysen Judæis. Sicut in Levitico dicit: *Hæc est lex hostiæ pacificorum: Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.* Idem Moyses in eodem: *In pentecoste offeretis ei panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, quos conqueris in primitias Domino: offeretisque cum* E *panibus septem agnos.* Sal quoque, quem tantopere prædicatis in fermento, per Moysen ita constituta Judæis in Levitico: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.* Quapropter si a nobis non debent offerri azyma quia Mosaica sunt, nec a vobis debent offerri fermentatum & sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia ab Apostolo audientes: *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova*, insipienter putatis omnia veteris Testamenti reprobata, & penitus destructa & ad nihilum redacta sacramenta: hinc jam perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Denique si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, & cetera sancti ministerii vasa seu ornamenta aut vestimenta sacerdotalia? Unde vobis encænia, pentecoste & pascha seu Quadragesima? Unde vobis pontifices, sacerdotes & Levitæ ac reliqui ecclesiastici gradus ex ordine? Unde primariæ & decimæ? Postremo, unde vobis dilectio Dei & proximi? ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo secundum vos ita nova facta sunt, ut vetera relicta sint omnino, & per Christum maledicta: abjiciantur procul dubio ab ejus Ecclesia, quæ supra diximus omnia, & plura quæ reticuimus alia, & veteribus contraria fiant jam nova. Odio habeatur Deus & proximus, pater & mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mœchentur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent, conjugia nulla sint, omnis homo ad proximam sanguinis sui, & quæ ei affinitate jungitur, accedat. Ad summum quoque, nec comedatur, bibatur nec dormiatur, sed relinquatur quidquid vetus Testamentum exhibuit & exercuit, tam in cultu divino, quam in usu humano, & videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, immo ab eo quod est aliquid transibitis ad nihil. Nos potius catholica aure intendentes tanto Apostolo dicenti: *Si qua ergo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova*, corde credimus & ore confitemur, vetera a vetere homine transeundo ad novum hominem Jesum Christum, nova facta esse, quemadmodum idem Apostolus mox secutus curavit declarare: *Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum.* Cujus singulari novitate innovantur omnia cælestia atque terrestria: quando quidquid ad cultum Dei seu ad commodum sui vetus ille populus cælitus acceperat, ad novum translit. Qui ideo novus dicitur, quia ab umbra ad veritatem, a signis ad res, a timore ad amorem, a servitute ad libertatem, a filiis iræ ad filios gratiæ, a carne ad spiritum est translatus. Unde dicit Apostolus: *Vos non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Et quomodo in carne non erant, quos epistolis instruebat, nisi secundum quod ipse ait: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hinc rursus inquit: *Nemo vestrum sibi vivit, & nemo sibi moritur.* Et: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Sic itaque nobis & omnibus in novitate spiritus ambulare satagentibus, nova facta sunt omnia, templa scilicet & altaria, sacerdotes, sacrificia, candelabra, turibula, cibus & potus, & quæque carnalis Israel tam in supellectile quam in mandatis retinebat, vetera ut eadem & non eadem sint omnia, instar utique aquilæ, quæ dum naturaliter renovatur, juventus eidem accedit & senectus, non substantia ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Judæorum, quos ad umbram veritatis observandam & captandam, sola promissio & desiderium terrenæ felicitatis invitabat: ut est longævitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum & cetera. Nos vero corpus veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinentes, ore & corde prægustamus jam quam suavis est Dominus: unum petentes ab ipso, & hoc requirentes, ut maneamus in eo, & ipse in nobis, in æternum. Sane si mutare vultis fermentato azymum, mutate quolibet aliquo liquore vinum: quo, sicut ex azymo, Christus & vetus pascha finivit, & novum inchoavit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abjicitis?

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1054.



XLIV. Quod vero passio & mors Christi convenientius annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit: & quod in lege panis afflictionis dicitur: ut per hoc præmoneamur affligere animas nostras, & pariter offerre sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, illud Apostoli recolentes: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini*. Et: *Si compatimur & conregnabimus*. Porro quæ per legem fuerunt usque ad tempus correctionis imposita carnalibus Judæis, Paullus breviter colligens, ait: *Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & justitiis carnis*. Carnales ergo victimæ atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima erat circumcisio, & ceteræ justitiæ carnis, ut est, differentia ciborum, festivitas tabernaculorum, non arare in bove simul & asino, nec serere agrum diverso semine, & his similia: quæ nihil sanctitatis conferebant conscientiis, excepta devotione obedientiæ & admonitione spiritualis munditiæ, data sunt usque ad præfinitum tempus a Patre, quando per Filium suum factum sub lege, redemit eos qui erant sub lege. Cujus carnales justitias evadens idem Apostolus ait: *Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & non solum detrimenta, sed etiam stercora, ut inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide Jesu Christi*. Quod Colossensibus quoque denuntiat dicens: *Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum*. Hactenus defendisse legem Moysi & azymum Eucharistiæ Christi sufficiat. Jam discutiamus vestra quæ restant.

XLV. Constantinopolitanus. Sabbata vero quomodo in Quadragesima judaice observatis? Aut non audistis in Evangelio dicentem, quia transeuntes discipuli in sabbatis cœperunt iter agere, evellentes spicas & comedentes? Dicebant autem Judæi ad Christum: *Vides quid isti faciunt in sabbatis*? Qui dixit: *Etiam*. *An nescitis quid egerit David, cum esuriret ipse & qui cum eo erant, quomodo intravit in templum, & panes propositionis comedit*? & cetera. *Et quia sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum*. Qui & dicebant: *Quomodo homo iste est ex Deo, qui sabbata non custodit*? Et iterum loquente Christo in sabbato ei qui manum aridam habebat; similiter & ei qui dæmonis spiritum habebat in sabbato mundato, & murmurantibus Judæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ, unusquisque vestrum non solvit asinum a præsepi, & bovem suum in sabbato ducit adaquare*? Et paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

XLVI. Romanus. Quod nos sabbata nec intra nec extra Quadragesimam judaice observamus, sufficienter monstratur superius. Vos autem si non judaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis? ne cum Judæis feriati & epulantes jejunium Christi in sabbato dissolvatis. Unde testimonia evangelica quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos, ut discipuli Jesu, non solum iter agimus in sabbato & spicas evellimus, sed insuper piscamur, & quidquid oportet operamur, & hora competenti comedimus. Vos quod legitis discipulos spicas transeundo comedisse, a luce prima in vesperum studetis variis deliciis & multo mero crapulam continuare. Nec mirum. Cum istic quoque obliti etymologiæ vestræ ex nomine, quod est ἄρτος, dixistis David comedisse panes propositionis: id est, τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, quos negare non potestis fuisse azymos, si qua scientia veteris legis remansit apud vos. Deinde quoniam sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Nullo convivio aut otio honoratur apud nos tamquam dominus, sed onoratur jejunio & labore, veluti devotus servus dominica sepultura occupatus. Mox succedente die quam specialiter fecit Dominus, solemniter exsultamus & lætamur, quia in ea Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors ultra illi non dominabitur. Qui etiam pro custodia sabbati, non timemus a Christo notari hypocrisi, quoniam in eo non tantum manum aridam, sed & totum corpus curandum offerimus Deo, & medicis. Nec tantum bovem, & asinum solvimus a præsepio, & ducimus adaquare, sed etiam arare. Ast vos volentes esse legis doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, assertionem vestræ opinionis sic conclusistis.

XLVII. Constantinopolitanus. Et ideo qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Judæi sunt, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

XLVIII. Romanus. O mirabilis Græcorum philosophia! o ars Pelasga! o Atheniensis & Academica perspicacia! Unde tibi tantus stupor & vertigo repentina? Vere triplici fune lingua tua divinitus est ligata. Nam Græci sapientiam quærunt, quam simplex prædicatio Christianæ fidei stultam effecit, sicut Dominus repromisit: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus sæculi?* qua stultitia vos repleti, nec secundum divinas paginas definivistis aliquid, & magnum Basilium secundum humanas monstratis definivisse nihil. Falsissimum enim est, ut qui sabbata & azyma custodiunt, nec Judæi nec Christiani sint. Quia verissime Judæi sunt qui sabbata & azyma custodiunt carnaliter. Sed & illud in infinitam dubietatem recidit, nec ullo modo consequens erit, ut leopardus sit tantum, cujus capilli nec nigri nec albi sunt: quia præter hunc innumerabilia animalia sunt, quorum pili nec albi nec nigri sunt. O egregii scrutatores divini eloquii! o dociles discipuli magni Basilii, ex cujus præclaro fonte nihil nisi lutum haurire prævaluistis! cum hinc inde vobis resonaret rivus ille cælestis lactis æterni mellis, Romanam & occidentalem Ecclesiam vocans dominam & obsecrans succurrere perditioni Orientis. Nunc gratis subvertere Latinam Ecclesiam molientes, armamini contra nos, quasi Basilii sententia, quæ multo vecordior invenitur illa ridicula Tiresiæ prophetia: *Quidquid dicam aut erit, aut non*. Nempe accidit vobis illud satyrici proverbium:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Atque utinam tacuissetis, ut putaremini sapientes, ceu Sapientia dicit: *Stultus si tacuerit, sapiens putabitur*. Modo autem stultitia vestra omnibus nota est. Hinc reliqua perspiciamus.

XLIX. CONSTANTINOPOLITANUS. Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? aut nescitis ut omnis animalis sanguis, anima ipsius sit, & qui comederit sanguinem, animam comedet? Et idcirco secundum hæc nec gentiles ex toto sunt, illi occidunt aut plagantes comedunt.

L. ROMANUS. Cur ex lege istud secundum vos per Christum maledicta & derelicta, mandatum nobis opponitis? Numquid vobis solis licet quidquid libet, ut modo ad legis patrocinium humiliter recurratis, & modo ab ea superbe tamquam anathematizata resiliatis? Nonne vetus lex & non Evangelium interdicit, ut omne suffocatum & captum a bestia non comedatur? *Quia anima omnis animalis in sanguine est*. Constat utique hoc mandatum ex illis esse, quæ carnali populo ad qualemcumque munditiam seu justitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis data sunt ad tempus. Est enim de cibo: unde Apostolus dicit: *Nemo vos judicet in cibo*. Ac si aperte diceret: Nemo vos velut Judæos discernat ab his inter quos habitatis, in differentia scilicet ciborum, & in reliquis, quæ idem Apostolus adjecit. Quod autem heic, *judicare*, dixerit discernere, in Epistola ad Romanos liquet, ubi de diverso jejunio quorumdam loquens ait: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem*. Quapropter sicut idem ait: *Alius credit se manducare omnia*. Is qui non manducat quædam, observans morem suæ patriæ & provinciæ, & præcepta majorum suorum, manducantem non judicet. Tu enim qui es, qui judicas alienum servum, qui salva fide & pura conscientia comedit, quidquid a majoribus suis comedendum accepit? ut enim Dominus ait: *Non quod in os intrat coinquinat hominem*. Et secundum Apostolum: *Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia*. Quod Romanis denuntians ait: *Scio & confido in Domino Jesu, quod nihil commune per ipsum, nisi qui existimat quid commune esse, illi commune est*. Et post pauca: *Qui discernit, si manducaverit, condemnatus est: quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est*. Sed quamvis omnia munda sunt, tamen, secundum eumdem Apostolum: *Malum est homini, qui per offendiculum manducat aliquid*, quod frater modicæ fidei & adhuc infirmus in fide credit immundum, & propter hoc non comedendum. Cui condescendere debemus in abstinentia escarum hujusmodi, ut possimus eum Domino lucrari: ne religionem Christianam, pro aliqua esca incipiat abominari: & cibo nostro perdatur frater, pro quo Christus mortuus est.

LI. Nos ergo quamvis a Domino & ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia, quæ nec nostræ, nec fraternæ saluti officiunt: consuetudine tamen provinciarum & præceptis majorum nostrorum hactenus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso horrent. Nonne draco populis Æthiopum in esca datus dicitur? Et nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur. Cur hoc? Nisi quia unaquæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumsit, quædam rejecit. Unde nos quoque absque culpis in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus & ex aliis quæ exsecramur animantibus, assumta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscumque medicina, hoc fame pereunti qualiscumque esca. Et sicut abominandus infirmus non est, artificialiter refectus sanguine & cadavere aliquorum reptilium; sic nec fame tabescens, si sanguine & suffocato naturaliter sustentat miserabiles artus, potens etiam ad litteram cum beato Job dicere: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*. Omnis enim creatura Dei bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et vos peregrinos, egenos & pauperes Christi, nec inter gentiles computatis, quibus nil est mundum, quia aliquando qualicumque cibo retinent a Deo sibi datum præsentis vitæ munus? Quare non potius signatæ arcas pecuniæ & promtuaria eructantia ex hoc in illud aperitis, & dispergitis pauperibus, ut justitia vestra maneat in æternum, & jam non sit eis necessitas præsumere cibum insolitum? Nunc autem usuris & oppressionibus miserorum ditati & elati, calumniamini, si egens omnium sustentetur aliquo, quod vos impinguati & crapulati abominamini: non attendentes Dominum misericordiam malle quam sacrificium. Qui primo mensis hominum post cataclysmum amovit aliqua, quasi immunda, cum utique omnia fecerit valde bona, & rationalis creaturæ vitium abominabile sit apud Deum; non quælibet irrationalium creaturarum: voluntas quoque hominum aliquando sibi quædam vendicat, aliquando alienat. Ceu Romani paucis annis ante Constantinum Magnum porcinæ carnis esum per Aurelianum imperatorem sibi vendicarunt. Et Græci usque nunc ursinam alienant. Et certe si humanum super his interrogetis judicium, immundior erit porcus reptilibus, sordibus atque reliquo suo pabulo. Sed sive nos, sive vos, quod a majoribus nostris accepimus, aut usu tenemus comedendum, sic observemus, ut is qui non manducat, manducantem non spernat: & qui manducat, non manducantem non judicet.

LII. Considerate tamen ad quantam stultitiam devoluta sit vestra scriptura & sapientia, quæ cum ab hominibus exquirere deberet finem præceptorum Dei, id est caritatem de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: non solum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem ursinam. Cujus usum quamvis non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis: quibus evangelica & apostolica auctoritas omnia edenda constituit.

LIII. Nec hoc dicentes suffocatum & sanguinem nobis contra vos defendentibus: antiquam enim consuetudinem seu traditionem majorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur: adeo ut sanguinem vel quocumque morticinio aut aquis seu quacumque negligentia humana præfocato, apud nos aliquando vescentibus absque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponatur: pro eo maxime, quia antiquas consuetudines & traditiones majorum, quæ non sunt contra fidem, leges apostolicas arbitramur: nam de ceteris, quæ aucupio aut canibus seu laqueo venantium moriuntur, Apostoli præceptum sequimur: *Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Domini est terra & plenitudo ejus. Quod etiam in convivium gentilium vocatis concessit dicens: *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam & vultis ire: Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Dominus quoque pro mercede prædicatoribus suis pro-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



videns alimeniam dixit eis: *In domo recipientium vos manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Ecce Dominus non dixit quædam apud illos comedite, sed indifferenter, *quæ apud illos sunt.* Quapropter omnis homo scientiam habens, si simpliciter edit & bibit, quidquid in macellum venit, aut quod sibi apponitur, nullatenus est culpandus, nisi inde aliquam immunditiam conscientiæ suæ contrahat. Quia non quod intrat in os, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. Nec esca aliqua est in vitio, sed immoderatus appetitus. Verum ne scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune vel immundum esse; si quis dixerit hoc suffocatum est, vel morticinium, non est comedendum, ut Apostolus de idolothyto ait: *Si quis dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter eum qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Multa siquidem usu aut traditione majorum ita observamus, ut aliter facientes omnino abhorreamus, sicut est, non lotis manibus manducare. Quod quamvis juxta sententiam veritatis, non coinquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominem, non lotis manibus manducantem.

LIV. Sed forsan dicturi estis: non solum in veteri, sed & in novo Testamento ab Apostolis traditum gentibus, ut abstineant a sanguine & suffocato. Nec nos nescimus, tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata Apostolos observasse scimus, quando adhuc quasi in matutino crepusculo tenebræ & lux confulgebant, & intuentium oculos, nunc huc, nunc illuc reducebant. Sic Apostoli in Judæa commorati aliquando claritate Evangelii expergefacti, ab umbra legis recedebant, aliquando necessitate vel consuetudine torpentes in eam recidebant. Denique forte associarunt sibi Matthiam, & templum in quo adhuc sanguis animalium offerebatur, orationis gratia frequentabant. Ipse quoque vertex apostolorum Petrus, modo cum gentibus comedebat, modo ab eis timens se subtrahebat. Cujus coapostolus Paullus, quamvis dixerit Galatis: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, tamen dilectum discipulum propter subintroductos falsos fratres circumcidit, & cum aliis purificatus in templo sacrificium legis exhibuit. Sed ubi ab angustiis Judææ exclusi amplitudine gentium fuere potiti, mox quasi catenis servitutis palam erepti, quotquot ad spiritualem gratiam attrahebant, a carnalibus ceremoniis legis avertere non cessabant. Quod procul dubio ex præcedentibus & subsequentibus verbis Paulli intelligitur, ubi sic protestatur: *Spiritus manifeste dicit: quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognoverunt veritatem. Quoniam omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ecce tantus Apostolus, raptus usque ad tertium cælum & in ipsum paradisum, proclamat omnia munda mundis, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei & orationem sanctificatur. Et vos qui estis, qui attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquimini mendacium, scripta Latinis populis destinantes, ut relinquant mandata Dei, & quæ graviora sunt legis, judicium scilicet & misericordiam & fidem, & sequantur traditiones & opiniones vestras, quasi nullos usque nunc habuerint prædicatores ac patres, ac necesse habeant a vobis doceri, quæ sint elementa sermonum Dei?

LV. Nempe inter alia ignaros omnium conamini instruere, quid & qualiter præparatum comedant, & eos asseritis nec gentiles esse, nec Judæos, nisi obediant. Quia ut dicitis, gentiles occidunt, aut plagantes comedunt: quasi Latini soliti sint animalia viva aut integra comedere. Numquid archimagiri omnibus nationibus delegati estis? Et si forte alicui fame deficienti animæ obsonium vel victus desit, avis autem & ovis adsit, sed ferrum absit, satius erit eum inedia deficere, quam quovis ingenio ea mactare & comedere? Itaque doctrinis variis & peregrinis nolentes abduci: *Scimus & confidimus in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*, sicut Paullus dicit. Deinde optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Sed jam insistamus reliquis.

LVI. CONSTANTINOPOLITANUS. Etenim Alleluja in Quadragesima non psallitis, sed semel in pascha tantummodo, quod interpretatur *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, & benedicite eum.* Ergo secundum hoc neque *Laudate*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluja hebraice dictum est.

LVII. ROMANUS. Scimus Alleluja hebraice dictum, & latine interpretari *Laudate Deum*, sed quod etiam, *Dominus venit*, aut, *Benedictus qui venit*, interpretetur, nescimus, nec nisi a vobis hactenus audivimus. Porro ipsum Alleluja, sicut calumniamini, non solummodo in pascha cantamus, sed omnibus totius anni temporibus, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere a patribus nostris accepimus: scilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum idololatriæ in seipso puniturus, & Ninivitæ pœnitentiam in prædicatione Jonæ acturi, omnem ornatum suum & delitias deposuerunt, & saccum & cinerem sibi imposuerunt, nec tam peregrinis verbis ac exquisitis seu dulcisonis melodiis, sed propriis sermonibus & incompositis, sive amaris ejulatibus ad Dominum clamaverunt: sic & venerabiles patres nostri agere consueverunt. Unde ornamenta & delitias divitis linguæ, tempore quadragesimæ deponentes, peuperrimum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, & stulti facti propter Christum, nihil nos scire judicamus, nisi ipsum crucifixum. Cujus districtum præ oculis habentes judicium vinculati & gravati peccatis: tanquam idiotæ, vix audemus vel in nostro idiomate interpellare Deum. Nam ex libro Sapientis didicimus: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*. Et tamen tunc jugiter hymnum dicimus Domino, atque *Benedictus qui venit*, psallimus, & omnem creaturam ad laudem ejus die noctuque invitamus dicentes: *Laudate Dominum*, sed, ut prædiximus, patria voce tantum. Tunc quoque alium angelicum hymnum intermittimus, id est, *Gloria in excelsis Deo*. Denique hi duo solummodo hymni ab Angelis in novo Testamento inveniuntur decantati. *Alleluja*, scilicet, & *Gloria in excelsis Deo*. Quos pariter in Septuagesima intermit-

timus: quia peccato veteris hominis a conventu angelicæ jubilationis expulsi in hujus miseræ vitæ Babylonem; super flumina ejus sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus: dicentes adversariis nostris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Si quidem vetus homo, vetus & non novum canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam, quæ significatur per Quadragesimam, renovetur in agnitione secundum imaginem ejus qui creavit eum, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Nec tamen *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, in quadragesima intermittimus, quamvis sit hymnus angelicus & in novo Testamento decantatus, qui & in veteri prius fuit dictus, fidem videlicet perfectam patrum humiliter Deo offerens, nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic & nos interim in hac nostræ peregrinationis Quadragesima, scientes nos per fidem & non per speciem ambulare, sed sola fide apud Deum præsumimus supplici confessione dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*: cui de operibus diffidentes, cum Psalmista proclamamus: *Non intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

LVIII. Quod autem novem hebdomadibus *Alleluja* intermittimus, non incongrue per novem hebdomadas novem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo per superbiam corruens, angelicum numerum imminuit, & felicitatem perturbavit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, a perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi & consolationi consulens omnipotens creator primum hominem de limo terræ formavit, qui sui generis multiplicatione damna cælestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe angelicus chorus ad modicum exhilaratus, nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Unde ille novem ordinum concentus in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille protoplastus. Ibi augmento sui collegii & meliori spe angelicus exercitus gavisus, in novum *Alleluja* consurrexit totus, & in eo perstat devotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, a Septuagesima, quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluja* novem hebdomadibus intermittimus, scilicet in pascha, ubi Christus resurgens a mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & *Alleluja* reddit. Quod utique si non aliquando Latina Ecclesia decantaret, reprehendi a vobis non deberet: cum tamen in sua lingua laudem Domini personaret. Nunc quæ sit ista vestra superbia miramur, quæ latrat, Latinos non pertinere ad Deum, si hebraice aut græce non persolvant & hymnum & debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter cofiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. Ipsa quidem cum Hebræa & Græca titulum crucifixi Domini complevit, & quæ erat novissima, facta est prima: ferro & fide usque ad adventum maligni Antichristi & benigni Jesu Christi defendens sibi terrenam & cælestem potestatem. Hinc jam diu calumiis vestris reluctati, breviter attingamus intentionem vestri epilogi.

LIX. CONSTANTINOPOLITANUS. Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos, sicut qui debentur judicari a Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quoniam hoc Petrus & Benedictus & Paullus & ceteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus & Paullus & ceteri Apostoli & Christus docuit, & sancta atque catholica Ecclesia suscepit & custodit religiose, quæ & vos correcti custodite.

LX. ROMANUS. Sicut sufficienter monstratur superius, converso ordine & versa vice procederent hæc rectius: scilicet si vos seductos, seductores & mature judicandos a Domino diceremus. Quia volentes esse doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, sanctorum Apostolorum & Catholicorum puram doctrinam, humana præsumtione fermentatis, omnino decipientes vos & alios in istis. Quæ autem nunc vobis scripsimus, Christus docuit, & Apostoli ipsius, quæ ab eis & a sanctis patribus sancta & catholica suscipiens Ecclesia, religiose observat hactenus, quæ & vos correcti observate, si non vultis a Christo anathema esse. Porro Benedictus monachorum pater egregius in nullo a vobis est detrahendus, quia fide, doctrina & vita præcipuus, nec ad dextram nec ad sinistram aliquando declinavit a recta via, nec terminos quos patres posuerunt, est transgressus, nec leopardum curavit definire, sed regulam discretione plenam cœnobitis tradere. In qua & si constituit esum carnium infirmis, & fœmoralia in itinere positis, absit tamen ut arbitraretur, hæc duo pejora esse fornicatione, quam quidam vestratium adeo sibi defendunt, ut publice profiteri nec erubescant nec metuant, tale esse fornicari, quale est quolibet pomo vesci & refici. Unde & fornicantes Sarabaitas venerantur: cæsmoralibus vero & carnibus in necessitate utentes cœnobitas omnino detestantur. Sed quid dicit Propheta? *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum.* Numquid vas electionis beatus apostolus Paullus alicubi definit: Neque carnibus aut fœmoralibus utentes, regnum Dei possidebunt? Qui tamen plerisque locis vehementer inculcat dicens: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Item: *fornicatores & adulteros judicabit Deus.* Et: *omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

LXI. CONSTANTINOPOLITANUS. Azymas vero & custodias sabbatorum projicite miseris Judæis. Similiter & suffocata barbaris gentibus, ut fiamus puri omnes in immaculata & in recta fide, & unus grex unius pastoris Christi. Cujus in cruce divino sanguine inebriati, laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum: universa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Judæis. Qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in umbra sicut insipientes perpetuo.

LXII. ROMANUS. Superius monstravimus copiose, nec sabbata vel azyma nos judaice observare: nec suffocata gentiliter manducare, sed apostolicam catholicamque fidem, principaliter retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter fugere ad unum unius summi boni pastoris ovile, qui posuit animam suam pro ovibus suis: quas vocem suam, non alienorum recognoscentes & sequentes, carne sua instanter cibat & sanguine potat, ut corde, ore, & opere collaudent sanctam & individuam Trinitatem. Unde super omnia dolemus veteres anias vestro de pulmone hactenus non potuisse revelli.

SÆCUL. XI CIRCA ANN. CHR. 1054.



De quibus in actibus Apostolorum dicitur : *Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi ad discere aut audire aliquid novi*. Sed jam profanas vocum novitates devitando, veterem pelliculam quantocius abjicite, ne, quod absit, dicatur vobis sponsi voce : *Si ignoras te, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*: illos scilicet, quos ipse pastor in fine a sorte humilium ovium separat: quia lascivi & petulci, hic se vi superbiæ exaltare non cessant.

LXIII. Deinde si universa Mosaicæ legis relinquimus Judæis, nulla honestas aut sanctitas remanebit nobis : ceu ex superioribus recolligere potestis. Relinquantur ergo eis sola carnalia mandata, & sanctum sæculare, in quibus cæci quærunt quid invenire, dum umbram sectantes, exsulant a luce. In qua umbra numeratur & sabbatum vestrum Apostolo dicente: *Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum*. Porro sicut sine Deo sunt Judæi, sic & omnes hæretici. Verum ne quid sit minus, quod sequitur attendamus.

LXIV. CONSTANTINOPOLITANUS. Hæc autem hujusmodi multotiens & ipse cum populo agnoscens docuisti eos, & correctus scripsisti multis talem consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum & sacerdotibus, & adjura ut per hæc seipsos corrigant & populum, ut mercedem & in istis habeant. Et si hoc feceritis, propono & per secundam scriptionem majora & perfectiora his scribere tibi fidei vera ostensione & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam.

LXV. ROMANUS. O viri cordati, perpendite heic & cavete hæreticorum callidam subreptionem ; qui per benedictiones & dulces sermones seducunt corda innocentum. Ecce his specialiter Tranensem episcopum Joannem, cui talia scripsistis, alloquentes, oleo peccatoris caput ejus impinguare satagitis, dicentes : *Hæc autem hujusmodi multotiens cum populo agnoscens docuisti eos, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus*. Sed nos e contrario per Salomonem dicimus vobis : *Os quod mentitur occidit animam*. Neque enim præfatus episcopus correctus a vobis aliquando talia populum docuit, aut cuiquam super his scripsit. Quod si fecisset, correctus a nobis fuisset; cur correptus non autem correctus a vobis talia præsumsisset? Sed ille qualiscumque sit in opere, sanus tamen hactenus exstitit in orthodoxa fide juxta capacitatem suæ intelligentiæ. Unde nullis vestris susurrationibus acquiescens, adhuc persuaderi non potuit, ut alicui sacerdotum has vestras nænias pro correctione illorum & populi cum adjutoribus mitteret. Et ipse non solum nullam mercedem in his haberet, sed insuper gradus sui periculum incurreret. Cui etiam, si vobis in vestris nugis obediat, aliud mercedis repromittis : scilicet vos secundo ei scriptum ire majora & perfectiora his, vera fidei ostensione, ac firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. In quibus plane promissis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum sermo sicut cancer serpit, & pollicetur curiosis fastigium perfectæ scientiæ, ut pertrahat ad barathrum extremæ stultitiæ. Quorum vanitatem Sapientia Dei per Salomonem proprie demonstrans ait: *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, in excelso urbis loco, ut vocet transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Quis est parvulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est: aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sunt, & in profundis inferni convivæ ejus*. Hic plane hic vestri efficax depictor est, qui majora & perfectiora ad ostensionem fidei & firmamentum animarum pollicemini invitando parvulos & vecordes ad aquæ furtivæ dulcedinem, & panis absconditi suavitatem. Vere omnino aqua furtiva est, in qua rebaptizatis Latinos catholice baptizatos, quod nullus Catholicus adhuc præsumsit scilicet ut rebaptizaret aliquos, in nomine sanctæ Trinitatis ab ipsis etiam hæreticis baptizatos. Vere omnino ad nescio quem panem absconditum invitatis, quando vivifica & terribilia sacramenta corporis & sanguinis Jesu Christi profanis pedibus conculcatis.

LXVI. Hæccine sunt illa majora & perfectiora, ut tanta oblatio imponatur altari, quanta nequeat a ministris, vel a populo sumi, & idcirco debeat subterrari, aut in puteum ad hoc præparatum projici? Hæccine quoque sunt illa majora & perfectiora, ut novus maritus & recenti carnis voluptate resolutus & totus marcidus Christi ministret altaribus, & ab ejus immaculato corpore sanctificatas manus, confestim ad muliebres transferat amplexus? Hæccine sunt illa perfectiora, ut mulieribus Christianis in partu vel in menstruo periclitantibus communio denegetur? aut paganis baptismus interdicatur? & parvulis morituris ante octo dies regeneratio per aquam & Spiritum sanctum subtrahatur? In quo utique crudeliores Herode, non tantum in corpore sed & in anima quotidie trucidatis parvulorum innumerabilem populum, & destinatis ad ignem æternum. Numquid etiam inde est quod hominis morituri imaginem affigitis crucifixæ imagini Christi, ita ut quidam Antichristus in cruce Christi sedeat ostendens se adorandum tanquam sit Deus? Numquid & illud inde est, quod pejus sit monachos fœmoralibus indui & carnibus vesci, quam fornicari? Ideone clauditis Ecclesias Latinorum & dirigitis scripta per totum orbem, ut ad hæc majora & perfectiora pertrahatis omnem Christianum populum? Non sunt hæc talia ostensio veræ fidei, sed adinventio diaboli. Nec sunt firmamentum, sed destructio animarum. Pro quibus omnibus & aliis, quos longum est scripto prosequi, erroribus, nisi resipueritis & digne satisfeceritis, irrevocabile anathema heic & in futuro eritis a Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Christus animam suam posuit.

EXPLICIT RESPONSIO.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1054.

INCIPIT

CUJUSDAM NICETÆ PRESBYTERI ET MONACHI MONASTERII STUDII LIBELLUS, CONTRA LATINOS EDITUS,

Et ab Apocrisariis apostolicæ sedis Constantinopoli repertus.

I. NIceta presbyter & monachus monasterii studiorum, qui prænominor Pectoratus: Romanis de azymis & sabbatorum jejuniis, & nuptiis sacerdotum. Bona est dilectio ad proximum: o omnium gentium sapientissimi & nobilissimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, & humilitas abundat ad eum qui habet illam. Ipsa autem abundans efficit participem sui, omnia diligere, omnia sustinere, ut ait divinus Apostolus, & non inflari adversus proximum suum aliquando, neque ea quæ ipsius solius sunt quærere, aut zelum habere adversus eum & altercationem & æmulationem. Omnia enim hæc dilectionem persequuntur & humilitatem, & faciunt hominem non secundum Deum ambulare, sed secundum hominum libitum. Quod & Paullus arguit dicens: *Cum sit inter vos zelus & contentio & discordia, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Propter quod rogo vestram caritatem, humiliari vos propter Dei præceptum, & audire a nobis indignis & minimis.

II. Requirentes enim ab illis qui ex diversis provinciis Romanorum peregrinantur heic de azymis, quid dicemus de his in dilectione Christi ad vos? Qui azymorum adhuc participant sub umbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem & vivam Dei mensam, & nobis qui credidimus supersubstantialem, quemadmodum superius exegete supersubstantialem docti sumus panem. Quid enim est supersubstantialis, nisi quia nobis est consubstantialis? Alter autem nullus est nobis consubstantialis panis, sed corpus Christi, quod consimile nobis est secundum carnem humanitatis ipsius. Si autem animata est nostræ massæ substantia, qua Verbum induit se: ergo non substantialem nobis panem comeditis, quia azymorum participamini. Azyma enim inanimata sunt, sicut ipsa rerum natura declarat atque liquidius edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farina & commixta sibi, ipsa unam efficit seipsam propter fermentum, vivifica quadam virtute, & calefacit eam, & mobilem quam vivam operatur. Quod in azymo fermento Pharisæorum, quod effugere nos Sermo admonet, neque effectum est aliquando, neque fiet omnino. Divinæ enim effecti sumus participes naturæ, cujus & participamur quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit & Petrus vertex: *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Jesu Domini nostri.* Et post pauca: *Ut per eam efficiamini divinæ participes naturæ*, non autem fermento azymi interfectorum Dei. Divinam autem naturam, quisquis rationis est dominus, dicet aliquando azymum, & mortuum fermentatum Judæorum, quod in sacrificio vos Deo A offertis, quod in figura veræ & vivæ carnis Domini comeditis? Quomodo unitatem habebitis cum Christo, vivente Deo, mortuum ut dictum est, & infermentatum fermentum comedentes, legis umbræ, non novi Testamenti? Si enim & hoc dixeritis, sed non sic se habet. Inquit enim dilectus Christi discipulus: *Si dixerimus quia communitatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem. Si autem in lumine ambulamus sicut ipse est in lumine, communitatem habemus adinvicem, & sanguis Jesu Christi purificat nos ab omni peccato.* Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo habebit societatem cum Christo, qui est in lumine B novi sui Testamenti & gratiæ? Nam qui in lumine ambulant gratiæ, panem comedunt qui est corpus Christi: & bibunt sanguinem immaculatum ejus, & ita habent ad invicem, & cum Christo societatem, purificati sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis. Neque enim compositus, neque per se ipsum perfectus est, sed indigens, semiqueperfectus indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus, per seipsum perfectus est, & plenissimus, sicut ille qui totum habet in seipso plenitudinis.

III. Animadvertite & attendite, quia in azymis nulla est vivens virtus, mortua enim sunt; in C pane autem, hoc est, corpore Christi, tria sunt viventia, & vitam præbentia eis, qui ea digne comedunt: Spiritus, aqua & sanguis, ceu & ipse, qui super pectus Christi in cœna recubuit Joannes, contestificatur in eo verbo: [a] *Tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres in uno sunt*, videlicet in corpore Christi. Quod & secundum tempus dominicæ crucifixionis declaratum est, cum aqua & sanguis ex immaculata costa ipsius effluxit: lancea percussa carne ipsius, sanctus Spiritus vivificusque in deificata carne ejus permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per Spiritum & effectus est corpus Christi, vivimus in ipso, tamquam vivam & deificatam carnem e- D dentes. Si autem & sanguinem vivum & calidissimum ejus bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa ejus, mundamur ab omni delicto, ferventi replemur Spiritu. Calidum enim, ut videris, velut ex latere Domini calicem bibimus, quæ ex viva carne & calida spiritu Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanavit. Quod in eis qui azyma comedunt, nequit fieri.

IV. Si autem mortuum fermentum comeditis, o sapientissimi, ut sermo declaravit, cujus rei gratia gloriamini dicentes: *Quia non sicut vos sale & fer-*

a I. Joan. V, 8.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



mento atque aqua farinam temperamus, & sic facimus oblationem azymorum nostrorum, sed aqua sola & farina & igni azymum conficimus, & in tribus bis puram facimus nostram oblationem. Percontamur igitur vos, hæc tria, aquam & farinam & ignem ad quid accipitis, & cui effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? Sed non inquit dilectus Christo Joannes: *Tres sunt qui testimonium perhibent*, aqua & farina & ignis. Sed quid? *Spiritus & aqua & sanguis, & hi tres in uno sunt*, videlicet in corpore Christi, ut dictum est, quod nos comedentes unimur incarnato propter nos & immolato Christo incorporati, & velut caro ejus, sicut scriptum est. Si autem ad increatam & incorpoream naturam sanctæ Trinitatis assumitis: erratis cadentes in hæresim eorum, qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum Verbum carni, & eamdem ipsam deitatem sustinuisse passionem. Non enim pariter Trinitas incarnata est, Pater & Filius & Spiritus sanctus, ut conspiciantur in ea hæc tria, aqua ut dicitur, farina & ignis, & ut in figura ipsius faciatis azymum & sacrificium offeratis: sed unus ex Trinitate filius, & Verbum Dei incarnatum est, ex castissimis sanctæ Virginis carnibus homo effectus, & omnia ordinationis suæ perficiens, crucifixus est carne, non passa divinitate ipsius. Carne igitur crucifixus tradidit nobis edere per panem, carnem suam, quam in Spiritu sancto ita vivam dicimus: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est, in remissionem peccatorum.*

V. Quid ergo vobis in Christo fratribus nostris & legi quæ maledicta est in Christo? quoniam adhuc azymum fermentum ejus comeditis? Nova creatura sumus in Christo: vetera transierunt. Paullum audite dicentem: *Ecce facta sunt omnia nova*. Si autem hæc comedere decernitis justum: cur non & circumcidimini? Christus circumcisus est. Cur non & purificamini? Paullus etiam & hoc fecit: & alia etiam omnia similiter servate veterum, sicut & hi, ea quæ legis sunt faciunt, per quos nomen Dei in gentibus blasphematur, sicut est scriptum: *Non bona est gloriatio vestra*, ut & ego quæ Paulli sunt loquar ad vos: *Nescitis*, inquit, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et panis tandem, non azymum efficitur. Sed quid hic dictus Apostolus scribit ad Corinthios? Numquid ut vos æstimatis, de celebratione, quam vos in azymis celebratis? Nequaquam. Sed quoniam illi hoc despiciebant, quod aliquis novercam acceperat, & in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur, volens autem eos converti Paullus & ex vetere removere malitia: venit per similitudinem hanc, fermenti dico & massæ, ostendit eos, quoniam unum malum tamquam modicum contemtum, magnam in toto corpore Ecclesiæ faciet læsionem. Propterea inquit adjiciens: *Et non luctum habuistis, ut auferatur de medio vestri, qui hoc opus operatus est?* Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras urbes transire, & tamquam modicum fermentum totam massam fermentat; sic omnes apprehendi & fermentari, & unam massam majoris iniquitatis operari. *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum*, peccati. Tollite hunc a medio; ut efficiamini Christo nova conspersio, sicut estis baptizati, id est, vel azymi vel puri: mortificati mundo & desideriis carnis. Etenim pascha nostrum hoc est, quoniam ut eriperet nos ex iniquitate ac morte, immolatus est Christus. Qua de re sic ait: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis:* hoc est, puræ vitæ & fidei, qua in Deum credimus, & veraces oratores ejus efficimur. Sic magnus Gregorius theologus hoc verbum accepit. O sapientissimi, ea quæ mentis apostolicæ sunt intelligite, & non quemadmodum hoc vos accepistis, de azymorum festivitate & participatione. Si enim de azymis & de celebratione eorum Corinthiis Paullus præcepisset, & eos in azymis epulari jussisset, non promulgasset cum undecim, & omnem reducens Ecclesiam fidelium in ordinem, in septuagesimo canone, cum excommunicatione præcepisset omnibus, hujusmodi caussam a Judæis nullatenus accipi: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex numero clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliquid hujusmodi, deponatur: si autem laicus, sequestretur.*

VI. Si autem dicitis: Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consuevimus. Cur hoc? sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt. Et juxta hoc graviorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere, quæ jussa sunt vobis a Christo & Apostolis ipsius: facientes velut illi, qui sub servitute legis sunt, qualia Judæi faciunt in umbra & tenebris legis sedentes, nullatenus dicenti Paullo credentes: *Fratres, unusquisque in eo ordine quo vocatus est, in ipso permaneat.* Non enim invenietis omnino in divina Scriptura, quoniam azymum dictum sit a Christo aut Apostolis ejus, cum administraretur ab illo novi Testamenti mysterium. Paullus enim Corinthiis scribens dicit: *Discernere vos oportet calicem benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus. Etenim omnes ex uno pane participamus. Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem*, & non azymum, *& benedicens fregit & dixit: accipite & comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Et non semel dixit panem, sed etiam sæpe. Non hic solus dixit, sed & ceteri Apostolorum, & Matthæus quidem ait: *Cœnantibus autem illis atque comedentibus accipiens Jesus panem:* Aspicis, panem & hic inquit, *& benedicens fregit, & dedit discipulis suis & dixit: sumite & comedite, hoc est corpus meum.* Similiter autem & hoc Marcus inquit, & reliqui: & nequaquam azymum ab eis commemoratur.

VII. Quoniam quidem oportebat pati Christum secundum diem legalis paschæ, in qua & agnus ab Hebræis immolabatur. Oportuit enim fieri pascha ab interfectoribus Dei in sexta feria, in qua tandem & quarta decima luna erat juxta primum mensem, in quo contingit evenire VMDXXXIV. annos: cyclus enim solis erat XVIII. & V. ut non adhuc traditus prævenisset proprium pascha discipulis tradere: recumbens in cœna secundum vesperum quinti diei; postquam cœnavit, accepit panem, fregit, tradidit Apostolis mysterium novi Testamenti in nocte quinta in qua traditus est a Juda: sicut scriptum est. Sed quid dicit Lucas apostolus? *Accepit panem & benedicens fregit.* Ecce & Lucas accipere panem Christum dixit, & non azymum. Non enim adhuc erat sextæ feriæ dies. Tertia decima erat luna in illa quinta feria, & non erat azymum, neque adhuc oblatio fermentati.



VIII. Azyma enim in quinta decima luna promulgata erant in lege, ut in quarta decima die ad Vesperam agnus immolaretur, & in quarta decima die lunæ primi mensis pascha appellaret lex, quintam decimam diem primum azymorum & sabbatum nominaret. Pro dolor insipientiam illiteratorum! Et non erat azyma in quinta feria, cum esset luna tertia decima, & non quarta decima. Secundum quintam decimam lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut & agnus ad vesperam quartæ decimæ diei jussum esse immolari, secundum quam immolatus est Christus, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est, & crucifixus in decima quarta die lunæ, feriæ sextæ, in sabbato autem erat festum azymorum, quando azyma comedit? etiam Apostolis sic facere in novo Testamento tradidit. Quomodo dicitis ab Apostolis accepisse vos facere azyma jam post resurrectionem a mortuis? Non videtis quia manifeste ex rebus arguimini, quoniam non tunc azyma, cum mysteria novi Testamenti traderet Apostolis Christus?

IX. Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysi. Loquitur enim: *Hæ sunt festivitates Domini & ipsæ sanctæ quas vocabitis in temporibus suis. In primo mense in quinta decima die mensis hujus festum azymorum Domini: & in quarta decima die mensis intra medium ad vesperum erit pascha Domino: & in quinta decima die hujus mensis festum azymorum Domino. Septem enim diebus azyma comedite.* Ecce enim ex legislatione Moysi didicistis, quoniam non tunc azyma, quando post cœnam secundum diem quintæ feriæ Christus tradidit per fractionem panis novi Testamenti mysterium. Ante festum autem azymorum hoc fecit, cum esset tertia decima dies mensis. Quinta decima enim die mensis, ut legislatio Moysis, erat festum azymorum. Et Christus in feria sexta crucifixus, secundum quartam decimam diem mensis, quando debebant Judæi immolare agnum: Sabbato autem secundum quintam decimam diem mensis, cum esset festum azymorum, in sepulcro jacuit sepultus. Azyma ergo dum non essent ante festum azymorum in toto anno ipso: septem enim diebus comedebant azyma Judæi, ceu instituit Moyses: in quinta decima die primi mensis incipientes festum horum; ubi reperta sunt azyma, quando cum discipulis suis cœnam comederet Christus? Si enim sicut dicitis, a Domino Apostoli acceperunt azyma, & illi iterum tradiderunt vobis hæc in figura corporis Christi in mysterio novi Testamenti: dum nec ablatio panis fieret secundum constitutionem Moysi, neque erant tunc azyma, ubi reperta sunt? Quomodo obliviscimur legislationum Moysis? Septem namque solis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis instituta Moysis. Et Christus non venerat solvere legem, sed adimplere.

X. Valde enim veritatem obsistitis, fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma: quomodo Agathon sanctissimus papa vester, præcessor cum esset sextæ Synodi sub Constantino imperatore, & divinus Gregorius Agragantinorum episcopus non abstinuere: cum sicut hujus Synodi divini patres adversum azyma legem constituissent, a nemine fidelium hoc fieri? Et ut ostendam vobis horum legislationem contra azyma, adjicio rationi, & canonem ipsorum sic habentem in undecimo capitulo: *Nemo in sacerdotali constitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Judæos sunt azyma co-* A *medat, aut cum eis cohabitet, aut in infirmitatibus invitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eo lavetur. Si quis hoc agere initiaverit: siquidem clericus fuerit, deponatur, si autem laicus, sequestretur.* Qui azymum conficit & comedit, & si non acceperit hoc a Judæis, sed imitator fuerit in hoc, ut Judæus intelligit, & extra legem est, quemadmodum & si circumciderit quis seipsum, aut a Judæis circumciditur, simul & in scientia est illis, canonesque & instituta Apostolorum, sanctorum Patrum transgrediens, & irrita omnia facit, ut ratio nostra demonstravit. Sed de azymo sufficienter vobis quod prohibitum sit ab omni Scriptura divina demon- B stravimus.

XI. Age nunc quia cetera demonstravimus vobis, & subito memoriæ suggestum est vobis de jejunio sabbatorum, quoniam insultatis nobis: unde jejunare sabbata, ex qua sancta Scriptura accepistis? Ab Apostolis? Nequaquam. Apostolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de martyribus inscribitur, juxta Clementem: *Quartam feriam & sextam præcepit nobis jejunare Dominus. Unam quidem propter traditionem, alteram propter passionem. Ipsum autem jejunare sabbatum, non tradidit nobis jejunare, quoniam non oportet, propter illud solum, in quo creator omnium sub terra fuit* C Unde juxta calcem ejusdem libri, iterum sic loquitur: *Omne quidem sabbatum & omnem dominicum celebrandum esse dicimus. Gaudere enim oportet in his & non lugere.* Septimo quidem libro earum constitutionum juxta vicesimum quartum caput hoc inquiunt: *Sabbatum namque & dominicum celebramus, quia illud quidem divinæ operationis est memoria: hic vero resurrectionis. Unum vero tantum sabbatum custodiendum est in toto anno sepulturæ Domini: quo jejunare oportet. Quando enim Christus in sepulcro jacuit, discipuli potentiorem circa eum fletum habebant, quam gaudium ex memoria divinæ operationis.* Verumtamen hæc mystice per Clementem papam constituentem, non steterunt heic, sed D scientes magnam damnationem esse jejunare sabbata, excommunicatione valida ligant ex hoc Ecclesiam. Dicit enim in sexagesimo quarto canone: *Si quis inventus fuerit dominicum diem jejunare, aut sabbatum, præter unum solum, deponatur. Si autem laicus, sequestretur.*

XII. Hoc autem exsequentes & qui in sexta Synodo patres, convenienter huic sic promulgant sancte, præsidente Synodo Agathone papa Romæ, & Gregorio cum eis Agrigantinorum episcopo præsente. *Quoniam quidem discimus eos qui in Romanorum urbe sunt, in sanctæ Quadragesimæ jejuniis eadem sabbata jejunare extra traditam sibi ecclesiasti-* E *cam consequentiam: placuit sanctæ Synodo observare Romanorum Ecclesiam immobilem canonem dicentem: Si quis clericus fuerit inventus*, & cetera quæ deinde scribit. Hæc igitur, sicut cernitis, apostolicis constitutionibus & canonicis fidelium Ecclesiam ligat cum papa Romæ Agathone. Vos unde aliter & ex quo jejunare sabbata accepistis? Quin etiam oblationem perfectæ Missæ per omnem diem facere in sacris diebus jejuniorum, sive sabbato sive dominico die: unde assuevistis? & a quo doctore accepistis? Ex Apostolis? nullutenus. Apostoli enim ex hoc posuere canonem sic loquentem: *Si quis episcopus aut presbyter vel diaconus aut lector aut cantor, sanctam non jejunaverit Quadragesimam, quartamque & sextam feriam, deponatur, nisi in-*

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1054.

firmitate corporis impediatur: Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sanctæ Missæ secus tertiam horam diei, in qua & promulgatum est offerri sacrificium: quomodo jejunium usque ad horam diei nonam observatis? solventes hæc in tempore ministrationis Missæ? Nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.

XIII. Qui in Gangreno fuere patres concilio cap. 19. talia effantur: *Si quis continentia sine corporali necessitate elatus fuerit, & constituta jejunia in commune & observata ab Ecclesia dissolverit, præsumendo sibi perfectam rationem, anathema sit.* Similiter patres qui in Laodiceno fuere concilio, secundum quinquagesimum canonem sic effati sunt, *quia non oportet in Quadragesima martyrum natalitia celebrare, sed sanctorum commemorationem facere in sabbatis & dominicis diebus*. Et juxta quadragesimum octavum canonem item ajunt ipsi: *Quod non decet in Quadragesima panem offerre, nisi in sabbato & dominico solo.*

XIV. Et qui in sexto universali concilio convenerunt patres similiter juxta quinquagesimum secuncundum canonem sanciunt cum sanctissimo Agathone papa dicente sic: *In omnibus sanctis Quadragesimæ jejuniorum diebus, sine sabbato & dominico die, & sine sancto annuntiationis die, fiat Missa ex antesanctificatis oblationibus*. Sic ergo accipientes nos sabbato & dominica die, secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes: in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conservamus. In aliis autem diebus hebdomadis juxta tempus horæ nonæ diei concludentes omnem ministrationem in consummationem Completorii, agimus nos sacerdotes cum diaconibus ingressum, turibulum solum ferentes. Et post lectionem Prophetarum constitutas orationes a magno Basilio facientes, & munera transferentes appositionis altario & orantes cum ipsis. Insuper autem & traditam nobis a Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata sancta sanctis, & uniti communione pane & calice mysteriorum Christi. Et ita agentes gratias Deo, linquimus eos atque dimittimus ex congregatione, sumentes nos communem mensam per folia & legumina, & calidam aquam qui voluerint. Sunt autem & alii qui sola communione & benedictione per totam perseverant hebdomadam. Vos autem referentes per unumquemque diem perfectam in Quadragesima ministrationem, quæ congrua est juxta tertiam horam diei offerri, positos transgredimini canones Ecclesiæ. Et in hoc maledictioni patrum subjacetis, sicut dictum est.

XV. Quis ille est qui tradidit vobis prohibere, & abscindere nuptias sacerdotum? Quis ex doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem? Siquidem nisi nupserit, manus impositionis accipiet. Et ita ad nuptias ruit, qui ordinatus est innuptus, legitime. Hoc & secundum canones facitis, hujusmodi nuptias prohibentes? Si autem ante habuerit uxorem ille qui ordinatus est sacerdos, perseveraveritque in castitate magnaque vita, nuptias ejus solvitis, transgredimini, ut ex præcepto apostolicorum canonum ostendam vobis. In sexto enim libro Clementis ordinationum quæ ab eo conscriptæ sunt, juxta septimum decimum caput Apostoli hæc dicunt: *Episcopum & presbyterum & diaconum dicimus, qui unam habent uxorem, ordinari, quamvis vivant eorum conjuges, quamvis defunctæ, non licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere quas habent cum ad ordinationem venerunt*. In quinto sanctorum canonum ita fatur in 2. cap. *Episcopus aut presbyter aut diaconus uxorem suam non abjiciat obtentu religionis: si autem abjecerit, sequestretur. Perseverans autem deponatur*... In quadragesimo vero canone, inquiunt palam: *Propriæ episcopi res*. Et post pauca: *Ne occasione ecclesiasticarum rerum cadere episcopum ab eis, quæ sunt episcopi, in mulierem & pueros & propinquos, ne per occasionem eorum, ea quæ Ecclesiæ sunt subtrahat*. Et deinde: *Siquidem sunt qui probibeant sacerdotes legitimis conjugibus*. Non ita vertices Apostolorum exposuerunt ecclesiasticos canones. Si autem dicis mulierem Ecclesiam dixisse Apostolos: tunc infidelis apparebit sermo tuus & vacuus, cum sacris canonibus ipsorum, qui a nobis prædicti sunt, non abjicere episcopos & presbyteros occasione religionis, uxores sanxerunt, & ut caderent res episcoporum ex potestatibus eorum propter filios & mulieres ipsorum.

XVI. Si autem aliquis dixerit de sancta & universali Synodo, quod papam Romæ sanctissimum Agathonem, ut sæpissime diximus, prælessorem habuit, ipsa centum septuaginta patrum, sub Constantino imperatore, nepote Eraclii & patre Justiniani: Quomodo non obstitit divinus Agathon sanctæ Synodo sancienti adversus hos impios quos usque nunc habetis? Si vero ab Apostolis haberetis has traditiones, obsisteret forsitan, & non suscepisset hæc, quæ apud nos ab ea promulgata sunt. Papa cum esset vester, quoniam adulteras cognoscebat traditiones ipsas & extraneas ab Apostolorum doctrina: propterea pariter cum patribus sacræ sextæ Synodi, sicut de azymis & jejuniis sabbatorum & sacræ Missæ mysteriis, sic & de nuptiis sacerdotum promulgavit dicens in decimo tertio capite: *Quia in Romanorum Ecclesia in ordine canonis tradi cognovimus, præsentes diaconi aut presbyteri dignas fore manuum impositiones confiteri, ut non amplius a suis disjungantur conjugibus: Nos antiquum exsequentes canonem apostolicæ diligentiæ & ordinationis: sanctorum virorum copulationes secundum legem & a modo valere volumus, nullatenus a conjugum copulatione dissolventes aut privantes eos ab invicem, secundum tempus congruum locationis. Quia vero si quis dignus inventus fuerit, manus impositione diaconus vel subdiaconus aut presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad hujusmodi gradum ascendere, conjugi cohabitaturus legitime: neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propriæ locationis propter propriam uxorem.* Et post pauca: *Si quis ergo præsumserit extra apostolicos ordines motus quemdam sacrorum presbyterorum & diaconorum privare a copulatione legitimarum mulierum, a communione sequestretur. Similiter si quis presbyter aut diaconus collactaneam suam occasione religionis projecerit, separetur; perseverans autem deponatur.*

XVII. Unde igitur vobis, & ex quibus hæ horribiles infirmitates supervenerunt, o viri Romanorum sapientissimi, & omnium aliarum gentium nobilissimi? Æstimo quod quidam ex Judæis in tempore Apostolorum credentes, vana lucra cupientes, & pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ex Evangelio, hoc est, ex fidei prædicatione, corruptis dum prædixissent eis, in hoc & Christianitas & Judaismus corrupta sunt. De qui-

bus Joannes fatus est: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, de his qui circa Simonem & Deman, Nicolaumque & Cleobium subtexendo. Reliqui autem verticum in septimo libro institutionum juxta sextum decimum caput liquidius dixerunt: *Scimus enim*, inquit, *quia hi qui circa Simonem & Cleobium & Judam, conscripserunt libros in nomine Christi & discipulorum ejus, circumferunt ad seductionem vestram, & eorum qui diligunt Christum, & nos servos ipsius*. Et in veteribus quidam conscripserunt libros apocryphos Moysi & Enoch & Adam, Esaiæ & David, & Heliæ, & trium Patriarcharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos libros. Sed & Paullum Domini Apostolum hæc præscientem, ut æstimo, sic ad vos ascendisse hujusmodi seductores, dolum texentes vobis, Philippensibus scribit: *Videte canes, videte malos operarios, videte abscissionem*. Et Timotheo iterum: *In ultimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus & doctrinis dæmonum, in hypocrisi loquentium mendacia, & incedentium propria conscientia, impedientium nubere, & abstinere a cibis quos Deus creavit*. Et ea quæ exinde. Propter quod & Tito præcepit: *Argue eos*, inquit, *duriter, ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis, & præceptis hominum subvertentium veritatem*.

XVIII. Quamobrem diligentissime inquisivimus de cetero circa hæc o fratres, ne aliquando ex his quæ dicta sunt & redarguta vobis mendacia, dico nunc azyma, sabbatorum jejunia, nuptias sacerdotum, & in jejuniis oblationes accipiatis: sed scientes nunc, quod primum est eorum, ex omni a Deo inspirata scriptura: fugite quæ hujusmodi sunt actitare, cum sitis Ecclesia Dei & totius orbis semper splendidus oculus, ut uniti nobis vestris confratribus: quos per jam dicta scidistis, cum sitis corpus Christi: revelata facie gloriam Domini in concentu & unitate cum orthodoxa fide conspeculemur, & imaginem ejus transformemus in nobis, viva demonstratione, & ipsius ad gloriam sempiternam, sicut a Domini spiritu, quoniam ipse est caput nostræ Ecclesiæ corporis: & in eo sicut in uno corpore, omnes nos conjungimur.

XIX. Hæc vobis Romanis. Si ergo possimus vos cum sitis homines, ad credulitatem nobiscum reducere per ea quæ diximus, & docendo vos ex divina scriptura arguimus; gratia Dei, & vobis scientibus bene Spiritui sancto credere, & prosequi rationem jam dictam ex scripturis. Si vero aliter tenetis, date nobis testimonia ex divina scriptura consistentia: in quibus volo benevolos vos esse, ut super sedes intelligentiæ requiescatis, & nos scientes obedire in ennarrabili rationi spiritus, docere omnia quæ ad vos scripsimus. Salutamus vos in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria & potentia, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Finis libelli Nicetæ presbyteri & monachi monasterii studii, contra Latinos.

INCIPIT

RESPONSIO

SIVE CONTRADICTIO

IN EUMDEM LIBELLUM

A FRATRE HUMBERTO

EPISCOPO SILVÆ CANDIDÆ.

I. SI diligenter sanctæ Calcedonensis Synodi quartum considerasses caput, quiete monastica & jejuniis atque orationibus in monasterio tuo contentus, nequaquam Ecclesiasticis rebus communicasses, nec importunitatem intulisses. Quapropter sexcentorum triginta patrum, concordi decreto a communione es suspensus, ne per te nomen Domini blasphemetur. Decet enim unamquamque professionem se sub mensura sui habitus & gradus cohibere: ne conturbet Ecclesiastici dogmatis ordinem totum, dum non suo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed væ tibi Sarabaita, qui nulla cœnobitali examinatus disciplina, voluntate atque voluptate ductus propria, contra sanctam & Romanam & apostolicam Ecclesiam & omnium sanctorum patrum concilia horribiliter latrasti, stultior asino, frontem Leonis, & murum adamantinum frangere tentasti. In quo utique conatu, non es victor erroris, sed victus errore: nec presbyter, sed inveteratus dierum malorum, & puer centum annorum maledictus. Potius dicendus Epicurus, quam monachus. Nec credendus es degere in monasterio studii, sed in amphitheatro aut lupanari. Qui etiam vere prænominaris Pectoratus, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis. Quod sicut quidam patrum dixit: *Quicumque vult, intrat & solvit asinum*: ex abundantia enim cordis os loquitur. Deinde detestabilior omni veneficio, labia mortiferi poculi melle caritatis & bono odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delecta ile exhibuisti proœmium: ut prægustata dulcedo faceret incunctanter absorberi fel draconum & reliquum veneficium. Sed væ ei qui potat amicum suum potione turbulenta! Quam ideo necessariam duximus subtiliori linteo colatum ire, ut modus concinnationis ejus, & potentia aliquatenus possit deprehendi, & deinceps caveri, quia ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.

II. Ecce in ipso livoratus tui vestibulo tria proposuisti; de azymo scilicet, de sabbato, & de sacerdotum nuptiis. Ex quibus tot & tanta evomuisti, ut in pervertendo divinas sententias non inferior videaris perversis & rabiosis canibus Juliano & Porphyrio. Denique divini eloquii scalam ad cælos subrectam, quantum in te fuit, retorsisti ad inferos, ne cum Angelis scanderes ad Catholicos, sed cum Apostatis descenderes ad hæreticos. Inde est quod sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis sacrificio detrahens falsissime definivisti nos mensam Judæorum comedere. Quod satis ostenditur in superiori nostra narratione, ubi commentis complicum tuorum, Michaelis scilicet Constantinopolitani & Leonis Acridani voluimus obviare. Nec est necesse eadem nos totiens repetere. Quia stuppæ collectæ & paleæ conjectæ zizaniisque collectis una potest flamma sufficere. Unde ea tantum decrevimus leviter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse.

III. Itaque quod dixisti consubstantialem & supersubstantialem idem esse, omnino est futile. Quia Dominus Jesus, quamvis nobis humanitate sit consubstantialis: sic & humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi, mensæ tamen divinæ panis supersubstantialis est eis. Et o mentite Deo & aperte impugnator sancti Evangelii! ubi & quando dixit veritas, veracis Patris filius; *Cavete ab azymo fermento Pharisæorum?* Numquid *azymum* quolibet modo potest dici, *fermentum*, quando azymum dicatur, eo quod absque fermento sit? & ubicumque fermentum fuerit, necesse est ut aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es, azymum fermentatum? Sed quamvis talia dicendo telas araneæ texueris, muscas & culices seu vermiculos aberrantes his irretire poteris: non autem columbas simplices & oves recognoscentes vocem sui auctoris.

IV. Deinde o subverse subversor subvertere conatus sententiam apostoli Joannis dicentis: *Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & non facimus veritatem*, & ceteris nequius usus es hoc ejus testimonio, quam adulter oculo & latro ferro, quæ utique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos, tu perdere cunctos. Unde & sic concludis: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat*. Sed idem Joannes intentionem tuam enarrans, luce clarius demonstrat, quid dixerit, subjungens: *Qui odit suum fratrem, in tenebris est, & in tenebris ambulat*. Hic plane liquet, quod non ab Apostolo sancto, sed ab apostata angelo accepisti, ut diceres: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat*, quia tota epistola illa, nec fermentatum nec azymum commemorat, sed solum caritatem.

V. Post hæc non minori sacrilegio abusus alio testimonio ejusdem Apostoli dicentis: *Tres sunt qui testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt*, perverse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo ejus voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, & unum baptisma efficiunt. Et Spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis pater Augustinus ait: *Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum, non est* A *baptismus. Sed accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Tu autem nequam Pectorate, nequiter interpretando & depravando sententiam recumbentis super pectus Jesu, dixisti: *Et hi tres in uno sunt*, scilicet in corpore Christi, quod dilectus ejus, nec sensit, nec scripsit, sed, *hi tres unum sunt*, secundum superiorem de baptismo sensum.

VI. Parva sunt hæc & pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore dominicæ passionis & crucifixionis, quando sanguis & aqua de latere ejus exivit, sanctus & vivificus spiritus in deificata ejus carne remansit. Quod si constiterit; mortuus non fuit. Si B mortuus non fuit, neque resurrexit. Si non resurrexit: inanis est fides & prædicatio nostra, quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait: *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Ut quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus & bibamus: immo bestialiter vivamus, cras enim ut bestiæ moriemur. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus sumus hominibus: sed absit hoc ab omni genere humano. Nam idem præclarus Evangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur, carnem Christi vere exanimatam in cruce fuisse, dicens: *Et inclinato capite emisit spiritum*. Porro Marcus & Lucas dicunt eum *exspirasse*. Unde & C in Symbolo confitemur *mortuum & sepultum*. Alioqui sepelliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce canis, linguam canis improbe morde, Christus enim vere mortuus est propter delicta nostra, & propter justificationem nostram resurrexit a mortuis primitiæ dormientium.

VII. Ecce pestifera doctrina, ecce diabolica suggestio, cujus tu signifer effectus conaris opiniones & adinventiones tuorum contra traditionem apostolicam, & contra manifestam veritatem defendere, dicendo: aquam calidam & sanguinem de vivo & calido Christi corpore exisse, & ideo Græcos aquam ferventem sanguine ejus jure miscere. Quod totum D longe aliter est. Nam veraces Evangelistæ concorditer narrant Dominum nostrum hora nona in cruce mortuum, & sero a Josephi postulatum depositum de ligno & sepultum. Ipso enim emittente spiritum, velum templi & petræ scissæ sunt, terra mota, monumenta aperta, & multa corpora sanctorum resurrexerunt. In tanta itaque perturbatione & quasi naufragio totius creaturæ, non solum latus Domini non fuit apertum lancea, sed etiam hi qui prius ei insultaverunt, & ad spectaculum illud convenerant, viso terræ motu & his quæ fiebant, pectus suum percutientes, revertebantur. Adeo ut ipse centurio, cui traditus fuerat ad puniendum, diceret: *Vere Dei filius erat iste*. At ubi tumultus E mundi conquieverat, & securitas aliqua rediit, cum jam sero esset, Pharisæi rogaverunt Pilatum, ut propter solemnem diem sabbati, frangerentur crucifixorum crura & deponerentur. Tunc quoque Joseph rogavit Pilatum, ut tolleret corpus Jesu. Pilatus vero mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, ubi cognovit Jesum jam mortuum, donavit corpus Joseph. Porro milites ad præceptum Pilati fregerunt crura prioris & alterius latronis. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, quibus formaretur Ecclesia: quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eva. Ecce si hora nona obiit, & sero jam de

cruce deponendus, lancea percussus fuit: sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore jam præmortuo & frigido. Quod si aliquo modo caluit: Evangelium quare tantum miraculum & sacramentum tacuit? Unde vos novi symmystæ volumus dicatis, an sanguis tantum, aut aqua tantum, an simul utrumque caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis; si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si utrumque simul, quare utrumque simul non calefit? Sed cujus visu vel tactu potuit discerni, quodlibet horum duorum ex uno vulnere simul erumpentium, calidum aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare & aqua baptismatis non calefit, cum præcipue ipsa baptismum præfiguravit, sicut sanguis redemtionem? Volumus autem scire, qua intentione costam Christi immaculatam dixeris? Si pro sanctitate & innocentia: optime. Si autem pro eo quod impenetrabilis ferro fuit: pessime: quia de vero vulnere verum, non phantasticum sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa, sicut tu scribis, sed de latere, quia os sanguinem non solet emittere, nec os comminutum fuit ex dominico corpore.

VIII. Ceterum quod panis sit, & dicatur etiam azymus, & quod non cum Theupaschitis in sacra oblatione erremus, & quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis & veritatis comedamus, quodque vetera transierunt, & facta sunt nova, satis ostenditur in alia nostra epistola.

IX. Tu vero maledicte & maledictus sermo oris tui, sanctam legem, sicut Severianus, maledictam dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum laudare supra modum cupiens, nimium vituperasti illum dicens, *modicum fermentum totam massam corrumpit, & panis tandem, non azymum efficitur*. Deo gratia, quia azymum non efficitur de massa fermento corrupta, sicut tuus panis. Nam corruptio numquam & nusquam in bonum accipitur: quia ubicumque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quin etiam cum exponeres sententiam beati Paulli, quam post tot orthodoxos patres, nobis nolumus ab hæreticis exponi, quamvis nolens azymum laudasti dicens: *Sicut estis baptizati, id est, azymi & puri*. Si ergo secundum tuam confessionem baptizati sunt azymi, quid sunt non baptizati, nisi fermentati, id est, corrupti?

X. Dic tamen ubi & quomodo Paullus cum undecim Apostolis canones illos cum excommunicatione exposuit, quorum tu nobis septuagesimum caput objicis? omnino nesciens quid loquaris: *Si quis*, inquit, *episcopus aut presbyter aut diaconus, aut omnino ex numero clericorum jejunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliud hujusmodi, deponatur: laicus autem sequestretur*. Etiam si hoc capitulum ex libris authenticis prolatum esset, nullo modo nos tangeret, quia nec cum Hebræis jejunamus, nec cum eis epulamur aut festivitatum eorum munera aliqua accipimus. Quod autem tu vesane subjungis: *Sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt*. Id jaculum tibi retorquemus dicentes: *Sive cum Hebræis sabbato epulemini, sive domi, epulatio est*. Sane hoc dignius contra vos dirigeretur, quia vos nihil aliud in sabbato quam solemnitatem Judæorum, nos autem in azymo longe aliud sacramentum retinemus & amplectimur. Si enim interrogemus Judæos, quid celebrent in sabbato? Respondebunt: *Requiem Domini*. Si Græcos; idem, & non aliud dicent. Ergo sub servitute legis sunt. In cujus umbra & tenebris consederunt.

XI. Deinde post inanes latratus super vocabulo panis, reduxisti nobis annos ab initio mundi, usque ad passionem Christi: quando secundum te cyclus solaris erat XVIII. & lunæ V: ut hoc saltem figmento, possis evadere cum fermento tuo, quasi juxta hanc supputationem tuam, occurrat in cœna Domini luna XIII. in qua nondum fermentum abjecerat plebs Hebræa. Sed nos chronographis & calculatoribus talia relinquentes, maxime cum apud Græcos & Latinos atque Hebræos diversæ de temporibus habeantur rationes: hoc tantum dicimus, quia Christus nec unum jota aut apicem veteris legis resolvit. Unde & XIV. luna ad vesperum quinta sabbati pascha celebravit, & mox eadem nocte comprehensus, crucifixus est quinta decima luna, id est sexta sabbati, quæ specialiter dicebatur prima dies azymorum. Quamvis & in tota præcedente die, id est, quarta decima luna fermentatum non appareret in omnibus finibus Israel. Nam & agnus cum azymis comedebatur. Quod si juxta tuam assertionem Christus pascha fecit tertia decima luna cum fermentato, dupliciter reus fuit: juste puniendus secundum legem, quia pascha fecit in tempore non suo, & quia cum fermentato. Quapropter mors ejus nihil nobis conferret, qui non pro nostris sed pro suis peccatis interiit, scilicet quia fuit transgressor sanctæ legis. Sed de his alias copiose disseruimus.

XII. Deinde si exceptis septem diebus Judæi toto anno fermentatum, ut asseris, comedunt, quis convenientius debet argui, ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis; an ille qui toto anno in fermentatis? Absit tamen ut eorum carnalem ritum in aliquo imitemur.

XIII. Verum quoniam labyrintheo errore duceris, ut nunc qua exibas intres, nunc qua intrabas exeas, iterum eamdem viam teris dicens: *Si traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma, quomodo Agatho papa vester, præsessor sanctæ sextæ Synodi, cum Gregorio Agragentinorum episcopo & aliis patribus, contra azyma ne fierent legem statuit?* Audi stulte, vane, non tantum ab Apostolis, quantum ab ipso Domino nostro Jesu Christo traditum est nobis, azyma non de Phase Judaico comedere, sed de pascha Christiano percipere.

XIV. Nec rei tenemur illo quod objecisti XI. cap. sextæ Synodi dicens: *Nemo in sacerdotali constitutus ordine, aut laicus ea quæ apud Judæos sunt azyma comedat, aut cum eis habitet, aut in infirmitatibus eos invitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lavetur. Si quis hæc egerit, siquidem clericus fuerit, deponatur, si autem laicus, sequestretur*. Quis nostrum rogo azyma, quæ apud Judæos sunt, comedit? Quamvis enim reliqua capituli hujus observemus, illud tamen super omnia de azymis observamus.

XV. Sed quid dices? Nonne magnus Basilius a Joseph Judæo medicinam multoties accepit? tu autem sicut diabolus Psalmum, ita exponendo capitulum subjunxisti: *Qui ergo azymum conficit & comedit, quamvis hoc non acceperit a Judæis, imitator tamen Judæorum est, sicut & is qui circumciditur*. Perdes Domine omnes qui loquuntur mendacium!

Sæcul. XI circa Ann. Chr. 1054.



Numquid omnibus omnino Christianis interdicitur, ne aliquando alicubi azyma comedant, sicut interdicitur, ne se aliquando circumcidant? Quare hoc? quia in his imitantur Judæos? Concedimus tamen circumcisionem solum fuisse Judæorum: verumtamen azyma omnium gentium, quæ tu malitiose non solum a divina, sed a humana mensa omnino repellis. Sed quid facies o fermentate? Judæi, ceu superius asseruisti, exceptis septem diebus toto anno fermentatum comedebant, & aliquando offerebant. Numquid & hoc tolles hominibus?

XVI. Hinc videamus si non estis Sabbatiani, quos commemorant Patres sanctæ quintæ Synodi. Reprehendens enim nos cur jejunemus sabbatis? dicis, *quarta & sexta feria jugiter jejunandum; una propter traditionem, altera propter passionem Domini, sabbato autem numquam nisi uno.* Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris & canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, itinerarium Petri apostoli, & canones apostolorum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxis adjungenda. Unde nos quoque omne apocryphon abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini. Quapropter his omissis, in altera Epistola, vide quid sentierint de sabbato beati & antiqui Pontifices Romani, Silvester & Innocentius, quorum sententiæ sententia Agathonis, quamvis sanctissimi nullatenus præfertur, Sed absit ut aliquando contraria eis Agatho sensisset. Et tamen in hoc, sicut & in aliis falleris, quod eum præsessorem illius Synodi fuisse dicis: cum tantum legati ejus eidem Synodo præsederint. Cujus gesta heic summatim placuit inseri.


XVII. Tempore Constantini, filii Constantini imperatoris, anno imperii ejus septimo decimo, Agatho papa ex rogatu Constantini, Heraclii & Tiberii principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos. In quibus erat Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, longe post episcopus, pro adunatione facienda, sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti a reverendissimo fidei Catholicæ defensore Constantino, jussi sunt remissis disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum, quos petebant libellis. Affuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Gregorio regiæ urbis præsule & Antiochiæ Machario. Et convicti sunt qui unam voluntatem & operationem astruebant in Christo, falsasse patrum Catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu, ea hora tantæ aranearum telæ in medium populi ceciderunt, ut omnes mirarentur. Ac per hoc significatum est, quod fordes hæreticæ pravitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem correctus est, Macharius autem cum suis sequacibus simul & prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paullo & Petro anathematizati: & in loco ejus Theophanius abbas de Cicilia episcopus factus. Tantaque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, ut Joannes Portuensis episcopus, qui erat unus ex ipsis, dominica octavis paschæ Missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe & episcopo ipsius urbis latine celebraret. Eo tempore Damianus Ticinensis Ecclesiæ episcopus sub nomine Mansueti episcopi Ecclesiæ sancti Michaelis, satis utilem rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata synodo, non mediocre suffragium tulit.

XVIII. Recta autem & vera fides hæc est: ut in Domino nostro Jesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates sive operationes. Vis audire quod deitatis est? *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* Vis audire quod humanitatis? *Pater major me est.* Cerne secundum humanitatem eum in navi dormientem. Cerne ejus divinitatem cum Evangelista dicit: *Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

XIX. Hæc est sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata & Græco sermone conscripta, temporibus papæ Agathonis: exsequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis & episcopis CL. residentibus: qui omnes quidem hæresim damnaverunt, Tunc piissimus princeps Constantinus interrogavit eos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt: *In calice Domini non debet solum offerri vinum, sed aqua mixtum. Nam si solum vinum offertur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Et si aqua pura offertur, sola plebs incipit esse sine Christo. Quando utrumque admiscetur, id est, vinum & aqua, tunc sacramentum spirituale perficitur. Oblatio vero quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, ut sacrificium altaris non in serico aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in sindone munda sepultum. Sic & oblatio munda debet esse a fermento, juxta quæ in gestis pontificalibus a beato Silvestro legimus esse statutum.* Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio apostolicæ sedis. Ecce istius & sex cæterarum Synodorum omnibus sanctis Patribus & orthodoxis imperatoribus, per omnia placuit fides & traditio apostolicæ sedis. Et tu quis es, cui displicent? Sed volumus dicas: Videturne tibi congruum, ut omni quarta & sexta feria jejunes propter traditionem & passionem Christi, & propter sepulturam nullo sabbato, nisi uno? Cum ergo omni dominica celebres resurrectionem, omnique quarta & sexta feria jejunes propter traditionem & crucem; cur non & omni sabbato propter sepulturam, cum de celebrando sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Judæi, scilicet quia in eo requievit Deus? Qui utique fatigatus non est verbo creans quidquid voluit: sed in hoc nostram requiem præfiguravit. Quod si uno sabbato in toto anno jejunandum est, propter sepulturam Christi, ergo & una quarta feria propter traditionem, & una sexta feria propter passionem, in toto anno est jejunandum. Una quoque dominica propter resurrectionem celebranda.

XX. Non autem mirum si Agathoni papæ & sanctis Patribus sextæ Synodi vestra imputatis deliramenta, & quæ aut finxistis capitula, cum etiam ipsi Domino Jesu & Apostolis ejus imputetis figmenta. Unde nos scientes sextam Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam: Capitula quæ nobis sub ejus auctoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima & apostolica sedes, nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus: & quia aut sunt nulla, aut ut vobis libuit, depravata sunt. Depravastis Joannis Chrysostomi atque Gregorii theologi aliorumque ortho-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



doxorum patrum dicta: & exhibuistis in eadem Synodo sexta. Nempe a prima Synodo Nicæna usque ad hanc sextam trecenti & amplius anni dicuntur evoluti. Et quomodo in Nicæna & reliquis quatuor Synodis universalibus nulla mentio fit de tam necessariis rebus? Numquid usque ad sextam Synodum Græci & Latini rationem Missæ ac jejuniorum ignoraverunt? & per sexcentos & amplius annos a passione Christi in talibus errarunt? An forsan Græci hæc noverunt, & Romani ignoraverunt? Sed ex Missalibus Romanorum libris, ab omni Ecclesia occidentali antiquitus receptis, evidenter cognoscitur, quam rationem jejunii & Missæ habuerint sub reverendissimis pontificibus, Silvestro scilicet auctore Nicænæ Synodi, Gelasio damnatore vestri Acacii, maximeque Gregorio dialogo, compatre Imperatoris Mauritii. In cujus libris missalibus omnis dies quadragesimæ habet specialis Missæ plenarium officium, & excepta dominica, nullus dies ejus solvit susceptum jejunium, quam traditionem si tentasset papa Agatho aliquatenus removere Romanis, non audiretur ab eis. Quia licet ipse magnus exstiterit, præfatis tamen decessoribus suis sicut tempore, ita scientia & auctoritate minor fuit. Quamobrem caput quo asseritis eum promulgasse, ut si quis clericus jejunaret sabbatum præter unum, deponeretur, magis dicendum est Nazarenorum esse quam Apostolorum: Cherinti & Hebionis, quam sextæ Synodi & papæ Agathonis. Cui sane capitulo Epistola Paulli aperte contradicit, ubi ait: *Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei festi, & neomeniæ & sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Unde Romani proprio auctori & magistro gentium in fide & veritate obedientes, nulli sabbato festum vel otium dependunt: sicut nec neomenia, quia profecto Judaica sunt, & utique umbra futurorum.

XXI. Porro unde acceperimus omni die jejuniorum perfectam Missam facere, supra curavimus ostendere: nec timemus caput quod dicitis Apostolorum de his qui non jejunaverint Quadragesimam, quarta quoque & sexta feria, qua, excepta gravissima infirmitate, sollicite cuncti jejunamus diebus Quadragesimæ, adeo ut interdum decennes pueros nobiscum faciamus jejunare: nec solvimus per sabbata Quadragesimalem abstinentiam, quam Dominus noster non solvit in quadraginta jejunii sui diebus. Nec solveremus etiam in die dominica, quemadmodum nec ipse, nisi præ gaudio resurrectionis ejus hoc interdixisset ab initio omnium Catholicorum patrum sententia, etiam cum anathemate. Quos secuti sancti Patres Gangrensis concilii dixerunt: *Si quis non dijudicans diem dominicam, jejunaverit tamquam in ejus contemtu, anathema sit.* Ubi certe sicut eis attestantur omnes autentici libri, non contradicunt jejunio sabbati, sed dominicæ diei.

XXII. Sed o perfide Stercorianista, qui putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia atque ecclesiastica dissolvi jejunia, omnino credens cælestem escam velut terrenam per aqualiculi fætidam & sordidam egestionem in secessum dimitti, plane sentis cum Ario. Qui cum pro aliis blasphemiis in filium Dei, tum etiam pro ista foveam delapsus in atram, visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Et ubi est salvator qui dans discipulis panem a se benedictum & fractum dixit: *Accipite & commedite, hoc est corpus meum?* In quo quid traderet, alibi dicit: *Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita.* Et, *caro*

A *mea vere est cibus, & sanguinis meus vere est potus.* Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ est vita æterna? Nempe Christus Jesus, sicut ipse dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat. Qui autem carnem ejus manducat, Christum manducat; qui Christum manducat, procul dubio vitam æternam manducat. Ergo o pestifer leno antiqui serpentis, qui conaris astutia tua corrumpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, ut excidatur a caritate tanti & talis sponsi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem jejuniorum, velut aliquo cibo corruptibili?

B

XXIII. Horremus quidem dicere, sed compellimur a tua impudenti improbitate. Conaris Christum, immo ipsam vitam per digestionem sicut cœnum olidum demittere in latrinam. Et ubi est, quod dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo?* Sine qua refectione, quia non habetur vita, ipsa vita quæ est Christus quasi quodam jurejurando protestatur dicens: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Numquid heic dixit; Si manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, dissolvetis jejunium?

C Et utinam hoc solo sacramento, non ad judicium nostrum, omni hora reficeremur! Sed quia corpore corruptibili, & nimia miseria conscientiæ nostræ gravati, etiam bonum nostrum nequimus sufferre, a sanctis Patribus certe ad percipiendum tantum sacramentum, præfixæ sunt horæ. Quod ne vilescat carnalibus, & in percipiendo escam spiritus submurmuret aliquis carnis appetitus, cum summa parcitate prægustamus; videre tantummodo cupientes quam suavis est Dominus, cujus panis non vult, sicuti nec manna fastidium. Nec dubitandum in quantulacumque portione ejus fideles manducare sibi totam vitam, id est, Christum, infideles autem

D mortem, id est, judicium suum, utpote qui rei fiunt corporis & sanguinis Domini. Deinde quotidie sive tertia sive nona, sive quacumque hora fiat a nobis Missa, non fit nisi perfecta. Nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut per dies quinque agatur Missa imperfecta. Quia nec sancti Apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa cœna distributo reservasse: nec actus eorum indicant, eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimmo, sicut Lucas narrat: *Erant fideles perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis.* Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat dicens: *Quotidie perse-*

E *verantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant.* Ecce verax Evangelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panem fregisse. Et vos qui estis, qui dicitis duobus tantum diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere? reliquis vero quinque imperfectam? Nempe heic in panis fractione & communicatione, non nisi perfectam actionem Missæ debemus accipere, quemadmodum & ipsum Dominum legimus, non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane a se benedicto & mox fracto & distributo. Non enim benedixit tantum & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde beatus Alexander martyr & papa V. ab aposto-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



lo Petro, passionem Domini inserens canoni Missæ, non ait: hoc quotiescumque feceritis: Sed *Hæc quotiescumque feceritis*, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, *in mei memoriam facietis*, quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Quod autem quotidie & quotacumque hora diei, non autem sola tertia perfectam Missam agimus, auctoritatem tenemus ex verbis ipsius Domini juxta beatum Paullum dicentis: *Hoc facite quotiescumque sumitis, in meam commemorationem*. Unde mox idem Apostolus secutus adjecit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Et quamdiu? *Donec veniat*: scilicet judicare vivos & mortuos. Putasne alicubi dixerit: hoc facite hora tertia in meam commemorationem? Non utique, sed nullam horam aut tempora excipiens dixit: *Quotiescumque*. Nec ipse Paullus jejunia aliqua aut certam quamlibet evolutionem annorum attendens ait: Quotiescumque per tot annos hora nona manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; sed indifferenter: *Quotiescumque*. Et: *Donec veniat*.

XXIV. Nec nescimus sanctos Patres diei dominicæ & præcipuarum solemnitatum Missas hora tertia celebrasse solitos, propter Spiritus sancti effusionem hora tertia in discipulos, & hoc mandasse ad posteros, quatenus illa unius actio Missæ gemino privilegio insigniretur, resurrectione videlicet Christi & adventu Paracliti, utque propter gaudium festi temporibus relaxarentur cunctis frena jejunii. Verumtamen alia caussa est dominicæ diei, ac solemnitatum, alia jejuniorum: si ergo hora nona aut vespertina diebus jejuniorum, perfecta agitur Missa, nulla procul dubio inde contrahitur noxa, quia & Dominus in cœna ad vesperum primam & perfectam administrationem tanti sacramenti discipulis instituit, & hora nona Spiritum tradens sacrificium vespertinum expansis manibus in cruce, & præmissa oratione ad Patrem consummavit. Propterea quamvis hora tertia & nona propter supradictas rationes sint aptiores Missarum actioni: quotiescumque tamen horis aliis fiunt occupatione itineris, aut gratia cujuslibet necessariæ rei, in memoriam fiunt Christi: nec violatur inde integritas jejunii. Quod utique beatus Thelesphorus papa a Petro septimus sentiens, etiam nocte nativitatis Domini Missas celebrari instituit, nec ullam resolutionem jejunii ante horam tertiam & diurnam Missam inde fieri, sicut vos perverse putatis, timuit. Dicite autem si potestis, cur sabbatum & ceteræ extra dominicam feriæ hora tertia Missam debeant habere, cum in eis Spiritus sanctus non legatur descendisse? Itaque nos, sicut supra ostenditur, divina auctoritate subnixi, nec jejunia resolvimus in celebratione Missæ, quotacumque hora diei fit: nec in aliquo natalitio martyrum, sed nec in Annuntiatione Mariæ virginis. Et ideo nullius universalis Synodi percellimur anathemate. Ceteri autem quamvis sanctorum Patrum conventus, & si potuerunt de utilitate & conversatione Ecclesiarum suarum tractare, nullas tamen traditiones universali Ecclesiæ præfigere. De papa quoque Agathone omnino scimus, quia nec sextæ Synodo per seipsum præsedit, nec aliquibus capitulis ejus subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt adversus Monothelitarum hæresim. Vos videte unde hæc quæ proponitis habeatis, quia Eccle-

A sia Romana talia hactenus ignoravit. Nec credi potest post tot annos Romanorum pontificem Græcis promulgasse aliquas de Missa observationes. Deinde ritum vestræ discere non curamus, quia minimam cautelam & maximam negligentiam ei inesse cognoscimus, dum sanctum panem frangentes & sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum & porcorum setis fricatis inhoneste. Multi quoque vestrum tam irreverenter corpus Christi reponunt, ut pyxides inde cumulent, & ne decidat aut superfluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis, velut communes panes, nonnumquam usque ad fastidium sumunt. Et si fu-

B mare non sufficiunt subterrant, aut in puteum projiciunt. Si autem, ut dicis, panem jam pridem oblatum & sanctificatum exaltatis altera die, unam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attenditis in epistola papæ Clementis, cujus traditiones, ut putatis, contra nos defenditis, quod ibi promulgasse putatur? *Certe*, inquit, *tanta in altario holocausta offerant, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore clericorum cautela & diligentia consumantur*. Ad hæc quod afferis, vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos transire, non sic sensisse idem Clemens invenitur in præfata epistola, ubi de his qui resi-

C dua sacrificii consumserint subjecit: *Qui autem*, inquit, *residua corporis Domini quæ in sacrario relicta sunt consumunt, non statim ad communes accipiendum cibos conveniant, ne putent sanctæ portioni esse commiscendos cibos, qui per aqualiculi egestus in secessum funduntur. Si igitur mane dominica portio in sacrario edatur, usque in sextam jejunent ministri qui hæc consumserint. Et si tertia aut quarta, jejunent usque in vesperum*. In quibus sane verbis liquet, quod non solum hora tertia, sed etiam mane hora quarta Missas fieri licet, quodque ex sacrificio jejunium non solvitur, dum illic dicitur, ut qui consumserint usque ad sextam vel vesperum: alioqui quomodo jejunabant, si ex sa-

D crificio jejunium solverunt? Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, tacetis ingluviem multorum, qui aut parum aut nihil Quadragesimalis jejunii Deo offerunt, dum a primo mane, usque vesperum crapulari non metuunt, nec erubescunt. Aliqui etiam ad Ecclesiam legumina & alia obsonia deferentes inibi comedunt, nec Paullum attendunt dicentem: *Qui esurit domi manducet*. Et: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* At nos Quadragesimam unius septimanæ, quam dicitis sancti Theodori, nescientes, solam Quadragesimam Domini nostri Jesu Christi quadraginta diebus diligenter observare

E contendimus, quam ut aliquis, excepta gravi infirmitate, in aliquo infringat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post unam refectionem quicquam pomorum aut herbarum diebus jejuniorum percipere.

XXV. Hinc perpendentes a te tam perverse defendi adulteria, potius quam nuptias sacerdotum: arbitramur ad inferis emersisse principem hujus hæresis nefandum diaconum Nicolaum. De quo Epiphanius vester sic scripsit: *Quarta Nicolaitarum a Nicolao hæresis est adinventa, uno ex septem diaconibus ab Apostolis ordinato. Iste cum zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, docere cœpit indifferenter uti conjugibus, non solum laicos, sed etiam qui sa-*



cerdotii fungerentur officio. Hos damnavit sanctus evangelista & apostolus Joannes, & jussit, ut quicumque cum eis, vel sermonem colloquii miscuissent, ex hoc ipso communione privandos. Docens rationabiliter a mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse. Tunc etiam in seipso Christum Dei filium castitatis gloriam dedicasse, cum virginem possidens matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitima conjugii uti permisit dicens: Si quis vult post me venire abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam & sequatur me. Unde idem Dominus Jesus in Apocalypsi præcipiens apostolo Joanni scribere angelo Ephesi inter alia inquit: Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Hinc etiam Angelo Pergami dicit: Habeo adversum te pauca, quia habes illuc tenentes doctrinam Baalam, qui docebat Baalac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

XXVI. Suffecerant quidem hæc o Nicolaita Niceta ad convincendum errorem, sed quia Canonibus sub nomine Apostolorum editis, nos urgere videris: exponere tibi tua capitula decrevimus, quamvis ea inter apocrypha usque nunc magna ex parte computaverimus, ut aperte cognoscatur nec apocryphis nec autenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia autem comprobamus te esse mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti, nostros prius ordinari, deinde uxores sortiri. Quia apud nos nec ad subdiaconatus gradum quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiam etiam a propria conjuge profiteatur. Nec post gradum cuiquam uxorem ducere umquam conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere synagogam satanæ & prostibulum Balaam & Jezabel, cum Nicolao dicis: *Episcopum & presbyterum & diaconum dicimus, qui unam habet uxorem, ordinari: quamvis vivant eorum conjuges, quamvis defunctæ. Nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire; aut si nupserint alteras amplecti, sed sufficere eis quas habent, cum ad ordinationem venerunt.* O abominabilis Cynice, quomodo non erubuisti tantum nefas evomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionem sine uxore esse? Si ita est, ipse Joannes apostolus & Paullus & Barnabas & omnis continens in gradu ecclesiastico in culpa est procul dubio. Unde necesse est, ut futurus episcopus, presbyter, diaconus & subdiaconus, prius uxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat ad carnales amplexus? Numquid laicis non sufficit una? nisi forte discipulis maligni Muhamed, cujus farinæ totus es. Tu quoque quia presbyter es, sine uxore esse non debes, secundum assertiones tuas.

XXVII. Sed jam videamus capitula quibus putas posse defendi adulteria sacerdotum, non conjugia. *Episcopus*, inquam, *presbyter aut diaconus uxorem suam non abjiciat obtentu religionis. Si autem abjecerit, sequestretur, perseverans autem deponatur.* Omnino confitemur non licere episcopum, presbyterum, diaconem vel subdiaconem uxorem propriam caussa religionis abjicere a cura sua, scilicet ut ei victum & vestitum provideat, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, beato Paullo dicente: *Numquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi, sicut fratres Domini & Cephas?* Vide insipiens, quia non dixit: Numquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet ut de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale conjugium. Præterea cur aliquis laicus uxoratus dubitabit ad ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei una, sine qua esse non debet, possit ad carnales amplexus sufficere? Et quare tu qui tantopere Clementis capitula proponis, epistolam ejus de qua superius diximus, non attendis? Ibi enim ita dicitur: *Tribus gradibus divinorum commissa secretorum sunt sacramenta, id est, presbyteris, diaconibus & subdiaconibus.* Et post nonnulla: *Ministri altaris ad dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges noverunt, scilicet si semper continere voluerint. Quod si post ordinationem contigerit ministrum propriæ invadere cubile uxoris, secretarii non terat limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta vel oblationes suscipiat, nec ad dominici corporis portionem accedat. Aquam sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat: minora tantum gerat officia, urceum sane ad altare non suggerat.*

XXVIII. Porro Synodus Nicæna omnino venerabilis & autentica, sic de suis actis, id est, subintroductis habet: *Omnimodis interdicit sancta Synodus, & neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli omnino clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit sororve aut amita. In his namque personis & harum similibus omnis suspicio declinatur. Qui autem præteragit, periclitabitur de ordine suo.*

XXIX. Beatus quoque papa Innocentius latius hinc scribens Exsuperio episcopo Tolosano dicit: *Proposuisti quid de his observari debeat, quos diaconii ministerio, aut in officio positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodidere. De his & divinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricii episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico privarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium quod sola continentia oportet impleri.* Idem ad Victricium episcopum: *Præterea quod dignum & pudicum & honestum tenere Ecclesia omnimodo debet, ut sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem, uxorius usus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu & propter semen Aaron ad sacerdotium nullus fuerat permissus accedere. Quanto magis hi sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis aut baptismatis officio vacent? Nam si Paullus ad Corinthios scribit dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi; & hoc utique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere: qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia exaudiri posse se credit? cum dictum sit: Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est: unius uxoris virum. Non propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: vellem autem omnes esse sicut & ego. Et apertius de-*

Sæcul. XI circa Ann. Chr. 1054.

clarat dicens : Qui autem in carne sunt , Deo placere non possunt . Vos autem jam non estis in carne , sed in spiritu. Et habentem filium , non generantem dixit.

XXX. Et venerabilis papa Siricius : *Feminas non alias esse patimur in domibus clericorum , nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum caussas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit .*

XXXI. Sanctus deinde Leo papa mirabilis doctor & sanctæ Calcedonensis Synodi auctor, omnem ambiguitatem hujus rei abscindens ait : *Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ episcopis atque presbyteris . Qui cum essent laici , sive lectores , licite & uxores ducere & filios procreare potuerunt . Sed cum ad prædictos pervenere gradus , cœperunt eis non licere quæ licuerunt . Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium , oportet eos nec dimittere uxores , & quasi non habeant sic habere : quo & salva sit caritas connubiorum , & cessent opera nuptiarum.* Ecce isti cum Petro & per Petrum effecti clavigeri regni cælorum, ita confringunt omnes claviculas infernalium portarum, ut nulla jam supersit hæresis Nicolaitarum.

XXXII. Sed ne quid minus factum dicas, seriatim & aperte prosequemur , quid Romana Ecclesia in gradibus clericorum agat . Clericos tantum ostiarios, lectores, exorcistas, & acolythos, si extra votum & habitum monachi inveniuntur & continentiam profiteri nolunt, uxorem virginem ducere cum benedictione sacerdotali permittit : non autem viduam & repudiatam; quia propter hoc solum deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt , nec laicus non virginem sortitus uxorem, aut bigamus, ad clericatum . Quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad subdiaconatum ascendere , nequibit hoc sine consensu uxoris suæ, ut de carnali deinceps fiat conjugium spirituale , nemine eos ad hoc cogente . Nec permittitur postea uxor jungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius, alioqui anathematizanda est, A sicut & diaconus & subdiaconus & presbyter aut episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducens : juxta quod in Neocæsariensi concilio orthodoxi sanxere Patres.

XXXIII. Talibus ergo traditionibus usque nunc sancta Romana Ecclesia & apostolica sedes omni mundo refulsit , nec aliquando Judaicis fabulis & apocryphis scripturis acquievit, sed per primos Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Jesu fundata, nullis hæresibus cessit, nec prohibuit a conjugio laicos : sed sacri altaris ministros & apostolicam perfectionem professos monachos.

B XXXIV. Illa tamen Ecclesia , quam Arius corrupit, Macedonius prostituit , quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutychen, Monothelitas & Theupaschitas & reliquas hæreticorum pestes peperit , adhuc a Nicolai heresiarchæ complexibus abstrahi non potuit , adeo ut ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget , an habeant uxores. Qui respondentes se non habere : compelluntur primum ducere , & sic impositionis manum accipere, ut novi mariti , & recenti carnis voluptate toti resoluti & marcidi, & inter sancta sacrificia cogitantes, quomodo placeant uxoribus , immaculatum Christi corpus tractent atque populo distribuant, indeque sanctificatas manus ad tractandum membra C muliebria mox referant, & sit sicut populus sic & sacerdos, & tandem populi sicut sacerdotes mali.

XXXV. Quapropter parcite jam vobis, & nolite attendere spiritibus erroris & dæmoniorum doctrinis, ut nobiscum de vera pace , quæ Christus est, heic & in futuro gaudeatis. Tu vero miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema , ab omni Christi Ecclesia, cum omnibus qui tibi acquiescunt, in tam perversa doctrina. Nam volens esse legis divinæ doctor, non intelligis quæ loqueris, neque de quibus affirmas, & stultus ipse , sapientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas . Sed saltem aliquando disce tacere , qui numquam loqui didicisti.

Explicit responsio fratris Humberti episcopi contra Nicetæ blasphemias.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.

INCIPIT

BREVIS ET SUCCINCTA

COMMEMORATIO

EORUM QUÆ GESSERUNT APOCRISARII SANCTÆ ROMANÆ ET APOSTOLICÆ SEDIS

IN REGIA URBE,

Et qualiter anathematizati sunt Michael cum sequacibus suis.

I. ANno undecimo imperii Constantini Monomachi, indictione VII. ipso die nativitatis beati Joannis Baptistæ, advenientibus a Domino papa Leone Nono apocrisariis sanctæ Romanæ sedis, Humberto scilicet Cardinali episcopo Silvæ Candidæ, & Petro Amalphitanorum archiepiscopo; Friderico quoque diacono & cancellario, ad monasterium Studii intra urbem Constantinopolitanam. Niceta monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris & procerum ejus, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem apostolicam & omnem Latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum De azymo, de sabbato, de nuptiis sacerdotum. Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam sanctam Ecclesiam Romanam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorumdem nuntiorum Romanorum, jussit idem orthodoxus Imperator præfatum incendi scriptum, sicque fuit discessum.

II. Sequenti autem die prædictus Niceta urbe est egressus, ultro adiit legatos ipsos intra palatium Pigi. A quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adversus primam apostolicam sedem. Hic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorumdem Nuntiorum adversus diversas calumnias Græcorum, & maxime contra scripta Michaelis Constantinopolitani episcopi & Leonis Acridani metropolitani episcopi, & sæpedicti Nicetæ monachi, jussu Imperatoris in Græcum fuere translata, & in eadem urbe hactenus conservata.

III. Tandem Michaele præsentiam eorumdem & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii XVII. Cal. Augusti adierunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, Clero ex more ad Missas præparato jam hora tertia diei sabbati, chartam excommunicationis super principale altare posuerunt sub oculis præsentis cleri & populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, dictum Evangelii proclamantes: *Videat Deus & judicet*. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, & anathemate dato cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis accepta Orthodoxi Imperatoris licentia donisque Imperialibus sancto Petro & sibi, alacres cœpere reverti XV. Cal. Augusti; sed nimia instantia precum Michaelis, spondentis tunc demum se conflicturum cum eis, Imperator compulsus a Selembria litteris suis eos revocavit XIII. Cal. Augusti. Quo etiam die festinantes regressi devenerunt ad palatium Pigi. Quos præfatus Michael hæresiarca comperiens rediisse, quasi ad concilium conabatur adducere in Ecclesiam sanctæ Sophiæ, sequenti die, ut ostensa charta, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem a populo. Quod prudens Imperator præcavens, noluit haberi aliquod concilium, [1] nisi & ipse adesset præsens. Cumque hoc ei omnimodis Michael contradiceret, jussit Augustus ipsos nuntios confestim arripere iter. Quod & factum est. Porro vesanus Michael dolens suas non procedere insidias, concitavit Imperatori vulgi seditionem maximam, velut nuntiis cooperata fuerit ejus voluntas. Unde Imperator coactus, interpretes Latinorum Paullum ac filium ejus Smaragdum cæsos & detonsos Michaeli tradidit; sicque tumultus ille conquievit. Verum Imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis verissimum a civitate Russorum remissum sibi accepit, civibusque exhibuit, ac tandem Michaelem falsasse chartam legatorum comperit atque convicit. Itaque commotus, amicos & affines ipsius honoribus privatos a palatio eliminavit, contraque ipsum usque nunc graves iras retinuit. Denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale:

1. Narrat contraria *Michael*; asserit enim legatos semper renuisse Concilium & Imperatoris jussu fuisse excommunicatos, vide Michaelis epistolam apud Cotelex. Monum. Ecclesiæ Gr. tom. II.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1054.



H U M B E R T U S

DEI GRATIA CARDINALIS EPISCOPUS

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ,

PETRUS AMILFITANORUM

ARCHIEPISCOPUS,

F R I D E R I C U S

DIACONUS ET CANCELLARIUS,

Omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis.

„ Sancta & Romana prima & apostolica sedes, A „ ad quam tamquam ad caput sollicitudo o„ mnium Ecclesiarum specialius pertinet, eccle„ siasticæ pacis & utilitatis gratia ad hanc regiam „ urbem nos Apocrisarios suos facere dignata est, „ ut juxta quod scriptum est, descenderemus & „ videremus utrum opere completus sit clamor, „ qui sine intermissione ex tanta urbe conscendit „ ad ejus aures, aut si non est ita, ut sciret. „ Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi im„ peratores, clerus, senatus & populus hujus Con„ stantinopolitanæ urbis, & omnis Ecclesia catho„ lica, nos heic persensisse magnum, unde vehe„ menter in Domino gaudemus bonum: & maxi„ mum, unde miserabiliter contristamur, malum. B „ Nam quantum ad columnas imperii & honora„ tos ejus cives sapientes christianissima & ortho„ doxa est civitas. Quantum autem ad Michae„ lem abusive dictum patriarcham, & ejus stulti„ tiæ fautores, nimia zizania hæreseon quotidie se„ minantur in medio ejus. Quia sicut Simoniaci „ donum Dei vendunt: sicut Valesii hospites suos „ castrant, & non solum ad clericatum, sed in„ super ad episcopatum promovent: sicut Ariani „ rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptiza„ tos, & maxime Latinos: sicut Donatistæ affir„ mant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam „ Christi & verum sacrificium atque baptismum „ ex toto mundo periisse: sicut Nicolaitæ carna- C „ les nuptias concedunt, & defendunt sacri altaris „ ministris: sicut Severiani maledictam dicunt le„ gem Moysis: sicut Pneumatomachi vel Theu„ machi absciderunt a symbolo Spiritus sancti pro„ cessionem a Filio: sicut Manichæi inter alia, „ quodlibet fermentatum fatentur animatum esse: „ sicut Nazareni carnalem Judæorum munditiam „ adeo servant, ut parvulos morientes ante octa„ vum a nativitate diem baptizari contradicant, „ & mulieres in menstruo vel in partu periclitan„ tes communicari, vel si paganæ fuerint baptiza„ ri prohibeant, & capillos capitis ac barbæ nu„ trientes, eos qui comam tondent, & secundum „ institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, „ in communione non recipiant. Pro quibus er„ roribus & aliis pluribus factis suis, ipse Mi„ chael litteris domini nostri papæ Leonis admo„ nitus resipiscere contemsit. Insuper nobis nun„ tiis illius, caussa tantorum malorum rationabi„ liter reprimere volentibus, præsentiam suam & „ colloquium denegavit, & Ecclesias ad Missas „ agendum interdixit, sicut & prius Latinorum „ Ecclesias clauserat, & eos azymitas vocans, ver„ bis & factis ubique persecutus fuerat: in tan„ tum, ut in filiis suis anathematizasset sedem apo„ stolicam, contra quam se adhuc scribit Œcu„ menicum patriarcham. Unde nos quidem san„ ctæ primæ apostolicæ sedis inauditam contume„ liam & injuriam non ferentes, Catholicamque „ fidem subrui multis modis attendentes, auctori„ tate sanctæ & individuæ Trinitatis, atque apo„ stolicæ sedis, cujus legatione fungimur, & cun„ ctorum orthodoxorum patrum ex conciliis se„ ptem, atque totius Ecclesiæ catholicæ anathe„ mati, quod noster reverendissimus papa itidem „ Michaeli & suis sequacibus, nisi resipiscerent, „ denuntiavit, ita subscribimus.

„ Michael abusivus patriarcha neophytus, & „ solo humano timore habitum monachorum ade„ ptus, nunc etiam criminibus pessimis diffama„ tus, atque cum eo Leo Acridanus episcopus di„ ctus, & sacellarius ipsius Michaelis, Constanti„ nus, qui Latinorum sacrificium profanis concul„ cavit pedibus, & omnes sequaces eorum in præ„ fatis erroribus & præsumtionibus, sint anathema „ Maranatha, cum Simoniacis, Vallesiis, Arianis, „ Donatistis, Nicolaitis, Severianis, Pneumatoma„ chis & Manichæis & Nazarenis, & cum omni„ bus hæreticis, immo cum diabolo & angelis ejus, „ nisi forte resipuerint, Amen, amen, amen.

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia Imperatoris & optimatum ejus, viva voce:

„ Quicumque fidei sanctæ Romanæ & apostolicæ „ sedis ejusque sacrificio pertinaciter contradixerit, „ sit anathema, Maranatha, nec habeatur Chri„ stianus catholicus, sed [1] prozymita hæreticus. „ Fiat, fiat, fiat.

1. Qui azymis in sacrificio uti respuunt.

F I N I S.

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΣΑΜΩΝΑ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΓΑΖΗΣ

Διάλεξις πρὸς Αχμὲδ τὸν Σαρακηνὸν, ἀποδεικνύουσα τὸν ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἱερουργημένον ἄρτον καὶ οἶνον, σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινὸν καὶ ὁλόκληρον εἶναι τοῦ κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

BEATI SAMONÆ

GAZÆ CIVITATIS ARCHIEPISCOPI

Disceptatio cum Achmed Saraceno, perspicue docens, panem ac vinum, utrumque per sacerdotem consecratum, verum esse & integrum corpus ac sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

Ἐτυγχάνομέν ποτε πορευόμενοι τὴν εἰς Ἔμεσαν A I.
μετὰ πολλῶν ἄλλων· καὶ τῇ συνήθει διαλέξει τῇ καθ' ὁδὸν παραμύθιον ὥσπερ χρώμενοι, περὶ διαφόρων ὑποθέσεων, πέραν τοῦ δέοντος ἐν συνουσίᾳ διήλθομεν· ἐξ ὧν καί τις σοφὸς ἀνὴρ καὶ λόγιος, Σαρακηνὸς τὸ γένος, εἰς τὴν τῶν μυστηρίων διήγησιν τραπεὶς, ἠρώτησεν ἐμὲ, οὑτωσὶ φάσκων· διὰ τί, ὦ ἐπίσκοπε, ὑμεῖς οἱ ἱερεῖς ἐμπαίζετε τοὺς χριστιανοὺς, τὸν ἐξ ἀλεύρου ὀπτώμενον ἄρτον αὐτοῖς κατὰ βραχὺ μερίζοντες, καὶ σῶμα Χριστοῦ ὀνομάζοντες, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν παρέχειν αὐτὸν τοῖς μεταλαμβάνουσι δυνάμενον διαβεβαιοῦντες; ἆρα ἢ ἡμᾶς αὐτοὺς ἐμπαίζετε, ἢ τοὺς ὧν ἄρχετε; Σα. Καὶ τί λέγεις; ἄρτος οὐ γὰρ Θεοῦ σῶμα; Αχ. Εκάτερον ἀπορῶ μέρος ἀποκρίνασθαι τῆς ἀντιφάσεως. Σα. Τοσοῦτόν σε ἡ B μήτηρ σου γεγέννηκεν; Αχ. Οὐχί. Σα. Ἀλλὰ πόσον; Αχ. Σμικρόν. Σα. Καὶ τίς σε ἐμεγέθυνε; Αχ. Θεοῦ θέλοντος, ἡ τροφή. Σα. Οὐκοῦν ἄρτος σοι γέγονε σῶμα; Αχ. Σύμφημι. Σα. Καὶ πῶς σοι ἄρτος γέγονε σῶμα; Αχ. Τὸν τρόπον ἀγνοῶ. Σα. Διὰ τοῦ λαιμοῦ ἡ βρῶσις καὶ ἡ πόσις εἰς τὸν στόμαχον κατέρχεται, ὡς εἰς χύτραν· παρακειμένου δὲ τῷ στομάχῳ θερμοῦ ὄντος τοῦ ἥπατος, ἕψεται ἡ τροφὴ καὶ χυλοῦται· καὶ τὸ μὲν παχυμερὲς, κάτω χωρεῖ· τὸ δὲ λεπτομερὲς, κεχυλωμένον ἐπιπολάζει. ὡς θερμὸν δὲ ὑπάρχον τὸ ἧπαρ καὶ σομφῶδες, ἀνασπᾷ καὶ αἱματοῖ· καὶ ὡς δι' ὀχετῶν ἅπαν τὸ σῶμα διὰ τῶν φλεβῶν καταρδεύει· μερίζον τὴν χυλωθεῖσαν ἐν τῷ στομάχῳ C τροφὴν, καὶ ἐν αὐτῷ αἱματωθεῖσαν, ἑκάστῳ τῶν μελῶν συμμεταβαλλομένην, οἷόν ἐστιν ἐκεῖνο, ὀστέοις ὀστοῦν, μυελῷ μυελὸν, νεύροις νεῦρον, ὀφθαλμοῖς ὀφθαλμοὺς, θριξὶ τρίχα, δέρματι δέρμα, ὄνυξιν ὄνυχα· καὶ οὕτω γίνεται ἡ τοῦ βρέφους εἰς ἄνδρα αὔξησις, τοῦ ἄρτου αὐτῷ γεγονότος σῶμα, καὶ τῆς πόσεως, αἷμα. Αχ. Ἔοικε. Σα. Τρόπον τὸν αὐτὸν καὶ τὸ ἡμέτερον νόει μοι γίνεσθαι μυστήριον· τίθησιν γὰρ ἐπὶ τὴν ἁγίαν τράπεζαν ὁ ἱερεὺς τὸν ἄρτον, ὁμοίως καὶ τὸν οἶνον· καὶ δεομένου, ἐπικλήσει ἁγίᾳ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κάτεισι, καὶ ἐπιφοιτᾷ τοῖς προκειμένοις· καὶ τῷ πυρὶ τῆς αὐτοῦ θεότητος, εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον μεταβάλλει, D οὐχ ἧττον ἢ τὸ ἧπαρ τὴν τροφὴν, εἰς τὸ τοῦ τινος ἀνθρώπου. ἢ οὐ δίδως, ὦ τᾶν, δύνασθαι τὸ πανάγιον τοῦ Θεοῦ πνεῦμα, ὅπερ τὸ σὸν δύναται ἧπαρ ἐκπληροῦν; Αχ. Δίδωμι.

A I. Aliquando forte proficiscebamur Emesam cum multis aliis, & familiari colloquio de variis atque diversis rebus utentes, quod nos in itinere consolabatur, ultra quam decuit in sermone progressi sumus: ex quorum numero vir quidam doctus atque facundus, genere Saracenus, ad narrationem mysteriorum conversus, me interrogavit his verbis: Heus! ex te audire velim episcope, quamobrem vos sacerdotes Christianis illuditis, dum panem ex farina coctum eis minutim partientes, corpusque Christi nominantes, remissionem peccatorum exhibere posse iis qui eum recipiunt, confirmatis. Vobisne ipsis illuditis, an iis in quos habetis imperium? Samonas. Quid narras? panisne Dei corpus B efficitur? Achmed. In utram partem contradictionis respondeam, mihi incertum est. Sam. Tantumne quantus es te genuit mater tua? Ach. Minime. Sam. Sed quantum? Ach. Parvulum. Sam. Quis te in magnitudinem ita produxit? Ach. Alimentum, Deo ita annuente. Sam. Ergo panis tibi in corpus conversus est. Ach. Ita prorsus existimo. Sam. Quo tandem pacto panis tibi conversus est in corpus? Ach. Haud quidem scio. Sam. Per guttur cibus & potus in ventriculum demittuntur, tamquam in ollam aliquam. Sed cum hepar calidum adjaceat stomacho, coquitur alimentum, & in chylum convertitur: quodque crassum est, deorsum abit: quod autem tenue, in chylum mutatum innatat. At C vero cum jecur sit calidum, molle & laxum, ad se attrahit & in sanguinem convertit: nec non universum corpus per venas veluti per canales irrigat, alimentum in chylum conversum in ventriculo distribuens, in ipsoque in sanguinem conversum, singulis membris commutatum, cujusmodi est illud: ossibus os, medullæ medullam, nervis nervum, oculis oculos, capillis capillum, cuti cutem, unguibus unguem: atque ita fit infantis incrementum in virum, pane ei in corpus mutato, & potione in sanguinem. Ach. Vera memoras. Sam. Eodem etiam pacto intelligas fieri nostrum mysterium. Sacerdos enim panem super mensam sanctam deponit, pariter & vinum: & comprecando, invocatione D sancta Spiritus sanctus descendit, & supervenit in ea quæ sunt proposita: & igne suæ divinitatis, in corpus & sanguinem Christi, panem & vinum commutat, non minus quam jecur alimentum in corpus cujusdam hominis. An non, amabo, concedis posse sacrosanctum Dei Spiritum idem præstare quod tuum jecur? Achmed. Concedo.

Σα. Τούτου τοίνυν τοῦ σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, τοῦ δεσπότου ἡμῶν εἰρηκότος· ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· τοῖς δὲ δυσπειθῶς ἔχουσι πρὸς τὸ φαινόμενον, ὡς μὴ βλέπουσι τὸ συμβαῖνον τῇ ἐπαγγελίᾳ τῶν σωματικῶς ἐνεργουμένων [ἄρτος γὰρ καὶ οἶνος φαίνεται] προσέτι δὲ καὶ τοῖς λέγουσι, πῶς ἐστι δυνατὸν εὐχὴν καὶ δυνάμεως θείας ἐπίκλησιν ἐπὶ τοῦ ἄρτου γενομένην, μεταβάλλειν αὐτὸν εἰς σάρκα ζῶσαν, ἁπλοῦς ἐξαρκεῖ λόγος· ἀντερωτήσομεν γὰρ, τοῦ τρόπου τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως, πᾶσιν ὄντος προδήλου, πῶς ἄνθρωπος ἐκεῖνο τὸ ὑγρὸν γίνεται, τὸ εἰς ἀφορμὴν τῆς συστάσεως τοῦ ζώου καταβαλλόμενον; ἀλλὰ μὴν, οὐδεὶς ἐπ' ἐκείνου λόγος ἐστὶν, ὁ λογισμῷ τινι τὸ πιθανὸν ἐξευρίσκων. τί γὰρ κοινὸν ἔχει ὅρος ἀνθρώπου πρὸς τὴν ἐκείνην θεωρουμένην ποιότητα συγκρινόμενος; ἄνθρωπος μὲν γὰρ, λογικόν τι χρῆμα καὶ διανοητικόν ἐστιν· ἐκεῖνο δὲ ἐν ὑγρᾷ τινι θεωρεῖται ποιότητι· καὶ πλέον οὐδὲν τοῦ κατ' αἴσθησιν ὁρωμένου, καταλαμβάνει ἡ ἔννοια· ἀλλὰ θείᾳ δυνάμει ἐκεῖνο ἄνθρωπος γίνεται· ἧς μὴ συμπαρούσης, ἀκίνητόν ἐστι καὶ ἀνενέργητον. εἰ οὖν ἐκεῖ οὐ τὸ ὑποκείμενον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἡ θεία δύναμις πρὸς ἀνθρώπου φύσιν μεταποιεῖ τὸ φαινόμενον, τῆς ἐσχάτης ἂν εἴη ἀγνωμοσύνης, ἐκεῖ τοσαύτην Θεοῦ προσμαρτυροῦντας δύναμιν, ἀτονεῖν ἐν τῷ μέρει τούτῳ τὸ θεῖον οἴεσθαι, πρὸς τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ θελήματος. Αχ. Ἀλλὰ τί κοινὸν ἄρτῳ καὶ σαρκί; Σα. Καὶ τί κοινὸν, λέξον μοι, ὑγρότητι καὶ εἰκόνι Θεοῦ; ἀλλ' ὥσπερ οὐδὲν ἐκεῖ τὸ παράδοξον, εἰ Θεοῦ βουλομένου, πρὸς τὸ τιμιώτατον ζῶον τὸ ὑγρὸν μεταβαίνει, οὕτω καὶ ἐπὶ τούτου τὸ ἴσον πιστευτέον, μηδὲν εἶναι θαυμαστὸν, εἰ θείας δυνάμεως παρουσίᾳ πρὸς ἀφθαρσίαν με[illegible]ζεται ὁ ἄρτος, καὶ εἰς σῶμα Χριστοῦ μεταβάλλεται.

Αχ. Ἀλλ' ὁ Χριστὸς ὅτε τοῦτο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ παρέδωκε, οὔτ' αὐτὸς πολλὰς εὐχὰς εἶπε, οὔθ' ὑμῖν οὕτω προεπέτρεψε λέγειν. πῶς τοίνυν ὑμεῖς οὐχ οὕτω ποιεῖτε, ἀλλ' εὐχῶν πολλῶν δεῖσθε; Σα. Ο Χριστὸς καθὸ Θεὸς, κύριος ἦν καὶ τοῦ ἑαυτοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς, ᾗ φησιν αὐτὸς, ὅτι ἐξουσίαν ἔχω τὴν ψυχήν μου δοῦναι, καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν. καὶ αὐτὸς φύσει Θεὸς ὢν, ἡγίασεν εὐθὺς τῇ αὐτοῦ θείᾳ δυνάμει καὶ χάριτι τότε τὸν ἄρτον, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου εἰπὼν, ἔχων καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα ἐν ἑαυτῷ· καὶ οὕτως τὸν ἄρτον οἰκεῖον σῶμα ἐποίησε· καὶ οὐκ ἐδεῖτο ἑτέρου τινὸς ὑπερέχοντος, καὶ τὸν ἄρτον ἁγιάσοντος· τὸ γὰρ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται· αὐτὸς δὲ ὁ Χριστὸς οὐκ ἐλάττων ὢν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ πνεύματος, αὐτεξουσίως ἐποίει ὅσα ἐβούλετο. ὁ δέ γε παρ' ἡμῖν ἱερεὺς, εἰ καὶ τύπον φέρει Χριστοῦ, ἀλλ' ἄνθρωπός ἐστι παντὶ τρόπῳ ὑποκείμενος ἁμαρτίαις καὶ κατεχόμενος [οὐδεὶς γὰρ ἀναμάρτητος, ὡς τὸ θεῖον λόγιον, κἂν μία ὥρα ἐστὶν ἡ ζωὴ αὐτοῦ, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός.] διὰ τοῦτο δεῖται πολλῶν εὐχῶν, καὶ πρότερον μὲν ὑπὲρ τῶν οἰκείων ἀγνοημάτων, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ, ὥς φησιν ὁ ἀπόστολος Παῦλος. διὸ καὶ πᾶς ὁ λαὸς παριστάμενος ἔξω τοῦ ἀδύτου, συμπονεῖ καὶ συμπροσεύχεται τῷ ἱερεῖ. δέεται τοίνυν ὁ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, ὡς μέσον Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἱστάμενος πρέσβυς, ἵνα μὴ κώλυμα γένηται τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπελεύσεως, ἀλλὰ καταπέμψῃ καὶ αὖθις τὸ πανταχοῦ παρὸν θεῖον καὶ τελεταρχικὸν καὶ ἁγιαστικὸν πνεῦμα, δι' οὗ τὰ πάντα τά τε ἐν οὐρανῷ, τά τε ἐπὶ γῆς λεγόμενα ἅγια, τῇ μετοχῇ τῆς ἁγιαστικῆς αὐτοῦ χάριτος ἁγιάζεται, εἰς τὸ τελεσιουργῆσαι τὸν προκείμενον εἰς

II. SAMONAS. Hoc igitur corpus & sanguinem assumimus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, Domino nostro dicente: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Iis vero qui non facile credunt ob id quod apparet, tamquam non videntibus id evenire quod res pollicetur corporaliter effici (panis enim & vinum apparent) præterea iis qui dicunt, Quo pacto fieri potest ut oratio & divinæ virtutis invocatio super pane facta, transmutet eum in carnem vivam, simplex & unica ratio satis erit. Contra enim interrogabimus, cum ratio carnalis generationis omnibus sit perspicua, quei illud humidum quod infunditur ad procreationem animalis, in hominem convertitur? Atqui nulla est in hac re ratio, quæ ratiocinatione aliqua probabile quid excogitare queat. Quidnam enim commune definitio hominis collata cum illa qualitate quæ cernitur, habet? Nam homo est quiddam rationis particeps, vique intelligendi præditum: illud autem in humida quadam qualitate cernitur. Nilque amplius quam id quod sensu cernitur, comprehendit intelligentia. Sed virtute divina illud convertitur in hominem: qua sublata, perstat immotum & inefficax. Si igitur illic, non id quod subjectum est, hominem efficit: sed virtus divina transfert id quod apparet in naturam hominis, extremæ est inscitiæ, illic tantam tamque immensam Dei potentiam attestantes, existimare, heic Deum impotentem esse, ut adimpleat suam voluntatem. ACH. Sed quid pani commune est cum carne? SAM. Dic mihi quæso, quid commune humori cum imagine Dei? Verum quemadmodum nil est illic novum & inauditum, si volente Deo humidum transeat in animal nobilissimum: ita etiam hic pariter credendum est, non esse mirum, si virtutis divinæ accessu ad immortalitatem panis transeat, & in corpus Christi convertatur.

III. ACHMED. At vero quum Christus hoc discipulis suis tradidit, non multas precationes effudit, neque sic vos admonuit dicere. Quomodo igitur vos non ita facitis; immo precibus multis vobis opus est? SAM. Christus quatenus Deus, dominus erat sui corporis & animæ, ut ipse ait, *Potestatem habeo dandi animam meam, & rursum accipiendi eam*. Cum igitur ipse natura esset Deus, illico tunc panem illum sua potentia divina & gratia sanctificavit: *Hoc est corpus meum*, dicens, habens patrem ac Spiritum sanctum in semetipso, sicque panem in corpus proprium convertit: nec alio quopiam se præstantiore opus habuit, qui sanctificaret panem. Nam *quod inferius est, benedicitur a superiore*. Siquidem ipse Christus, cum non sit inferior patre & Spiritu sancto, sua potentia quicquid vellet, efficiebat. Sacerdos autem qui est apud nos, etsi Christi typum gerat, tamen homo est, omnino obnoxius peccatis, & obvinctus. (*Nemo* enim *expers peccati*, ut divinus sermo habet, *licet unius horæ sit vita ejus*, nisi solus Deus:) *propterea indiget multis precibus, & primum quidem pro ignorantiis propriis, deinde pro peccatis populi*, ut ait apostolus Paullus. Quocirca & omnis populus astans extra adytum, cum sacerdote comprecatur, eumque adjuvat. Sacerdos igitur Deum patrem orat, utpote qui sit inter Deum & homines constitutus legatus, ne quid intercedat impedimenti, quominus sacrosanctus Spiritus adveniat; sed rursus demittat Spiritum divinum, sacræ hujus operationis initiatorem atque sanctificatorem, qui nullo non loco præsens est, per quem omnia quæ in cælo & in terra, sancta dicuntur, participatione ejus sanctificantis gratiæ sanctificantur, ut propositum panem & calicem

θυσίαν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον, καὶ ποιῆσαι αὐτὰ, αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ κυριακὸν σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ· ὁ πατὴρ γὰρ εὐδόκησέ φασι τὰ παρ' ἡμῖν λόγια· καὶ ὁ υἱὸς ἐσκήνωσε, καὶ ἡ παρθένος ἔτικε Θεὸν ἐνανθρωπήσαντα, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα συνήργησεν· ὃ καὶ ἐκ τῶν παρθενικῶν αἱμάτων μέρος λαβὸν, ᾠκοδόμησε τὸν σωματικὸν ναὸν τοῦ Χριστοῦ. κἀντεῦθεν δηλοῦμεν καὶ τὸ ἀχώριστον καὶ ἰσοδύναμον, καὶ ὁμοφυὲς καὶ παντοδύναμον τῆς ἁγίας τριάδος, εἰ καὶ ταῖς ὑποστάσεσι διῄρηται· καὶ ὅτι ἔνθα ἐστὶ μία τῶν τριῶν ὑποστάσεων, ἀχωρίστως καὶ αἱ λοιπαὶ δύο τῇ φύσει σύνεισιν, ὡς συνδημιουργαὶ καὶ τοῦ παντὸς προνοητικαί.

A in sacrificium perficiat, & ea commutet in illud ipsum dominicum corpus & sanguinem Christi. Nam patri complacitum est, ut ajunt oracula nostra, & filius habitavit, & virgo peperit Deum incarnatum, & Spiritus sanctus cooperatus est, qui ex virgineo sanguine parte sumta, ædificavit corporale templum Christi. Hinc quoque demonstramus inseparabilitatem potentiæ simul & naturæ æqualitatem, insuper omnipotentiam sanctæ Trinitatis, licet tribus distinguatur personis: quodque ubi una est trium personarum, ibi & simul natura adsunt reliquæ duæ inseparabiliter, tamquam cooperatrices, suaque providentia universitatem creaturarum moderantes.

B

Αχ. Καλῶς τὰ ἀπόρρητα διεξέρχῃ. ἀλλὰ τί δή ποτε ὁ Χριστὸς τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐσθίειν τοῖς εἰς αὐτὸν πιστεύουσι παρέδωκεν; Σαμ. Ἀρρήτῳ φιλανθρωπίᾳ καὶ θαυμαστῇ οἰκονομίᾳ ἐγένετο· τοῦτο μὲν πρὸς ἀποτροπὴν τῶν ἐναντίων δυνάμεων, τοῦτο δὲ καὶ εἰς περιποίησιν ἡμῶν ψυχῆς ἅμα καὶ σώματος· ἐπειδὴ οὐκ ἦν δυνατὸν ἔτι καὶ σωματικῶς ἡμῖν τοῖς ἐπὶ γῆς τὸν Χριστὸν μέχρι συντελείας τοῦ αἰῶνος συναναστρέφεσθαι καὶ συνδιάγειν, καὶ τὰς παντοίας νόσους ἡμῶν ἑκάστῃ ὥρᾳ ἰᾶσθαι. διὰ τοῦτο τοίνυν παντοδύναμος ὢν καὶ πολυεύσπλαγχνος καὶ φιλάνθρωπος, οὐκ ἠβουλήθη ἡμᾶς μὴ χωρίζεσθαι ἀπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς τέκνα αὐτῷ συνεῖναι διὰ τῆς μετοχῆς καὶ κοινωνίας τούτου τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ὕδατος, ὡς συνηθεστέρων ὄντων τῇ ἡμετέρᾳ φύσει, καὶ μὴ βδελυκτῶν, εἰς σῶμα αὐτοῦ, καὶ αἷμα μεταβαλλομένων θείᾳ δυνάμει κατὰ τὴν αὐτοῦ πρόσταξιν· ὃ καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ φυλακτήριον ψυχῆς τε καὶ σώματος τοῖς πίστει ἀξίως μεταλαμβάνουσι γίνεται· ἐὰν γὰρ μὴ φάγητε, ἔφη, τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς· διὸ καὶ ἡμῖν οὕτω παραδοθὲν, καὶ φυλάττεται καὶ ἀναμφιβόλως πιστεύεται, ἄχρις οὗ ἂν αὐτὸς ἔλθῃ, κατὰ τὴν τοῦ Παύλου φωνήν.

IV. ACHMED. Probe arcana memoras. Sed cur tandem Christus tradidit corpus suum edendum in se credentibus? SAM. Ineffabili erga nos benignitate, miraque dispensatione factum est: partim ad aversionem contrariarum potestatum; partim & ad conservationem animæ nostræ simul & corporis: quandoquidem non amplius fieri poterat, ut Christus una nobiscum in terra corporaliter versaretur, & habitaret usque ad consummationem sæculi, & omnifarios morbos nostros singulis horis sanaret: hanc sane ob caussam omnipotens, cum sit multum misericors, clemens, atque benignus, noluit nos a se separari: sed perinde atque filios suos secum esse C per participationem atque communionem hujus panis atque vini & aquæ, eo quod res istæ familiarius naturæ nostræ congruant, nec quisquam eas fastidiat aut exsecretur, quæ in corpus ipsius & sanguinem mutantur divina virtute, juxta illius præceptum, quod etiam cedit in remissionem peccatorum & in vitam æternam, ac in tutelam animæ & corporis, digne illud cum sincera fide assumentibus. *Nisi enim manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quo circa nobis ita traditum, & servatur & citra ullam controversiam creditur; quoad ipse venerit, juxta Paulli vocem.

Αχ. Αὕτη ἄρα ἡ κοινωνία καὶ ἡ θυσία τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, ἣν προσφέρετε οἱ ἱερεῖς, σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινόν ἐστι Χριστοῦ, ἢ ἀντίτυπος τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὡς ἡ θυσία τοῦ τράγου ἣν Ἰουδαῖοι προσάγουσι; Σα. Μὴ γένοιτο ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ τὴν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον, ἢ τύπον, ἢ εἰκόνα, ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πιστευομένων μεταλαμβάνειν, τοῦ σαρκωθέντος καὶ γεννηθέντος ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· οὕτω γὰρ πιστεύομεν, καὶ οὕτως ὁμολογοῦμεν κατὰ τὴν φωνὴν αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, ἣν πρὸς τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τοῦ δείπνου τοῦ μυστικοῦ μεταδιδοὺς αὐτοῖς τὸν ζωοποιὸν ἄρτον, ἔλεγε· λάβετε, φάγετε, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μεταδιδοὺς αὐτοῖς, φησί· τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα. οὐκ εἶπε, τοῦτό μού ἐστι τὸ ἀντίτυπον τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, ἢ ἡ εἰκών. καὶ ἐν ἑτέροις δὲ πλείοσι τόποις φαίνεται ὁ Χριστὸς εἰπὼν, ὅτι ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. λοιπὸν, αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ μαρτυροῦντος, ὅτι σῶμα αὐτοῦ ἐστιν ἀληθῶς καὶ αἷμα, ὅπερ οἱ πιστοὶ προσάγοντες μεταλαμβάνομεν, τί δεῖ πλέον περὶ τούτου ἀμφιβάλλειν, εἰ Θεὸν καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ αὐτὸν εἶναι πιστεύομεν; εἰ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὸν κόσμον πεποίηκε, καὶ ὁ αὐτοῦ λόγος ἀληθής ἐστι, καὶ ζῶν, καὶ ἐνεργὴς, καὶ παντοδύναμος, καὶ πάντα ὅσα ἠθέλησεν, ὁ κύριος ἐποίησεν· οὐ δύναται τὸν ἄρτον εἰς τὸ ἴδιον αὐτοῦ σῶμα μεταποιῆσαι, καὶ τὴν

D V. ACHMED. Hæccine communicatio & sacrificium corporis & sanguinis Christi, quod offertis sacerdotes, verumne est Christi corpus & sanguis verus, an exemplar corporis ejus, perinde atque sacrificium hirci, quod Judæi offerunt? SAM. Absit quod nos appellemus exemplar corporis Christi, sanctam communionem, aut panem nudum, aut figuram, aut imaginem: quinimmo corpus ipsum revera, & sanguinem Christi Dei nostri a Deo assumtum assumimus, qui incarnatus, & genitus est ex sancta Dei genitrice semperque virgine Maria. Sic enim credimus, & ita profitemur juxta vocem ipsius Christi, quam ad discipulos in cœna illa mystica, tradens eis panem vivificantem, pronuntiabat: *Accipite*, E *comedite, hoc est corpus meum*. Similiter & calicem eis tradens, inquit: *Hic est sanguis meus*. Non dixit: Hoc est exemplar mei corporis & sanguinis, aut imago. Et in plerisque aliis locis constat Christum dixisse: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Ceterum cum ipsemet Christus testificetur, corpus suum esse revera & sanguinem, id quod nos fideles offerendo assumimus, quid amplius est opus de hac re dubitare, si Deum & filium Dei ipsum esse credimus? Si enim ex nihilo mundum condidit, & verbum ejus verum est, vivum, efficax atque omnipotens, & quæcumque voluit Dominus, fecit omnia; nonne potest panem in suum ipsius corpus mutare, & aquæ & vini commixtionem in proprium sangui-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1056.

τοῦ ὕδατος καὶ οἴνου κρᾶσιν εἰς τὸ ἴδιον αἷμα; ὡς γὰρ εἶπεν ἐν τῇ ἀρχῇ· βλαστησάτω ἡ γῆ χλοάζουσαν βοτάνην, καὶ μέχρι τοῦ νῦν ὕοντος αὐτοῦ βλαστάνει βοτάνας ἡ γῆ, ὑπερασπιζομένη καὶ βιαζομένη ὑπὸ τῆς κελεύσεως τοῦ Θεοῦ· οὕτως εἶπεν ὁ Θεὸς, τοῦτο ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ τοῦτο ἐστι τὸ αἷμά μου, καὶ, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· καὶ ταύτῃ τῇ τοῦ παντοδυνάμου προστάξει μέχρι τῆς αὐτοῦ δευτέρας παρουσίας γίνεται, θείᾳ ἐπιπνοίᾳ καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος.

A nem? Nam quemadmodum initio dixit: *Germinet terra herbam virentem*, & usque in hodiernum diem, eo pluviam mittente, terra germinat herbas, quæ Dei auxilio protegitur, ejusque jussu id præstare cogitur, ita loquutus est Deus: *Hoc est corpus meum*. Et: *Hic est sanguis meus*. Et: *Hoc facite in meam commemorationem*. Idque omnipotentis mandato usque ad ejus secundum adventum fit, divina inspiratione & accessu Spiritus sancti.

Αχ. Αλλὰ διὰ τί μᾶλλον ὁ Χριστὸς ὑπὸ τῷ εἴδει ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου, καὶ ὕδατος, τοῦ σώματος αὐτοῦ κεκρυμμένου καὶ τοῦ αἵματος, μεταλαμβάνειν παρέδωκεν, ἢ ὑπὸ ἄλλῃ ὕλῃ; Σα. Καὶ ἤδη εἴρηκα περὶ τούτου, καὶ πάλιν λέξω. Θεοῦ συγκαταβάσει καὶ ἀφάτῳ προνοίᾳ, ἀφέσει τε καὶ ἀξιώσει εἰς ὑμᾶς τοῦτ' ἐγένετο, ἵνα τοῖς τῆς φύσεως συνήθεσιν, εἰς τὸ φαγεῖν καὶ πιεῖν διαπερῶμεν, καὶ ἀναφερώμεθα εἰς τὰ ὑπὲρ φύσιν, φημὶ δ' εἰς τὰ θεῖα μυστήρια. ἀλλ' οὖν ἐν πᾶσι τοῖς ἄλλοις βρώμασιν ὁ ἄρτος τὴν πρώτην εἴληφε τάξιν, ὁμοίως καὶ ἐν τοῖς ποτοῖς τὸ ὕδωρ καὶ ὁ οἶνος προτερεύει. τούτοις τοίνυν, τῷ ἄρτῳ φημὶ καὶ τῷ οἴνῳ καὶ ὕδατι ἡμῖν ἐθισθεῖσι συζεύξας ὁ κύριος τὴν αὐτοῦ θεότητα, τῇ δυνάμει τοῦ ῥήματος αὐτοῦ, ᾗ τὰ πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήγαγεν, εἰς τὸ ἴδιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα αὐτὰ μεταβάλλει· ἄρτος δ' ὅμως καὶ οἶνος παραλαμβάνεται καὶ φαίνεται. καὶ τοῦτο τῷ οἰκονομικῷ τρόπῳ καὶ συγκαταβατικῇ δωρεᾷ, ἀφαιρεῖται ἡμῶν τὴν φρίκην καὶ τὸν φόβον, ὃν φρίττοντες κατείχομεν ἄν, εἰ τὴν αὐτοῦ σάρκα ἐν τῷ αὐτῆς ἰδίῳ εἴδει, καὶ τὸ αἷμα ἐκέλευσεν ἡμᾶς λαμβάνειν. πρὸς τούτοις δὲ, καὶ τὰ ἔκφυλα γένη, ἡμῶν σαρκοβορίαν κατέγνωσαν ἄν, λέγοντα δίκην θηρίων ἡμᾶς αἱμοποτεῖν καὶ ὠμοβορεῖν, ἃ διὰ τὴν ἀπιστίαν, ἄρτον μόνον καὶ οἶνον ὁρῶσιν· οἱ δὲ πιστοὶ, σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ αἷμα τὸ ἐκ τῆς ἀχράντου χεόμενον πλευρᾶς· ὥσπερ καὶ ἐν τῷ τοῦ βαπτίσματος λουτρῷ οἱ ἀπιστίᾳ κατεχόμενοι, ὕδωρ μόνον ἐπὶ τῆς κολυμβήθρας ὁρῶσιν· οἱ δὲ πιστοὶ, τὸ ὕδωρ καὶ πῦρ καὶ πνεῦμα καθορῶσιν. ὅταν δὲ κἀκεῖνοι μέτοχοι γένωνται τοῦ βαπτίσματος, τότε καὶ αὐτοὶ τὸ βέβαιον ἐκ τοῦ αἰσθητοῦ λαμβάνουσι πρὸς τὴν ἀόρατον ἀναγέννησιν. ὥστε, εἴ τις ἐστὶν ἐν τῷ ὕδατι χάρις, οὐκ ἐκ τῆς φύσεώς ἐστι τοῦ ὕδατος, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πνεύματος παρουσίας.

VI. ACH. Sed quare Christus sub specie panis, vini, & aquæ abditum suum corpus & sanguinem potius assumendum tradidit, quam sub alia mate-
B ria? SAM. De hoc superius dixi, rursus etiam dicturus. Demittente enim se Deo, perque ipsius inenarrabilem providentiam, condonationem, & erga nos dignationem, factum est, ut per ea quæ nobis usu ad edendum & bibendum familiaria sunt, transeamus, & ad ea sustollamur quæ nostram exsuperant naturam, id est, ad mysteria divina. Quinetiam inter alios omnes cibos, panis sibi primum locum vendicavit. Itidem & inter potiones aqua & vinum primas tenent. His igitur, pane, inquam, vino & aqua nobis assuefactis, Dominus conjuncta sua divinitate, virtute sui verbi, qua omnia ut essent ex nihilo produxit, in proprium suum corpus & sanguinem ea transfert. Verumtamen panis
C & vinum assumuntur, & apparent. Idque prudenti dispensatione ac gratuita demissione sui ad captum nostrum, tollit a nobis horrorem atque metum qui deterriti ab eo resiliissemus, si carnem suam in sua propria specie, & sanguinem jussisset nos assumere. Ad hæc; exteræ quoque nationes condemnassent nos voracitatis carnis humanæ, dicentes, nos more ferarum sanguinem bibere, & crudam carnem vorare: quæ propter incredulitatem solum panem & vinum intuentur: sed fideles corpus Christi & sanguinem ex incontaminato ejus latere effusum. Quemadmodum & in lavacro baptismatis, qui sunt infideles, solam aquam in piscina vident: fideles autem, aquam, ignem, & Spiritum contemplantur.
D Quum vero illi etiam participes baptismatis fuerint effecti, tunc ipsi quoque firmitatem ac robur a re sensibus percepta sumunt ad invisibilem regenerationem. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex aquæ natura, sed ex adventu Spiritus sancti.

Αχ. Πρόδηλον, ὅτι πάντα τρόπον καλῶς κηρύττεις καὶ διεξέρχῃ τὰ τῆς πίστεως τοῦ Χριστοῦ μυστήρια. περὶ τούτου δὲ ἀποσιτήσειεν ἄν τις; πῶς εἷς ὢν ὁ Θεὸς καὶ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ ἕν, εἰς ἀναρίθμητα σώματα καὶ μέρη διαιρεῖται. πολλοὶ τὰ διαιρούμενα ἄρα Χριστοί εἰσιν, ἢ εἷς, ἢ ἐν ἑκάστῳ μέρει εἷς, καὶ ὁ αὐτὸς σῶος καὶ ὁλόκληρος; Σα. ἐκ τῶν αἰσθητῶν καὶ ὑλικῶν παραδειγμάτων, τὰ ἄϋλα καὶ τὰ ὑπὲρ φύσιν ἀποδεικνύομεν, ἀκουέτω τοίνυν τούτου τοῦ παραδείγματος, καὶ νοείτω τὴν ἐν αὐτῷ ἐγκεκρυμμένην τοῦ λόγου δύναμιν. θετέον. κάτοπτρόν τις ἔσχηκὼς προσούδισε, καὶ εἰς πολλὰ κλάσματα κατέκλασεν· ἐν ἑκάστῳ δ' ὅμως κλάσματι τὴν σκιὰν σώαν τις ὄψεται· οὕτω νοήσαι ἄν τις καὶ ἐκ ταύτης τῆς σκιᾶς, τὴν τοῦ Χριστοῦ σάρκα εἶναι σώαν καὶ ὁλόκληρον ἐν ἑκάστῳ κλάσματι, καθ' ὥραν καὶ ὁσάκις καὶ πανταχοῦ κλωμένῳ. καὶ αὖθις λάβε καὶ ἕτερον παράδειγμα· πᾶν ὅ, τι ἄνθρωπος ῥῆμα προφέρων λέγει, καὶ ὁ λέγων νοεῖ αὐτὸ καὶ ἀκούει, καὶ οἱ παρ' αὐτῷ ἀκούουσιν, εἰ καὶ πολλοί εἰσιν οἱ ἀκούοντες, οὐ διῃρημένον, ἀλλ' ὁλόκληρον· τὸν αὐτὸν τρόπον θετέον καὶ ἐπὶ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ· τὸ τοῦ Χριστοῦ

VII. ACH. Non dubium est, quin omnibus modis recte prædices & recenseas mysteria fidei Christianæ. Verum de hac re ambigere quis posset, quo pacto cum sit unus Deus & unum corpus Christi, in infinita corpora & partes dividatur. Multi sunt ergo Christi quæ dividuntur, an unus? aut in singulis partibus unus & idem salvus & integer? SAM. His exemplis quæ sub sensum & materiam cadunt, de-
E claramus ea quæ carent materia, & quæ supra naturam sunt. Audiat igitur quispiam hoc exemplum, & intelligat vim verbi quæ in eo abdita est. Ponamus ita esse: Quispiam habens speculum allisit terræ, & in multa fragmenta comminuit: in singulis tamen fragmentis umbram sui salvam quis videre possit: sic intelligat oportet ex hac umbra, carnem Christi esse salvam atque integram in unoquoque frusto, quocumque tempore, quoties, & ubicumque frangitur. Rursusque tibi aliud exemplum assume. Omne verbum quod homo proferendo emittit, & qui loquitur, ipsum audit, atque intelligit, & qui circumstant: etsi multi sunt qui audiant, non tamen divisum, sed integrum audiunt. Eodem modo ponendum est & affirmandum in corpore Chri-

πανάγιον σῶμα, καθεζόμενον παρὰ τῷ πατρὶ, μένει ἐν αὐτῷ· ἀλλὰ δὴ καὶ ὁ ἱερουργούμενος ἄρτος εἰς τὸ ἀληθὲς τοῦ Χριστοῦ σῶμα μεταβαλλόμενος, δυνάμει θείᾳ δι' ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου πνεύματος, καίπερ μερίζεται, ἀλλ' ὁλόκληρον καὶ σῶον ἐν ἑκάστῳ κλάσματι σώζεται, ὡς καὶ ὁ λόγος τοῦ λέγοντος πρὸς πάντας τοὺς ἀκούοντας, ὁλόκληρος καὶ οὐ διῃρημένος ἀκούεται. οὕτω διὰ τῶν ὁρατῶν καὶ αἰσθητῶν παραδειγμάτων τοὺς ἀπειθεῖς καὶ περιέργους εἰς τὸ κατανοῆσαι τὰ τοῦ Θεοῦ μυστήρια, ὑπὲρ φύσιν καὶ λόγον καὶ ἔννοιαν καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς ὄντα, ἀνάγομεν. ὅταν τοίνυν ὁ ἁγιασθεὶς ἄρτος εἰς μέρη τέμνηται, ὅς τὸ πανάγιον τοῦ Χριστοῦ ἐστι σῶμα, μὴ νομίσῃς ὅτι μερίζεται, ἢ ἀποσπᾶται, ἢ διαιρεῖται τὸ ἄχραντον ἐκεῖνο σῶμα· ἀθάνατον γὰρ καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀδαπάνητον· ἀλλ' ὅτι μερισμός ἐστιν ἐκεῖνος τῶν αἰσθητῶν συμβεβηκότων μόνον μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, πρὸς ῥώμην πίστεως καὶ παράστασιν ὁρατοῦ σημείου τῶν μενόντων, καὶ ἀῤῥαβῶνα καὶ ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου.

A sti. Illud Christi sacrosanctum corpus assidens patri, apud eum manet. Quin etiam panis consecratus per sacerdotem in verum Christi corpus transformatus potentia divina per accessum sacrosancti Spiritus, licet dividatur, tamen integrum & salvum in unoquoque frusto servatur: ut etiam oratio ejus qui loquitur, omnibus qui audiunt, integra, nec divisa auditur. Ita in exemplis quæ sub aspectum & sensum cadunt, pervicaces nimiumque curiosos ad intelligenda Dei mysteria, quæ supra naturam, rationem, intelligentiam, & supra nos sunt, adducimus. Quum igitur panis sanctificatus in partes dividitur, qui sacrosanctum Christi corpus est; ne existimes, quod particulatim diducatur, aut avellatur, aut more B membrorum a se avulsorum dividatur incontaminatum illud corpus (nam immortale est & incorruptibile, quodque numquam exhauriri & consumi poterit:) sed quod partitio ea est accidentium, quæ sub sensum cadunt dumtaxat post sanctificationem, ad fidei robur & exhibitionem signi visibilis rerum quæ permanent, simul & in arrhabonem, & in viaticum parandæ nobis vitæ æternæ.

Αχ. Ὄντως θαυμαστὰ καὶ παράδοξα καὶ ὑπὲρ φύσιν καὶ νοῦν καὶ ἔννοιαν ἀνθρωπίνην τὰ τῆς πίστεως τῶν χριστιανῶν ἀπόῤῥητα μυστήρια, πάτερ ἀββᾶ· Ἀχαριστῶ δέ σοι, ὅτι καὶ ἡμῖν ἀπέδειξας ἄγαν ὁμαλώτατον, καὶ λεῖον, καὶ ἀληθὲς δόγμα, τὸν Χριστὸν παντοδύναμον, καὶ φιλάνθρωπον, καὶ ἀληθῆ Θεὸν ὑποδεικνύον, ἐξ οὗ ἀπελήλαται τὸ ψεῦδος, ἐξελήλαται δὲ καὶ πᾶσα φαντασία. ἀλλ' ἴωμεν· ἁγίως γὰρ ταῦτα πεφιλοσόφηται. μυωπίζομεν δ' ἔτι μᾶλλον, ἐπεὶ ὡς ὁρῶ, κέκλικεν ἡ ἡμέρα.

VIII. ACHMED. Digna prorsus sunt hæc admiratione, & paradoxa, Abba pater, & supra naturam, mentem & cogitationem humanam ineffabilia mysteria de fide Christianorum. Quare tibi gratias ago, quod & nobis ostenderis quam æquissimum, planum, C & intellectu haud difficile, simul & verum esset dogma, quo Christum omnipotentem, benignum ac verum esse Deum demonstrasti, a quo mendacium quam longissime submotum est, procul explosa imaginaria omnis opinio. Ceterum his sancta & philosophica commentatione inter nos discussis, abeumdum nobis est. Deinceps enim equi nobis exstimulandi sunt ad iter; namque, uti video, dies devergit in vesperum.



EPISTOLA GOZECHINI SCHOLASTICI

Ad Valcherum itidem scholasticum, suum olim discipulum.

Præmissa apologia, quod relicto Laodicensis cathedræ magisterio, Moguntiam secesserit, mala sui temporis deplorat, ex Berengarii maxime perversa doctrina consequuta.

I. Unanimi suo fratri & filio Valchero, frater Gozechinus in eo quod est esse, feliciter coesse. Retractatis multiplicibus, quæ mihi sæpe ad nutum exhibuisti, benevolentiæ impendiis, multiplex a me tibi, carissime, & habetur & refertur gratia; nec solum pro dulci, jucunda ac suavi veterum recordatione, sed & pro festiva novi muneris exhibitione. Misisti enim mihi quem petebam librum, videlicet opera digitorum tuorum, in quo plane ostendis quanti me facias, quamque id quod me velle nosti, non in secundis habeas. Qui utique liber ita innovat cuncta quæ mihi antehac impendisti caritatis xenia, ac si ea secum gregatim revehens mihi sistat præsentia. Hunc ergo diu a te exspectatum ut primum vidi, ut in manibus accepi; & articulos tuos, immo te ipsum in eo agnovi, & totus in novam tui dilectionem penitus exarsi, ac si antehac expertum non dilexissem. Serio vero triumphat animus, quod rudes articulos tuos aliquando ipse manu mea ad scribendum direxerim, quodque male tornatos apices, ceteraque id genus quæ tenera peccat ætas, super dorsum tuum cuderim, ut scilicet de arbuscula nostra putans superfluam mergitum & foliorum luxuriem, postmodum de cremento & fructu ejus gauderem. Quis enim plantat vineam, & de fructu ejus non accepit? Ego vero sæpenumero laboris mei dulcem messui fructum in his, quibus a me plantatis & rigatis Deus dedit incrementum: a nullo tamen eorum tanta mihi affluxit fertilitas, quin semper a te cumulatior mihi arrideat bonæ frugis ubertas.

II. Et o utinam omnes utriusque auditorii nostri affeclas tales enutrissem! utinam vel unum talem senectutis meæ baculum inter eos invenire possem! sed heu! juxta quod divinum per Prophetam conqueritur oraculum, hodie est filios enutrire & exaltare; ipsos autem, præter admodum paucos, exaltantem se spernere. Viderint autem qui ejusmodi sunt, ne pro contemtu bene monentis patris, a Patre patrum priventur testamento æternæ hereditatis.

III. Tu vero, mi carissime, fac quod cœpisti, augmenta in majus & melius quæ a me bona accepisti, nec a tua umquam desinas innumerabili erga me benignitate, pro qua ab eo qui tibi me præposuit, æterna doneris hereditate. Hoc vero nec novum facis, nec præter solitum, si te mihi tam exhibes benignum: sed & cum adhuc sub scholari fleres ferula, eadem mihi serviebas benevolentia: & quod de te, ut de ceteris solus metus sufficeret A extorquere, tu præ ceteris, ut in tali animante conjici poterat, magis hoc exhibebas ultronea bonitate; adeo ut totus de nutu oris mei penderes, nec quidquam de verbis meis in terram cadere permitteres. Cumque te adhuc puerum ob hujusmodi diligere cœperim, & propter alia quædam signa virtutis in te jam tum eminentia; factum est accessu ætatis, ut spem honestiorem in dies de te captarem, considerans vim industriæ tuæ ad obscuritatem lectionum, sagacitatem, vigilantiam, acumen alacris ingenii ad fugas subtilium rerum: adeo ut cum ceteri catacheseos nostræ auditores verba magistri dictis vel scriptis nequiverint æquiparare; tu etiam totum magistrum in te videreris transfunde- B re. Unde & ego cum fratre tuo & cum ceteris amicis quibuscum oportebat gloriabar, speciale quoddam mihi accrescere in areola quam plantabam aromatum, scilicet inter adultos te sapientem puerum.


IV. Ubi vero te adultum propter bonos mores & vitæ honestatem gaudebam sedulo mecum esse, quid te gratius, quid te amabilius mihi erat! numquidnam aliquis, vel aliquid poterat intervenire, quod te apud me in secundis fecerit esse? Ac multarum quidem rerum atque hominum assiduitas satietatem afferre solet: te vero mihi domi forisque conjunctissimum consuetudo ipsa altius inserebat; C ut quotidie gratior, recentiorque habereris. Et merito quidem. Nam te mihi in cunctis adeo exhibebas unanimem, ut non solum de successu meo gauderes, verum & si quando res nostras adversa concussissent, tu multo acerbius multoque indignius atque ego, cujus intererat, tolerares. Eratque jam tum experiri quantum valeas etiam consilio, dum modo profectibus nostris gnaviter annuendo, modo incommodis viriliter obtinendo, res nostras sæpe in melius reduxisti. Si quando vero ab exterioribus mihi non vacabat negotiis feriari, tu vices absentis magistri inter adjutorii nostri concelliones ita exsequebaris, ut quæque vel legendo, vel disputando perplexe intricata, vel in theosophicis, vel D in sophisticis occurrissent; ea nodosus ipse sagaciter enodares, & de his ambigentibus ad votum satisfaceres.

V. Cum hæc & hujusmodi plura ita se habeant, possumne, oro, probitatem, industriam, benignitatem tuam, ceteraque id genus bonæ & circumspectæ vitæ munia oblivione transmittere, teque, ne si velim quidem, non amare? Ego vero ut prius in te puero præclaram indolem, ita nunc totis amplector visceribus præcanam adultæ juventutis tuæ maturitatem; nec quidquam magis mihi dolet, quam quod dulcedinis tuæ privatus fructu, velut in quadam deserti solitudine mihi degere videor. Non quia desint frequentissimi comites & carissimi assessores: sed eorum nullus, aut valde ra-

rus est, in quo caput, immo animum tam molliter reclinem. Proinde si fas esset, & ratio pateretur, continuis pulsarem aures precibus divinæ pietatis, si forte detur nostras admitti voces intra sacrarium exauditionis: quatenus tandem aliquando eo loci nos componat, ubi tua vel aliorum quibus concrevi, vel quos enutrivi, benignitate, qua, dum vacabat, jucunde fruitus sum, adhuc frui liceat, sicut prius, & de vestro convictu gloriari, sicut antiquitus.

VI. Licet enim aureum regni caput, nobilis videlicet Moguntia, mellifluis ubertatis suæ rivis, quibus undique affluit, liberali me adspergine perfundat, & in splendidissima sacri Senatus sui corona non humili loco mihi currulem ponat; præter omnes tamen (ut pace ejus dixerim) angulus ille mihi ridet, quem mater Legia forti virtutum robore nodosa indigenis suis tam delectabilem, quam jucundum exhibet. Ipsa enim, ut nosti, ex occidua sui parte, non subditis collium clivis clementer erecta, geminoque publici montis reflexu, qui in dorso non multum audaci, quatuor regularis vitæ gestat greges; ipsius inquam gemino reflexu molliter situata, sicut gallina pullos suos, ita hæc filios suos sub alas colligit, fovet, & nutrit, & ad omne quod civile sit, & moribus conducat, informat & instruit: nec quidquam patitur deesse, quod vel copiam regere, vel inopiam possit temperare. Allubescit quoque & alluit ad loci munimentum & copiæ supplementum non subitis allapsibus bicornis Mosa, fluminibus nostræ Belgiæ non immerito præferenda: quæ non solum civibus, sed & indigenis terræ piscium copia fluit dapsilis, variis mercium commeatibus habilis, omnique prorsus commoditatum genere conducibilis, excepto (ut venia tua satyrice, liceat sine metro Judam) quod si quando in convivium deorum cum nubigenis amnibus fratribus suis, cumque Æolo rege, & ventis suis intra palatium Junonis adsciscitur, dum longis laboribus exhausta, solito uberius Æolo propinante, nives vel imbres adhibens, inebriata revertitur; collectis influentium sibi fluviorum copiis, velut contracto exercitu, per regionem circum circa lymphato cursu debacchatur, quæque sibi obvia proterit & populatur; nocturna piscatorum furta, quæ illis impune cessisse sæpe dequesta est, prohibens punit; sata quæ avidi agricolæ, litoris vinctis audaci sulco violatis, ubi ipsa vellet meridiari, insperserant, eluit & prostrat. Nos quoque indignata litoreis aquatilis aulæ suæ atriis placito vicinius insedisse, & calones nostros eam sæpius inquietare, domos nostras non supplex ingreditur; omnibusque expulsis, nihil deprecata, violenter hospitatur. Et quia sæpius ac familiarius inimico sibi numini supplicamus, larem familiarem discruciatis excludit; omnesque sibi invisi numinis reliquias, etiam favillam & cinerem, eluens exstinguit: donec patientia nostra vix tandem satiata, dum ei non resistimus quia non valemus, alveum suum vix demum placata repetit; & nuda nimis relinquens vestigia, in sua se palatia recipit. Habent quoque suburbana nostra undique versum suave olentes hortos olerum, & dulce rubentes lucos arborum, scilicet vineis nostris brachiis aliis habilioribus sibi regionibus intendens, suprema vitium putamina & paucos inspergens thyrsos, extremam imposuit manum. His & hujusmodi multis commoditatibus Legia nostra ubertim ditata, adhuc habet multo potiora, hisque longe longeque præeminentia. Denique ipsa flos Galliæ tripartitæ, & altera Athenæ nobiliter liberalium disciplinarum floret studiis, & (quod his præstantius est) egregie pollet observantia divinæ religionis, adeo (quod pace ecclesiarum dixerim) ut, quantum ad litterarum studia, nihil de Platonis expetas academia; quantum vero ad cultum religionis, nihil de Leonis desideres Roma.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1060.



VII. Inde ergo undique versum Christi bonum spargens odorem, plurimam ad se gregatim confluam allicit & recipit multitudinem: quorum nemo se adhuc ei applicuit, qui non profecerit in melius, nisi ipse sibi nimis obdormivit. Cum ergo nostrum sit tale Leogium, quicumque ei derogat, quicumque cognitum non amat, ut rustice loquar, habeat Dei odium. Inde est carissime, quod continuis huc votis ruo: & licet alibi degam, animo tamen ibi tecum habito.

VIII. At vero forsitan me insimulas levitatis, quasi bene vivendi, immo vacandi & gloriandi locum quæram; quod utique est animi vanitantis: acideque redarguis, quod velut ex desiderii affectu, modo situm, amœnitatem, affluentiam & sapientiam tantopere nostri extollam Leogii, cui aliquando Moguntinam præferens gloriam, dederim libellum repudii: quodque tanta fluitem animi inconstantia, ut modo Leogii positus suspirem Moguntiam; modo Moguntiæ satur animo Leogium recurram. Adhibes quoque tibi patrocinium Flacci, ut ulcus quod tibi videris secare, tanto asperius satyrico sale valeat infricari: *Cælum*, inquit, *non animum mutant qui trans mare currunt*. Item: *In culpa est animus, qui se non effugit umquam*. Novi, carissime, te nihil sinistrum contra me moliri, nec iccirco te mihi ad resistendum opposui: sed novi canes illos, qui clandestino morsu semper parati sunt alienam vitam discutiendo rodere, suam vero flagitiis obvolutam in cœno vitiorum volutare. Hos mihi post tergum derogantes sub persona tua, velut in faciem resistentes, mihi oppono: his sub tuo nomine, de quo nihil sinistrum suspicor, respondere paro: ut arguta cavillantium invectione displosa, dissolutum sit quicquid umquam in me arcus livoris super his jaculatus est, & enervatum quidquid serpentinus odii sibilus amarius in me cavillatus est. Unum autem verbum, & pro omnibus unum, hoc est, cujus per omnis hujus tomi areolas semper meminisse debes, scilicet ut quicquid in hoc velut conflictu laute, lepide, amabiliter dictum sit, applices tibi: quicquid vero dure, acide, mordaciter inspersum sit, adversæ detrahentium reputes parti.

IX. Video, frater, video quisquis es quem sub amici persona mihi opposui, quem sub advocati scena figmenti ex adverso dicere feci: video inquam, quod ancipiti me gladio impetis, ac duplici mecum telo congrederis: in altero quidem levitatis inconstantiam arguere paratus, in altero vero pertinaciam in vitiis confodere animatus. Attentius ergo videndum est, quia in me subtili criticorum lance uteris, quid ad singula responderi conveniat objectis. Ergo arguis in me levitatem vanitantis animi, qui velut hac illac fluitans vacare desiderer, & gloriari, pro eo quod Leogium nostrum tantopere laudaverim, meque ibidem cum necessariis meis libenter vivere dixerim, quod quidem injuria facere, nec æqui bonique ducere videris, sed commoda nostra obliquo invidiæ oculo limare, & cynico detractionis morso venenare contendis. Numquid nam diversis locis & temporibus melioris vi-

tæ rationem colligere, velut variis litterarum studiis & disciplinarum experientia, liquidum scientiæ mel stipare adscribis levitati? Num in melius velle proficere deputas vanitati? Numquidnam e diversis locis salubres petuntur & aquæ & herbæ, quæ suapte vi valeant quæque morbida sanare? Nonne duodecim sunt horæ diei? nonne ordinate dispositum est quid sit agendum mane, quid antemeridianis, quid postmeridianis horis, quid vespere? Sed jam heu! matutinum, in quo erat lætitia, transiit; & vesperum, in quo demorabitur fletus, advenit. Jam posuit Dominus flumina in desertum, & fontes aquarum in sitim; terram frutiferam in salsuginem, & cetera. Et quid de reliquo faciendum est in hac rerum sentina, ubi cunctis quæ a Patribus ad nos demanarunt, & studiis & disciplinis tantopere reclamant mores & tempora? Num ideo, ut tu desipis, a bonis est desistendum, & nundinis insistendum, ut obliti quid deceat, quid non, Itacensis Vlyxei vitiosum fiamus remigium? Nonne magis oportet quemvis, qui quidem vir fiet, ut semper deteriora vitans, id appetat, unde se ipso semper melior fiat? Tam vero abest ut hæc sint animi vanitantis, ut sint etiam animi ad postes ostii sapientiæ mane vigilantis; & hoc de fratre sentire vel dicere, sit invidiæ & odii malignantis.

X. Quod autem hostili me premens telo, dicis, quid mihi & Leogio? quod olim insolenter deserens turpi notarim elogio; cuique Moguntinam præferens gloriam, hoc ceu vilem reputaverim scoriam. Certe nimis a veritatis tramite aberrasti, vel potius totus veritate excidisti. Dicdum quæso tu, qui sub ovino vellere, lupino ritu latras, e duobus alteri præfertur, qui postulat, an qui postulatur? quid respondere hæsitas? num tibi laqueum tendi putas? Ergo taces? satis concedis illum præferri, quem constat ab altero postulari. Dic ergo numquid elogium (*id est* injuriam) intuli Legiæ, quando eligit ut propter me rogaretur a se ditiore; exaltata autem Legia, dum vel invitatus, vel jussus a summis aurei illius sæculi viris, veni Moguntiam? numnam matri Legiæ feci repulsam? numquid eam insolenter sprevi, quam velut matrem benevolentiæ amplexibus strictam numquam deserui? Profecto non, ut cornicaris, dedi ei libellum repudii, sed decorem tripudii: non elogii notam, sed honoris coronam: quando per os meum eructavit cor ejus verbum bonum; quando contuli in thesauros hujus affluentiæ, quod accepi in thesauris illius sapientiæ. Nec umquam hodie effugies, etiam si alter sias Protheus, donec veris victus fatearis, quod nihil quidquam obsit cum ratione loci mutatio, tantum de bono nihil mutetur proposito: quamque sapientem oportet omnes vitæ rationes pro loco & tempore metiri, nec juxta leviculum Diogenem omnia in medio haberi.

XI. Quod autem de Flacco tuo ad vitii notam mihi inuris, sive poeticum illud, sive philosophicum sit, satis sui auctoris struit argumento, ad id quod adstruendum instituit, non tamen ut proposuit, ita est necessarium: quia qui trans mare currunt, sicut cælum, ita mutare possunt & animam. V. G. si quis idiota & insulsus Athenas pergat vel naviget, ibique doctrinæ sale inspersus, stultitiam sapientia commutet. Illud autem sequens, ubi de loci vel cæli mutatione tacuit, & animum redarguit; magis facit ad rationem; nihil ad bene vivendum, vel prodesse vel obesse loci, nisi certa mutationem ratione; quin potius valde culpandus est animus, qui se numquam effugit talem, qualis jacet in corruptela & cœno vitiorum, & per artam moralis disciplinæ semitam ad seipsum non confugit talem, qualis effici potest in schola virtutum. At vero non est modo nostri otii vel operis exquisitius prosequi, quid de his argumentando elici possit: hoc interim, si placet relinquamus eis, quorum tota natio, tota ratio garrulitate procaci concertando, sophisticis cavillationibus totum discendi vel dicendi otium operamque insumit.

XII. Habemus autem antiquiora his quæ ad hanc rationem faciunt argumenta, quibus probetur, quid vel patria vel locus aliquis ad bene vivendum sapienti, nihil conferat vel auferat: quin potius ipsa sibi virtus ad bonam beatamque vitam usquequaque sufficiat. Denique Teucer inhibito sibi sine patre reditu, cum Salamina patrem aversaretur, & a sociis Patriam suspirantibus ubinam vellet degere rogaretur; Patria, inquit, cujusque est, ubicumque bene est. Quo quid acutius ad hanc qua de agitur, vitæ rationem dici possit non video, si bene esse suo accipiat modo. Socrates quoque rogatus cujacem se esse fateretur? mundanum esse se respondit, id est non unius alicujus loci, & incolam & civem esse totius mundi. Hoc verbo designans, quod ubicumque esset, nihil de virtutis proposito mutans, idem esset; quodque cum omnibus qui in toto mundo ratione uterentur, communem vitæ municipatum haberet. Philosophi quoque nobilissimi, sicut in veteris monimentis legimus, Zenocrates, Crantor, & Chrysippus, Aristoteles, Carneades & Panætius, aliique innumeri, nullum certæ habitationis locum sibi ad bene vivendum elegerunt: sed semel egressi ad investigandam toto fugientem orbe sapientiam, numquam domum reverterunt. Talis est vita perfecti consummatique sapientis, quem quocumque res cedat, non in Phalaridis tauro vel carnificina, quem a constantiæ gravitate, a propositi rigore nullus umquam deflectit locus; cui totus mundus ad bene beateque vivendum unus est locus. Sed quorsum ista? scilicet ut arguens refellatur, videatque locum vel insessum vel mutatum, sapienti nihil obesse, cujus propositum est ubivis locorum in constantia virtutis eumdem esse.

XIII. Sed quid nobis hæc peregrina? Scilicet Apostoli, quos de mundo elegit qui mundum fecit, primum sub cælesti magistro in schola veritatis vivæ vocis auditu eruditi, dein ut radii veri solis emissi ad illuminandum, & ut sal terræ dispersi ad purgandum & condiendum, non patriam vel locum, non agrum vel domum, non quidquam quod mundi esset sibi proprium duxerunt, sed salvandis animabus primo durissimum prædicandi laborem etiam in frigore & inedia vanisque periculis impenderunt: dein exemplo magistri, qua caritate majorem nemo habet, animam suam pro fratribus posuerunt. Omnis autem beata illa posteritas, quæ ex hac Patrum spirituali generatione descendit, populus scilicet acquisitionis, qui testamento sanguinis Christi in Israeliticam dignitatem adoptatus, in genus electum & regale sacerdotium Domino eligente successit; omnes, inquam, isti eamdem vitæ viam, licet sub varia graduum & officiorum distinctione ingressi, quia in terra aliena, non quæ sua essent, sed quæ aliorum laboraverunt; quia non habentes heic manentem civitatem, futuram inquisierunt; ideo in veram repromissionis terram filiorum Israel, ab eo qui ascendens capti-

vam duxit captivitatem, feliciter transmigrati, facti sunt ibi cives sanctorum & domestici Dei.

XIV. Neque vero arbitreris, me aut ignorantiæ cæcitate, aut oblivionis caligine obrutum, ordinatas christianæ militiæ phalangas præterire, aut eis petulanti vagantis licentiæ arrogantia præjudicium inferre, quæ videlicet intrantibus novæ Hierusalem, tam se ipsis quam infirmioribus Ecclesiæ membris armatura Dei protegendis excubare videntur, & regularis vitæ rationem, seu militaris vigiliæ stationem demigrando mutare prohibentur. Novimus enim divinis Patrum edictis cautum esse, ne quis, nisi recta ratione, ad alia demigret, ne quis alienum clericum sollicitet: nihilo minus etiam scimus libere permissum, si qua Ecclesia in diversis graduum & officiorum functionibus minus plenos habeat, ab alia Ecclesia cui talium copia est, non negandum petens accipiat. Graduum, inquam, velut si de alia Ecclesia sibi petat ordinari episcopum aut presbyterum: officiorum, velut si sibi petat institui regularem prælatum aut litterarum magistrum. Scimus quoque in eisdem spiritualis vitæ gregibus alios esse, quibus contemplativæ dulcedinis felix patet otium: alios, quibus in lucrandis animabus activæ dispensationis evangelicum injungitur negotium: quorum alii circuli, alii vectes, alii vectores facti, novam testamenti arcam portant, donec eam in æterna sistant vita, in laudem & gloriam omnipotentis Dei. Hæc est illa graduum & officiorum distinctio, & bonorum operum quæ in his geruntur splendor, quem videbat propheta in ornatu reginæ, quæ in vestitu deaurato assistens a dextris sponsi regis, fulget circumdata varietate. Hanc eamdem distinctionem idem Propheta in ænigmate speculabatur, quando miratus admirabile nomen Domini in universa terra, pro eo quod super cælos elevata esset ejus magnificentia: miratus, inquam, filium hominis paullo minus ab Angelis minoratum, & propter passionem mortis in consessu Patris gloria & honore coronatum: *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus*, *oves*, *boves*, *pecora campi*, *volucres cæli*, *pisces maris*. O beatus ille qui talia videbat! beata & sanctorum Ecclesia, quam, & cui, & in qua talia prævidebat! Ibi enim sub pedibus Christi discretas videbat pias volucres cæli ab his, quæ obunco avaritiæ rostro, recurvo rapacitatis ungue mitiores alites in aere devorant: ab his quoque, quæ ad hoc innatant aquis, ut in profunda cupiditatum demersæ, hiantem avaritiæ ingluviem rapaci miserorum piscium captura pascant. Ab his, inquam, discretæ sunt mites illæ volucres cæli, quæ picturatis bonorum operum vestitæ plumis, habentes etiam virtutum pennas & duplices caritatis alas, quasi columbæ volant ad fenestras suas. Ibi etiam sunt stellæ cæli, quas Abraham in promissione accepit: *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum sicut stellas cæli*, *& velut arenam maris*. Hæ stellæ puritate vitæ lucidissimæ splendent in cælo, sicut Ecclesiæ verbis radiantes, exemplis rutilantes.


XV. Sed quid nobis ad volucres? quid nos ad stellas cæli? Nos enim sumus miseri pisces maris, nos sumus arena maris, nos fluctibus sæculi ut arena contundimur; nos æstibus mundanæ incertitudinis, ut vagi pisces circumferimur. Et quæ est nostri ad pias volucres cæli comparatio? quæ ad lucidas stellas collatio? certe ea quæ est nihili ad aliquid, si tamen ratio patiatur, ut hoc comparatio dici possit. O utinam in aliqua spirituali lacuna

A procul a tempestatibus conquiescamus! utinam sub aliquo vivæ rupis abscondito delitescamus, ubi venti fortunæ vires suas exserere, & nos ludibrium suum nequeant facere! Hanc ergo quietis lacunam & vivæ rupis latibulum, nostram mihi eligerem & optarem Legiam, nisi tu tam aspero Flacci tui sale defricares levitatem meam. Eligerem, inquam, studiorum nutricem Legiam, fontem utique subtilium ingeniorum, & divinæ sapientiæ feracem locum, utpote civitatem, quam digitus Dei multiplici distinxit gratia, quæque sui similes viros dono Dei semper est editura. Sed quid dixi? quasi ipsa mea laude indigeat, & non per se satis emineat. Non enim indiget alicujus laude adumbrari, vel in commen-
B titiam effigiem beatæ civitatis alicujus sermone picturari: quia vere viva civitas est, & beatus locus, divinæ religionis vivens institutis & legibus. Cum ergo angustum matris & nutricis nostræ caput nive candidius albeat reverendis antiquæ sapientiæ canis, cumque trito gestet in vertice splendidum diadema divinæ religionis; fulgeat quoque auro tectis insignium gestorum cycladibus, & tota sit desiderabilis undique virtutum circumamicta varietatibus: sanusne sis, si suadeas ut umbram alarum ejus non requiram? quod tantidem est, ac si hortere, ut eam odio habeam. Numnam ut ejus solus potiaris, solus communibus fruare commodis & gaudiis? Sed absit hoc a modestia & probitate tua;
C absit ut hoc umquam de te quem tantisper norim, credat anima mea. Tam vero abest, ut a me odio habeatur, ut etiam si prohibeat, vehementissime diligatur.

XVI. Nec hoc dico, quin uber colonia, quam inhabito, paterna mihi viscera, & materna exhibeat ubera: sed autem tecum ludo, aut opto quod vellem, si ita sine honoris præjudicio fieri concedat Dei gratia: nec mihi debes ad vitium reputare, quod apud præstantes viros, dum res ita poposcit, constat non insolitum fuisse. Namque plena est exemplorum vetustas, plena & modernæ ætatis novitas, quanti quique illustres viri certa ratione
D loca demutaverint; nec loca ipsa, sed quid inibi moribus eorum oberat, devitarint; aut certe, ut multis ad salutem prodessent, ad alia demigrarint. Abraham quippe & filii ejus patriarchæ non tot loca mutavissent, non tot puteos aquam vivam quærentes fodissent, si in uno aliquo loco cuncta bona vitæ suæ congruentia reperissent. Jacob quoque, nihilo minus vates quam patriarcha, numquam in animabus septuaginta (qui mysticus numerus est) ad Ægyptiam descendisset primo ubertatem, postea servitutem, nisi canineam fugeret famem. Joseph quoque bis venditus ab invidis fratribus bene locum mutavit, qui in tempore angustiæ multis ad vitam profuit. Qui videlicet vir primo virga ten-
E tationis eruditus, & camino tribulationum ad purum excoctus, inde in dominum Ægypti excrevit, unde dorsum patientiæ sub oneribus & manus obedientiæ in cophino servituti subegit.

XVII. Possem innumera ejusmodi ad medium deducere, nisi castigato tibi crederem ista sufficere. His ergo Flacco tu cum cælo & animo suo castigatius sit responsum, quam se copia suggerit, ne de cetero alicujus propositum tam improvide carpserit. Excute ergo de manibus cum cælo suo Flaccum tuum, & psalterium arripe meum. Quod si non vis, sine rivali solus ama & habe illum: satis autem inexpugnabilium luce rationum superius probatum videtur. Tamen si Flaccus tuus taceat,

Sæcul. XI.
circa
Ann. Chr.
1060.



SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1060.

quin bene vivendi locus est, ubicumque sis, & si A te animus non deicit, equus est etiam salubris.

XVIII. At attamen licet vagando & vacando bene vivendi quærere locum, e sacrario sapientum viperas eccephalorum eliminet regula rationis; tamen permagni refert videre, quibuscum diverseris. Non recordaris quid laboranti Prophetæ divinum dicat oraculum? *Fili*, inquit, *hominis, increduli & perversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas*. Num te præterit genuina scorpionum malitia, qui non dente mordent, non lingua inficiunt, non ore venenantur, sed tantum nocent cauda? Hos quippe scorpiones notabat Psalmista cum dicebat: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc per-* B *sequebar*. Item, *Qui loquuntur pacem cum proximo*, &c. quos quantum ipse omnesque sancti viri semper exsecrati sint, subdendo aperit: *Da illis secundum opera ipsorum*, & cetera quæ sequuntur.

XIX. Ecce iterum me pervicaciter premens adjicis: Numquidnam eidem Prophetæ mandat idem oraculum, locum vel animum fugiendo mutare, at non potius ad corrigendos perversores & evenenandos scorpiones, etiam usque ad sanguinem resistere? Nonne idem Propheta vincula, famem, lacum cœnosum pertulit, ceteraque id genus plura, quæ a principio semper piis malignantium perversitas intulit? Utique, frater, ita est: & tamen non mo- C do hominibus, sed etiam viris supra vires est semper in procinctu esse, numquam animum ad divinæ contemplationis dulcedinem remittere: jugiter tumultuosis assultibus percelli, numquam internæ dulcedinis quiete foveri. Nunc iterum antiqui illius Musonii dicto, velut hostili armaris telo, dicens: Animum remittere, amittere est; & christiano theologi nostri muniris clypeo:

Numquam bella bonis, numquam discrimina desunt.


Ad hæc ego: Animum, inquam, in delicias voluptatesque resolvere, & posthabitis iis quæ ad salutem animæ operantur & protegunt, in terrena desideria remittere, vere amittere est. Verum animus D a sæcularium tumultu, quantum homini vacat, feriatus, si nubes curarum, si ventos imbresque detrahentium linguarum, si tempestates & turbines falsorum fratrum in altum se attollens transscendat, & a districto rigore militaris disciplinæ remissus, in illam placidissimam & lucidissimam divinæ contemplationis quietem se totum resolvat: ita vere non amittitur, sed potius retinetur, vel (quod potissimum est), tunc demum vivere videtur. Quod autem noster ait Theologus, semper christiano esse pugnandum; nihilunde vel ausim vel queam diffingere: sed tamen salva virtutis constantia liceat dicere, satis superque esse laboris, si a foris in falsis fratribus bella & seditiones cessent, interius ve- E ro nostri conatus vires contra antiqui hostis tentamenta decertent, donec his armatura Dei superatis & expugnatis, donante Christo accipiamus quietem pacis perpetuæ.

XX. Adhuc pervicacius agens dicis, semper in christianæ militiæ castris utrumque pugnandi genus sudavisse; & Augustinum, Ambrosium, Athanasium, innumerosque notæ frontis Patres, & exterius contra apostolos & discipulos satanæ, & interius contra spiritualia nequitiæ usque ad victoriæ coronam fortiter dimicasse. Assentior quidem, frater, his quæ tum vere, tum curiose argumentaris. Mihi tamen non satis recte omnem electorum Ecclesiam in hoc pugnæ studio concludere videris. Nam si de fastis & chronicis, immo si de authenticis scripturarum monimentis Deo militantium colligas annales, certe tam theoreticis, quam practicis, hoc est tam otiosis quam negotiosis virtutibus, eos Deo placuisse invenies. Et ut pauca de his in argumentum fidei compendio perstringam, considera sub umbra Legis Josue, Gedeon, David, & coronam Machabæorum; dein Moysen, & Aaron, Eliam, & Elisæum, & prophetarum chorum. Ad summam nota quod Paullus de iisdem antiquis Patribus dicat: *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna*, & cetera quæ sequuntur usque *circuierunt in meliotis, & in solitudinibus errantes*; & tandem omnibus enumeratis concludit dicens: *Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt*. His & hujusmodi, si diligentiam considerationis adhibeas, videbis certe Patriarchas quidem practice negotiis instantissime occupatos: Prophetas vero contemplativæ quieti serena mente feriatos. Quomodo enim aliter, vel isti salutem gentis suæ forti manu propugnarent, vel illi sereno mentis oculo beatas visiones viderent? Nec hæc dico, quin in utroque ordine fuerint plures utriusque propositi: sed hæc tamen adscribitur generalis distinctio utrique ordini. Transacta autem veteris Testamenti nocte, in cujus firmamento memorati Patres velut clarissimæ lucebant stellæ, ubi illuxit dies quam fecit Dominus, & ortus est sol justitiæ Christus Jesus, vide Barjonam Petrum, & vas electionis Paullum usque ad martyrii coronam in acie perstitisse: Joannem vero angelicæ virginitatis theologum, & Lucam evangelii conservum, quorum alter primo contra bestiam Domitianum aliosque antichristos fortiter decertavit; dein vero sopitis earumdem bestiarum furoribus, theologiæ otio vacans, & in ipso divinitatis arcano evangelii calamum tingens, in pace consenuit. Lucas autem cum peripatetico Paullo aliisque evangelii veredariis, primo circumquaque desudavit: dein in theologiæ otium se conferens, & sacram incarnati Verbi historiam texens, beato fine in pace obdormivit. Vide dehinc quos memoras, Augustinos & Ambrosios, ut vere asseris utroque pugnandi modo, in acie feliciter perstitisse. E diverso autem attende Paullos & Antonios, aliosque innumeros Christi crucifixos pene ab exteriori turbine vixisse feriatos: atque etiam ipsa interioris pugnæ certamina, adjuvante gratia Christi, post tergum misisse, & jam quasi in cælestibus ei conregnare qui dicebat: *Nostra conversatio in cælis est*.

XXI. Nec solum theologi evangelicæ lucis irradiati claritate, verum & priores philosophi & heroes quamplurimi gentilibus obvoluti tenebris, nondum exorto sole justitiæ, & negotiosis & otiosis virtutibus, quas partim naturæ beneficio, partim liberalium disciplinarum studio affecuti sunt, vitam suam in illo suo honesto & utili sollertissime exercuerunt: quando alii eorum vel artis militiæ stipendiis devincti, vel publicis administrationibus perfuncti, domi forisque graviter agendo, terra marique fortiter pugnando, celebre nomen sibi perpetuo (ut putabatur) propagarunt. Alii vero vel emeritis laboribus nobili otio donati, vel etiam in otium quod elegerant odio sæcularium, se conferentes, vel scribendo, vel disputando juxta sibi ac reipublicæ consuluerunt.

XXII. Quod si, ut argumentosus es, etiam nunc præmissis pugnacius contendis refragari, succenturiatis cincta sententiis aderit ipsa Veritas, nec suis

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1060.



desinet partibus suffragati, & ut verius testatiusque sit quod asseveramus, adducet nobis in præsidium fidei de consilio utriusque Testamenti personas, de altero quidem Rachelem & Liam, de altero autem Martham & Mariam. Sed quorsum hæc omnia? profecto ut patenter advertas, sicut præmissum est, semper & otiosis & negotiosis virtutibus electos suos Deo complacuisse, nec alterutram partem umquam alteri præjudicasse. Quia sicut acceptat Deus quod practice laboratur, ita non excluditur ab ejus beneplacito, quod suo tempore theorice sabbatizatur.

XXIII. Papæ autem ut nodosus es, frater, ut fungino capite es, & totum te tegis! Jam enim putabam te desiisse, & vel dicentis auctoritate, vel potius dictorum gravitate pressum, manus veritati dedisse. Et ecce iterum clangis tuba, iterum perstrepis ad arma, iterum excusando impugnas animum, qui tantopere otium amplectitur & quietem, minitans segnitiem & socordiam, quæ se theoriæ pallio amicit, te, detracta pelle e latebra quam fovet, protracturum in lucem: recurrisque ad prædictum Prophetam dicens, quod corrigendis perversoribus & evenenandis scorpionibus tanto impensius acriusque institisset, quanto furiosius eos ad repugnandum, & seipsum discerpendum animatos vidisset. Addis quoque pigritanti stimulum Flacci, quo ille satyrico Damasippi sui perornatus commento, in desidiam invehitur dicens:

Invidiam placare paras virtute relicta.

XXIV. Contemnere, miser, vel medius proponis fortissimum illud constantiæ solamen, quod Vas electionis & solidissima mens primitivæ in electos persecutionis manu detergit dicens: *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur*. Et, *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Adhibes quoque præterea certanti scutum divinæ protectionis, quo Dominus in Propheta perduelles suos confortans dicit: *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum ut eruam te, dicit Dominus*.

XXV. Fateor quidem, carissime, vera sunt & ea quæ de crassa satyrici Damasippi profers minerva, ubi poeticum figmentum philosophicum habet argumentum; vel ea quæ de divino producis oraculo, ubi sine nube figmenti, clara patet veritas argumenti. Vera, inquam, sunt, & omnino idonea, non tamen omnino efficacia ad persuadendum, quando animus irrevocabili tenore ab his diversum eligit propositum. Didicisti cum Tullio docente oratoris officium & finem. Officium quidem, apte ad persuadendum dicere: finem vero, persuadere dictione. Horum ergo alterum optime affers, dum apte ad persuadendum dicis: alterum vero minime, quia dum persuadere dictione minime vales, fine excidis. Nosti autem quod tanti æstimatur officium, nisi fine suo, id est effectu potiatur, quanti est satio, si numquam metatur. Proinde apte de labore dicens, officio recte fungeris: sed dum quietem & otium eligenti persuadere non potes, ut supra dictum est, fine excidis. Quis enim hodie otium negotio non præferat, quando, si labores in vacuum cadat; si cesses, tantidem valeat? Quis enim non temperet a labore, ubi negato etiam eo de quo convenisti denario, minimum laboranti, plurimum conferat otianti, siquidem otio bene utatur? Quis autem, nisi mente captus, tali pergat tempestate supra spinas serere, ubi mala terra tribulis genuinæ perversitatis horrens, A salubrem cultoris manum, & bonum verbi semen spernit admittere? Felix utique terra, in qua per verbum hominis seminatur verbum Dei, quæ cælestibus rigata & compluta docentium nubibus, centuplum reddit fructum ad horrea Domini Dei sui. Extra terra illa ferrea merito cælum habet æneum, quæ accepto semine non fœcundata germine, quicquid spinarum & zizaniorum generat, in tempore messis alligatis fasciculis mittitur in ignem æternum. Denique tali terræ & tali vineæ cultoribus non respondenti Paterfamilias merito iratus, per Prophetam minatur dicens: *Non putabitur, nec fodietur, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*. Scilicet eos quos secundum propositum B prædestinationis prævidit damnatum iri, hoc verbo secernens ab his, quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filiis sui. Inde etiam, ut arbitror, legislator & prophetarum Dominus in suo, de quo tota lex pendet & prophetæ, Evangelio loquitur dicens: *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas mittatis ante porcos*. Quo utique verbo damnandos secrevit a salvandis, ne surdis prædicando in vacuum cedat pia sollicitudo laborantis.

XXI. Jam tandem, carissime, fateris, ut arbitror, me tali temporis articulo mihi tibique, & piis omnibus, nec frustra, nec otiose exoptasse otium: C quippe quando nec honesto, nec utili, vel certe (quod his antiquius est) saluti non respondet negotium. Unde, ut arbitror, veris victus, & quietis illecebra ductus in nostram cedis coloniam, nec ultra, si sapis, infensor otii contra defensorem insinues querelam. Ut autem pernoveris quod nunc huic tomo maxime in caussa est, mihi quidem optabile requiro otium, utpote qui longe longeque ultra legitimæ missionis metam emeritis milito stipendiis: tibi vero, licet adhuc succulento & viridi, & piis omnibus, tantidem, quia timeo, vel certe video quod in laborando frustra volvitis rotam nativitatis. Quare autem frustra, quia superius abunde est expressum, castigatæ disputationi idem D repetere superfluum est. Nosti præterea quod Levitæ ex mandato legis a xxv. annis & supra jubentur ministrare; a quinquagesimo vero qui & Jubilæus est, & mysticis celeberrimus sacramentis, custodes vasorum fore. Maturius autem lege militarium sanctionum tyrones scribuntur ad militiam; eamdem tamen, quam & illi, legitimæ missionis habent metam. Cathedra quoque scholaris magisterii & juxta metam militaris disciplinæ in auditorium catecheseos habet januam institutionis: sed longe maturius absolvitur, exitu necessariæ missionis. Cujus laboris tempus, quia nihil difficilius sub sole geritur, vel quod magis operarii sui vires exhauriat, a sapientibus præfinitum est septenne, nisi de cetero is qui E præest, auctoritate præsideat, non labore. Omnes itaque has metas, partim tu, carissime, ex toto: ego jamdudum transegimus, & adhuc gemimus sub fasce, adhuc in eodem desudamus labore; & nulla nobis adhuc arrisit gratia emeriti honoris, quæ ex æquo compenset vicem tanti laboris. Non est, præter admodum paucos, qui opus illud retractet, non est qui recogitet. Liberales enim disciplinæ mimis & histrionibus posthabentur, & pene per tabernas mendicare videntur, pecunia illa super ..... philosophantur mammona super reges & tetrarchas omnibus dominatur. Ad summam, omnia virtutis præmia feralis possidet avaritia, & in regno pecuniæ ambitio sua taxat mercimonia. Quid de tantillis nobis credamus futurum, ubi lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum? Quæ

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1060.

vero sperari vel concupisci potest, aut dignitatum ministratio, aut spiritualium vasorum custodia, ubi non vasa misericordiæ præparata in gloriam, sed ubique videntur vasa iræ apta in interitum, a vasis crateratum usque ad omne vas musicorum?

XXVII. Ex eadem itaque toxicata avaritiæ radice, & ex hoc pestifero zizaniorum semine, mala orta est & quotidie in pejus pullulat exitialis morum & disciplinæ jactura, adeo ut in nullo regularis officii regimine liceat uti solemni majorum censura vel ferula: sed si tortuosis vitiorum anfractibus manum in virga directionis stimulo represseris, continuo pro majoribus quidem aut multitudo similium propugnatrix, aut pecunia defensatrix accedat: pro B minoribus vero aut immatura libertas, aut allatis pedibus fuga liberatrix intercedat. Sed de majoribus silere præstiterit, veritas enim odium parit. At vero hi qui adhuc sub scholari ferula erudiendi essent, quia ignaviæ, socordiæ & deo suo ventri manus dederunt, dum instrui refugiunt ad gravitatem moralis disciplinæ, ut levis palea circumferuntur omni vento doctrinæ, & juxta eumdem Apostolum sanam doctrinam non sustinentes, sed ad sua desideria coacervantes sibi magistros, prurientes auribus, vanis & pestiferis inserviunt vocum vel quæstionum novitatibus: & qui adhuc nudum & molle lutum in rota disciplinæ artifici pollice & vehementi torno formari deberent in vasa gloriæ, ab inde C in externa fugitando resilientes, deformantur in vasa contumeliæ. Qui etiamsi aliquid extremæ vel garrulæ cujusdam scientiæ colligant per eruditoria, quasi vagi palantesque nullo contenti discursant. Quia de moribus extrema, vel nulla quæstio est, reversi ad suos, excusso ab indomita cervice timoris jugo, & disrupto disciplinæ freno, seipsos perdite vivendo, alios fermento malitiæ corrumpendo, totos rapiunt in præceps.

XXVIII. Quidam vero facti suæ cujusdam institutionis pseudomagistri, dum certum ignorant præsepe, nec in sua quæ non habent, se possunt recipere, hac illac per villas pagosque urbesque circum- D cursant, novas Psalterii, Paulli, Apocalypsis lectione tradunt, juventutem novorum cupidam, levitatis pedissequam, disciplinæ refugam, post se per voluptatum declivia trahunt: reverentiam disciplinæ, subjectionem obedientiæ, observantiam religionis, postremo omnia regularis vitæ munia perditissima morum corruptione confundunt.

XXIX. Et ne forte me putes in hujusmodi derogantis linguæ tela dirigere, & novorum, immo meliorum suggillationem invidiose texere; non omnino credas verbis meis, crede potius oculis & auri- E bus tuis. Vide si placet quam sanæ doctrinæ, quam salubris disciplinæ theologi de Turonensi emergant academia, cui præsidet apostolus ille satanæ *Berengarius*. Vide inquam, quam pestilentes, immo letiferi scorpiones & reguli de cavernis erumpant totius nostri temporis Babyloniæ; qui hæresiarchæ sui musto ebrii, & veneno delibuti, de sacris sacrilegas introducunt novitates quæstionum, ad nihil utiles, nisi ad subversionem audientium: quorum sermo ut cancer serpit: quia scientia, quæ inflat, non ædificat, sed subvertit.

XXX. Isti de rebus sacrosanctis, de cælestibus scilicet sacramentis, quæ sancti Patres, quoties ad ea se audebat tractatus eorum attollere, videntes ea non solum sermonem, sed etiam humanam superare A rationem, & reverenter, ut oportebat, attingebant; &, ubi opus erat, habentes clavim David, subtili discretione aperiendi & claudendi, quantum ad sobrietatem sapientibus satis esset, ea catholice exponebant. De his, inquam, rebus & sacramentis & novas & peregrinas cudunt a fide intelligentias; & ipsa sacramenta cælestia, quæ in altari consecrantur, dicentes umbram esse non veritatem (quod lingua refugit, & auditus perhorrescit) obnoxia contendunt ventri & secessui juxta naturæ necessitatem, quæ scilicet naturæ Dominus in fœdere humanæ reconciliationis omnipotentia sua sacramentum fecit, & christianæ animæ escam spiritualem, unde in æternum vivat, dedit. Isti eumdem agnum paschalem, qui eadem sacramenta in seipsum ineffabiliter transformans nobis condidit & consecravit, crudum vel coctum aqua, non assum igni comedunt, & quod ejus residuum est, & semper erit (quia nullus umquam mortalis, quantumlibet sciens, ad incarnati Verbi arcanum plena intelligentia in hac vita penetrare potuit, aut poterit) igni non comburunt. Isti improvidam simpliciorum fratrum facilitatem, & maxime curiosam discurrentium perfugarum levitatem novo quodam docendi lenocinio occupantes, primo ipsam Scripturarum superficiem, quasi planam ad septicolomnem sapientiæ domum ostendunt viam, & rectam, velut ad portum salutis, demonstrant semitam: deinde sophisticæ disputationis retibus captos, & carnalis scientiæ acumine hebetatos, per captiosos necessariæ argumentationis ducunt anfractus: donec extranea & a salute peregrina quæstionum novitate pulcre ad perniciem instructos, una secum demergant in puteum interitus.

XXXI. Tales ergo quia non advertunt, quod non humano aut sæculi sensu in Dei rebus sit loquendum, quodque inventum mel ad sufficientiam, non usque ad nauseam sit comedendum; dum sua freti sapientia nimium majestatis profunda scrutantur, oppressi a gloria in errorum profunda præcipitantur: & dum imprudenti carnalis sapientiæ audacia lippientes oculos animalis hominis, qui non percipit ea quæ Dei sunt, in verum solem defigere nituntur, ipsius inaccessæ lucis radiis repercussi, in exteriores errorum tenebras projiciuntur. Isti de divinis sacramentorum mysteriis, semper quidem reverendis, nec umquam humano sensu aut ratione attingendis, dum impiis non timent contentionibus inservire, nihil sano auditu dignum merentur diffinire: & dum naturæ terminos volunt includere, & id quod totius rationalis creaturæ rationem superat, humana ratione pergunt concludere, vere in lapidem offensionis & petram scandali impingunt: quia de piis sane doctrinæ uberibus pro lacte, butyrum aut sanguinem exprimere contendunt. Hanc mortiferi dogmatis pestem ab Ecclesia sua Christus Jesus radicitus evellat, priusquam modicum fermentum totam massam corrumpat.

XXXII. Cum ergo hoc toxico, insuper & multiformi malitiæ & nequitiæ fermento tota undique fermentetur Ecclesia, nec usquam pene sinceritatis & veritatis integrum servetur azyma: cumque nemo pene sit qui contra hæc vel ad vera bonæ vitæ instituta, vel laboret ipse, vel laborantem debita mercede remuneret; & ob hoc ipsa quæ vix residua est, laborantium paucitas tædio victa, a labore temperet: quis negotio non anteponat otium? quis inutili labori & clamori ad surdos, non præferat quietem & silentium? *Posui*, inquit, *ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me: ob-*



mutui, & humiliatus sum, & silui a bonis. Et quid hujusmodi humiliatis & a bono silentibus agendum sit, Jeremias docet dicens: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se*.

XXXIII. Hæc omnia sapienter despexit *Herimannus* Remensis, *Drogo* Pariensis, Spirensis *Huoremannus*, Bavenbergensis *Meinhardus*, & præterea multi, & præstantes, & præcipuæ auctoritatis viri, qui præcisis speciebus, & abdicatis laboribus, studiis valefecerunt; & sapienti consilio usi, in theologiæ otium concesserunt. Ego vero quid facerem? cur non idem vitæ propositum de cetero eligerem? Ego vero ac lubens. Ad hoc enim etsi generalis piorum omnium querela vel caussa me non urgeret, B singularis tamen vitæ meæ decursus, & rerum mearum proventus me idem eligere satis moneret. Vitæ namque decursus continuo laboris attritu effetas exhaurit, si quæ supersunt, corporis vires, & præmaturas inspergit capiti nives: unde & maturum mihi minatur exitium, nisi mature me conferam in quietem & otium. Proventus autem rerum mearum, licet abunde expetendarum affluat copia, tamen maxime desiderabilium aporiatur inopia, eorum utique de aureo majorum sæculo prius audita, quæ felicioribus nostræ memoriæ diebus ipse oculis meis vidi, scilicet fidem non fictam, & veritatem integram; præceptum Domini in invicem conservare, justitiæ & æquitati nihil anteponere; nihil re- C mittere de gravitate disciplinæ & religionis, nihil admittere quod non esset publicæ utilitatis & honestatis; ceteraque id genus omnia, quæ in luteis humanæ naturæ cratibus auratis possunt mentes ædificare, & in vasis fictilibus desiderabiles thesauros reponere. Hæc sunt quæ melioribus nostræ memoriæ diebus me videre, & his interesse serio gaudebam. Nunc vero quia pene ex toto defecerunt; non tam meam, quam communem defleo miseriam.

XXXIV. Et ut antiquiora, & ob hoc meliora se taceam tempora, & de his loquar quæ partim ipsi vidimus, partim recenter gesta fideli relatione didicimus; a diebus domini *Notgeri* nostræ urbis epi- D scopi, eorum pontificum qui ei contemporales in Ecclesia florebant præcipui, usque ad hæc quæ jam in miseria defluxerunt duo lustra, misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Nunc autem de terra sublata est, & justitia in cælum recessit, & repentino quodam fortunæ impetu, & monstruosa rerum perturbatione inversa & perversa sunt omnia; & ut breviter dicam, omnia prædictis contraria. Adeo ut si quis inter has sæculi tempestates eodem rationis claro & eadem via mandatorum, quasi cælestium ductu siderum, velit seipsum & sibi credita regere; ipsa turbidus violentia percussus cogatur ab incœpto desistere. Quod quam horribile, quam monstri simile sit, nulli fa- E cile explicabile est. Legimus enim nobile illud prioris sæculi aurum argento ceteris inferioris pretii metallis sensim & per temporum intervalla degenerasse, nec tam subito sui coloris speciem amisisse. Nunc autem, ut præmissum est, monstruosa & inaudita quadam rerum perturbatione, quasi in momento, a suo statu subversa sunt omnia: nec pene quisquam est, qui proprii ordinis vel officii servet legitima: sed desiderabile illud nostri temporis aurum repentino quodam casu, non ut prius per temporum intervalla, non in argentum vel cetera quantivis pretii metalla, sed in stipulam & fœnum, aut certe in favillam & cinerem omnino redactum est. Ut enim cuncta quæ superius objectis tuis re- A spondendo dequestus sum, compendioso recolligam epilogo, postquam clarissima duo Ecclesiæ luminaria, quæ nimis sero Deus accendit, & nimis mature in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum abscondit, *Henricum* dico secundum imperatorem, & *Liutboldum* Moguntinæ sedis protopræsulem, in quos aurei sæculi fines cum maxima sui decoris specie devenerunt: hæc, inquam, clarissima duo luminaria, postquam ab his tenebris ad veram lucem, a qua etiam huc alluxerunt orbi terræ, ut oramus & optamus, assumta sunt; quidquid divinæ religionis, quidquid æquitatis & justitiæ, quidquid liberalium studiorum, quidquid liberalis disciplinæ ubique vigebat, sicut tunc temporis Ecclesia & va- B rio virtutum decore & multiplici liberalium litterarum propagine florebat, cum eis pariter sepulta, immo in cælum recepta sunt: ita ut nihil eorum pene remanserit in terra præter admodum pauca, & hæc ut umbræ inanis vestigia.

XXXV. Namque in primis, hi qui in populo Dei magistratus & duces locum regiminis occupant, sine respectu Dei videntis, sine metu hominis corrigentis, omnes pene quæ sua sunt quærunt, non quæ communiter & aliorum: quia non est timor Dei ante oculos eorum; & ideo contritio & infelicitas in viis eorum. Et quomodo cognoscent viam pacis, qui devorant, inquit, plebem meam ut cibum C panis? Quia vero non est qui hoc requirat, non est qui arguat; pro studiis divinarum scripturarum invaluerunt studia partium, pro gravitate & modestia religionis, gloria & gloriatio vanæ elationis: & dum divitiis & honoribus gestiunt alter alterum prævenire, nec timent profanis mentibus odiis & contentionibus deservire; nec quidquam pensi habent, cum tyrannidem potius quam regimen exerceant: ad quem exitum, immo exitium talia provenire debeant? Hæc autem majestas & talis potestas, si quando sedeat pro tribunali, ut subjectorum facta debeat examinare, & neglecta in oculo suo trabe de oculo alterius festucam eruere; avaritia comes in medio adstans declamat querelas; exsu- D dat caussas, fas & nefas, sacra & profana in medio haberi deplorat: miserationem judicum, auctoritatem legum, jura divina & humana implorat; & nisi id quod arguitur, in loculos nummati illius qui incesserit, fuerit punitum, perturbationem conqueritur fore omnium judiciorum. Hoc autem tonitruo cunctis terrore perculsis, ipsa utrimque susurranti inclinat aurem, utrique parti linguam aptat venalem, utrumque torvum retorquet oculum, utrique promittenti rapacem porrigit manum: & quem modo quod concupivit habentem accusat, modo quod quærebat dantem excusat: perorata vero caussa violentiæ & rapacitati ceterisque concurialibus suis media residens, de libro suo E legit quod sit justum, & eisdem juratis legibus sibi assentientibus, lege nummularia in reum profert judicium; & tamdiu vinculatus tenetur reus, donec illum absolvat mammona deus: quemque modo Labeonem lege Cæcilia sufficit cruci, modo Catonem lege monetaria donat curuli. In omni autem concione hujus potestatis hoc proponit auctoritas legum, in hoc consentit summa judiciorum, ut qui non potest solvere de immenso suo, solvat quod compar sit de dimenso suo: & si non habet unde solvatur, sine miseratione cruci figatur.

XXXVI. Inde est quod cum in nundinis sanctum videmus Evangelium, venales in Ecclesia columbas & cathedras vendentium, nec longe ab his

mensas nummulariorum, quia hodie nec gratis quidquam accipitur, nec gratis datur. Cum hæc, inquam, vidimus, attentius vacamus omnes foro quam choro, cautius usuris quam scripturis, impensius mercationi quam religioni; magis implendis capacibus marsupiis, quam assequendis liberalibus studiis: & omnino missis his quæ evangelica veritas, apostolica institutio, sanctorum Patrum auctoritas ecclesiasticis sanxit disciplinis, sæcularium desiderio adeo inhiamus, cumulandis divitiis tantisper occupamur, ac si tali pretio vitam æternam mercari mereamur. Quare hoc? quia tanti quantum habeas sis. *Omnis enim res*, ut ait quem nosti:

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulcris
Divitiis parent, quas quis contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex,
Et quisquid volet.

Cum ergo ex ea quæ malorum omnium radix est avaritia, hæc horribilis spinarum silva emergat; facile, immo horribile est videre, hoc spinetum quem fructum ferat. Inde est quod dum acquirendis immorimur studiis, in comparandis honoribus invicem præcurrentes, non honore invicem prævenientes; antiqua divinæ religionis immutata facie, paterna moralis disciplinæ pene in fabulam redacta institutione, frater fratri invidemus, alter alteri mordendo derogamus: invicem accusantes intestina bella movemus, acutis verborum spiculis fratrum corda confodimus; dolos in corde versantes, simulationem in vultu, fallaciam in verbis proferimus, & omnino ad injuriam mandatis Dei omnia mandata ejus præ pecunia parvi habemus. Postremo omnes levitate & morum inconstantia, quasi arundo ventis adeo agitamur, ut in quo pridie studiosus vehemens vel certe nimius fueris, postridie ne quidem memineris. Et quid super his speramus futurum? certe hoc, ut facto de resticulis flagello omnes hujusmodi Dominus ejiciat de templo. Valde etiam timendum est triplex illud animadversionis flagellum, quod per Prophetam populo peccatori Dominus intentat, dicens: *Ecce ego inducam super eos gladium, famem, & pestem, & disperdam eos in omnem ventum*. Hujus autem flagelli quosdam quasi ramos & prænuncios videmus sensim de terra oriri, quando paullatim conterit Dominus baculum panis & lætitiam vini, dum inter Christianos audimus geri bella & seditiones, super Christianos paganorum crebras incursiones. Unde datur conjici id quod restat, nisi correctione nostra propitietur Deus, non diu dilatum iri.

XXXVII. I nunc, frater, age contra otium & quietem, & qui ea hoc tempore concupiscit, voca pigrum & socordem. Et o utinam desperatis laborum præmiis, ea potiamur optata & salubri quiete, cui non labor succedat, sed gloria accedat in senatu cælestis curiæ! Si quid, frater, nosti rectius, candidus, imperti: si non, utere mecum. Quod si generosa magnanimitatis tuæ fortitudo adhuc his non acquiescat, & eam nihil arduum aggredi pigeat: alium quam me tibi quære Ferentarium, quia me hoc tempore in pugna non habebis socium: vel quære alterum Martium, cui opus hoc committas, cui tamen bonis initiis meliores eventus, quam illi Romano tribuas. Ego vero licet in illo quam ferali, tam diutino vinculatus carcere, quantalibet potero effetas vires solabor quiete: & spero quod aliquando tandem exaudiar, & longa optatæ missionis ducens suspiria, si non emeritus, saltem emissus, alicui transcribam mea tristia regna. Nihil vero in voto meo ponens, aut voluntati relinquens, me lutum suum ex toto committo figulo meo: ipse me fingat in rota sæcularis ordinis, prout sederit beneplacito suo: utcumque me ejus tornet potentia, nihil addam, nisi solemne illud obedientiæ verbum: *Fiat voluntas tua*.

XXXVIII. Constat, frater, quorsum aberravimus, quorsum a recti itineris linea cursum nostrum detersimus: quoniam me abduxisti ignarum, adque verborum diverticula me traxisti dulcedine tuæ caritatis ebrium. Vide frater, & diligenter vide, ne dum quædam scripturarum sidera incaute sequimur, in cautes & syrtes adacti charybdeum incurramus naufragium. Vide, inquam, etiamsi minus libito, ne dictum sit amplius licito, quia flagelli plaga livorem facit, flagellum linguæ comminuit ossa. Proinde jam nunc illuc redeat oratio, unde abiit, & ad te revertatur, unde prima ejus scaturigo profluit: & quia a caritate cœpit, in caritate definat. Caritas vero numquam excidat, sed heic sata & crementata, veram sui plenitudinem præripiat in vita æterna. De probitate autem tua, gravitate, modestia, & constantia, deque ceteris bonæ vitæ functionibus satis in superioribus dictum sit: de affectione vero tua, benevolentia, ceterisque humanitatis officiis, neque heic, neque ibi satis umquam dici poterit. Hoc tantum tibi imprecer, ut semper in melius & majus proficias, donec ad eam aspires crementi plenitudinem, in qua nullum detrimentum pertimescas. Porro hunc quia desiderabilem thesaurum in fictili vase servas, non otiosum duco si te commonefaciam, ut diligenter adhibeas pervigilis cautelam custodiæ. Hoc autem feceris, si cunctas tuæ civitatis portas, omnes hujus luteæ domus fenestras, custodia humilitatis sub sera & sigillo habeas: si cunctos hujus fictilis vasis exitus & aditus virtutum repagulis munias, ne vel exitus his qui intus servantur, vel aditus pateat his qui foris insidiantur: quia si elationis levitate foris effluant ea quæ intus bene congesserat operosa manus solliciti laboris; continuo ea, aut difficile, aut numquam recolligenda dispErdet & dissipabit ventus superbiæ in perditionem suæ vanitatis. Si vero a foris patente aditu maligni irruperint hostes, ea quæ plurimo cum labore intus gessisti violenter diripient, nihil reliqui victo præter gehennam facientes. Proinde quidquid gratiarum in te divinitus collatum est, quidquid divini muneris in thesauro conscientiæ tuæ collectum est, nec mihi imputetur plantanti & riganti, nec tibi terræ ubertim fructificanti: sed totum referatur ad Patrem luminum, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum.

XXXIX. Possem quidem uberius & plenius perfectionis tuæ munus applaudere: sed propter notam assentationis non patitur gravitas modestiæ. Librum autem quem mihi scripsisti, quemque mihi scribendo occasionem fecisti, in quo mihi articulos digitorum, oculos & animum, inclinium cervicis, laborem capitis, immo te totum animo meo insinuasti; in exterioribus meis non invenio unde possim ex æquo recompensare, vel plurimæ benignitati tuæ talionem reddere. Sed primum rogari ab eo tibi restitui, a quo hæc & omnia quæ habes bona accepisti, ut ad invicem hujus benevolentiæ aureis bonorum operum litteris nomen tuum scribatur in libro vitæ. Dein non dormitabit nostra erga te devotio perpetua, si permodeste succinctis rebus no-

stris, quantum utrique nostrum ad honorem conducat, remunerandi sub luceat occasio.

XL. Jam tandem his quæ dicenda erant, prout negotia patiebantur, explicitis, calamus se totum novo scribæ scalpello, non Judaico, sed scholastico more circumcidat; & ad te recipiendum, salutandum, festive habendum, non quantum latius, sed quanto lautius valet, accingat, quia te quem interius in visceribus Jesu Christi teneo complexum, a foris non dimittam, nisi laute acceptum: sciasque ejus dapis te esse debitorem, cujus te nobis festivum exhibuisti convivam & assessorem. Saluto te cum paucis, licet sim cum multis: quia vel pauci sunt indigenæ ejus quam servo coloniæ, qui norint quanta virtutum dote industrium ornaris animum, vel pauci sunt boni rerum æstimatores, qui sanum de rebus ferant judicium. Si enim te noscerent, & de te pro meritis æstimarent hi qui multa bona noverunt & oderunt, profecto te amarent. Saluto te cum his cooperatoribus nostris, qui ad bonam frugem instituti de academia nostra ascenderunt, & in locis certe præcipuis magisterii cathedram sibi vindicaverunt. Saluto te cum tirunculis nostris, qui adhuc in scholari desudant palæstra; nobilissimum utique bonæ indolis florem, A qui ad nutum oris nostri fructum suum meditatur etiam suo ferula: quorum etsi nomina tibi scripta legeres, tamen notitia careres, cum faciem ignorares. Quo tamen verbo me ipse coarguo: quia si cujusque notitiam ex facie metiris, nec te nosti ipsum, cum faciem tuam numquam ipse videris. Saluto te super omnia ea genuina caritate, qua te in cunabulis disciplinæ, elementario eruditionis lacte nutrivi, & ad solidum perfectioris doctrinæ cibum usque perduxi, ut de cetero commilito meus in acie, & concolonus in labore, communiceps mihi sis supernæ civitatis, & coheres æternæ hereditatis. Salutatus ergo saluta ex meo nomine humili fratres meos, non quos caro & sanguis in B unam mihi congeneravit cognationem, sed quos aqua & Spiritus in unam mecum regeneravit adoptionem: ut coheredes Christi in regno Dei patris testamento sanguinis ejus sortem accipiamus æternæ beatitudinis. Saluto ergo patres & dominos, fratres & amicos; patres cura regiminis, dominos dignitate prælationis; fratres in Deo patres, amicos in caritate. Saluta inquam unumquemque eorum, prout nosti mecum esse vel tecum. Salutatio mea sit ad vos omnes, ut eo adjuvante in quem credimus, pariter simus æternæ vitæ consortes. Amen.



EPISTOLA WIDMUNDI
BENEDICTINI
ex monacho Abbatiæ de Cruce S. Leufredi, ſeu Heltonis, archiepiſcopi Averſani,

Ad amantiſſimum fratrem Erfastum *frater* Witmundus *indignus presbyter, ſine fine gloriari in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

I. PErlecta fraternitatis tuæ epiſtola, ex ipſa inquiſitionum tuarum ratione perpendi correptum Dei timore, ad ſapientiam ſpiritualium rerum ac ſcientiam te, unde gratulor, non inutiliter exerceri. Quod enim de ſubſtantia atque unitate æternæ Trinitatis quæſiſti, ſapientiæ eſt. Quod autem de myſterio dominici corporis adjeciſti, ad ſcientiam ſpectat. Item illud quod ad comprobandam Trinitatis unitatem, ſimilitudinem rei temporalis, de ſphæra videlicet ſolis memoraſti, ſcientiæ nihilominus eſt. Commoda plane pulcherrimaque, & jucundiſſima philoſophia, ſi ei perſeveras. Hæc namque non terrena nec humana, ſed vere cæleſtis eſt & divina; hæc laboranti ſuavis refectio eſt, poſt laborem perfecta beatitudo eſt; quam bene facis ſtudioſe quærendo, quæ & aperietur indefeſſe pulſando. Gaudens igitur ergo exercitio & profectui tuo, quæ aliquando ſi voluerit Dominus in longiorem diſputationem de his conferre cogito, ne quæſtiones tuas differam, quanta valeo brevitate ſuccincte reſpondeo.

II. In illa itaque ſphæræ ſolaris collatione, de qua tibi primum reſponderi flagitaſti, diligenter obſerva ad hoc illam valere, ut ſicut ſphæra, ſplendor, & calor, non tres, ſed unum proferunt ſolem, ita in Patre, & Sapientia, & Amore utriuſque non tres Deos, ſed unicam ſentias deitatem. Et ſicut ſol quem mittit ſplendorem, ſibi habet omnino coævum; ita Deus pater ſibi prorſus habet, quem de ſe generat filium coæternum. Illud ſane volo ſollicite attendas, longiſſime aliter utriuſque atque in ſole eſt, illam ipſam ſummæ divinitatis conſiſtere unitatem. In ſole quippe & fulgor & calor, qualitates ſunt, ſol vero ipſe ſubſtantia eſt, atque idcirco non idipſum eſt ſol, quod illa duo reliqua ſunt. Sed & ipſæ qualitates ſubſtantialiter ab invicem differunt, quin & diverſa facientes. Nam lucidum ſplendor, calor autem calidum facit operandi virtute, locis etiam & temporibus ſubjectiſque plerumque diſcretæ ſunt. Sæpe enim ſole oriente, ſolis fulgor cernitur, ubi ejus omnino nullus calor ſentitur: & meridiano tempore calor ejus multa ſolida corpora penetrat, in quæ nihil prorſus luminis intrat. Nec eiſdem quoque ſenſibus a nobis excipiuntur. Nam ſplendor viſu, tactu calor admittitur, ita ut etiam per contrarium, & pergrandi quis frigore torpens, magnum a longe lumen ſolis videat: & tenebras cæcus patiens, calore ejus interdum valido contabeſcat vel hilareſcat.

III. Longe igitur & iſta duo invicem differunt. Non autem Deo cum ſapientia ſua, & amore ſuo, tam parva, vel tam diſcrepans, ut ita dicam, eſt unitas: nec ſapientia & amor Dei ipſius divinæ ſubſtantiæ qualitates ſunt. Neque item iſta duo tantiſper ab invicem differunt. Illa quippe unus ſol quodammodo dicuntur, quia in ſole uno coæva illi, & inſeparabilia ſunt: non autem idipſum quod ſunt per ſe ſingula, ad invicem unum ſunt; quoniam, ut prædictum eſt, ſubſtantialiter ab invicem omnia differunt. At pater, & Verbum & Spiritus, ſive Pater & Sapientia & Amor, ita in uno Deo, vel ita unus Deus ſunt, ut unum ad invicem ſine ulla diſtantia ſit, quidquid per ſe ſingula eſſentialiter ſunt. De patre & filio, ſic habes in Evangelio Dominum noſtrum dicentem: *Ego ſum in Patre, & Pater in me.* Et: *Qui videt me, videt & Patrem.* Et: *Ego & Pater unum ſumus.* Non enim Pater habet ex alio filium, quam ex ſe. Neque enim ante omnem creaturam aliud quidquam erat. Omnia autem quæ facta ſunt, ſicut ſcriptum eſt, per ipſum filium facta ſunt: ſi igitur omnia facta, per ipſum facta ſunt. Neque ipſe factus eſt, neque ex alia re, cum nihil aliud eſſet, ſed de ſe Pater ante omnia genuit ipſum. Si autem ex ſubſtantia Patris natus eſt filius, quoniam in ſubſtantia illa nulla pars eſt (nam primum principium incompoſitum eſt, nec componi omnino novit, qui omnia ipſe compoſuit) item nec in filio pars eſt, nihil enim ejus niſi ex Patre, & in Patre eſt: ex Patris porro [1] unitate prorſus individua & numquam geminata, partium pluralitatem habere non poteſt. Ex toto igitur totus, nec major in aliquo, nec minor, idem de eodem in eſſentia natus eſt. Si enim partem non habet, cum ex illo & in illo & jam individuo ſit, nullatenus differt. Nam ſi de illo eſt, aliquid ejus in ſe habet, vel potius aliquid ejus ipſe eſt. Porro ſi aliquid ejus parte carentis habet vel eſt, totum illum in ſe potius habet, vel magis, totum quod eſt ille, ipſe eſt. Si vero ſic illam ipſam Patris eſſentiam in ſe totam habet, immota illa eſſentia ipſe eſt, cum & ipſius ſimplicitas individua partem neſciens, additamentum recuſet; in nullo prorſus eſſentialiter differt. Idem igitur omnino ad eſſentiam quidquid eſt Pater, & Filius eſt.

IV. Eadem tibi ratione de ſancto quoque Spiritu ſatisfiat. Qui enim ſine parte de individua eſt ſubſtantia patris, una & eadem cum patre ſubſtantia eſt: & qui parte carens de individua eſt ſubſtantia Filii, una & eadem cum Filio ſubſtantia eſt. Et cum a Patre ſimul procedat & Filio, non duæ

1. *Ex Patri porro*] Ediderat Acherius: *nulla pars eſt: nam primum pr. inc. eſt; nec . . . . ipſe compoſuit. Item nec . . . . & in Patre eſt ex Patris. Porro unitate*, &c.

unt processiones, sed una processio, nec duo sunt Spiritus sancti, sed unus Spiritus sanctus. Quia cum nec loco divisa, nec tempore, una sit prorsus & eadem Patris & Filii substantia, Spiritus sanctus simul ab utroque procedens, eodem ipso quod ab uno procedit, simul idem procedit ab altero. Hoc in Evangelio Dominum docentem attendo, ubi ait; *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*. Ego mittam a Patre dixit; ac si diceret, una est ejus processio a me & Patre. Et Paullo post: *Ille me*, inquit, *clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Id est, substantia quam habet Pater, & mea una est: propterea qui B ex nobis est Spiritus sanctus, cum de Patre est, de me est. Est igitur Spiritus sanctus una eademque substantia cum Patre & Filio; est unus utriusque, unaque ejusdem ab utroque processio. Quapropter tria hæc ita in uno Deo, vel ita unus Deus sunt, ut unum ad invicem sine ulla distantia sit, quidquid per se singula essentialiter sunt.

V. Proinde quod sapientia vel virtus Patris dicitur Filius, quoniam sapere vel posse essentiale illi est, non qualitas creditur Patris, qua Pater qualis, sapiens videlicet dicitur & fortis, sed est perfacta sapientia sua & virtus sua, singulus, ut ita dixerim Pater; perfecta sapientia & virtus, sin- C gulus filius; perfecta sapientia & virtus, singulus Spiritus sanctus: & simul non tres sapientiæ, aut virtutes, sed una sapientia, & una virtus: estque Filius sapientia de sapientia Patre, virtus de virtute Patre: sicut essentia de essentia, vita de vita, Deus de Deo, lumen de lumine. Sed quia per Filium infirmatum in carne, & stultitiam crucis ejus nos infirmi, & stulti, fortes & sapientia facti sumus; & sic factus est nobis ipse a Deo sapientia, & virtus & justitia, ut per ipsius infirmitatem & mortem justificati & corroborati, ad cognoscendum per ipsum quandoque Patrem convalescamus; ideo enim juste quasi specialiter Dei justitiam, atque virtutem & sapientiam confitemur.

VI. Item Spiritus sanctus cum Patris & Filii dicitur caritas, vel amor, aut voluntas, non idcirco amborum qualitas creditur, cujus gratia utrique quales, amantes videlicet sint, aut volentes, aut certe spirituales, sed cum sint etiam singuli spiritus sanctus (nam & Pater est spiritus, sicut scriptum est: *Deus est spiritus*: & Filius secundum divinitatem spiritus) & Pater sanctus, & Filius sanctus, & non tres spiritus sancti, sed unus Spiritus sanctus. Et cum singuli sint caritas, quia *Deus caritas est*, & singuli amor aut voluntas, nec tamen tres caritates, vel amores, vel voluntates, sed una caritas, unus amor, una voluntas. Illum tamen qui E ex Patre procedit & Filio, quasi proprie Spiritum sanctum, vel caritatem, vel amorem, vel voluntatem Patris & Filii dicimus; ut per hoc quod velut suum habet in nomine, quod commune est iis ex quibus est, id designetur aliquatenus, quia ipse ab utroque exsistens, communis est, consubstantialis, & nexus amborum.

VII. Ita cum & Pater essentia & principium sit, & Filius æque essentia & principium sit; Spiritus quoque sanctus nihilominus essentia & principium A sit, nec tres essentiæ, aut tria principia, sed una essentia & unum principium; de Patre tamen hæc quasi proprie dicimus, ut per hoc noverimus, quia ipse ita est, ut sit ex se: & sic principium est, ut non ex alio sit principio, tantum ex se, ceteræ vero personæ ex ipso. Nam filius quidquid omnino est, non ex se, sed ex Patre; item Spiritus sanctus non ex se, sed quidquid omnino est, ex Patre Filioque est. Sed [&] ut ex filio procedat Spiritus, a Patre hoc habet Filius. Nam si quidquid habet, ex Patre illi est: & id ex Patre nascendo, habet a Patre, ut ex ipso sit Spiritus. Spiritus quoque sanctus procedendo a Patre, ab ipso habet ut ex ipso ita sit, ut simul etiam exsistat ex Filio. Ita igitur sunt singula omnium, & omnia singulorum, & omnia unum; certo tamen, ut dixi, rationis mysterio, quædam quasi proprie de Patre dicuntur, ut essentiale principium: quædam de Filio, ut justitia, virtus, sapientia: quædam de Spiritu sancto, velut hoc quod Spiritus sanctus dicitur, quod amor vel caritas, vel voluntas Patris & Filii nuncupatur: quatenus per hoc, sicut dictum est, non ex alio, sed ex se esse Patrem; per Filium vero nos justificatos, fortes, doctosque esse ac futuros esse; e Patre autem & Filio Spiritum sanctum communiter procedere intelligamus.

VIII. Sicut igitur in essentia majestatis idem sunt, cum nec loci aut temporis interstitio sejunguntur, nec tres numero potentiæ, sed una potentia; ut unus operator sint [1]: ita & in operationis effectum differunt: quia Dominus noster dixit: [a] *Quæcumque enim Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, & non alia, quia non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Idem consequenter de Spiritu utriusque sentiendum est. Nam & si hominem solus Filius induit, ipsum tamen hominem atque incarnationis mysterium tota Trinitas fecit, tota cum Trinitas ad mortem dedit, tota cum Trinitas resuscitavit, tota exaltavit. Ita quoque & vocem illam, per quam & solus Pater ad Filium loquens innotuit: D *Tu es*, inquiens, *Filius meus dilectus*; & columbam illam, vel linguas igneas, in quibus vel super Dominum baptizatum, vel super dies Pentecostes Spiritus sanctus apparuit, tota utique Trinitas fecit. Quemadmodum & illa vox dissyllaba, quæ & Pater dicitur; & vox trissyllaba; quæ dicitur Filius: & duo nomina quæ Spiritus sanctus appellantur, & similiter aliæ voces quamplures, licet proprietatem singularum seorsum denotent & auditui præferant personarum, non tamen aliter, quam illa dissyllaba vox quæ dicitur Deus, tota pariter significans Trinitatem, totius certe sunt opera Trinitatis. Quapropter etsi ex creaturis, aliquæ ad declarationem singulorum proprie, mysteriave pertineat personarum, palam tamen est, quoniam Pater & Filius & Spiritus sanctus sicut nec in substantia, ita nec in aliquo prorsus cujusque rei operatione dissentiunt. Palam etiam & hoc est, quia & Patrem & Filium & Spiritum sanctum non variis corporis sensibus, sed una eademque puræ mentis intelligentia & simul contemplamur, sicut a veritate ipsa didicimus, quæ ait: *Qui me videt, videt & Patrem*.

IX. Ut igitur ex his dicendi finem breviter faciamus, quoniam ea quæ in sole qualitates sunt,

[a] Joan. V. 19.

[1] *Operator sint*] Forte, *ut unus operator sunt, ita & in operationis effectu non differunt*.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1062.

& ab ipso & ab invicem substantialiter differunt, operandi quoque virtute & secundum locum, & secundum tempus, diversaque subjecta dissentiunt, variisque sensibus haustæ, longe distare comprobantur. Cumque Patris & sapientiæ & amoris una sit prorsus eademque substantia: cumque in eis nulla non dico diversa, sed ne ulla etiam qualitas, nihilque omnino aliud, nisi una pura essentia debeat cogitari, cum eadem sint eorum semper, & ubique, & in omnibus opera, unaque simul & eadem mentis intelligentia & inseparabiliter videantur, manifestissimæ rationis indicio satis liquet, longissime aliter veriusque non solum quam in sole est, sed quam in ulla etiam creatura esse possit, illam summæ atque individuæ Trinitatis consistere unitatem.

X. Sane cum dixissem supra quidquid essentialiter singuli sunt, communiter dici de omnibus: idcirco essentialiter dixi, quia quod Pater aut Genitor dicitur; item quod Filius aut Verbum, vel imago nominatur; vel quod Spiritus sanctus procedens appellatur; non secundum se intelligendæ essentiæ, sed distinctionis, vel relationis personarum vocabula sunt. Caventes etenim confundere personas, Patrem quod non ex alio sit demonstrantes, vocamus ingenitum; & quod non sine Filio sit, vocamus & Patrem. Item Patris illa & ineffabilis visio, in qua seipsum Pater intuetur & omnia, splendor ille, illa lux, quia non ex se, sed ex solo Patre est, dicitur Filius. Et quoniam nos, ut per speculum, & imaginem suam (homo enim noster interior licet obscuret, tamen Dei imago est) Deum cernere qualicumque ænigmate valeamus: quoniam, inquam, nos quamcumque rem mente videndo sive quod extra nos est, sive ipsam mentem, nobiscum quodammodo de re quam cernimus loquimur, simillimamque ejus imaginem animo conformamus; ita ut cum semetipsam mens nostra intuendo, de se apud se sententiam veritatis quadam diffusione parturiens, veræ tandem intelligentiæ lucem depromserit, jure idipsum veri intellectus acumen, & partum mentis, quia ex se hoc ipsa peperit, & verbum quo de se ipsa disseruit, & imaginem vel similitudinem, quod ipsa de sui contemplatione informavit, liceat appellari. Simili modo, ut per ejus, ut dixi, imaginem, quod sumus nos, Deum qualicumque ænigmate videamus, & de temporalibus si audemus, imo quia ita nobis temporalibus expedit, quomodocumque conjiciamus æterna. Simili, inquam, modo ineffabilem illius paternæ visionis lucem semper de Patre, semper apud Patrem, & in Patre manentem, semper Patrem videntem, omnium conditricem, Patris revelatricem, & idem esse cum Patre, quoniam de Patre est non de nihilo, & unigenitum, & verbum, & imaginem, similitudinemque Patris corde credimus, & prout sufficimus sentimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem. Spiritum vero sanctum, nec ingenitum dicimus, quia non est de nullo, nec genitum, quia non est de Patre solo, sed a Patre & Filio procedentem, non tamen ab utroque nascentem, quoniam pariter eodemque modo Spiritus est amborum, cum nullus umquam duorum pariter eodemque modo possit esse filius patrum. Sed nec verbum utriusque, nec imago, nec similitudo dicitur; quia quamvis amantes aliquid sæpe illud animo versandi, nobiscum dicamus & imaginemus, dicentesque & imaginantes amemus, dicere tamen & imaginare in nobis quidem visionis est proprie, non amoris. Amandum etenim quodlibet per mentis intuitum quid aut quale sit, vel quomodo se habeat, dicitur, ut definito hoc, jam certius ametur.

XI. Sed quæ nostri comparatio ad æternitatem? Hoc autem propterea dico, ut non carnali sensu verborum proprietates, ut in nobis, ita omnino in divinitate requiras. Quippe si de verborum sensibus agas, in Patris & Filii vocibus, & in ceteris relativis, cum de hominibus dicuntur, quædam ipsorum hominum, quibus ad se referuntur, accidentia: item in generandi & procedendi verbo, actum passionemve cum declaratione temporis accipere solemus. Æternam porro generationem Filii Dei, Spiritus sancti processionem, sic credimus, ut neque ibi tempus, neque actum generantis, aut passionem geniti, vel procedentis Spiritus, neque ullum denique accidens divinæ inesse substantiæ sentiamus. Non igitur supra distinctionum, vel relationum verba, proprie divinitati conveniunt, nec omnino in Deo eodem sensu quo & in nobis accipienda sunt. Absit enim, ut in æterna Trinitate, uno solo Deo, propter verborum nostrorum angustias, ante omnem creaturam aliquod accidens, aut ullam omnino rem, propter[1] simplicem divinitatem fuisse dicamus. Nulla quippe creatura quamlibet perfecta, & ad imaginem Dei facta, plenissimam, ut est, exprimere, vel æquiparare similitudinem prævalet creatoris, nedum ea quæ pene nihil sunt mortalium verba, illam, quæ supra omnem creaturæ omnis cogitatum ineffabili præeminet veritate, naturam divinitatis explicare sufficerent.

XII. Non igitur hæc de Deo idcirco dicimus, ut id plane quod ibi est explicemus, sed qualibuscumque tamen prout possumus verbis agimus, ne id quod ex verbo Salvatoris certissime credimus, & quod vix quantumlibet attenuato spiritu, Christo adjutore, per ænigmata prægustare valemus, omnimodo comprimere silentio videamur. Cumque ineffabilia utcumque fari cupimus, aliquatenus per hæc verba non equidem accidentia ulla purissimæ divinitatis, sed prout eloquii humani velut angustia, hoc quod non est Pater ex alio per hoc quod ingenitus dicitur, nec sine eo qui ex ipso est, per hoc quod Pater vocatur; & quod non sit Filius ex se, nec sit nisi a Patre per nomen Filii: eodemque modo quod Spiritus sanctus non ex se, sed ex Patre & Filio sit, per procedendi verbum, ut prædictum est, denotamus.

XIII. Procul igitur sit a filiis sanctæ & universalis Ecclesiæ, ut pro distinctione personarum, quælibet sibi carnalis anima alicujus rei heic ulla penitus interstitia fingat. Nam si hoc in æterna Trinitate, quod absit, admitteretur, cum ante rerum omnium constitutionem sempiterna sit in Deo hæc Trinitas personarum, falso, quod iterum absit, cunctarum rerum præter se solum unum Deum conditrix, & principium Trinitas crederetur; nec jam Trinitas jure, sed quaternitas aut quinitas melius, immo vero amplius juxta numerum rerum interjacentium vel accidentium, quod itidem absit, necessario diceretur. Quod quoniam a Christiana religione prorsus abhorrens, catholicæque est veritati summe contrarium, non ergo in omnipotenti æternaque & simplici Trinitate, salva, ut dictum est, ineffabili distinctione personarum, ullius accidentis infectio, non rei omnino alicujus admixtio vel in-

1. *Propter*] Lego, *præter*.

terpositio, nonnisi una sola, unica, sincera, & purissima divinitas requiratur.

XIV. Quisquis sane hæc fidei processibus actus prout desuper datur, Deo jam nunc pro meritis fidei retribuente, interiori etiam quodam prædulcissimoque igneoque & inexplicabili mentis attigerit gustu, jam aliquatenus ut homo Deum suum sentiens, magno cum tremore gaudeat, & cum magno gaudio contremiscat. Ita tamen epuletur, ut non jam in eo remanendum quod invenerit; sed ut sibi largius aperiatur, pie semper quærendo, desiderando, & orando validius pulset. Scriptum est enim: *Cum consummaverit homo, tunc incipit*. Et iterum: *Quærite faciem ejus semper*. Qui autem ad hoc invalidus est, ita tamen esse non dubitet, ad quod cernendum postmodum, patienter interim sinu fidei nutriatur.

XX. Porro si quis æternitatis malit violentus esse discussor, nec facile Deum aut sine numero trinum, aut in personis sine interpositione, vel admixtione alicujus rei distinctum, aut sine extensione credat æternum, vel sine loco & situ totum ubique præsentem, vel omnino sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine motu omnia facientem, sine passione omnia sustinentem, sine complexu omnia continentem, audiat iste quod scriptum est: *Ne quæsieris quæ ultra te sunt*: & ea quæ facta sunt potius admiretur, respondeatque sibi, qua potentia hæc omnia de nihilo prodierunt. Non enim sua, quæ nulla erat. Si ergo Dei, quomodo ea quæ nihil omnino erant, Dei præcipientis ut fierent imperium persenserunt? Aut certe cum non esse & esse simul non potuerunt, quo medio de altero ad alterum transierunt? Aut si forsitan de mundi principio agere renuit, quia necdum erat, de singulis quæ quotidie in promtu fiunt, quærat ortus, crementa, variationes, defectusque eorum, quomodo, aut cur hoc vel illo potius modo eveniant, alta mente consideret. Quod si forte in minimis subtiliter pervestigando succumbit, cognovitque experimento veram esse sapientissimi Salomonis sententiam, dicentis: *Cunctæ res difficiles, quæ in terris sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ in cælis sunt quis scit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris sanctum Spiritum tuum de altissimis?* desinat gigantea protervia cælum petere, & credendo humiliter quod . . . .

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1062.



Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1068.



EPISTOLA DURANDI LEODICENSIS

Contra Brunonem & Berengarium.

GLoriosissimo & invictissimo Regi Francorum, Henrico, Durandus Leodicensis Antistes, temporalis regni gubernationem ita moderari, ut in æternum cum Sanctis ab omnipotente Deo merito debeat coronari. Fama supremos Galliæ fines prætergressa totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis Episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, astruant, Corpus Domini non tam corpus esse quam umbram & figuram Corporis Domini; legitima conjugia destruant, & quantum in ipsis est, baptismum parvulorum evertant. Quos ad revincendum ac publice confutandum, eo zelo eoque fervore quo erga sanctam Ecclesiam divina inspiratione plurimum semper ardetis, ajunt, vos Concilium advocasse, ubi tandem illud totius nobilissimi regni vestri (heu nimis turpe opprobrium) de medio auferatis, & in æternum, si fieri potest, ab ipsa omnium memoria deleatis. O pia voluntas, &, vere Rege dignissima! quæ utinam effectum habere posset, ut in tanto sacrilegio convictos (quod certe facillimum est) absque ulla dilatione, debita ultio consequeretur! Sed desperamus id fieri posse, cum Bruno exsistat Episcopus, Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam præter Apostolicam auctoritatem. Igitur omnes quicumque sumus filii sanctæ matris Ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus. Nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia sancti Concilii (sicut ipsi de pœna securi postulant) permittatur: cum de tanta præsumtione revictos, puniri minime concedatur, gravissima scandala in omni populo Fidelium generari. Certe, quos videbunt impunitos, & nequaquam a sui gradus honore dejectos, eosdem putabunt ab omni Concilio aut vinci non potuisse, aut justificatos esse: eruntque (ut ita dicam) *novissima, pejora prioribus*. Ergo majestatem vestram omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ Sedis audientia, damnandi potestatem haberetis. Quamquam hujusmodi homines nequaquam oporteat audiri: neque tam est pro illis Concilium advocandum, quam de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici necessario audiendi fuerunt, quando & hæ ipsæ & hujusmodi quæstiones, ut pote quæ nondum ad unguem discussæ fuissent, in dubium venire potuerunt, ut per congressum certaminis patesceret, utra pars astaret pro defensione veritatis. Quod idem nunc profecto fieri non oportet, quia creberrimis sanctorum Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clarissimis sententiis ita omnia sunt eliquata, ut ne minimum quid resederit de omni fæce dubitationis. Sed nos ex multis, epistolari brevitate cogente, pauca exponemus, & primo ponemus exempla pertinentia ad corpus & sanguinem Domini. Ait itaque beatus Leo papa: *sic sacræ Mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis*. Item sanctus Cyrillus, *non communem carnem*, inquit, *accipientes, sed vere vivificationem, & ipsius Verbi propriam factam*. Ergo, si propria, quomodo umbra? si propria, quomodo figura? Item beatus Ambrosius, *ne esset*, ait, *velut quidam horror cruoris, sed maneret tamen gratia Redemtoris, ideo similitudinem accipis, sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris*. Item ipse, in libro de Sacramentis: *quid heic* (ait) *quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem, corpus efficitur*. Item ipse, in eodem: *vinum* (inquit) *& aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis: pretiosum sanguinem bibis, ut nullus horror cruoris sit, & præmium tamen operetur redemtionis*. Et beatus Augustinus dicit ita, *in ipsa carne ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit*. Ergo, si ipsam, non umbram, non figuram, ut Bruno & Berengarius affirmant. Et in alio loco, idem ipse exponens qualiter dictum sit de David, *efferebatur manibus suis*: *quomodo* (inquit) *intelligatur in ipso David, non invenimus secundum literam, in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum, ait*, hoc est corpus meum, *ferebatur enim illud corpus in manibus suis*. Corpus suum dicit, non, sicut Bruno & Berengarius, umbram & figuram. Item Basilius: *O miraculum! Et Dei in nos benevolentia* (ait) *qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificii tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum*. Item Eusebius dicit: *vere unica perfecta hostia, fide existimanda non specie, nec exteriore censenda visu, sed interiore affectu*. Hilarius quoque idipsum testatur: *de veritate* (inquit) *carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus*. Plura præter hæc exempla congerere possemus, nisi vitarem modum excedere. Nunc de Baptismo parvulorum, ex libro divi Augustini de verbis Domini, pauca ponemus; ubi ille sic ait: *Parvulus ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credis in Jesum Christum? fit interrogatio. Respondetur*: Credo: *pro non loquente, pro silente, pro flente, & flendo quodammodo, ut subveniatur orante, respondetur*. Item, *ubi* (inquit) *ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium*. Rursus ipse: " inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis aperte esse hæreticus. " De legitimo autem conjugio, cum novi & veteris instrumenti multiplici auctoritate confirmetur, cumque non modo Christiani, verum Judæi, immo etiam gentiles, legalium nuptiarum copulis fœderentur: unum dumtaxat adversus testimonium sufficere potest. Est igitur in constitutione ejusdem Concilii xvii. capitulum: *Si quis dixerit vel crediderit, conjugia hominum quæ secundum legem divinam licet habere, exsecrabilia esse, anathema sit*. Quamobrem Brunonem & Berengarium jam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, vere illis audientia Concilii deneganda est, & cum vestris, cumque nostris episcopis, (si vobis ita videtur) cum amico vestro Imperatore, cum ipso Papa, quæ vindicta in illos statuatur, deliberandum. Est enim justum, ut quorum *manus* sint *contra omnes, omnium manus* etiam *contra ipsos excitentur*.

DOMNI DURANDI ABBATIS TROARNENSIS

Liber de corpore & ſanguine Chriſti, contra Berengarium & ejus ſectatores.

Ex codice mss. bibliothecæ domni Bigot Rothomagenſis curiæ monetarum Senatoris.

Teſtimonia ORDERICI Vitalis lib. VII. hiſtor, ad ann. 1087. pag. 658. D.

IN *electione perſonarum vitæ meritum* (verba ſunt A Guillelmi Conqueſtoris in extremis poſiti) & *ſapientiæ doctrinam inveſtigavi; & quantum in me fuit, omnium digniſſimo Eccleſiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari poteſt veraciter in Lanfranco Cantuarienſium Archipræſule, hoc in Anſelmo Beccenſium abbate, hoc in Gereberto Fontanellenſe, & Durando Troarnenſe, & in aliis multis regni mei doctoribus, quorum celebris laus perſonat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales ſocios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & ſapientiam inveni: ideoque ſemper gaudens optabam eorum conſiliis perfrui.*

Et lib. 8. pag. 676. c, *Durandus Troarnenſis abbas grandævus, ab infantia monachus, religione* B *& ſapientia præcipuus, Eccleſiaſtici cantus, & divini dogmatis doctor peritiſſimus, ſibi durus carnifex, aliiſque mitis opifex, poſt multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, & bene ut prudens & fidelis ſervus, ire ad curiam Domini ſui paratus, III. Idus Februarii de ſæculo migravit.* Deinde poſt pauca: *Venerabiles diſcipuli glebam religioſi doctoris in Capitulo ſuo reverenter ſepelierunt, & in candido lapide qui ſuppoſitus eſt, epitaphium hoc addiderunt.*

Hac tegitur tumba bonus & venerabilis Abba,
Durandus noſtri norma Monaſterii.
Ad Domini laudem præſentem condidit ædem, C
Qua ſibi propitium credimus eſſe Deum.
Luce ſub undena Februi reſolutus habena
Carnis, ad Angelicam dirigitur patriam.

PROŒMIUM EJUSDEM DURANDI.

DOctorum cunctos labor eſt inquirere libros;
Ut divinarum quæ ſit ſubſtantia rerum
Rite capi valeat, ſub forma panis operta,
Ac vini, quæ poſt ſacra verba, crucis quoque ſignum,
Nil aliud ſunt quam caro vera, cruor quoque verus,
De vero Chriſti regnantis corpore in aſtris,
Ut regem regum decet, ac Dominum dominorum.
Sint icc rco ſatis hæc noſtra minus ſtudioſis,
De multis Patrum libris excerpta priorum:
In quibus & fidei vigor emicat, & brevitatis
Concinnæ utilitas non parva datur recitanda,
Tantum ſimplicibus: ſapientes porro ſequantur.
Ac ſtudio freti potiora legendo capaci.
Verum ne nobis ſuccenſendum temere quis
Iccirco retur, quod præſumſiſſe videmur
Talia; diſcat nos multa improbitate coactos,
Jam per Francorum fines, & caſtra vagantum
Schiſmaticorum hæreſis, per quos cœpit nova noſtris
Temporibus, veneranda negans myſteria Chriſti,
Eccleſiæ quibus alma fides viget alta decenter.
Propterea ut vilem ſapientum nemo laborem
Rideat, hunc noſtrum multis fateor placiturum.
Optima namque Patrum decerpſi dicta priorum
Sinceræ fidei, de carne & ſanguine Chriſti,
Atque hoc in parvo congeſſi multa libello.


EXPLICIT PROŒMIUM.

INCIPIT LIBER DOMNI DURANDI ABBATIS De corpore & ſanguine Domini.

PARS PRIMA.

I. QUoniam quidem veternus hoſtis inimicus humani generis, & homicida crudelis, juxta vocem Apoſtoli, ac ſi *Leo rugiens circuinit quærens quem devoret*, oportet ei nos reſiſtere fortes in fide, ſine qua prorſus eſt impoſſibile Deo placere. Ea enim eſt quæ virtutem ejus elidit, procacitatem obtundit, atque de eo victorioſe triumD phat, braviumque vitæ perennis reportat. Ipſe namque viroſus anguis antiqua mortalium peſtis, qui per vaſa ſuæ deceptionis aptata in interitum, multiforme pravitatis hæreticæ venenum, a primordio fidei per orbem diffudit univerſum; nunc etiam per occultos nequitiæ ſuæ ſatellites, & miniſtros, Catholicam fidem ſubtiliter conatur eludere, Chriſtique Eccleſiam in ſua veritate antiquitus fundatam, exquiſitis tentat argumentis labefactare. Nam qui-

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1068.



busdam vana sapientibus, ac perverse non tam alios, quam semetipsos decipientibus, persuasit sentire, atque callidis susurrationibus sensim, & occulte aliis sentiendum intimare, nihil in Sacramentis Dominicis ad veritatem fieri, sed omnia potius per figuram & similitudinem geri. Qui ut se hæreseos suspicione callide exuant, ac Dominicæ sententiæ congruere ostendant, hac se calliditatis arte palliant, atque prophanæ novitatis dogma ita tenus temperantes colorant, ut dicant ea quæ ad altare deferuntur panis & vini munera, post consecrationem etiam quod fuerant permanere, & sic quodammodo corpus Christi, & sanguinem verum, non naturaliter, sed figuraliter esse. Ipsas quoque substantias divinæ oblationis adeo corruptibiles, & corrumpentes delirant esse, quatinus & in digestione communium ciborum perire, & amplius æquo sumentes in crapulam, & ebrietatis furorem queant vertere.

Sed & alia graviora satis multoque his turpiora sentiunt, & consciis minusque suspectis insusurrare non desistunt; quæ ne dicam proferre, verum etiam nefas est vel tenuiter cogitare. Sed quærendum arbitror, talesque doctores consulendum reor, quid utilitatis afferat hujuscemodi eorum professio. In qua nihil sanctum, nullum prorsus reperitur sanctitatis imitandæ vestigium; sed omnia insana sunt & turpia, perversæque morum & actuum dissolutioni militantia. Quod si aliquatenus admittitur tanta perversitas, ut in dominicis mysteriis nulla credatur veritas, sed umbratilis dumtaxat astruatur falsitas; quodque consequitur eorumdem Sacramentorum turpis corruptela; quid rogo restat, nisi ut tota pereat professionis Christianæ disciplina? Sicut enim in his solidus catholicæ fidei vigor, & salutis humanæ summa consistit; ita his ademtis nihil sanctitatis, nihil meriti reliquum fuerit. Nam si heic aliqua deprehenditur falsitas, ubinam quæso erit veritas? Nullus igitur timor, nulla in sanctis erit ultra reverentia: nemo cordis munditiam, nemo corporis colet sanctimoniam: omnia erunt dissoluta, omnia plane incomposita, cessante summæ honestatis disciplina. Nec immerito. Quis enim deinceps modestiæ sobrietatique operam adhibuerit? quis ibi cultum divini timoris dependerit, ubi nulla est majestas veritatis? Ceterum si in cibo dominico figura, & non substantiva veritas est, Christus qui dixit: *Accipite, & comedite hoc est corpus meum*, verax non est. Si verax non est, nec Deus est: si Deus non est inanis est sanctorum per orbem terræ prædicatio, inanis etiam Ecclesiæ Catholicæ fides ac professio: in qua pretiosus Martyrum nequidquam fusus est cruor, frustraque fortium labor athletarum in theatro mundi, ipso spectante, triumphum de hoste reportavit; ac per hoc nihil est quod agimus, nihil omnino quod speramus. Hiccine est fructus uber, hæccine opima merces, cui schismaticorum impudens inservit insolentia? o perditum fundamentum! quod tanta sequitur non structura, sed ruina. Sed absit, ut Christus Deus non sit qui utique verax est, quia revera Deus est: si verax est, ergo quod ipso porrigente accipitur, quod præbente comeditur, quamquam diverso pro meritorum differentia modo, Dominicum tamen vere corpus est. Quod internam dumtaxat purificatam aciem, ipsa imbecillitate exteriorum luminum feriata, in fidei speculo alte rimari liquet. Sed tamen evidenti praeconio veritatis, moderni dogmatistæ responsalesque satanæ refragantur, & tam impia turpiaque libertate temeraria submurmurando opinantur, quæ & ipsius aeris inficiant auras, sibique faventium mentes hominum corrumpant, & corda. Verumtamen ut tantæ perfidiæ notam caveant, confutationemque liberius subterfugiant, omnibus divinis tractatoribus voluminum auctoritatem, derogant beato Papæ Gregorio, Leoni, Maximo & cæteris quicumque præter paucos aliquid in authenticis Ecclesiæ litteris differendo laborarunt.

PARS SECUNDA.

II. Sed valde incompetens videtur & absurdum, ut abjecti, spurcique homines, qui neque honestate vitæ, neque scientiæ utilitate, aliquod Ecclesiæ Catholicæ contulerunt emolumentum, eatenus convalescant, ut tot Patribus, atque doctoribus, quorum vita hactenus, & institutione florere dignoscitur fides orthodoxa, prædicatione quoque, & instantia succrevisse, atque in melius, Deo suffragante, diatim profecisse, fructum sui laboris auferant: nos quoque sibi impudenter inclinent, atque suo errori perverse applicent. Inconsultum nihilominus esse liquet, ut eos deseramus, quorum doctrinis instruimur, sanctæ vitæ exemplis informamur, quotidianisque miraculis illustramur: eis vero inhæreamus, quorum vita despicabilis, si qua esset etiam recte docendi professio, merito foret vilis, & obnoxia contemtui. Sed enim hoc tale esset, ac si vitæ renuntiantes, mortem amplecteremur; lucem abdicantes, tenebris implicaremur; abjurantes veritatem, fallaciæ manus præberemus. Absit autem ut tam perversis, & a veritate ipsa tantum aversis, pari jungamur perfidia, atque in sancta dominici Corporis, ac Sanguinis communione minus aliquid fateamur, quam Catholica per universum orbem prædicat Ecclesia. In qua revera tam vera Christi caro, verusque sanguis exsistit, quam verax esse ipse Christus probatur, qui ea prior sanctificavit, suisque demum auctoritatem, formamque sanctificandi sua potestate concessit, quæ fideliter percepta justos clarificat, peccatores justificat, impios condemnat, nec diversa in se, pro meritorum tamen qualitate in omni professione, sive persona, diversa cognoscitur operando peragere. Neque de cetero subire credenda est cujuslibet injuriæ incommoditatem, sed potius in spiritualem refundi virtute divina operationem. Unde scriptum est: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Panis ergo caro est, quia ipsa veritas dicit: *Panis quem ego dedero caro mea est*, caro vero vita, & vita mundi, non corruptela. Ut enim Deus & homo Jesus Christus, impleta redemtionis humanæ dispensatione, a morte ad vitam, ad incorruptionem excessit a corruptione: ita etiam hoc divinum ac cæleste Sacramentum, non immerito creditur a specie visibili in id repente transformari, quod solus ipse novit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ reconditi*, expenso videlicet humanorum cælestibus jungendorum officio satis efficaci. Unde Dominus: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ubi, ut cunctis sanum sapientibus patenter liquet, non digestionis obscœnitas, sed divinæ per sacramentum mansionis repromittitur negotium fidelibus; ac proinde divinum mysterium fideliter, atque competenter acceptum, & in id, quod jam ex parte erat, ab eo quod adhuc visui subjacebat exteriori, divinitus ex toto transformatum; sumentium quoque animas mentesque sanctificat, ac provehit, divinæque mansioni coaptat, & componit; ac deinde a morte ad vitam transformat jure potenti. Sicut auctor ejusdem muneris attestatur, ubi ait: *Qui manducat me, vivet propter me.* Porro videamus quid beatus Augustinus doctor de hac transformatione senserit, quidve in libro tertio de sancta Tri-

nitate tractatum reliquerit. Si ergo, ait, Paullus Apostolus adoptionem exspectans redemtionem corporis sui potuit significando prædicare Dominum Jesum Christum aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis, & sanguinis ejus, nec membranas, nec attramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi, & sanguinem dicimus, sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis dominicæ passionis, quod cum per manus hominum ad illam invisibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter spiritu Dei. Cum hæc igitur omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitus invisibilia, sive ministrorum animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes; quid mirum si etiam in creatura cæli, & terræ, maris, & aeris facit Deus quæ vult, sensibilia, atque insensibilia ad seipsum in eis, sicut oportere ipse novit, significandum, & demonstrandum, non ipsa sua, qua est, apparente substantia? In qua sententia illud diligenter, & præcipue perpendendum proponimus, quod ex terræ fructibus accipi, ac prece mystica corpus Christi, ac sanguinem consecrari dicitur per quamdam manum divinam, a forma visibili invisibiliter operante Spiritu sancto, hoc tam magnum fiat sacramentum ad invisibilem speciem indubitanter perduci pronunciatur, revera enim ex visibilibus, & terrenis substantiis, id est, pane, & vino aqua misto, incomprehensibili sancti Spiritus opificio, verbis quoque mysticis sanctum Domini corpus, ac verus sanguis efficitur, mutata non specie, sed natura: vere nihilominus inter manus ministrorum ad invisibilem speciem cælesti commercio perducitur ejusdem Sacramenti etiam visibilis forma, videlicet ut tantum fiat Sacramentum, id est, ex toto sanctitas, ac vita animarum. Nec ut pravi quique audent delirando confingere, in digestionis corruptionem resolvitur, sed magis in mentibus utentium vitam, salutemque efficaciter operatur. Propter quod & Redemtor noster, sui auctor & sanctificator mysterii, in sancto Evangelio, ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Ubi cum panem audis minime turberis, nec exteriori forma traducaris. Verum quæ sequuntur diligentius attende, ubi sua idem Dominus verba patenter dignatus est explanare, & sub visibilis rei obtentu aliud satis longe clarius, & magnificentius voluit ostentare. Ait enim: *Et panis quem ego dabo, caro mea est.* Ecce qualiter, quam lucide exprimitur, quod prius aliud, hoc est panis vocabatur. Caro ergo dicitur, & panis vocatur: panis quia cibus est, vel propter similitudinem forinsecus apparentem: caro vero, quia vita est; & propter veritatem intrinsecus dispensatorie latentem. Panis enim dicitur, ne exhorrescas statim ipso auditu, sicut olim multi discipulorum, de quibus scriptum est, quia *abierunt retro, & jam non cum Jesu ambulabant, dicentes: Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Caro vero vocatur, ut inviteris tantæ novitatis intuitu; utque intus traharis repromisso tam ingenti beneficio. Tum subinfertur, *pro mundi vita;* vita utique non corruptela, ut impia modernorum hæreticorum asserit temeritas: *pro mundi*, inquit, *vita*. Mundi quidem prius immundi propter vitæ corruptæ spurcitias, ac sordes, & opera iniquitatis, quibus tam prævaricatione primi parentis humana natura, quam vitiatæ originis necessitate attaminata, diutimque in deterius prolapsa sorduit: at jam glorioso cruore Christi, ac si agni immaculati, in crucis videlicet ara immolati, militis lancea profuso, ad plenum mundati, quia unde culpa, inde manavit & gratia; nam de latere dormientis Adæ Eva formata processit, quæ mundo damnationem mortis per transgressionem præcepti invexit: de latere nihilominus secundi Adæ, id est Christi, crucis in patibulo suffixi, atque in soporem triduanæ mortis resoluti, sanguis & aqua profluxit, qui exclusa mortis æternæ pœna, perennis vitæ gratiam refulsit. Inde plane salus, inde vita est mundi, cui expiando ab omni sorde peccati tam originalis, quam actualis, hoc singulare remedii genus, divina providentia humanos miserata errores, procuravit: sicque in sua sancta Ecclesia per universum orbem longe jam lateque diffusa, unicum ac speciale instituit sacrificium: quo & Deus ipse mundo misericorditer propitietur, & mortalis infirmitas quotidianis eum sceleribus offendens reconcilietur. Cui quicumque non recte credendo, vel impudenter, atque impie blasphemando contradicit, divinis per omnia ingratus beneficiis, cælestis aditum propitiationis saluti suæ præcludit: propter quod nec gratiam vitæ, quæ in tanto præfixa est sacramento, valet aliquatenus adipisci. De qua superius constat pronuntiatum, *panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita.*

PARS TERTIA.

III. Libet autem intueri diligentius, quod caro Dominica bis oblata est pro mundi vita. Prius videlicet semel in sacramento, quando ipse Redemtor noster panem in manibus accepit, & in cælum oculis elevatis benedixit, fregit, ac sic discipulis suis dedit, & ait: *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Unde & hujus sancti Sacrificii forma; quod jam non semel in pretio, quando ut genus mortalium redimeretur, idem Dei filius crucis patibulum ascendit, seque ipsum Patri suo in sacrificium sacerdos ipse & hostia obtulit: qui modus jam tunc præsignabatur, cum, ut prælibavimus, visibilem panis substantiam idem salvator morti, quam prælegerat, jam loco & tempore propinquus, sanctificavit dicens: *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Ac ne cuilibet perverso facultas forte relinqueretur errandi, vel aliud quid intelligendi, subintulit; *quod pro vobis tradetur.* Quibus nimirum verbis exclusa sunt omnia impia opinandi argumenta, ac falsa nuperæ hæresis commenta: quando illud, quod in manibus tenebat Dominus Jesus, quod discipulis offerebat, tam absolute suum testabatur corpus; nec prorsus aliud, quam quod pro eis tradendum erat. Sane curiosius perpendendum, quod pietas divina, quæ novit omnia novissima & antiqua, sicut sua sacramenta sanctæ suæ Ecclesiæ ad salutem tradidit, ita suis tam factis, quam verbis ea communivit, ne in aliquo valerent infirmari, aut contradici. Unde illis quæ præmissa sunt annectit; *Hoc*, inquiens, *facite:* ac si diceret, quod ego feci propria potestate, vos facite mea auctoritate. Ego exemplo, vos imitatione. *Hoc facite.* Qui? Vos mei, qui in præsentiarum estis discipuli: & post vos hi, qui non viderunt, & crediderunt; & idcirco sunt revera beati. *Hoc facite.* Quid est, hoc facite? id est hoc corpus, hunc sanguinem meis verbis, mea invocatione conficite. Nec semel ut ego, sed quotiensumque sumitis. Ut quid? *In meam*, ait, *commemorationem*, id est ut mei memoriam per hoc

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.



firmius teneatis; meque pro vobis passum in mentem revocetis: postremo ut me videre spiritualiter, sentire præsentialiter, habere valeatis indubitanter. Et quia semel moriturus sum, mihique mors nullatenus est ultra dominatura: per hoc mortem meam frequenti usu recolite, ut & vobis sit salubre pietatis commonitorium, & ad patris mei propitiationem specialius obtinendam singulare, ac potens fiat emolumentum. Res ergo tam divina, tamque salutaris, tantæ denique virtutis plena & majestatis, ut indigestione pereat, cuilibet vel extremo fidelium nullatenus debet persuaderi, sed semel perceptam potius sub spe futuræ, quæ exspectatur, glorificationis, in præsentiarum nos consolari, & ad promerendum id postmodum quod pollicetur potenti præparare effectu oportet credi. Nimis autem videtur absurdum, & a re ipsa decernitur alienum, ut ubi Christus percipitur, de stercore cogitetur. Quod Apostolus, ne ipsis quidem, quibus hoc placet, unde & Stercoritæ jure nuncupantur, concedit; sed judicium potius eos comedere, & bibere, dum non bene dijudicant, asseritur: fidelibus fideliter Domini corpus, ac sanguinem sumentibus, sub specie visibili divini quod celebramus sacramenti. Quamobrem jam in Christo per sanctæ suæ carnis commercium naturaliter manemus, & ipse in nobis vicissim per assumtum infirmitatis nostræ morticinium esse dignatur: quoniam eo nos sibi potenter corporavit, quo se nobis dignanter attemperavit, ac per hoc se nobiscum assumtione nostræ humanitatis, nosque secum communicando carni suæ ac sanguini unum naturaliter effecit. Sicut etiam beatus Hilarius in libro quem de sancta Trinitate titulavit, hanc novam reor hæresim prævidens in spiritu, definivit. *Eos*, inquiens, *nunc qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem intervogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est: & vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ inseruit?* Diligentius quæso attende, & quotiens vere & naturam repetierit recense: Primo quidem vere Verbum carnem factum præmisit, ac deinde vere nos Verbum carnem cibo sumere Dominico intulit, ut profecto hujuscemodi insinuaret documentis, non aliter carnem Verbi cibo Sacramentario, quam idem Verbum caro factum est, percipi. Nam quia vere Verbum caro factum est: vere nihilominus eadem Verbi caro, ac potius Verbum caro, & non per cassam veritatis figuram in cibo sumi credenda est; nec sane hæsitandum, si quod præmissum est verum sit, quin id quod subnectitur consentaneum sit veritati: id est ut sicut veritas Incarnationis facta est Verbi, ita vera per sacramentum visibile perceptio credenda sit Dominicæ carnis, quæ sumta ex nobis sedet in cælis consors majestatis.

IV. Hinc ipse Dominus, ut ad hujus rei nos veritatem informaret, suis ait discipulis; *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quid expressius? Quid lucidius? Ecce ipsa veritas de se testatur, cui adhuc novitia hæresis impudenter renititur, crassamque similitudinis, ac figuræ nubem improbe consectatur. Quam divinus sophista rhetorque cælestis Hilarius fortiter repercutit, calcatiusque refellit. *Quomodo non naturaliter*, inquiens, *in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit?* Ubi tertio naturam totidemque modis inculcavit, quia videlicet Verbum quod erat a principio permanens, & naturam carnis nostræ sibi inseparabiliter unitam quod non erat assumens, carnis suæ naturam ad æternitatis naturam admiscuit: ac per hoc eam nobis communicabilem sub sacramento præbuit. Proinde ambigendum nullatenus est, humanam posse naturam ad divinæ carnis pertingere edulium, quæ ineffabili Verbi commercio adusque divinitatis adorandum perlata est participium: alioquin paganum erit, totumque penitus desipiet quod scriptura refert; *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Scabellum quippe divinitatis, sancta est humanitas redemtoris: cui propter inseparabilis veritatem unitatis deferenda est reveren- B tia summissæ adorationis, tumque præsertim quando munus supplet alternæ communionis: ad hoc siquidem divinitus institutum, ad hoc discipulis a Domino indictum, ad nos usque venerabile hoc decucurrit sacramentum: ut per unitatis mysterium, ipsius participatione comparatum, divinitatis efficiamur grata sedes & regnum; ab humanis videlicet in divina transfigurati, & a carnalibus ineffabiliter ad spiritualia provecti.

V. Si igitur quod majus est collatum nobis non abnuimus, nec quod minus est concedi posse diffiteamur. Videlicet jure sub mysterio carnem sumere corporis Christi, quod jam de contiguo nobis est, quia dignanter corporis nostri carnem assum- C sit quod supra nos est: quia vere homo ex virgine natus Christus fuit, ac per hoc de veritate carnis ejus communicandæ, & sanguinis nullus jam relinquitur locus ambigendi. Si quidem & ipsius Domini professione, & nostra fide vere est caro, & vere est sanguis sacra confectio vivifici sacramenti, quæ accepta fideliter id efficit, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit. Et hæc est vitæ nostræ caussa, hæc salus, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus; qui licet jam longe sit alterius dignitatis & gloriæ quam nos, naturaliter tamen caro est, quod nos. Quia non adimit naturam, sed glorificat assumtio, dum unum sit Verbum & caro. Unde in nobis carnali- D bus etiam nunc manet Verbum caro, quam nobis communicandam, dum in stadio corruptibilis vitæ curritur, ea dispensatione Christus Deus procuravit, ut in nobis maneret, qui per suam passionem mortisque supplicium indulto vitæ remedio prospexit, ut ad suam nos quandoque dignitatem contuendam, ac pro modulo nostro promerendam proveheret, efficeremurque ei similes, videntes eum sicuti est. Et vere hæc est vitæ nostræ caussa, quia ipsa pro nobis occubuit vita, ut nobis usualis fieret esca. Hæc etiam gloriæ firma spes promerendæ, quia ipsam gloriosæ divinitatis carnem heic tenemus in pignore, per quam in nobis carnalibus interim manentem Christum, qui Dominus virtu- E tum est, & rex gloriæ habemus; dum eam veram, atque ipsius Verbi naturalem, ministrorum officio, remoto totius erroris scrupulo, percipimus. Anne hoc veritas non est? Ecce iterum perspicacissimus mysterii contemplator divini falsitatis auctores redarguit, pœnamque eis, qua rei tantæ majestatis merentur plecti, urgente Christi spiritu, qui in ipso loquebatur, imprecans annectit, *contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum Deum denegant esse.* Hoc & nos sicut & ille, nisi ab errore suo resipuerint, juvat imprecari, ut quid negaverint saltim ultionis tortura valeant experiri. Nobis autem carnis suæ, salvatoris benignitas per veritatem suam, nostramque fidem, naturam adeptis, & proprietatem perfectæ unitatis utrinque professis indulgeat quod repromisit, ut in

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1068.

ipso permaneamus, & ipse in nobis, fiatque digna merces piæ credulitatis optabile contubernium dignanter illapsæ majestatis, & hospitæ præsentialiter divinitatis: per idoneum videlicet tantæ gratiæ pignus, & virtutis.

PARS QUARTA.

VI. Verum licet tanti viri sufficiat auctoritas, aliqua tamen deflorare libet de sancto Ambrosio, cujus in Ecclesia Catholica post Apostolos auctoritas habetur præcipua; cujus eloquentiæ affluens facundia Latinæ linguæ decus est & forma: beati quoque Augustini, cujus spectata fides, & multiplex in scripturis labor utilis, & clarus comprobatur: sed & aliorum sanctorum patrum dicta nonnulla subtexemus, quæ sparsim reperta, sed simul diligenti studio, & non parvo labore congesta, hac de re pie quærentibus sint grata, & ad rationem fidei roborandam satis superque idonea.

VII. Ait ergo prædictus Ambrosius in libro de Mysteriis. *Nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns, quoniam quæ sunt invisibilia non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi, dicat; Judæis de manna pluit; unde dictum est, panem Angelorum manducavit homo. Sed tamen panem illum qui manducaverunt omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipiet, iste panis vivus qui descendit de cælo, vitæ æternæ substantiam subministrat, & corpus est Christi. Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud de cælo, hoc supra cælum: illud cæli, hoc Domini cælorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione: quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis deluit in æternum. Judæus bibit & sitit, tu cum biberis, sitire non poteris, & illud in umbra, hoc in veritate.* Et post nonnulla. *Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione natura etiam ipsa mutatur?* Et quibusdam interjectis: *Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret: quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, ut ignem de cælo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutetur elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit de nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Nonne majus est novas res dare, quam mutare naturas? Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus* [1] *mysterio veritatem. Numquid naturæ usus præcessit cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid heic quærimus naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera utique caro*

A *Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen: hoc est, verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat. His igitur Sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus Jesus, quibus animæ substantia firmatur.* Et post pauca. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus Christi est. Non ergo corporalis esca est, sed spiritualis est. Unde & Apostolus de typo ejus ait:*
B quia Patres nostri escam spiritualem manducaverunt, & potum spiritualem biberunt. *Corpus enim Domini, corpus est spirituale. Corpus Christi, corpus est divini spiritus.* Hæc tanti viri sententia fideliter expensa, omnes hæreticorum versutias, & universa destruit argumenta, Catholicamque fidem e diverso instruit, & roborat, & de veritate naturali corporis, ac sanguinis Jesu Christi salvatoris, devotionem fidelium, ne de cetero in aliquo vacillet, sufficienter ædificat. Quam quia per singula nobis in quibus oporteret discutere non vacat, summatim percutrimus eam, monentes, ut qui hæc lecturi sunt per se diligentius inquirere, & intelligere quæ indiscussa præ-
C terimus studeant.

VIII. Ait ergo, *Ista esca quam accipis, iste panis vivus qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat, & Corpus Christi est.* Ubi advertas oportet, quod escam, & panem quem de sacro altari percipimus, Domini indubitanter dicat corpus, & ideo vitæ æternæ substantiam subministrat, digna devotione cordis illud accipientibus. Et revera. Christus enim vere est vita, sicut ipse dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Et necesse est ut qui Christum in se fideliter excipit, vitæ æternæ particeps mereatur effici: a qua longe fit, qui se a sancto mysterio aut male
D vivendo, aut non recte credendo elongare non metuit; cui quisque eo magis proximus exsistit, quo per rectæ fidei studium emendatius vivit. Ne vero quis corpus aliter interpretari sive intelligere posset, quia videlicet Apostolus ait, *& corpora cælestia, & corpora terrestria*; mox in subsequentibus idem Doctor Christi carnem appellat, dicens: *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Vere profecto corpus est vitæ caro Christi: quia ipse Christus, cui est ipsa caro corpus substantivum, vita est immortalis, seu quia vitam fideliter eo fruentibus constat spiritualiter operari.* Et post pauca: *Manna, inquit, illud umbra fuit, hoc corpus in veri-*
E *tate est.* Non immerito manna umbra dicitur, quia etsi in veritate cælestis creatura fuit, unde & Angelorum panis nuncupatur, dum tamen aliud quam quod videbatur signo portendit, figura vel umbra mysterii futura non ipsa veritas exstitit, quæ exspectabatur temporibus revelanda novissimis, quando plenitudine, quam divini consilii providentia disposuit ante tempora sæcularia, jam accedente, Deus ipse homo pro hominibus dignatus est fieri, & hoc cæleste, ac potius divinum, non ut ante per Moysen manna illud dederat, sed per semetipsum confecit, discipulisque suis in sui memoriam usque in sæculi consummationem, qua ipse manifeste venturus est, celebrandum, ita dicens: *Hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem.* Un-

[1] Al. *mysterii*.

SÆCUL. XI.
CIRCA
ANN. CHR.
1068.



de nimirum constat eamdem veritatem carnis, ac sanguinis esse in Sacramento, quod sancta per universum orbem Ecclesia uniformiter agit; quæ erat & in illo, quod ipse Christus Deus suis sanctis manibus sanctificavit, ac suis, qui eum ab initio prædicationis secuti fuerant, distribuit: *Accipite*, inquiens, *& comedite*, *hoc est corpus meum*. Ac deinceps: *Hoc*, ait, *facite in mei commemorationem*. Hæc vox, ut credimus & confitemur, est ad quam consecrationem Dominici mysterii quotidie fieri liquet. Quod quamvis aliud humanis cernatur obtutibus, quamvis aliud significare utiliter ratione typica non negetur, nihil tamen aliud omnino substantialiter esse quam vera Christi caro, & verus sanguis comprobatur. Et sicut superius ait beatus Ambrosius: *Jam non est post verba cælestia quod natura formavit, sed quod benedictio cælestis consecravit, quia major est vis benedictionis cælitus infusæ ad preces sacerdotis, quam naturæ; quia & ipsa natura ab eo quod erat, in id quod non erat mutatur benedictione*. Unde & alias in libro de Sacramentis idem ait: *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. Et post nonnulla. *Si ergo*, inquit, *tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Qua sententiola liquidius destruitur hæreticorum perfidia, qui aliter quam ipsa veritas habet, adversus divina disputant Sacramenta, in quibus solam esse figuram, & non veritatem affirmant, atque creaturam, ut fuerat omnino, permanere: aliquam virtutem spiritualiter propter benedictionem unde Domini corpus vocetur, habere; nec in aliud quam fuerat demutari rerum veritatem, cum Ambrosius dicat: *hoc autem corpus in veritate est*; quod qualiter in veritate fit, ipse exponit, dicens: *non est quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, quia benedictione natura mutatur*.

IX. At quia sunt nonnulli his aliquanto, ut sibi videntur, prudentiores, atque religiosiores, qui carnem quidem dicant esse Christi, non tamen illam, quam de virgine sancta Christus ipse suscepit; in qua passus est, & a mortuis resurrexit; quam ad cælos cum triumpho victoriæ vivus & verax devexit: sed quamdam novam, quam benedictio recens consecravit. Præfatus Doctor apertissime definit horum errorem destruens funditus, Catholicamque fidem validius ædificans, qualiter hac de re secundum veritatem sentiendum sit. Ait namque: *Liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est*. Et paucis interjectis: *Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est. Vere ergo carnis illius Sacramentum est, ipse enim clamat Dominus Jesus: hoc est corpus meum*. Ex quibus omnibus luce clarius constat Dominica Sacramenta vere esse corpus, ac sanguinem Christi, non solum per virtutis efficaciam & spiritualem potentiam, sed etiam per proprietatem naturalis veritatis integerrimam: nec aliud omnino quam eamdem carnem, quam virgo de Spiritu sancto concepit, & integritate virginitatis illibatæ permanente præter humanam consuetudinem, non præter veritatem corporis humani edidit; quæ crucis damnata suspendio, mortis addicta supplicio, sed postmodum beatæ resurrectionis glorificata triumpho, cælorum superavit fastigia, sederque nunc in æterni Patris dextera, ubi pro nobis juxta veridicam apostoli Paulli vocem pontifex

A in æternum factus, pro humana carne sedulus interpellat, sed per naturalem deitatis veritatem suorum suscipit fidelium vota, & votis annuit, pro potestate ac majestate divina. Hinc alia ejusdem doctoris testimonia super eadem re non incompetens videtur addere: ut multiplex dictorum copia fidelibus satisfacere, & perfidis vana, & prophana docendi libertatem valeat funditus adimere. Ait ergo in tertio de virginitate libro: *Vide quantus ad natale sponsi tui populus venit, & nemo impastus redit. Denique ad suas nuptias plures vocavit; sed jam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur e cælo*. Ac post multa: *In passione vulneratus est, atque ex vulnere aqua, & sanguis ad potum spiri-*

B *tus ad resurrectionem. Unus enim Christus est nobis fides, spes, caritas. Fides in lavacro, spes in resurrectione, caritas in Sacramento*. In secundo de viduitate: *Dominus*, inquit Jesus *aliis panem hordeaceum, ne in via deficerent; aliis corpus suum, ut ad regnum contenderent, ministravit*. Et in libro de Sacramentis: *Ergo didicisti*, ait, *ut panis Corpus Christi fiat. Et quid? vinum in calice mittitur, sed fit sanguis consecratione cælesti*. Ac post aliquanta: *Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. Deinde ipse Dominus Jesus Christus testifica-*

C *tus est nobis, quod corpus suum accipimus, & sanguinem. Numquid debemus de ejus testificatione & fide dubitare?* Et in superiori libro de Sacramentis: *Sicut*, inquit, *verus est Dei filius Dominus Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus. Sed forte dicas, quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare & convertere genera instituta. Deinde ubi non tulerunt discipuli dicentem Christum, quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum ad bibendum, recedebant. Ne igitur plures hoc* [1] *face-*

D *rent, & veluti quidam horror esset cruoris, sed maneret gratia redemtionis; ideo in similitudinem quidem accipis Sacramenta, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cælo descendit. Sed caro non descendit de cælo, hoc est, carnem in terris assumsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis de cælo? Et panis vivus quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est divinitatis, & corporis: & tu qui accipis carnem, divinæ ejus substantiæ participaris alimento*. In hac itaque sententia liquido declarat beatus Ambrosius quare superius dixerit carnis, vel sanguinis similitudinem videri, non speciem: quia videlicet dispensatorie species, id est, veritas car-


E nis, ac sanguinis in Sacramento latet, ne si ut est, appareret, horrorem videntibus res incuteret. *In similitudinem*, inquit, *accipis veritatem, ne ipsa veritas tibi incutiat horrorem*. Ideo similitudo prætenditur ut veritatis horror pellatur: nec gratia tamen veræ naturæ, carnis & sanguinis minuitur, dum sub alia similitudine vera caro, & verus sanguis Christi percipitur. Et similitudo quidem carnis ac sanguinis, panis ac vinum dicitur; vel propter ipsam veritatem, quam licet occultam habet, seu quia juxta aliquid caro, & sanguis sunt, propter quod sic jure dicantur, quia per consuetum usum vitam vescentium eis conservent, in carnem naturali incremento convertuntur & san-

1. Al. *dicerent*.

guinem, unde & satis competenter Salvator carnem suam, & sanguinem de panis ac vini materia constituit consecrari: quibus ipsa vita mortalis subsistit, quibus denique humana substantia quotidiana incrementa consequitur; dum per escam, & potum assumta, in carnem & sanguinem secreta quadam vi naturæ trajecta convertuntur. Ceterum in veritate caro & sanguis, sunt post consecrationem panis & vinum, licet lateat species sub præordinata divinitus similitudine visibilium rerum. Sicut in libro de sancta Trinitate secundo idem antistes protestatur: *Quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur: hic est panis vivus, qui descendit de cælo: panis hic caro est, sicut ipse dixit: hic panis, quem ego dabo, caro mea est*. Et in octavo: *Videamus*, inquit, *ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus Christus in carne assumtione suscepit; itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus*. Beatus Augustinus in libro de verbis Domini: *Memini*, ait, *sermonis mei, quia cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur, ubi Christi verba depromta fuerint; jam non panis, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait, panem nostrum? Panem quidem, sed supersubstantialem: non est iste panis qui vadit in corpus; sed ille vitæ æternæ panis, qui animæ nostræ substantiam fulcit*. Ex hac igitur tam perspicua de Sacramento Dominico sententia datur intelligi, quod consecratio illa supercælestis non umbra sit, sed vere corpus, & sanguis. Ubi autem dicitur panem supersubstantialem, non qui vadit in corpus, sed qui animæ nostræ substantiam fulcit, patet utique quia oratio Dominica non de isto temporali pane, qui in corpus vadit, & in secessum emittitur, dicat; sed de illo qui consecratur divinis verbis, sumtusque fulcit animam nostram: qui dum offertur tantummodo panis est, & temporale carnis moriturae subsidium, post consecrationis vero mysterium, caro Christi est vera, & immortale fidelis animæ præsidium: sicque sub forma quam invisibiliter prætendit, salutem quod divinum est operatur fideliter percipientis; nec per aqualiculum turpiter egestus perit, sed reverenter insumtus animæ substantiam fulcit.

X. Quod Paschasius quoque divini Sacramenti scrutator diligentissimus, discussorque catholicus, in libro suo ut beatus Augustinus sensisse comprobatur, in quo inter cetera sic ait: *Frivolum est ergo, ut in apocrypho legitur, in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur in digestione alterius cibi. Denique ubi spiritualis esca, & potus percipitur, & Spiritus sanctus per eum in homine operatur, ut si quid in eo adhuc carnale est, transferatur in spiritum: & fiat homo spiritualis, quid commixtionis haberi poterit? Quantum igitur distat illa æterna vita ab ista mortali, tantum & iste cibus omnino præeminet ab illo communi, quo simul nobiscum etiam animalia vivunt*. Ecce quid memoratus vir secutus auctoritatem priorum patrum dixerit. Beatus nihilominus Clemens Apostolicus in Epistola ad Jacobum directa, in qua se Apostoli Petri refert indidisse præcepta, imperat quatenus ministri reliquias mensæ Dominicæ absumentes, quæ ea tempestate permaximæ consueverant fieri, a reliquis cibis certis abstinerent horarum interstitiis, ut scilicet qui tertia diei hora communicaret, ad sextam usque jejunaret; qui vero sexta, jejunus præstolaretur nonam; & qui nona, in vespera reficeretur. Quia ergo post perceptionem mysteriorum statutis temporum momentis jussit a communibus observandum cibis, numquid aliqua distendebatur sollicitudine de Sacramentorum stercore, quasi pretiosiori, ne forte commisceretur aliorum ciborum viliori, quod honestiori forsitan secessu oporteret refundi? Absit. Neque enim de discernendis stercoribus ab Apostolo acceperat disciplinam, quam alii itidem Apostolo mandaret tenendam, sed de sanctis mensæ Dominicæ fragmentis præceptionem, quam ceteris traderet, acceperat. Quæ cum quanta sint sanctitate reverentiaque tractanda, evidenter insinuat, cum participes eorum ad communes illico escas accedere vetat; non ut commixtionis caveatur obscenitas, quæ si proveniret minime esset cavenda, sed ut sanctitatis officiales ad parcimoniam, ampliore mque frugi vitæ informaret diligentiam, ac ne imperitis falsa opinandi occasio daretur, negligentesque damnabilis noxæ supplicium sequeretur, quod minatur Apostolus Corinthiis, qui inter agendum Domini cœnam effrenatius indulgebant gulæ illecebris; quibus ait: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, & calicem biberit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Ideo namque reatus ingens contrahitur, inde vehemens pœna subsequitur, quod mysterium Dominicum non dijudicatur, id est, a reliquis cibis minime discernitur, quando ab imperitis, immo impiis, in digestione absolvi jactatur. Unde beatus Augustinus in Evangelio Joannis: *Quicumque*, inquit, *manducaverit panem, & biberit calicem indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*: de his erat sermo cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut quemlibet alium cibum indiscrete, negligenterque sumebant. Heic ergo si corripitur qui non dijudicat, hoc est non discernit a ceteris Dominicum corpus, quomodo damnatur qui ad ejus mensam fingens amicum, inimicus accedit? Proinde valde, ut superius diximus, cavendum est, ne non discernatur, id est, indiscrete vel negligenter sumatur Dominicum corpus, quod non modo mortis æternæ supplicium submovere, verum etiam gratiam vitæ perennis fideliter sumtum creditur impertire, velut ejusdem muneris auctor testatur dicens: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*. Hic itaque panis cælestis Sacramenti qui vitam mortalibus refundit, mortisque pœnam repellit longe incompatibiliterque ab illo, qui corpora tantummodo curat, differt; ac per hoc credi quod pereat nequaquam oportet, ne ubi vitæ gratia per fidem haurienda est, periculosa mortis ob perfidiam incurratur lues; sicut Augustinus ait: *Erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putaverit vitam*. Mendacem quippe putat vitam, vel quantum in se est, facit, qui sacratissima verba redemtoris interpolare, vel falso præsumit interpretari: atque per hoc illi mors, non vita erit, dum de vita aliter, quam ipsa vita, sentit, quæ ait: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita*. Hic ergo specie tenus panis, sed in veritate caro veritatis, & vita fidelis mundi, judicium vero infidelis, sicut ipsa veritas cui fides adhibenda est, aperte præscripsit, in homine vitam non stercora, mentisque nitelam, non corruptelam operatur ventris: qui proinde vocatur supersubstantialis, quia superiorem fovet substantiam hominis, vegetatque, ac provehit; quod profecto ante consecrationem agere nequit terrenus panis, qui in corpus vadit; sed iste nimirum qui animæ substantiam fulcit, qui merito jam post verba Dominica, ut Augustinus ait, vocatur Christi

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.



corpus, non panis, utpote in aliud transformatus operatorio cælitus jure sacrandi. De quo pane quia spiritualis est, & vitæ æternæ, magna nobis ingeritur necessitas postulandi, ut scriptum est, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Si quotidianus est, quotidie pro certo & quærendus est; nec debet intercedere diuturna eum petendi dilatio, cujus constat vitalis, salutarisque animæ perceptio. De temporali autem pane & communi, sollicitudo interdicitur his verbis: *Nolite solliciti esse dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus? Quærite autem regnum Dei, & omnia hæc adjicientur vobis*. Regnum Dei Christus est, sicut scriptum est: *Regnum Dei intra vos est*: Christus autem panis est, sicut scriptum est: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Hoc pane quisquis fideliter satiatus fuerit, defuturum sibi panis terreni subsidium non timebit.

PARS QUINTA.

XI. VErum quia in auctorum libris alibi figura, alibi similitudo corporis, & sanguinis Christi reperitur insertum; quamquam id nullum rectæ fidei afferat præjudicium, inde tamen sibi nequam homines deffendendi erroris ingens se arbitrantur reperisse patrocinium. Dumque sibi volunt videri quasi spirituales, multo ipsis carnalibus inveniuntur, ut ita dicam, carnaliores, & quod est verius, deteriores, quoniam ubi debuerant altioris gratiam intelligentiæ pulsando fideliter, quærendo humiliter investigare; ibi decipulam perfidiæ abruptumque perditionis præcipitium per obstinaciam noscuntur incurrisse. Non enim in scripturis quid propensius oporteat sequi, sed quid validius inepto opituletur errori satagunt rimari: dumque suam tortitudinem ad scripturæ normam dedignantur dirigere, sed ipsius rectitudinem potius violenter inflectendo nituntur deformare, & ad usum suæ perversitatis intorquere, licet obtinere nequeant penitus quod ambiunt, vehementius tamen per hoc in præsumtionis suæ vitio convalescunt, sibique viam profundioris scientiæ obstruunt, aditumque salutis pertinaciter repagulis damnant, & seris blasphemiarum. At nos, quibus non animositas, sed veritatis placet sinceritas, auctoritati sanctæ scripturæ cedentes, ac non eam secundum nos, verum nostros magis sensus ad eam conformantes, nec in ejus varietate dissonantiam, sed multiplicis intelligentiæ lineas amplectentes, ita sacramentum Dominicum figuram juxta aliquid & similitudinem non negamus; ut in veritate tamen corpus Christi, & sanguinem naturaliter exsistere profiteamur. Ait enim Corinthiis Apostolus; *quotiescumque panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Quod ex verbis derivatum Dominicis ratio manifesta prodit, quibus utique Christus suis discipulis passionis suæ mentionem indicens, ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur: hoc facite in meam commemorationem*. Quia ergo *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*; per hoc illius mortem quotidie annuntiamus, ut per eam Patris propitiationem promtius provocantes impetremus, ac sic salutare mysterium, mortis est Dominicæ significativum reconciliationisque humanæ effectivum. Quis igitur neget id similitudinem jure dici, seu figuram, quod Unigeniti passionem, quæ semel præcessit, repræsentat? Sed hæc similitudo, vel figura plena est admodum veritate, & gratia. Veritate quidem, quia carnis, ac sanguinis Christi dulcedine, non modo potentialiter, sed naturaliter approbatur redundare. Veritate dico, quia nihil in ea minus est ab illa carne, quæ clavis suffixa pependit in cruce, nec aliud est quam sanguis ille, qui pertuso profluxit ex latere. Sicut Augustinus ad neophytos probatur dixisse: *hoc, accipite* inquiens, *in pane, quod pependit in ligno; hoc accipite in calice, quod manavit de latere*. Ut manifeste patet, nihil in ligno aliud pependit quam caro, nihil aliud de latere manavit quam qui erat in corpore sanguis. Gratia autem plena redundat; quod nos temporali solatur munere, ut id demum quod prætendit revelata consequamur facie: gratia quoque, qua nos capiti nostro agglutinat, ac dum tendimus ad patriam, sic nos vegetat, ne deficiamus in via. Veritate postremo pariter, & gratia figura hæc sive similitudo est referta, ubi illum proculdubio percipimus, per quem gratia, & veritas facta est: & illud idem totum, de quo Evangelicum intonat præconium. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia, & veritate*. Hæc nimirum est gratia, quam dum mundus nescit, repente accepit. Hæc gratia, quæ nullum invenit meritum, & prorogavit beneficium. Hæc postremo est veritas, quæ omnem excedens intelligentiam, piscatoribus tamen concredita fatuam mortalium aut destruxit, aut condivit sapientiam. Huic enixius veritati inhæreamus, ne a gratia excidamus, & ut ad ipsum qui veritas est, pertingamus, tantæ gratiæ arrham non negligamus: quæ ut vera quandoque apprehendatur vita in præsentiarum nobis constituta est via.

XII. Ceterum ut sua divinæ naturæ servetur majestas, ipsique sincera non obfuscetur serenitas, operosior adhibenda est diligentia, subtiliterque distinctio verborum facienda, ne prophana sensuum irrepat confusio, unde perversa consuevit oboriri dissensio. Hinc etenim illa late serpens planta Manichæorum; hinc sparcissimus pullulavit surculus Arianorum: inde quoque innumerabilium pestis schismatum aut sumsit exordium, aut usurpavit sibi suffragium: inde etiam modernæ hæreseos incentores, impiique dogmatis conflatores puritati fidei calumniam parant, divinoque mysterio veritatem, quantum in ipsis est, derogant; eo quod similitudo dicatur aliquando, vel figura, ac si aliquod sit figmentum, non veritas. Verum diligenter cauteque perpensum ire oportet, quia, ut plura alia, homonyma sunt duo vocabula hæc, cumque multifariam pro varietate sensuum, quibus applicantur, queant accipi, ita tamen non numquam in divinis inveniuntur posita literis, ut nihil veritati naturæ, nihil substantiæ præjudicent proprietati; ut est illud in Genesi: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sui*. Ubi cum fieri adjutorium homini dicitur, nova nimirum creatio mulieris intimatur: quæ bene similis perhibetur viro, quia profecto etsi in sexu sit discretio, nihil tamen est aliud mulier quam homo, eadem quippe natura, eadem conditio, quæ ubi una fuerint, nulla probatur dissensio. Sicut ergo mulier de viro non aliud quam eadem caro similis est homo, ita de vero corpore Christi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, substantivum verumque constat corpus ipsius, quod religiosis in sancta Ecclesia officiis tractamus: cui appositum nomen similitudinis in nullo contraire probatur. Porro si cui comparatio ista minus videtur efficax, & ad susceptæ rei negotium non satis idonea; vel illud Apostolicum, ubi nulla fuerit ambiguitas, non ingratus audiat: *In similitudine hominum factus*. Heic nomen similitudinis, ut perspicuum est, hominis veritatem non excludit. Christus enim verus homo fuit, licet in similitudinem hominum dicatur fieri.



XIII. De figura autem ita in eodem Apostolo legitur alibi: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*. Hic superstitiosi verborum aucupes, fraudulentique veritatis impostores, aut paternæ Christum substantiæ exuant penitus dignitate, aut divino Sacramento calumniam de figuræ vocabulo desinant irrogare. Si enim figura heic substantiæ est abnegativa, non est filius quod pater, ac sic Christi Sacramentum dum similiter dicitur figura, umbra est, non veritas, sicut illud unde refert scriptura: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*. Quæ omnia? maris videlicet multiplex beneficium, nubis in die refrigerium, splendoris in nocte solatium; sed & mannæ nectarei imbres, irriguæque silicis madores, & cetera quæ ibi replicantur. Sed horum manna sicut cetera dicitur figura, quia aliud erat, atque aliud præsignabat. Quod enim videbatur, id totum substantialiter erat; Christi vero futura mysteria quibusdam intellectualibus indiciis præmonstrabat, quod utique non erat. Unde Apostolus alias: "Nolo vos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri eamdem escam manducaverunt, eumdem potum biberunt;" eumdem scilicet per potentiam significativæ figuræ, non per veritatem exhibitæ naturæ: alioquin Christus adhuc in vasta eremo saxeus riget, ubi lapis ille profluus aquarum in sua mole torpet. Scriptum quippe est; *Petra autem erat Christus*: sed non petra de virgine nata Christus. Hæc igitur figura jure dicitur umbra, quæ aliud præloquebatur, quam erat. Si autem patris unigenitus de Deo Deus, figura ejus a quo in nullo discrepat substantiæ dicitur, nec minus eo est cujus figura prædicatur: liquet profecto quod & divinum Sacramentum figuram dici liceat, & nihil minus a veritate carnis Dominicæ habeat. Atque hæc est Dominicæ figura substantiæ; illa vero figura fuit hujus figuræ. Illic quippe fuit umbra, heic veritas est ipsa. Porro heic illam sancti Ambrosii sententiam inserere oportunum judicavimus, qua quidam in derogationem sancti Sacramenti, immo in suam perniciem, ut experti sumus, abutuntur; in qua alibi similitudo pretiosi sanguinis scribitur, alibi vero figura corporis, & sanguinis ponitur; quibus, ut dictum est, perversi quique in suo fortius errore implicantur, dum non auctoris sensum in eis per consequentiam dictorum perquirunt; sed ex nudis potius verbis suam in qua detriti sunt insipientiam astruere contendunt, exque tanti Doctoris nomine auctoritatem sibi comparare, ac per hoc hæresim, in qua languent, contra Catholicos nituntur defendere. Quod nullatenus procedet, nec ut volunt continget, sed potius res quæ in quæstionem venit, clarius elucescet, si prioribus posteriora consequenter collata fuerint, & ex præcedentibus subsequentium tenor verborum rite intellectus exstiterit; qui ita se habet: *Sed forte dicis: speciem sanguinis non video; sed similitudinem habet. Sicut enim similitudinem mortis per baptismum suscepisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris fit, & pretium tamen redemtionis operetur*. Ecce unde tota processit quæstionis inter insipientes dissensio, de quibus dici per Spiritum sanctum in Propheta clamat ratio: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Insipiens profecto est, qui Christum divinitate, quantum in se est, exuit, dum eum mentitum fuisse, quod in Deum non cadit aliquo modo, asserere non metuit, qui similitudinem vel figuram tantum esse impie dogmatizare præsumit, quod ille vere carnem, & vere sanguinem esse suum probatur aperte protestari, quod tale est ac si diceretur a talibus, & taliter, non sapientibus, sed desipientibus, non est Deus.

XIV. Non est Deus ergo dicere, est varitati, quæ Christus est, contradicere, & aliter quam ipse de seipso docuit, perverse sentire, quod insipientis omnino probatur esse. Aut numquid insipiens non aperte probatur, qui ipsi Deo pro simplicis servuli verbo quomodocumque prolato renititur, & ejus planis, ac simplicibus sententiis calumniatur? Dominus dicit, *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur, comedite, & bibete*: Et hoc idem *in mei memoriam facite*. Isti dicunt, Ambrosius dicit: sanguinem non video, sed similitudinem habet, videlicet ex verbis discipuli magistro cælesti injuriam contumaciter irrogantes; & cum scriptum sit, *non est discipulus super magistrum*, auctoritatem magistri discipuli prælatione, quantum in se est, demunt; unde non minus prælatum offendunt, quam eum qui ipsum præferunt. In utroque rei, utrobique nihilominus condemnandi. At nos sic honoremus servum, ut semper & in omnibus præferamus ut oportet Dominum, nec Domini sententiam ex verbis discipuli, sed potius discipuli dicta ex magistri metiamur doctrina, cui nimirum contraria sentire non potuit, si quidem discipulus veritatis fuit. Sed jam attentius considerandum quomodo vir tantus, qui in litem ab infidelibus vocatur, a suo auctore Domino nostro magistro veritatis non dissentiat, immo in omnibus concors exsistat. Qui paullo superius ait, *didicisti ut panis Corpus Christi fiat, & vinum in Calice mittitur, sed fit sanguis consecratione cælesti*. Hic sane nihil est dissonantiæ, nihil prorsus quod discrepet a regula veritatis Catholicæ, nihil omnino quod verbis Dominicæ repugnet sententiæ. Hæc verba potius Dominica quomodo accipienda sint, dicta declarant. Dominus enim ait: *Hoc est Corpus meum*, Ambrosius qua ratione id valeat fieri lucidius exponit, dum mutatione panis, ac vini Christi Corpus & Sanguinem cælesti testatur benedictione effici; qui si hanc suam tam perspicuam de veritate Dominici corporis, & sanguinis sententiam in eodem pene versiculo oblitus aliud sensit, & aliter docuit, jam non Domino, sed sibi ipsi contrarius exsistit, quod ridiculum est cogitare ne dum affirmare.

XV. Ergo videamus quod sequitur. *Sed forte dicis speciem sanguinis non video, sed similitudinem habet*. Heic in primis attende, quod personam cujuslibet assigurat idiotæ dicentis, speciem sanguinis non video: cui dubitanti, nec rem ut est expendere digne valenti, respondet; *Sed similitudinem*, inquiens, *habet*. Ac si diceret, o pauper ingenio, o efficax sensu, vel sicut discipulis Dominus ait, infirmis adhuc, & divina nondum Sacramenta capere valentibus, o stulte, & tarde corde ad credendum, miraris quod corpus audis; quod sanguinem audis, sed speciem id est veritatem carnis, & sanguinis quæ intus est, quia non credis, non cernis; quam si nimirum crederes, sine dubio videres. Crede ergo ut videas, nam credere jam corde, est videre: quod dum differtur, dum ad intuendam tanti mysterii profunditatem acies mentis fidei beneficio mundanda, & illustranda exspectatur; quod exterius patet, interim quia similitudinem habet, ne contemnas, ne in judicium damnationis merito incredulitatis incurras. Suscipe quod patet; ut postmodum pertingere merearis, mediante fide, ad id quod intrinsecus latet. Sed similitudinem habet, intus veritas carnis & sanguinis est ex pane & vino cælesti opificio mutatis, foris similitudo, ne horror valeat ac-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.



cedentem confundere ostensi cruoris. Sed similitudinem habet, inquit: ubi non ipsam quam prius testatus est veritatem denegat, sed quod aliud in veritate sit, aliter oculis videatur profecto declarat; similitudo igitur exterior, veritati non præjudicat interiori. Similitudo hæc non differt veritatem, sed præparat fidem, informat credulitatem, non minuit beneficium, sed cumulat meritum, mysterium velat, non adimit gratiam, fovet devotionem ac nutrit, rationem piam non impedit, temeritatem arcet, negotium salutis exercet; hæc similitudo attrahit te ac retinet, ut veritas te recreet, ac provehat: proinde ergo venerare, & honora hanc similitudinem, quam divina prætendit dispensatio, ut dignus quandoque fias, qui veritatis quæ reposita est non frauderis beneficio, quia mediatoris quodam modo vice fungitur, ut amoveat horrorem, gratiam largiatur. Hinc profecto subjungitur: "Sicut enim mortis similitudinem per baptismum suscepisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen redemtionis operetur.„ Heic etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibi declarat, ut cruoris tantum horror procul absistat: sicut mortis similitudo suscipitur in baptismo, cum baptismum verum sit & efficax Sacramentum: ut vitia obruat, vitæ sanctitatem conferat; alioquin si verum non esset, qualiter tantum boni deferret? Et tamen mortis similitudo dicitur, cum tamen, ut præmissum est, vere peccatis afferat interitum, virtutibus ortum præbeat, & ministret incrementum. Sic quoque non immerito pretiosi sanguinis hauritur similitudo, ut cruoris auferatur penitus horror, & tamen sicut verus est sanguis, ita vere pretium operatur redemtionis; unde jam de similitudine superducta ob certæ rei gratiam disputare præfatus doctor definit, atque de veritate naturali, quæ Dominico inest Sacramento, de qua etiam, ut superius patet, tanta dixerat, consuete differit, *didicisti*, inquit, *quia quod accipis corpus Christi est*: Corpus, ait, est quod accipis in veritate, cui similitudo militat dispensatione. Corpus ut redemtionem pretio operetur, similitudo ut horroris tædium propellatur, & devotionis sinceritas exerceatur; ut dum quod non videt, credit, dignius assequatur quod pollicetur operta majestas mysterii. Sequitur: *vis scire quam verbis cælestibus consecretur? accipe quæ sunt verba. Dicit Sacerdos, fac nobis hanc oblationem ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Quod figuram dicit sic accipe: quia cum hoc dicit Sacerdos & agit, ipsum Dominum figurat sua Sacramenta tractantem, & consecrantem, & ea ipsa pariter quæ sacrabat corporis sui, & sanguinis mysteria præferentem: *quod est*, inquit, *figura corporis & sanguinis*. Figura dicitur, eo quod jam præsentetur simplex panis & vini substantia, unde verbis potentibus cælestia effici debeant Sacramenta, ut Sacerdotis oratio docet, & indicat: *Fac nobis*, inquiens, *hanc oblationem ratam*. Videlicet ut suam naturam excellat; rationabilem, ut tibi placeat: acceptabilem, ut nobis proficiat; vel ratam, ut a figura transformetur in veritatem: rationabilem, ut nostræ tibi commendet devotionis servitutem: acceptabilem, ut sufficiat ad impetrandam cælitus propitiationem: *Qui pridie*, inquit, *quam pateretur accepit panem in manibus suis sanctis, respexit ad cælum, ad te Pater sancte omnipotens æterne Deus, gratias agens benedixit, fregit, fractumque Apostolis, & Discipulis suis tradidit, dicens*, A *accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis confringetur. Similiter & calicem postquam cœnatum est, dicens: accipite, & bibite, hic est* [1] *sanguis meus. Vide illa verba omnia sunt Evangelistæ, usque accipite, sive corpus sive sanguinem. Inde verba sunt Christi. Vide singula verba; qui pridie, inquit, quam pateretur, accepit panem. Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi. Denique audi dicentem: accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus* B *potens est sermo Christi in adversa convertere* [2]. *Denique ipse Dominus Jesus testificatus est nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Numquid debemus de ejus fide, & testificatione dubitare?* Hic beatus Ambrosius de fide & testificatione Christi hæsitantes manifeste redarguit: verumque Christi corpus, verum ejus sanguinem, panem & vinum post verba Christi aperta confessione asserit; mutatis videlicet naturis potentia Dominici sermonis. Quapropter jam perspicuum & evidens est quare superius similitudinem habere sanguinis, non speciem videri dixerit. *Hæc*, ait, *similitudo sola est sanguinis, non sanguis, sed similitudinem*, inquit, *habet*, cujus non videri dixerat speciem; C quod si dixisset, spem sibi salutis pretiumque funditus redemtionis ademisset: ideoque Christo Jesu ac suis quæ ante præmiserat verbis, & post subdiderat, contrarius omnino probaretur esse. Cum ergo dixit speciem non videri, sed habere similitudinem, sanguinem revera nullatenus esse negavit, ad quem species, vel similitudo videntur referri, & aliud ei tribuere, vel negare sui diminutione, nam licet non videatur in sua specie, licet aliquam videatur quam prætendit similitudinem habere, non nihil tamen potest esse. Nam & verus sanguis est, vero de corpore Dei & hominis Jesu Christi. Nec alius quam qui de Virginis carD ne exortum accepit, & in pretium fusus est mundi, sicut post pauca declarat præfatus Doctor ubi ait: *Ubi verba Christi accesserint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit*. Nota diligenter singula, & vim verborum pondera. Verba inquit, Christi operantur, sanguis efficitur qui plebem redemit, quia nimirum non alius est qui efficitur, quam qui redemit sanguis. Idem igitur ille fusus, & ille sacratus unus est unius Christi sanguis verus, licet figura juxta aliquid dicatur; non tamen sicut manna, quod corpus Christi non erat, sed signabat: propter quod & umbra vocatur, cum substantialiter manna tantum fuisse probatur. Unde Augustinus: *Sed manna umbra erat, ista veritas est, panis* E *quem ego dedero, caro mea est, hic est panis de cælo descendens: mira plane res, panis descendit de cælo, panis quoque est caro, ergo caro de cælo; itane est? Ita plane, sic enim scriptum est: qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo. Videsne quanta sit unitas Dominicæ personæ quantaque veritas utriusque naturæ in Dominico homine? In cælo caro, Verbum in terra, immo Verbum & caro in cælo & in terra, quia nimirum una Dei & hominis est Christi Jesu persona, hic autem est panis vivus ex simila nostræ humanitatis, & divinitatis rore confectus; sicut enim granum frumenti volubili tritum mola respergitur aqua, ut panis fiat, ita illud frumenti granum per dispensatoriam mortem in terram deciduum, ut multum afferret fru-*

1. Al. *enim*.

2. Al. *deinde*.

ctum stillicidio irroratur divinitatis, ut sit jam non A *duo, sed unus panis, atque ita figura Dei, & figura carnis, una sit figura Sacramentarii panis, non futilis, sed plena veritatis. Quem illa mulier Evangelica tribus farinæ satis occuluit, quoad sufficienter fermentatus fieret accommodus usibus humanis. Hoc igitur spiritualiter pane digneque prægustato, ita merebimur concorporari Christo, ut ipse in nobis, & nos simus in ipso, fietque ex compluribus, non plures, sed unus panis, per consummatæ videlicet Sacramentum unitatis in ipso, & in nobis. Unde Apostolus ait: Itaque unus panis, unum corpus multi sumus. Ingens igitur dependendus est labor, orationisque usus frequentior, colenda animi puritas, sectanda præ omnibus caritatis unitas, ac sic frequentanda tantæ gratiæ veritas: quotidianus enim hic panis nuncupatur, cum in oratione Dominica dicitur; panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hic Pater Augustinus talia prosequitur: '*Si quotidianus*, inquiens, *est panis, cur post annum illum sumis quemadmodum Græci in Orienti facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie prosit, sic vive ut quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus pro filiis offerebat sacrificium ne forte aliquid vel in corde peccassent: ergo tu audis quod quotiescumque hoc sacrificium mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitæ æternæ quotidie non assumis? qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cæleste, & venerabile Sacramentum.* Hæc sunt pretiosa Sancti Augustini dicta, contra eos præcipue qui post novem annos semel communicant; & cum infidelitatis arguuntur, humilitatem mentiuntur, qui si humilitatis gratia a Sacramento sancto sese suspenderent, nequaquam perversa sentiendo, & in luto nuperæ hæreseos impudenter hæsitando, contra idem sacramentum procaciter disputarent. At nos, quibus alia sententia est, si munditia cordis cum innocentia operis consentit, divinis frequenter participemur mysteriis. Si vero capitalia premunt crimina, a sanctis, non ut in peccatis perseveremus, abstineamus; sed ne super impia temeritate damnemur, si impudenter mortalibus attaminati vitiis ad ipsa nos præsumenda immergamus. Ergo ad tempus abstinendum est ita a sanctis, sed pœnitentia ocyus adhibenda, ut cessando a malis, dignaque satisfactione vitam mundando a peccatis, satagamus amissam reparando gratiam sacramentorum communione digni quandoque inveniri. Qui autem ab his criminibus vel vitæ innocentia immunis est, vel digna post lapsum pœnitentia subsequente indemtus effectus est, sic frequenter atque cum humilitate communicet, ut & infirmitatem suam diligenter consideret, & a minimis, opitulante Deo, peccatis abstinere de cetero festinet, deque Dei misericordia nullatenus desperet: qui ut quotidianis lapsibus nostris quotidianum procuraret remedium, cæleste hoc novumque non annuatim, sed diatim agendum, remotis veteribus, instituit sacrificium, quo crebrius pasti, ac subinde refecti innovemur, fideique gratia illustremur, quemadmodum ait pater Augustinus: *Accesserunt Judæi ad Christum ut crucifigerent; nos accedamus ut corpus ejus accipiamus & sanguinem. Illi de crucifixo contenebrati sunt, nos manducando, & bibendo crucifixum, illuminamur.* Ecce heic nulla scribitur figura, sed aperte manducari crucifixus atque bibi perhibetur. Alibi quoque ait: *in sacramento credentes biberunt sanguinem quem fuderunt sævientes.* Heic quoque nullum similitudinis offenditur nubilum, sed eumdem in Sacramento dicti sunt bibisse sanguinem, credentes, quem sævientes fuderunt. Et in libro Confessionum: *Ille*, inquit, *tuus unicus redemit me sanguine suo, non calumnientur mihi superbi, quoniam cogito pretium meum & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio saturari ex eo.* Ecce Augustinus Christus cogitat pretium suum, eumque se manducare dicit, quia cibus est, & bibere, quia potus est, utpote caro & sanguis, & erogare, Episcopus enim erat, & pauperem cupere ex eo saturari, quia humilis nesciebat fastidium divini Sacramenti.

B XVI. Hæc igitur fideliter, & cum fidelibus credamus, ut manducando crucifixum, & bibendo cum illis veraciter illuminemur, ne per infidelitatem cum impiis obtenebremur: qui videlicet infideles tametsi vocem Christi, quæ carnem suam dixit comedendam, bibendumque Sanguinem nequiverint ferre, quia noluerunt reverenter credere, tamen Christus Deus quia voluit, potuit absque dubio, quod dixit implere, carnemque suam nobis in escam, & potum præbere; quod quamvis ratione videatur minus compertum, fide tamen constat omnino perspicuum. Quemadmodum enim credimus Verbum carnem factum, & indubitanter tenemus, sed qualiter sit nulla ratione novimus: ita & in dominico Sa- C cramento panem, qui cernitur, nihil aliud quam Christi carnem, quæ percipitur, intelligimus, tametsi hoc capere, vel differere nequeamus. Hoc autem credimus, quoniam ipsa eadem divinæ virtutis efficacia, quæ Dominicæ incarnationis exstitit creatrix, hujus quoque cælestis Sacramenti semper sit efficax, potensque operatrix. His igitur propter perfidorum insolentiam, paucis quidem pro rei magnitudine, minusque accuratis pro majestatis dignitate, sed libratis rata veritatis æquitate, prælibatis potius quam peroratis; quorumdam temeritatem compescere, atque habenis modestiæ temperare dignum duxi: ut immoderatius divini Sacramenti altitudinem perscrutari nequaquam præsumant; ne D offensam sub obtentu pietatis incurrant: quibus sufficere debet pura fidei simplicitas, & ab antiquis tradita, & ab eorum successoribus ad nos usque transmissa: nec humana in divinis est sectanda loquacitas, unde est illa beati Hilarii sententia. *Non est*, inquit, *humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, nec per violentiam, atque imprudentem prædicationem, cælestium dictorum sanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est.* Hæc illos proprie sententia respicit, qui humano sensu cælestibus dictis violentiam inferunt extortæ impietatis, dum divinum Sacramentum nota depravant turpitudinis.

E

PARS SEXTA.

XVII. Sunt autem multa in scripturis, quæ si vehementius exaggerata fuerint, non opem salutis, sed errorem inferant perditionis, nec acuant intellectum, sed mentis confundant intuitum: in quibus quicumque modum reservarunt, in Ecclesia Catholica perstiterunt: qui vero perefluxerunt, obturatoque insipienti corde in cogitationibus evanuerunt, in multiplices falsitatis phantasias devoluti sunt, heresiarchesque effecti, schismata, & concisiones operati sunt. Cum ergo, ut dictum est, innumera sint spriptutæ sacræ mysteria, quæ revereri magis mortales, quam scrutari oporteat, pauca heic ad evidentiam rei subtexam, ex quibus est illa de vocatione gentium, Judæorumque repulsione districta

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.



divinitatis censura, in quam cum Paullus Apostolus oportunitate disputationis impegisset, nec se explanandæ, neque nos eis capiendæ sufficere pervidisset, in admirationem divini secreti repente erumpens: O, inquit, *altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Sed & illud de animarum origine, de qua multiplex apud mundi philosophos fuit disputatio, & inter nostræ religionis probatissimos duplex est agitata ratiocinatio. Cujus altera quidem pars ad reddendam quæstionum solutionem paratior, altera vero est ad fidei integritatem propensior. Sed ea nimirum evicit, quæ ad veritatem præponderavit. Ita quoque & hoc cæleste Sacramentum credendum est potius, quam discutiendum. Satius est enim aliquid dissimulanter ignorare, quam quid inhoneste de re tanta diffinire: quia in altero præsumtionis est periculum, in altero sobrietatis catholicæ negotium. Unde beatus Gregorius ait: *Quod ex agno remanet igne comburimus, quando hoc quod de mysterio ejus penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus; ut non superbe quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradat, cum Spiritui sancto reservat.* Ergo quod ipsa per se veritas de suo sancto corpore, & sanguine definivit, credamus, quodque ut crederetur per scripturas divinitus inspiratas dignata est revelare, profiteamur. Ab his nulla recenter emergente opinione avellamur: pro his quoque deffendendis quicquid est rerum, quicquid virium, sed & sanguinem ipsum, si ita res exigit, impendamus. Caro enim vera est, verusque Sanguis Christi Sacra confectio panis, & vini, quæ per mysterium passionem ipsius repræsentat Unigeniti, proque sumentium meritis, vitæ fit stipendium, sive judicii caussa singulis. Quod si his altius quid pro perversitate exsilientium hæreticorum refellenda depromere necesse sit, idipsum quoque modum probabilis non excedat rationis, nec gratia destituatur plenissimæ honestatis, nam ad omne redundat præstigium impietatis aliquod ibi suspicari vestigium turpitudinis, ubi consistit forma disciplinæ cælestis, decusque totius sanctitatis. His itaque quæ dicta sunt pro modo exortæ quæstionis, & sufficere credo his, quibus veritas placet, non prolixitas orationis: copiosa divinorum testimoniorum ex patrum dictis excerpta annectere exempla proposui, quibus fideles quique plenius informati, suam tueantur credulitatem, & perfidorum securius subsannent impietatem, & objectas acrius propellant quæstiones.

XVIII. Augustinus ergo ait in libro psalmorum: *Ferebatur in manibus suis: hoc vero fratres quomodo posset fieri in homine quis intelliget? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus: in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum, ait, hoc est corpus meum. Ferebatur illud corpus in manibus suis, ipsa est humilitas Domini nostri Jesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus. Et post pauca ait: Accesserunt enim ad illum Judæi ut crucifigerent, nos ad eum accedamus ut Corpus & Sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo contenebrati sunt, nos manducando & bibendo illuminamur.* Alibi dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo, quomodo intellecturi sumus hoc? numquid etiam illos poterimus heic accipere de quibus dicit Apostolus, quod judicium sibi manducant & bibunt, cum ipsam carnem manducent, & ipsum Sanguinem bibant? Numquid Judas magistri venditor & traditor impius quamvis primum ipsum manibus ejus confectum Sacramentum Carnis, & Sanguinis ejus cum ceteris discipulis, sicut apertius Lucas Evangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo?* Item Augustinus: *Hoc totum quod Dominus de Carne, & Sanguine suo locutus est, & quod hinc voluit intelligi manducatores, & potatores carnis, & sanguinis sui: hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut Carnem & Sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini Corpore tamquam membra maneamus, & non scandalizemur etiamsi multi modo nobiscum manducent, & bibant temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine tormenta.* Item supra: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. De cælo descendit & manna, sed manna umbra erat, ista veritas est: Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? vocatur caro quod non capit caro, & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro: hoc enim exhorruerunt, hoc non posse fieri putaverunt*; & paullo superius: *Numquid non morimur fratres, qui manducamus panem de cælo descendentem? sic sunt illi mortui, quemadmodum nos sumus morituri. Nam temporaliter & hi profecto morientur, qui Christum manducant, sed vivent in æternum, quia Christus est vita æterna.* In eodem: *Caro non prodest quicquam, sicut illi intellexerunt, non sicut ego do ad manducandum carnem meam.* Item: *Vitam habes æternam in ministratione Corporis, & Sanguinis tui; & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi, id est, quia ipse vita æterna tu es, & non das in carne, & sanguine tuo, nisi quod es.* Heic Stercorianistæ audiant, quid tantus Doctor dicat, *non das in carne, & sanguine tuo, nisi quod es.* Vita æterna ipse es, & vitam æternam, quod es, das: non stercora quod non es, in carne, & sanguine, qui ex te est. Item Augustinus: *Locutus est nobis Dominus de corpore & sanguine suo, quorum corpus dixit escam, & Sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles. Cum ergo commendans talem escam, & talem potum diceret; nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: & hoc diceret de Vita, quis alius quam ipsa Vita? erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putaverit vitam. Scandalizati sunt autem discipuli ejus, non quidem omnes, sed plurimi: quibus respondit Dominus; Hoc vos scandalizat; putatis quia de corpore hoc quod videtis partes facturus sim, & membra mea concisurus, & vobis daturus? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Quid sibi vult hoc? Certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore, & sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionem.* Item Augustinus; *Ille tuus unicus redemit me sanguine suo, & cogito precium meum & manduco, & bibo.* Alibi: *recte ergo sub ara Martyres collocantur, quia super aram Christus imponitur, recte sub altario justorum membra requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur: nec immerito illic justi vindicta sanguinis postulatur, ubi etiam pro peccatoribus Christi Sanguis effunditur.*

XIX. Sanctus quoque Cyrillus cum CL. apud Ephesum congregatis: *Annuntiantes*, inquit, *secundum carnem mortem unigeniti filii Dei, id est,*

SÆCUL. XI.
CIRCA
ANN. CHR.
1068.



Jesu Christi, & resurrectionem ejus & in cælos ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum redemtoris effecti: non ut communem carnem participantes, quod absit, nec ut viri sanctificati & Verbo conjuncti secundum dignitatem unitatis, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Et beatus Ambrosius: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Carnem audis, Sanguinem audis, mortis Dominicæ Sacramenta cognoscis, divinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum: spiritus carnem, & ossa non habet. Nos autem quotiescumque Sacramenta sumimus, quæ per sanctæ orationis mysterium in carnem transfigurantur, & Sanguinem, mortem Domini annuntiamus.* Huc usque beatus Ambrosius, in cujus verbis considerandum est quod ait, Sacramenta, id est, panem, & vinum, quæ a sacrando ita dici patet, per sanctæ orationis mysterium in carnem transfigurari, & Sanguinem: quia profecto, ut supra ait Augustinus: *Post verba sacræ orationis non jam panis & vinum, ut pote in aliud cælesti virtute translata, sed caro, & sanguis Christi creduntur, per quæ mortem ejus annuntiamus.* Hinc etiam Eusebius Emissenus: *Recedat*, inquit, *omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam & testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate convertit ita dicens: Accipite, & edite, hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita accipite, & bibite, hic est Sanguis meus. Ergo ad nutum præcipientis repente ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: & pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbis præcipit virtus, & rei servit effectus.* Et post pauca: *Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, & præsentia majestatis in dominici corporis & Sanguinis transire posse naturam: cum ipsum hominem videat artificio cælestis misericordiæ Christi corpus effectum.* Et beatus Gregorius: *debemus*, inquit, *præsens sæculum, vel quia conspicimus defluxisse, tota mente contemnere & quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus, & Sanguinis hostias immolare. Hæc namque* [1] *singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium repræsentat: qui licet surgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, tamen in seipso immortaliter, atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur: ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus Sanguis, non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* In dialogo quoque Basilii, atque Joannis ita legitur: *qui sursum sedet in dextera Patris, sacrificii tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum, & cum veneratione complecti.* Sed & Doctor Leo: *Tunc, ait, sacrificii munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando hi qui ista dependunt, quid operentur intelligunt, nam dicente Domino;* Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, *sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis* amen *respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur.* Beda nihilo minus: *Quotidie, ait, Christus tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris in Sanguine suo: cum ejusdem beatæ passionis memoria replicatur, cum panis & vini creatura in Sacramentum carnis, & Sanguinis ejus, ineffabili spiritus sanctificatione transfertur: sicque corpus, & Sanguis illius non inter infidelium manus ad perniciem ipsorum occiditur, & funditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem.* Paschasius vero: *Ergo cum Dominus ait* hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, *non aliam puto insinuasse carnem, quam propriam, & quæ nata est de Maria Virgine, & pependit in crucem: neque Sanguinem alium quam qui fusus est ex latere, & tunc erat in proprio corpore.* Amalarius etiam in libro officiorum: *In pane*, inquit, *commendavit Christus corpus suum, & in calice sanguinem suum dicens*; comedite, & bibite; hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. *Hic credimus naturam simplicem panis, & vini verti in naturam rationabilem, scilicet corporis, & sanguinis Domini. Mira ergo, & magna est sanctæ Ecclesiæ fides, quæ spiritualibus videt oculis, quod mortalibus deest. Credit sacrificium præsens per Angelorum manus deferri, & sentit mandendum esse humano ore. Credit quoque corpus, & sanguinem Domini esse, eoque morsu repleri sumentium animas benedictione cælesti.* Ubi notandum quod priorum patrum secutus auctoritatem dicit simplicem panis, & vini naturam in rationabilem dominici corporis, & Sanguinis demutari naturam, quod enim in aliud vertitur, aliud proculdubio quam fuerat, repente habetur; proinde panis, & vinum quæ deferuntur ad altare, verbisque consecrantur divini sacerdotis ore: etsi videantur in priori qua deferuntur specie, Christi tamen substantialiter corpus & sanguis creduntur esse, non aliqua phantasmatis vacua imagine, sed quemadmodum beatus Ambrosius, & sanctus Gregorius, atque Eusebius, sanctusque Beda suis scriptis tradidere, rerum temporalium in vivificam carnis, & sanguinis veramque naturam celitus mutatione: cujus perceptio, quæ fit humano ore, cum interiori sensu mediante fide, animas sinceriter accipientium & corpora cælesti venustat benedictione. Sed hoc nonnisi a sapienter fidelibus valet ad liquidum capi, quibus id Deus per Spiritum sanctum suum, sine quo nemo potest dicere, *Dominus Jesus*, dignanter revelavit, gloriam quoque Deo fideliter dantibus, ac firmiter credentibus, quia quodcumque voluerit potest operari fidelis ipse in omnibus verbis suis, qui ut scriptum est, facit magna, & inscrutabilia: quæ si non valent ad plenum comprehendi, debent tamen sine aliquo mentis scrupulo credi ad integrum.

XX. Licet igitur hæc sufficere crediderim, quæ de antiquorum patrum dictis excerpta heic congerere curavi, adhuc tamen quid Fulbertus Carnotensis episcopus, nostri temporis sagax, & acer philosophus; sed fide, vita, moribusque discipulorum Christi discipulus, hac de re senserit, & scripserit adnotatum ire non ingratum duximus. Ait enim inter cetera: *Quia corpus suum quod semel pro nobis Christus offerebat in precium, paullopost a nostris visibus sublaturus erat in cælum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit: non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus* [2] *Verum, quod quotidiana veneratione, sub vi-*

1. Al. *singularis*.

2. Al. *Christi*.

SÆCUL. XI.
CIRCA
ANN. CHR.
1068.



sibilis creaturæ forma, invisibiliter virtus secreta in acris solemnibus operatur. Post pauca: *Quid autem indignum Deo judicari potest, qui uterum Virginis subiit, si virginibus creaturis infunditur?* [1] *& licet simplicis naturæ paullo ante præferant imaginem, postmodum cælestis verbi sanctificatione inspiratis majestas vera diffunditur, & quod substantia panis, & vini parebat exterius, jam corpus Christi, & sanguis fit interius. Gusta itaque, & sume panem vitæ interioris alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta inquam cælestis ferculi suavitatem, sed ne nausees dispensatorium germinis terreni saporem.* Et paullo post: *Dubitari autem nefas est, si terrena materies naturæ, & generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur; & si creaturas, quas de nihilo facere Deus potuit, has ipsas valeat in excellentioris naturæ dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere.* Ecce quid supradictus vir, secutus per omnia patres antiquos dixerit. Hæc quoque sunt Joannis Chrysostomi de re eadem sensa: *Præsens Judas erat Christo dicente: hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur. Dic Juda quem triginta denariis vendidisti? iste est sanguis, de quo cum Pharisæis pacta fecisti. O Christi misericordia! O Judæ dementia! Ille eum triginta denariis paciscebatur ut venderet, & Christus ei sanguinem quem vendidit offerebat.* Et post nonnulla: *Nunc ille præsto est Christus, qui illam ornavit mensam; ipse quoque consecrat istam. Non enim homo est, qui proposita Christi corpus facit, & sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia,* hoc est, *ait,* corpus meum, *hoc verbo proposita consecrantur, & sicut vox illa, quæ dicit: crescite, & multiplicamini, semel quidem dicta est; sed omni tempore sentit effectum ad generationem: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.* Et post nonnulla: *Ad sanctum, & terribile sacrificium properas, erubesce oblationis arcana, ubi occisus propositus est Christus: & cur occisus est? ut cælestia pacificet.* Item post pauca: *Judæi Christum crucifixerunt, & tamen ille effusum sanguinem ad salutem eorum, qui effuderunt, larga pietate largitur.* Ad Neophytos quoque ait: *Mortuo Jesu, & adhuc in cruce pendente approximat miles, lancea latus percussit, & exinde aqua fluxit, & sanguis, unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adæ conjux Eva prolata est, & sicut in sopore quiescentis Adæ Deus lateris membra patefecit: sic modo post mortem, aquam nobis donavit & sanguinem. Videte ergo quo nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est, atque nutrimentum, nam sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fecunditate festinat, & Christus quos ipse regenerat suo sanguine semper enutrit.* Et alibi, *Mortuus est,* inquit, *Christus ut tibi immortalitatem donaret. Esuriit ut te sua carne satiaret. Sitivit ut te sanguine proprio potaret.* Item, *Manducare voluisti, factus est tibi mensa. Bibere voluisti, factus est tibi poculum, sicut ipse ait;* qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Et beatus Gregorius: *Quis,* inquit, *sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicisti. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste agni Sanguis est positus, quando Sacramentum passionis illius cum ore ad redemtionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.* Hæc igitur & superius annotata tantorum Patrum dicta diligentissime perpensa, omnem de tanto mysterio solvunt ambiguitatem, hæreticamque refellunt impietatem. Mirum autem vehementer, cum dominica per se sufficiant verba, quod alia extrinsecus quæramus ad fidei hujus firmitatem exempla, qui enim dicit: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Et, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum:* Et, *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Et, *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Et, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: accipite, & bibete hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur,* & cetera talia; nimirum hujus rei firmitatem facit, & omnem dubietatis errorem plenissime absolvit.

PARS SEPTIMA.

XXI. Verum quia nonnulli sunt, qui hæc fideliter expendere nolunt, ad exemplorum copiam redeundum esse decernimus. Ut qui forte rationi non credit, saltem auctoritate multorum opprimatur. Ait igitur Eusebius Doctor: *Vere unica perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori effectu: unde merito cælestis confirmat auctoritas: quia* caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Itaque quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis, & vini, post verba autem Christi, corpus est, & sanguis Christi. Quid autem mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? immo minoris videtur miraculi esse, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare.* Præterea Hincmarus præsul in illa mirabili descriptione, quam versifice ad regem Carolum edidit, quamque ferculum Salomonis vocari instituit, de veritate tanti Sacramenti ceteros secutus Patres, ita ait:

Agnus lux mundi, proprio nos corpore pascens,
In nobis maneat: mansio nostra fiet.
Agnus fons vitæ, proprio nos Sanguine potans,
Semper more suo debriet, atque regat.
Hic Deus omnipotens, per quem Pater omnia fecit,
Naturas rerum mutat, ut ipsa volet.
Hic cruce nostra creat, propriis & munera verbis
Fit caro, ac Sanguis, pane liquore suus.
In cruce nam corpus fixum est, Sanguis quoque fusus
Christi, quæ in cœna jam dedit ante suis.
Cum nos indigni hæc memoramus, jussa Redemtor
Emtorum pretium munera nostra facit

XXII. Et in Epicolumniis ita ait: *Sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini de pane & vino aqua mixto, ineffabili sanctificatione, cruce, & verbis ipsius consecratur; & verum, ac proprium corpus ipsius Domini nostri Jesu Christi, & sanguis ejus verus ac proprius efficiuntur, sicut ipse protestatus est, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Competenter autem prædictus vir *sententiam suam divina auctoritate studuit firmare; unde velut ex quodam fonte tota consistit forma veritatis, atque

1. Al. *quæ*.

traditionis Ecclesiasticæ, quæ uniformiter servatur ubique terrarum; unde & Apostolus ait: *Tradidi vobis in primis, quod & accepi; quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens benedixit, & fregit dicens: accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Perpende quæso prudentiam accipientis, auctoritatemque considera tradentis: nihil namque eorum quæ acceperat immutavit, nihil novi, ut recentes schismatici, annexuit, sed ea ipsa quæ acceperat, salva sensuum integritate, ac verborum dignitate ut veritatis discipulus contexuit: ubi nullam figuræ, vel similitudinis mentionem interposuit; quia non quid significarent, sed quid essent dominica sacramenta proposuerat intimatum ire male tractantibus ea Corinthiis. Quocirca non sua, sed dominica verba ponere statuit, ut sibi pondus auctoritatis, & tanto sacramento debitam compararet reverentiam: de nomine Magistri dicentis, *hoc est corpus meum.* Vere etenim hoc divinum acramentum corpus est dominicum, in quo vita manet perennis omnium. Unde Augustinus ait: *O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum caritatis! qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat, accedat, & credat, incorporetur, ut vivificetur.* Sed multa consideratione dignum est, quod dicitur, *habet ubi vivat*, quia revera Christus inlocalis est vitæ locus, in quo vivat Christianus; habet unde vivat, quia non aliunde, quam ab ipso est vita, accedat ergo fide non pede, & credat corde, qui vult vivere. Incorporetur vero sacramentorum virtute, ut vivificetur caritatis veritate, ut per signum unitatis pertingat ad præmium incorruptionis, quod nemo aliter consequitur, nisi eo, in quo consistit plena veritas sacramento pietatis. De cujus sinceritate Cassiodorus in Psalmo centesimo nono prosequitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Cui enim potest veraciter aptari, nisi Domino salvatori? qui corpus, & Sanguinem suum in panis, ac vini erogatione salutariter consecravit, sicut ipse ait*; nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis? *Sed in ista carne, & Sanguine, nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, ne, sicut dicit Apostolus, qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducet; sed vivificatricem substantiam, atque salutarem, & ipsius Verbi propriam factam: per quam peccatorum remissio, & æternæ vitæ dona præstantur.* Bene autem dictum est, nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, quia nimirum qui in dominico aliquid sacramento cruentum seu corruptibile adhuc suspicatur, ex illis est qui idcirco refugerunt dicentes: *quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum?* cum *nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis*, audirent: arbitrabantur membratim essent divisuri, & morsibus corrosuri. Quod abhorrentes, a consectatu Christi se subtraxere, quia quod audiebant nullomodo intellexere: tantique virtutem sacramenti, & vim dictorum non potuerunt penetrare: ideo scandalizati dixerunt: *durus est hic sermo*, quibus Augustinus eo loci ita dicit: *Putatis quia de hoc corpore quod videtis partes facturus sim, & membra mea conscissurus, & vobis daturus? Certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore, & Sanguine suo dedit nobis Dominus salubrem refectionem, & tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionem.* Bene plane dicitur magnam solvit quæstionem, sed illis qui non refugiunt ve-

A ritatem atque dominici venerantur, & capiunt sacramenti virtutem: nam illi qui adhuc erronei, dubitant, aliudque quam veritas habet, sentientes, contra ipsam disputant, nodo tantæ quæstionis necdum soluti erant, quibus Dominus dicit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Vere enim nihil illi prodest, qui divinum hoc mysterium non vult intelligere ut oportet. Ceterum recte credenti, & digne percipienti per omnem modum prodest; unde Augustinus: *Domine Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? an vita non prodest quicquam? Et propter quid sumus quod* B *sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo non prodest quicquam? Caro non prodest quicquam: sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Quibus proculdubio similes moderni exsistunt hæretici, qui non dissimili errore possessi veritatem denegant dominici sacramenti: illi ipsi repugnantes veritati, quæ dixit, *hoc est corpus meum.* Qui dum aliud quod veritas habet sibi fingunt, ab ipsa penitus veritate extorres fiunt, & veram dominicæ communionis, cujus fidem refugiunt, salutem amittunt. Nec immerito: cæcitatis namque suæ tenebris undique obvoluti, C ideoque odibilis vitio obstinationis, quod proprie hæreticorum est, præoccupati, dum scientiæ singularitate sibi applaudunt, divinum dominicorum dictorum lumen non attendunt: neque tantorum doctorum sententiis adquiescunt, quibus e diverso cum ipsi miserabiliter errant, erroris notam adscribere audent, in morem videlicet phreneticorum, qui violentia passionis cum per omnia desipiant, omnes ipsi insanire e contra putant. Quod si prudenter, atque humiliter inter ceteras reliquorum doctorum sententias, hoc quoque quod prædictus vir Cassiodorus dicit, voluissent advertere, ad erroris sui probarent correctionem satis superque sufficere, ait namque: *Nihil cruentum, nihil corruptibile mens* D *concipiat, sed vivificatricem substantiam, & ipsius Verbi propriam intelligat.* Substantiam, inquit, non umbram, & ipsius Verbi propriam, non figuram; quia revera in illo specie tenus pane vera probatur substantia carnis dominicæ; & cum vera sit caro verusque sanguis, nihil tamen corruptibile, nihil cruentum in tanto mysterio oportet credi, ne judicium sibi, non salutis percipiat, qui taliter forte sentit, non dijudicans salubriter corpus Domini, quod maximi genus est flagitii. Unde accerrimus disputator Augustinus in libro de doctrina Christiana dixisse invenitur ita: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Facinus, vel* E *flagitium videtur jubere, sed infidelibus, qui quod dicebatur nolebant credere: qui cum audirent nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, refugerunt: quia sacramentum quod divina parabat sapientia, sed interim differebat, non poterant utpote carnales intelligere, sed possent nimirum cum Petro & ceteris Apostolis qui perstiterunt fideliter, si vellent credere, quousque cum illis glorificato Jesu, & dato Spiritu confirmari mererentur in omni veritate. At quia in audiendo inconsiderati, in non præbendo dominicis verbis fidem facti sunt indisciplinati, contigit illis non bene a bono Magistro recedere, in cujus discipulatu noluerunt firmam constantiam retinere, offensi verbo equidem duro, ut sibi videbatur,*

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.



sed temperando post non multum simplici sacramento, quod jam, licet non manifeste, prædicabatur. Verumtamen taliter his a consectatu Domini recedentibus facilius indulserim, qui adhuc carnales carnalem hominem Christum Jesum Dominum cernentes, ad superna oculos cordis mysteria contuenda erigere necdum poterant; quam nostri temporis hominibus, in quibus per baptisma effusa est Spiritus sancti gratia, qui sacrosancta mensæ cælestis mysteria divinis formata oraculis, sanctorum quoque Doctorum declarata, atque lucidius exposita doctrinis, apertis roborata ostentis miraculorum, nec vereri dignantur, nec credere, sed potius perversa dicendo contradicere: ac multa verborum turpium impietate, quia penitus nequeunt evertere, nituntur infamare; B ac per hoc ubicumque possunt aliquam, vel in verbis, vel in sententiis Majorum occasionem reperire, injustam non desinunt calumniam concinnare; sicut in hac sancti Augustini, quam proposuimus sententia noscuntur facere, quam iccirco gratius amplectuntur, quam cetera illius de divino Sacramento documenta, quia dicit, *flagitium, vel facinus videtur jubere.* Sed horum perfidia studiosius repudiata, quid memoratus Doctor dixerit, vel quid in suis his dictis senserit, perscrutantes fideliter expendamus.

XXIII. *Facinus*, inquit, *vel flagitium videtur jubere.* Ubi in primis considerare placet quod dictum est, *videtur jubere*, non jubet. Videbatur namque C intolerabile esse facinus, vel flagitium carnem hominis manducare, vel Sanguinem bibere viventis, quod non jubebatur, sed in sacramento, quod jam prædicebatur. *Videtur*, inquit, *jubere*, non, jubet: ubi Judæos tangit, & eorum sequaces erroris, qui grande flagitium in his Domini verbis esse arbitrati sunt: & ideo exhorruerunt, & retro abierunt, quia dictum ita acceperunt, quasi dentibus voraturi essent Christum, sicut canes vivum atque cruentum cum comprehenderint vorant leporem, aut cervum. Quod non procedit, neque ratio admittit. Facinus enim est & grande flagitium, hoc ita sapere, quod aliter est sentiendum. Videlicet ut caro Dominica ita putetur accipi, ut caro com- D munis, vel alicujus animalis, cum potius per sacramentum spiritualiter sumi credenda sit, & tamen non alia, quam quæ passioni subjacuit, licet oblati species videatur panis; quod ita divina utique dispensatione procuratum esse, oportet fideliter credi: ut fragilitas humana quæ suis carnibus non consuevit vesci, ipso visu nihil hauriat quod horreat, & de cetero nihilo minus quam veritas habet carnem Domini nostri Jesu Christi in sacramento percipiat, de quo Apostolus ait: *Etsi noveramus secundum carnem* Jesum Christum, *sed nunc jam non novimus.* Ubi veritatem assumtæ ex nobis non denegat naturæ, sed incorruptibilitatem significat in [1] Deum per resurrectionem glorificatæ E substantiæ nostræ, quam sicut est incorruptibilis in Deo, ita nimirum sub visibili, & usitata specie incorruptibilem sumimus in sacramento. Sed huic tanto sacramento percipientium conformandæ, & coaptandæ sunt mentes, ut quod sumitur in mysterio, effectu proficiat interno, videlicet ut quisquis tantæ participat sanctitati, mortuus mundo, & vitiis, in novitate vitæ de cetero studeat conversari. Ideo namque signum, vel figura ab eodem dicitur Augustino in supra memorato libro, ubi ait: *Figura* [2] *ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter* [3] *recolendum in misericordia, quod caro Christi pro nobis crucifixa, & vulnerata sit.* A *Passioni siquidem Christi communicat qui se crucifigit mundo, & concupiscentiis, ut non quodcumque libet faciat: sed & utiliter recolit crucifixam, & vulneratam pro nobis carnem dominicam, qui proximi necessitatibus benigne impendit misericordiam, apponendo & ipse pro fratribus animam suam.* Hoc profecto significare, cum talia diceret præfatus Doctor, attenderat communionem dominicam: quamquam secundum naturæ proprietatem nihil aliud sit quod percipitur, quam vera, ac naturalis Christi carnis, & Sanguinis substantia. Proinde quotiens in voluminibus beati Augustini dominicum mysterium figura, vel signum, sive typus reperitur appellari; non debet inconsiderata temeritate accipi, sed diligenti opera cur ita nuncupetur ventilari; quia revera sibi ipsi tantus Doctor contrarius esse nequit; si enim ea quæ alibi dixerat, alias aliter sentiendo destrueret; prævaricatorem se proculdubio constitueret, ac per hoc nullus dictis ejus accommodare fidem deberet. Verum de errore dictorum ejus auferenda est omnis suspicio post ea, quibus propria ipsius prospexit correctio; & diligens operosaque adhibenda intentio, ac locorum, in quibus videtur diversa posuisse, facienda discussio, ne alia accipiantur pro aliis, sed sua suis servetur dictorum proprietas quibusque locis. Nam ut cetera prætereuam, quæ de veritate dominici corporis approbatur sensisse ac Sanguinis, illud quod contra omnium hæreticorum argutias, & versuta argumentorum jacula præcipuum sufficiensque decernitur, quodque in explanatione cujusdam Psalmi edidisse cognoscitur inseram, unde luce clarius patet eum sacramento Dominico nihil inane, & veritatis vacuum, nihil sensisse umbratile & fucatum: quin potius designasse per omnia vere esse Christi corpus naturale, & Sanguinem substantivum, qui fusus est in cruce, munera quæ consecrantur in altare; licet nonnumquam videatur approbare innui nobis ipsa veritate aliquid, per quod eidem pressius informemur, & arctius inhæreamus, opere faciendum. Ita namque ait: [4] *Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram: rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia dicit mihi Psalmus, adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi scriptura: Terra est scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro heic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* Et paullo post: *cum dixisset:* Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam, *scandalizati sunt discipuli ejus quidam septuaginta ferme, & dixerunt, durus est hic sermo, quis potest illum intelligere? Et recesserunt ab eo, & amplius non cum eo ambulaverunt. Durum illis visum est quod ait, nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam: acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis:* Dixerunt, durus est hic sermo. *Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi: non sine caussa hoc dicit, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens: manerent cum illo lenes non duri, ut discerent ab illo, quod illis discedentibus qui remanserunt didicerunt. Nam cum*

1. Deo. 2. Al. *est ergo*. 3. Al. *recordandum in memoria*. 4. In Psalm. 98.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.

remansissent duodecim Discipuli illis recedentibus suggesserunt illi tamquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sint in sermone ejus, & recesserint. Ille autem instruxit illos, & ait illis: Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam: verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum, nam hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri Sanguinem, quem fusuri sunt illi, qui me crucifigent, Sacramentum vobis aliquod commendavi, spiritualiter intellectum vos vivificabit, & si necesse illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Quid hoc apertius, hoc planius potuit dici? *Hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri Sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.* Hic nihil ambiguum est, nihil quod accipi valeat aliter, quam corpus illud Domini, quod videbatur, comedendum, & Sangninem qui fundendus erat, bibendum. Hoc plane est quod ipse Dominus dixit: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic Sanguis qui pro vobis effundetur.* Sed ad superiora redeamus: *Suscepit*, inquit, *Christus de terra terram, quia caro terra est, & ipsam nobis non aliam plane, sed ipsam quam suscepit de terra nobis carnem ad manducandum, & ad salutem dedit.* Ecce quod alibi certæ gratia rationis figuram dicit, & signum, heic carnem Christi de terra sumtam aperte pronuntiat datam nobis ad manducandum, nec aliam sane, quam quæ de Virgine nata est, quæque crueis suspendium perpessa est, quæ æthera transmisit, atque in paterna sede locata ad decus humanæ naturæ, orbis imperium pro arbitrio disponit divinæ per omnia consors majestatis; nulli ulterius obnoxia corruptioni, quæ eo sumentes se provehit, ut devicta quandoque molestia naturæ mortalis consortes, & participes promereantur effici beatæ immortalitatis. In suæ igitur persistens integritatis incorruptione, nihil nostro vitio pati creditur corruptibile, licet visibili mysterio nostræ videatur officio servitutis non deesse. Veritas ergo credenda est in proprietate substantiæ, & sinceritas in ipsius Sacramenti inæstimabili dignitate, ac sic vera caro, verusque Sanguis sentienda sunt sine qualibet corruptione, licet panis, ac vini species dispensatorie reservata ministrorum devotioni famuletur temporaneæ, qua percepta, & ipsa in nos, & nos ipsi mereamur in Christi membra transformari, per veritatem videlicet communicatæ utrimque naturæ, nostræ scilicet, ac suæ, quam dignatus est ex nobis habere, ut illius nos efficiat participes, & modo utcumque, & hoc remoto, perfectius quandoque, in qua semper manet de Patre, atque in Patre. Quanam autem ratione sanctus vir, qui carnem de terra Christum tam manifeste definivit assumsisse, eamque nobis ad manducandum, & ad salutem insinuat contulisse, contra suam sententiam potuit aliter alibi, quod absit, docere, & ex abrupto Dominicum sacramentum figuram dumtaxat aut signum, nihilque aliud esse, imprudenter atque impie dogmatizare? Attamen veritas ipsa, aliquid per mysterium nobis agendum notat. Unde Apostolus: *Quicumque manducatis hunc panem, mortem Domini annunciatis.* Et Petrus: *Christus*, inquit, *passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

XXIV. Ecce signum, ecce figura, quam tangit Augustinus; videlicet ut sequamini vestigia ejus, id est; ut qui creditis in eum fide, quem & sumitis in corpore suo, ac Sanguine, imitemini illum operum bonorum exsecutione, & morum sinceritate: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* Quicumque enim corpori Christi, & Sanguini, qui per passionem fusus est, communicat, debet ei participare, & per sinceram in proximos benignitatem, & compatientis animi suavitatem. Hoc quippe est, quod Augustinus ait: *Figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recolendum in misericordia, quod caro Christi pro nobis crucifixa sit, & vulnerata.* Ac si diceret: veritas quidem est, quod in sacramento percipitur, ac vera caro verusque sanguis quod sumitur; verumtamen ipsius veritatis indiculo, necne passionis dominicæ, quæ ibidem recolitur, exemplo commonetur omnium percipientium devotio, ut ad illius agni per simplicis vitæ meritum contendat innocentiam, ac per compassionis fraternæ misericordiam, ejus sufferentiæ æmuletur vestigia, qui pro nobis nec opprobriorum contumelias, nec passionum refugit injurias, & omnibus tam credentibus, quam incredulis singulare mortis suæ dignanter impendit remedium, ac vitæ procuravit beneficium. Quod ita se idem Doctor nec aliter affirmat profecto sensisse, in præcedenti, id est in secundo de Doctrina Christiana libro liquidius dum dicit inter cetera: *Nam odore unguenti Dominus quo perfusi sunt pedes ejus signum aliquod dedit, & sacramento corporis & sanguinis prægustato significavit, quod voluit.* In quo loco simul posita licet advertas, odorem unguenti, quod & verum secundum gestorum fidem fuit, & tamen aliud juxta tropologiæ rationem significavit, & dominici sacramenti prægustationem, id est, corporis & sanguinis Christi perceptionem, quæ nihilominus juxta integritatem rerum vera esse constat, & tamen a significationis gratia non vacant. Unde & alibi de sacramentis feria secunda Paschæ disputans ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnesque de uno pane, & de uno calice participamus, quia qui passus est pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento corpus suum, & sanguinem, quod etiam fecit & nos ipsos: nam & nos corpus ipsius facti sumus, sed per misericordiam ipsius. Non fuistis, & creati estis, ad aream Dominicam deportati estis a laborantibus bonum, id est, annuntiantibus Evangelium, triturati estis, cœpistis moli jejuniis & exorcismis; postea ad aquam venistis, & conspersi estis, & unum facti estis: accedente fervore Spiritus sancti cocti estis, & panis dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo videtis unum esse quod factum est, sic unum estote, & vos diligendo, vos tenendo unam fidem, unam spem, individuam caritatem. Hæretici quando accipiunt hoc testimonium, contra se faciunt, quia illi quærunt divisionem, cum [illegible] panis indicet unitatem. Sic & vinum ex multi[illegible]cemis fluit, & modo in uno est, unum est in [illegible]tate calicis, post pressuras torcularis. Et vos [illegible] illa jejunia, post labores, post humilitatem, & contritionem, jam in nomine Christi tamquam ad calicem Domini venistis, & ubi vos estis in mensa, ubi vos estis in calice, nobiscum estis. Simul enim hoc sumus, quia simul bibimus, quia simul vivimus.* Sic nimirum præfatus Præsul, sic multis in locis, sic in hac sententia, sic etiam præmisso in capitulo Dominicum Sacramentum non abrogata veritatis fide aliquid signare indicat. Sed dum scribendis libris operose insudat, minus se quibusdam in locis explicat, ac per hoc nonnullis minus eruditis, atque in sacris scripturis apprime nequaquam elimatis, aut difficilis videtur, aut non recte

SÆCUL. XI seu CIRCA ANN. CHR. 1068.




intellectus, erroris seminarium fieri probatur. Ceterum si aliter quid intellexisse hac de re, & ab integritate tanti mysterii alienum probaretur dixisse, quod absit, ex diffinito proferendum erat, quod Apostolus ait: *Etiamsi Angelus de cælo annuntiaverit vobis præter quod accepistis, anathema sit.*

XXV. Porro ipse hac de re quid docuerit, quid senserit Apostolus, cui nec Angelus de cælo si contraria senserit suscipiendus sit, audiamus: *Calix*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi?* Sed absit ut vir tantæ in Ecclesia Christi auctoritatis de Sacramento corporis, & sanguinis Christi aliter quam ipse Dominus tradidit, vel ipse ejus Apostolus docuit, sensisse putetur, qui tot ac talia sanæ fidei testimonia in diversis libris, quibus nemo valet refragari, reliquisse invenitur: quæ ne dicam scribere, sed ne legere quidem quisquam occurrat. Ex quibus est illud in libro quarto de sancta Trinitate: *Quis ergo tam justus, & sanctus Sacerdos, quam unicus Dei Filius, non qui opus haberet per sacrificium sua peccata purgare, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab omnibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, & ex utero virginali? Et quid tam grate offerri, & suscipi posset quam caro sacrificii nostri, corpus effecta Sacerdotis nostri? ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque Mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unum ipse esset qui offerebat.* Et in libro contra Faustum: *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur*, Amen. *Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemtorum.* Item: *Quod post septem dies dimissa columba reversa non est; significat finem sæculi quando erit requies Sanctorum, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit, sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ cum traditur regnum Deo & Patri.* Item in primo libro de symbolo: *Quantum nefas est occidere Christum! Judæi tamen eum occiderunt, & multi postea in eum crediderunt, & sanguinem ejus biberunt, & dimissum est illis peccatum quod commiserunt.* In secundo quoque, *percussum est enim latus, & statim emanavit sanguinis, & aqua, aqua in qua est sponsa purificata; sanguis, ex quo invenitur dotata. In isto sanguine sancti Martyres stolas suas laverunt, & candidas eas fecerunt, ad nuptias agni invitati venerunt, calicem acceperunt, biberunt, eique propinaverunt, sanguinem namque ejus biberunt, sanguinem suum pro illo fuderunt.* In libro de quarta feria: *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus. Quid dicit omnis homo terra? quando accipit sanguinem Christi* Amen *dicit: quid est* Amen*? verum est: quid est, verum est? Quia fusus est sanguis Christi: quo faciente? Discipulo tradente.* Amen *dicendo, verum clamando, dicit hoc omnis homo terra. Ecce in Juda vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, probavimus quia ejus sanguine rigaris. Vide terra, quomodo accipias hunc sanguinem, quia quicumque accipit, accipit benedictionem.* Item in eodem: *Responde sicut respon-*

A *dit Cyprianus, Laurentius, ceterique sancti, qui percipientes sanguinem Christi, pro sanguine quem biberunt, sanguinem suum fundere non dubitaverunt.* Et post pauca: *Vide ne deseras mensam sponsi tui, ut pulcra permaneas. Carnem ejus quotidie manducabis, & sanguinem potabis, & vitam æternam habebis. Mensa sponsi tui panem habet integrum, & calicem sanctum. De isto pane, & de isto calice dicebat ipse:* panis quem ego dedero caro mea est: *calix quem sanctificavero sanguis meus est.* In tertio libro de Symbolo: *Prostratus ad terram & effectus discipulus cælestis Archiatri; antidotum confectum ex sanguine medici prior ipse bibit, & bibendum amatoribus propinavit. Hoc antidotum de sanguine crucifixi confectum etiam ipsi reges biberunt, & qui erant Ecclesiæ persecutores, ejus facti sunt deffensores.* In libro de cataclysmo: *Comeditur enim agnus per noctem hujus sæculi, ut cum mane illud venerit, quod vesperum non habebit, jam non offeratur sacrificium imaginis agni: sed ipsum agnum, quem quotidie comedimus, & cujus sanguinem bibimus, inveniamus illic Sacerdotem perfectum, quem heic pro salute nostra constat occisum.* In Evangelio Joannis; *Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt, spiritualiter intelligite quæ locutus sum, nam hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.* Numquid hæc tanta, ac talia, tamque C perspicua sancti Augustini scripta, non possunt nobis sufficere ad plenam eruditionem de veritate, quæ est in sacramentis Christi, & eidem ad evidentiam sinceræ fidei testimonium suffragari, qui licet figuram ob certæ rationis gratiam Dominicum dixerit sacramentum, nihil tamen aliud secundum veritatem, quam veram carnem, quam verum sanguinem esse vel senserit, vel sentiendum docuerit? Nam vide quid dixerit; *hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & sanguinem bibituri, quam fusuri sunt qui me crucifigent.* Quid apertius quid lucidius dici potuit? Ideo ubi figuram dixit, non quid esset, sed quid significaret sacramentum dominicum intendit.

D XXVI. Verum quia quidam perversi ex hac tanti Doctoris sententia in erroris labyrinthum proruerunt, & alios post se pertinaciter inducere nisi sunt; sciendum est plerosque subtilia ejus dicta nequaquam intelligere, quod eo præcipue comprobatur accidere, quia ea non caussa discendi, quæ ignorant legunt, sed ut ei potius, in quo jampridem decepti languent, errori patrocinium tanti viri comparent, aliisque laqueos deceptionis facilius innectant per ejus auctoritatem, quam perversitati suæ coaptant. Unde studiosius persuadendum, monendumque videtur, ut quicumque codices divinorum tractatorum offenderit, ac legendos revolverit, cautius singula percurrat, & ubi aliqua sibi obscuræ rei oborta fuerit difficultas, suæ tarditati non doctoris imputet errori; ac proinde aut suo, si id processerit, studio quæ dicuntur elaboret intelligere, sin minus Catholici magisterio Doctoris maturet addiscere; aut certe si assequi unde agitur nequiverit, reverenter discat honorare, ut pro hujusmodi humilitate, aut illud capiendi quod sibi arduum, & difficile erat, aut aliam divinitus adipiscatur gratiam, quam necdum habebat. Humilitas enim sicut virtutum emolumenta, quæ non erant, adquirit, sic adepta ne amittantur agit. Proinde sane cum in omnibus sit necessaria humilitas Christianæ religionis charismatibus, in hoc præsertim Dominicæ traditionis Sacramento utilis & admodum opportuna comprobatur, in quo tanta divinæ virtutis refulget gratia, ut humilitate potius quam hu-



mana capiatur industria. De cujus magnitudine terribili, magisque reverenda quam discutienda, in dialogo Joannis & Basilii valde competenter disputatum est inveniri: sic namque inter cetera reperitur scriptum: *Fuerunt quidem terribilia atque horribilia etiam ea quæ in veteri testamento ante gratiam gerebantur in lege, ut puta tintinnabula, malogranata, lapides in pectore ordinati, superhumerale, mitra, cydaris, vestimentum talare, lamina aurea, Sancta Sanctorum, intusque silentium & solitudo reverenda. Verum si quis ea quæ sunt in gratiæ ordinatione consideret, parva esse illa quæ præcesserunt terribilia judicabit, quodque de lege pronuntiatum est, etiam per hæc verum probabit, quoniam non sit glorificatum id quod glorificatum fuerat, propter excellentem claritatem. Nam cum immolatum Dominum nostrum, & incenso adstantem videris sacerdotem, atque imprecantem; omnesque pariter pretioso illo imbui Sanguine, adhuc te esse cum hominibus arbitraris, & non continuo animo translatus in cælos, omnemque de mente sensum carnis excludens, nuda anima, sensuque mundissimo ea quæ sunt in cælestibus contueris?* Et item: *Hoc igitur ministerium ita reverendum, quæ despicere audebit insania?* Et paullo inferius: *Cum vero sacerdos Spiritum sanctum advocaverit, & reverendam illam immolaverit hostiam, communemque omnium dominum subinde contigerit, ubi illum dic mihi nostra æstimatione ponemus? Tunc enim etiam Angeli circumstant sacerdoti, & tribunal, atque altaris locus cælestibus virtutibus adimpletur in honorem ipsius, qui immolatur, quod quidem ex ipsis etiam quæ aguntur, ostenditur. Ego autem audivi referente aliquo, quoniam presbyter quidam vitæ sanctitate mirabilis, & qui revelationes soleret videre, retulisset illi tale spectaculum aliquando vidisse, id est sacrificii tempore conspexisse Angelorum multitudinem sicut ei possibile erat intueri, stolis fulgentibus circumdantem, & altare coronantem, cum officio, quo circa regem suum milites stare consueverunt.* Hæc autem illo exarata in libro, ita se habent, in quibus quia revelatio divinitus ostensa continetur, alias etiam diversis repertas in locis narratum ire, operæ pretium duximus: maximam enim legentibus utilitatem pollicentur.

PARS OCTAVA.

XXVII. FUit namque Matrona nobilis genere, moribus proba honestis, temporibus sancti papæ Gregorii, quæ aliquando ut consueverat oblationem ad altare detulit. Quam cum idem Pontifex manibus suis consecrasset, ad horam communicandi ventum est. Cumque singuli pro ordinis sui dignitate dominicam communionem accepissent, inter ceteros præfatæ mulieri portio Dominici sacramenti manu ejusdem Præsulis porrecta est; ipso dicente; corpus domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam; ad hoc illa recognita panis quem obtulerat particula, subrisit. Quamobrem Pontifex commotus manum continuit, oblationem in ara reposuit, sermonem de re ad populum fecit, deinde preci cum fideli clero incubuit, surgens quoque a terra, panem illum ut erat carnem factum reperit, quem mulieri dubiæ, & ceteris ostendit, quibus ea reor admodum in fide robori profuit.

XXVIII. His itaque succincte decursis aliud nihilo minus mirabile, non minus utile dignum videtur si ad memoriam breviter litteris mandetur. Quidam Presbyter electus, vita & moribus clarus,

A cum divina Sacramenta crebro ex devotione sacraret, præsumta tandem spe impetrandi tum de divina pietate, tum de merito sedulæ servitutis suæ, inter agendum divina mysteria poposcit humiliter, uti sibi res, quam frequentabat, divinitus revelaretur. Cui humi strato, lacrymisque infuso Angelus repente apparuit, ut surgeret actutum imperavit, & quod petierat obtinuisse innotuit, ad cujus imperium illico surrexit, puerum ubi panem reliquerat sanctificatum certissime vidit, quem, o mira res! tremulis manibus accepit, pectori proprio pressius applicavit, & os ejus ori suo osculaturus flebilis pie admovit, sicque diutius desiderio ardenti Christum cernendo, osculando, & amplectendo satisfecit: ad ultimum vero Dei filium altari restituit, precibusque ut in pristinam redire formam dignaretur, obtinuit: ac sic sacris ex more mysteriis participavit.

B

XXIX. Nequaquam vero prætereundum videtur, quod beatus Hieronymus cujus præcipua inter Ecclesiasticos doctores auctoritas habetur, in libro quem vitas Patrum nuncupari placuit, narrasse reperitur. Quidam seniorum magnus quidem vitæ merito, sed idiota, minusque in scripturis eruditus de mysterio Dominico errabat; verum magis, ut dictum est, inscitia, quam malitia. Quod cum aliis duobus patribus innotuisset, & ipsis magna virtutum


C gratia & sapientiæ doctrina, ad eum ex condicto venire maturant, cumque de veritate Dominici corporis, & sanguinis ei persuadere vellent, nequaquam adquievit, sed nisi rem videro, inquit, non credo vobis. Quo audito qui convenerant, & sinceritatem rustico illi seni insinuabant, tridui jejunium secum eidem indicunt, ac super hoc negotio Dominum rogaturi conventum solvunt; sed statuto tempore una conveniunt; deinde ad Ecclesiam, ubi divina agebantur mysteria, contendunt, ibi rei quam conceperant mente præstolantur exitum. Quibus solis quæ agebantur collata est intuendi gratia, aperte videlicet intellectualium luminum acie revelata: & quando positi sunt panes

D in altare, visus est illis tantummodo tribus tamquam puerulus jacens super altare: cumque extendisset Presbyter manus ut frangeret panem, descendit Angelus de cælo habens cultrum in manu & sacrificavit puerum illum, sanguinem vero ejus excipiebat in calice. Cum autem Presbyter frangeret in parvis partibus panem, etiam Angelus incidebat pueri membra in modicis partibus. Cum vero accessisset senex ut acciperet sanctam communionem, data est ipsi soli caro sanguine cruenta: quod cum vidisset pertimuit, & clamavit dicens: *Credo Domine, quia panis, qui in altare ponitur, corpus tuum est; & calix tuus est sanguis*, & statim facta est illa particula in manu ejus panis se-

E cundum mysterium; & sumsit illud in ore agens gratias Deo. Tunc senes, *Deus*, inquiunt, *scit humanam naturam non posse humanis carnibus vesci, ideo proprietatem sui corporis, & sanguinis, sub figura panis, & vini pia dispensatione latere voluit.*

XXX. Illud præterea quod in libro de vita sancti Basilii legitur, quia solvendo dubietatis modo maximum opitulari credimus, narratiunculæ nostræ interere inseri censuimus, quod ita se habere narratur. Hebræus quidam necdum in Christo renatus, sed divinorum mysteriorum admodum cupidus, fideli populo latenter admixtus Ecclesiam aliquando subintravit, quæ ibi agerentur subtiliter explora-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1068.



turus. Celebrante autem B. Basilio Sancta Sanctorum, cum ad horam distribuendi corpus Dominicum populo esset perventum, inter ceteros ad altare accessit, portionem de sacro mysterio carnem factam de manu ministri accepit; cumque ad Calicem sumturus de eo venisset, eum quoque sanguine repletum vidisset, tanti miraculi stupore attonitus domum rediit, ignoranti quæ egerat, & inspexerat uxori expedivit. Qua credente, die postera ad Basilium destinavit, acta visaque diligenter exposuit, sanctum baptisma prudenter virtutem Christiani nominis expendens sibi dari poposcit, & citius obtinuit. Si cui autem movet scrupulum acta res dubietatis, quod pagano immo Judæo portio Dominici corporis, & sanguinis dicitur revelata necdum credenti, idque inficiatur potuisse fieri, perpendat alia Salvatoris longe fortiora insignia pietatis. Quomodo ignoranti mundo carne velatus apparuit, qualiter pro impiis & peccatoribus mori pertulit. Attendat etiam in actibus Apostolorum paganis, & gentilibus Spiritus sancti gratiam præter spem indultam esse, animadvertetque nihil novi, nihilque incredibile hac in re accidisse, quod aut veritatis excedat fidem, aut salvatoris non deceat pietatem. De quo scriptura continet: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Videlicet ut crucis suspendium, mortisque supplicium pro redimendo mundo perferret. Qui de Judæis ortus, quibus ut repromissus fuerat a Patre, missus est, sicut ipse ait: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierat domus Israel*. Non ergo mirum, si suorum ille sacramentorum arcana retexit, corporisque sui, ac sanguinis proprietatem revelavit, pro quo se ex repromissione hereditaria impendere redimendo voluit.

XXXI. Cujusdam quoque Judæi filius, cum inter Christianos pueros liberalium studiis literarum exerceretur, quadam die ad Basilicam gloriosæ & intemeratæ semperque Virginis Mariæ, ubi missarum agebantur solemnia cum coævis sodalibus accessit, participationem corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ibi cum infantibus infans ipse accepit; sicque domum redit patris, cui inter amplexus, oscula simpliciter quæ egerat retulit: quibus auditis, pater impius, Christoque, atque suis legibus inimicus vehementer infremuit, pueroque minatus ait; quia contra meam voluntatem egisti ad ulciscendam violatæ legis nostræ injuriam, parricida jam nunc in te durus exsistam, & crudelis; quo dicto apprehensum eum in fornacem propius ardentem injecit, sicque ligna ut vehementius exureretur adjecit. Interea mater hoc comperto, gemebunda quasi filium liberatura ocius accurrit, sed præ vehementia flammarum nihil proficiens, dolore percita capitis velamen abjecit, sicque sparsis crinibus hac illacque discurrens, totam civitatem miseris plangoribus implevit. Ad cujus voces repente populus convenit; tantum facinus ex ordine didicit; unde ad fornacem indignatus accessit, flammas quantocius amovit, ac puerum qui inter flammas incolumis repertus est, extraxit; patrem vero ejus tanti sceleris auctorem in easdem flammas deliberato simul consilio injecit, ubi divino judicio usque ad ossa combustus in momento disperiit. Requisitus autem puer utrum illa flammarum incendia senserit; *Mulier*, inquit, *quæ in illa basilica, ubi panem de mensa accepi parvulum in sinu gestabat, pallio me suo, ne ignis ille devoraret, operuit*. Hic nimirum patenter datur intelligi, quod non solum filium Dei, & sanctam genitricem ejus, puer ille inter sacra mysteria inspexerit, cujus postmodum fretus præsidio flammarum incendia, mortisque discrimen evasit. Qui utique innocentia, & simplicitate puerili de tanta visione nihil confingere, neque mentiri potuit; cui rei satis evidens præstat testimonium, indultum sibi divinæ liberationis beneficium. Sed inter hæc diligenti studio perpendendum, quod sicut huic puero divinitus est revelatum, utrum corpus sit filii Dei sacrosanctum quod de mensa percipitur altaris mysterium, sanctæ quoque genitricis ejus nonnumquam adesse præsentiam, suumque percipientibus deferre patrocinium: quibus inter agendum simplicitatis, & innocentiæ non defuerit meritum, quæ apud Deum singularum caræ familiaritatis obtinent locum: sicut ipse salvator ait: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum*. Unde & discipulos suos, quos puros & simplices elegerat, pueros vocat dicens per prophetam: *Ecce ego & pueri mei quos mihi donavit Deus*: & in Evangelio, *Pueri numquid pulmentarium habetis?*

PARS NONA.

XXXII. Verum quia multa etsi imperito dicendi genere, salva tamen sensuum veritate, & fidei integritate dicta sunt de Dominici sacramenti veritate, libet paucis conscientiam nostram excusatum ire; neque hæc simplicibus, & quibus sensus profunditas, vel librorum non suppetit copia, simpliciter dictasse, fideliter intimare, quod non ego solus videor præsumsisse. Alii namque idem nacti occasionem venia dignam inveniuntur egisse. Divino utique zelo compellente, adversusque hostes perfidos Ecclesiæ multa conscripsisse, quorum maxima multitudo nostra tempestate Francorum occupaverat provincias, & veneno suæ perfidiæ circumpositas inficere moliebatur regiones, & loca. Porro erroris hujus auctor videbatur, & caput quidam Berengarius, cui plures Francorum, nonnulli quoque Normannorum, quos aut ipse docuerat, aut in discendi studio aliquantisper juverat, plurimum favoris dependebant.

XXXIII. Is autem dominicæ incarnationis anno millesimo quinquagesimo tertio Normannorum finibus irrepsit; & ad cœnobium quod Pratellis nuncupatur appulit, catholicoque viro, qui idem strenue regebat cœnobium, a quo & honeste satis exceptus fuerat, multa blasphemus impie delatravit: quod ipse quoque, eodem abbate Ansfredo nomine referente, dum apud me super tanta impietate valde quereretur, non multo post agnovi. In multis itaque subtiliter ab eodem Abbate pertentatus, in multis perinde reprehensibilis, & perfidus est repertus: qui inde digressus, Normannorum Principem festinus adiit, quem sua quoque irretire perfidia subtiliter attentavit. Verum ille licet ætate adolescentiæ necdum excederet annos, tamen illum, quia catholicæ fidei merito præditus erat, & gratia, callide suspendit, secumque quo ad regni sui ad mediterraneam deveniret sedem [1] Briotnam vocabulo detinuit, ubi undique coactis Catholicis, ac sapientibus viris, super eadem re disponebat conflictum haberi. Eo ergo ventum est, & res sequenti die ventilanda proposita. Cumque multi ex tota Normannia sapientes, qui plurimi, & clari habebantur, convenissent, præfatum hæresiarcham Berengarium cum alio quodam quem secum adduxerat clerico, in cujus

1. Al. *Brionam*.

eloquentia victoriæ sibi spem posuerat, ita coram omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione superaverunt, quatinus eis silentium imponerent, verborumque, quibus fidem catholicam tuebantur, assensum ab eis extorquerent. Berengarius autem tandem non sine pudore evadens Carnotum petiit, ubi positus de eadem quæstione se consulentibus (audita quippe jam longe lateque acta res fuerat) clericis ejusdem urbis nulla respondit, cum vero sibi opportunitas daretur se responsurum promisit. Unde non multo post literas, quas & ipse legi, dictavit, in quibus multa absurda, fideique catholicæ aliena anhelus declamavit: inter quæ Romanam Ecclesiam, Caput videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denotavit, cum qua Rectorem ejus, dominum scilicet Papam Leonem, cujus fides Catholica, spectabilis sapientia, laudabilis habebatur industria, quem non excepit, pariter infamavit, seque ad utrumque convincendum dum respondere differret, interrogantibus intendisse retulit: tunc quippe instabat constituta dies concilii postmodum Vercellis habiti. Has itaque litteras puritatis, ut sibi videbatur, plenas, sed revera multa vanitate refertas, Carnotensibus, qui sibi quæstionem intentaverant, destinavit. Cum autem tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementius percelleret, perque multos hujusmodi virus latenter, & aperte jam serperet, contigit, ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret; qui consultu regni pontificum, procerumque concilium Parisiis cogi decimo Kalendas Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut sua dicta Patrum auctoritate firmaret multis sibi obnitentibus, aut si ea defendere nequiret, in catholicam, cui obviare non posset fidem prudenter transiret, interesse tantorum cœtui Patrum imperavit. Interea condicta venerat dies, frequensque conventus præsulum ac reliquorum sancti ordinis Clericorum, necnon nobilium laicorum Parisiis factus est, sed jam dictus Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut jussus erat eo venire distulit, seque cum Brunone suo videlicet Episcopo Andegavensi, sub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maxime continuit, quia eodem errore utpote tanti viri credulus & ipse noscebatur involvi. Interea Præsul Aurelianensis quosdas apices in scheda haud parva digestos in conspectu omnium & regis (intererat enim) protulit: Et *præcipiat*, inquit, *vestra sanctitas has litteras a Berengario editas, si libet recitari, quas ego quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cum eas cuidam suo familiari nomine Paulo per veredarium dirigeret, violenter rapui*, quibus susceptis, & ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum quæ continebantur in eis præparantur, sed inter legendum multum repente fit murmur, & per singula absurdi sensus verba gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissima sordebat hæresi, vehementer displicuit, damnato proinde communi sententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, tum codice Joannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur sumta videbantur: concilio soluto discessum est, ea conditione, ut nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis, ab omni exercitu Francorum præeuntibus Clericis [1] cum Ecclesiastico apparatu instanter quæsiti, ubicumque convenissent eo usque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi, non multo post in concilio super fidei suæ statu conventi, ita se sicut Ecclesia tenet catholica credere fideliter, & sapere publice professi sunt, delatisque sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent, atque de veritate fidei, quam professi fuerant, eos qui aderant certos facerent, sacramentum dederunt. Sed omissa de talibus relatione, quos post hæc ad Apostasiam, & priorem vomitum audivimus redisse, libelli hujus tenorem, in quo fidei nostræ sinceritatem juxta antiquorum Patrum auctoritatem multis eorum exemplis adhibitis, ut potuimus fideliter ostendimus, tandem claudamus: Dominum omnipotentem totis præcordiis glorificantes, cujus est donum, & gratia ut fideliter credamus, & bene agamus, qui vivit & regnat in Trinitate unica, & unitate perfecta, per omnia sæcula sæculorum.

1. Forte *in*.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1080.

PHILIPPI
SOLITARII
TRACTATUS
DE REBUS ARMENIÆ.

[1] ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΣ ΤΩΝ ΙΑΚΩΒΙΤΩΝ καὶ τῶν Κατζιτζαρίων.

Ο Ἰάκωβος οὗτος, ἀφ' οὗ καὶ οὗτοι καλοῦνται, μοναχός τις γέγονε Σύρος, ἄδοξος πάνυ καὶ ἀφανὴς, Τζάντζαλος ἐπονομαζόμενος, διὰ τὴν ἄγαν αὐτοῦ, ὡς οἶμαι, εὐτέλειαν. οὗτος οὖν, τὸ τοῦ Εὐτυχοῦς ἀναδεξάμενος δόγμα, [2] περὶ τοῖς Συρίοις τοῦτο ἐκήρυττεν. ὁ δὲ Εὐτυχὴς ἐπὶ τῶν χρόνων ἦν τῆς βασιλείας Θεοδοσίου τοῦ μικροῦ, μοναχὸς καὶ ἀρχιμανδρίτης ὑπάρχων ἐν Κωνσταντινουπόλει. καὶ ἡ μὲν ὀρθόδοξος καὶ καθολικὴ ἐκκλησία δοξάζει τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, μίαν ὑπόστασιν εἶναι σύνθετον, ἐκ δύο φύσεων, θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος· καὶ ταύτας τὰς δύο φύσεις φυλάττειν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτους. διπλοῦν γὰρ τοῦτον ὁμολογοῦμεν, ἤγουν Θεόν τε καὶ ἄνθρωπον, ἐν δύο φύσεσι καὶ θελήσεσι· δύο τε ἐνεργείας αὐτὸν ἔχειν, θεϊκὰς ὁμοῦ καὶ ἀνθρωπικάς· οὐ κατὰ φαντασίαν καὶ δόκησιν, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειαν. ὁ δὲ Εὐτυχὴς οὗτος, πρὸ μὲν ἑνώσεως, ἤτοι τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ, δύο φύσεις εἶναι τὰς ἑνωθείσας, καὶ αὐτὸς ἔλεγε, θεότητά τε καὶ ἀνθρωπότητα· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, τὰς δύο φύσεις κραθῆναι εἰς μίαν ἀσεβῶς ἐδογμάτισεν· ὡς ἂν εἴ τις μίξειεν οἶνον ὕδατι, ὡς ἐκ τούτου γενέσθαι φυρμὸν καὶ σύγχυσιν καὶ ἀλλοίωσιν τῶν δύο φύσεων. πρόδηλον γὰρ, ὅτι εἰ αἱ δύο φύσεις κατὰ τὸν ἄθεον τοῦτον Εὐτυχῆ συνεκράθησαν εἰς μίαν, ἀπώλεσεν ἑκατέρα τὰ ἰδιώματα αὐτῆς· ὥσπερ καὶ ὁ οἶνος μιγνύμενος ὕδατι. καὶ λοιπὸν κατ' αὐτοὺς ὁ Χριστὸς [3] ἐνήργει ὡς Θεὸς τὰ θεῖα, καὶ ὡς ἄνθρωπος τὰ ἀνθρώπινα· οὐδὲ ἦν καὶ Θεὸς ἀπαθὴς, καὶ ἄνθρωπος παθητός· ἀλλὰ συνέπασχε τῇ σαρκὶ ἡ θεότης, ἐξ οὗ καὶ Θεοπασχίτας τοὺς ταῦτα δογματίζοντας οἱ πατέρες καλοῦσιν.

Τοῦτο δὲ τὸ μιαρὸν δόγμα τοῦ Εὐτυχοῦς ἐκύρωσε Διόσκορος ὁ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, ὃν καθεῖλεν ἐπὶ Μαρκιανοῦ βασιλέως ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος τῶν χλ'. ἁγίων πατέρων. τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ὁ δυσσεβὴς ἐδογμάτισε Σεβῆρος, ἀφ' ὧν καὶ οἱ λεγόμενοι Μονοθελῆται, Κῦρος Ἀλεξανδρείας, Σέργιός τε Κωνσταντινουπόλεως, καὶ οἱ λοιποὶ, τὴν αὐτῶν αἵρεσιν συνεστήσαντο, οὓς ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἕκτη σύνοδος ἀνεθεμάτισε.

Τοῦ τοίνυν δηλωθέντος Ἰακώβου, τὸ τοῦ Εὐτυχοῦς δόγμα πεπαῤῥησιασμένως κηρύττοντος, σχίσμα γέγονεν ὕστερον ἐν τοῖς Σύροις. καὶ οἱ μὲν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, τῇ συνόδῳ τε, καὶ τῷ βασιλεῖ Μαρκιανῷ ἀκολουθήσαντες, ἐκλήθησαν Μελχῖται· ἤγουν βασιλικοί. Μελχὶ γὰρ καθ' Ἑβραίους καὶ Σύρους, ὁ βασιλεὺς λέγεται. οἱ δὲ, Ἀποσχίσται, οἱ καὶ Μονοθελῆται κληθέντες. οἱ τῷ μοναχῷ Ἰακώβῳ τῷ Σύρῳ πεισθέντες, ὠνομάσθησαν Ἰακω-

DE JACOBITARUM HÆRESI, & Chatzitzariorum.

I. Hic Jacobus, a quo isti appellationem sortiti sunt, Syrus quidam monachus, ignobilis valde atque obscurus fuit, cognomine Tzantzalus, ob summam, puto, ejus vilitatem. Hic ergo Eutychetis amplexus doctrinam, apud Syros eam prædicavit. Fuit vero Eutyches temporibus Theodosii Junioris, monachus exsistens ac Archimandrita Constantinopoli. Ac quidem, orthodoxa ac catholica Ecclesia, Dominum nostrum Jesum Christum, personam unam ex duabus naturis, divina & humana, compositam sentiens, ambas inconfuse, immutabiliter, nulla alteratione servare credit. Duplicem enim ipsum confitemur, hoc est, Deum pariter ac hominem, duplici natura ac voluntate præditum: duplicesque habentem operationes, divinas scilicet & humanas; non nuda opinione, ac apparentia, sed veritate. At vero Eutyches, ante quidem unionem, id est, Christi incarnationem, duas & ipse naturas, quæ unione coiverint, dicebat; nimirum deitatem ac humanitatem: post autem unionem, naturas ambas in unam commixtas esse docebat, ac si quis vinum cum aqua miscuerit; ut inde mixtio quædam ac confusio immutatioque ambarum naturarum effecta sit. Quippe perspicuum est, siquidem duas naturas, juxta eam impii Eutychetis sententiam, in unam contemperatas fuisse dederimus, periisse utramque, ac earum proprietates, quemadmodum perit vinum, cum admiscetur aquæ. Eorum demum sententia, Christus neque ut Deus divina operabatur, atque ut homo humana; neque erat Deus impassibilis, ac passibilis homo: sed deitas pariter cum carne patiebatur, a qua etiam hæresi, qui ita docent, Theopaschitæ appellantur a Patribus.

II. Hoc porro Eutychetis profanum dogma confirmavit Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, quem Marciano imperatore Synodus Chalcedonensis sexcentorum sanctorum patrum deposuit. Idipsum quoque impius Severus docuit, ex quibus orti, quos dicunt Monothelitas, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, ac reliqui, suam constituerunt hæresim, quos sexta Synodus Constantinopolitana devovit.

III. Præfato itaque Jacobo Eutychetis doctrinam libere prædicante, factum est postea schisma apud Syros. Atque alii quidem, qui nempe rectam fidem, Synodumque, ac Marcianum imperatorem secuti essent, appellati sunt Melchitæ; id est, Regii seu Imperialistæ. *Melchi* enim Hebræorum ac Syrorum lingua, dicitur rex. Alii autem Scissi, aut etiam Monothelitæ appellati sunt, qui nimirum Jacobo Sy-

1. Ex regio Cod. num. CIƆIƆCCCXX.

2. Forte, παρά.

3. Deest οὐδέ.

βῖται· καὶ ἐκ τούτου μέχει τοῦ νῦν, οὕτως ἀπ' ἐκείνου καλοῦνται· οἱ καὶ πιστεύοντες μὲν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, δοκοῦσιν εἶναι ὀρθόδοξοι, καὶ δὴ, διὰ τοῦτο πλανῶσι τοὺς ἐντυγχάνοντας· καθὸ δὲ ἐπὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, πρὸ μὲν τῆς ἑνώσεως, ἤτοι τῆς ἐνανθρωπήσεως, προείρηται, ὅτι δύο φύσεις ὁμολογοῦσιν· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, οὐ δύο φύσεις, ἀλλὰ μίαν· καὶ ἐντεῦθεν σύγχυσιν καὶ φυρμὸν τῶν δύο φύσεων εἰσάγουσιν. ἀναθεματίζονται ὡς Μονοφυσῖται καὶ Θεοπασχῖται. μόνας δὲ τὰς προτέρας τρεῖς συνόδους δέχονται· ἤγουν τὴν ἐν Νικαίᾳ, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ τὴν ἐν Ἐφέσῳ. τὴν δὲ ἐν Χαλκηδόνι, καὶ τὰς μετ' αὐτὴν, ἀθετοῦσιν· καὶ τοὺς τούτων πατέρας, τῷ ἀναθέματι καθυπάγουσιν· καὶ τὸ δὴ χαλεπώτερον, καὶ πάθος προσάπτουσι τῇ θεότητι· παθεῖν καὶ αὐτὴν μετὰ τῆς σαρκὸς ἐν τῷ τοῦ πάθους καιρῷ δογματίζοντες. καὶ αὕτη μὲν ἡ ἀρχὴ τῆς αἱρέσεως τῶν ἀθέων Ιακωβιτῶν.

ro monacho fidem præbentes, Jacobitarum nomen obtinuerunt; sicque hactenus ab eo appellantur. Ac quidem, quod in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credant, orthodoxi videntur, eaque ratione eos decipiunt, qui cum eis congrediuntur. Verum quod spectat ad Christi in carne dispensationem; ante quidem unionem, id est, priusquam ille homo fieret, jam dictum est fateri eos duas naturas: post vero eam, non duas naturas, sed unam agnoscunt, indeque confusionem ac commixtionem invehunt duarum naturarum. Devoventur ut assertores unius naturæ, & ut Theopaschitæ. Tantum vero admittunt tres priores Synodos, nempe, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam. Chalcedonensem autem, ac ea posteriores, irritas decernunt, ac earum devovent patres: quodque gravius est, etiam passionem Deitati affingunt, docentque ipsam quoque passam una cum carne tempore passionis. Atque his initiis, impiorum Jacobitarum cœpit hæresis.

Ὕστερον δὲ ἐφεῦρον, καὶ τὸ ἑνὶ δακτύλῳ [1] τὸ πρόσωπον, ὡς τὴν μίαν ἐν Χριστῷ φύσιν πρεσβεύοντες· καὶ τὸ, οὐκ ἀπὸ δεξιῶν ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ τὴν χεῖρα κινεῖν, ὡς ἡμεῖς· ἀλλὰ πρὸς ἀνάπαλιν, ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιά. καὶ τὴν ἑαυτῶν προσφορὰν, ἐλαίῳ ἀναμιγνύουσιν· καὶ τὴν παρ' ἡμῖν ἁγίαν κοινωνίαν, ὡς οὐδὲν ἡγοῦνται, εἴ τε μεταλαμβάνοντες ταύτης, εἴ τε καὶ μή. ἀλλ' οὐδὲ ὕδωρ ἐν τῇ ἑνώσει τῆς αὐτῶν λειτουργίας ἐμβάλλουσι. τὸ αὐτὸ δὲ καὶ περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων ἔχουσιν· ἐν ἴσῳ, καὶ τὸ προσκυνεῖν αὐτὰς, καὶ τὸ μὴ προσκυνεῖν ποιούμενοι. εἰ δέ ποτε καὶ προσκυνῆσαι συμβῇ τούτοις, αὐτὴν μὲν οὐκ ἀσπάζονται· μόνῳ δὲ δακτύλῳ προσψαύοντες, τὸν δάκτυλον ἀντ' ἐκείνης ἀσπάζονται. ἀλλὰ καὶ τὸν τίμιον σταυρὸν, τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ κατορύττοντες, μέχει τῆς ἁγίας κυριακῆς κεκρυμμένον ἔχουσιν· εἶτα ἅμα φωτὶ διατρέχουσιν τάς τε ῥύμας καὶ τοὺς ῥεγεῶνας, ἐπιζητοῦντες ὅτι ἐνταῦθά ἐστιν ὁ Χριστὸς, ἢ ἐνταῦθα· καὶ τότε φανεροῦσιν αὐτόν. λέγουσιν δὲ καὶ ἐκθέσεις ἔχειν λειτουργιῶν διαφόρους, παρὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις. κρεοφαγοῦσιν δὲ καὶ τὴν ἑβδομάδα τῆς τυροφάγου. παρέλαβον δὲ καὶ ἀπὸ Πέτρου τοῦ Κναφέως, προστιθέναι ἐν τρισαγίῳ ὕμνῳ λέγειν τό· ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς ἐλέησον ἡμᾶς. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν Ιακωβιτῶν.

IV. Postea vero hoc quoque invenerunt, ut uno digito consignarent faciem, velut unam in Christo naturam profitentes; utque manum non a dextris ad sinistram ducerent, uti nos: sed e contra, a sinistris ad dextram: suam quoque oblationem miscent oleo; ac sacram, quæ apud nos est, Communionem, pro nihilo habent, sive communicent, sive non. At neque aquam in suæ missæ unione mittunt. Eodem modo se habent ad sacras imagines; pro eodem habentes ut adorent, vel non adorent. Quod si quando etiam contingat adorare; ipsam quidem imaginem non osculantur, sed solo digito attingentes, ejus loco osculantur digitum. Sed & pretiosam crucem magna Parasceve suffodientes, usque ad sacrum diem dominicum occultam tenent: tumque prima luce per vicos & plateas discurrentes, sitne heic Christus, an illic, inquirunt; sicque demum detegunt. Dicunt etiam se habere diversas Missarum editiones, contra traditiones Ecclesiasticas. Vescuntur carnibus ipsa quoque hebdomada carnisprivii. Omnium cumulo acceperunt a Petro Fullone ut hymno Trisagio adderent, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Hactenus de Jacobitis.

Οἱ δὲ Χατζιτζάριοι ὠνομάσθησαν ἀπὸ τῆς τοῦ σταυροῦ ὀνομασίας· τὸν δὲ σταυρὸν προσκυνοῦσι καὶ σέβονται. Χατζὶ δὲ παρ' αὐτοῖς, ὁ σταυρωθεὶς ὀνομάζεται. ἕκαστον δὲ τῶν σταυρῶν ἥλῳ διαπειρῶσιν· ὡς δὴ παθεῖν ἐν τῷ σταυρῷ τὴν θεότητα δογματίζοντες. προσκυνοῦσιν δὲ τὸν σταυρὸν, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς, ὅπλον αὐτὸν εἰδότες κατὰ τῶν δαιμόνων καὶ τοῦ θανάτου· ἀλλ', ὡς αὐτοὶ ληροῦσιν, ὅτι δυνατώτερος ὤφθη τοῦ Χριστοῦ ὁ σταυρὸς, καὶ ἀνεῖλεν αὐτόν. ἀποστρέφονται δὲ καὶ πάσας τὰς ἁγίας εἰκόνας, καὶ ἐπίσης εἰσὶ τοῖς Ιακωβίταις καὶ οὗτοι Θεοπασχῖται. τὸ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, καὶ αὐτοὶ φανερῶς ἐκφωνοῦσιν ἐπὶ τοῦ τρισαγίου. ἐναντιοῦνται δὲ τοῖς Ιακωβίταις, ὅτι οὐ μίαν ὡς ἐκεῖνοι φύσιν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν συγχυτικῶς δογματίζουσιν· ἀλλὰ δύο μὲν, καθάπερ ἡμεῖς· ἑτέραν δὲ ἀσέβειαν ἐπεισάγουσι, δύο πρόσωπα ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ, κατὰ τοὺς Νεστοριανοὺς ἀσεβῶς μυθολογοῦντες· ὡς καὶ παρὰ τὸν καιρὸν τοῦ πάθους, ἕτερον μὲν εἶναι πρόσωπον τὸ πάσχον ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, ἕτερον δὲ τὸ ἔξωθεν κεχωρισμένον ἱστάμενον, καὶ τὸ πάθος ὁρῶν.

V. Chatzitzarii autem appellati sunt, cognomento a cruce. Ii porro adorant ac colunt crucem. Nam apud eos, crucifixus *Chatzi* appellatur. Singulas vero cruces clavo transfigunt, velut pati in cruce Deitatem profitentes. Adorant autem crucem, alia a nobis ratione, qui nimirum sciamus armaturam adversus dæmones ac mortem; sed, ut quidem illi insaniunt, quia visa sit Christo potentior, eumque necaverit. Porro aversantur omnes sacras imagines, habenturque perinde ac Jacobitæ, Theopaschitæ. Ipsique adeo pariter palam in hymno Trisagio exclamant, *Qui passus es pro nobis*. Adversantur autem Jacobitis, quod non unam in Christo Deo naturam per confusionem doceant; sed duas, quemadmodum nos. Alteram quoque invehunt impietatem: nimirum, comminiscuntur in eodem Christo duas personas more Nestorianorum, ac dicunt, passionis tempore aliam fuisse personam quæ pateretur in cruce, aliam vero quæ seorsim constituta spectaret passionem.

Οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ πρὸ τῆς ἀπόκρεω, ἐπί τινας ἡμέρας νηστεύοντες, ἐν τοῖς σκάμμασι καὶ ταῖς κυ-

VI. Iidem, ante etiam carnisprivium, per aliquot dies jejunant, inque stadio, ac sacræ Quadragesimæ

1. Deest σφραγίζειν.

Sæcul. XI.
circa
Ann. Chr.
1080.

ριακαῖς τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς, γάλα καὶ τυ-A ρὸν καὶ ὠὸν ἐσθίουσιν· καὶ τὴν ὑπ' αὐτῶν προσαγομένην προσφορὰν, ἄζυμον ποιοῦσιν· καὶ ἐν τῷ τῆς κοινωνίας ποτηρίῳ κατὰ τοὺς Ἰακωβίτας, οἶνον μόνον ἐμβάλλουσι, καὶ οὐ παραμιγνύουσιν ὕδατι· καὶ τοὺς παρ' ἑαυτοῖς σταυροὺς κατά τινας ἡμέρας βαπτίζουσι. καὶ οἱ μὲν νῦν Χατζιτζάριοι ἐξ ἀλόγου παραδόσεως ταῦτα ληροῦσιν· οἱ δὲ ἀρχαῖοι τούτων καθηγηταὶ, τὸν ἐν ἁγίοις θεοφόρον καὶ μάρτυρα Γρηγόριον τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, συκοφαντοῦσιν αὐτοῖς παραδοῦναι, τήν τε χωρὶς ζύμης προσφορὰν, καὶ τὸ χωρὶς ὕδατος ποτήριον· διὰ τὸ, τὸν ἄρτον φασὶν ἐκεῖνον, ὃν ὁ Χριστὸς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τοῖς μαθηταῖς ἔδωκεν, ἄζυμον εἶναι, καὶ τὸ ποτήριον, χωρὶς ὕδατος. ἃ οὐδὲ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία προσίεται, B τὴν ἀποστολικήν τε καὶ πατρικὴν παράδοσιν ἐνθέσμως φυλάττουσα.

A diebus dominicis, butyrum, & lac, ac ova manducant. Quam etiam oblationem offerunt, faciunt azymum, inque calicem Communionis Jacobitarum more, solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Item baptizant suas cruces per dies aliquot. Ac juniores quidem Chatzitzarii, ex caussa irrationabili id ceremoniæ inductum nugantur; veteres autem eorum doctores, sanctum a Deo afflatum ac martyrem Gregorium magnæ Armeniæ episcopum, oblationem ejusmodi sine fermento, ac calicem sine aqua, eis ideo tradidisse calumniantur; quia, inquiunt, quem Christus panem discipulis tribuit in cœna mystica, azymus erat, ac calix sine aqua: quos tamen Ecclesia Catholica, Apostolicam ac Patrum traditionem legitime servans, non probat.

ΣΥΛΛΟΓΙΣΜΟΣ ΤΩΝ ΙΑΚΩΒΙΤΩΝ.

Λέγουσιν ὅτι πᾶσα φύσεις ἐν ὑποστάσει ἐστὶν, καὶ πᾶσα ὑπόστασις ἐν φύσει νοεῖται· ὑπόστασιν λέγοντες μετὰ ἰδιωμάτων. ἡ δὲ, ἔχει καὶ τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ἴδιον τῆς ὑποστάσεως. εἰ οὖν ἄλλη, φησὶ, φύσις ἐστὶ τῆς θεότητος, ἑτέρα δὲ τῆς ἀνθρωπότητος, κατὰ τοὺς πατέρας· ὧν γὰρ, φησὶν, οἱ ὅροι διάφοροι, καὶ αἱ φύσεις διάφοροι· ἄρα καὶ δύο ὑποστάσεις ὀφείλουσι λέ-C γεσθαι κατὰ τὸν Νεστόριον. εἰ δὲ δύο ὑποστάσεις οὐ λέγομεν, οὐδὲ δύο φύσεις ὀφείλουσι λέγεσθαι.

JACOBITARUM DISCURSUS.

VII. Dicunt naturam omnem in hypostasi esse, omnemque hypostasim intelligi in natura: appellantes hypostasim, quæ est cum proprietatibus. Talis vero habet cum essentiæ communitatem, tum hypostasis proprium. Siquidem ergo, ajunt, alia est Deitatis natura, alia humanitatis, juxta quod Patribus constitutum est: Nam, inquit, quorum sunt diverC sæ definitiones, eorum quoque diversæ sunt naturæ: ergo necesse est ut etiam juxta Nestorium dicantur duæ hypostases. Sin vero non dicimus duas hypostases ac personas, nec duas quoque naturas oportet dicere.

Ἡ δὲ ἐκκλησία λέγει· ὅτι ὥσπερ διὰ τὸ ὁμοούσιον τῆς ἁγίας τριάδος, οὐσίαν μίαν· καὶ διὰ τὸ ἑτεροϋπόστατον, τρεῖς ὑποστάσεις λέγει· οὕτω, διὰ τὸ ἑτεροούσιον τοῦ λόγου καὶ τῆς σαρκὸς, δύο οὐσίας· καὶ διὰ τὸ μὴ ἰδιοϋπόστατον, μίαν ὑπόστασιν λέγει.

VIII. Verum respondet Ecclesia: uti propter sanctæ Trinitatis consubstantialitatem, substantiam unam; propterque aliam ac aliam subsistendi rationem, tres hypostases seu personas, dicit: ita pariter, propter Verbi ac carnis diversam substantiam, duas substantias; ac quia non seorsim, ac per se quodque subsistat, unam dicere hypostasim ac personam.

Ἐπὶ μὲν τῆς ἁγίας τριάδος, ἐκφωνοῦμεν τὰς D τρεῖς ὑποστάσεις, διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν διαφοράν· ἐπὶ δὲ τοῦ ἑνὸς τῆς τριάδος, λέγομεν τὰς δύο φύσεις ἐν μιᾷ ὑποστάσει, διὰ τὴν φυσικὴν διαφοράν. ὥσπερ τῆς ἁγίας τριάδος τὴν μίαν οὐσίαν, οὐκ ἐπὶ συγχύσει τῶν τριῶν ὑποστάσεων λέγομεν· οὔτε τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ἐπὶ ἀναιρέσει τῆς μιᾶς οὐσίας. οὕτως ἐπὶ τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας τριάδος, μίαν ὑπόστασιν, οὐκ ἐπὶ συγχύσει τῶν δύο φύσεων αὐτοῦ λέγομεν· οὔτε τὰς δύο φύσεις, ἐπὶ διαιρέσει τῆς μιᾶς ὑποστάσεως.

IX. In sancta quidem Trinitate, clare tres personas efferimus, propter differentiam personalem: in uno autem Trinitatis, duas naturas in una persona, propter naturalem differentiam. Quemadmodum in sancta Trinitate, non ideo dicimus unam substantiam ut tres personas confundamus: neque personas tres, ut perimamus unam substantiam. Sic in uno sanctæ Trinitatis, unam dicimus personam, non ut duas ejus naturas confundamus; nec vero duas naturas, ut dividamus unam personam.

Ὁ μὴ λέγων ἐπὶ Χριστοῦ διὰ τὴν τῶν φύσεων διαφορὰν, τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, Νεστοριανός E ἐστι· καὶ ὁ μὴ λέγων ἐν τῇ καθ' ὑπόστασιν ἑνώσει τὴν φυσικὴν διαφορὰν, Εὐτυχιανιστής ἐστιν. ὁ δὲ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, καὶ τὴν φυσικὴν διαφορὰν κηρύττων ἐπὶ τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας τριάδος, τὴν βασιλικὴν καὶ ἀμώμητον πίστιν κηρύσσει.

X. Qui negat in Christo propter differentiam naE turarum, hypostaticam unionem, Nestorianus est: quique in unione hypostatica non agnoscit naturalem differentiam, est Eutychianista. Qui denique hypostaticam unionem, ac simul naturalem differentiam in uno prædicat sanctæ Trinitatis, regiæ ac inculpatæ fidei prædicator exsistit.

A

ΔΙΗΓΗΣΙΣ

ΑΠΟ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ

Μέχρι τοῦ νῦν περὶ τῶν ἐν τάξει γενομένων διαδόχων αὐτοῦ, ἤγουν τοῦ θρόνου αὐτοῦ, καὶ περὶ τῶν ἐν τάξει γενομένων καὶ βασιλευσάντων ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν, ἔν τε Ῥωμαίοις καὶ Πέρσαις, [1] περὶ τοῦ γινώσκειν ἕως τίνος ἐκράτησαν τὴν ὀρθὴν πίστιν, ἣν παρέλαβον ἀπὸ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ, καὶ τὸ, ἐν ποίαις ἡμέραις ἐπλανήθησαν, καὶ ὑπὸ τίνος, καὶ τὸ, πῶς ἐπολιτεύσαντο, καὶ τίνα ζητήματα ἐγένοντο περὶ πίστεως, καὶ πῶς διέμειναν ἐν πλάνῃ ἕως σήμερον. B

NARRATIO

A SANCTI GREGORII

Tempore ad nostram usque ætatem, de iis, qui ejus, seu Sedis ejus, ordine successores fuerunt: itemque de iis, qui interim per temporum successionem, cum apud Romanos, tum apud Persas imperaverunt; quo liqueat, quamdiu Armenii rectam fidem, ab eodem S. Gregorio ac sancta Synodo Nicæna acceptam, tenuerint, ac quanam ex caussa, & cujus opera, in errorem impulsi sint: ut item habuerint eorum res, ac quænam de fide quæstiones apud eos fuerint motæ, utque in hanc usque diem in errore perseveraverint.

ΕΠΙ τοῦ θεοφιλεστάτου Κωνσταντίνου μεγάλου βασιλέως, ἐγένετο ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Νικαίᾳ κατὰ Ἀρείου, τῷ ἔτει τριακοστῷ τετάρτῳ τοῦ Τηριδάτου, καὶ τῷ εἰκοστῷ ἔτει τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, τῆς ἐξελεύσεως τῶν ἐκ τοῦ λάκκου, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἐπισκοπῆς τοῦ ἁγίου Ῥωστακὲς, καὶ ἐπὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ὃς καὶ εἰς σύνοδον παρεγένετο. ἔπειτα ὁ Βαρτανὲς, ὁ Γρηγόριος, ὁ Ἰωσὴκ, ὁ Φαρνεσὲκ, ἀπὸ τῶν Ἀσπράκων τῆς Ἀστισὰτ χώρας. εἶτα ὁ ὅσιος Νορσέσης. εἶτα οἱ βασιλεῖς τῶν Ἀρμενίων· ὁ Χοσρόης, ὁ Τηρανασὰκ, ὁ Βαρισπιρτὰκ, ὁ Ἀσὰκ. ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ διῃρέθησαν οἱ Ἀρμένιοι, ὅτε καὶ ἡ Θεοδοσιούπολις ᾠκοδομήθη ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως; [2] ὃν καὶ ὑπετάγη ὁ Ἀσὰκ ὁ ἄναξ τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. ὁ δὲ Χοσρόης ἦν ὑπὸ τοῦ βασιλεῖ τῶν Περσῶν Σαπῷ ἐν τῇ Ἀρμενίων χώρᾳ βασιλεὺς, ὃν μετὰ χρόνους δ. ἔρριψεν ὁ αὐτὸς Σαπῶ. C

I. DEI amantissimo Constantino Magno imperatore, sancta Nicæna Synodus contra Arium celebrata est, trigesimo quarto anno Regis Tiridatis, ac vigesimo egressionis sancti Gregorii ex lacu: sancto Rostace, ac patre ejus episcopum gerente, qui etiam ad Synodum profectus est. Successere Bartanes, Gregorius, Josec, Pharnesec Aspracis ortus provinciæ Astisac. Ad hæc sanctus Norseses. Exinde Armeniorum reges, Chosroes, Teranasac, Baristirtac, Asac. Hujus tempore divisi sunt Armenii, quando etiam urbs Theodosiopolis ædificata est a Magno Theodosio Imperatore, cui & Asac magnæ Armeniæ rex subditus fuit. Chosroes autem sub ditione erat regis Persarum Saporis, quem idem Sapor post annos quatuor regno dejecit.

Ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου ἐγένετο ἡ ἁγία σύνοδος ἐν Κωνσταντινουπόλει τῶν ρν. ἁγίων πατέρων κατὰ Μακεδονίου τοῦ πνευματομάχου, καὶ ἀνεθεμάτισαν αὐτόν. ἐν δὲ τῇ Ἀρμενίᾳ ὁ ἅγιος Νορσέσης ἦν ἐν τοῖς αὐτοῖς χρόνοις. ἡ οὖν ὁμολογία τῆς πίστεως μία ἦν καὶ αὐτὴ, ἣν παρέλαβον ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων, ἐπὶ τοῦ βασιλέως Βραμσαπῶ, καὶ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἀρταχέτζη. καὶ μετὰ ταῦτα ἐκράτησε τῶν Ἀρμενίων ἡ Μαρσπάνη. D

II. Porro imperante Theodosio Magno celebrata est Synodus Constantinopolitana CL. SS. Patrum adversus Spiritus sancti hostem Macedonium, a quibus etiam anathemate percussus est. Per idem tempus erat in Armenia sanctus Norseses. Erat itaque una ac eadem fidei confessio, quam acceperant a sanctis Patribus regnante Bramsapo ejusque postmodum filio Artachetze. Post hæc autem Marspane mulier rerum summam apud Armenios tenuit.

Τῷ ιέ. ἔτει τοῦ μικροῦ Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως, ἐγένετο ἡ τρίτη σύνοδος τῶν σ. πατέρων, οἵτινες ἀνεθεμάτισαν τὸν Νεστόριον· καὶ μετὰ ταύτην ἡρμόσθη τὸ, ἅγιος ὁ Θεὸς, παρὰ τοῦ μακαρίου Πρόκλου τοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ὑπὲρ τοῦ εὑρεῖν ἔλεος παρὰ κυρίου τοῦ Θεοῦ, διὰ τὴν ἐπελθοῦσαν συμφορὰν τοῦ σεισμοῦ. καὶ ἀπὸ τότε παρέλαβεν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία τὸν ὕμνον τὸν τρισάγιον, κατὰ τὴν δοξολογίαν τῶν σεραφὶμ, ἣν καὶ παρὰ τοῦ προφήτου Ἡσαΐου μεμαθήκαμεν. E

III. Anno quinto decimo Imperii Theodosi Junioris, celebrata est tertia Synodus ducentorum Patrum, qui Nestorium condemnarunt. Post eam autem compositus fuit hymnus *Sanctus Deus*, &c. a beato Proclo Constantinopolitanæ urbis episcopo, ad Domini Dei misericordiam impetrandam, pro ea quæ supervenerat, terræmotus calamitate depellenda. Exque eo tempore suscepit Ecclesia Catholica hymnum *Ter Sanctus*; in modum glorificationis illius, quam Deo submittere Seraphim didicimus ex Isaia.

Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις τοῦ αὐτοῦ Θεοδοσίου, ὁ μακάριος Φλαβιανὸς ἐν τῷ παλατίῳ τῆς βασιλίδος πόλεως, τὸν μυσαρὸν Εὐτυχέα, καθαίρεσιν ποιήσας κατ' αὐτοῦ, ἀνεθεμάτισεν αὐτόν. προσελθὼν τοίνυν ὁ αὐτὸς τῷ Διοσκόρῳ, ὥστε αἰτῆσαι τὸν βασιλέα, ἵνα ποιήσῃ ἄλλην σύνοδον ἐν Ἐφέσῳ, καὶ κατακρίνῃ τὸν ὅσιον Φλαβιανὸν, τὸν δὲ Εὐτυχέα δικαιώσῃ. ὁ δὲ Διόσκορος καὶ Εὐτυχὴς [3] μήνῃ καπλήσθησαν δίκην κόρακος ἐν δρυμῷ, ὥσπερ νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ.

IV. Ejusdem Theodosii tempore, beatus Flavianus in urbis regiæ palatio Eutychetem deponens, in eum anathema dixit. Adiit itaque ille Dioscorum, rogans, ut petat ab Imperatore aliam synodum celebrari Ephesi, qua condemnetur sanctus Flavianus, Eutyches autem judicio absolvatur. Dioscorus autem atque Eutyches immani odio occupantur, haud secus atque corvus in nemore, ac sicut nycticorax in petrinis ac ruderibus.

Γνοὺς δὲ ὁ μακάριος Λεόντιος ταῦτα, ὁ πάπας Ῥώμης, καὶ τὴν σύγχυσιν τῆς ἐκκλησίας, σφόδρα κατεμέμψατο, παρὰ τοῦ Θεοδοσίου αἰτήσας τοῦ βασιλέως

V. Hæc porro ut beatus Leo Romanus papa, ac Ecclesiæ confusionem cognovit, acriter reprehendit, petens a Theodosio celebrari synodum universalem.

1. περί. 2. Forte ᾧ. 3. Leg. μίσει.

SÆCUL. XI CIRCA ANN. CHR. 1080.

A

καθολικὴν σύνοδον γενέσθαι, ἐν ᾧ χρόνῳ ὁ βασιλεὺς ἐπλεύτησε, καὶ ἡ βουλὴ παρεσιωπήθη. διαδεξάμενος δὲ τὴν βασιλείαν ὁ Μαρκιανὸς, τὴν βουλὴν εἰς πέρας ἤγαγε· καὶ μετὰ ἔτη ἓξ τῆς τελευτῆς τοῦ ἁγίου Ἰσαὰκ, ἐγένετο σύνοδος εἰς Σαπηβάν.

Interim vero Imperator diem obiit, qua ex caussa consilium interquievit. Marcianus autem imperii successor, concilium illud in finem perduxit. Ceterum post annos sex ab obitu S. Isaac, facta est synodus in Sapeban.

Τοῦ οὖν μακαρίου καὶ ἁγίου Ἰσαὰκ τελευτήσαντος, [ὃς] τοῦ χρόνου τῆς ζωῆς αὐτοῦ τῷ ρι. ἔτει μετέστη πρὸς κύριον· διαδέχεται τὸν θρόνον τῆς ἐπισκοπῆς τῇ τούτου προστάξει ὁ Ἰωσήφ. οὗ τῷ ιβ΄. ἔτει ἐζητήθη ἡ πυρσολατρεία παρὰ τοῦ Εζιωνὲρτ, εἰς τὴν Ἀρμενίαν τῷ λζ΄. ἔτει τοῦ μικροῦ Θεοδοσίου τοῦ Καίσαρος· ἠλαττώθησαν οἱ ἐπίσκοποι τῆς Ἀρμενίας· ἐπαρρησιάσθη δὲ καὶ διεσπάρη [1] τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, τῇ προστάξει τοῦ τῶν Περσῶν βασιλέως. ἡ δὲ ἀρχὴ τῆς αὐθαδείας αὐτοῦ, ἀπὸ τῆς τοῦ Σορμὰκ ἐξουσίας ἔλαβε τὴν ἀρχὴν τοῦ κακοῦ· μάλιστα [2] καὶ τοῖς ἐπισκόποις τοῖς αὐτοῦ ἀνίατος διέμεινεν ἕως τῆς σήμερον.

B

VI. Beato itaque ac sancto Isaac vita functo; is annum agens CX. migravit ad Dominum; jubente illo, Joseph ejus episcopatus sedem suscepit: cujus anno XII. compellente Ezennert in Armenia ad ignem adorandum, anno XXXVII. Theodosii Cæsaris, imminuti sunt episcopi Armeniæ: auctique fiducia, a Catholica se Ecclesia abstraxerunt, jubente Persarum rege. Is porro primus ejus temerarius ausus, a Sormaci potestate malum inchoavit: maxime vero ejus episcopis hactenus irremediabile manet.

Ἀπὸ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἕως ἔτους ζ΄. Κωνσταντίνου τοῦ ἐπὶ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, ἔτη τιέ. καὶ ἀπὸ τῆς συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ ἕως τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συνόδου, τῷ έ. ἔτει τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου, ἑβδομήκοντα γ΄. καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς συνόδου, ἕως τῆς ἐν Ἐφέσῳ ἁγίας συνόδου, τῆς γενομένης ἐν ταῖς ἡμέραις Θεοδοσίου τοῦ μικροῦ, ἐν τῷ ιέ. ἔτει, τεσσαράκοντα ἔτη εἰσίν. ἀπ' ἐκείνης δὲ τῆς συνόδου, ἕως τῆς συνόδου τῆς ἐν Ἐφέσῳ τοῦ Διοσκόρου, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ αὐτοῦ βασιλέως, ἔτη κβ΄. ἀπὸ δὲ ἐκείνης ἕως τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι, ἥτις ἐγένετο ἐν δευτέρῳ ἔτει τῆς βασιλείας Μαρκιανοῦ τοῦ βασιλέως, ἔτη έ. ἀπὸ δὲ συνόδου ταύτης ἕως τῆς βασιλείας Ἀναστασίου Καίσαρος, μ΄. ἔτη καὶ ἐπέκεινα.

C

VII. Ab adventu Domini nostri Jesu Christi, ad usque VII. annum Constantini, cujus tempore celebrata Nicæna Synodus, anni CCCXV. Atque a Nicæna Synodo, ad usque Synodum Constantinopolitanam, anno quinto Theodosii Magni, anni LXXIII. Atque ab hac Synodo, ad usque Synodum Ephesinam, quæ fuit celebrata in diebus Theodosii minoris, decimoquinto imperii anno, quadraginta intercedunt anni. Ab ea autem Synodo, ad usque Ephesinam Dioscori, in diebus ejusdem Imperatoris, anni XXII. Ab illa autem usque ad sanctam Synodum Chalcedonensem, quæ fuit celebrata anno secundo Imperii Marciani Augusti, anni V. Ab ea denique Synodo ad Imperium Anastasii Cæsaris, anni XL. ac iis plures.

Τότε πολλὴ ταραχὴ ἐγένετο τῷ Διοσκόρῳ καὶ τῷ Εὐτυχεῖ τοῖς Μονοφυσίταις· ἐθλίβοντο δὲ Σευηριανὸς ὁ ἐν Ἀντιοχείᾳ, καὶ Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἡ ἁγία πόλις, διότι τῷ αὐτῷ πάθει τινὲς ἐν τῷ παλατίῳ κατεχόμενοι, ἐξέκλιναν τὸν βασιλέα, τὴν δὲ γῆν, ταραχῆς ἐνέπλησαν· τὴν Μεσοποταμίαν, καὶ ἄλλας χώρας· ὅτι ἐξεβιάζοντο πάντως ἀναθεματίζειν τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον τὴν ἐν Χαλκηδόνι, καὶ ὁμολογεῖν μίαν φύσιν Χριστοῦ, τῆς θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος κατὰ Εὐτυχέα· καὶ τῇ ἀθανάτῳ φύσει αὐτὸν πεπονθέναι· οὕτω καὶ εἰς, ἅγιος ὁ Θεὸς, εἰς τὸν ὕμνον τῆς ἁγίας τριάδος, τὸ, ὁ σταυρωθεὶς, προσφωνεῖν, ὅπερ πρὸ βραχέος τῶν χρόνων ἐκείνων Πέτρος ὁ Ἀντιοχεὺς ὁ Κναφεὺς προσθεὶς, ἀνεθεματίσθη παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν τότε τυχόντων. ὅσοι δὲ ἐν ὀρθῇ πίστει ἀνέμειναν, μὴ ἀκούσαντες τῶν βασιλέως προσαγμάτων, πάντας ἐξορισθῆναι κατεδίκασεν. ἐν αὐταῖς ταῖς ἡμέραις Τιμόθεος ὁ ἐπίσκοπος, πολλοὺς λόγους ἐνομοθέτησεν ἀφ' ἑαυτοῦ, κατὰ τῶν λεγόντων δύο φύσεις περὶ τὸν ἕνα Χριστὸν ὁμολογούντων, καὶ ὀνειδισμοὺς κατὰ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου.

D

VIII. Id temporis turbatio magna Dioscoro & Eutycheti unius naturæ assertoribus, conflata est. Porro affligebantur Severiani Antiochenses ac Alexandrini, sanctaque civitas, eo quod aulici quidam eodem laborantes morbo, in sententiam suam Imperatorem pellexerant. Porro impleverunt tumultu terram universam; nempe Mesopotamiam, ac provincias alias, quod omnino cogerent anathemate damnare sanctam ac Œcumenicam Synodum Chalcedonensem, unamque confiteri Christi naturam, deitatis ac humanitatis, juxta Eutychetis doctrinam; ac passam esse immortali natura: atque adeo, in sanctæ Trinitatis cantico illo, *Sanctus Deus*, acclamare, *qui crucifixus es:* quod paullo ante ea tempora addens Petrus Antiochenus cognomento Fullo, a sanctis patribus ejus ætatis proscriptus est. Quotquot autem perseveraverunt in recta fide, spretis imperialibus mandatis, exsilio deportari sanxit. Per id tempus, Timotheus episcopus tractatus multos a seipso adversus eos, qui duas in uno Christo naturas confiterentur, ac convitia adversus Synodum Chalcedonensem edixit.

E

Μετὰ ταῦτα Ἰουλιανὸς ὁ ἐπίσκοπος τῆς Ἑλικαρνασσοῦ, καὶ Ἰάκωβος Πιτυανοῦ, διαιρεθέντες ἀπ' ἀλλήλων, ἐν ἡμέραις Ἰουστίνου τοῦ βασιλέως, καὶ τοῦ Περσῶν Καβατοῦ. οὗτος ὁ Ἰουλιανὸς εἶπε, τὸν σωτῆρα ἄφθαρτον ἀπ' οὐρανοῦ εἰληφέναι σῶμα, ὅθεν ἐκλήθησαν Ἰουλιανῖσται. καὶ ἐκ τοῦ Ἰακώβου, Ἰακωβῖται· καὶ ἐκ τοῦ Σευήρου, Σευηριανοί· καὶ ἐπειδὴ οὐκ ἦσαν τριῶν ἐπισκόπων οἱ Ἰουλιανῖται, ἐν τῷ ἀποθνήσκειν τὸν Ἰουλιανὸν, διελογίσαντο οἱ δύο ἕτεροι αὐτοῦ, ὅτι κατὰ τὸν κανόνα τῶν ἁγίων πατέρων, ἀδύνατόν ἐστιν ἄνευ τριῶν ἐπισκόπων χειροτονεῖν ἐπίσκοπον, πρὶν ἢ ταφῆναι αὐτὸν ἐν τάφῳ, [3] ἐπέθηκε τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ τὰς

IX. Post hæc Julianus episcopus Elicarnassi, ac Jacobus Pitnanensis ab invicem divisi sunt, tempore Justini Imperatoris, ac Cabatæ regis Persarum. Julianus hic, Salvatorem immortale e cælo corpus assumsisse dicebat, a quo vocati sunt Julianitæ, uti a Jacobo Jacobitæ, ac Severiani a Severo. Ceterum quod Julianitæ non plures essent tribus episcopis, mortuo Juliano cogitaverunt duo reliqui, non posse juxta regulam sanctorum patrum, nisi tribus episcopis, ordinari episcopum, adeoque priusquam sepulcro deponerent, manus illi cum demortuo imposuerunt ordinantes episcopum, unde *Necrochirotone-*

1. Forte leg. ἐπαρρησιάσθησαν καὶ διεσπάρησαν.

2. Leg. δὲ τοῖς.

3. Forte ἐπέθηκαν.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1080.

χεῖρας αὐτῶν χειροτονήσαντες ἐπίσκοπον, ὅθεν νεκροχειροτόνητοι ὠνομάσθησαν· καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐν τιμῇ ἔχουσιν ἑαυτοῖς τὴν δεξιὰν Ἰουλιανῖται.

Πάλιν ἠλαττώθησαν οἱ τῆς αἱρέσεως ταύτης ἐπίσκοποι· καὶ ἐπειδὴ οὔπω ἠδύναντο χειροτονηθῆναι διὰ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν, διαλογισάμενοι προσετέθησαν τὴν τῶν Ἀρμενίων ἐπισκόπων. διὰ τοῦτο προσφιλεῖς ἐγένοντο τῶν ἐν Σαπῶ [1] ἐπισκόπων Ταρῶν, ὅστις τῷ ιθʹ. ἔτει τοῦ Καβατοῦ, ἐκράτησε τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ διετέλεσεν ἔτη πολλὰ, μετὰ τοῦ ἑταίρου αὐτοῦ Ἀπτυτῶ τοῦ Σύρου, ἀπὸ τοῦ Σαρεπᾶ τῆς μονῆς τῶν πλησίων Σασῶν, λέγοντες, ὅτι πάντες ἐπλανήθησαν ὀπίσω τοῦ Νεστορίου, καὶ τῶν ὁμοίων αὐτῷ ἐν Χαλκηδόνι, καὶ διότι οὐκ ἔχομεν πόθεν χειροτονεῖσθαι, προσωρμήσαμεν τῇ ὑμετέρᾳ εὐσεβεῖ χειροτονίᾳ, ποιῆσαι ἡμῖν ἐπισκόπους: καθὼς ἄνωθεν εἴπομεν, εὗρον αὐτοὺς ἀποβαλόντας τὴν παράδοσιν τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, καὶ ἐκ τοῦ θρόνου Καισαρείας ἀπωσθέντας, λαβόντας πρόσταγμα παρὰ τοῦ βασιλέως Περσῶν, ποιεῖν ἑαυτοὺς ἐκείνους τὴν χειροτονίαν. ἔλεγον δὲ, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου ἐλάβομεν τοῦ χειροτονεῖν, καὶ τοῦ αὐτοῦ ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μαθηταὶ, ψεύδοντες.

A ti, id est *demortui manu ordinati* appellati sunt: hactenusque Julianitæ eam sibi dexteram honori ducunt.

X. Iterum vero imminutus est numerus hujus hæresis episcoporum: quodque non possent ordinari propter suam hæresim, admiserunt ordinationem episcoporum Armeniæ. Quamobrem amici facti sunt, Nersapo Taronis episcopo, qui undevicesimo anno Cabatæ episcopatum gessit, annosque plures episcopum egit, una cum socio ejus Aptyso Syro ex Sarepa, monasterio vicinorum Sasorum, dicentes, erraſſe omnes pone Nestorium Chalcedone, ejusque gregales: ac quia non haberent quo ordinarentur, B ad eorum accessisse piam ordinationem, ut eis episcopos ordinaret. Porro ut diximus in superioribus, invenerunt amisisse traditionem sancti Gregorii, atque a throno Cæsareæ repulsos, accepto mandato a Persarum rege, ut ipsi sibi ordinationem facerent. Dicebant autem accepisse a sancto Gregorio jus ordinationis, esseque ejus in Christo discipulos, quamquam id falso.

Ἃ τινα γνωρίσας Νερσάπω ἐπίσκοπος τῷ Ναρσέσῃ τῷ καθολικῷ τῷ ὄντι ἀπὸ Ἀσαρὰξ, καὶ τοῖς Ἀζάτοις ἐδήλωσεν. ὥρισαν δὲ μεγάλην σύνοδον ἐν πόλει Τιβὴν, τῷ κδʹ. ἔτει τοῦ αὐτοῦ καθολικοῦ Νορσέση, καὶ τῷ ιβʹ. ἔτει Ἰουστίνου Καίσαρος, καὶ τῷ κδʹ. τοῦ Κοσρόη τῶν Περσῶν βασιλέως, καὶ τῷ ἐνιαυτῷ ᾧ ἐμαρτύρησε Νεστιποστὶ, καὶ ἐν ἀρχῇ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν Ἀρμενίων· ὅτε καὶ τὴν ἁγίαν σύνοδον τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἀνεθεμάτισαν ὡς Νεστοριανὴν, κατὰ τὸν λόγον Ἀπτισῶ, ὅτι αὐτῷ τῷ χρόνῳ τὰς γραφὰς ἑρμήνευσαν, τὰς ἐνεχθείσας ἀπὸ τοῦ Ἀπτισῶ, τὰς προμνημονευθείσας, τὰς γραφείσας παρὰ Τιμοθέου καὶ Φιλικοῦ τῶν Σύρων, κατὰ τῆς συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι, καὶ κατὰ τῶν ὁμολογούντων δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἐναντίαν σύνοδον ἐδογμάτισαν, λέγοντες, μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου καὶ τῆς σαρκός· καὶ τῇ ἀθανάτῳ φύσει αὐτὸν ἐσταυρῶσθαι καὶ τεθνάναι· ὅθεν καὶ τὸ, ὁ σταυρωθεὶς, προσέθηκαν εἰς τὸ, ἅγιος ὁ Θεός, κατὰ Πέτρον Κναφέα, τὸν παθόντα τὰ Σαβελλίου. Ὥρισαν μετὰ τοῦ ἀναθεματισμοῦ ἀποστῆναι τῆς κοινωνίας Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐκ τῶν νέων Ῥωμαίων, καὶ ἐκ τῶν ὁμολογούντων μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν δύο φύσεις. ἐχειροτόνησαν δὲ τὸν Ἀπτισῶ ἐπίσκοπον, καὶ ἑτέρους βʹ. ἀποστείλαντες αὐτοὺς εἰς Μεσοποταμίαν Συρίας, ἔχειν συμφωνίαν μετ᾽ ἀλλήλων εἰς αἰῶνα, ἰδιοχείρως γράψαντες καὶ ἠσφαλίσαντες.

XI. Hæc ut Nersapo episcopo innotuissent, significavit Narsesæ Catholico, qui erat de Astarax, atque Azatis. Ii magnam indixere synodum in urbe Tiben anno XXIV. præfati Catholici Norsesæ, ac C XII. Justini Imperatoris, nec non XXIV. Chosrois regis Persarum, quo anno Nestiposti martyrio coronatus est, ac initio numeri Armeniorum, quando sanctam Synodum Chalcedonensem anathemate damnarunt ut Nestorianam, juxta sermonem Aptiso. Exposuerunt enim tunc temporis, quas ille scripturas intulisset, quarum supra mentio facta est, elucubratas a Timotheo ac Felice Syris adversus Synodum Chalcedonensem, ac eos, qui duas naturas in Christo Deo nostro confitentur: contrariamque Synodum secuti sunt, dicentes unam naturam Dei Verbi ac carnis, ac fuisse immortali natura crucifixum atque mortuum: unde etiam illud, *qui crucifixus es*, addiderunt cantico, *Sanctus Deus*, juxta D Petrum Fullonem, qui in eodem atque Sabellius errore versatus est. Decreverunt autem sub anathemate, ut a communione Hierusalem resilierent, ac juniorum Romanorum, eorumque, qui post incarnationem Domini nostri, duas naturas assererent. Porro, ordinantes Aptiso episcopum, ac alios duos, in Mesopotamiam Syriæ eos amandarunt, ut mutuam in perpetuum consensionem inirent, manu propria scribentes, ac sigillis munientes.

Μετὰ δὲ χρόνον πολὺν, Βαρτᾶς τις ἄρχων, ἀποκτείνας τὸν Σουρήνην τὸν Πέρσην τὸν τύραννον, ἀποστατήσας ἐκ τῶν Ἀρμενίων, ἀδεῶς πρὸς τὴν Κωνσταντινούπολιν [2], τῷ τεσσαρακοστῷ ἔτει τοῦ Χοσρόη, καὶ τῷ λʹ. ἔτει τοῦ Ἰουστινιανοῦ, τοῦ καὶ τὴν ἁγίαν Σοφίαν δειμαμένου· ἐκ τῆς κοινωνίας δὲ αὐτοῦ ἐκχωρήσας σὺν τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ. ἔλεγε γὰρ ὅτι οὐκ ἔχω ἐντολὴν ἐκ τῶν διδασκάλων ἡμῶν μεθ᾽ ὑμῶν κοινωνεῖν. διὸ προσετάχθη ὁ αὐτὸς Βαρτᾶς παρὰ τοῦ Καίσαρος συγκαλέσασθαι ἐπισκόπους καὶ διδασκάλους τοὺς τῶν Ἀρμενίων.

XII. Post longum ab hinc tempus, Bartas quidam princeps, occiso Suriene Persa tyranno, ac deficiens ab Armeniis, intrepidus Constantinopolim petiit, anno quadragesimo Chosrois, ac XXX. Justi- E niani, qui & sanctam Sophiam ædificavit: ab ejus tamen communione se separans, una cum comitibus. Dicebat enim non habere mandatum a magistris suis, ut communicaret cum eis. Jussit itaque imperator, ut idem Bartas Armenorum episcopos ac magistros convocaret.

Ἐγένετο δὲ σύνοδος μεγάλη ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει, κατά τινων αἱρετικῶν, ἣν εʹ. σύνοδον καλοῦμεν· καὶ ὁμοφωνήσαντες αὐτοῖς, τῷ ὀνόματι αὐτῶν ἐκάλεσαν ἁγίας πύλας τῆς ἁγίας Σοφίας, ἥτις μέχρι σήμερον καλεῖται τῶν Ἀρμενίων πύλη. τότε ἀνεθεμάτισαν τὸν Ὠριγένην, τὸν Εὐάγριον,

XIII. Facta autem est magna Synodus Constantinopoli, contra nonnullos hæreticos, quam & quintam Synodum vocamus: cumque eis consensissent, sacras sanctæ Sophiæ portas ex eorum nomine appellarunt, hactenusque vocatur *Porta Armenorum*. Tunc dixerunt anathema Origeni, Evagrio, Di-

1. Leg. τῷ Νερσαπῷ ἐπισκόπῳ.

2. Deest ἦλθε.



τὸν Δίδυμον, τοὺς Νεστοριανοὺς, καὶ Ιακωβίτας, τοὺς Ιυλιανίτας, καὶ τοὺς Γαϊανίτας, καὶ τοὺς ἅπαξ ἁπλῶς ἔχοντας τὴν τοῦ [1] Νεστορίου αἵρεσιν. ὑποστρεψάντων δὲ αὐτῶν εἰς Αρμενίαν, οἱ μὲν προθύμως ὑπεδέξαντο τὴν ἕνωσιν· οἱ δὲ ἐπορνεύσαντο ἐν ταῖς ἡμέραις [2] Βοχνέση τοῦ καθολικοῦ, περὶ ὧν οὐκ ἔστι νῦν λέγειν κατὰ μέρος. ἔγραψαν τοίνυν ἐπιστολὴν πρὸς τὸν Απᾶς τὸν καθολικὸν Αλβανίας χώρας, περιέχουσαν οὕτως· Ελθὲ μεθ' ἡμῶν ἑνωθεὶς τῇ πίστει, ἐν τῷ λέγειν μίαν φύσιν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὸ, ἅγιος ὁ Θεὸς, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. ὁ δὲ οὐ συγκατέθετο λέγων· ὅτι ὁ Πέτρος καὶ ὁ Γρηγόριος οἱ πρὸ ἐμοῦ ὄντες, οὕτως ἔλεγον, τὸ ἅγιος ὁ Θεός· ἐγὼ δὲ οὐ προστίθω, οὔτε ὑφέλω. ὁμοίως καὶ πρὸς τοὺς Ιβηρας ἔγραψαν. οἱ δὲ σφοδρῶς ἀντειπόντες, οὐ κατεδέξαντο· εἰ μὴ μόνοι οὗτοι Αἴλουροι κατὰ τὴν Αρμενίων διάλεκτον, Τασὴρ, Τζοραπὸρ, καὶ Καρταμὲ, αἳ εἰσι χῶραι, καί τινες ἀπὸ τῆς Αρτζάχ· ἐν αἷς ἡμέραις πολλάκις συστασίαι ἐγένοντο, διὰ τὴν ἀποστασίαν τῶν ἀρχόντων, ἐν πολλαῖς ἡμέραις, ἔν τε τῇ Ρωμανίᾳ καὶ τῇ Περσίδι, συζητουμένων τῇ πίστει ἐπὶ κ. ἔτη, ἐν ἡμέραις τοῦ Βιανίση τοῦ καθολικοῦ, καὶ Μωσῆ, ἕως ἑνὸς ἔτους Χοσρόη, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν χειρὶ Μαυρικίου Καίσαρος, ἐν πολλῇ δυνάμει τῶν Ρωμαίων. ὁ δὲ στρατηλάτης Μουσίκλης, [3] τοῦ Μαγκόνι τὸν ἐπικληθέντα Ταρωνίτην, ἀπέλειπεν ἐν Περσίδι. ἔτη λ'. ἐβασίλευσε καὶ η'. ὃς ἔδωκε τὴν Αρμενίαν πᾶσαν Μαυρικίῳ Καίσαρι ἕως τοῦ Τιβὴ, ἀνθ' ὧν ὑπ' αὐτοῦ κατέστη βασιλεὺς, καὶ δῶρα πολλὰ παρ' αὐτοῦ ἔλαβεν αὐτὸς καὶ τὰ στρατεύματα αὐτοῦ. τῷ αὐτῷ ἔτει ἀπέστειλε τὸν Μουσίλην πρὸς τὸν Μαυρίκιον, καὶ φθάσας ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς μεγάλης ἑορτῆς τοῦ τιμίου σταυροῦ, ἐκ τῆς κοινωνίας ἑαυτοὺς ἔξωσαν ὁ Μουσίλης, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ στρατιῶται. ἐρωτήσαντος δὲ τοῦ βασιλέως, καὶ τὴν αἰτίαν μαθόντος, αὐτὸς ἔλεγε ὅτι διὰ τὴν σύνοδον τῆς Χαλκηδόνος, καὶ διὰ τὸ ὁμολογεῖν ἡμᾶς δύο φύσεις.

dymo, Nestorianis, Jacobitis, Julianitis, Gaianitis, ac omnino iis omnibus qui infecti essent cum Nestoriana hæresi, tum Eutychetis. Reversis illis in Armeniam, pars quidem promto ac alacri animo unionem susceperunt, pars autem mœchati sunt ac desciverunt in diebus Boanesæ Catholici, de quibus haud modo dicendum per singula. Scripserunt ergo literas ad Apas Catholicum Albaniæ provinciæ, in hæc verba: *Veni nobiscum fide consentiens, in eo quod unicam Christi Dei naturam confitearis, atque in cantico* Sanctus Deus, *dicas*, qui crucifixus es pro nobis. At ille renuit, dicens: *Petrus ac Gregorius mei decessores, in eum modum dicebant canticum*, Sanctus Deus: *quamobrem nihil ipse additurus sum, autve demturus*. Similiter scripserunt ad Iberos. Illi vero plurimum obnitentes, non receperunt, si tantum Æluros istos juxta Armenorum linguam excipias; Tafer, Tzorapor, & Cartame, quæ sunt oppida, ac nonnullos de Artzach. Iis temporibus multæ factæ sunt seditiones propter diuturnam ducum defectionem, tum in Romania, tum in Perside, cum interim per annos XX. moverentur quæstiones de fide, in diebus Catholicorum Bianises, ac Mosis, ad usque annum primum Chosrois, qui in manu Mauricii Imperatoris, in multa Romanorum virtute, regnum adeptus est. Porro, agebat ducem exercitus Musicles, Manconi cognomento Taronitem reliquit in Perside. Regnavit autem annos XXXVIII. deditque Armeniam totam Mauricio Imperatori usque ad Tiben, eo quod fuisset ab eo constitutus rex, multaque dona cum ipse tum exercitus ab eo accepisset. Eodem anno misit Musilem ad Mauricium: cumque is in magno die festo pretiosæ Crucis in urbem venisset, removerunt se a communione, cum ipse Musiles, tum ei comites milites. Percontante autem Imperatore, ac caussam requirente, respondit ille, in caussa esse Synodum Chalcedonensem, et quod duarum naturarum essemus assertores.

Ο βασιλεὺς εἶπεν· ὁ πρὸ ὑμῶν Βαρτὰκ, διατὶ συνωμολόγησε, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Αζάτοι, καὶ διδάσκαλοι αὐτῶν ἐγγράφως συνταξάμενοι; λέγει ὁ Μουσίλης· δι' ἄγνοιαν, ἢ διὰ φόβον. εἰ οὖν προστάττεις καὶ ἐπιεικῶς ἀκούεις, καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίμα κατευθύνῃς, εὑρήσεις τὴν ἀλήθειαν ἐν τοῖς ἐμοῖς διδασκάλοις. διὸ προσέταξε πάντας τοὺς ἐπισκόπους, καὶ τὸν καθολικὸν Μωσῆν σὺν τοῖς στρατεύμασι, τοῦ παραγενέσθαι εἰς Κωνσταντινούπολιν. ὁ δὲ καθολικὸς Μωσῆς οὐ προσέχετο τοῖς προσταχθεῖσι, λέγων· οὐ μὴ γὰρ παρέλθω τὸν ποταμὸν Αζὰτ, οὐδὲ μὴ φάγω φουρνιτόριν, οὐδὲ μὴ πίω θερμόν. ὡσαύτως καὶ οἱ ἐπίσκοποι τῆς Ασπουρὰν χώρας, ὅσοι ὑπῆρχον ὑπὸ τῆς τῶν Περσῶν χώρας καὶ ἐξουσίας, οὐκ ἠθέλησαν ἀπελθεῖν. οἱ δὲ ἐπίσκοποι τοῦ Ταρῶν, καὶ οἱ ἐπίσκοποι οἱ ὄντες ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Ρωμαίων, ἀπῆλθον εἰς Κωνσταντινούπολιν· καὶ μεγάλα ἐρευνήσαντες, ἐπείσθησαν αὐτοῖς, καὶ γράψαντες γραφίδια μεθ' ὅρκου, συνωμολόγησαν αὐτοὶ, ἰδίαις χερσὶν ἐγγράψαντες. ὑποστρέψαντες ἐν τῇ Αρμενίᾳ, οὐκ ἐδέχθησαν παρὰ τῷ Μωσῇ, καὶ τοῖς λοιποῖς ἐπισκόποις, τοῖς ἐν Περσίδι, καὶ τῇ Αρμενίᾳ. ἐποίησε δὲ αὐτὸς καθολικὸν τὸν Ιωάννην, ἀπὸ τοῦ Κωκοστᾶ Παγκράτων χώρας.

Sanguis ille enim in salutem primogenitorum dumtaxat effundebatur: iste vero in remissionem peccatorum omnium hominum. Attende quam sint majora veteribus nova mysteria. Aptissime vero nunc *testamentum* nominavit, propter mortem propinquam. Testamentum enim condunt qui moriuntur. Quemadmodum igitur vetus testamentum mactationes & sanguines habebat; sic sane & no- D vum, Corpus & sanguinem Domini. Non ait porro: Hæc sunt symbola corporis mei & sanguinis mei: sed hæc sunt ipsummet corpus meum, & ipsemet sanguis meus. Igitur oportet non ad naturam propositorum attendere, sed ad eorum virtutem. Quemadmodum enim supernaturaliter divinizavit assumtam carnem: ita ineffabiliter immutat hæc in ipsum vivificum corpus ejus, & in ipsummet pretiosum ejus sanguinem, & in gratiam eorum. Habent vero quamdam similitudinem etiam panis ad corpus, & vinum ad sanguinem. Etenim panis & corpus terrena sunt. Vinum & sanguis calfaciunt. Et sicut panis corroborat, sic E etiam corpus Christi id ipsum præstat; immo magis, sanctificat nempe & corpus & animam. Atque sicut vinum exhilarat; sic etiam sanguis Christi id præstat, ac insuper fit tutela. Sin autem de uno corpore & sanguine omnes fideles participamus, omnes unum sumus per eamdem eorumdem mysteriorum participationem, & in Christo omnes, & Christus in omnibus. *Qui enim manducat*, ait, *carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo* [c]. Verbum namque carni unitum est per assumtionem: hæc rur-

[a] Exod. xix. 8. [b] Exod. xxiv. 7. 8. Hebr. ix. 19. 20. [c] Joan. vi. 56.

1. Inclusa omittit Cod. A.
2. τὸ κολάζειν Cod. A.
3. Inclusa in calce paginæ habet Cod. A.
4. εἰς τὸν κρατῆρα Cod. A.
5. λέγει, pro καλεῖ Cod. A.
6. ἐξεχεῖτο Cod. A.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.



προσλήψεως· αὕτη δὲ πάλιν ἑνοῦται ἡμῖν διὰ τῆς μεταλήψεως. αἵματος δὲ καὶ διαθήκης μνημονεύσας, τὸν θάνατον αὐτοῦ πάλιν ἐνέφηνε, τῇ πυκνότητι τῆς μνήμης ἀπαράδεκτον αὐτοῖς τοῦτον καθιστῶν. εἰ γὰρ καὶ πολλάκις τούτου προκαταγγελθέντος, ὅμως παρ' αὐτὸ τὸ πάθος ἐθορυβήσαν, τί οὐκ ἂν ἔπαθον μηδὲν προμαθόντες; Λουκᾶς δὲ λέγει, καὶ τοῦτο εἰπεῖν τότε τὸν κύριον, ὅτι τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. τοῦτό φησι, τὸ καινὸν μυστήριον, καὶ μὴ ἐκεῖνο τὸ παλαιόν. ἐκεῖνο μὲν γὰρ τὸ θυσίασμα εἰς ἀνάμνησιν ἐγίνετο τῆς ἐν Αἰγύπτῳ σωτηρίας τῶν Ἑβραϊκῶν πρωτοτόκων καὶ τῆς τῶν Ἑβραίων ἐλευθερίας· τοῦτο δὲ εἰς ἀνάμνησιν τοῦ δεσπότου. διὰ τῆς τοιαύτης γὰρ θυσίας ἀναμιμνησκόμεθα, ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ παρέδωκεν εἰς θάνατον ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐξέχεε. καὶ τῇ συνεχείᾳ τὴν μνήμην ἀνανεούμεθα. εἶδες πῶς μετέθηκε τοὺς μαθητὰς ἀπὸ τῆς παλαιᾶς θυσίας ἐπὶ τὴν καινήν; ποία γὰρ εἰκόνος ἔτι χρεία τοῖς ἤδη τὸ πρωτότυπον ἔχουσι; φησὶ δὲ ὁ Χρυσόστομος, ὅτι καὶ ὁ Χριστὸς πρῶτος τότε μετέσχε τοῦ μυστηρίου, ἵνα μὴ ἀηδισθῶσι, σαρκὸς καὶ αἵματος μεταλαβεῖν ἐπιτρεπόμενοι, καὶ τούτου δὲ τεκμήριον, τὸ εἰπεῖν αὐτόν·

A ſus unitur nobis per participationem. Dum vero mentionem facit ſanguinis & teſtamenti, mortem ſuam iterum oſtendit, refricatione memoriæ eam illis acceptabiliorem reddens. Si enim ea vel ſæpius prænuntiata, nihilominus ſub ipſum paſſionis tempus turbati ſunt; quid non fuiſſent paſſi ſi nihil in anteceſſum didiciſſent? Lucas vero ait, etiam iſtud dixiſſe tunc Dominum: *Hoc facite in meam commemorationem* [a]. *Hoc*, inquit, novum nempe myſterium, non vero illud vetus. Illud enim ſacrificium ad recordationem fiebat ſalutis, quam Hebræorum primogeniti in Ægypto fuerant conſequuti, ipſorumque liberationis. *Hoc* vero celebratur in commemorationem Domini. Per hoc B enim ſacrificium commemoramus, quod ſuum corpus tradiderit in mortem pro nobis, ſanguinemque ſuum fuderit. Jugi autem repetitione memoriam renovamus. Viden', quomodo tranſtulerit diſcipulos a vetuſto ſacrificio ad novum? Quæ enim adhuc neceſſitas uſuſve figuræ iis, qui jam ipſum exemplar obtinent? Ait vero Chryſoſtomus, etiam Chriſtum tunc primum participaſſe myſterii, ne ægre ferrent juſſi aſſumere carnem & ſanguinem. Hujus porro rei indicium eſt, quod ipſe dicat:

v. 29. Λέγω ...... πατρός μου.

Εἰ δὲ τοῦ ποτηρίου μετέσχε, μετέλαβεν ἄρα καὶ τοῦ ἄρτου. τὸ μὲν οὖν ἀπάρτι, σημαίνει τὸ ἀπὸ τοῦ νῦν. ἡμέραν δὲ ἐκείνην λέγει, τὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ καιρόν, ὅτι ἔφαγε καὶ ἔπιε μετὰ τῶν μαθητῶν, ὃ καὶ αὐτοὶ ποιούμενοι τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ ἀπόδειξιν ἔλεγον, [1] οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ. καινὸν δὲ, ἀντὶ τοῦ καινῶς καὶ παραδόξως. τοῦ σώματος γὰρ ἀθανατισθέντος, καὶ μηκέτι δεομένου βρώσεως ἢ πόσεως, ἔφαγε καὶ ἔπιεν, οὐ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ [2] πληροφορίαν, τοῦ μὴ φάσμα δοκεῖν. βασιλείαν δὲ καλεῖ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ ἐξουσίαν ὡς ἀνθρώπῳ μετὰ τὴν ἀνάστασιν. ἐδόθη μοι γάρ φησι, πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. τοῦ πατρός μου δὲ, τουτέστι τῇ ὑπὸ τοῦ πατρός μου δοθείσῃ μοι. τοῦτο δὲ εἶπε, καὶ διότι πρὸς αὐτὸν ἀναφέρει πάντα τὰ ἑαυτοῦ. ὁμοίως δὲ καὶ Μάρκος ἔγραψεν, ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. καὶ μὴν καὶ Λουκᾶς, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. βασιλείαν καὶ οὗτοι τὴν δηλωθεῖσαν λέγοντες ἐξουσίαν. ὁ δὲ Λουκᾶς ἔτι καὶ περὶ τοῦ νομικοῦ πάσχα φησὶν εἰπεῖν τὸν Χριστὸν, ὅτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ, δηλαδὴ, τῇ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα. καὶ τότε γὰρ ἐπιτελέσει τὸ πάσχα τελεώτερόν τε καὶ καθαρώτερον, θύων τὸν ἀπόρρητον λόγον τῆς θεότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, τῇ μαχαίρᾳ τῆς διδασκαλίας. καὶ διαιρῶν αὐτὸν καὶ διανέμων τοῖς ἀξίοις τῆς τοιαύτης μυσταγωγίας. τίς δὲ ἡ [3] πόσις καὶ ἡ ἀπόλαυσις; ἡμῶν μὲν τὸ μαθεῖν, ἐκείνου δὲ, τὸ διδάξαι καὶ κοινώσασθαι τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς τὸν λόγον, ὡς ὁ θεολόγος φησὶ Γρηγόριος, κάλλιστα περὶ τοῦ τοιούτου πάσχα φιλοσοφήσας. ἀλλὰ καὶ περὶ τούτων μὲν εἰς τοσοῦτον.

Τὰ δὲ τοῦ Λουκᾶ ῥητὰ μεταχειριστέον καὶ συμβιβαστέον ὡς οἷόν τε. λέγει γὰρ ἐκεῖνος τὸν Χριστὸν πρῶτον μὲν λαβεῖν ποτήριον καὶ εὐχαριστῆσαι καὶ εἰπεῖν, λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς, εἶτα λαβεῖν ἄρτον καὶ εὐχαριστῆσαι καὶ διανεῖμαι. ὡσαύτως [4] δὲ καὶ τὸ ποτήριον. καὶ δοκεῖ περὶ δύο ποτηρίων λέγειν. οὐκ ἔστι δὲ τοῦτο, ἀλλὰ πρῶ-

℣. 29. *Dico ..... patris mei.*

Si autem poculi participavit, participavit ergo C etiam panis. Igitur *amodo* ſignificat ab hoc tempore. *Diem illam* dicit tempus poſt reſurrectionem ſuam, quando comedit & bibit cum diſcipulis: quod & ipſi facientes, reſurrectionis ejus demonſtrationem dicebant: *Nos qui comedimus & bibimus cum eo.* [b] *Novum*, pro novo modo & ſtupendo. Corpore enim immortale effecto, nec amplius indigente cibo aut potu, comedit ac bibit; non propter neceſſitatem, ſed ad certam fidem faciendam, ne ſpectrum videretur. *Regnum* appellat datam ſibi poteſtatem ut homini poſt reſurrectionem. *Data eſt enim mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cælo, & ſuper terra* [c]. Illud *patris mei*, perinde valet, atque, eo regno quod a patre meo datum eſt mihi. Iſtud D vero dixit, etiam quia ad illum refert omnia ſua. Similiter quoque Marcus ſcripſit: *Cum illud bibam novum in regno Dei* [d]. Itidem Lucas: *Donec regnum Dei veniat* [e]. Regnum & hi vocant manifeſtatam poteſtatem. Lucas inſuper de legali paſcha ait dixiſſe Chriſtum: *Non comedam ex eo, donec impleatur in regno Dei* [f]. Regno nempe ſæculi futuri. Etenim tunc, perfectius puriuſque paſcha celebrabit, immolans ineffabile verbum divinitatis atque humanitatis ſuæ, gladio doctrinæ; illudque dividens ac diſtribuens dignis tanta eruditione. Quæ autem erit potatio ac fruitio? Noſtra quidem addiſcere, illius vero edocuiſſe atque communicaſſe diſcipulis ſuis verbum, ut theologus dixit Grego- E rius, pulcherrime de hujuſcemodi paſcha philoſophatus. Et de his quidam hactenus.

Lucæ jam dicta tractanda ſunt, & quantum fieri poteſt concilianda. Ait enim ille, Chriſtum quidem primo accepiſſe calicem, & gratias egiſſe atque dixiſſe: *Accipite hoc, & dividite vobis* [g]. Deinde accepiſſe panem, & gratias egiſſe ac diſtribuiſſe. Similiter autem & calicem. Ac videtur de duplici calice fuiſſe loquutus. At non eſt ita: ſed

a Luc. XXII. 19. b Act. X. 41. c Matth. XXVIII. 18. d Marc. XIV. 25. e Luc. XXII. 18. f Ibid. ℣. 16. g Ibid. ℣. 17.

1. ὅτι, pro οἵτινες dat Cod. A.
2. διὰ omittit Cod. A.
3. ποσότης, pro πόσις Cod. A.
4. δὲ omittit Cod. A.

τον μὲν ἔλαβε ποτήριον καὶ ηὐχαρίστησε καὶ εἶπε· λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς, εἶτα προσθεὶς, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ, τῷ φόβῳ τοῦ θανάτου αὐτοῦ διετάραξεν αὐτούς. οἷα δὲ εἰκὸς, διατριβῆς καὶ συγχύσεως γενομένης, ἀπέθετο τὸ ποτήριον, εἶτα καιροῦ τινος διελθόντος, γεγόνασι τὰ ἑξῆς, ἥτε τοῦ ἄρτου καὶ ἡ τοῦ ποτηρίου μετάδοσις. εἰπὼν γὰρ ὁ εὐαγγελιστὴς περὶ τοῦ ἄρτου, ὅτι εὐχαριστήσας ἔκλασε καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, εἶτα ἐπαγαγὼν, ὅτι ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον, ἔδειξεν, ὅτι ἐκεῖνο τὸ ποτήριον, ὃ πρότερον ἔλαβεν. οὐκ εἶπε γὰρ ὅτι ὡσαύτως καὶ ποτήριον, ἀλλ' ὅτι ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον, τῇ προσθήκῃ τοῦ ἄρθρου τὸ προεγνωσμένον δηλώσας. τὸ δὲ τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ ἐν τῷ αἵματί μου. εἰ καὶ δοκεῖ δύσφραστον, ἀλλ' οὐδὲν διαφέρει τοῦ λόγου τοῦ ῥηθέντος ὑπὸ Ματθαίου καὶ Μάρκου. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ εἶπον, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τουτέστι, ὃ ἡ καινὴ διαθήκη παραδίδωσιν. οὗτος δέ φησιν, ὅτι τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν, ἣν ἐγὼ διατίθεμαι νῦν, ἐντελλόμενος ὑμῖν οὕτω ποιεῖν, καινὴ δὲ τοῦτο διαθήκη ἐστὶν, ἐν τῷ αἵματί μου. ἡ γὰρ παλαιὰ διαθήκη ἀλόγου ζώου αἷμα εἶχεν, ὁμοίως δὲ καὶ τό· πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με, μετ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης, ὅμοιόν ἐστι τῷ, ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ, ἢ τῷ, ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα. τέθεικε δὲ τοῦτο Λουκᾶς μὲν μετὰ τὴν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ ἄρτου διανομὴν, Ματθαῖος δὲ καὶ Μάρκος πρὸ ταύτης. καὶ φαίνεται ὅτι δὶς εἶπε τοῦτο Χριστὸς; πρό τε τῆς μεταδόσεως τῶν μυστηρίων, ὅτε καὶ ἐν τῷ τρυβλίῳ βάπτοντες ἤσθιον, καὶ μετὰ τὴν μετάδοσιν, ὅτε τὸ τρυβλίον αὖθις [1] παρετέθη. καὶ τοῦτο δὲ πολλῆς ἄξιον ἀπορίας, πῶς τοῦ Ματθαίου φήσαντος, ὅτι ὁ Χριστὸς πρὸ τῆς διανομῆς τῶν μυστηρίων ἐφανέρωσε τὸν προδότην, ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτὸν τό· σὺ εἶπας, αὖθις ὁ Ἰωάννης μετὰ τὴν διανομὴν ἀγνοοῦντας ἱστορεῖ τοὺς μαθητὰς καὶ ἀπορουμένους, ὅτε καὶ ἑαυτὸν ὑπὸ Πέτρου παρορμηθέντα διερωτῆσαι λέγει τὸν διδάσκαλον, καὶ δοθῆναι σημεῖον τὸ βαφὲν ψωμίον. δῆλον [2] γὰρ, ὡς ὕστερον τοῦτο γέγονε. λαβὼν γάρ φησι τὸ ψωμίον ἐκεῖνος, εὐθέως ἐξῆλθε. τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐξηγηταῖς οὐδεμιᾶς ἐπιστασίας ἠξιώθη τὸ παρὸν ζήτημα. φιλοπονήσασι δὲ ἡμῖν, ὃ διεγνώσθη, ῥηθήσεται. νενοήκαμεν γὰρ, ὅτι πρὸ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου τῶν μαθητῶν κοινῶς ἐρωτησάντων, ὁ Χριστὸς πρῶτον μὲν ἔδωκε γνώρισμα κοινότερον τὸ, ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ, καὶ ὁ ἐμβαπτόμενος. καὶ γὰρ πάντες καὶ ἐνέβαψαν καὶ ἐνεβάπτοντο [3] ἔτι. εἶτα τοῦ προδότου ἰδικῶς ἐρωτήσαντος, προσέθηκεν ἰδικώτερον τὸ, σὺ εἶπας. ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον γνώρισμα πλεῖον συνεσκίαστο, τὸ δεύτερον δὲ, ἔλαττον. ὅμως δὲ καὶ τοῦτο συνεσκίαστο διὰ φιλανθρωπίαν, ὡς ἂν ἀπό τε τοῦ κοινοτέρου καὶ τοῦ ἰδικωτέρου γνοὺς [4] Ἰούδας, ὅτι οὐ λέληθε, μεταμεληθείη πρὸ τοῦ διαγνωσθῆναι τοῖς ἄλλοις μαθηταῖς. ἀλλ' οὗτοι μὲν οὔτε ἀπὸ τοῦ πρώτου γνωρίσματος, οὔτε ἀπὸ τοῦ δευτέρου δυνηθέντες νοῆσαι, τίς ὁ προδότης ἐστί· τὸ γὰρ, σὺ εἶπας, αἰνίγματι ἐῴκει. οὐδὲ γὰρ ἐκ τοῦ προφανοῦς ὡμολόγησεν, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀλλὰ κατ' ἐρώτησιν, μήτι ἐγώ εἰμι; ἡσύχασαν, μήποτε [5] καὶ προσονειδισθῶσιν ὡς ἀνόητοι. καὶ γὰρ καὶ ἄλλοτε τοῦτο πεπόνθασιν. Ἰούδας δὲ ἀπὸ τοῦ δευτέρου γνωρίσμα-


A primo quidem accepit calicem; & gratias egit ac dixit: *Accipite hoc, & dividite vobis*. Postea adjiciens, *Non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat* [a]; metu mortis suæ perculit illos. Ut autem par est suspensione ac confusione oborta, deposuit calicem. Mox elapso aliquo tempore, facta sunt quæ deinceps sequuntur, panis item & poculi traditio. Cum enim dixerit evangelista de pane: *Gratias agens fregit ac dedit eis* [b]: deinde subintulerit, *Similiter & calicem* [c]; ostendit illud poculum accepisse, quod prius acceperat. Non ait enim, *Similiter & calicem*; sed *similiter & illum calicem*, additione articuli præcognitum jam calicem demonstrans. Illud vero; *Hic calix,* B *novum testamentum in sanguine meo* [d], etsi videatur difficile explicatu, attamen nihil differt a sermone quem dixit Matthæus & Marcus. Illi enim dixerunt: *Hic est sanguis meus, novi testamenti* [e], id est quem novum testamentum tradit. Hic vero dicit: *Hic calix, novum testamentum est*, quod ego nunc testor, præcipiens vobis sic facere: *novum* autem *hic testamentum est in meo sanguine*. Vetus namque testamentum bruti animalis sanguinem habebat. Similiter quoque illud: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum in mensa* [f], simile est illi: *Qui comedit mecum* [g]: vel illi: *Qui intingit mecum in catino manum* [h]. Po- C suit porro istud Lucas quidem post poculi ac panis distributionem, Matthæus vero & Marcus ante illam. Cernitur vero, quod bis dixerit hoc Christus, & ante traditionem mysteriorum, quando etiam in catino intingentes comedebant; & postquam commendaverat mysteria, quando iterum catinus appositus est. Par est autem ut multum in hoc dubitatione hæreamus, quomodo cum Matthæus dixerit, quod Christus ante distributionem mysteriorum manifestavit proditorem, respondens illi *Tu dixisti* [i]; iterum Joannes post distributionem ignaros narret dubitantesque discipulos: quando & semet a Petro sollicitatum interrogasse dicit magistrum, datumque fuisse signum intinctam D buccellam. Patet enim hoc postea accidisse. *Accipiens* enim inquit *buccellam ille, statim exiit* [k]. Ac alii quidem interpretes nihil admodum dignati sunt in hac quæstione immorari: at a nobis, qui nullum detrectamus laborem, quod sentimus, dicetur. Putamus enim, quod ante panem & calicem communiter sciscitantibus discipulis; Christus primo quidem dederit communius quoddam signum, illud *Qui intingit mecum* [l], & *Qui intingitur* [m]: omnes enim & intinxerunt, & sunt intincti adhuc. Deinde proditore singulatim interrogante, adjecit specialius illud *Tu dixisti*. At enim prius indicium magis obscurum erat, secundum ... ro, minus. Nihilominus & hoc suis tenebris invo- E lutum erat propter benignitatem; ut tam a communi, quam a speciali indicio agnoscens Judas, quia nequaquam latebat, pœniteret eum antequam reliquis discipulis innotesceret. Sed isti quidem neque ex primo indicio, neque ex secundo valentes intelligere, quis esset proditor; illud enim, *Tu dixisti*, ænigmate simile videbatur. Neque enim manifeste fassus est, Ego sum: sed per interrogationem, *Numquid ego sum?* quieverunt, ut ne tamquam stolidi convicio exponerentur. Namque & alias id passi fuerant. At Judas ex secundo in-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.

[a] Luc. XXII. 18. [b] Ibid. ℣. 19. [c] Ibid. ℣. 20. [d] Ibid. [e] Matth. XXVI. 28. Marc. XIV. 24. [f] Luc. XXII. 21. [g] Marc. XV. 18. [h] Matth. XXVI. 23. [i] Ibid. ℣. 25. [k] Joan. XIII. 30. [l] Matth. XXVI. 23. [m] Marc. XIV. 20.

1. αὖθις μετετέθη Cod. A.
2. δῆλον γὰρ, ὡς. Hæc omittit Cod. A.
3. ἔτι omittit Cod. A.
4. ὁ Ἰούδας Cod. A.
5. καὶ omittit Cod. A.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.



τος συνῆκε μὲν, ὅτι διεγνώσθη τῷ Χριστῷ. λογισάμενος δὲ, ὅτι οὔπω τέως τοῖς μαθηταῖς πεφανέρωται, μὴ νενοηκόσιν ἔτι, τὸν ἀγνοοῦντα προσεποιεῖτο, τῆς τοῦ διδασκάλου καταθαῤῥῶν ἀνεξικακίας. μετὰ δέ γε τὴν τῶν μυστηρίων διανομὴν, πάλιν ὁ σωτὴρ ἐμαρτύρησεν, ἤγουν διεμαρτύρατο περὶ τῆς προδοσίας, ὡς ὁ Ἰωάννης ἔγραψεν, ἵνα ὁ Ἰούδας τοσαύτης ἀξιωθεὶς μακροθυμίας, καὶ μὴ προδήλως παραδειγματισθεὶς, [1] μηδὲ τῶν μυστηρίων ἀπελαθεὶς, ἀλλὰ καὶ τούτων ἐπίσης τοῖς [2] μαθηταῖς μετασχὼν, γένηται βελτίων καὶ σωφρονέστερος.

Εὐθὺς δὲ οἱ μαθηταὶ μηκέτι δυνηθέντες καρτερεῖν ἐπὶ πλεῖον· καὶ γὰρ ἠγωνίων, καὶ ἔβλεπον εἰς ἀλλήλους ἀπορούμενοι, περὶ τίνος λέγει· αὐτοὶ μὲν καὶ οὕτως οὐκ ἐτόλμησαν τὴν ἐρώτησιν, δι' ἣν εἰρήκαμεν B αἰτίαν, τῷ Ἰωάννῃ δὲ ταύτην ἐπέτρεψεν ὁ Πέτρος, ὡς ἠγαπημένῳ μάλιστα τῷ διδασκάλῳ, καὶ ἀνακειμένῳ τηνικαῦτα ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ. ὁ δὲ μεταστραφεὶς καὶ ἐπιπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ, μετ' εὐλαβείας ἠρώτησεν εἰς τὸ οὖς. καὶ λοιπὸν ὁ σωτὴρ συνιδὼν, ὅτι ἀνίατος ὁ Ἰούδας μένει, οὐδ' οὕτω μὲν ἐθριάμβευσεν αὐτόν. ἀπεκρίθη δὲ καὶ αὐτὸς εἰς τὸ οὖς, ὅτι ἐκεῖνός ἐστιν, ᾧ ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω. καὶ ἐμβάψας τὸ ψωμίον ἐπιδίδωσιν. Ἰούδας δὲ λαβὼν τὸ ψωμίον, καὶ γνοὺς, ὅτι τεκμήριον ἦν ἀπό τε τῆς τοῦ Χριστοῦ πρὸς Ἰωάννην κρυφίας κοινολογίας, καὶ ἀπὸ τοῦ μόνῳ αὐτῷ τοιοῦτον ψωμίον δοθῆναι· ἕτερον γὰρ ἦν τοῦτο παρὰ C τὸν διαμερισθέντα πᾶσιν ἄρτον· καὶ προσέτι ἀκούσας, [3] ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον, τουτέστι, ὃ σῷ λογισμῷ ποιεῖς, ποίησον καὶ τῷ ἔργῳ, ἤγγισε γὰρ ὁ καιρός· εἰ καὶ ἔτι τοῖς μαθηταῖς καὶ τὰ περὶ τοῦ ψωμίου ἠγνόητο, πρὸς μόνον ῥηθέντα κρυφίως τὸν Ἰωάννην, καὶ ὁ λόγος ἄδηλος ἦν πρὸς τί ἐῤῥήθη· τινὲς γάρ, φησιν, ἐδόκουν, ἐπεὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχεν Ἰούδας, ὅτι λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ἀγόρασον ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτὴν, ἢ τοῖς πτωχοῖς ἵνα τι δῷ. καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἐνεγκὼν τὴν αἰσχύνην, ὑπέλαβε γὰρ ἤδη πᾶσι φανερωθῆναι, τοῦτο δὲ καὶ φοβηθεὶς τοὺς μαθητὰς, μήπου καὶ διασπαράξωσιν αὐτὸν, εὐθέως ἐξῆλθε καὶ πρὸς τοὺς ἐπιβούλους ἀπῆλθε. ταῦτα δὲ πάντα μόνος ὁ Ἰωάννης D ἀπήγγειλεν, ὡς παραλελειμμένα τοῖς ἄλλοις.

Τὸ δὲ, ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτὴν, ἀπορίαν πολλοῖς τῶν ἐξηγητῶν ἐνεποίησε. τὴν γὰρ τοῦ πάσχα ἤδη ἑώρτασαν, ὡς προείρηται. δῆλον οὖν, ὅτι τινὲς μὲν τῶν μαθητῶν ἔμαθον τὸν σκοπὸν τοῦ διδασκάλου, καθ' ὃν προεώρτασε τὸ πάσχα· τινὲς δὲ ἀγνοοῦντες, ἐδόκουν ὅτι ἔτι τοῦτο ἑορτάσει καὶ κατὰ τὴν παρασκευήν· ἢ καὶ τὴν τῶν ἀζύμων ἑορτὴν ὑποληπτέον. διατί δὲ λέγεται ἀγαπᾶν τὸν Ἰωάννην ὁ κύριος, καὶ διατί ἀνέκειτο ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ, ῥηθήσεται, Θεοῦ διδόντος, ἐν τῇ ἐξηγήσει τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου. εἰ δὲ Λουκᾶς μέν φησιν εἰσελθεῖν τὸν σατανᾶν εἰς Ἰούδαν πρὸ τοῦ συλλαλῆσαι τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ στρατηγοῖς περὶ προδοσίας, [4] E Ἰωάννης δὲ μετὰ τὸ ψωμίον, οὐκ ἐναντιολογοῦσι. πρότερον μὲν γὰρ ὁ σατανᾶς ἀπόπειραν ἐποιήσατο, καὶ διεκωδώνισε [5] τὸν ἄθλιον, ὕστερον δὲ γνοὺς ἀφορισθέντα ὡς ἀδιόρθωτον, θαῤῥήσας ἐπεπήδησεν, οὐ τῶν θείων δὲ μυστηρίων καταφρονήσας εἰσεῤῥύη. πῶς γάρ; ἀλλ' ἀνάξιον αὐτὸν εἰδὼς τῆς τούτων μεταλήψεως, καὶ μηδὲν ἐντεῦθεν ὠφελημένον.

A dicio intellexit quidem, se agnitum esse Christo. Reputans nihilominus, se necdum discipulis innotuisse, apud non intelligentes adhuc ignorantem simulabat, magistri temere confisus indulgentia. At post mysteriorum distributionem, iterum salvator testatus est, sive testimonium perhibuit de proditione, ut Joannes scripsit, quo Judas tanta dignatus longanimitate, nec manifeste traductus, neque a mysteriis repulsus, sed & illorum ex æquo cum discipulis particeps, melior fieret & prudentior.

Statim autem discipuli non amplius diutius valentes temperare sibi; exagitabantur enim animo, seseque mutuo respiciebant, incerti de quo diceret; B ipsi ne sic quidem ausi sunt interrogare, propter eam quam innuimus caussam. At Joanni illud committit Petrus, quippe dilecto maxime a magistro, & recumbenti tunc in sinu illius. At ille conversus & innixus pectori ejus, reverenter interrogavit ad aurem: ac ceteroquin sciens salvator insanabilem esse Judam, ne sic quidem palam illum traduxit. Respondit vero & ipse ad aurem, esse eum, *cui ego intinctam buccellam tradidero* [a]. Atque buccellam intingens porrigit. Judas vero buccellam accipiens, sciensque quod indicium erat, tum ex Christi cum Joanne communi collocutione, tum etiam quia illi soli hujusmodi buccella tradebatur; alia enim erat C hæc a pane omnibus distributo: ac insuper audiens; *Quod facis, fac citius* [b]; id est, quod tua cogitatione facis, fac & opere, appropinquavit enim tempus: Etsi adhuc discipulis quæ buccellam attinebant ignota erant, quippe ad solum Joannem occulte dicta, atque sermo obscurus erat, ad quid fuisset dictus: *Nonnulli enim*, ait *putabant quia marsupium habebat Judas, Jesum dixisse ei, Eme quæ opus habemus ad festum, vel ut aliquid daret pauperibus* [c]. Itaque tum quia ferre non poterat ruborem, putabat namque se jam omnibus manifestum factum; tum quia etiam metuebat discipulos, ne forte dilacerarent eum, statim egressus est, & ad insidiatores se recepit. Hæc omnia solus Jo- D annes retulit, tamquam ab aliis prætermissa.

Illud porro, *Quæ opus habemus ad festum*, dubitationem multis interpretibus ingessit. Festum enim paschale jam celebraverant, ut antea dictum est. Liquet igitur, quod nonnulli ex discipulis attigerunt scopum magistri, cur prævenerit paschæ celebrationem: alii vero id ignorantes, putabant illud adhuc celebraturum etiam secundum parasceven. Vel cogitandum est de festo azymorum. Cur vero dicitur Jesus diligere Joannem, & cur recubuisse in sinu ejus, dicetur Deo dante in expositione evangelii secundum Joannem. Enimvero etsi Lucas quidem dicat ingressum satanam in Judam ante- E quam colloqueretur cum pontificibus ac ducibus de proditione; Joannes autem dicat post buccellam, non sibi invicem adversantur. Prius enim satanas periculum fecit tentavitque miserum hominem, ac postea sciens segregatum veluti inemendabilem, ausus est insilire: non tamen divina mysteria contemnens insinuavit sese; quei enim? sed indignum eum cernens horum participatione, nullumque ex illis emolumentum consequutum.

a Joan. XIII. 26. *b* Ibid. ℣. 27. *c* Ibid. ℣. 29.

1. καὶ μηδὲ Cod. A. 2. τῶν μαθητῶν Cod. A.
3. ὅτι ὃ Cod. A. 4. Ἰωάννη sic Cod. A.
5. Vide de hoc vocabulo Harpocrat. p. 51. & Aristoph. Ran. v. 79. & 735. Priori in loco Aristophanis scholium Cod. Mosq. dat δοκιμάσω, ἐκ μεταφορᾶς τῶν νομισμάτων. Ibid. in scholiis editis corrige ψοφοδεεῖς, pro ψοφώδεις. Altero in loco scholia Cod. Mosq. habent ἐξητασμένοις. Lexicon ineditum: διακωδωνισθέντες, ἤτοι διαφημισθέντες. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον δὲ λέγεται ἐπὶ τῶν διαπαιζομένων. (Hactenus consentit quoque Glossar. Cyrill.) τέτακται καὶ ἐπὶ τοὺς διαπειρασθέντας. οὕτως Λυσίας ὁ ῥήτωρ. ἀπὸ δὲ τῶν ἵππων μετενήνεκται. εἰώθασι γὰρ οὕτω δοκιμάζειν τοὺς γενναίους ἵππους, εἰ μὴ καταπλήσσονται τὸν ἐν πολέμῳ θόρυβον, τοὺς κώδωνας ψοφοῦντες.

v. 30. Καὶ ὑμνήσαντες ..... ἐλαιῶν.

Ηὐχαρίστησε μὲν πρὸ τῆς διανομῆς, ὕμνησε δὲ μετὰ τὴν διανομὴν, ἵνα καὶ ἡμεῖς οὕτω ποιῶμεν, εὐχαριστοῦντες καὶ δοξάζοντες τὸν ἀξιοῦντα ἡμᾶς τοιούτων ἀγαθῶν. ἐξῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, ἵνα μὴ δόξῃ κρύπτεσθαι, καὶ ἵνα μὴ στάσις ἐν τῇ πόλει γένηται δι' αὐτόν. τὸ δὲ ὄρος τῶν ἐλαιῶν πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων ἦν, κατὰ τὴν Ἰωάννου γραφὴν, ὅπου ἦν καὶ κῆπος, εἰς ὃν εἰσῆλθεν αὐτὸς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· ᾔδει δέ φησι καὶ Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν τὸν τόπον, ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. δῆλον οὖν, ὅτι τὰ πολλὰ ἔξω διενυκτέρευεν ἐν τοῖς ὄρεσι· τοῦτο μὲν ἵνα ἐχῇς ἀπερισπάστως χάριν, τοῦτο δὲ καὶ ἵνα κοινωνῇ τοῖς μαθηταῖς λόγων μυστικωτέρων. πρὸ μέντοι τοῦ ἐξελθεῖν εἰς τὸ ὄρος πολλὰ εἶπεν, ὧν τὰ μὲν ὁ Λουκᾶς, τὰ δὲ ὁ Ἰωάννης ἱστόρησαν.

℣. 30. *Et hymno dicto .... olivarum.*

Gratias egit ante distributionem, post distributionem hymnum dixit, ut & nos hoc faciamus, gratias agentes glorificantesque Deum, qui nos dignatus est tantis bonis. Exiit in montem olivarum, ne videretur occultari, & ne seditio in civitate fieret propter illum. Mons vero olivarum *erat trans torrentem cedrorum*, juxta quod Joannes scribit, *ubi erat etiam hortus, in quem intravit ipse & discipuli ejus. Sciebat*, inquit, *& Judas qui tradebat eum locum, quia sæpe convenerat Jesus illuc cum discipulis suis* [a]. Liquet igitur, eum ut plurimum foris pernoctasse in montibus, tum ut sine distractione oraret, tum etiam ut cum discipulis conferret secretiores sermones. Et ante quidem quam exiret in montem multa loquutus est, ex quibus quædam Lucas, alia Joannes narravit.

v. 31. Τότε λέγει ..... ποίμνης.

Σκανδαλισθήσεσθε, ἀντὶ τοῦ σαλευθήσεσθε τὴν εἰς ἐμὲ πίστιν, ἤγουν φεύξεσθε. τοῦ προφήτου δὲ Ζαχαρίου τὸ ἑξῆς ῥητόν. λέγεται δὲ ὁ πατὴρ πατάξαι τὸν υἱὸν, ὡς παταχθῆναι αὐτὸν συγχωρήσας, εἴτουν ἀναιρεθῆναι. δηλοῦται δὲ καὶ [1] ἐντεῦθεν; ὅτι κατὰ γνώμην τοῦ πατρὸς ἀναιρεθήσεται διὰ τὴν οἰκονομίαν.

℣. 31. *Tum ait .... gregis.*

Scandalizabimini, pro vacillabitis ea fide quam in me habetis, aut etiam fugam capietis. Porro quod deinceps dicitur, Zachariæ prophetæ effatum est. Dicitur pater percussisse filium, ut qui eum percuti tulerit, sive interfici. Apparet etiam ex hoc loco, quod de sententia patris occidendus sit propter œconomiam.

v. 32. Μετὰ δὲ ...... Γαλιλαίαν.

Προειπὼν τὰ λυπηρὰ, προλέγει καὶ τὰ παραμυθούμενα. προάξω δὲ, ἀντὶ τοῦ προλάβω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐκεῖ ἐκδεχόμενος.

℣. 32. *Postquam autem .... Galilæam.*

Præfatus tristia, præloquitur & ea quæ consolatione afficiant. *Præcedam*, est pro prævertam vos in Galilæam, ibi præstolaturus.

v. 33. Ἀποκριθεὶς .... σκανδαλισθήσομαι.

Δέον μάλιστα δεηθῆναι καὶ εἰπεῖν, κύριε βοήθησον ἡμῖν, ὁ δὲ τρία ὁμοῦ πταίει. πρῶτον, ὅτι ἀντεῖπε καὶ τῷ προφήτῃ καὶ τῷ Χριστῷ· δεύτερον, ὅτι τῶν ἄλλων ἑαυτὸν [2] προέθηκε· τρίτον, ὅτι ἑαυτῷ μόνῳ, καὶ οὐ τῇ βοηθείᾳ τοῦ Θεοῦ τεθάῤῥηκε. διὸ καὶ συγχωρεῖται πεσεῖν, ἵνα συσταλῇ, καὶ μάθῃ, μὴ σφόδρα θαῤῥεῖν ἑαυτῷ, καὶ παιδευθῶσι καὶ ἕτεροι. ὅπερ δέ φησι Λουκᾶς, ὅτι Σίμων Σίμων, ἰδοὺ ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς καὶ τὰ ἑξῆς, καθ' ἕτερον εἶπε καιρὸν, πρὸ τοῦ ἐξελθεῖν εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. διὸ καὶ ἑτέρου λόγου εἰσὶν ἐκεῖνα.

℣. 33. *Respondens .... scandalizabor.*

Cum oporteret suppliciter orare ac dicere: Domine, adjuva nos; ille potius tripliciter simul labitur. Primo, quia contradixit & prophetæ & Christo: secundo, quia seipsum reliquis prætulit: tertio, quia in se ipso dumtaxat, & non in Dei auxilio confidit. Itaque labi permittitur, ut in seipsum redeat, discatque, non nimium sibi fidere, atque alii etiam erudiantur. Quod vero dicit Lucas: *Simon, Simon; ecce Satanas depoposcit vos &c.* [b], de alio tempore dixit, antequam exiretur in montem olivarum. Ideoque & alterius sermonis sunt illa.

v. 34. Ἔφη ...... ἀπαρνήσῃ με.

Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι· ἀντὶ τοῦ, πρὶν τὰς φωνὰς πληρῶσαι τῆς ἀγωγῆς· εἴωθε γὰρ ὁ ἀλέκτωρ καθ' ἑκάστην ἀγωγὴν πολλάκις φωνεῖν, εἶτα διαναπαύεσθαι, καὶ μετά τινα καιρὸν πάλιν ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς φωνεῖν. τοῦτο δὲ Μάρκος ἐσαφήνισεν εἰπών· σὺ σήμερον ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με. ἄρνησιν δὲ λέγει, τὴν τοῦ μὴ εἰδέναι αὐτόν. φησὶ γὰρ ὁ Λουκᾶς, οὐ μὴ φωνήσῃ σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με.

℣. 34. *Ait ..... abnegabis me.*

Antequam gallus cantet, pro antequam cantus absolvat certi temporis. Solet enim gallus certo quovis tempore sæpe canere, deinde quiescere, ac paullo post iterum aliud facere canendi principium. Hoc Marcus explicavit inquiens: *Tu hodie in nocte hac antequam vel bis gallus cantet, ter abnegabis me* [c]. Negationem vocat, assertionem quod eum non nosset. Ait enim Lucas: *non cantabit hodie gallus, antequam vel ter abneges non nosse me* [d].

v. 35. Λέγει ...... ἀπαρνήσομαι.

Ὅσον διαβεβαιοῦται ὁ Χριστὸς, τοσοῦτον ὁ Πέτρος ἀντισχυρίζεται. σφοδρὸν γὰρ ἐν αὐτῷ τὸ πά-

℣. 35. *Dicit ..... abnegabo.*

Quantum confirmat Christus, alterum tantum Petrus in contrarium suadere nititur. Vehemens e-

a Joan. XVIII. 1. 2. b Luc. XXII. 31. c Marc. XIV. 30. d Luc. XXII. 34.

1. καὶ omittit Cod. A. addit autem mox ante ὅτι.

2. πρόθηκε Cod. A.

Sæcul. XI.
circa
Ann. Chr.
1090.



θος τῆς ἐφ' ἑαυτῷ πεποιθήσεως. διὸ καὶ χαλεπὸν ὑφίσαται ναυάγιον, ἔρημος τῆς παρὰ Θεοῦ βοηθείας ἀπολειφθεὶς, καὶ ἐλεγχθεὶς ὅτι ἀσθενής ἐστιν. ὅρα γοῦν μετὰ ταῦτα, πῶς κατεσταλμένος ἐστί. καὶ γὰρ μετὰ τὴν ἀνάστασιν εἰπὼν περὶ τοῦ Ἰωάννου, [1] κύριε οὗτος δὲ τί; καὶ ἐπιστομισθεὶς, αὐτίκα σεσίγηκε. καὶ πρὸ τῆς ἀναλήψεως ἀκούσας, οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς, ὁμοίως ἡσύχασε. καὶ μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς ὀθόνης ἐνωπισθεὶς, ὅτι ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου, καὶ οὐδὲ σαφῶς εἰδὼς τὸ ῥηθὲν, ὅμως οὐκ ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν. ταῦτα δὲ πάντα τὸ πτῶμα ἐκεῖνο τῆς ἀρνήσεως κατώρθωσε. καὶ πρὸ τούτου μὲν ἑαυτῷ τὸ πᾶν τῆς πίστεως ἀνετίθει, λέγων, ἐγὼ δὲ οὐδέποτε σκανδαλισθήσομαι, καὶ οὐ μή σε [2] ἀπαρνήσομαι, δέον παρακιρνᾷν τοῖς λόγοις, ὅτι ἐὰν ἔχω σε βοηθόν· ὕστερον δὲ ἐπὶ τοῦ χωλοῦ διαῤῥήδην ἔλεγεν, ὅτι ἡμῖν τί ἀτενίζετε, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν; ἐντεῦθεν οὖν μέγα δόγμα [3] μανθάνομεν, ὡς οὔτε ἀνθρωπίνη προθυμία κατορθοῖ τι χωρὶς τῆς θείας ῥοπῆς, οὔτε θεία ῥοπὴ κέρδος φέρει χωρὶς ἀνθρωπίνης προθυμίας. καὶ ἀμφοτέρων παραδείγματα Πέτρος καὶ Ἰούδας. ὅθεν χρὴ μήτε τὸ πᾶν ἐπὶ τὸν Θεὸν ῥίψαντας καθεύδειν, μήτε σπουδάζοντας, τὸ πᾶν ἑαυτοὺς οἴεσθαι κατορθοῦν. οὔτε γὰρ τὸ πᾶν ὁ Θεὸς ἐργάζεται, ἵνα μὴ ἀργοὶ μένωμεν, οὔτε τὸ πᾶν ἡμῖν ἐφίησιν, ἵνα μὴ καυχώμεθα, ἀλλ' ἑκατέρου τὸ βλαβερὸν ἀφελὼν, τὸ χρήσιμον ἡμῖν ἀπολέλοιπεν. ἀφῆκεν οὖν τὸν κορυφαῖον πεσεῖν, οὐ μόνον διὰ τὰς ῥηθείσας αἰτίας, ἀλλὰ καὶ ἵνα πλεῖον ἀγαπήσῃ. ᾧ γὰρ πλεῖον ἀφεθῇ, πλεῖον ἀγαπήσει. καὶ ἡμεῖς τὸ νῦν πειθώμεθα πανταχοῦ τῷ Θεῷ, καὶ μὴ ἀντιλέγωμεν. καὶ εἰ τὸ παρ' αὐτοῦ λεγόμενον ἐναντίον εἶναι δοκεῖ τοῖς ἡμετέροις λογισμοῖς καὶ ταῖς ὄψεσι, καὶ ἔσω καὶ λογισμῶν καὶ ὄψεων κυριώτερος ὁ λόγος αὐτοῦ. οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων ποιῶμεν, μὴ τὰ προκείμενα μόνον βλέποντες, ἀλλὰ τοῖς λόγοις τοῦ δεσπότου πειθόμενοι. καὶ ἐπειδή φησι τοῦτο ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ τοῦτο ἐστι τὸ αἷμά μου, καὶ πειθώμεθα καὶ πιστεύωμεν. καὶ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος αἰσθητὸν μὲν τὸ ὕδωρ, ἀλλὰ νοητὸν τὸ δῶρον, ἡ ἀναγέννησις. ἐπεὶ γὰρ σώματι συμπέπλεκται ἡμῶν ἡ ψυχὴ, ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Θεός.

A nim erat in illo paſſio perſuaſionis ſuæ. Itaque infelix etiam ſubit naufragium, derelictus a divino auxilio, convictuſque quod infirmus eſſet. Attende igitur deinceps, quomodo humiliatus fuerit. Etenim poſt reſurrectionem cum dixiſſet de Joanne: *Domine; hic autem, quid?* [a] atque repreſſus fuiſſet, ſtatim conticuit. Et ante reſurrectionem cum audiſſet: *Non eſt veſtrum cognoſcere annos vel tempora* [b], ſimiliter quievit. Ac poſtea cum occaſione lintei inaudiſſet: *Quæ Deus mundavit, tu ne communia dixeris* [c], nec manifeſte ſciret quid ſibi hoc dictum vellet, nihilo tamen minus non eſt auſus contradicere. Hæc porro omnia lapſus ille negationis egregia comparavit. Et antea quidem ſibimet quidquid eſſet fidei attribuebat, inquiens: *Ego autem numquam ſcandalizabor* [d]; & *Non te negabo:* cum oporteret intexere dictis, Siquidem te auxiliatorem habuero. Poſtea vero in negotio claudi palam eloquebatur: *In nos quid oculos intenditis, tamquam propria virtute aut pietate auctores fuerimus ambulationis ejus* [e]*?* Hinc igitur magnum dogma addiſcimus, quod neque humana voluntas rectum quid agit abſque divino momento; neque divinum momentum utilitatem affert abſque humana voluntate: & utrorumque exempla fuere Petrus & Judas. Quapropter oportet, nec rem totam in Deum projicientes obdormiſcere; neque rei curam gerentes, totam eam noſmet putare poſſe laudabiliter perficere. Quia nec totum Deus operatur, ut ne otioſi maneamus: nec totum nobis relinquit, ut ne gloriemur. Sed quod in utroque noxium eſt auferens, quod utile eſt nobis reliquit. Sivit igitur apoſtolorum principem labi, non modo propter jam dictas cauſſas, ſed ut etiam amplius amaret: cui enim amplius dimittitur, amplius amabit. Et nos interim obtemperemus ubique Deo, neque contradicamus. Ac ſi quod ab eo dicitur, contrarium videatur eſſe noſtris cogitatibus & obtutibus; ſit etiam noſtris cogitatibus & obtutibus potior dominus ſermo illius. Sic & in venerabilibus myſteriis faciamus, non quæ ſenſibus objiciuntur modo reſpicientes, ſed verbis dominicis perſuaſi. Et cum dicat: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus*, & perſuadeamur & credamus. Etenim etiam in baptiſmo ſenſibilis aqua eſt; at donum ſpirituale, regeneratio. Quia enim corpori conjuncta eſt anima noſtra, in ſenſibilibus intelligibilia tradidit nobis Deus.

v. 35. Ὁμοίως ...... εἶπον.

Μιμησάμενοι καὶ αὐτοὶ τὸν Πέτρον.

℣. 35. *Similiter . . . . . . dixerunt.*

Imitati & ipſi Petrum.

v. 36. Τότε .... ἐκεῖ.

Μόνος ἄπεισιν εἰς προσευχὴν, διδάσκων, ὅτι χρὴ τὸν θερμῶς προσεύχεσθαι μέλλοντα, μεμονωμένον προσεύχεσθαι.

[Ὡς ἄνθρωπος προσηύξατο, διδάσκων τοὺς ἀνθρώπους ἐν πειρασμοῖς προσεύχεσθαι, καὶ εἰς Θεὸν ἀνατείνεσθαι, καὶ ἐκτενέστερον ἐπικαλεῖσθαι τὴν ἐκείνου βοήθειαν. In marg. a manu prima B. Eadem paullo inferius.]

℣. 36. *Tunc . . . . . . ibi.*

Solus abit ad orandum, docens oportere eum, qui fervide oraturus ſit, ſolitarium orare.

(Ut homo oravit, docens homines ut in tentationibus orent, atque in Deum intendant, necnon impenſius ejus imploret auxilium.)

hæc leguntur quoque in Cod. A. in marg. ſed

v. 37. Καὶ παραλαβὼν ..... ἀδημονεῖν.

[Ἐστι δειλία φυσικὴ, μὴ θελούσης τῆς ψυχῆς διαιρεθῆναι τοῦ σώματος, διὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐντεθεῖσαν αὐτῇ παρὰ τοῦ δημιουργοῦ φυσικὴν συμπάθειαν

℣. 37. *Et aſſumens . . . . . triſtem eſſe.*

(Eſt pavor naturalis, nolente anima ſeparari a corpore, propter inſitum illi ab initio a creatore conſenſum & proprietatem. Eſt etium pavor

a Joan. XXI. 21. b Actor. I. 7. c Actor. X. 15. XI. 9. d Matth. XXVI. 33. e Actor. III. 12.

3. Pro κύριε, dat καὶ Cod. A. 3. ἀπαρνήσωμαι Cod. A. 4. μανθάνωμεν Cod. A.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.



τε καὶ οἰκειότητα. καὶ ἔστι δειλία παρὰ φύσιν, ἐκ προδοσίας λογισμῶν καὶ ἀπιστίας συνισταμένη, ὡς ὅταν τις ἐν νυκτὶ δειλιᾷ διὰ τὰ φάσματα καὶ τοὺς ψόφους. ταύτην δὲ τὴν δειλίαν, ὡς παρὰ φύσιν ὁ Χριστὸς οὐ προσήκατο. In marg. a prima manu B. & A.]

A præter naturam, qui constat ex proditione cogitationum & infidelitate, ut cum quis noctu pavet propter spectra & rumores. Hic pavor, ut præter naturam, in Christum non cadebat.)

Οὐκ εἰς τὴν προσευχὴν παρέλαβεν αὐτοὺς, ἀλλὰ πρὸ τῆς προσευχῆς ἰδίᾳ τῶν ἄλλων μαθητῶν, ὥστε μόνον ἐνδείξασθαι αὐτοῖς τὰ τῆς λύπης. Μάρκος δέ φησιν, ὅτι ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι, ἤγουν δειλιᾶν. ἐφῆκε γὰρ τῇ φύσει πάσχειν τὸ ἴδιον. ἀδημονεῖν δὲ νῦν, τὸ βαρυθυμεῖν νοεῖται. τὴν μὲν οὖν λύπην καὶ βαρυθυμίαν ἐνδείκνυται, δεικνύων ὅτι ὥσπερ τὰ πάντα Θεός ἐστιν, οὕτω καὶ τὰ πάντα ἄνθρωπος. ἴδιον δὲ ἀνθρωπίνης φύσεως, λυπεῖσθαι διὰ τὸν θάνατον, καὶ μάλιστα τὸν βίαιον, καὶ φοβεῖσθαι τοῦτον. B μόνοις δὲ τούτοις ἐνδείκνυται, ὡς μόνοις θεωροῖς γεγονόσι καὶ τῆς ἐν τῇ μεταμορφώσει θείας δόξης αὐτοῦ, καὶ μᾶλλον τῶν ἄλλων δυναμένοις μὴ θορυβηθῆναι [1] καὶ καταπεσεῖν.

Non ad orandum assumsit eos, sed ante orationem seorsim ab aliis discipulis, ut illis solum dolorem ostenderet. Marcus vero ait: *Cœpit obstupescere* [a], id est pavere. Permisit enim naturæ, ut quod proprium erat ejus pateretur. *Tristem esse* heic acerbo animo esse intelligas. Dolorem igitur animique acerbitatem præsefert, ostendens, quod sicut omnino Deus est, sic & prorsus homo. Proprium porro humanæ naturæ est, doleri propter mortem, B præsertim violentam, eamque expavescere. Solis autem istis se prodit, quippe qui soli spectatores fuerunt etiam ejus in transfiguratione divinæ gloriæ, ac plus ceteris valebant non perturbari atque concidere.

v. 38. Τότε ...... μετ' ἐμοῦ.

Φανερώτερον ἐξαγορεύει τὴν ἀσθένειαν τῆς φύσεως, ὡς ἄνθρωπος. τὸ δὲ ἕως θανάτου, ἀντὶ τοῦ, ὡς ἐν θανάτῳ. γρηγορεῖν δὲ μετ' αὐτοῦ κελεύει, παραμυθίας ἕνεκεν, ὡς ἔθος τοῖς ἐν περιστάσεσιν. εἶτα καὶ τούτους ἀφίησιν ἐκεῖ, καὶ μόνος ἄπεισιν εἰς τὴν προσευχήν.

℣. 38. *Tunc . . . . . . mecum.*

Manifestius exponit infirmitatem naturæ, ut homo. Illud, *Usque ad mortem*, ponitur pro, *ut in morte*. Jubet ut secum vigilent, consolationis gratia, ut solent qui in angustiis reperiuntur. Deinde & hos ibi relinquit, & solus abit oraturus.

C

v. 93. Καὶ προελθὼν ..... αὐτοῦ.

Λουκᾶς δὲ καὶ τὸ μέτρον τοῦ διαστήματος εἶπεν, ὅτι ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν, ὡσεὶ λίθου βολήν.

℣. 39. *Et procedens . . . . . . suam.*

Lucas etiam mensuram distantiæ retulit: *Divulsus est ab eis, ut jactus lapidis* [b].

v. 39. Προσευχόμενος ..... ὡς σύ.

Εἰπὼν μὲν, ὅτι εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο, ἔδειξε τὴν ἀνθρωπίνην δειλίαν, ποτήριον λέγων, τὸ τοῦ θανάτου. εἰπὼν δὲ, ὅτι πλὴν οὐχ' ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σὺ, ἐδίδαξεν, ὅτι καὶ τῆς φύσεως ἀνθελκούσης, χρὴ ἕπεσθαι τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ, καὶ προτιμᾶν αὐτὸ τοῦ ἰδίου θελήματος, ὡς λυσιτελέστερον. D τὸ δὲ πλὴν οὐχ' ὡς ἐγὼ θέλω, σαφέστερον ὁ Λουκᾶς ἀπήγγειλεν εἰπών· πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου, ἀλλὰ τὸ σὸν [2] γινέσθω. Μάρκος δέ φησιν, ὅτι προσηύχετο, [3] ἵνα εἰ δυνατόν ἐστι παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὥρα, ἤγουν ἡ τοῦ θανάτου. καὶ [4] ὅτι ἔλεγεν, ἀββὰ ὁ πατὴρ, πάντα δυνατά σοι· παρένεγκε τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ τοῦτο, ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ. τὸ μὲν οὖν ἀββὰ, ἑβραϊκὴ λέξις ἐστὶ, σημαῖνον τὸ, ὁ πατήρ. διὸ καὶ ἡ ἑρμηνεία τούτου προσετέθη. τὸ δὲ, οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σὺ, ἐλλιπὴ εἰσιν. ἐλλείπει γὰρ τὸ, γινέσθω. ἔστι γὰρ τὸ πλῆρες, ὅτι γινέσθω οὐχ' ὃ ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὃ σύ. παρὰ δὲ τῷ Λουκᾷ γέγραπται, πάτερ, εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ. E καὶ ἔστι καὶ τοῦτο ἐλλιπές. ἐλλείπει γὰρ τὸ, παρένεγκε. ὡς ἄνθρωπος δὲ εἶπεν εἰ δυνατόν ἐστιν, ἀντὶ τοῦ εἰ ἐνδεχόμενον. ἀνθρώπινον γὰρ τὸ ἐπιδοιάζειν. ὡς γὰρ Θεὸς ἐγίνωσκεν, εἴτε δυνατὸν ἦν, εἴτε ἀδύνατον. εἰκὸς δὲ πάντα ῥηθῆναι ἀνὰ μέρος. εἰώθαμεν γὰρ ἐν ταῖς προσευχαῖς διαφόρως τὸ αὐτὸ λέγειν.

℣. 39. *Orans. . . . . . sicut tu.*

Cum dixisset; *Si possibile est, transeat a me calix iste*, ostendit humanum pavorem, calicem commemorans mortis. At dicens: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, docuit quod etiam reluctante natura oporteat sequi Dei voluntatem, illamque anteferre voluntati propriæ, tamquam id D utilius. Illud, *Verumtamen non sicut ego volo*, evidentius Lucas retulit dicens: *Verumtamen non voluntas mea, sed tua fiat* [c]. Marcus autem dicit: *Orabat, ut si possibile est, transiret ab ipso hora* [d], mortis videlicet: ac dixisse; *Abba, pater, omnia possibilia tibi: remove calicem a me istum, sed non quod ego volo, at quod tu* [e]. Porro *abba* hebraica vox est, significans *pater*: ideoque etiam ejus interpretatio adjecta est. Illud, *Non quod ego volo, sed quod tu*, sunt loquutiones ellipticæ: deficit enim verbum *fiat*. Plena loquutio esset: *Fiat, non quod ego volo, sed quod tu*. Apud Lucam vero scriptum est; *Pater, si vis removere calicem hunc a me* [f]: estque & hoc ellipticum: deficit namque E verbum *remove*. Ut homo autem dixit, *Si possibile est*, pro *si fas est*. Humanum est enim dubitare. Ut Deus namque sciebat, sive possibile esset, sive impossibile. Par autem est ut omnia per partes dicantur, consuevimus namque in orationibus diversimode idem dicere.

a Marc. xiv. 33. *b* Luc. xxii. 41. *c* Ibid. ℣. 42. *d* Marc. xiv. 35. *e* Ibid. ℣. 36. *f* Luc. xxii. 42.

1. καὶ omittit Cod. A.
2. γενέσθω Cod. A.
3. ἵνα omittit Cod. A.
4. ὅτι omittit Cod. A.

A

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.



ʋ. 40. Καὶ ἔρχεται ...... οὕτως;

Τὸ οὕτως, κατ' ἐρώτησιν ἠθικὴν ἀναγνωστέον, ἐνέτρεψε γὰρ αὐτὸν, καίτοι καὶ τῶν ἄλλων καθευδόντων. ἀλλὰ τούτου διαφερόντως καθήψατο, ὡς προπετεστέρου, λέγων, οὕτως ὑπέσχου;

℣. 40. *Et venit ...... sic?*

Illud *sic* per interrogationem moralem legendum est: redarguit enim eum, quamvis & aliis dormientibus. At hunc maxime castigavit, tumquam audaciorem, inquiens: siccine pollicebaris?

ʋ. 40. Οὐκ .... μετ' ἐμοῦ,

Σοὶ ἐμοὶ ἀποθανεῖν ἐπηγγείλασθε, καὶ οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ; Μάρκος δέ φησιν, ὅτι λέγει τῷ Πέτρῳ· Σίμων καθεύδεις; οὐκ ἴσχυσας μίαν ὥραν γρηγορῆσαι; προηγουμένως μὲν γὰρ πρὸς ἐκεῖνον ἀπετείνατο, εἶτα καὶ B πρὸς τοὺς ἄλλους,

℣. 40. *Non ...... mecum?*

Mecum vos morituros profitebamini, & non potuistis unam horam vigilare mecum? Marcus vero ait: *Dicit Petro: Simon dormis? non potuisti unam horam vigilare?* [a] Principaliter enim in eum invehebatur, deinde & in alios.

ʋ. 41. Γρηγορεῖτε ..... πειρασμόν,

Μὴ θαῤῥεῖτε ἑαυτοῖς, μηδὲ ἐπαγγέλλεσθε μεγάλα, ἀλλὰ προσέχετε καὶ προσεύχεσθε, μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν. τινὲς δὲ πειρασμὸν ἐνταῦθα, τὸν τῆς ἀρνήσεως ἑρμηνεύουσι.

℣. 41. *Vigilate ...... tentationem.*

Ne vobis fidatis, neque grandia polliceamini: sed attendite & orate, ne intretis in tentationem. Quidam heic tentationem negationis interpretantur.

ʋ. 41. Τὸ μὲν ..... ἀσθενής,

Η μὲν ψυχὴ προθυμεῖται καὶ κατατολμᾷ τοῦ κινδύνου. ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενὴς οὖσα, ὑποστέλλεται καὶ οὐκ εὐτονεῖ. διὸ προσήκει μὴ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς C προθυμίαν βλέποντας, θρασύνεσθαι, ἀλλὰ πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς ἀσθένειαν ὁρῶντας μετριοφρονεῖν.

℣. 41. *Equidem ...... infirma.*

Anima quidem studet, & contemnit periculum: at caro quippe infirma, veretur, nec nervos intendit. Itaque convenit non audaces esse respicientes ad animæ studium, sed carnis infirmitatem contemplantes sobrie sapere.

ʋ. 42. Πάλιν ...... θέλημά σου,

Ο δὲ Μάρκος ἔγραψεν, ὅτι τὸν αὐτὸν λόγον εἶπεν, ὃν καὶ πρότερον, εἰκὸς δὲ, καὶ ἐκεῖνον καὶ τοῦτον εἰπεῖν.

℣. 42. *Iterum ...... voluntas tua.*

Marcus autem scripsit, *Eumdem sermonem dixit, quem prius* [b], Verosimile est & illum & hunc dixisse.

ʋ. 43. Καὶ ἐλθὼν ..... βεβαρημένοι,

Βεβάρηντο οὐ τῷ ὕπνῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ λύπῃ, καθὼς εἶπε Λουκᾶς· ἤδη γὰρ ἐπληροφορήθησαν περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ. ὁ δὲ Μάρκος εἶπεν, ὅτι καὶ οὐκ D ᾔδεισαν τί αὐτῷ ἀποκριθῶσιν,

℣. 43. *Et veniens ...... gravati.*

Gravati erant non somno dumtaxat; sed & dolore, quemadmodum dixit Lucas. Jam enim certo persuasi erant de morte illius. Marcus vero dixit: *Nec sciebant quid ei responderent* [c].

ʋ. 44. Καὶ ἀφεὶς ..... εἰπών,

Ἐκ δευτέρου μὲν καὶ ἐκ τρίτου προσηύξατο, διδάσκων, ὅτι χρὴ πολλάκις προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἀποκάμνειν. ἦλθε δὲ τὸ δεύτερον πρὸς τοὺς μαθητὰς ἐλέγχων τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν, ὡς μηδὲ μετὰ τὴν ἐπιτίμησιν βελτιωθέντων, ἀλλὰ καὶ τοσοῦτον βεβαπτισμένων τῷ ὕπνῳ, ὅσον μηδὲ δύνασθαι ἀποκριθῆναι αὐτῷ. διὸ οὐδὲ καθήψατο αὐτῶν τηνικαῦτα. Λουκᾶς δὲ πλατύτερον εἶπε, καὶ ὅτι ὤφθη αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτὸν, ἤγουν ἰσχύειν καὶ κραταιοῦσθαι ἐπιφθεγγόμενος, ὡς ἀνθρώπῳ. E καὶ ὅτι καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο, παιδεύων ἡμᾶς ἐν ἀνάγκαις ἐκτενέστερον προσεύχεσθαι, καὶ ὅτι ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. θρόμβοι [1] δὲ αἵματος, οἱ παχύτατοι σταλαγμοὶ τοῦ αἵματος. τοῦτο δὲ εἶπε, δηλῶν οὐχ' ὅτι αἷμα ἵδρωσεν, ἀλλ' ὅτι παχεῖς κατῆγεν ἱδρῶτας ὑπὸ τῆς ἀγωνίας. ἵνα γὰρ μὴ δόξῃ ὑπόκρισις τὸ γινόμενον, οὐκ ἐπὶ τοῦ προσώπου μόνον ἐνδείκνυται τὴν λύπην, ἀλλὰ καὶ φανερώτερον ἐξαγορεύει ταύτην, καὶ προσεύχεται πυκνότερον, καὶ ἄγγελος αὐτῷ φαίνεται

℣. 44. *Et relinquens ...... dicens.*

Iterum atque tertio oravit, docens oportere sæpius orare, nec defatigari. Venit autem iterum ad discipulos, redarguens imbecillitatem eorum, tamquam nec post increpationem facti meliores; sed usque adeo obruti somno, ut ne possent quidem respondere ei. Quapropter nec redarguit eos heic. Lucas pluribus dixit, quod etiam *apparuit ei angelus de cælo confortans eum* [d], idest dicens illi ut confortaretur & roboraretur, ut homini nempe. Præterea, quod *factus in agonia intensius orabat* [e]; erudiens nos, ut in necessitatibus impensius oremus. Ad hæc, quod *fuit sudor ejus velut globuli sanguinis descendentes in terram* [f]. Globuli porro sanguinis, sunt concretiores guttæ sanguinis. Id porro dixit, indicans, non quod sanguine sudarit, sed quod concretos exprimebat sudores propter animæ luctam. etenim ne simulatio videretur quod fiebat, non in vultu dumtaxat præseferebat dolorem, sed & manifestius exponit illum, & crebrius orat, angelusque apparet ei ad fortitudinem ungens *. Et adhuc a-

a Marc. XIV. 37. *b* Ibid. ℣. 39. *c* Ibid. ℣. 40. *d* Luc. XXII. 43. *e* Ibid. ℣. 44. *f* Ibid.

1. Lexicon inedit. θρόμβος· πεπηγὸς αἷμα.

* Metaphora ex athletis accepta.

πρὸς [1] ἀνδρείαν ἐπαλείφων. καὶ ἔτι ἀγωνιᾷ καὶ ἐκτενέστερον προσεύχεται, καὶ ἱδρῶτες ἀδροὶ καταρρέουσι, καὶ πάντα ταῦτα καὶ ποιεῖ καὶ πάσχει, βεβαιῶν, ὅτι οὐ κατὰ φαντασίαν ἐνηνθρώπησεν, ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν. εἰ γὰρ καὶ τούτων ἀνθρωποπρεπῶς οὕτω γενομένων, καὶ τῆς μαρτυρικῆς καταδεεστέρου γενναιότητος, ὅμως εἰσί τινες ἀπιστοῦντες τῇ ἐνανθρωπήσει αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον ἠπίστουν ἄν, εἰ μὴ ταῦτα γέγονεν. ἄξιον δὲ ζητῆσαι, πόθεν οἱ εὐαγγελισταὶ μαθόντες συνεγράψαντο, τί τε προσευχόμενος εἶπε τηνικαῦτα, καὶ ποσάκις προσηύξατο, καὶ ἁπλῶς τὰ περὶ τοῦ ἀγγέλου καὶ τὰ ἑξῆς. οἱ μαθηταὶ γὰρ πάντες τότε μὲν ἐκάθευδον, ὕστερον δὲ ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον. δοκεῖ γάρ μοι, μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτὸς ὁ διδάσκαλος εἰπεῖν καὶ ταῦτα τοῖς μαθηταῖς, ὅτε δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος ἦν αὐτοῖς, ὡς ἡ βίβλος φησὶ τῶν πράξεων.

nimo luctatur intentiusque orat, atque sudores solidi defluunt: & hæc omnia facit ac patitur, confirmans quod non phantastice incarnatus fuerit, sed vere. Si enim vel istis ut in hominem cadit sic evenientibus, ignobiliusque quam testata illius generositas ferebat; nihilominus non desunt quidam, qui incarnationi ejus fidem derogant: quanto magis derogassent, si hæc non contigissent? Par est vero quærere, undenam evangelistæ edocti scripserint, & quid orans dixerit tunc, & quoties orarit, ac simpliciter quæ angelum concernunt, & cetera deinceps? Discipuli enim omnes tunc quidem dormiebant, mox autem relinquentes eum fugerunt. Videtur equidem mihi, quod post resurrectionem ipsemet magister & hæc dixerit discipulis, quando per dies quadraginta visus fuit ipsis, sicut dicit liber Actuum.

v. 45. Τότε ...... ἀναπαύεσθε.

Ἐντρέπων αὐτοὺς τοῦτο λέγει καὶ καθαπτόμενος, οἷα κοιμωμένων ἐν καιρῷ κινδύνου, καὶ τῶν πολλῶν αὐτοῦ περὶ τοῦ γρηγορεῖν καὶ προσεύχεσθαι παραγγελιῶν ἐπιλαθομένων, ὡσανεὶ λέγων· ἐπεὶ μέχρι τοῦ νῦν οὐκ ἐγρηγορήσατε, τὸ λοιπὸν καθεύδετε καὶ ἀναπαύεσθε, εἰ δύνασθε.

℣. 45. *Tunc ...... requiescite.*

Castigans eos hoc dicit atque perstringens, tamquam dormientes tempore periculi, oblitosque præceptorum ejus, quæ multa dederat de vigilando & orando: quasi diceret; Quandoquidem hactenus non vigilastis, jam dormite & requiescite, si potestis.

v. 45. Ἰδοὺ ἤγγικεν ἡ ὥρα.

Ἡ τῆς προδοσίας. Μάρκος δέ φησιν, εἰπεῖν αὐτὸν, πρὸ τοῦ λόγου τούτου, ὅτι ἀπέχει, τουτέστιν, ἔλαβε τὴν κατ' ἐμοῦ ἐξουσίαν ὁ διάβολος. ἢ ἀπέχει τὰ κατ' ἐμὲ, ἤγουν πέρας ἔχει. καὶ γὰρ καὶ παρὰ τῷ Λουκᾷ εἴρηκεν, ὅτι τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει.

℣. 45. *Ecce appropinquavit hora.*

Proditionis nempe. Marcus vero ait dixisse eum ante hunc sermonem: *Obtinet* [a], id est, accepit contra me potestatem diabolus. Vel, *obtinet* quidquid contra me est, id est terminum habet. Etenim etiam apud Lucam ait: *Quæ de me sunt, finem habent* [b].

v. 45. Καὶ ὁ ..... ἁμαρτωλῶν.

Τοῦτο σαφές.

℣. 45. *Et filius ...... peccatorum.*

Hoc expositione non indiget.

v. 46. Ἐγείρεσθε ..... παραδιδούς με.

Κἀντεῦθεν ἔδειξεν, ὅτι ἑκὼν ἀποθανεῖται· προειδὼς γὰρ ἐρχομένους τοὺς περὶ τὸν προδότην, οὐ μόνον οὐκ ἔφυγεν, ἀλλὰ καὶ εἰς ἀπάντησιν αὐτῶν ἐξιέναι παρασκευάζεται, λέγων· ἄγωμεν πρὸς αὐτούς. Λουκᾶς δέ φησιν εἰπεῖν αὐτὸν τοῖς μαθηταῖς, τί καθεύδετε; ἀναστάντες προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. εἰκὸς δὲ τοῦτο πρῶτον εἰπεῖν, εἶτα ἐπειπεῖν τὸ, ἐγείρεσθε ἄγωμεν.

℣. 46. *Expergiscimini ...... qui tradit me.*

Heic quoque ostendit, se sponte mori. Cum enim prævideret venturum proditorem cum suis, non modo non fugiit, sed & in occursum ejus obviam ire aggreditur, dicens: *Eamus ad eos.* Lucas ait dixisse eum discipulis: *Quid dormitis? surgentes orate, ut non intretis in tentationem* [c]. Probabile est, hoc prius dixisse, postea dixisse illud: *Surgite, eamus.*

v. 47. Καὶ ἔτι ..... τοῦ λαοῦ.

Εἷς τῶν δώδεκα [2] πρόσκειται γνώρισμα, δηλοῦν, ὅτι ἐκ τοῦ πρώτου χοροῦ τῶν μαθητῶν ἦν. καὶ ἔστι μὲν τοῦτο κατηγορία τοῦ Ἰούδα. καθάπτεται δὲ καὶ τῶν ἄλλων μαθητῶν, ἀλλ' οὐκ ἐπαισχύνονται τοῦτο γράφοντες οἱ εὐαγγελισταί. πανταχοῦ γὰρ τῆς ἀληθείας φροντίζουσιν. ὁ δ' Ἰωάννης περὶ τοῦ Ἰούδα φησὶν, ὅτι λαβὼν τὴν σπεῖραν, καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας, ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὅπλων. ἡ σπεῖρα [3] μὲν οὖν ἦν τάγμα στρατιωτικὸν, χρήμασιν ἀναπεισθεῖσα. φανοὶ δὲ τὰ λεγόμενα φανάρια.

℣. 47. *Et adhuc ...... populi.*

Unus ex duodecim, apponitur ceu tessera indicans, eum fuisse ex primario choro discipulorum. Est vero id accusatio quædam Judæ: perstringit nihilominus etiam alios discipulos, sed non erubescunt id scribere evangelistæ. Ubique enim de veritate solliciti sunt. Joannes autem de Juda dicit, quod *Accipiens cohortem & a pontificibus atque Pharisæis ministros, venit eo cum lanternis & lampadibus & armis* [d]. Cohors erat agmen militare opibus conductum: lanternæ, sunt *phanalia*.

a Marc. XIV. 41. b Luc. XXII. 37. c Ibid. ℣. 46. d Joan. XVIII. 3.

1. ἀνδρείαν Cod. A.
2. πρόσκειται Cod. A.
3. Lexicon inedit. σπεῖρα· συνάξις, πλῆθος στρατιωτῶν.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.

A

v. 48. Ὁ δὲ ...... αὐτόν.

[Προδότης [1] μὲν κατὰ τὸν Ἰούδαν ὁ [2] προδιδοὺς τὸν λόγον τοῖς πάθεσι, καὶ τὴν ἀνομίαν τῆς ψυχῆς τῇ παρανομίᾳ τῶν πράξεων. ἀρνεῖται δὲ αὐτὸν, κατὰ τὸν Πέτρον, ὁ διὰ φόβον τὸ καλὸν παραιτούμενος.] μετὰ τοσοῦτον [3] δὲ ἔλεγχον, λαθεῖν ἐσπούδαζεν, ὅτι αὐτὸς αὐτὸν προδιδῶσι, διὸ καὶ ἐκ τοῦ φανεροῦ μὲν οὐ προδίδωσιν, σχηματίζεται δὲ τὸ φίλημα θαῤῥήσας τῇ ἡμερότητι τοῦ σωτῆρος, ὅτι οὐκ ἀπώσεται αὐτόν. ὃ καὶ μᾶλλον ἱκανὸν ἦν ἐντρέψαι τοῦτον καὶ πάσης ἀποστερῆσαι συγγνώμης, ὅτι τὸν οὕτω πρᾳότατον προεδίδου. φοβηθεὶς δὲ, μήποτε διαφύγῃ τοὺς ἐπιβάλλοντας, ὃ πολλάκις ἐποίησε, B παρήγγειλεν, ὅτι κρατήσατε αὐτὸν καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς. τοῦτο γὰρ ὁ Μάρκος προσέθηκεν. ἀλλ' ὁ Χριστὸς ἐλέγχων αὐτὸν μάτην ἐξασφαλιζόμενον, καὶ δεικνύων, ὅτι οὐκ ἂν τοῦτον ἄκοντα καθέξοιεν, ἐξελθὼν εἶπεν αὐτοῖς, ὡς ὁ Ἰωάννης ἱστόρησε, τίνα ζητεῖτε; ἀπεκρίθησαν αὐτῷ, Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον. λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἐγώ εἰμι. εἱστήκει δὲ καὶ [4] Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν μετ' αὐτῶν. ὡς [5] οὖν εἶπεν αὐτοῖς, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί· ὢ λόγου δυνάμεως. οὐκ ἴσχυσαν ὑπενεγκεῖν τὸ ἐγώ εἰμι [6] μόνον. διὸ καὶ φανοὺς μὲν καὶ λαμπάδας ἔχοντες, [7] ἐτυφλοῦντο μετὰ τοῦ προδότου. μαχαίραις δὲ καὶ ξύλοις ὡπλισμένοι τυγχάνοντες, παρελύοντο καὶ κατέπιπτον. ἐπεὶ δὲ ἔδειξε τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ, τότε λοιπὸν συνεχώρησε, καὶ πάλιν αὐτοὺς ἐπηρώτησε, τίνα C ζητεῖτε; οἱ δὲ εἶπον, Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, εἶπον ὑμῖν, ὅτι ἐγώ εἰμι· εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε, ἄφετε τούτους ὑπάγειν. ὁ δὲ Ἰούδας καὶ τούτων οὕτω γινομένων, οὐ μετεβλήθη κἂν γοῦν μικρὸν, οὐδὲ τῶν δεδογμένων ἀπέσχετο.

℣. 48. *Qui autem ...... illum.*

Proditor de Juda dicitur, qui prodidit sermonem passionibus, æquitatemque animi iniquitate operum. *Negat eum;* dicitur de Petro, qui propter metum quod honestum erat repudiabat. Post tantam vero redargutionem, latere satagebat, quod ipse eum proderet. Iccirco etiam manifeste non eum prodit, simulat quinimmo osculum, audaciam sumens ex mansuetudine salvatoris; quod scilicet non esset repulsurus illum. Istud vero vel magis debebat eum pudore suffundere, omnique privabat venia, cum adeo mansuetum proderet. Veritus autem ne insidiatoribus elaberetur, (quod sæpe fecerat) mandat, *Tenete eum & adducite secure* [a]; hoc enim Marcus adjecit. At Christus arguens eum quod frustra securitatem quæreret, ostendensque quod se invitum non tenerent; exiens ait illis, ut Joannes scripsit, *Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, Ego sum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum, cum illis. Ut autem dixit eis, Ego sum; abierunt retro, & ceciderunt in terram* [b]. O verbi virtutem! Haud potuerunt sustinere modo illud, *Ego sum*. Quocirca laternas & lampadas habentes cæci effecti sunt una cum proditore. Gladiis vero & lignis armati cum essent, hebetes effecti corruere. Ubi autem potentiam suam ostendisset, tunc demum permisit, ac *iterum eos interrogavit, Quem quæritis? illi vero dixerunt, Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quod ego sum. Si igitur me quæritis, sinite hos abire* [c]. Judas vero, tametsi hæc ita obvenissent, ne vel tantillum mutatus est, neque a sententia destitit.

v. 49. Καὶ εὐθέως ...... αὐτόν.

Φησὶ δὲ [8] καὶ Λουκᾶς εἰπεῖν τὸν Χριστὸν πρὸς Ἰούδαν, ἐγγίσαντα φιλῆσαι αὐτόν· Ἰούδα, φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως; μακροθύμως γὰρ ἐξεῖπεν αὐτῷ καὶ τὸν σκοπὸν τοῦ φιλήματος, καὶ προσωνείδισε ποιήσαντι τὸ σύμβολον τῆς ἀγάπης, σύμβολον προδοσίας. D καὶ ὅμως οὐκ ἀπώσατο, ἀλλὰ καὶ τὸ φίλημα ἐδέξατο, καὶ παρέσχεν ἑαυτὸν εἰς [9] ἀπαγωγήν. ὁ δὲ καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ τοσαύτην λαβὼν ἀπόδειξιν, καὶ τῆς ἐπιεικείας καὶ ἡμερότητος, θηρίου παντὸς χαλεπώτερος ἔμενεν.

℣. 49. *Et statim ...... eum.*

Ait vero & Lucas dixisse Christum ad Judam accedentem ad osculandum eum: *Juda, osculo filium hominis prodis* [d]? Cum longanimitate enim indicavit ei osculi quoque scopum, exprobravitque illi quod faceret symbolum dilectionis, symbolum proditionis. Nihilominus eum non repulit a se, quin & osculum suscepit, exhibuitque se abducendum. Ast ille, quamvis tanta potentiæ illius accepta demonstratione, benignitatis item ac mansuetudinis, omni fera truculentior perseveravit.

v. 50. Ὁ δὲ .... πάρει;

Ὅρα εὐσπλαγχνίαν ἀνεκδιήγητον. ἄχρι γὰρ καὶ παρεδόθη, ἐκήδετο τοῦ προδότου. διὸ καὶ νῦν ἑταῖρον ὠνόμασε τὸν ἔχθιστον. τὸ δὲ ἐφ' ᾧ πάρει, οὐκ ἐρωτηματικῶς ἀναγνωστέον. ἐγίνωσκε γὰρ, ἐφ' ᾧ παρεγένετο, ἀλλ' ἀποφαντικῶς. δηλοῖ δέ, ὅτι διὸ παραγέγονας· ἤγουν τὸ κατὰ σκοπὸν πρᾶττε, τοῦ προσχήματος E ἀφέμενος. σκοπὸς μὲν γὰρ ἦν ἡ προδοσία· πρόσχημα δὲ, τὸ φίλημα καὶ ὁ λόγος.

℣. 50. *Ille vero .... ades?*

Vide inenarrabilem misericordiam! usque dum etiam traditus est curam proditoris gessit. Quare & nunc *amicum* nominavit, qui inimicissimus erat. Illud vero, *ad quid ades*, non interrogative legendum est; sciebat enim cur advenisset: sed enuntiative. Ostendit vero, *Ideo advenisti*: vel, Quod tibi propositum est fac, omissa simulatione. Proposita namque illi erat proditio: simulatio erat, osculum & sermo.

v. 50. Τότε ...... αὐτόν.

Κατὰ τὸ σύνθημα.

℣. 50. *Tunc ...... illum.*

Ex composito nempe.

a Marc. XIV. 44. b Joan. XVIII. 4. 5. 6. c Ibid. ℣℣. 7. 8. d Luc. XXII. 48.

1. Inclusa Codex A. habet in margine, sed a prima manu.
2. παραδοὺς Cod. A.
3. δὲ omittit Cod. A.
4. καὶ omittit Cod. A.
5. οὖν omittit Cod. A.
6. μόνον habet Cod. A. paullo ante post ὑπενεγκεῖν.
7. Post ἔχοντες addit Cod. A. καί.
8. καὶ omittit Cod. A.
9. ὑπαγωγὴν Cod. A.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.

A

v. 51. Καὶ ἰδοὺ ...... ὠτίον.

Ο δὲ Λουκᾶς ἔγραψεν, ὅτι ἰδόντες οἱ περὶ αὐτὸν τὸ ἐσόμενον, εἶπον [1] αὐτῷ, κύριε, εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ; καὶ ἐπάταξεν εἷς τις ἐξ αὐτῶν τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ οὖς τὸ δεξιόν. ὁ δ' Ἰωάννης ἐδήλωσε καὶ τὸν πατάξαντα. [2] Σίμων οὖν Πέτρος ἔχων μάχαιραν, εἵλκυσεν αὐτὴν, καὶ ἔπαισε τὸν τοῦ ἀρχιερέως δοῦλον, καὶ [3] ἀπέκοψεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον τὸ δεξιόν. ἦν δὲ [4] ὄνομα τῷ δούλῳ Μάλχος. ἔτι γὰρ τῶν ἄλλων ἐρωτώντων, αὐτὸς οὐκ ἀναμείνας τὴν ἀπόκρισιν, οἷα θερμότατος, ἐπάταξεν μὲν κατὰ τῆς κεφαλῆς, ἀπέκοψε δὲ τὸ ὠτίον. B εἶχον γὰρ δύο μαχαίρας, ὡς ἔφη Λουκᾶς, ἀπὸ τοῦ δείπνου ταύτας, ὡς ἔοικε, λαβόντες, μεγάλας οὔσας, ὥστε χρῆσθαι πρὸς ἄμυναν τῶν ἐπιέναι μελλόντων. ἰδὼν δὲ τὸ γεγονὸς ὁ Χριστὸς, εἶπεν· ἐᾶτε ἕως τούτου. καὶ ἀψάμενος τοῦ ὠτίου αὐτοῦ ἰάσατο αὐτόν. ὁ αὐτὸς δὲ καὶ τοῦτό φησι Λουκᾶς. εἰπὼν μὲν οὖν ὁ Χριστὸς, ὅτι ἕως τούτου, ἐνέφηνεν, ὅτι κατ' οἰκονομίαν ἀφῃρέθη τὸ οὖς ὁ δοῦλος τοῦ ἀρχιερέως, εἰς σημεῖον τοῦ ἀφαιρεθῆναι τοὺς ἀρχιερεῖς ὑπὸ φθόνου τὸ ἀκούειν τῶν περὶ αὐτοῦ προφητειῶν, ἤγουν τὸ συνιέναι ταύτας. ἰασάμενος δὲ αὐτὸν ἔδειξε μὲν καὶ τὸν εἰς αὐτοὺς ἔλεον, καὶ ὅτι ἠμύνατο ἂν αὐτοὺς εἴπερ ἤθελεν. ἐδίδαξε δὲ καὶ ὅτι χρὴ μᾶλλον εὐεργετεῖν τοὺς κακῶς ποιοῦντας. ἀλλὰ πῶς ὁ μὴ ἀμύνεσθαι C προσαχθεὶς πατάσσει ἐν μαχαίρᾳ; πρῶτον μὲν οὐχ' ὑπὲρ ἑαυτοῦ τοῦτο πεποίηκεν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ διδασκάλου. ἔπειτα καὶ οὔπω τέλειος ἦν· ὕστερον δὲ βλέπε τοῦτον μυρία πάσχοντα καὶ πρᾴως ἅπαντα ὑπομένοντα. θαυμάσειε δ' ἄν τις, πῶς οὐ συνέλαβον καὶ τοὺς μαθητὰς καὶ κατέκοψαν, διὰ τὸ γεγενημένον εἰς τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως. ἀλλ' ὄντως ἡ πηρώσασα καὶ ῥίψασα τούτους δύναμις, ἐκείνη καὶ τότε διεσκέδασε τὸν ἐπὶ τῇ ἀποκοπῇ τοῦ ὠτίου θυμὸν αὐτῶν.

℣. 51. *Et ecce ...... auriculam.*

Lucas scripsit: *Videntes qui circa eum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus quidam ex illis servum pontificis, & abstulit ejus aurem dexteram* [a]. Joannes vero & qui percusserat declaravit: *Simon ergo Petrus habens gladium extraxit illum, & cecidit pontificis servum, & detruncavit ejus auriculam dexteram. Erat autem nomen servo Malchus* [b]. Adhuc enim aliis interrogantibus, ille haud exspectans responsionem, quippe fervidissimus, cecidit quidem in capite, at detruncavit auriculam. Habebant enim duos gladios, ut dixit Lucas, acceptos, ut videtur, a cœna, qui magni erant, adeo ut illis uti possent ad ulciscendum aggressores. Videns autem quod evenerat Christus, dixit: *Sinite hactenus. Et tacta auricula ejus, sanavit eum* [c]. Idem Lucas & istud dicit. Dicens porro Christus, *hactenus*, ostendit quod per dispensationem ablata fuerat auris servi pontificis, in signum quod ablatus fuerat a pontificibus propter invidiam auditus prophetiarum, quæ de illo erant, sive intellectus earum. Sanans vero illum ostendit & misericordiam in eos quoque, & quod ultionem sumere utique poterat de illis si voluisset. Edocuit insuper, quod oporteat potius benefacere iis qui male nos tractant. At quomodonam is qui jussus est non ulcisci, percutit in gladio? Primo quidem, non pro se hoc fecit, sed pro magistro. Deinde necdum perfectus erat. Postea enim videris hunc infinita patientem, & mansuete omnia perferentem. Mirabitur vero fortasse quispiam, quomodo non captivaverint & ciderint etiam discipulos, propter id quod usuvenerat in servo pontificis. At revera virtus, quæ cæcaverat & in terram cadere fecerat eos, ipsa eadem etiam tunc disjecit iram eorum ob truncationem auriculæ.

v. 52. Τότε λέγει ..... ἀποθανοῦνται.

D Ἐπιτιμήσας αὐτῷ, ἐδίδαξε μηδ' ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ χρῆσθαι μαχαίρᾳ, διὰ δὲ τῆς μαχαίρας καὶ πᾶν ὅπλον ἐκώλυσε. τὸ δὲ πάντες οἱ λαβόντες μάχαιραν, προφητεία ἐστὶ τῆς διαφθορᾶς τῶν ἐπελθόντων αὐτῷ Ἰουδαίων. ὁ δ' Ἰωάννης εἰπεῖν αὐτὸν λέγει καὶ ὅτι τὸ ποτήριον, ὃ [5] δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό; δεικνύοντα, ὅτι οὐ τῆς ἐκείνων δυνάμεώς ἐστι τὸ γινόμενον, ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς παραχωρήσεως, καὶ ὅτι ὑπήκοός ἐστι τῷ πατρὶ μέχρι θανάτου.

℣. 52. *Tunc dicit ...... morientur.*

Redarguto eo, ostendit ne pro Deo quidem utendum gladio: & per gladium omnia arma prohibuit. Illud *Omnes qui acceperunt gladium*, vaticinium est de interitu aggredientium eum Judæorum. Joannes ait, eum dixisse: *Calicem quem dedit mihi pater, nonne bibam illum* [d]? Quo ostendit, non eorum esse virtutis quod agitur, sed a patre permitti, cum sit patri *obediens usque ad mortem* [e].

v. 53. Ἢ δοκεῖ ...... ἀγγέλων;

Λεγεὼν ἐστι τάγμα στρατιωτικὸν πολυάριθμον. οὐκ εἶπε δὲ, ὅτι, δύναμαι αὐτοὺς ἀπολέσαι, ἵνα E μὴ δόξῃ λέγειν ἀπίθανα, διὰ τὰ προλαβόντα πάθη, τὴν λύπην, τὴν δειλίαν, τὴν ἀγωνίαν, τοὺς ἱδρῶτας, καὶ ὅσα πρὸ μικροῦ πέπονθεν ὡς ἄνθρωπος. οὔπω γὰρ τὴν προσήκουσαν περὶ αὐτοῦ ὑπόληψιν εἶχον. διὰ τοῦτο οὖν ταπεινὰ φθέγγεται. τοσαύτας δὲ λεγεῶνας εἶπεν ἀγγέλων, ἵνα ἐκ περιουσίας παραθαῤῥύνῃ τούτους, ἀποτεθνηκότας τῷ δέει. καὶ γὰρ εἷς ἄγγελος, ἑκατὸν ὀγδοηκονταπέντε χιλιάδας ἀνεῖλεν ἐν βραχεῖ πάλαι.

℣. 53. *Aut videtur tibi ...... angelorum?*

Legio, est agmen militare vario numero. Non ait autem, Possum ipsos perdere; ne videretur improbabilia loqui, propter objectas passiones, dolorem puta, timorem, agoniam, sudores, & quæcumque haud ita multo ante pertulerat ut homo. Neque enim adhuc ut par erat de illo sentiebant animo. Propterea igitur humilia loquitur. Tot vero dixit legiones angelorum, ut lautius illis animos sufficeret, qui mortui pavore erant. Unus enim angelus centum octoginta quinque millia olim momento sustulit.

a Luc. XXII. 49. 50. b Joan. XVIII. 10. c Luc. XXII. 51. d Joan. XVIII. 11. e Philipp. II. 8.

1. αὐτῷ omittit Cod. A.
2. Post πατάξαντα Cod. A. addit εἰπών.
3. ἀπέκοψεν, vitiose Cod. A.
4. τὄνομα, sic pro τοὔνομα Cod. A.
5. ὃ ἔδωκε Cod. A.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.

A

v. 54. Πῶς ...... γενέσθαι.

Εἰ μὴ οὕτως ἀναιρεθῶ, φησι, πῶς πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ αἱ προφητικαὶ, ὅσαι περὶ τοῦ θανάτου μου διεξίασιν, αἱ γράφουσαι, ὅτι οὕτως δεῖ γενέσθαι, ὅτι οὕτως χρὴ ἀποθανεῖν με;

℣. 54. *Quomodo ...... fieri?*

Nisi ita neci tradar, inquit, quomodo implebuntur scripturæ propheticæ, quotquot de morte mea loquutæ sunt; quæ scribunt ita oportere fieri, ita oportere me mori?

v. 55. Ἐν ἐκείνῃ ..... ἐκρατήσατέ με.

Δείκνυσι καὶ τούτοις, ὅτι οὐχ ὑπὸ τῆς αὐτῶν κατεσχέθη δυνάμεως. ὥσπερ γὰρ τότε κατασχεῖν αὐτὸν οὐκ ἠδυνήθησαν, οὕτως οὐδὲ νῦν, εἰ μὴ πάντως ἠθέλησεν. Λουκᾶς δέ φησιν εἰπεῖν ταῦτα πρὸς τοὺς [1] γενομένους ἐπ' αὐτὸν ἀρχιερεῖς καὶ στρατηγοὺς τοῦ B ἱεροῦ καὶ πρεσβυτέρους. εἰκὸς δὲ καὶ πρὸς τούτους κἀκείνους. φαίνεται δὲ, ὅτι ὁ μὲν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας, προῆγεν. εἵποντο δὲ καί τινες τῶν ἀρχιερέων καὶ στρατηγῶν τοῦ ἱεροῦ καὶ πρεσβυτέρων, οὓς νῦν ὁ [2] Λουκᾶς ἐδήλωσεν. ἅμα μὲν παραθήγοντες τοὺς ἀπεσταλμένους, ἅμα δὲ καὶ θεωροῦντες, ἵνα μὴ δωροδοκηθῶσι. στρατηγοὺς δὲ τοῦ ἱεροῦ λέγει, τοὺς φυλάσσοντας αὐτὸ [3] μετὰ τῶν στρατιωτῶν, οἷς καὶ ἀνωτέρω συνελάλησεν ὁ Ἰούδας.

℣. 55. *In illa ...... tenuistis me.*

Ostendit & per hæc, quod non ex virtute eorum comprehensus fuerit. Sicut enim tunc tenere eum non potuerunt; ita neque nunc, si omnino noluisset. Lucas ait dixisse hæc ad eos qui contra se erant pontifices ac duces templi & seniores. At verisimile est & ad hos & ad illos dixisse. Liquet autem, quod Judas accepta cohorte & a sacerdotibus atque Pharisæis ministros, agmen ducebat: sequebantur vero & quidam ex pontificibus & ducibus templi ac senioribus, quos nunc Lucas ostendit, tum ut provocarent eos qui missi fuerant, tum etiam ut caverent, ne donis corrumperentur. Duces porro templi dicit eos, qui illud cum militibus custodiebant, quibuscum etiam supra loquutus est Judas.

v. 56. Τοῦτο δὲ ...... προφητῶν.

Τοῦτο δὲ ὅλον, δηλαδὴ τὸ θελῆσαι κατασχεθῆναί με, γέγονεν, ἵνα τέλος λάβωσιν αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν, ὅσαι περὶ τοῦ θανάτου διαλαμβάνουσι. C

℣. 56. *Hoc autem ...... prophetarum.*

Hoc autem totum, id est, velle capi me, *factum est, ut finem accipiant scripturæ prophetarum*, quotquot de morte mea agunt.

v. 56. Τότε .... ἔφυγον.

Ἀκούσαντες, ὅτι ἑκὼν ἑαυτὸν παρέδωκε κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ ἰδόντες, ὅτι οὐκ ἔτι διαφεύξεται, λοιπὸν ἔφυγον, κατὰ τὴν ἀψευδῆ πρόῤῥησιν αὐτοῦ. Μάρκος δὲ προσέθηκεν, ὅτι καὶ εἷς τις νεανίσκος ἠκολούθησεν αὐτῷ, περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ. καὶ κρατοῦσιν οἱ νεανίσκοι. ὁ δὲ καταλιπὼν τὴν σινδόνα, γυμνὸς ἔφυγεν ἀπ' αὐτῶν. τινὲς μὲν οὖν φασιν ἀπὸ τῆς οἰκίας ἐκείνης εἶναι τὸν νεανίσκον, ἐν ᾗ τὸ πάσχα ἔφαγεν ὁ Χριστὸς, ἕτεροι δὲ D λέγουσιν, εἶναι τοῦτον Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, ὃς καὶ παρ' ὅλην τὴν ἑαυτοῦ ζωὴν, ἑνὶ περιβολαίῳ ἐκέχρητο. περιεβέβλητο δὲ τὴν σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, τοῦ σώματος δηλονότι.

℣. 56. *Tunc ...... fugerunt.*

Audientes, quod sponte seipsum tradidit secundum scripturas, videntesque quod non amplius elaberetur, iccirco fugierunt, secundum veracem prædictionem ejus. Marcus adjecit: *Et quidam adolescens sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenent eum juvenes. At ille relinquens sindonem nudus fugit ab eis* [a]. Quidam dicunt de domo illa fuisse adolescentem hunc, in qua pasca comedit Christus. Alii vero dicunt, hunc esse Jacobum fratrem Domini, qui & per totam vitam suam, uno indumento usus est. Indutus porro erat sindone super nudo, corpore videlicet.

v. 57. Οἱ δὲ ...... συνήχθησαν.

Τὰ ὅμοια καὶ Μάρκος ἔγραψε καὶ Λουκᾶς. ὁ δ' Ἰωάννης πλατύτερον καὶ ἀκριβέστερον τὰ ἐντεῦθεν γράφων, οἷα παρὼν αὐτοῖς, οὕτω φησίν· ἡ [4] οὖν σπεῖρα καὶ ὁ χιλίαρχος καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων συνέλαβον τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἔδησαν αὐτὸν, καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον. ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ Καϊάφα, ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. εἶτα κατὰ μέρος ἀπαγγείλας τὰ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Ἄννα γενόμενα, ἅπερ [5] ἄλλοι παρέδραμον εὐαγγελισταὶ, τέλος λέγει· ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα. E

℣. 57. *Illi autem ..... convenerant.*

Similia & Marcus scripsit & Lucas. At Joannes latius & diligentius quæ hinc facta sunt describens, quippe eis præsens, sic ait: *Cohors vero & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum, & abduxerunt illum ad Annam primo. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius* [b]. Deinde sigillatim recensitis quæ evenerunt in domo Annæ, quæ alii Evangelistæ prætergressi sunt; tandem ait: *Misit illum Annas vinctum ad Caipham pontificem* [c].

v. 58. Ὁ δὲ ...... ἀρχιερέως.

Ὑποστρέψαντες [6] εὐθὺς αὐτὸς καὶ ὁ Ἰωάννης παρηκολούθουν. ὁ δ' Ἰωάννης συνεχωρεῖτο καὶ πλησιά-

℣. 58. *At ...... pontificis.*

Reversi statim ipse & Joannes assectabantur. Joannes vero permittebatur & accedere, quippe *notus*

a Marc. XIV. 51. 52. b Joan. XVIII. 12. 13. c Ibid. ℣. 24.

1. παραγενομένους Cod. A. Mox idem πρὸς αὐτόν.
2. Cod. A. omittit ὁ.
3. Post μετὰ omittit τῶν Cod. A.
4. ἐν οὖν Cod. A.
5. ἅπερ οἱ ἄλλοι Cod. A.
6. Hoc refertur ad superius ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον i. e. e fuga reversi. Αὐτὸς autem refertur ad Petrum.

ζειν, οἷα γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ, καθὼς αὐτὸς ἱστορεῖ. ἀλλ' οἱ μὲν τρεῖς εὐαγγελισταὶ, τοῦ Πέτρου μόνου μνημονεύουσι συμφώνως, διὰ τὸ ἀναγκαῖον, ἵνα τε δείξωσι τὴν περὶ τῆς ἀρνήσεως αὐτοῦ πρόῤῥησιν τοῦ σωτῆρος, εἰς τέλος ἐκβεβηκυῖαν, καὶ ἵνα διδάξωσιν, ὁποῖόν ἐστι κακὸν τὸ θαῤῥεῖν ἐφ' ἑαυτῷ τινα, καὶ μὴ ἐπὶ τῷ Θεῷ. ὁ δ' Ἰωάννης καὶ ἑαυτοῦ ἐμνημόνευσεν ἀκριβολογίας ἕνεκα, πλὴν ἵνα μὴ δόξῃ ἐπαινεῖν ἑαυτὸν, ὡς ἐν τοιούτοις δεινοῖς ἀκολουθοῦντα τῷ διδασκάλῳ, παρεσιώπησε τὸ ἴδιον ὄνομα, καὶ εἶπεν· ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ Σίμων Πέτρος, καὶ ὁ ἄλλος μαθητής.

pontifici [a], ut ipse scribit. Tres porro evangelistæ solius Petri mentionem faciunt concorditer, propter necessitatem, & ut videlicet ostendant prædictionem salvatoris de ejus negatione effectum fuisse sortitam; & ut doceant, cujusmodi malum sit in seipso confidere quemquam, & non in Deo. Joannes & suimet mentionem fecit diligentis narrationis caussa. At ne videretur se ipse laudare, tamquam in rebus adeo miserabilibus magistrum sequentem, silentio præteriit proprium nomen suum, & ait: *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & ille alius discipulus* [b].

v. 58. Καὶ εἰσελθὼν ..... τέλος.

℣. 58. *Et ingressus . . . . . . finem.*

Οἱ μὲν τρεῖς εὐαγγελισταὶ τὰς τρεῖς ἀρνήσεις τοῦ Πέτρου ἐν τῇ τοῦ Καϊάφα αὐλῇ γενέσθαι λέγουσιν, ὁ δ' Ἰωάννης ἐν τῇ τοῦ Ἄννα τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ. καὶ οὐκ ἔστι τοῦτο διαφωνία. καὶ γὰρ [1] ἀμφότερον, εἷς οἶκος καὶ μία αὐλὴ, ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ δύο διαίτας [2] ἰδιαιτάτας. χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι [3] Ματθαῖος μὲν πρῶτον παιδίσκην λέγει πτοῆσαι τὸν Πέτρον, εἶτα ἄλλον, ἔπειτα τοὺς ἑστῶτας· (Μάρκος [4] παιδίσκην, εἶτα τὴν αὐτὴν πάλιν, ἔπειτα τοὺς παρεστῶτας.) Λουκᾶς δὲ, πρῶτον παιδίσκην, εἶτα ἕτερον, ἔπειτα ἄλλόν τινα· Ἰωάννης δὲ, πρῶτον παιδίσκην, τὴν θυρωρὸν, εἶτά τινας, ἔπειτα ἕνα τῶν δούλων τοῦ ἀρχιερέως, συγγενῆ, οὗ ἀπέκοψε Πέτρος τὸ ὠτίον. πλὴν ἐὰν προσέχωμεν, οὐδ' οὕτω διαφωνία τις εὑρεθήσεται. ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς πρώτης ἀρνήσεως, ἡ αὐτὴ παιδίσκη ἐστὶν, ἡ παρὰ τοῖς τέσσαρσιν εὐαγγελισταῖς μνημονευομένη· ἐπὶ δὲ τῆς δευτέρας, τινὰς ὁ Ἰωάννης ἐνέφηνεν ἐρωτῆσαι τὸν Πέτρον, οἵτινες ἦσαν ἡ παιδίσκη τε, περὶ ἧς εἶπε Ματθαῖος, καὶ ἡ πρώτη [5] παιδίσκη, περὶ ἧς ἔφη Μάρκος, καὶ ὁ ἕτερος, περὶ οὗ ἱστόρησε Λουκᾶς. ἐπὶ δὲ τῆς τρίτης ἀρνήσεως, ὁμοίως Μάρκος καὶ Λουκᾶς τοὺς παρεστῶτας εἶπον ἐρωτῆσαι αὐτὸν, ἐν οἷς ἔμελλεν εἶναι, καὶ ὁ ἄλλος, ὁ παρὰ τῷ Λουκᾷ, οὗτος δέ ἐστιν, ὁ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ δοῦλος τοῦ ἀρχιερέως. ἐπεὶ οὖν ἅπερ ἔδει σημειώσασθαι παρετηρήσαμεν, λοιπὸν ἑρμηνευτέον τὰ ἑξῆς, ἅπερ ἐν τῷ οἴκῳ μὲν τοῦ Καϊάφα γεγόνασιν, οὐκ ἐμνημονεύθησαν δὲ παρὰ τοῦ Ἰωάννου, διὰ τὸ ῥηθῆναι παρὰ τῶν ἄλλων.

Tres quidem evangelistæ tres negationes Petri in aula Caiphæ evenisse dicunt; Joannes vero in aula Annæ soceri ejus. Sed nullum heic dissidium. Utraque enim una domus erat & aula una, habens in se duas habitationes speciales. Sciendum vero est, quod Matthæus primum quidem ancillam dicit perculisse Petrum; deinde virum alium, postea stantes. Marcus vero primum ancillam; deinde ipsam iterum, postea adstantes: Lucas, ancillam primum, dein virum alium, postea alium quemdam. Joannes, ancillam primum ostiariam; deinde quosdam, postea, *unum de servis pontificis, cognatum, cujus abssciderat Petrus auriculam* [c]. At si attenderimus, ne sic quidem ullum dissidium invenietur. In prima enim negatione eadem ancilla est, apud quatuor evangelista commemorata. In secunda, quosdam ostendit Joannes interrogasse Petrum, qui erant & ancilla illa de qua loquutus est Matthæus, & illa prior ancilla de qua dixit Marcus, & vir alius de quo narravit Lucas. In tertia negatione, similiter Marcus & Lucas adstantes dixerunt interrogasse eum, in quibus debebat esse & alius ille, qui apud Lucam commemoratur. Is vero est apud Joannem servus pontificis. Postquam igitur quæ notanda erant animadvertimus; quæ deinceps sequuntur exponenda sunt: quæ in domo quidem Caiphæ obvenerunt, nec tamen ab Joanne commemorata sunt, propterea quod ab alii dicta fuerant.

v. 59. Οἱ δὲ ...... v. 60. εὗρον.

℣. 59. 60. *At ..... invenerunt.*

Ὡς μὲν ἐκείνοις ἐδόκει μαρτυρίαν, ὡς δὲ τῇ ἀληθείᾳ, ψευδομαρτυρίαν· ἢ καὶ γινώσκοντες, ὅτι μαρτυρίαν οὐχ εὑρήσουσι κατὰ τοῦ ἀνεπιλήπτου, λοιπὸν ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν. (ἐβούλοντο [6] γὰρ ὡς ὑπεύθυνον καταδικάσαι αὐτὸν, διὸ καὶ σχηματίζουσι δικαστήριον καὶ ζητοῦσι ψευδομαρτυρίαν.) αὐτοὶ καὶ δικασταὶ καὶ κατήγοροι γινόμενοι, καὶ σπουδάζοντες παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον καταδικάσαι. ἠπίσταντο γὰρ, ὅτι παρ' ἑτέροις δικασταῖς οὐκ ἄν ποτε [7] τούτου περιγένοιντο.

Ut illis quidem videbatur, testimonium; in veritate tamen, falsum testimonium. Vel etiam, agnoscentes quod testimonium nequaquam invenient adversus insontem, proinde quærebant falsum testimonium. Volebant enim ut reum condemnare illum; ideoque simulant magistratum, & quærunt falsum testimonium: ipsi & judices & accusatores effecti, nitentesque apud seipsos hunc condemnare. Sciebant enim, quod penes alios judices id numquam obtinuissent.

v. 60. Καὶ πολλῶν ...... εὗρον.

℣. 60. *Et multis ..... invenerunt.*

Ἐναντία γὰρ ἀλλήλοις ἐμαρτύρουν. φησὶ γὰρ ὁ Μάρκος, ὅτι [8] καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν. ἐπληροῦτο δὲ καὶ ἡ Δαυϊτικὴ προφητεία ἡ λέγουσα, ζητηθήσεται ἡ ἁμαρτία αὐτοῦ, καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ.

Contraria enim invicem testabantur. Ait enim Marcus: *Et paria testimonia non erant* [d]. Impleta est etiam Davidis prophetia, quæ dicit: *Quæretur peccatum ejus, & non est inventum* [e].

a Joan. XVIII. 15. b Ibid. c Ibid. ℣. 26. d Marc. XIV. 56. e Psalm. X. 15.

1. ἀμφοτέρων εἷς οἶκος Cod. A.
2. ἰδιαζούσας, pro ἰδιαιτάτας Cod. A.
3. ὅτι ὁ Ματθαῖος Cod. A.
4. Inclusa omittit Cod. A. Error ortus est ex ἑστῶτας & παρεστῶτας.
5. πρώτην dixit, quia eadem est & secunda. Paullo ante de secunda dixit, εἶτα τὴν αὐτὴν πάλιν.
6. Inclusa omittit Cod. A. Error scribæ rursus ortus ex duplici ψευδομαρτυρίαν.
7. Ante τούτου Cod. A. addit περί.
8. ὅτι omittit Cod. A.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1090.

A

v. 60. Ὕστερον .... αὐτόν.

Εἶπεν, ἀλλ' οὐκ εἶπε, λύω, ἀλλὰ λύσατε· οὐδὲ περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ χειροποιήτου, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἰδίου σώματος. διὰ τοῦτο οὖν καὶ τούτους ψευδομάρτυρας ὁ εὐαγγελιστὴς ὠνόμασε. Μάρκος δέ φησι· καί τινες ἀναστάντες ἐψευδομαρτύρουν κατ' αὐτοῦ, λέγοντες· ὅτι ἡμεῖς ἠκούσαμεν αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον τὸν χειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω. καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν. πολλοὶ μὲν γὰρ περὶ τῆς τοιαύτης ὑποθέσεως ἐμαρτύρουν. δύο δὲ ὡμοφώνησαν, οὓς εἶπε Ματθαῖος. B οἱ δ' ἄλλοι διεφώνουν, δι' οὓς εἴρηκεν ὁ Μάρκος, ὅτι οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν.

℣. 60. 61. *Postea ..... illud.*

Dixit; sed non ait *solvo*, at *solvite*: nec de templo manu facto, sed de *proprio corpore*. Propterea igitur istos evangelista falsos testes nominavit. Marcus dicit: *Et quidam surgentes falsum testimonium perbibebant adversus illum dicentes; Nos audivimus eum ajentem, Ego dissolvam templum hoc manufactum, & intra tres dies aliud non manufactum ædificabo. At neque sic par erat testimonium eorum* [a]. Multi enim de hoc negotio testabantur: duo vero concordes fuerunt, quos commemorat Matthæus, reliqui discordes erant: propter quos dixit Marcus, *Neque sic par erat testimonium eorum*.

v. 62. Καὶ ἀναστὰς ..... v. 63. ἐσιώπα.

Βλέπων μὲν καὶ τὸ δικαστήριον παράνομον. ἐῴκει γὰρ λῃστῶν κριτηρίῳ καὶ τυραννικῷ βήματι. εἰδὼς δὲ καὶ ὅτι μάτην ἀποκρινεῖται παρὰ τοιούτοις, ἐσιώπα.

℣. 62. 63. *Et surgens ..... tacebat.*

Videns scilicet illegitimum magistratum. Simile enim erat latronum concilio, & tyrannico tribunali. Videns etiam, quod frustra apud hos responderet, tacebat.

v. 63. Καὶ ἀποκριθεὶς ..... τοῦ Θεοῦ.

Ἐξορκίζει, βουλόμενος αὐτὸν εἰς ἀπολογίαν καταστῆσαι, ἵνα ταύτης δραξάμενος, ἐκ ταύτης τοῦτον καταδικάσῃ. C προστίθησι δὲ τὸ, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, διότι καὶ οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ προφῆται χριστοὶ ἀπὸ τοῦ χρίεσθαι ὠνομάζοντο. Μάρκος δέ φησιν, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ, ἤτοι τοῦ Θεοῦ τοῦ εὐλογητοῦ, τοῦ ὑμνητοῦ.

℣. 63. *Et respondens ..... Dei.*

Adjurat, volens eum ad defensionem sui trahere: ut hac instituta, ex ea illum condemnaret. Addit vero illud, *Filius Dei*; quia etiam reges & prophetæ *Christi* ab unctione nominabantur. Marcus autem dicit *Filius benedicti*, sive *Dei benedicti* [b], id est laudibus celebrati.

v. 64. Λέγει .... εἶπας.

Κἀνταῦθα περιαιρουμένου τοῦ εἰ, ὑπολιμπάνεται, σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. λέγει δὲ Μάρκος, εἰπεῖν αὐτὸν, ὅτι ἐγώ εἰμι. καὶ ἄμφω γὰρ εἶπε, σὺ εἶπας, ὅτι ἐγώ εἰμι. γινώσκων οὖν, ὅτι οὐ πιστευθήσεται, ὅμως κατατίθεται, ἵνα μὴ δύνωνται λέγειν ὕστερον, ὅτι εἰ μετὰ τὸ ἐξορκισθῆναι D ὡμολόγησεν, ἐπιστεύσαμεν ἄν.

℣. 64. *Dicit ..... dixisti.*

Heic quoque ablato *si*, restat, *Tu es Christus filius Dei* *. Dicit Marcus, dixisse eum, *Ego sum* [c]. Uterque enim ait, *Tu dixisti, quia ego sum*. Sciens ergo quod sibi non esset credendum; nihilominus assentitur, ne postea dicere possent: Si ubi adjuractus est, fuisset confessus, credidissemus utique.

v. 64. Πλὴν .... οὐρανοῦ.

Ἀπάρτι, ἀντὶ τοῦ μετὰ μικρόν. δηλοῖ δὲ τὸν μέχρι τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ καιρόν. ὄψεσθέ με τὸν παρ' ὑμῶν ἀναιρούμενον, καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, ἤγουν σύνθρονον τῷ Θεῷ καὶ πατρί. ἔτι δὲ καὶ ἐρχόμενον κατὰ τὴν δευτέραν παρουσίαν ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, ὡς Θεόν. ὄψεσθε δὲ εἶπεν, οὐχ ὡς δυναμένων οὕτως ἰδεῖν αὐτὸν, ἀλλ' ὡς διαμαρτυρόμενος. ἢ καὶ πρὸς τοὺς μέλλοντας ἐξ αὐτῶν πιστεύειν, ὁ λόγος. τὸ δὲ ὄψεσθε E δηλοῖ καὶ τὸ, γνώσεσθε. φησὶ δὲ καὶ ὁ Λουκᾶς, ὅτι ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καθήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, τουτέστι βραχὺς ὁ καιρὸς τῆς [1] κατ' ἐμοῦ ἐπιβουλῆς, οὐκ εἰς μακρὰν γὰρ ἀνώτερος τῶν ἐπιβουλευόντων γενήσομαι.

℣. 64. *Verumtamen ..... cæli.*

Amodo, pro paullo post. Innuit tempus quod porrigitur usque ad resurrectionem ejus. *Videbitis me* a vobis interfectum, *sedentem a dextris virtutis Dei*, sive consessorem Dei & patris. Insuper etiam *venientem* in secundo adventu, *in nubibus cæli*, tamquam Deum. Videbitis autem dixit, non tamquam valentibus ita videre eum, sed veluti rem antestatus. Aut etiam loquitur de iis, qui credituri erant in eum. Porro illud *videbitis*, significat & *cognoscetis*. Lucas quoque dicit: *Ab hoc tempore erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei* [d]: hoc est, exiguum est tempus insidiarum, quæ contra me struuntur. Haud enim ita multo post superior insidiatoribus ero.

v. 65. Τότε ὁ .... μαρτύρων;

Ἔθος τοῖς Ἰουδαίοις, ὅταν τι χαλεπὸν καὶ φρικτὸν ἴδωσιν ἢ ἀκούσωσι, διαῤῥήσσειν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, ὅπερ καὶ νῦν ὁ ἀρχιερεὺς ἐποίησεν, ὡς ἀκούσας δῆθεν βλασφημίας οὐκ ἀνεκτῆς. ἅμα δὲ καὶ ἄκων,

℣. 65. *Tunc ..... testium?*

Mos erat Judæis, cum quid difficile & grave viderent audirentve, scindere vestimenta sua; quod & nunc pontifex fecit: tamquam qui audisset videlicet intolerandam blasphemiam. Simul etiam vel

a Marc. XIV. 57. 58. 59. *b* Ibid. ℣. 61. *c* Ibid. ℣. 62. *d* Luc. XXII. 69.

1. κατ' ἐμὲ Cod. A.

* Vide supra ℣. 25.

ἀφ᾽ ὧν ἐποίησε προεφήτευσεν, ὅτι διαῤῥηχθήσεται ἡ ἀρχιερωσύνη τῶν Ἰουδαίων.

A invitus, ex iis quæ fecit vaticinatus est, exscindendum esse pontificatum Judæorum.

v. 65. Ἴδε . . . . . . v. 66. δοκεῖ.

Αὐξήσας τὴν κατηγορίαν τοῦ λεχθέντος, καὶ βλασφημίαν τοῦτο καλέσας, καὶ προκαταδικάσας αὐτὸν, καὶ ὁδὸς ἤδη καὶ τοῖς ἄλλοις εἰς τὸ καταδικάσαι γενόμενος, λοιπὸν, ὡς φανεροῦ τοῦ πλημμελήματος ὄντος, ἀναγκάζει καὶ αὐτοὺς ἀποφήνασθαι, ἵνα κυρωθείσης οὕτω τῆς καταδίκης, ὑπεύθυνον ἀπεντεῦθεν αὐτῶν παραδοῖεν τῷ Πιλάτῳ πρὸς ἀναίρεσιν.

ỳ. 65. 66. *Ecce ..... videtur?*

Amplificans accusationem dicti, illudque blasphemiam appellans, atque in antecessum damnans eum, effectusque quodammodo via jam etiam reliquis ad condemnandum; tamquam igitur si crimen manifestum esset, cogit & ipsos sententiam ferre: ut confirmata sic damnatione, reum deinceps illum traderent Pilato ad necem.

v. 66. Οἱ δὲ . . . . . . ἐστίν.

B

ỳ. 66. *Illi autem ..... est.*

Ὅπερ ἐβούλοντο, τοῦτο καὶ ἀπεφήναντο. διεφθαρμένης οὖν γνώμης, διεφθαρμένη καὶ ἡ ἀπόφασις. ὁ δὲ Λουκᾶς ἔγραψεν, ὅτι καὶ ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν, λέγοντες, εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν. εἶπε δὲ αὐτοῖς, ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε· εἰ δὲ καὶ ἐρωτήσω, οὐ μὴ ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε. ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καθήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. εἶπον δὲ πάντες, σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ; ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔφη· ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. οἱ δὲ εἶπον, τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας; αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ. εἰκὸς γὰρ καὶ τὸν ἀρχιερέα καὶ τοὺς συνεδριάζοντας, ἐπερωτᾷν καὶ ἀνακρίνειν αὐτὸν, καὶ πάλιν τὸ αὐτὸν ἀποκρίνεσθαι καὶ πρὸς ἐκεῖνον καὶ πρὸς αὐτούς. καὶ διατί μὴ λάθρα τοῦτον ἀνεῖλον; διὰ τὸ μὴ δόξαι κατὰ φθόνον αὐτὸν ἀνελεῖν. ἐσπούδαζον οὖν δημοσίᾳ τοῦτον, ὡς κακοῦργον ἀναιρεθῆναι, μηχανώμενοι βλάψαι τὴν ὑπόληψιν αὐτοῦ. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ σταυρῷ τοῦτον ἀναιρεθῆναι ᾐτήσαντο, καὶ λῃστὰς αὐτῷ συνεσταύρωσαν. γέγονε δὲ τοὐναντίον, οἷς ἐβούλοντο. δημοσίᾳ γὰρ ἀναιρεθέντος, μᾶλλον ἐξέλαμψεν ἡ δόξα αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ τοῦ τάφου δὲ πάλιν αἱ σφραγῖδες καὶ ἡ παραφυλακὴ μᾶλλον διαλάμψαι τὴν ἀλήθειαν πεποιήκασι.

Quod volebant, id & pronuntiabant. Vitiato igitur animi sensu, vitiata etiam sententia prodiit. Lucas vero scripsit: *quod etiam adduxerunt eum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Dixit autem illis; si vobis dixero, nequaquam credetis: si autem & interrogavero, nequaquam respondebitis mihi, aut dimittetis. Ex hoc igitur tempore erit filis hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: tu igitur es filius Dei? Et ille inquit ad eos: vos dicitis, quod ego sum. Illi autem dixerunt: Quid adhuc opus habemus testimonio? Ipsi namque audivimus ex*

C

ore ejus [a]. Verisimile est & pontificem & consessores interogasse & examinasse eum: ac rursum, respondisse illum & ad eum, & ad eos. At cur non hunc clam e medio sustulerunt? Ne viderentur eum invidia occidisse. Satagebant igitur publicitus hunc, veluti nequam interfici, nitentes obesse existimationi ejus. Propterea enim etiam cruce hunc occidi postulaverunt, & latrones cum illo crucifixerunt. Accidit vero contra, atque volebant. Publice enim sublato eo, magis affulxit gloria ejus. Quin & ad sepulcrum sigilla & custodiæ, multo magis splendere fecerunt veritatem.

v. 67. Τότε . . . . αὐτοῦ.

D

ỳ. 67. *Tunc ..... ejus.*

Φρίξον οὐρανὲ καὶ γῆ καὶ σύμπασα κτίσις· εἰς οἷον πρόσωπον, οἵαν ἀτιμίαν ἐπήγαγον.

Exhorresce cælum & terra & omnis creatura! in quam faciem quam ignominiam induxerunt!

v. 67. Καὶ ἐκολάφισαν .... v. 68. παίσας σε;

ỳ. 67. 68. *Et colaphis percusserunt ..... qui percussit te?*

Ἐπεὶ παρὰ πολλοῖς προφήτης ἐλέγετο, διέπαιζον αὐτὸν, ὡς ψευδοπροφήτην. περικαλύψαντες γὰρ ἱματίῳ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, πρὸς τὸ μὴ βλέπειν, ὡς Μάρκος καὶ Λουκᾶς εἶπον, τοῦτο μὲν ἐκολάφιζον, τοῦτο δὲ ἐῤῥάπιζον, λέγοντες· προφήτευσον ἡμῖν Χριστὲ, τίς ἐστιν ὁ παίσας σε; ἔστι δὲ κολαφισμὸς μὲν τὸ παίειν κατὰ τοῦ τραχήλου κοίλῃ ἀφῇ, πρὸς τὸ ποιεῖν ψόφον· ῥαπισμὸς δὲ, τὸ παίειν κατὰ τοῦ προσώπου. μετὰ γὰρ τὴν ἄδικον καταδίκην, ὡς ἄτιμόν τινα καὶ τριοδολιμαῖον λαβόντες μέσον αὐτὸν, οἱ μὲν πᾶσαν εἰς αὐτὸν ἐνεδείκνυντο παροινίαν, οὐκ ἐλεύθεροι μόνον, ἀλλὰ καὶ δοῦλοι, καὶ παντοίαν ἐκένουν κατ᾽ αὐτοῦ μανίαν, καὶ ἡδέως τῆς λύττης ἐνεφοροῦντο· ὁ δὲ πάντα μεγαλοψύχως ὑπέμενε, διδάσκων ἀνέχεσθαι. καὶ ἦν παρ᾽ ἐκείνοις μὲν κακίας ὑπερβολὴ, παρὰ τούτῳ δὲ ἀνεξικακίας. ἄξιον δὲ θαυμάσαι καὶ τοὺς εὐαγγελιστὰς, πῶς καὶ τὰ δοκοῦντα ἐπονείδιστα φιλαλήθως ἀπαγγέλλουσι, καὶ οὔτε τὸν Ἰούδαν ἢ τοὺς Ἰουδαίους ὡς ἐχθροὺς διασύρουσιν, οὔτε τὸν διδάσκαλον ὡς [1] ὁ διδάσκαλος ὑψοῦσιν,

E

Quia penes multos propheta audiebat, illudebant illi ceu falso prophetæ. Obnubentes enim vestimento faciem ejus, ut non videret, sicut Marcus & Lucas dixerunt; nunc colaphis, nunc alapis cædebant, dicentes: *Vaticinare nobis, Christe; quis est qui percussit te?* Est vero colaphismus quidem percutere in cervice curvatis junctisque digitis, ad excitandum strepitum. Alapas infigere, est percutere in faciem. Cum enim inique illum damnassent; veluti quemdam ignobilem & de trivio humuncionem adducentes in medium, alii omnimodam contumeliam in eum ostendebant, non liberi homines modo, sed & servi, universumque in eum effundebant furorem, & cum gustu rabie satiabantur. At ille cuncta magnanimiter sustinebat, docens tolerantiam: eratque in illis improbitatis excessus, in eo patientiæ. Dignum porro ut & evangelistas admiremur, quomodo ea quoque quæ contumeliosa videntur amore veritatis referunt; & neque Judam vel Judæos tamquam infensos traducunt, neque magistrum, tamquam qui doctor esset, extol-

[a] Luc. xxii. 66-71.

[1] ὡς διδάσκαλον, rectius Cod. A.

ἀλλ' ἀπαθῶς ἅπαντα διηγοῦνται, καὶ μόνης τῆς ἀληθείας φροντίζουσι, καὶ πανταχοῦ γίνονται τῆς χρείας.

A lunt: sed sincere omnia narrant, soliusque veritatis curam gerunt, & ubique quod faciendum est præstant.

v. 69. Ὁ δὲ . . . . . v. 70. τί λέγεις.

℣. 69. 70. *At . . . . quid dicis.*

Σκόπει, πῶς τὸν πρὸ μικροῦ τηλικοῦτα μεγαλαυχήσαντα, θεραπαινίδιον ἀσθενὲς ἐπτόησεν, ὡς ὑπὸ τῆς θείας χάριτος ἐγκαταλειφθέντα.

Animadverte, quomodo eum qui paullo ante tantopere gloriabatur, ancillula imbellis perculerit, utpote a divina gratia desertum.

v. 71. Ἐξελθόντα . . . . v. 72. τὸν ἄνθρωπον.

℣. 71. 72. *Egressum . . . . hominem.*

Φεῦ, οἷα διέθηκεν αὐτὸν ὁ φόβος. οὐ μόνον γὰρ ἠρνήσατο, ἀλλὰ καὶ μεθ' ὅρκου. ἐξῆλθε δὲ οὐκ ἔξω τοῦ πυλῶνος, ἀλλ' εἰς τὸν πυλῶνα, τουτέστιν εἰς τὸ προαύλιον, ὡς ὁ Μάρκος εἶπε.

Vah! quei affecit eum timor. Non modo enim negavit, sed & cum juramento. Exiit autem, non B extra atrium, sed in atrium; id est, in vestibulum, ut Marcus ait.

v. 73. Μετὰ μικρὸν .... v. 74. τὸν ἄνθρωπον.

℣. 73. 74. *Paullo post . . . . . . hominem.*

Ὁ δὲ Μάρκος ἔγραψεν, ὅτι καὶ γὰρ Γαλιλαῖος εἶ, καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει. εἶχον γάρ τι παράσημον στολῆς οἱ Γαλιλαῖοι, καὶ μὴν καὶ ἰδιώματά τινα διαλέκτου. καταθεματίζειν [1] δὲ ἐστι, τὸ ἀναθεματίζειν. οὕτω γὰρ ὁ Μάρκος εἶπε, καὶ ἄμφω δὲ ταυτὶ, τὸ καταρᾶσθαι δηλοῦσι.

Marcus vero scripsit: *Etenim Galilæus es; & loquela tua similis apparet* [a]. Habebant enim specialem vestimentorum modum Galilæi, quin & proprietates quasdam sermonis. *Catathematizare* idem est, atque *anathematizare* [b], sic enim Marcus loquitur: utrumque porro valet imprecari sibi.

v. 74. Καὶ εὐθέως ...... v. 75. με.

℣. 74. 75. *Et statim . . . . me.*

Μάρκος δέ φησιν, ὅτε μὲν ἅπαξ ὁ Πέτρος ἠρνήσατο, τότε τὸν ἀλέκτορα φωνῆσαι τὸ πρῶτον, ὅτε δὲ τρίτον, τότε τὸ δεύτερον. ἐσημειώσατο δὲ τοῦτο, δηλῶν, ὅτι οὔτε ἡ πρώτη φωνὴ τοῦ ἀλέκτορος ἀνέμνησεν αὐτόν. καὶ ὁ Λουκᾶς δὲ λέγει πάλιν, ὅτι μετὰ τὸ φωνῆσαι τὸν ἀλέκτορα, στραφεὶς ὁ κύριος ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ, διὰ τοῦ βλέμματος ὑπομιμνήσκων αὐτόν. τοσοῦτον γὰρ αὐτοῦ κατεκράτησεν ὁ φόβος, ὡς ἀποτεθνηκέναι μικροῦ, καὶ τοῦ ἀλέκτορος φωνήσαντος οὐ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς, μηδ' οὕτως εἰς αἴσθησιν ἐλθεῖν, ἀλλὰ δεηθῆναι καὶ τοῦ βλέμματος τοῦ σωτῆρος. ἴδε γοῦν ἀσθένειαν, πῶς ἐν βραχεῖ καιρῷ, τρίτον ἠρνήσατο, καὶ ἐκ διαδοχῆς τὰς τρεῖς ἀρνήσεις ἐποιήσατο, καὶ οὐκ ἐταζόμενος, ἀλλ' ὡς ἔτυχε κατὰ πάροδον ἠρωτημένος.

C Marcus dixit, quando quidem semel Petrus negavit, tunc gallum cantasse primo: quando vero tertio, tunc cantasse secundo. Notavit autem hoc, declarans quod nec prima galli vox admonuit eum. Lucas vero dixit iterum, quod *postquam gallus cantavit, conversus Dominus respexit Petrum* [c], per aspectum memoriam illius excitans. Usque adeo enim obtinuerat eum timor, ut obierit propemodum: ac gallo canente non modo semel, sed & bis, ne sic quidem ad sensum redierit, sed opus habuerit etiam obtutu salvatoris. Vide ergo imbecillitatem, quomodo intra breve tempus ter negaverit, ac successive tres illas negationes commiserit; nec in quæstionem vocatus, sed obiter in tran- D situ interrogatus.

v. 75. Καὶ ἐξελθὼν ..... πικρῶς.

℣. 75. *Et egressus . . . . amare.*

Ἐξῆλθεν ἔξω, φοβούμενος μήποτε κλαίων κατασχεθῇ καὶ αὐτός. ἔκλαυσε δὲ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πικρῶς. ὁ δὲ Μάρκος εἶπεν, ὅτι ἐπιβαλὼν ἔκλαιεν. ἐπιβαλὼν, ἀντὶ τοῦ ἀρξάμενος. Ἰωάννης δὲ καὶ τοῦτο παρέδραμεν, ὡς τοῖς ἄλλοις εἰρημένον. εἶδες τὴν ἁμαρτίαν, ἴδε καὶ τὴν μετάνοιαν. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αἱ ἁμαρτίαι καὶ μετάνοιαι τῶν ἁγίων ἐγράφησαν, ἵνα ὅταν ἁμάρτωμεν, μιμώμεθα τὴν τούτων μετάνοιαν. παρεχωρήθη δὲ πεσεῖν ὁ Πέτρος, οὐ μόνον διὰ τὰς ἀνωτέρω ῥηθείσας αἰτίας, ἀλλὰ καὶ ἵνα μάθῃ συγγνωμονεῖν τοῖς ὀλισθαίνουσιν, ἐκ τῆς οἰκείας ἀσθενείας καὶ τὴν τούτων ἐπιγινώσκων. ἔμελλε γὰρ ποιμὴν καταστῆναι, καὶ ἵνα πλεῖστουργὸς μεγάλων θαυμάτων γινόμενος μετριοφρονῇ, καὶ τοῦ πτώματος μνημονεύων τῷ Θεῷ τὸ πᾶν ἐπιγράφηται. καὶ Παῦλος γὰρ πειρασμοῖς [2] ἀφέθη παλαίειν, ἵνα μὴ, ὡς αὐτός φησιν, ὑπεραίρηται· τὸ δὲ μεῖζον, ἵνα τοῖς ἁμαρτάνουσι λαμπρὸν εἴη παράδειγμα μετανοίας. εἰ [3] γὰρ ὁ κορυφαῖος τῶν μαθητῶν, ὁ τηλικούτων δυνάμεων τὰς μὲν ἰδὼν, τὰς δὲ τελέσας, ὕστερον ὠλίσθησεν εἰς ἄρνησιν,

Exiit foras, veritus ne plorans detineretur & ipse. Flevit autem non simpliciter, sed amare. Marcus vero dixit, quod *adjiciens flebat* [d]. Adjiciens vero pro *incipiens* positum est. Joannes hoc quoque prætermisit, tamquam ab aliis relatum. Vidisti peccatum: vide & pœnitentiam. Propterea enim & peccata & pœnitentiæ sanctorum scriptæ sunt, ut quando peccamus, imitemur eorum pœnitentiam. Permissus est Petrus cadere, non solum propter caussas superius dictas; sed ut discat veniam E indulgere labentibus, ex sua infirmitate horum etiam infirmitatem agnoscens. Constituendus enim erat pastor: & ut operator magnorum prodigiorum effectus sobrie saperet, lapsusque sui memor omnia Deo accepta ferret. Paullus enim quoque cum tentationibus luctare permissus est, ut ne, quomodo ipsemet ait, extolleretur: & quod majus est, ut peccantibus illustre esset exemplar pœnitentiæ. Si enim princeps discipulorum, is qui tantas virtutes partim vidit, partim patravit, postea lapsus est in negationem; deinde facinus agnoscens ac pœnitens,

a Marc. XIV. 70. b Ibid. ℣. 71. c Luc. XXII. 61. d Marc. XIV. 72.

1. Ita pro *καταναθεματίζειν* & heic in utroque Codice reperi, & alibi in contextu sacro in aliis Codd. ut suo tempore, cum nostra novi Testamenti editio, in qua textum ex solis Codd. Mosqq. exhibemus, apparebit.
2. *ἀφείθη* Cod. A
3. *εἰκὸς*, pro εἰ dat Cod. A.

A εἶτα τὸ πεπλημμελημένον ἐπιγνοὺς καὶ μετανοήσας, οὐ μόνον ἐν ὀλίγῳ καιρῷ πλέον ἅπαν [1] ἀπήλειψεν, ἀλλὰ καὶ ποιμὴν τῶν ἄλλων μαθητῶν προεβλήθη, καὶ πολλῶν καὶ μεγάλων θαυμάτων αὐτουργὸς ἐχρημάτισεν· οὐδένα πεσόντα χρὴ καταπεσεῖν, ἀλλ' αὐτίκα μετανοεῖν, ἐννοοῦντα τὸν πλοῦτον τῆς τοῦ δεσπότου χρηστότητος. κἀνταῦθα δὲ παρατηρητέον, ὅτι Ματθαῖος μὲν καὶ Μάρκος ἔγραψαν, πρῶτον γενέσθαι τὴν παρὰ τοῦ ἀρχιερέως ἐρώτησιν, εἶτα τὰς ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων ἀτιμίας, ἔπειτα τὰς ἀρνήσεις τοῦ Πέτρου. Λουκᾶς δὲ πρῶτον τὰς ἀρνήσεις, εἶτα τὰς ἀτιμίας, ἔπειτα γενομένης ἡμέρας λοιπὸν, τὴν ἐρώτησιν. οἱ μὲν γὰρ οὐ μόνον ἀπήγγειλαν τὰ πεπραγμένα, ἀλλὰ καὶ τῆς τάξεως αὐτῶν ἐφρόντισαν· ὁ δὲ B μόνης τῆς ἀπαγγελίας τῶν πεπραγμένων γενόμενος, τῆς τάξεως αὐτῶν οὐκ ἐφρόντισεν.

A non modo intra breve tempus perfecte omnia delevit, sed & pastor ceterorum discipulorum creatus est, fuitque multorum magnorumque mirabilium auctor: neminem qui ceciderit oportet sterni, sed statim pœnitere, cogitantem divitias bonitatis Dominicæ. Heic quoque observandum, quod Marcus atque Matthæus scripserint, primo factam fuisse pontificiam interrogationem, deinde Judaica dehonestamenta, postea Petri negationes. Lucas vero, primo negationes, deinde dehonestamenta, postea, cum esset jam dies, interrogationem. Illi enim non modo retulerunt quæ contigere, sed & ordinis eorum curam habuerunt: hic vero solam factorum B narrationem prosequutus, de ordine illorum minus sollicitus fuit.

1. ἀπήλειψεν, ab ἀπαλείφω Cod. B. ἀπείληψεν (corrige ἀπείληφεν) Cod. A. In illo intellige τὸ πεπλημμελημένον. Sed melius est cum Cod. A. scribere ἀπείληφεν, i. e. τὴν τελείωσιν ἀπείληφεν. Priori si assentiaris vocabulum πλέον est adverbium; sin posteriori, est adjectivum.

E U T H Y M I I
Z I G A B E N I
S P E C I M E N

Scholiorum in Psalmos.

[1] Ψαλ. α'. C

ΩΣ τὸ ξύλον τὸ πεφυτευμένον] ὁ ἀγαθὸς ἐῤῥίζωται παρὰ τὰς διεξόδους τῶν θείων διδασκαλιῶν, ἀντὶ φύλλου ἀειθαλοῦς κεκτημένος τὰς ἀρετὰς, ἢ καὶ τὴν ἐλπίδα. κατὰ τὸν καιρὸν δὲ τῆς μισθαποδοσίας ἄγοι [2] ἂν ἐν ἑαυτῷ τοὺς τῶν πόνων καρπούς.

Ἐν κρίσει] ἡ Κρίσις δηλοῖ καὶ τὴν [3] δικαιολογίαν, ὡς τό. μὴ εἰσέλθῃς εἰς κρίσιν μετὰ τοῦ δούλου σου. καὶ τὴν δικαίωσιν, ὡς ἐνταῦθα. οὐδὲ γὰρ εὑρήσουσι τὴν τυχοῦσαν κατά τι δικαίωσιν οἱ ἀσεβεῖς. καὶ τὴν καταδίκην, ὡς τὸ, ἐγερθήσονται οἱ τὰ φαῦλα πράξαντες εἰς ἀνάστασιν κρίσεως. D καὶ τὴν δικαιοσύνην, ὡς τὸ, ποιοῦντα κρίμα τοῖς ἀδικουμένοις. καὶ τὴν τοῦ δικαστοῦ ψῆφόν τε καὶ ἀπόφασιν, ὡς τό· πρόσταγμα τῷ Ἰσραήλ ἐστι, καὶ κρίμα τῷ Θεῷ Ἰακώβ·

Ἐν βουλῇ] Βουλὴν λέγει τὴν συναγωγήν. Δικαίους δὲ τοὺς ἁπλῶς ἐναρέτους. ὥσπερ τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἀδίκους φησὶν ἀλλαχοῦ.

Ὅτι γινώσκει] τὸ ὅτι, ποῦ μὲν τῶν ψαλμῶν αἰτιολογικὸν εὑρίσκεται, ὡς ἐνταῦθα· ποῦ δὲ βεβαιωτικὸν, ἀντὶ τοῦ ὄντως. ποῦ δὲ διηγηματικὸν καὶ παρέλκον.

Γινώσκει] οἰκειοῦται δηλονότι, καὶ ἐπισκέπτεται καὶ τιμᾷ.

E Καὶ ὁδὸς] ἡ πρᾶξις τῶν πονηρῶν ἀφανίζεται, καθώς φησι καὶ ὁ ἀπόστολος, λέγων· οὗτινος τὸ ἔργον κατακαήσεται.

* PSALMUS I.

Vers. 3. *Tamquam lignum plantatum.*) Vir probus radices jecit secus decursus divinarum doctrinarum, loco folii semper viventis habens virtutes, aut etiam spem. Tempore vero reddendæ mercedis feret in se laborum fructus.

V. 5. *In judicio.*) Judicium notat etiam *caussæ dictionem*: ut illud: *Non intres in judicium cum servo suo* [a]. Item *justificationem*, ut heic. Neque enim invenient communem secundum quid justificationem impii homines; sed condemnationem, ut illud: *Resurgent qui mala fecerunt in resurrectionem* D *judicii* [b]. Item *justitiam*, ut illud: *Facientem judicium injuriam patientibus* [c]. Item *judicis calculum* ac *sententiam*: Ut illud: *Præceptum Israeli est, & judicium Deo Jacob* [d].

In concilio.) Concilium cœtum appellat: & justos, simpliciter virtuosos: sicut peccatores, iniquos dicit alicubi.

V. 6. *Quia cognoscit.*) *Quia*, alicubi in psalmis caussaliter positum invenitur, ut heic: alicubi vero assertive, pro *vere*: alicubi autem enarrative & ex redundanti.

Cognoscit.) Propriam scilicet facit, curam ejus gerit, honorat.

E *Et iter.*) Actiones malorum intereunt, sicut inquit etiam apostolus, dicens: *Cujus opus comburetur* [e].

[a] Psalm. CXLII. 2. [b] Joan. V. 29. [c] Psalm. CXLV. 7. [d] Psalm. LXXX. 5. [e] I. Cor. III. 15.

1. Forte Euthymius Zigabenus horum scholiorum auctor est, v. Fabr. Bibl. Gr. Vol. VII. pag. 473. num. VII. & Montf. Bibl. Coisl. pag. 58. Cod. XI. Certe græcitas non est indigna isto auctore. Magnam quoque similitudinem habet cum catena inedita in quatuor Evangelistas. Ab initio hujus codicis legitur prologus, cujus initium, ψαλτήριον κυρίως ὄργανον, finis, ἀνέστη γὰρ καὶ ζῇ εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν.

2. Vocabulum ἄγοι in codice erat dubium.

3. δικολογίαν videtur voluisse scribere, v. Aristot. Rhet. I. 1. 23.

* Ipse VV. numeros apposui.

Sæcul. XI. circa Ann. Chr. 1090.

A

Ψαλ. β'.

Παρέστησαν] παρετάξαντο καὶ ἐπῆλθον.

Ἐπὶ τὸ αὐτὸ] εἰς ταυτὸν ὁμοῦ.

Κατὰ τοῦ κυρίου] κατὰ τοῦ πατρὸς καὶ κατὰ τοῦ υἱοῦ, ὃν ὁ πατὴρ ἔχρισεν εἰς βασιλέα πάντων ἐθνῶν κατὰ τὸν τῆς οἰκονομίας λόγον. ὁ πολέμιος δὲ τῷ υἱῷ, πάντως καὶ τῷ πατρί.

Διαῤῥήξωμεν] λείπει τὸ, λέγοντες. φησὶ γὰρ διὰ Ἱερεμίου πρὸς τὸν Ἰσραήλ· εἶπας, οὐ δουλεύσω σοι. δεσμοὺς γὰρ καὶ ζυγὸν, τὴν ὑποταγὴν καλεῖ.

Τότε λαλήσει] ὁπότε ἤλεγχεν ὁ Χριστὸς τοὺς Ἰουδαίους, λέγων· οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς. ἢ ἐν τῇ Ῥωμαίων πολιορκίᾳ, ἢ κατὰ τὴν μέλλουσαν κρίσιν.

B

Ἐγὼ δὲ] προσώπῳ Χριστοῦ ὁ λόγος κατὰ τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ.

Ἐπὶ Σιὼν] ἀπὸ τοῦ ὄρους τὴν Ἰουδαίαν ἐδήλωσεν, ἔνθα ἐδίδασκεν ὁ Χριστός.

Εἶπε πρὸς μέ] κατὰ τὴν προαιώνιον γέννησιν.

Ἐγὼ σήμερον] κατὰ τὴν ἐν σαρκὶ γέννησιν. οἰκειοῦται γὰρ καὶ ταύτην ὁ πατήρ.

Αἴτησαι] αἰτεῖ καὶ λαμβάνει, ὡς ἄνθρωπος, ὁ Χριστός.

Καὶ νῦν βασιλεῖς] τῇ ἐξουσίᾳ τῶν Ῥωμαίων. ἤγουν, διὰ τοῦτο. περιλαμβάνει δὲ καὶ τοὺς ὑπηκόους διὰ τῶν ἀρχόντων.

C

Ἐν φόβῳ] τὴν πολλὴν αἰδῶ [1] καὶ εὐλάβειαν, φόβον καὶ τρόμον φησὶν, ὃν φοβεῖται καὶ τρέμει τὰ Χερουβὶμ καὶ τὰ Σεραφίμ.

Ἐξ ὁδοῦ δικαίας] ὁδὸν δικαίαν νῦν, τὸ τάγμα τῶν δικαίων φησίν.

Ἐν τάχει] σφοδρῶς ἐν τῇ μελλούσῃ κρίσει.

Psalmus II.

V. 2. *Adstiterunt.*) Contra steterunt, & agressi sunt.

In idipsum.) In unum simul.

Adversus Dominum) Adversus patrem & adversus filium, quem pater unxit in regem omnium gentium secundum rationem dispensationis: qui autem adversarius est filii, omnino est etiam patris.

V. 3. *Dirumpamus.*) Deest, *dicentes*. Ait enim per Jeremiam ad Israelem: *Dixisti, non serviam tibi* [a]. Vincula porro & jugum, subjectionem vocat.

V. 5. *Tunc loquetur.*) Quando arguebat Christus Judæos, dicens: *Væ vobis scribæ* [b]! Vel in Romanorum obsidione, aut in futuro judicio.

V. 6. *Ego autem.*) In persona Christi sermo est secundum humanitatem ejus.

Super Sion.) Ex monte Judæam innuit, ubi docebat Christus.

V. 7. *Dixit ad me.*) Secundum æternam generationem.

Ego hodie.) Secundum nativitatem carnalem. Sibi enim attribuit & hanc pater.

V. 8. *Postula.*) Petit & accipit, ut homo, Christus.

V. 10. *Et nunc reges.*) Potestate Romanorum. Vel, idcirco. Comprehendit etiam & subditos sub principibus.

V. 11. *In timore.*) Multam verecundiam & reverentiam, timorem ac tremorem dicit: quem timent & tremunt Cherubim atque Seraphim.

V. 12. *Ex via justa.*) Viam justam heic cœtum justorum appellat.

V. 13. *In brevi.*) Vehementer in futuro judicio.

Ψαλ. γ'.

Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, ὁπότε] ἁρμόζει καὶ παντὶ πολεμουμένῳ παρ' ἐχθρῶν, εἴτε ὁρατῶν εἴτε ἀοράτων.

Τί ἐπληθύνθησαν] τὸ τί, οὐ μᾶλλον ἐρωτηματικὸν, ἢ θαυμαστικὸν, ἀντὶ τοῦ λίαν.

D

Τῇ ψυχῇ μου] περιφραστικῶς, ἀντὶ τοῦ ἐμοί.

Σωτηρία] ἤτοι ὁ Θεὸς αὐτοῦ οὐ σώσει αὐτὸν, ἐπεὶ ἥμαρτεν εἰς αὐτόν.

Κεφαλήν μου] τὴν κατακαμπτομένην ταῖς συμφοραῖς.

Φωνῇ] φωνὴν λέγει τὴν νοερὰν ἔντευξιν. ὄρος δὲ ἅγιον, τὸν οὐρανόν.

Ἐκοιμήθην] ταῖς ἁμαρτίαις κεκάρωμαι· τῇ μετανοίᾳ ἐξένηψα, ἀντιλήψει Θεοῦ. ἢ, τῇ μὲν ἀθυμίᾳ κατέπεσον ἀνενέργητος· ἀνέστην δὲ τῇ τοῦ κυρίου πεποιθὼς ἀντιλήψει.

Ἀνάστα] ὁ τῇ μακροθυμίᾳ καθεύδειν δοκῶν, κινήθητι πρὸς ἐκδίκησιν. προλέγει δὲ καὶ τὴν ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ.

Ἐπάταξας] ἀντιχρονικῶς, ἀντὶ τοῦ πατάξεις.

E

Τοῦ κυρίου ἡ σωτηρία] παρὰ σοῦ, τοῦ κυρίου, ἡ σωτηρία μου.

Εὐλογία σου] εὐλογία παρὰ Θεοῦ μὲν εἰς ἀνθρώπους, ἡ χάρις· παρὰ δὲ ἀνθρώπων εἰς Θεὸν, ἡ εὐφημία. παρὰ δὲ ἀνθρώπων εἰς ἀνθρώπους, ἡ ὑπὲρ τούτων εὐχή.

Psalmus III.

V. 1. *Psalmus Davidi, quando.*) Congruit & omni cui bellum moverint inimici, sive visibiles sive invisibiles.

V. 2. *Quid multiplicati sunt*) Hoc *quid* non tam interrogativum, quam admirativum est, pro *valde*.

V. 3. *Animæ meæ.*) Periphrastice, pro *mihi*.

Salus.) Vel, Deus ejus non salvabit eum: quia peccavit in eum.

V. 4. *Caput meum.*) Quod infortuniis inflexum est.

V. 5. *Voce.*) Vocem dicit spiritalem orationem: & cælum, montem sanctum.

V. 6. *Dormivi.*) Peccatis stupui: pœnitentia evigilavi ex Dei auxilio. Vel, animi quidem dejectione concidi nihil agere valens: surrexi tamen dominico fretus auxilio.

V. 8. *Exsurge.*) Qui longanimitate dormire videris, movetor ad ultionem. Prædicit etiam Christi resurrectionem.

Percussisti.) Per enallagen temporis, pro *percuties*.

V. 9. *Domini est salus.*) Ex te, Domine, est salus mea.

Benedictio tua.) Benedictio ex Deo quidem in homines, est gratia; ex hominibus vero in Deum, est laus: at ex hominibus in homines, est oratio pro illis.

Ψαλ. δ'.

Εἰς τὸ τέλος] ἐπεὶ προφητεύει περί τινων τελεσθησομένων ἐν ὑμῖν . . . . . . διὰ τὸ κηρύττειν του . . .

Psalmus IV.

In finem.) Quoniam vaticinatur de quibusdam perficiendis *in nobis tandem* per prædicationem mi-

[a] Jerem. II. 20. [b] Matth. XXIII. 23.

1. Hæc interpretatio notari potest ad N. T. inprimisque ad Philipp. II. 12.

τὰ θαυμάσια . . . . ἢ . . . . τὸ τέλος, διὰ τὸ προφητεῦσαι τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, ἥτις τοῦ μέλλοντός ἐστιν αἰῶνος, ὃν οἴδαμεν τέλος τοῦ παρόντος. ἢ διὰ τὸ περί τινων προειπεῖν ἁπλῶς, ἅπερ ὡς προφήτης ἠπίστατο ληψόμενα τέλος .... ὑπὲρ τῆς Ἀβεσαλὼμ τυραννίδος. ἁρμόζει δὲ καὶ παντὶ ἀπαλλαγέντι κινδύνου.

Ο Θεὸς τῆς δικαιοσύνης μου] περιφραστικῶς, ὁ δικαιῶν με Θεός. ὥσπερ καὶ ὁ Θεὸς τῆς σωτηρίας μου, ὁ σώζων με Θεός.

Ἐν θλίψει] στενοῖ μὲν ἡ θλίψις· σὺ δὲ ἐπλάτυνάς με ἐν αὐτῇ, μεγαλοψυχίαν μοι διδούς.

Υἱοὶ ἀνθρώπων] περιφραστικῶς, ἀντὶ τοῦ ὦ ἄνθρωποι. βαρυκαρδίους δὲ ὀνομάζει τοὺς ἔχοντας τὰς ψυχὰς ὡσπερεὶ βαρείας, νενευκυίας πρὸς γῆν.

Ματαιότητα] μάταιον λέγεται τὸ ἀνυπόστατον, οὗ ὄνομα μέν, ὕπαρξις δὲ οὐδαμῶς. τοιαύτη ἐστὶν καὶ ἡ πονηρία, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὰ γήϊνα σπουδή.

Καὶ γνῶτε] τὸ καὶ περιττόν.

Ἐθαυμάστωσε] θαυμαζόμενον ἐποίησεν ὁ κύριος ἐμὲ τὸν ἀφοσιωμένον καὶ ἀνακείμενον αὐτῷ, τουτέστι τὸν ἐπ' αὐτῷ μόνῳ ἐλπίζοντα.

Ὀργίζεσθε] ὀργή ἐστιν, ὄρεξις κακοποιήσεως. φησὶν οὖν, κἂν ὀργισθῆτε, μὴ ἁμάρτητε κακοποιήσαντες, ἀλλ' ἅπερ ἐν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν κακῶς διαλογίζεσθε, ταῦτα κατὰ τὸν καιρὸν τῆς κοίτης καὶ τῆς ἀδείας κατανύγητε, τουτέστι, κολάσατε, κεντήθητε τὴν καρδίαν καὶ λυπήθητε, διότι οὕτω πλημμελῶς διενοήθητε, καὶ μεταμελήθητε.

Θύσατε θυσίαν] ὡς θυσίαν προσάξατε τῷ Θεῷ τὴν δικαιοσύνην, καὶ τὴν παρ' αὐτοῦ βοήθειαν ἀπεκδέχεσθε.

Πολλοὶ λέγουσι] ὑπερβατῶς νοητέον, οἷον· οἱ πολλοὶ καὶ χυδαῖοι λέγουσι, τίς δείξει ἡμῖν τὰ τῇ σαρκὶ ἀγαθά; καίτοι πάντων τῶν καρπῶν τῆς γῆς ἐνεπλήσθησαν οἱ ἀγνώμονες, ἀλλ' ἐγὼ οὐχ οὕτω φρονῶ. καὶ γὰρ ἐσημάνθη μοι ἡ φανέρωσις τῆς σῆς ἐπισκοπῆς καὶ προνοίας, ἐν ᾗ καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν εὔφραναν. διὸ καὶ σὺν εἰρήνῃ ὁμοῦ τῇ τε τῶν λογισμῶν καὶ τῇ ἐξ ἐχθρῶν κοιμηθήσομαι τὸν διπλοῦν ὕπνον. μεμονωμένον γάρ με τῶν πονηρῶν οἰκεῖν ἐποίησας· κοιμηθήσομαι δὲ ἐπ' ἐλπίδι σωτηρίας, τὸν φυσικὸν ὕπνον· τὸν δ' αὖ θάνατον, ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως.

A rabilium *ejus*. Vel *dicit* in finem, quia vaticinatur resurrectionem ex mortuis, quæ est futuri sæculi, quod scimus esse præsentis finem. Vel propterea quod nonnulla simpliciter prædicit, quæ tamquam propheta sciebat consecutura finem. *Usputa* de tyrannide Absalomi. Congruit & omni, qui a periculo exemtus est.

V. 2. *Deus justitiæ meæ.*) Per periphrasin, Deus qui justificat me: sicut etiam, *Deus salutis meæ*, est pro, Deus qui salvat me.

In angustia.) Coarctat quidem angustia: sed tu dilatasti me in illa, magnanimitatem mihi impertiens.

B V. 3. *Filii hominum.*) Periphrastice pro, O homines. Gravicordes autem nominat qui habent animas quodammodo graves, pronas in terram.

Vanitatem.) Vanum dicitur quod non subsistit, cujus nomen quidem adest, nullatenus vero exstantia. Hujusmodi est etiam malitia, & omne circa terrena studium.

V. 4. *Et scitote.*) *Et* redundat.

Mirabilem effecit.) Admirandum reddidit Dominus me sanctificatum & dedicatum ipsi: hoc est in eo solo sperantem.

V. 5. *Irascimini.*) Ira, est appetitus malum inferendi. Dicit ergo, Tametsi irascamini, ne peccetis malum facientes: sed quæ in animis vestris male C cogitatis, hæc tempore cubitus & quietis compungimini; id est castigate, pungimini corde: & dolete, quod ita inconcinne cogitaveritis, & resipiscite.

V. 6. *Sacrificate sacrificium.*) Tamquam sacrificium offerte Deo justitiam, & opem ejus exspectate.

V. 7. *Multi dicunt.*) Per verbi transgressionem intelligendum est; puta, Multi & viles dicunt, quis ostendet nobis carnalia bona? quamvis omnibus fructibus terræ repleti sint bardi homines; at ego non sic cogito. Etenim signata est mihi manifestatio curæ ac providentiæ tuæ; in qua & animam D meam lætificaverunt. Itaque etiam cum pace simul tam cogitationum, quam etiam inimicorum, dormiam duplicem somnum: segregatum enim me a malis habitare fecisti. Dormiam autem propter spem salutis naturalem somnum, & item somnum mortis propter spem resurrectionis.

διατί παρεσιώπησαν οἱ εὐαγγελισαὶ τὴν τοῦ πάσχα μετάληψιν; διότι οὐκ ἦν ἀναγκαῖον τὸ περὶ ταύτης εἰπεῖν. τί γὰρ ἂν καὶ συνετέλεσε Χριστιανοῖς ἡ ταύτης διήγησις; διὸ ταύτην μὲν παρέδραμον, τοῖς δὲ λόγοις τοῦ μυστικοῦ δείπνου φιλοπονώτερον προσδιέτεινψαν, ὡς ἀναγκαιοτάτου καὶ συνεκτικωτάτου τῆς ἡμῶν πίστεως. καὶ πανταχοῦ δὲ τὸν κανόνα τοῦτον τηροῦσι· τὰ μὴ ἀναγκαῖα μὲν παρατρέχοντες, ἢ κατὰ πάροδον ἐπιμνησκόμενοι, πᾶσαν δὲ τὴν ἀκρίβειαν καὶ σπουδὴν περὶ τὰ χρήσιμα συντείνοντες. καὶ ἐπεὶ πρὸ τοῦ πάσχα τὸ πάσχα τετέλεκεν ὁ Χριστὸς, πῶς Ἰουδαῖοι τὴν προφανῆ ταύτην κατηγορίαν ἀφέντες, ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ; διότι ἐγίνωσκον, ὡς οὐ κεῖται νόμος [1] καταδικάζων τὸν προεορτάζοντα τὸ πάσχα, πάλαι τοῦ Θεοῦ προειδότος τὸ μέλλον, καὶ μηδέν τι περὶ τούτου νομοθετήσαντος. καὶ ὅρα θαυμαστὸν, ὅτι κατὰ μὲν τοῦ μεθεορτάζοντος νενομοθέτητο, εἰ μὴ πρόφασιν οὗτος ἀναγκαιοτάτην προβάλοιτο [2]· κατὰ δὲ τοῦ προεορτάζοντος οὐδὲν ὥριστο ἐπιτίμιον. ὁ δὲ Ἰωάννης φησὶν, ὅτι ἀναστὰς ἀπὸ τοῦ δείπνου, καὶ νίψας τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν πάλιν ἀνέπεσε. παρείθη γὰρ τοῖς ἄλλοις εὐαγγελισαῖς τοῦτο τὸ κεφάλαιον, οὗ χάριν αὐτὸς ἱστόρησε τὰ περὶ τούτου, καθὼς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ αὐτοῦ, Θεοῦ δόντος, ἐξηγησόμεθα.

re silentio prætererierunt Evangelistæ anticipationem paschæ? Quia necesse non erat quidquam de illa dici. Quid enim profuisset Christianis hujusmodi enarratio? Quare hanc prætergressi sunt, diutius immorati in verbis mysticæ cœnæ, quippe quæ longe erat necessarior, maximeque nostram fidem commendabat. Ubique porro hanc regulam servant: quæ minus necessaria sunt prætergrediuntur aut in transitu commemorant, omnem vero diligentiam ac studium circa necessaria impendunt. At quandoquidem ante pascha Christus pascha celebravit, quandam Judæi manifestam hanc accusationem omittentes, quærebant falsum testimonium contra Jesum? Quia sciebant non exstare legem, quæ damnaret prævenientem paschale festum, Deo olim prævidente quod futurum erat, atque de hac re nihil legibus mandante. Attende porro rem admirabilem: contra eum quidem qui hoc festum post tempus celebraret, lex lata fuit, nisi is valde necessariam caussam afferret: at contra eum qui ante tempus ageret, nulla pœna definita est. Joannes vero dicit, quod surgens a cœna, lotis discipulorum pedibus iterum discubuit. Hoc namque capitulum a ceteris evangelistis omissum fuerat, cujus gratia ipse narravit quæ ad istud pertinent, quemadmodum in evangelio ejus, Deo dante, exponemus.

v. 21. Καὶ ἐσθιόντων ..... παραδώσει με.

℣. 21. *Manducantibusque .... tradet me.*

Ο δὲ Μάρκος προσέθηκεν, ὅτι ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ, ἵνα μὴ ὑπολάβωσιν, ὡς ἕνα λέγει τῶν πιστευσάντων μὲν εἰς αὐτὸν, μὴ συνηριθμημένων δὲ τοῖς δώδεκα μαθηταῖς. ἅμα δὲ καὶ πρὸς τὸν Ἰούδαν ἀφανῶς ἐμαρτύρατο, ὅτι ἔγνω τὴν καρδίαν αὐτοῦ. καὶ γὰρ καὶ τοὺς αὐτοῦ πόδας ἔνιψεν, εἰς μεταμέλειαν αὐτὸν ἐκκαλούμενος, εἰ καὶ σκληρὸς ἔμεινε. παράδοσιν δὲ νόει, τὴν προδοσίαν. παρέδωκε γὰρ αὐτὸν εἰς θάνατον, καὶ προδέδωκε τοῦτον τοῖς ἐπιβουλεύουσι.

Marcus addit: *Qui comedit mecum* [a]: ne scilicet putarent, quod unum diceret ex credentibus in eum, nec tamen inter duodecim discipulos censitum. Simul quoque obscure Judæ testatus est, se nosse cor illius. Etenim pedes etiam ejus lavit, eum ad pœnitentiam invitans, etsi inflexibilis mansit. Deditionem, proditionem intellige. Dedit enim ipsum in mortem, & prodidit hunc insidiantibus.

v. 22. Καὶ λυπούμενοι ..... κύριε;

℣. 22. *Et dolentes .... Domine?*

Ταῦτα καὶ Μάρκος εἴρηκεν. εἵλετο γὰρ ὁ Χριστὸς φοβῆσαι καὶ λυπῆσαι πάντας τοὺς ἄλλους, ὑπὲρ τοῦ ἐπιστρέψαι τὸν ἀπολλύμενον μαθητήν. διατί δὲ οἱ λοιποὶ ἠγωνίων μηδέν τι τοιοῦτον συνειδότες ἑαυτοῖς; διότι σφόδρα τῷ διδασκάλῳ ἐπίστευον, ὡς ἀψευδεστάτῳ, καὶ ἐδεδίεσαν ἕκαστος, μήποτε τοιοῦτος ἀποβῇ, τυφλωθεὶς τὸν νοῦν.

Hæc Marcus quoque dixit. Maluit Christus timore ac dolore afficere universos alios, quo pereuntem discipulum converteret. Cur vero reliqui ægre ferebant, siquidem nullius hujusmodi sibi erant conscii? Quia valde magistro credebant, tamquam veracissimo, timuerantque singuli, ne tales evaderent, cæcati mente.

v. 23. Ο δὲ ...... παραδώσει.

℣. 23. *Ille autem .... tradet.*

Τίθησι καὶ παράσημον εἰς διάγνωσιν αὐτοῦ. Μάρκος δὲ εἶπεν, ὅτι εἷς ἐκ τῶν δώδεκα ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ εἰς τὸ τρυβλίον, ἤγουν ὁ ἐμβάπτων. τοῦτο δ' ἐπήγαγεν ὁ σωτὴρ πρὸς ἐντροπὴν τοῦ Ἰούδα. τοσοῦτον γὰρ τοῦ διδασκάλου κατεφρόνησεν, ὡς μηδ' ὑποστέλλεσθαι τοῦτον ἔτι, ἀλλ' ἐμβάπτειν μετ' αὐτοῦ. τρυβλίον [3] δέ ἐστιν εἶδος πίνακος.

Affert etiam signum distinguendi ejus. Marcus vero ait: *Unus ex duodecim, qui intingitur mecum in catino*, sive qui intingit [b]. Hoc intulit Salvator ad verecundiam Judæ. Usque adeo enim magistrum contemnit, ut non amplius hunc revereretur, sed intingeret cum illo. Catinus porro est species lancis.

v. 24. Ο μὲν ..... παραδίδοται.

℣. 24. *Equidem .... traditur.*

Ὑπάγει, ἀντὶ τοῦ πορεύεται, μεταβαίνει· ἀπὸ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς. καθὼς γέγραπται τοῖς προφήταις περὶ αὐτοῦ, πῶς μέλλει ἀποθανεῖν.

Subdit pro abit, *transit*: ab hac nempe vita. *Sicut scriptum est*, a prophetis de illo qua ratione esset moriturus.

a Marc. xiv. 18. b Ibid. ℣. 20.

1. καταδικάζοντα Cod. A.
2. προβάλλοιτο Cod. A.
3. τριβλίον· σκυτέλιον, ὀξυβάφιον. Gloss. Cyrill. τρυβλίον· σκυτέλιον. Lexicon inedit. Vid. Meurs. Glossarium Græco-Barbarum pag. 510. Erotianus κύλισκον· τρυβλίον.

Ὑπερηφανεύεσθαι] τοῦ ἀσεβοῦς τὴν ἀλαζονείαν τὴν A
ἀπὸ τοῦ εὐοδοῦσθαι θεώμενος ὁ πτωχὸς, τὴν διάνοιαν πυρπολεῖται, τὰ ἐντὸς μεγάλως ἀθυμῶν καὶ σκανδαλιζόμενος.

Συλλαμβάνονται] παγιδεύονται οἱ μικρόψυχοι, ἐξ ὧν διαλογίζονται θεωροῦντες τὸν ἁμαρτωλὸν ἐπαινούμενον.

Παρώξυνε] ἠρέθισεν εἰς ὀργήν. μακρόθυμος δὲ ὢν ὁ κύριος, οὐ καθὼς παρωξύνθη, οὕτω καὶ ἀπαιτήσει δίκας.

Αἱ ὁδοὶ] ὁδοὺς τὰς πράξεις φησίν.

Ἀνταναιρεῖται] οὐδόλως [1] τὰς σὰς κρίσεις ἔχει πρὸ ὀφθαλμῶν.

Πάντων τῶν ἐχθρῶν] πάντων τῶν ἀνθισταμένων αὐτῷ καταδυναστεύει. B

Ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεὰν] τουτέστι παρ' ὅλην τὴν ζωήν μου ἄνευ κακώσεως ἔσομαι δηλαδή.

Ἀρᾶς] λοίδορα λέγει πᾶσι καὶ πανοῦργα.

Ὑπὸ τὴν γλῶσσαν] γλωσσαλγεῖ διατύρων, ἢ ἐκεῖνα λαλεῖ, ὅσα κακοπάθειαν καὶ θλίψιν παρέχει τοῖς ἐπιβουλευομένοις παρ' αὐτοῦ.

Μετὰ πλουσίων] μετὰ πλεονεκτῶν, καὶ οἷς ἔργον τὸ εἶναι πλουσίους, καὶ συλλέγειν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ μιαιφονίας.

Εἰς τὸν πένητα] πτωχὸν καὶ πένητα λέγει τὸν τῆς ἀνθρωπίνης ἰσχύος καὶ δυναστείας ἐστερημένον.

Ἐν τῇ παγίδι] καταπυρεύσει αὐτοῦ.

Κύψει] πρὸς τὸ βάραθρον τῆς ἀπωλείας κατενεχθήσεται ὡς ἀδιόρθωτος. C

Ἀνάστηθι] ἀνάστασιν λέγει τὴν πρὸς ἄμυναν κίνησιν. ἡ δὲ τῆς χειρὸς ὕψωσις, καταφορὰν τιμωρίας μεγάλην δηλοῖ. ἢ τὸ ὑψωθήτω ἡ χείρ σου, ἀντὶ τοῦ ὑψηλὴ καὶ ὑπερφυὴς φανήτω ἡ δύναμίς σου, καθὼς καί ἐστι.

Ἕνεκεν τίνος;] τοῦτο τῆς ἀνοσιουργίας τὸ αἴτιον, τὸ ἐννοεῖσθαι περὶ Θεοῦ, ὡς οὐκ ἐξετάσει τὰ δρώμενα.

Βλέπεις] τὴν θλίψιν τῶν ἀδικουμένων, καὶ τὴν θηριωδίαν [2] τοῦ ἀδικοῦντος ἀκριβῶς ἐρευνᾷς καὶ διαγινώσκεις, ἵνα παραδῷς αὐτὸν ταῖς τιμωρίαις σου.

Ζητηθήσεται] ἐὰν ἐξετάσῃς τὸ μέγεθος τῆς τιμωρίας αὐτοῦ, ἄξιος οὗτος ἀφανισμοῦ.

Κύριος βασιλεὺς] διδάσκει τοῦτο τοὺς μικροψύχους, D
ὅτι κἂν μὴ νῦν δῶσι δίκας οἱ πονηροὶ, ὁ Θεὸς ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἀπαιτήσει ταύτας ἐξ αὐτῶν. αἰώνιος γὰρ αὐτοῦ ἡ βασιλεία.

Ἀπολεῖσθε ἔθνη] τοὺς μὴ τὸν Θεὸν αἰώνιον βασιλέα γινώσκοντας, ἔθνη λέγει νῦν.

Κρῖναι] ἑρμηνευτικὸν τοῦ ἀνωτέρω ῥηθέντος. οἷον, ἐπιθυμία μὲν τῶν πενήτων, τὸ κρῖναι τῷ ὀρφανῷ καὶ τῷ ταπεινῷ τὸν Θεόν· ἑτοιμασία δὲ καὶ πρόθεσις τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μηκέτι μεγαλαυχήσῃ ἄνθρωπος.

Ψαλμ. ι.

Τοῦτον ᾖσε Δαβὶδ διωκόμενος ὑπὸ τοῦ Σαοὺλ, εἰς E
τὸ τέλος δὲ ἐπιγέγραπται, ἅτε πρόῤῥησιν ἔχων τῆς γενησομένης αὐτῷ ἐκλυτρώσεως ὑπὸ Θεοῦ.

Πέποιθα] ὑπερβατῶς· ἐπὶ τῷ κυρίῳ πεθάῤῥηκα. διότι οἱ ἁμαρτωλοὶ καὶ οἱ μισούμενοι ὑπὸ Θεοῦ, ἐκεῖνοί μοι πολεμοῦσι. πῶς οὖν οἱ εὐνοοῦντες εἴποιτε ἂν τῇ ψυχῇ μου, ἤγουν ἐμοὶ, φεῦγε εἰς τὰ τῆς ἐρήμου ὑψηλότατα;

Ἐν σκοτομήνῃ] λείπει τὸ ὡς, ἵν' ᾖ, ὡς ἐν σκοτομήνῃ καὶ ἀσελήνῳ νυκτὶ, τουτέστι λαθραίως.

Ὅτι ἃ σὺ κατηρτίσω] ἃ σὺ εἰργάσω, κύριε, ἤτοι

V. 23. *Superbiendo.*) Impii jactantiam ob prosperitatem considerans *pauper*, *animo uritur*, intra se valde dejectus & scandalizatus.

Comprehenduntur.) Laqueis capiuntur pusillanimes, ex iis quæ recogitant, dum vident peccatorem exaltatum.

V. 25. *Exacerbavit.*) Irritavit ad iram. Sed cum longanimis sit Dominus, non sicut exarcebatus est, ita etiam pœnas sumet.

V. 26. *Viæ.*) Vias actiones nuncupat.

Auferuntur.) Nullatenus judicia tua habet præ oculis.

Omnium inimicorum.) Omnes opponentes se illi, subjicit.

V. 27. *A generatione in generationem.*) id est, per totam vitam meam ero scilicet sine malo.

V. 28. *Maledictione.*) Contumeliosa dicit omnibus & versipellia.

Sub lingua.) Lingua dolore afficit dilacerans. Vel, loquitur quæcumque tristitiam & angustiam afferunt iis, quibus ab eo insidiæ struuntur.

V. 29. *Cum divitibus.*) Cum iis qui numquam satis se habere reputant, & quorum professio est divites fieri, atque colligere ex rapina & cædibus.

In pauperem.) Indigentem & pauperem appellat hominem privatum humano robore & potentia.

V. 30. *In laqueo.*) Subjiciet eum.

V. 31 *Inclinabitur.*) In barathrum interitus deferetur veluti inemendabilis.

V. 32. *Resurge.*) Resurrectionem appellat excitationem ad ulciscendum. Exaltatio autem manus, irrogationem pœnæ magnam declarat. Vel, *exaltetur manus tua*, ponitur pro excelsa & sublimis appareat potentia tua, sicuti est.

V. 34. *Cujus caussa?*) Hæc origo impietatis, cogitare de Deo, eum minime discussurum quæ fiunt.

V. 35. *Vides.*) Angustiam injuriam patientium, & feritatem injuria afficientis inquiris & dignoscis, ut rependas ei pœnis tuis.

V. 36. *Quæretur.*) Si examines magnitudinem pœnæ ejus, dignus is exterminio.

V. 37. *Dominus rex.*) Docet hoc pusillanimes, quod tametsi impræsentiarum pœnas non luant mali, Deus tamen in futuro sæculo sumet eas ab illis. Æternum est enim regnum illius.

Peribitis gentes.) Eos qui non agnoscunt Deum regem æternum, hoc loco *gentes* appellat.

V. 39. *Judicare.*) Est interpretativum dicti superioris; idest, Desiderium pauperum est, ut judicet orphano & humili Deus: præparatio ac propositum cordis eorum est, ut non amplius magnificetur homo.

P S A L M U S X.

Hunc cecinit David quando Saul persequebatur eum. IN FINEM autem inscribitur, quippe prædictionem continens futuræ ejus redemtionis a Deo.

V. 1. *Confidi.*) Per hyperbatum, in Domino animos sumsi: propterea peccatores & perosi Deo mihi bellum movent. Quomodo igitur qui bono animo affecti estis diceretis animæ meæ, hoc est mihi: Fuge in sublimiora deserti?

V. 2. *In interlunio.*) Defficit *sicut*, ut sensus sit: Sicut in interlunio, in nocte sine luna, idest latenter.

V. 3. *Quoniam quæ tu perfecisti.*) Quæ tu ope-

1. Sic junctim in Codice.
2. i. e. ἀπανθρωπίαν. Idem vocabulum legitur in opusculis Mythologicis &c. apud Galeum pag. 349. τὴν δὲ ἄκραν γωνίαν, θηριωδίαν. v. edit. Amstelod. 1688.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.

A καταστρέψαι, τοὺς νόμους σου δηλαδή. πέποιθα γοῦν καὶ διὰ τοῦτο.

Ὁ δὲ δίκαιος] ὁ δὲ δίκαιος κύριος τί ἐποίησεν; ἆρα παρεῖδε; καὶ μὲν καὶ ἐν τῷ ναῷ ἐστι, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ πανταχοῦ. καὶ ἐπισκέπτεται τοὺς πένητας, καὶ πάντας ἐξετάζει.

Παγίδας] παγίδας τὰς ἀφύκτους τιμωρίας φησίν.

Ἡ μερίς] εἰ τὸ μέρος τῆς θείας ὀργῆς τοιοῦτον, ἡ ὁλότης [1] ὁποία;

Ψαλ. ια'.

Ὀγδόης] ὀγδόην ἐνταῦθα τὴν ἡμέραν λέγει τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως. ἡ κυριακή τε γὰρ καὶ πρώτη καὶ ὀγδόη ἐστὶν, ὡς ἀρχὴ καὶ τέλος θεωρουμένη. B κατ' αὐτὴν δὲ ἀνέστη ὁ κύριος. καὶ πάλιν ἡ τοῦ κυρίου ἀνάστασις, τὴν κατάστασιν τοῦ ὀγδόου αἰῶνος ἤτοι τοῦ μέλλοντος προεγνώρισε. παρακαλεῖ δὲ ὁ προφήτης ἐλθεῖν τὴν τοῦ σωτῆρος ἀνάστασιν, ἕνεκεν τῆς ἐκδικήσεως τῶν τυραννουμένων ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ τῇ εἰδωλολατρείᾳ δεδουλωμένων.

Χείλη δόλια] τὰ χείλη τὰ δόλια, ἤτοι ὁ δόλιος ἐν καρδίᾳ καὶ ἐν καρδίᾳ, τουτέστιν ἐν διπλόῃ καρδίας ἤτοι γνώμης ἐλάλησε κακὰ, ἤγουν κακωτικὰ καὶ βλαβερὰ, ἔσω μὲν ἀλλοίαν γνώμην ἔχων, ἔξω δὲ ἀλλοίαν δεικνύς.

Γλῶσσαν μεγαλοῤῥήμονα] τοὺς ἀλαζονευομένους φησὶ καὶ κομπάζοντας.

Τοὺς εἰπόντας] ἑρμηνευτικὸν τοῦ ἀνωτέρω· τούς C σκεψαμένους ἐν ἑαυτοῖς μεγάλα καὶ ἀλαζονικὰ παρασκευάσαι τὴν γλῶτταν φθέγγεσθαι.

Τὰ χείλη ἡμῶν) ἐξουσιάζομεν τῶν χειλέων ἡμῶν, τίς ὁ δεσπόζων ἡμῶν, ὥστε κωλῦσαι ἡμᾶς μεγαλοῤῥημονεῖν;

Θήσομαι ἐν σωτηρίῳ) θήσω τοὺς πτωχοὺς ἐν σωτηρίᾳ, ἐν αὐτῇ τε παῤῥησιάσομαι, τουτέστι τὴν ἐμὴν φανερώσω ἰσχύν.

Τὰ λόγια) εἰπὼν, ὅτι τάδε λέγει κύριος, διαβεβαιοῦται τῶν θείων λόγων τὸ ἀψευδέστατον.

Ἀργύριον) ὥσπερ τὸ ἐκπυρωθὲν ἀργύριον καὶ δοκιμασθὲν ἐν τῇ γῇ, τουτέστι τῷ χωνευτηρίῳ, καὶ πολλαπλασίως κεχωνευμένον οὐκ ἔχει ῥύπον, οὕτως οὐδὲ οἱ D λόγοι τοῦ Θεοῦ ἀπάτην τινά.

Κύκλῳ οἱ ἀσεβεῖς) οἱ μὲν ἀσεβεῖς, οἵ τε ὁρατοὶ καὶ ἀόρατοι περικυκλοῦσιν ἡμᾶς· σὺ δὲ πολλῆς φροντίδος καὶ κηδεμονίας ἠξίωσας. κατὰ τὸ ὕψος σου, τὸ ἐν σταυρῷ, τὸ ἐν οὐρανοῖς, ἢ καθὸ ὑψηλὸς εἶ καὶ θαυμαστός.

Ψαλ. ιβ'.

Ἦισε τοῦτον ὁ προφήτης παρασκευαζομένου τοῦ Ἀβεσαλὼμ ἐπιθέσθαι πόλεμον αὐτῷ. ἁρμόζει δὲ καὶ πᾶσιν ἀδικουμένοις.

Ἐπιλήσῃ) λήθην λέγει Θεοῦ, τὴν τῶν ἁμαρτωλῶν ἐγκατάλειψιν. τὸ δὲ εἰς τέλος παράτασιν δηλοῖ. E

Τὸ πρόσωπόν σου) πρόσωπον Θεοῦ ἡ ἐποπτικὴ δύναμις καὶ ἡ ἐπίσκεψις, ἀποστροφὴ δὲ, ἡ περιόρασις.

Φώτισον) τὸν νοῦν μου ἐσκοτισμένον τῷ ζόφῳ τῆς ἁμαρτίας καὶ τῇ τῆς ἀθυμίας ἀχλύϊ, καταύγασον, διά τε τῆς τῶν πλημμελημάτων συγχωρήσεως, καὶ τῆς ἀπαλλαγῆς τῶν συμφορῶν, ἵνα μὴ ὑπνώσω εἰς θάνατον ἀπογνώσεως, ἢ καὶ εἰς θάνατον αἰσθητὸν ὑπὸ τῆς ἄγαν λύπης.

Σαλευθῶ) ἐὰν παρακινηθῶ ἀπὸ τῆς ἐν σοὶ ἀσφαλείας.

A ratus es, Domine, isti subverterunt; leges tuas videlicet. Confidi igitur & propter hoc.

Justus autem.) *Justus autem* Dominus *quid fecit?* Numnam neglexit? At enim & in templo est, & in cælo, & ubique, ac inspicit pauperes omnesque excutit.

V. 5. *Laqueos.*) Laqueos dicit pœnas inevitabiles.

Portio.) Si portio divinæ indignationis hoc est; tota indignatio, quanta?

PSALMUS XI.

V. 1. *Octava.*) *Octavam* hoc loco diem dicit resurrectionis Christi. *Dominica* enim & prima & B octava dies est, prout consideratur ceu principium vel finis. Ea die surrexit Dominus. Rursumque Domini resurrectio constitutionem octavi sæculi, idest futuri, præsignificavit. Precatur vero propheta ut veniat salvatoris resurrectio, propter ultionem eorum in quos diabolus tyrannidem exercet, & idololatriæ emancipati sunt.

V. 3. *Labia dolosa.*) Labia dolosa, sive vir dolosus, *in corde & corde*, hoc est duplicitate cordis aut sententiæ, *loquutus est mala*; id est malefacientia & nocentia; intus quidem aliam sententiam habens, extra vero aliam præ se ferens.

V. 4. *Linguam magniloquentem.*) Sic appellat jactabundos & gloriantes.

C V. 5. *Dicentes.*) Expositivum est dicti antecedentis: Qui meditantur in seipsis magna & jactabunda præparare, quæ lingua loquatur.

Labia nostra.) Potestatem dominatumque habemus labiorum nostrorum. Quis dominans nostri, ut compescat nos ne magna loquamur?

V. 6. *Ponam in salutari.*) Statuam pauperes in salute, in eaque libertate agendi utar, hoc est manifestabo potentiam meam.

V. 7. *Oracula.*) Cum asseruisset, *Hæc dicit Dominus*, confirmat veracitatem divinorum eloquiorum.

Argentum.) Quemadmodum ignitum argentum & probatum in terra, idest crucibulo, ac multoties D fusum, non habet sordes; ita nec oracula Dei deceptionem ullam.

V. 9. *Circiter impii.*) Impii tam visibiles quam invisibiles circumdant nos; tu autem multa cura atque sollicitudine dignatus es. *Secundum altitudinem tuam*; qua in cruce, qua in cælis; vel quatenus excelsus es & admirabilis.

PSALMUS XII.

Cecinit hunc propheta cum Abesalom esset in procinctu aggrediendi adversus eum belli. Congruit etiam omnibus injuste læsis.

V. 2. *Oblivisceris.*) Oblivionem dicit Dei, pecE cantium derelictionem. *In finem* indicat productionem & dilationem.

Faciem tuam.) *Facies Dei*, est ejus inspectrix facultas & consideratio. *Aversio* autem, est ejus neglectus.

V. 4. *Illumina.*) Mentem meam obtenebratam caligine peccati ac tenebris desperationis illustra tam per scelerum indulgentiam, quam per liberationem a calamitatibus: *ut ne obdormiam in mortem* desperationis, vel in mortem sensibilem propter nimium dolorem.

V. 5. *Titubem.*) Si dimovear a securitate tua.

1. Hoc vocabulum, quod in plerisque Lexicis auctoritate destitutum est, legitur apud Sextum Empir. Hypotyp. p. 118. edit. Genev. 1621. Scholiastam Hermog. pag. 404. edit. Ald. & Eustath. ad Dionys. Alexandr. pag. 8.

Αγαλλιάσεται) προφητικῶς ἐντεῦθέν φησιν, εὐ- A
φρανθήσομαι ἐπὶ τῇ παρὰ σοῦ δωρουμένῃ μοι σωτηρίᾳ.

Ψαλ. ιγ'.

Προαγορεύει περὶ τῶν γεγενημένων κατὰ τὴν ἡμέραν Εζεκίου, καὶ τῶν κατὰ τὴν πρώτην τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν. ἄφρονα δὲ λέγει τὸν Σεναχηρεὶμ καὶ τὸν Ιουδαϊκὸν λαόν.

Διεφθάρησαν) οἱ ἄφρονες, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι Θεὸν, διεφθάρησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, ἀνόσια λογισάμενοι καὶ ἄθεα, ἐμισήθησαν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐν τοῖς μυσαροῖς ἔργοις αὐτῶν. ἢ καὶ ὑπερβατῶς, διεφθάρησαν ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασι καὶ ἐβδελύχθησαν ὑπὸ Θεοῦ. B

Τοῦ ἰδεῖν) εἰ ἐστί τις φρονῶν καὶ λέγων εἶναι Θεόν, καὶ ἐπικαλούμενος αὐτόν. τὸ γὰρ ἤ, ἀντὶ τοῦ καί. διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκυψε τοῦ ἰδεῖν, τὸ παντέφορον ἐδήλωσε τῆς θείας ἐπισκοπῆς, καὶ τῶν διανοιῶν αὐτῶν ἐξεταστικόν.

Εξέκλιναν) ἐξέκλιναν τῶν ὀρθῶν περὶ Θεοῦ δογμάτων, καὶ τῆς τῶν ἔργων εὐθύτητος. διὸ εὐθὺς ἀχρεῖοι καὶ βδελυκτοὶ γεγόνασι τῷ Θεῷ.

Οὐχὶ γνώσονται;) ἐρωτηματικῶς. ἔργοις γὰρ γνώσονται, ὅτι ἐστὶ Θεός. ἢ καὶ ἀποφατικῶς, διὰ τοὺς Ιουδαίους, οὐκ ἐπέγνωσαν γὰρ οἱ ἄνομοι τὸν Χριστὸν, υἱὸν ὄντα Θεοῦ. C

Οἱ ἐσθίοντες τὸν λαόν μου) προσώπου τοῦ κυρίου.

Εκεῖ) ἐκεῖ, ἐν Ιερουσαλὴμ ἐφοβήθησαν τὸν φόβον ἐκείνου, οὗτινος φόβος οὐκ ἦν ἐν αὐτοῖς, ἤγουν τοῦ κυρίου.

Τίς δώσει;) οὐδεὶς τῶν ἐκ Σιὼν σώσει τὸν Ισραὴλ, πλὴν Θεοῦ.

Εν τῷ ἐπιστρέψαι) ἐν τῷ ἐπιστρέψαι κύριον, τὸν αἰχμάλωτον λαὸν αὐτοῦ εἰς τὴν προτέραν ἐλευθερίαν, χαρήσεται ὁ λαὸς οὗτος.

V. 6. *Exsultabit.*) Prophetice heic loquitur. Lætabor ob salutem, quam tu mihi largieris.

PSALMUS XIII.

Vaticinatur de iis quæ usuvenerunt in die Ezeciæ, necnon in primo Christi adventu. *Insipientem* appellat Senacherimum & populum Judaicum,

V. 1. *Corrupti sunt.*) Insipientes isti, qui dicunt non esse Deum, corrupti sunt in ratiotinationibus suis, impia meditati & quæ atheum deceant. Perosi autem facti sunt Deo etiam in abominandis operibus suis. Vel per hyperbaton. Corrupti sunt in studiis, eosque Deus abominatus est.

V. 2. *Ut videret.*) Sicubi est sapienter reputans qui dicat, Est Deus, eumque invocet: *aut* enim positum est pro &. Quia dicit, *De cælo despexit ut videret*, ostendit omnium rerum contemplatricem Dei inspectionem; quin & ipsarummet cogitationum examen.

V. 3. *Declinaverunt.*) Declinaverunt a rectis de Deo dogmatibus, atque ab operum probitate. Iccirco statim inutiles, & abominabiles facti sunt Deo.

V. 4. *Non cognoscent?*) Interrogative. Operibus enim cognoscent exsistere Deum. Vel etiam negative, propter Judæos. Non agnoverunt quippe exleges isti, Christum esse filium Dei.

Comedentes populum meum.) In persona Domini.

V. 5. *Ibi.*) Ibi, in Jerusalem timuerunt timorem ejus, cujus timor in ipsis non erat, id est Domini.

V. 7. *Quis dabit?*) Nullus eorum qui sunt de Sion salvabit Israel, præter quam Deus.

In convertendo.) Cum converterit Dominus captivum populum suum ad pristinam libertatem, gaudebit populus iste.



EUTHYMII ZIGABENI

EXPOSITIO SYMBOLI.

Εἰς τὸ [1] ἅγιον σύμβολον.

A

Τί ἐστι πίστις; πίστις ἐστὶν ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. ἡ ἀπολυπραγμόνητος συγκατάθεσις, ἡ ἑκούσιος συγκατάθεσις, ἢ ὡς ὁ μέγας ἔφη Βασίλειος, πίστις ἐστὶ, συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων, ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων Θεοῦ χάριτι.

Σύμβολον ὀνομάζεται, ὡς σημεῖον τῆς ἐν ψυχῇ πίστεως. ἐπειδὴ γὰρ ἀσώματον πρᾶγμά ἐστιν ἡ ψυχὴ, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ δόγματα ἀφανῆ τε καὶ ἄδηλα, τούτου χάριν τῆς ὁμολογίας ταύτης ἐδέησεν αὐτῇ, ἵνα διὰ ταύτης ἡ ἐνδιάθετος αὐτῆς πίστις ἐκφαίνηται, καὶ μὴ ἀμφιβάλληται.

B

Πιστεύω) τουτέστιν ἀπολυπραγμονήτως ἐπὶ τοῖς ῥηθησομένοις δόγμασι συγκατατίθεμαι. καὶ μὴν οἱ πατέρες Πιστεύομεν εἶπον πληθυντικῶς. εἰς ταυτὸν δ' ἄγει ἀμφότερα. πληθυντικῶς μὲν γὰρ ἔλεγον ἐκεῖνοι, τὴν κοινὴν σφῶν αὐτῶν περὶ πίστεως γνώμην καὶ τὴν ἰδίαν ἑκάστου παριστῶντες. ἡμεῖς δ' ἀνάπαλιν, τῇ ἑνὸς ἑκάστου πίστεως ὁμολογίᾳ, τὴν τοῦ παντὸς τῶν πιστῶν ἀθροίσματος συνεισάγοντες.

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα) τοῦτο ἄλλοι μὲν ἄλλως στίζουσιν. οἱ μὲν εἰς τὸ Θεὸν, ὡς ἂν κατὰ κοινοῦ τῶν τριῶν ὑποστάσεων παραλαμβάνηται τὸ Θεὸς ὄνομα, ἄλλοι δὲ συνάπτουσιν. [2] Ἵππων καὶ Ἐπίκουρος ὁ φιλήδονος, Θεὸν παντελῶς ἠγνόησαν,

C

διὰ τοῦ αὐτοματισμοῦ τὴν ἀταξίαν εἰσάγοντες, ὧν ὁ μὲν, τὸ ὕδωρ ἀρχὴν ἐφλυάρει, ὁ δὲ, ἀπείρους ἀτόμους. Πλάτων ἰδέαν καὶ ὕλην ἔλεγε Θεὸν, ὡς τοῦ Θεοῦ μὴ δυναμένου μήτε ὕλην, μήτε παραδείγματος χωρὶς τὸν κόσμον συστήσασθαι, καὶ οὕτως εἶναί τινα συναΐδια τούτῳ καὶ συνάναρχα. Οὐαλεντῖνος λ΄. θεοὺς ἔλεγεν εἶναι. οἱ ἀπὸ Μαρκίωνος τρεῖς ἀρχάς. οἱ ἀπὸ Κέρδωνος, δύο εἶναι θεοὺς ἐδογμάτισαν. καὶ οἱ ἀπὸ Μάνεντος β΄. ἀρχάς.

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν) ἕνα λέγεται Θεὸν, ἢ τὸν πατέρα φαμὲν, ἢ τὸν υἱὸν, ἢ τὸ πνεῦμα, καὶ πάλιν ὁμοῦ τὰ γ΄. τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα, ποτὲ μὲν ἑκάστῃ τῶν τριῶν ὑποστάσεων τοῦτο

D

προσνέμοντες, ποτὲ δὲ τῇ μιᾷ τῶν γ΄. οὐσίᾳ. εἰ μὲν οὖν συνάπτοντες ἀναγνῶμεν, πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα, τῇ ὑποστάσει τοῦ πατρὸς τὴν τοῦ ἑνὸς σημασίαν ἁρμόζομεν· εἰ δὲ λέγοιμεν εἰς ἕνα Θεὸν, ἐνταῦθα στίζοντες, εἶτα ἐπάγοιμεν, πατέρα, τὴν μίαν τῆς θεότητος οὐσίαν σημαίνοντες, ἐπὶ τὸ τριαδικὸν χωροῦμεν τῶν ὑποστάσεων.

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν) οὐκ οὐσίας σημαντικόν ἐστι τὸ, Θεὸς, οὐδὲ τῆς θείας φύσεως ὄνομα. ὥσπερ γὰρ ὑπὲρ ἅπαν καθέστηκε νόημα, οὕτω καὶ πᾶν ὄνομα διαπέφευγεν. ἀλλ' ἔστι μὲν ἐνεργείας [3] θείας οὐσίας σύμβολον. οὐ γὰρ τὸ εἶναι τοῦ Θεοῦ παρίστησιν,

E

ἀλλὰ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐξ αὐτοῦ προϊοῦσαν ἐκθεωτικὴν δύναμιν καὶ ἐνέργειαν.

In sanctum symbolum.

Quid est fides? *Fides est substantia rerum quæ sperantur, argumentum rerum quæ non cernuntur* [a]. Vel, Est consensus minime curiosus, vel voluntarius consensus: vel etiam ut magnus dixit Basilius, Fides est consensus indiscussus eorum quæ audita sunt, in certa persuasione veritatis earum rerum, quæ ex Dei gratia prædicatæ sunt.

Symbolum nominatur, tamquam signum fidei quæ est in anima. Cum enim incorporea res sit anima, ejusque dogmata invisibilia atque obscura; iccirco ea opus habuit hujusmodi confessione, ut per illam interna ejus fides manifesta fiat, nec ullus relinquatur ambigendi locus.

Credo.) Id est sine curiositate dicendis dogmatibus assentior. Equidem majores nostri *Credimus* dicebant, per plurativum numerum. At utraque vox perinde valet. Plurative enim enunciabant illi, communem suam ipsorum de fide sententiam ac privatam cujusque exhibentes. Nos contra, singularis cujusque fidei confessione totius fidelium cœtus fidem concludimus.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem) Hoc alii aliter interpungunt. Alii notam distinctionis ponunt post *Deum*; quo videlicet communiter de tribus personis accipiatur nomen *Deus*, alii contra, connectunt. Hippon & Epicurus voluptuosus Deum prorsus ignorarunt, per temerarium casus eventum confusionem inducentes, dum alter aquam pro principio nugatus est, alter infinitas atomos. Plato ideam & materiam Deum dixit, quasi non posset Deus nec materiam, nec sine exemplari mundum condere; atque sic esse quædam coæterna illi pariterque principio carentia. Valentinus xxx. deos esse dicebat: Marcio tria principia. Cerdo duos esse deos docuit. Manichæi duo principia asserebant.

Credo in unum Deum) Dicitur *in unum Deum*, sive patrem appellemus, sive filium, sive Spiritum, aut etiam tria hæc simul, Patrem & Filium & Spiritum; aliquando quidem unicuique trium personarum hoc tribuentes, aliquando vero uni trium essentiæ. Si igitur connectentes legamus, *Credimus in unum Deum patrem*, personæ patris significationem vocis *Unius* accommodamus. At si dicamus *In unum Deum*, atque heic interpungamus, mox subjungentes, *patrem*; unam divinitatis essentiam significantes, ad trinitatem gradum facimus personarum.

Credo in unum Deum) Non essentiæ significativa vox est *Deus*, neque divinæ naturæ nomen. Quemadmodum enim omnem supergreditur intellectum, sic etiam omne prætergreditur nomen. Est ergo symbolum virtutis essentiæ divinæ. Nec enim divinam insinuat exstantiam, sed eam quæ ex illo in nos procedit divinizantem virtutem & efficaciam.

[a] Hebr. xi. 1.

1. Legitur hæc interpretatio symboli in eodem Codice 344. fol. 175. seqq. Forte ergo & hæc auctorem habet Euthymium Zigabenum. Aliam quoque in alio Codice interpretationem reperi Simeonis Thessalonicensis.

2. Puto de Hippone hoc loco loqui interpretem, de quo vide Fabr. Bibl. Gr. Vol. I. p. 819. Certe ibi in notis traditur istum *Aquam & ignem putasse rerum principia.*

3. Planius ἐνεργειῶν θείας οὐσίας.

Πιςέύω εἰς ἕνα Θεὸν παντοκράτορα) πατέρα νοῦμεν, τὴν θεογόνον αἰτίαν, ἧς ὥσπέρ τινες βλαςοὶ θεόφυτοι, κατὰ τὸν ἐξ Αρείȣ πάγȣ σοφώτατον Διονύσιον, ὑιὸς καὶ πνεῦμα γνωρίζονται. ȣ̓ γὰρ ἐκ τῆς ἐν τοῖς δημιȣργήμασι πατρικῆς σχέσεως εἴτε καὶ γονιμότητος ἡ ἐν Θεῷ πατρότης ἐςὶν, ἀλλ' ἐκ τῆς ὑπερφυȣ̃ς γονιμότητος τῆς ὑπερȣσίȣ θεότητος ἐν τοῖς δημιȣργήμασιν οἷον εἰπεῖν φυσιογονίαν παράγεται. καὶ ἐκείνην αὕτη μιμεῖται, ἀλλ' ȣ̓ τὸ ἔμπαλιν. πρῶτον δὲ τὸν πατέρα τὸ θεῖον παρείληφε [1] σύμβολον, ȣ̓χ ὅτι πρῶτός ἐςιν ἢ μείζων, ἀλλ' ὅτι αἴτιός ἐςι τοῦ ὑιȣ̃ καὶ τοῦ πνεύματος. αἰτιατὰ δὲ ταῦτα, ȣ̓ μὴ αἴτια. εἰ δὲ καὶ αἴτια, ἀλλ' ȣ̓ τȣ̃ πατρὸς, ἀλλὰ μετὰ τȣ̃ πατρὸς, κατὰ τὴν κοινὴν τῆς θεότητος αἰτιολογίαν, καὶ τῶν μετὰ Θεὸν ἁπάντων κτισμάτων, ὡς συνεργὰ τῷ πατρὶ καὶ συνδημιȣργὰ, οὐχ ὡς δεόμενα τῆς συνεργείας τȣ́των, ἄπαγε· πλεία γὰρ καὶ ὁλόκληρος ἡ θεότης ἐν ἑκάςῃ τῶν ὑποςάσεων, ἀλλ' ὡς μιᾶς ȣ̓́σης καὶ ἐνεργείας καὶ δυνάμεως καὶ βȣλήσεως τῶν τριῶν.

Credo in unum Deum omnipotentem.) Patrem cogitamus fecundum in divinis principium, cujus veluti quædam germina divinitus enata, secundum sapientissimum Areopagitam Dionysium, recognoscuntur Filius & Spiritus. Non enim ex paterna relatione quæ invenitur in creatis a Deo rebus, sive etiam fecunditate, derivata est divina paternitas; sed ex superante omnem naturam fecunditate supersubstantialis divinitatis, in creatis rebus, ut ita loquar, naturæ genitura derivatur: illamque hæc imitatur, at non contra. Primum autem patrem divinum symbolum assumsit, non quod primus sit vel major *; sed quia principium est Filii & Spiritus. A principio sunt enim hæ personæ, non ipsæ principia. Aut si principia, non tamen Patris, sed cum Patre, secundum communem divinitatis caussalitatem, & omnium infra Deum creaturarum; tamquam cum patre cooperantes & concreantes. Non quidem tamquam indigentes cooperationis inter se; apage: perfecta enim & integra est divinitas in qualibet hypostaseon: sed quippe una exsistente operatione a virtute & voluntate horum trium.

Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν ȣ̓ρανȣ̃ καὶ γῆς) πρῶτον μὲν τὸ τῆς φύσεως παραςατικὸν ὄνομα τέθειται τὸ Θεὸς, εἰ καὶ μηδὲν, ὡς εἴπομεν, αὐτῆς ἐςιν ὄνομα. εἶτα, τὸ τῆς πίςεως τὸ πατήρ. ȣ̓κ ἴδιον δὲ τȣ̃το τοῦ πατρός. ἐπεὶ προϊὼν ὁ λόγος δηλώσει τȣ̃το καὶ τῷ ὑιῷ καὶ τῷ πνεύματι. καὶ εἰς ἕνα γὰρ φησι κύριον Ιησȣ̃ν Χριςὸν, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον. παντοκράτορα δὲ λέγομεν ἀποδιαςέλλοντες ἑαυτοὺς τῆς αἱρετικῆς ἀφροσύνης τῶν ἀπὸ Μάνεντος καὶ Σίμωνος καὶ Μαρκίωνος, οἳ μὴ πάντων τὴν δεσποτείαν τῷ ἑνὶ καὶ μόνῳ Θεῷ διδόασιν, ἀλλὰ διαφόροις ἀρχαῖς τὴν ἐξȣσίαν τῶν ὄντων ἀπομερίζȣσι. διὸ παντοκράτορα τὸν πατέρα τιθέντες καὶ τὴν αἰτίαν τῆς αὐτȣ̃ παντοκρατορίας ἐπάγομεν, ποιητὴν ȣ̓ρανȣ̃ καὶ γῆς τȣ̃τον λέγοντες, ὡς ἄκρων γὰρ ὄντων [2] καὶ τὰ ἐν μέσῳ σημαινόμενα.

Patrem omnipotentem factorem cæli & terræ.) Primum quidem positum est nomen DEUS, quod naturam commendat; tametsi nullum ejus exstet nomen, ut prædiximus. Deinde *Pater*, quod fidem commendat. Hoc autem nomen heic proprium non est patris: procedens enim oratio declarabit illud & filio & Spiritui competere. Ait enim: *Et in unum Dominum Jesum Christum. Et in Spiritum sanctum Dominum.* Dicimus autem omnipotentem distinguentes nos ab hæretica stultitia Manichæorum, Simonianorum & Marcionistarum, qui non universorum arbitrium uni ac soli Deo attribuunt: sed diversis principiis potestatem rerum affricant. Quare Omnipotentem patrem dicentes, etiam caussam ejus omnipotentiæ adducimus, factorem eum cæli & terræ dicentes: nam extremis positis, etiam quæ in medio sunt innuuntur.

Ορατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων) οὐ γὰρ ἄλλος μὲν τῆς ἀΰλȣ καὶ ἀσωμάτȣ ȣ̓σίας δημιȣργὸς, ἄλλος δὲ τῆς ἐνύλȣ ταύτης καὶ φαινομένης. ȣ̓δὲ ἀγγέλων μὲν δημιȣργὸς ὁ Θεὸς, ἄγγελοι δὲ τῶν ἄλλων δημιȣργοί. διὰ τῆς πάντων δὲ προσθήκης ȣ̓δὲν τῶν ὄντων ἐῶμεν τῆς ὑπὸ [3] Θεȣ̃ δημιȣργίας πίπτειν ἐκτός.

Visibiliumque omnium & invisibilium.) Non enim alius est immaterialis & incorporeæ essentiæ opifex, alius vero materialis hujus & apparentis: nec angelorum quidem auctor Deus, angeli vero reliquorum opifices. Per additamentum porro vocis *omnium*, nullum entium extra Dei opificium cadere sentimus.

Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ιησοῦν Χριςὸν) ἐν τȣ́τῳ ἀναιρȣ̃μεν τὴν Ιȣδαϊκὴν δόξαν, ἐνὶ προσώπῳ τὸ τῆς μοναρχίας ἀφορίζȣσαν κράτος, καὶ τὸν [4] αὐόκτον..... τῆς ἐκκλησίας ἀποδιΐςησι, καὶ τὸν Λίβυν Σαβέλλιον καὶ τὸν Σαμοσατέα Παῦλον καὶ Μάρκελλον, καὶ αὐτὸν σαβελλίζοντα. ȣ̓͂τοι γὰρ ἅπαντες ἀφρόνως μίαν ὑπόςασιν τῆς θεότητος ἐξηρεύξαντο.

Et in unum Dominum Jesum Christum.) Per hoc jugulamus Judaicam sententiam, uni personæ tribuentem singularis dominii imperium. Stolidum item Arium ab ecclesia separat ea vox, & Libycum Sabellium, & Samosatenum Paullum, & Marcellum, qui & ipse cum Sabellio sentiebat. Hi enim omnes stolide unam divinitatis personam eructaverunt.

Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ιησȣ̃ν Χριςὸν) ὅτι, εἰ καὶ προσέλαβεν ὁ ὑιὸς τȣ̃ Θεȣ̃ τὸ ἀνθρώπινον, ἀλλὰ καὶ ȣ̓́τως μία ἐςὶν ὑπόςασις ἀδιαίρετος, καὶ ἓν πρόσωπον ἐκ δύο φύσεων καὶ ἐν δυσὶ φύσεσιν. αἰσχυνέσθωσαν γὰρ ὁμοίως καὶ ὁ ἀνθρωπολάτρης Νεςόριος καὶ Διόδωρος, δύο τὰς ὑποςάσεις ὁμοίως ταῖς φύσεσι λέγοντες, Διόσκορός τε καὶ Σεβῆρος καὶ ὁ δυςυχέςατος Εὐτυχὴς, ὁμοίως τῇ ὑποςάσει μίαν καὶ τὴν φύσιν διδάσκοντες. κύριον μὲν, διὰ τὴν αὐτοῦ θεότητα καὶ τὴν τῆς θείας φύσεως κυριότητα. Ιησοῦν δὲ, διὰ τὴν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως πρόσληψιν. Ιησοῦς γὰρ σωτὴρ ἑλλάδι φωνῇ ἑρμηνεύεται· Χριςὸν δὲ, διὰ τὸ συναμφότερον.


Et in unum Dominum Jesum Christum.) Quia quamvis assumsit filius Dei humanitatem, attamen vel sic una est hypostasis individua, & una persona ex duabus naturis. Pudeat ergo perinde & hominicolam Nestorium ac Diodorum, qui duas hypostases æque atque naturas dicunt; Dioscorum item & Severum, & infelicissimum Eutychen **, qui juxta atque unam hypostasin, sic etiam unam edocuere naturam. *Dominum*, propter ejus Deitatem, & divinæ naturæ proprietatem: *Jesum*, propter humanæ naturæ assumtionem; Jesus enim *salvator* græca voce redditur: *Christum*, propter utramque caussam.

1. In Cod. vitiose παρέληφε.
2. Hic locus leviter corruptus est. Malim ergo in fine legere σημαινόμεθα. Paullo ante nota vocabulum παντοκρατορία.
3. Pro τῆς Θεȣ̃ δημιȣργίας.
4. Post vocabulum αὐόκτον erat spacium vacuum unius vocabuli. Puto autem excidisse vocem Αρειον.

* Infra quæ de principio dicit, græcanicum quid sapiunt benigne interpretandum.

** Latine Bonaventura.

SAECUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.



Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ) ἡ τῶν ἄρθρων προσθήκη τὸ, ἕνα τὸν υἱὸν εἶναι παρίστησι, τὸν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας γεννηθέντα. εἰ γὰρ καὶ πολλοὶ υἱοὶ, ἀλλὰ κατὰ χάριν ἔχουσι τὴν υἱοθεσίαν. ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ υἱὸς, φύσει υἱός ἐστιν αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἄλλης οὐσίας, ἀλλὰ τῆς αὐτῆς. ἵνα δὲ μή τις εἴπῃ, ὅτι ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ κατὰ τοῦτο ἐλαττοῦται τοῦ πατρὸς, ἐπιφέρει τὸ ἑξῆς·

Τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων) ὁ γὰρ αἰώνων καὶ πάντων ἁπλῶς δημιουργὸς, πῶς μετὰ τοὺς αἰῶνας ἔσται; ὥστε ἐκ τούτου τὸ συναΐδιον δείκνυται, καὶ Ἄρειος καταβάλλεται καὶ Εὐνόμιος.

Φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ) καὶ ταῦτα τὸ ὁμοούσιον συνίστησιν.

Γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα) γέννημα γὰρ, οὐ κτίσμα, οὐδὲ ποίημα.

Ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο) τὴν ἰσοτιμίαν, ἣν ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ἐμφαίνει. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος παντοκράτωρ, καὶ δημιουργὸς ἐλέγετο πάντων, οὕτω καὶ ὁ υἱός. ὁμοούσιον δέ ἐστι, τὸ ἀπαραλλάκτως τυγχάνον τῆς αὐτῆς οὐσίας καὶ φύσεως.

Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα) ὁρᾷς, πῶς οὐχὶ ἄλλον μὲν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἄλλον δὲ τὸν τῆς παρθένου διδάσκει τὸ ἅγιον σύμβολον, ἀλλὰ τὸν αὐτόν; διὰ τοῦτο γὰρ καὶ Παῦλον τὸν Σαμοσατέα καὶ Νεστόριον ἀποβάλλεται, τοὺς τὸ ὅλον πρόσφατον καὶ ἀπὸ Μαρίας ἀρξάμενον τὸν Χριστὸν βλασφημοῦντας. ἀλλὰ δὴ καὶ ὁ ἄνους Ἀπολλινάριος διὰ τούτων τῆς ἐκκλησίας ἀφορίζεται, ἄλλο κακὸν ἐναντίον τυγχάνον τοῖς προτέροις. ἐκεῖνοι γὰρ ἐκ Μαρίας τὸ ὅλον, ὡς εἰπεῖν, ἄρξασθαι τὸν Χριστὸν ἔφασαν· οἱ δὲ περὶ Ἀπολλινάριον, τὸ πᾶν ἄνωθεν ἔχειν, καὶ μηδὲν ἐκ τῆς παρθένου ἀνειληφέναι, ἀλλὰ καὶ τὴν σάρκα ἐκ τῶν ἄνω καταγαγεῖν, καὶ μηδὲ τέλειον ἄνθρωπον εἶναι. λείπειν γὰρ αὐτῷ τὸν νοῦν, καὶ ἀντὶ τοῦ νοῦ τυγχάνειν αὐτῷ τὴν θεότητα. ὅρα δὲ, πῶς πρῶτον κατελθόντα εἶπεν ἐκ τῶν οὐρανῶν, εἶτα σαρκωθέντα. πρὸς γὰρ τὸ τοῦ Ἀπολλιναρίου σαφῶς ἀπομάχονται δόγμα. ὅρα δὲ, πῶς σαρκωθέντα φαμὲν ἀληθείᾳ, οὐ φαντασίᾳ. οὐ γὰρ σαρκωθῆναι δόξαντα, ὥσπερ Μάνις [1] ἔλεγε καὶ Κέρδων καὶ Μαρκίων.

Ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου) οὐ γὰρ διὰ Μαρίας τῆς παρθένου, ὡς Ἀπολλινάριος ἔλεγεν, οὐδ' ὥσπερ διὰ σωλῆνός τινος τῆς παρθενικῆς μήτρας, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐπεδήμησεν, ἄνωθεν τὴν σάρκα κατάγων ὡς ἀεὶ συνουσιωμένην αὐτῷ, καθάπερ Οὐαλεντῖνος ἐλήρησεν, ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου.

Ἐκ πνεύματος ἁγίου) ὅτι Θεὸς ἦν, ὁ ἐν τῇ παρθενικῇ βρεφουργούμενος μήτρᾳ. Μαρίας δὲ τῆς παρθένου, ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς ἦν τὸ πρόσλημμα, τῆς ὄντως παρθένου, ἅτε δὴ καὶ ἀειπαρθένου. οὔτε γὰρ πρὸ τῆς γεννήσεως ἐγνώσθη ἀνδρὶ, ὡς Καρποκράτης ἔλεγε καὶ οἱ τούτου ὁμόφρονες Μασσαλιανοὶ, οὔτε μετὰ τὴν γέννησιν. διὰ τούτων καὶ Ἀπελλῆς ἀπελαύνεται τῆς ἀληθινῆς ποίμνης Χριστοῦ, οὐκ ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου φάσκων αὐτὸν, ἐκ δὲ τῶν τεσσάρων στοιχείων τὴν ἑαυτοῦ σάρκα συμπήξασθαι, εἰς ἃ καὶ ὕστερον ἀναλυθῆναι, ὅτε εἰς οὐρανοὺς ἀνελήλυθει.

Κατελθόντα) κάθοδον νοητέον, οὐ τὴν ἐκ τόπου μεταβατικὴν μετάστασιν, ἀλλὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς συγκατάβασιν.

Σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα) τουτέστι, οὐ μόνον σάρκα, ἀλλὰ καὶ ψυχὴν καὶ νοῦν καὶ ὅλως

A *Filium illius Dei illum unigenitum*) Articulorum adjectio unum filium esse commendat ex paterna essentia natum. Etsi namque sint filii alii; at secundum gratiam habent adoptionem: iste vero filius Dei, natura filius est ejus, & non alterius essentiæ, sed ejusdem. Ac ne quis dicat, fuisse aliquando quum non erat, & proinde minorem esse patre, subinfert quod sequitur:

Ex patre natum ante omnia sæcula.) Qui enim sæculorum, & quidem omnium absolute opifex est; quei post sæcula esse possit? Qua re hinc coæternitas ejus demonstratur, & Arius profligatur atque Eunomius.

Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.)

B Hæc quoque consubstantialem evincunt.

Natum, non factum) Genimen etenim est, non creatura vel opus.

Consubstantialem patri, per quem omnia fuerunt.) Ostendit æqualitatem honoris, qua cum patre fruitur. Sicut enim ille omnipotens & conditor dictus est universorum, ita & filius. Consubstantiale porro est, quod sine ulla diversitate ejusdem compos est essentiæ & naturæ.

Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est ex Spiritu sancto & Maria virgine, & homo evasit.) Viden' quomodo non alium quidem filium Dei, alium vero Virginis docet sanctum symbolum, sed

C unum eumdemque? Per hoc enim & Paullum Samosatenum & Nestorium submovet, qui blaspheme tuentur illud; Novum prorsus, & a Maria incipientem Christum. Quin & amens Apollinarius per hæc ab ecclesia arcetur, qui diversa fuit a superioribus pestis. Illi enim a Maria prorsus, ut ita loquar, incepisse Christum dixerunt: at Apollinarius, quidquid ille est ab æterno habere, & nihil ex Virgine assumsisse; quin & carnem de supernis detulisse, & neque perfectum hominem esse. Deficere enim illi mentem; ac pro mente habere illum divinitatem. Vide porro, quomodo prius dixerit descendisse de cælo, deinde incarnatum. Pugnant * namque manifeste contra Apollinarii dogma. Attende

D etiam, quomodo incarnatum dicimus veritate, non illusoria specie. Nec enim dicimus incarnari visum, ut Manes ajebat & Cerdo & Marcio.

Ex Spiritu sancto & Maria virgine.) Non enim per Mariam virginem, ut Apollinarius dicebat, neque sic ut per canalem quemdam virginalem nempe alvum, Dei filius inter nos venit, de supernis carnem deferens, tamquam semper essentialiter sibi adjunctam, ut Valentinus deliravit: sed *ex Spiritu sancto & Maria virgine.*

Ex Spiritu sancto.) Quia Deus erat, qui in utero virginali formatus est infans. *Ex Maria virgine:* quia de essentia ejus erat quod ab eo assum-

E tum est: quæ reipsa virgo fuit, quippe quæ scilicet etiam semper virgo. Neque enim antequam ille nasceretur, a viro cognita fuerat, ut Carpocrates dicebat eique concordes Massaliani; neque post nativitatem. Per hæc Apelles quoque extruditur de vero grege Christi; qui eum non ex Maria virgine ajebat, sed ex quatuor elementis sibi carnem compegisse; in quæ etiam postea dissoluta fuerit, quando in cælum rediit.

Qui descendit) Descensum cogitare oportet, non de loco translatitiam mutationem, sed condescensionem ad nos.

Incarnatus est & homo factus.) Id est, non solum carnem, sed & animam & mentem & o-

1. Sic h. l. reperi pro Μάνης.

* Symboli auctores.

ὅλον ἀνειληφότα τὸν ἄνθρωπον, οὐχὶ κατὰ τὸν Ἀπολλιναρίου.

Σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου) ἰδοὺ καὶ Βασιλείδης διὰ τούτου ἐκβάλλεται, Σίμωνα παθεῖν τὸν μάγον λέγων, νομισθέντα εἶναι Χριστόν. ὥσπερ καὶ οἱ Ισμαηλῖται αὐτὸν μὲν προφήτην εἶναι οἰόμενοι καὶ ἀγαπητὸν τῷ Θεῷ καὶ ἀναληφθῆναι εἰς οὐρανοὺς, παθόντα μὲν, σταυρωθῆναι δὲ αὐτοῦ τὴν σκιάν. ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου. καὶ τοῦτο, ἵνα ἐξ ἱστορίας, τὸν χρόνον ἀκριβῶς παραδιδούσης, οἱ ἀπὸ Μαρίας, τῆς ἀδελφῆς Μωϋσέως, τὸν Χριστὸν γεγεννῆσθαι φάσκοντες [1],

. . . . [2] καὶ παθόντα καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς) παθόντα καὶ ταφέντα φησὶν, οὐ παθεῖν καὶ ταφῆναι δόξαντα, ἀλλ' ἀληθείᾳ καὶ πάθος καὶ θάνατον ὑπομείναντα καὶ ταφήν.

Καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς) τὰς παλαιάς, ἐτυποῦτο γὰρ διὰ τῶν παλαιῶν καὶ προεσημαίνετο διὰ τῶν προφητειῶν τριήμερος ἡ τοῦ σωτῆρος ἀνάστασις. τάχα δὲ οὐ ταύτας μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς τοῦ εὐαγγελίου, ἐν αἷς τρανῶς ἡ ἀνάστασις τοῦ κυρίου κηρύττεται.

Καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς) τοὺς οὕτω λεγομένους Χριστολύτας αἱρετικοὺς τοῦτο ἐκβάλλει τῆς ἐκκλησίας, οἳ γυμνῇ φασι τῇ θεότητι, καὶ οὐ μετὰ σώματος εἰς οὐρανοὺς ἀνελθεῖν. ὡς γὰρ ἀνέστη μετὰ σώματος, οὕτως ἀνῆλθε μετὰ σώματος.

Καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς) ὥσπερ, ὅταν λέγωμεν κατελθεῖν, εἰ καὶ μὴ τὴν σάρκα ἐκεῖθεν εἶχεν, ἀλλ' οὖν ἐν σώματι γενέσθαι φαμὲν, καὶ διὰ σώματος ἡμῖν ὁμιλῆσαι, οὐχὶ γυμνῇ τῇ θεότητι, οὕτω καὶ ἀνεληλυθέναι νοοῦμεν μετὰ σώματος. τί δέ ἐστι τὸ καθίσαι ἐκ δεξιῶν; ὅτι οὐκ ἐλάττων ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, οὐδὲ, ὅτι ἄνθρωπος γέγονε, διὰ τοῦτο ἠλάττωται. ἐμφαίνει δὲ αὐτοῦ ἡ καθέδρα τον . . . . . . [3] αὐτοῦ καὶ δεσποτείαν. οὐ γὰρ δούλου ἐστὶ τὸ καθῆσθαι.

Καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης) ἐρχόμενον, ὃ δεσποτείας ἐστὶ καὶ τῆς ἀληθοῦς κυριότητος.

Κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς) κρῖναί ἐστι, τὸ διελεῖν καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατ' ἀξίαν τῶν ἔργων αὐτοῦ. ζῶντας νοοῦμεν, τοὺς πιστεύσαντας εἰς Χριστὸν, καὶ τὴν πίστιν ἔργοις ἀγαθοῖς βεβαιώσαντας· νεκροὺς δὲ, τοὺς μὴ πιστεύσαντας, δοκοῦντας δὲ ἔργα ἔχειν χρηστὰ, καὶ πίστιν μὲν ἔχοντας, οὐ μὴν δὲ καὶ διὰ τῶν ἔργων λαμπρυνομένους τῆς πίστεως.

Οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος) ἀθανάτου γὰρ ὄντος αὐτοῦ, ἀτελεύτητος ἔσται καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ.

Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν) ταῦτα τὴν φύσιν σημαίνει τοῦ πνεύματος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ, τὴν πρὸς τὸν πατέρα, καὶ τὸ, ἐνυπόστατον αὐτὸ εἶναι [4] . . . . τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐνταῦθα λεγόμενον ἐπὶ τῆς τοῦ ἐκπορευτοῦ ὑποστάσεως. ζωοποιὸν δὲ, ἐπειδὴ καὶ ζωή. ὃ γὰρ ἔχει, τοῦτο καὶ ἑτέροις χαρίζεται.

Τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον) τοῦτο χαρακτηριστικόν ἐστι τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως. τὴν πρὸς τὸν πατέρα δὲ σχέσιν ἐμφαίνει.

Τὸν σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον.) τοῦτο τὴν ὁμοτιμίαν καὶ τὸ ἀξίωμα παρίστησι. μία γὰρ ἐξουσία καὶ μία δόξα τῶν τριῶν.

Τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν) ἐνέργειαν τοῦτο σημαίνει τοῦ πνεύματος, ἐξ ἧς [5] . . . . οὐκ ἐνέργειά ἐστι. τὸ γὰρ λαλοῦν, ἐνεργοῦν ἐστιν, οὐκ ἐνέργεια.

A omnem omnino hominem assumsit; non secundum Apollinarium.

Crucifixusque pro nobis sub Pontio Pilato.) Ecce Basilides quoque per hoc rejicitur, qui ait Simonem magum fuisse passum, qui Christus reputatus fuerit. Sicut etiam Ismaelitæ, qui arbitrantur eum prophetam ac Deo dilectum assumtumque in cælum, passum quidem fuisse ajunt, sed crucifixam ejus umbram. *Sub Pontio Pilato.* Et hoc, ut ex historia quæ tempus diligenter docet, qui dicunt Christum natum fuisse ex Maria sorore Moysis, confutarentur.

. . . . . . *& passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas.*) Passum &
B sepultum fuisse ait, non pati ac sepeliri visum; sed vere passionem ac mortem & sepulturam subiisse.

Et resurrexit tertia die secundum scripturas.) Veteres nempe. Figurabatur namque per veteres scripturas, & innuebatur per prophetias triduana salvatoris futura resurrectio. Forte etiam non has dumtaxat intelligunt, sed & scripturas evangelii, in quibus liquido resurrectio Domini prædicatur.

Et ascendit in cælos.) Hoc expellit de ecclesia hæreticos, qui dicuntur Christolyti: qui nuda divinitate ajunt, & non cum corpore eum in cælos reversum. Sicut enim surrexit cum corpore,
C ita cum corpore ascendit.

Et sedet ad dexteram patris.) Sicut quando descendisse dicimus, etsi carnem inde non habebat, nihilominus in corpore fuisse dicimus, & per corpus nobiscum fuisse conversatum, non nuda divinitate; ita & ascendisse cogitamus cum corpore. Quid autem sibi vult sedere ad dexteram? Quod non minor sit filius patre, nec, quia homo factus est, propterea imminitus est. Ostendit autem sedes ejus *æqualitatem* illius atque dominium. Non enim proprium est servi sedere.

Et iterum venturus est cum gloria) Venturus, quod dominii est veræque auctoritatis.

Judicare vivos & mortuos) Judicare, est divide-
D re & tribuere cuique juxta meritum operum ejus. Vivos intelligimus eos qui crediderunt in Christum, fidemque bonis operibus confirmaverunt: mortuos contra, eos qui non crediderunt, & videntur opera habere bona; qui cum fidem habeant, non tamen per opera fidei illustrantur.

Cujus regni non erit finis) Cum enim immortalis sit ipse, æternum erit regnum illius.

Et in Spiritum sanctum, dominum, vivificantem) Hæc naturam signant Spiritus, & relationem ejus ad patrem, & quod persona subsistens sit . . . . . Spiritus proprie heic dictus in procedentis hypo-
E stasi. Vivificantem vero, qui etiam vita est. Quod enim habet, id & reliquis largitur.

Qui ex patre procedit) Hoc est characteristicum personæ Spiritus. Ostendit relationem ad patrem.

Qui cum patre & filio coadoretur & conglorificatur.) Hoc æqualitatem honoris & dignitatem demonstrat. Una est enim potestas & una gloria trium.

Qui loquutus est per prophetas.) Virtutem hoc innuit Spiritus, ex qua ..... non operatio est. Qui enim loquitur, operans est, non operatio.

1. Hic videtur excidisse verbum, v. c. πταίσαντας λυρῶντες aut aliud quid tale.
2. Ante καὶ in Codice est spacium vacuum.
3. Hic ante αὐτοῦ exciderat in Codice vocabulum.
4. Hic erat rursus spatium unius vocabuli in Cod.
5. Forte hic excidit φανερὸν, ὅτι.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1090.

Εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν.) οὐ γὰρ εἰς ἄλλην μὲν διὰ τῶν προφητῶν, εἰς ἄλλην δὲ διὰ τῶν ἀποστόλων ἐλάλησε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἁγίαν δὲ, ἐκ τοῦ ὄντως καὶ φύσει ἁγίου λαβοῦσαν τὸ ἅγιον κατὰ μέθεξιν. καθολικὴν, ὅτι πάντα τὰ ἔθνη ἐνεκολπώσατο, καὶ οὐχὶ ἓν, καθὰ πάλαι τῶν Ἰουδαίων. ἀποστολικὴν δὲ, ἀπὸ τῶν ταύτην συστησαμένων ἀποστόλων.

Ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν) πίστις καὶ βάπτισμα δύο τρόποι τῆς σωτηρίας ἡμῶν.

Προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν) διὰ τοῦ προσδοκᾶν ἀνάστασιν ἀπὸ τῶν μηδὲ ὅλως εἶναι λεγόντων· διὰ δὲ τοῦ νεκρῶν, ἀπό τε τῶν τὴν διαδοχὴν τῶν γεννωμένων λεγόντων εἶναι ἀνάστασιν.

Καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀμήν.) διὰ τοῦ ζωὴν] τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀπὸ τῶν τοιαύτην λεγόντων ἔσεσθαι ἐκεῖ τὴν ζωὴν, οἵαν κἀνταῦθα, καὶ τοιαῦτα εἶναι τὰ σώματα πληρούμενα καὶ κενούμενα καὶ ἡδονῶν ἐμπαθῶν ἀπολαύοντα. ζωὴ γὰρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἐξηλλαγμένη παρὰ ταύτην. τὸ ἀμὴν οἷόν τι ἐπισφράγισμά ἐστιν ἀκροτελεύτιον, ἀντὶ τοῦ μετὰ πάσης ἀληθείας.

A *In unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam.*) Non enim in alia per prophetas, in alia vero per apoſtolos loquutus eſt Spiritus ſanctus. *Sanctam*, tamquam quæ ex revera ac natura ſancto ſanctitatem ex participatione acceperit. *Catholicam*, quia omnes gentes ſuo ſinu fovet, non unam, ut olim ſynagoga Judæorum. *Apoſtolicam*, ab apoſtolis fundatoribus.

Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.) Fides & baptiſma duo modi ſunt ſalutis noſtræ.

Exſpecto reſurrectionem mortuorum.) Per exſpectationem reſurrectionis, * ab iis qui omnino eam eſſe negant; per mortuorum vero, ab iis qui ſucceſſionem B naſcentium eſſe ipſam reſurrectionem dicunt.

Et vitam futuri ſæculi, Amen.) Per vitam futuri ſæculi, ab iis qui dicunt talem futuram ibi vitam, qualem heic; talia item eſſe corpora, quæ repleantur, evacuentur, & voluptuoſis paſſionibus fruantur. Vita etenim futuri ſæculi diverſa erit a præſenti. *Amen* eſt veluti ſigillum quoddam ad calcem poſitum, pro Cum omni veritate.

* Supple *ſecernimur*, vel quid ſimile. Ita & mox.



SANCTI HILDEBERTI EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

USu pariter & necessitate docemur ad amicorum suffragia convolare. Hinc est, quod ego non solum in necessitatibus meis ad vos concurrere compellor, sed etiam in meorum angustiis amicorum. Cum igitur ad vos Radulphus accesserit, scitote in eo me vobis loqui, vos & precari, quatenus in eo mihi subveniatis, scientes me pro eo loqui devotius, quam pro me ipso. Quia vero non est meum docere vos, quomodo, vel quam devote eum juvetis, hoc significo tamen vobis, hanc meam esse voluntatem, ut impensiori studio ei subvenire satagatis quam mihi, quotquot adversus eum convenerint filii sæculi, scilicet quærentes ei potius incommodare, quam Ecclesiæ subvenire, vel justitiæ.

EPISTOLA II.

SAlutem, & obsequiorum devotionem. Novit dilectio vestra Stephanum decessisse cum quo q. v. Radulphus, noster quidem filius, vester autem Decanus, in Apostolica acturus erat audientia, apud vestram pro eo interpellamus discretionem, quatenus pro eo impetretis, ne pro caussa, qua Romam iturus erat, necesse sit eum ulterius fatigari.

EPISTOLA III.

SIcut dicit de carissimo patre filius, sic apud nos de vobis in aure conqueror, quoniam pro obedientia vestra adversariis meis factus sum tota die in derisum, & insultationi eorum expositus ita confundor, tamquam omnino qui amiserim disponendi de commissa mihi Ecclesia facultatem. Quod profecto emerserit ex eo, quod corrigendi enormitatem Capellaniæ meæ, canonicam, & traditam omnibus Episcopis potestatem abstulistis. Accessit etiam ad hoc, quod ego stupeo, quod vehementius quicumque audiunt, admirantur, & vos præcepisse excommunicatis nostris non solum Ecclesiæ beneficium, quod pro sua culpa amiserant, reddi; verum etiam communionem altaris, & sacerdotii officium sine satisfactione, sine audientia, sine absolutione restitui. Ego autem licet gravatus, vestris tamen sum obsecutus præceptis, minus attendens illud apostolicum; *Quæ conventio Chhisti ad Belial? aut quis consensus templo Dei cum idolis?* Vestram itaque paternitatem precibus, & lacrymis exoro, & tamquam pedibus apostolicis provolutus deposco, ne corporis nostri infirmitatem mentis anxietate gravetis, sed dignemini præcipere, ut disponendi canonice de Capellania mea integram habeam potestatem.

EPISTOLA IV.

HOnorio Dei gratia reverentissimo, ac sanctissimo patri suo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ summo pontifici Hildebertus humilis Turonorum

A minister integræ perseverantiam obedientiæ. Literas ad nos, beatissime pater, vestra dedit sublimitas continentes, ut caussam, quæ de conjugio N. de Edone, & Agn. uxoris suæ suscitata fuerat, utraque parte convocata canonice satageremus terminare. Quibus cum diem agendi ex nostro dedissemus præcepto, ipsa A. pro brevitate temporis, & pro loco, ad quem suos non poterat advocatos ducere, & maxime VV. de Javalle fratrem suum cum Comite Guerrino habere, se ad caussam non posse venire prætendit. Præterea contigit, ut ante diem, quam posueramus, Francorum rex ad coronandum nos invitaret, & in eadem die, quam utique dederamus, egredi de nostra sede nos tempore, & B conditione viæ cogeremur. Porro non exaudire regem, cui postulatum debebamus obsequium, & quem vel sic instigandum Ecclesiæ speravimus, * cessurum & in majorem adversum nos indignationem, nemo est qui dubitet. Cum igitur nos & excusatione Agn. & vocatione, qua vocati sumus a rege, scripto die caussam non possemus terminare, competentem ei obtulimus diem, quem tamen ipse omnino suscipere recusavit, quod ideo vobis, pater sancte, significandum censuimus, ut si quis aliter id referret, vos & dilationis caussam & rei veritatem cognoscatis. Conservet vos Dominus Ecclesiæ, sancte pater.

C IVONIS CARNOTENSIS EPIST.

SUo benefactori, & domino. Quantum liberalitati vestræ simus obnoxii, quantasve beneficiis vestris debeamus gratias, nec explicare lingua sufficimus, nec opere promereri. In quantum nobis desuper datum est, æque per vestram incolumitatem, & salutem orationes Deo multiplicabimus, quemadmodum & pro nobis. Quia vero fortassis, quod sine lacrymis dicere non possumus, faciem vestram ulterius visuri non sumus, quod ad salutem vestram pertinet, vestræ providentiæ duximus suggerendum. Est obedientia quædam in terra vestra, ubi sanctimoniales boni, & probati testimonii, Domino servire noscuntur, unde & vestram rogamus sublimi- D tatem, quatenus pro salute animæ vestræ parentumque vestrorum obedientiam illam manu tenere dignemini, præfatique loci Abbatissam, quæ sibi nomen bonum religione, & vita promeruit, & tuitione memoratæ obedientiæ fatigatam usque ad vos exaudire velitis, Christum in illa, sicut credimus, suscepturi. Denique transfretaturum vos audivimus, & a nobis longe recessurum. Sed hoc certum habeatis, quod *aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem*, qua vos amplectimur, qua Dominum deprecamur, ut angelus pacis iter vestrum comitetur.

E HILDEBERTI EPISTOLA V.

SAlutem, & ætatem pariter, & consilio superare. Eos, qui obsequiorum sunt immemores, bruta etiam accusant, quæ benefactores suos & de-

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1100.

votius sequi manifestum est; & velut in gratiarum actione eis assistere, & blandiri. Quæ profecto te imitari, Domino Deo gratias ago, cujus consilio providisti, ne beneficia, vel obsequia ejus apud te inremunerata remanerent. Quod ego & laudo, & tibi gratias ago fidem in eo gerens, quod in futurum & majora providebis. De quo quid * ipse plenius tibi indicabit, utpote qui preces meas, & consilium ad illos vidit in literis meis, & legit, & intellexit.

SANCTI HILDEBERTI CENOMANENSIS EPISCOPI.

SERMO I.

In adventu Domini.

I. SEntio, fratres carissimi, sentio cum sapiente illo, qui dicit: *Gratior est fructus, quem spes productior edit.* Unde & fructus divini cum hominibus colloquii tanto vobis debet esse jocundior, quanto fuit exspectatio ipsius diuturnior, exhibitio mirabilior, experientia dulcior, usus major. Præmissi sunt autem nuncii, qui sacrosanctum edicerent colloquium, homines ad illud invitarent, venturis quidem præmia, nolentibus autem pœnam pollicerentur æternam. Hi Prophetæ fuerunt, qui colloquium illud non solum verbis prædocuisse, sed actibus etiam figurasse noscuntur. Sic enim Moyses ait: *Prophetam suscitabit vobis Dominus de medio vestri tamquam me: ipsum audite.* Et Isajas; *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Fuerunt etiam, quorum actus præfati colloquii prophetiam fuisse scriptura commemorat. Hinc est, quod Jeremias, cum nudatur, prophetat; David, cum se ipsum propriis manibus gerit; Daniel, cum in lacum leonum mittitur; Osee, cum fornicariam ducit uxorem; Jonas, cum tribus diebus, & noctibus in ventre ceti tenetur. Has Apostolus prophetias & præcessisse perstringens, & ostendens completum in Christo colloquium, sic ad Hebræos scribens ait: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus, & prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Locutus est, inquit, nobis in filio, quod locutus est nobis in Christo. Quomodo Deus locutus est nobis invisibilis, & incognitus nobis? Ut videri posset, & cognosci a nobis, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Verbum Dei, filius Dei nobis in carne visus est, in carne nobiscum de nobis locutus est. Locutus est autem de pacificando homine cum angelis, de collocando inter angelos, de provehendo super angelos. Locutus est, inquam, de commutanda dissimilitudine nostra in similitudinem suam, de morte nostra in vitam suam, de confusione nostra in gloriam suam. De his omnibus omnium creator ante omnia tempora habuit secum consilium, colloquium cum homine in tempore. Ut autem secretum illud consilium aperiretur, missi sunt duo angeli in mundum, unus qui consilium detegeret, alter qui detectum adimpleret. Unus, qui Mariæ virgini nunciaret nasciturum de Maria virgine sequestrem nostrum, alter qui in carne sumta de virgine profiteretur advocatum nostrum.

II. Porro sequester ille, & advocatus noster hodie natus est nobis. Quare sic Isajas promisit nobis: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Puer*, inquit, *natus est;* puer autem iste Deus, & homo est. Deus & homo præfati consilii negotium exsecutus est. Nulli fides desit, cum denunciatur in matre virginitas: nulli spes, cum prædicatur in prole divinitas. Gestum quidem utrumque contra naturam, sed propter naturam; utrumque etenim opus gratiæ, sed officium naturæ. Utrumque novum, sed oraculis repromissum. Utrumque beneficium, sed usu diversum. Siquidem pudor matris, gloria est personæ: divinitas filii, profectus naturæ. Pudor in matre servatus est, testificatur filium ejus hominem Deum. Divinitas homini unita est, unitura Deo credentes in Deo homines. Erubescat Judæus infelix, confundatur infelicior Helvidius. Derogat Judæus divinitati Christi, uterque perpetuæ virginitati matris Christi. Debacchatur Judæus & uritur, cum dicitur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Idem quoque aurem avertit, & Isajam pervertit, cum scriptum advertit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, & in Ezechiele: *Porta hæc, quam vides, non aperietur, & homo non transiet per eam, sed clausa erit in æternum.* Hæc ideo porta, quod per eam Christus ingressus est in mundum, sed per clausam in æternum. Bene clausam in æternum, quoniam clausam ante partum, clausam in partu, & clausam post partum. Facescat perfidia Judæi fabulantis ex Joseph conceptum Christum. Facescat Helvidii spurcitia garrientis filios virgini natos post Christum natum. Sed adhuc, o Judæe, sermo nobis ad te est, adhuc enim apud te facies Moysi velata est; nondum tibi tuæ legis splendor inluxit, nondum mysteria prophetarum. Densiores tenebræ operiunt te, quam Ægyptios propter te. Opes tibi exuberant, & egestate torqueris. Appositus est esculentior apparatus, & fame deficis. In spica frumentum portas, & quam suave sit, nondum gustasti, nondum sensisti. Pueri David per sata transeuntes spicas fricabant, & manducabant. Frica & tu spicam legis, frange hordeum legis, & invenies siliginem legis. Invenies enim sub palea præfocante medullam satiantem, sub occidente litera spiritum vivificantem. Aperi cisternas prophetarum, puteos erudera, & occurret tibi fons David, *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sed tu miser venas aquæ limpidioris obturas, tu cum allophylis puteos imples, quos foderunt pueri Isaac. Opponis enim fimum, cum tibi fulgor legis exprimitur; insultas gratiæ Dei, cum Maria virgo concepisse, virgo peperisse perhibetur. In patriarchis, & in filiis eorum opera gratiæ audis, & credis, veneraris, & extollis; in creatore autem prophetarum cur ita naturam amplecteris, ut gratiam persequaris? Abrahæ Sara filium peperit, cum eis sterilitas, & senium spem prolis abstulissent,

Inficiari, Judæe, non potes, Saram in Isaàc plus debuisse promissioni, quam nuptiis, gratiæ quam naturæ. Ante Moysen visus ardere rubus nullum patiebatur ex igne dispendium. Inficiari, Judæe, non potes, opus hoc signi potius fuisse, quam rubi; gratiæ, quam naturæ. Sitiebat in deserto Israel, & sitis angustias impatienter sustinebat. Accessit Moyses ad petram, & ea bis percussa, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet, & jumenta. Judæe, inficiari non potes, opus hoc signi potius fuisse, quam lapidis; gratiæ, quam naturæ. Rem loquar manifestam; paucos esse credo, qui lapidem crystallum ignorent. Lapis iste, lapis splendidissimi coloris, & candidi; hunc B aqua perfusum, ac deinde ferventi suppositum soli scintillulas emittere celebre est. Nulla tamen ex his scissura lapidis, nulla sui exitus vestigia scintillæ derelinquunt. In crystallo eadem integritas, idem splendor perseverat. Egreditur inde, quod humanis usibus prosit, non quod lapidis interpolet claritatem. Idem tamen si ei aut sol, aut aqua defuerit, non invenitur emittendo igni idoneus. Ubi autem ambo concurrunt, ex utroque simul in crystallo conficitur, quod competenter & conceptum virginis imaginetur, & partum. Cui enim sacratissima virgo rectius quam crystallo comparatur, in qua velut ad cumulandam ceterarum plenitudinem virtutum, perpetuæ virginitatis splendor effulsit? Ea divinis præparanda mysteriis velut aqua perfunditur, ampliorem susceptura gratiam, qua mirabiliter quidem admitteret filium Dei Deum, mirabilius autem emitteret eumdem hominem Deum. A natura siquidem minus alienum videtur cælesti virtute virginem impleri, quam de virgine veram hominis exire substantiam. Fortassis autem, Judæe, moveris, quanam aqua virginem perscripsi perfusam? Aquæ nomine sanctum intellige Spiritum. De hujusmodi aqua Dominus per Johelem loquens sic ait: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ.* Et per Ezechielem: *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hac profecto aqua dum virgo perfunditur, ad admittendum solem justitiæ invisibiliter præparatur. Præparatur, inquam, quod eam Spiritus sanctus ab omni æstu concupiscentiæ carnalis obumbrando protexit. Unde ad incrementum, & plenitudinem gratiæ virgini nostræ accessit, ut ingressurus eam Dei filius, & purgatam inveniret a reatu alieno, & immunem a proprio. *In malivolam enim animam non poterat intrare sapientia, nec habitare in corpore subdito peccatis.*

SERMO II.

In Carnotensi concilio.

Sermonem quem in Carnotensi scriptum concilio terminari superveniens prohibuit caussa, ut ad minorum eruditionem exarare non gravarer, nonnullos præsidentium postulasse recordor. Quod & vos fratres carissimi, flagitantes, adjecistis plurima, quibus stili nostri somnolentiam excitari posse credidistis. Scilicet sic oportet episcopum vivere, ut etiam sepultus exemplo vivat omnibus: aut verbo esse apud Deum inferiorem populo sacerdotem, cujus nec doctrina in benedictione est, nec vita. Ex abundanti fratres, hoc addidistis, scientes quod pepegerim mecum vos honorare, vos diligere in Christo, vobis in his omnibus morigerari, quæ vel amicum postulare conveniat, vel facere possim postulatus. Unde & votis vestris affuturum me promisi, quod utinam minime promisissem! siquidem mendacii arguar, nisi solvam quod spopondi; si stilo indulgeam, ridiculus scriptor inveniar. In silentio itaque delictum est, in pagina confusio. Malui tamen ingenium defectu, quam sacerdotem mendacio accusari. Hinc est quod operi manum apposui, rogans ipsum fieri procul ab oculis hominum, si senseritis ipsum linguas hominum formidare. In quo si forte reperiar addidisse aliquid, aut demsisse, si non eumdem tenuisse ordinem: scitote, quod scribere decreverim, non prædicare, & corrigere scripto, si quid fuit in sermone peccatum.

II. Nisi fallor, præsens capitulum sermonis initium fuit: [a] *Oculi sapientis in capite ejus, stultus autem in tenebris ambulat.* In superficie hujus literæ nihil, quod ad fidem erudiat, nihil quod moribus prosit, invenitur; sive enim sapiens homo sit, sive insipiens, oculi ejus usquam nisi in capite ejus. Necesse est ergo intellectum quæri altiorem. Latet fructus in foliis, os putei clausum est. Tollite folia, & invenietis fructum pretiosiorem cunctis operibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Eruderate puteum, & occurret vobis fons aquæ salientis in vitam æternam. Apostolus dicit: *Caput mulieris vir, caput autem* C *viri Christus.* Caput istud, caput, de quo descendit unguentum in barbam, barbam Aaron. Ex isto capite totum corpus Ecclesiæ subsistit, totum sentit, totum vegetatur, totum regitur. Caput ergo Ecclesiæ Christus. In hujusmodi capite Scriptura sapientis oculos esse commemorat. Verum non sapientis sapientia hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum; quia sapientes sunt homines ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Alia vere & longe alia est sapientia, ea scilicet, qua thesaurizamus thesauros in cælo, qua miserentes pauperi Deum fœneramus, qua facimus nobis amicos de mammona iniquitatis, cum defecerimus, in æterna nos ta- D bernacula recepturos. Hujusmodi sapientiam sapiens in Christo capite suo intentis oculis figat, is in ipso legat, quod a nullo salus absque ipso. Is ipsum sequitur propter ipsum, is arduam & arctam viam, cum Psalmista dicens: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Vobis etiam, quorum professio est sacerdotium, vobis, inquam, præ ceteris id ipsum incumbit, nam & vestrum caput ipse Christus est. A Christo autem mentis lumina avertere, in tenebris ambulare est. Ne ergo vos tenebræ comprehendant, in eo sint lumina cordis vestri. Lux enim de luce Christus, Christus liber vitæ est, sed liber scriptus foris, & intus; si dirigantur in hanc lucem lumina vestra, bonæ fient E viæ vestræ, & studia vestra. Si libro huic inhæserint oculi vestri, foris in eo temporalia videbitis, intus autem spiritualia. Foris enim cum Maria cernetis Christum in muneribus a magis adoratum, cum Anna susceptum in templo, cum discipulis a discipulo traditum Judæis, cum Joanne clavis, & lancea perforatum. Foris inquam, aspicietis obsequio Joseph eumdem exhibitum sepulcro, custoditum a militibus in sepulcro, testibus angelis suscitatum de sepulcro. Intus autem adorabitis unigenitum Dei filium, quotidie audientem a patre: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Intus contemplabimini sapientiam, qua erupere abyssi, & nubes rore concrescunt. Intus amplectemini reformationem vestram. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Præterea cum his omnibus do-

[a] Eccl. II. 14.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1100.

cebimini, sacerdotem debere gloriam Deo, sibi censuram, vitiis odium, confœderationem moribus, doctrinam populo, reverentiam sacramentis, quorum scilicet sacramentorum contemtus judicium * de his ergo rogatus scribere, quia sacerdotibus obsequor, oratione sacerdotum inde precor subveniri. Pulsantibus ad ostium misericordiæ fortassis aperietur, & ex eorum potero suffragiis, quod me nec ingenio, nec meritis posse confido.

III. Tria itaque sunt in civitate Dei nostri sacramenta, quæ & tempore cetera præcesserunt, & in reparatione filiorum Dei principatum obtinere noscuntur. Eorum primum est conjugium, secundum baptismus, tertium Dominicæ mensæ sacra libatio. His in juventute mundi forma est divinitus impressa, certi fines assignati, quos excedere, quia non expedit, auctoritas non permittit. Quippe Christiani formam conjugii primæ parentis nuptiæ prætenderunt. Baptismum diluvii ablutio expressit. In sacrificio Melchisedech præfixum est altaris Christi sacramentum. De quibus nos amplius aliquid auxiliante Domino locuturi singula necesse est percurramus. In illo igitur primorum parentum conjugio masculum, & feminam communis assensus astrinxit. Ætas amborum suscitandæ proli conveniens. Conjux una sub uno marito. Secretiore tori licentia vir uxorem cognovit. Indivisum usque ad mortem matrimonium. Ecce formam, ecce primi terminos conjugii. Nos tamen excedere, atque uti carne carnalius necessitas, & proles, & duritia docuerunt. Constat enim necessitate factum, ut ad negotium nuptiale frater sorori cohæreret, & propinquitatum nomina nominibus matrimonii jungerentur. Dehinc amore prolis vir unus ad plures intravit uxores. Divortium autem contractum est duritia maritorum. Quid de Jacob Dominus dixerit audiamus: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ille tamen ante partum electus, dilectus ante meritum, patriarcha ex patriarchis, ex Jacob Israel, ex pecudum custode cælestis militiæ contemplator, inter Liam & Rachelem discurrit, utique conjugium debitum persolvens. Helcana cum ei Phennena filios generaret, Samuelem ex Anna suscepit. Fuerunt & alii viri sancti, qui non ad liberas tantum, sed simul ad ancillas etiam ingressi, benedictionem filiorum ex carne præter carnem quæsierunt. Quorum tales cum talibus commixtiones si divinam traherent indignationem, Augustinus nuptias Abrahæ non his commendaret verbis: *Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Joanne, qui passus non est; sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui duos filios generavit. Illius enim cælibatus, & hujus conjugium Domino pro tempore militaverunt.* Porro quod virorum duritia repudii libellum dictaverit, Salvator sic ad Judæos loquens ostendit: *Moyses ad duritiam cordis vestri uxores vestras dimittere permisit. Ab initio autem non fuit sic.* Intra terminos itaque primi conjugii necessitate suscepta est consanguinitas, prolis affectu multiplex uxor, virorum duritia diffidium. *At ubi venit plenitudo temporis, misit filium suum in mundum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*; adventus ejus sub priore forma sacramentum restrinxit nuptiarum.

IV. Ex tunc a matrimonio exclusa est cum affinitate consanguinitas, remotus uxorum numerus, Evangelii inhibitum lege divortium. Etenim, quia *novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et illud: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Sancta & sine exemplo hujus novi hominis, & vita simul, & doctrina. Qui enim caritate venit ad homines, doctrina simul, & vita dilatavit inter homines caritatem. Si quidem sub eo discitur inimicos etiam diligendos, ut caritas dilatetur. Discitur bonum pro malo reddendum, ut caritas dilatetur. Discitur inter extraneos tantum contrahendas esse nuptias, ut caritas dilatetur. Magnum in hoc etiam, & celebre conjugii bonum: amici fiunt inde, qui nascuntur inimici. Inde est, ut carne quidem maritus & uxor uniantur, animo autem universa eorum parentela. A Christianis autem nuptiis ideo multa uxor exclusa est sub gratia, quia Salvatore nato quærendi potius erant spirituales filii, quam carnales. Nec tam Jacob imitandus, generans qui generarent Christum, quam Joannes generare renuens propter Christum. Unde & sic Apostolus ait: *Volo omnes homines esse, sicut & ego sum.* Ne igitur homo fieret *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, licentia coutendi conjugibus obliterata est. Ne fornicationis ureretur incendio, una uni indulta est. De quo etiam Apostolus his loquitur verbis. *Unusquisque suam habeat propter fornicationem, & unaquæque suum. Hoc autem dico non secundum imperium, sed secundum indulgentiam.* Præterea quidem Deus erat, qui ad procreandum genus humanum, mulieri uni conjugavit unam carnem; Lamec autem homo, & peccator, qui primus in duas uxores divisit unam carnem. In quo jam tunc evacuatum est quoddam conjugii bonum, scilicet fides, qua sicut uxor ad alterum vivente viro, sic & vir ad alteram, dum superstes est conjux, ingredi prohibetur. Ne igitur vel hujusmodi boni Christianum defraudaretur matrimonium, unitati pluralitas cessit. Cessit etiam stabilitati divortium, in qua sacramentum esse conjugii sic Augustinus ostendit: *Omne nuptiarum bonum impletum est in parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Plene* (f. *prolem*) *cognoscimus ipsum Dominum: fidem quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium.* Porro nullum divortium esse nihil aliud est, quam usque ad alterius mortem conjugium stabile, & firmum perdurare. Sane quod aliis omnibus omissis, quæ in legitimo exiguntur matrimonio, ipsius stabilitati sacramentum Augustinus ascribit, prærogative potius, quam singulariter dictum, quidam non imprudens, sicut opinor, dixerit; sacramentum enim sacræ rei signum esse, non contemnenda tradidit auctoritas. Quod autem sub nubilibus annis celebrandæ sunt nuptiæ, sacræ rei signum est. Quod assensu viri simul & mulieris, sacræ rei signum est. Quod unus uni tantum conjungatur, sacræ rei signum est. Quod indulgetur invicem genitivo usui & honesto, sacræ rei signum est. Quod separari non possint in Domino conjuncti, sacræ rei signum est. Idcirco cum Apostolus de conjugio loqueretur: *Magnum*, inquit, *hoc sacramentum, dico autem in Christo, & in Ecclesia.* Nimirum sponsus Ecclesiæ Christus, sponsa Christi Ecclesia. Hora, qua fons super fontem sedit, tempus fuit nuptiarum: hora autem illa, hora quasi sexta. Ostendit hoc Evangelista, cum dicit: *Jesus fatigatus ex itinere sedebat supra fontem, hora erat quasi sexta.* Si fides præstatur auctoritati, sexta hora sexta ætas. In hac ætate celebrari nuptias oportuit, ætas enim illa plenitudo temporis est, in qua nubilis facta est Ecclesia, & viro paratior. Ante hoc

tempus parvula fuit, & ubera nondum habebat. A Ubi ad hoc temporis ventum est, in uberibus inventa est, & viro paratior. Quod Augustinus in Libro de tempore Christianæ Religionis his ostendit verbis: *Dicimus tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerunt credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Evangelium non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in ejus præsentia corporali fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis voluerunt credere. Quales etiam nunc multos videmus, cum tanta manifestatione de illo compleantur præconia prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana astutia resistere, quam tam claræ atque perspicuæ, tamque sublimi, & sublimiter diffamatæ divinæ credere auctoritati, quamdiu parvus & infirmus est intellectus hominis divinæ credere veritati. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus in prioribus sæculis noverat, ut eis apparere, vel prædicari merito nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* His itaque præmissis, consultum est infirmitati mortalium, & medicamine congruo, & tempore opportuno. Hora ideo sexta sedit supra puteum Jesus, sciens hora sexta venturam ad fontem Samaritanam; unde & ipsa ad fontem venit, & vivum fontem invenit. Sitiebat fons, & sibi dari libere postulavit; adquievit Samaritana, dedit de fonte fonti, ipsa susceptura fontem aquæ salientis in vitam æternam. Sexta igitur hora Christus potum petit, sexta hora sitienti Samaritana ministravit. Tempus hoc, tempus opportunum: in quo nuptias filio suo paterfamilias faceret, in quo Christus Ecclesiam oscularetur osculo oris sui, in quo inter ubera virginis sponsæ sponsus virgo commorari, & quiescere lætaretur. Tempus, inquam, opportunum, in quo generaret filios adoptionis, in quo lacte quidem parvulos aleret, robustos autem pane confirmaret doctrinæ. Hanc itaque temporis plenitudinem, quæ ad celebrandas spirituales nuptias desuper ordinata est, & exspectata diutius ille concursus annorum mystice signat, qui in contractu carnalium expetitur nuptiarum. Unde & ipse sacramentum est, quia sacræ rei signum est.

De communi consensu.

V. QUod animum ipsum, & Ecclesiam spontaneus, & communis consensus astruxerit, operæ pretium est non tacere. Ecclesiam Christus elegit, electam dilexit usque in finem, cum dilecta permansurus etiam post finem. De hac electione sic ipse discipulis loquens ait: *Ego vos elegi de mundo, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Elegit*, inquit, *Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.* Ejusdem quoque discipulis dilectionem suam ipse insinuans dicit: *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque a patre meo audivi, nota feci vobis.* Hujus dilectionis magnitudinem Evangelista perstringens: *Cum dilexisset*, inquit, *suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Scilicet in tantum dilexit eos, ut temporalem vitam finiret propter eos. O vere beatam, atque imitandam dilectionem! cœpit hæc ante crucem, deduxit ad crucem; permansura est post crucem. Mittens enim discipulos Dominus ad prædicandum, sicut agnos inter lupos, dicit: *Nolite timere; ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Qui sic ergo Ecclesiam elegit, qui electam dilexit usque ad mortem, dubium non est ipsum nuptiis ejus dedisse assensum. Quod autem sponsa hæc eligenti, ac diligenti sponso consenserit, sapientibus testimoniis declaratur. *Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare; erant enim piscatores.* Quare ait illis: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Qui statim relictis retibus, & navi, secuti sunt eum. Et progressus inde vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus cum Zebedæo* B *patre eorum reficientes retia sua, & ait illis: Venite post me. Qui statim relictis retibus, & patre secuti sunt eum.* Vidit & Matthæum sedentem in telonio, cui & dixit: *Sequere me; qui statim secutus est eum.* Secuti sunt & alii, quos etiam Scriptura dixisse commemorat: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Vocantur isti, & in modica supellectile totum mundum pro Christo derelinquunt; ad nuptias veniunt, de convivis in sponsam transituri. Deponunt retia, fructuosius homines piscaturi, quam pisces. Fastidiunt carnalis illecebras conjugii, felicius cælo generaturi, quam sepulcro. C Forensibus negotiis abrenunciant, veras divitias fallacibus præponentes. Dubitari non potest has Ecclesiæ primitias assensum præstitisse vocanti, quæ statim vocantem secutæ sunt. Vocatur etiam quotidie diaboli concubina, cujus menstrua dum lavantur fonte Christi, fit & ipsa sponsa Christi. Quotidie filia Cananææ fide matris a dæmonio liberatur. Quotidie regina austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Quotidie noster Osee meretricem ducit uxorem. Quanto autem amore sponsa hujusmodi ferveat, audiamus. Flagellantur in Actibus Apostolorum discipuli, cæsisque denunciatur, ne loquantur in nomine Jesu. Ipsi tamen gratias agunt, & gaudent, D *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Idem faciunt extra synagogam, dum confitentur Christum. Ponuntur in custodia publica, dicentes, *quia non est in alio aliquo salus.* Ipsi tamen gratias agunt, & gaudent, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ducitur extra civitatem lapidandus a Judæis Stephanus. Mittit Herodes, qui quosdam de Ecclesia affligerent, tradit & Petrum carceri, volens post Pascha producere eum populo. Ipsi tamen gratias agunt, & gaudent, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ter virgis cæditur pro Christo Paullus, semel lapidatur pro Christo, ter pro E Christo naufragium facit. Ipse tamen *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum* clamat: *Quis nos separabit a caritate Christi?* Alii ludibria experiuntur, & verbera, nullam suscipiunt redemtionem, e communibus excluduntur beneficiis, circumeunt in mellotis, in pellibus caprinis, hominibus spectaculum, & quasi peripsema fiunt. Ipsi tamen inter flammas, & furentium dentes bestiarum cum Paullo dicunt: *Quis nos separabit a caritate Christi?* Denique propter Christum æstimatur quasi oves occisionis, id experta, quod suis Dominus dicit: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Ipsa tamen inter mille mortes cum Paullo clamat: *Quis nos separabit a caritate Christi?* Hujus amore calebat, quæ per Salomonem dicebat: *Filiæ Hierusalem, nunciate dilecto, quia*

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 1100.



amore langueo. Ecce sacer, & plenus gratiæ consensus. Hoc inter Christum, & Ecclesiam contractæ sunt nuptiæ, quibus parit, non perit virginitas. Generantur filii, quibus sepulcrum non pollicetur hereditaria mortalitas. Hoc itaque mysticus ille signat consensus, qui in contactu carnalium expetitur nuptiarum; unde & ipse sacramentum est, quia sacræ rei signum est.

VI. Sed nec illud a mysterio vacat, quod diximus una uni conjungendam; una enim est sponsa Christi, quoniam una est Ecclesia Jesu Christi. De differentibus membris unum corpus est sub capite Christo. De duobus gregibus unum ovile sub pastore Christo. Unde & per Salomonem Dominus ipse sic loquitur: *Una columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, una genitrici suæ*. De eodem Cyprianus adversus Novatianum: *Ecclesia*, inquit, *una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii sunt, lumen unum, & rami arboris multi sunt, robur unum tenaci radice fundatum*. Idem: *Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, qui Christum potius indueret, integra vestis accipitur*. Ideo loquitur ad Moysen Deus dicens: *In domo una comedatur, non ejicietis de domo carnem foras*. Caro Christi, & semen Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est. Descivit ab hac unitate synagoga, quæ præventa sponsalibus Christi degeneravit in adulteram Antichristi. Jam tunc ea legitimum sponsum adversata est, quando in excelsis cum lapide, & cum ligno fornicata est. Misit ad eam vir suus, qui dicerent: *Revertere, & non est reversa*. Novissime venit & ipse, venit, inquam, venit ad eam, & in menstruis invenit eam. Obtulit annulum in manu ejus, murenulas aureas, & vermiculatas argento faciens auribus ejus. Denique gratiam suam revertenti promittens ait: *Revertere, & non est reversa*. Proh dolor! ea tunc in suis sordibus derelicta est, quia dereliquit fontem David patentem in ablutionem ignominiæ suæ. Tunc in lecto prostitutionis dimissa est, quia non cognovit tempus visitationis suæ. Tunc repudii libellum promeruit, quia verum abdicavit sponsum, maledicens cæco nato, & dicens: *Ex discipulis illius es, nos autem Moysi discipuli sumus*. Tunc accepit, quia rejecit suave jugum ejus, & onus ejus leve, quando clamavit: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*. Erit tamen, erit, inquam, tempus, in quo illa de contemtu in gratiam redeat, in dilectam de repudiata convertatur, de meretrice proficiat in virginem. Tunc & ipsa fiet sponsa Christi, non quidem altera, sed una & ipsa, & columba Jesu Christi.

VII. Sicut autem sponsa Christi sponsa una, sic & sponsus Ecclesiæ sponsus unus. Unum habet ea sponsum, unum diligit, unum cognoscit, uni generat, uni lactat, unus ille Sanctus sanctorum est. Idem Deus & homo est. Sanctum hunc sanctorum multi præcesserunt electi, multi etiam secuti sunt. Sicut sacra refert historia, præmissa est manus & brachium, cum Jacob ex Rebecca nasceretur. Deinde edito capite cetera membra in lucem novissime prodierunt. Tenebat autem manus præmissa plantam pedis Esau prægressi, sic ea caput antecessit nasciturum, sed ipsa membrum capitis nascituri: reliquæ partes natum caput secutæ sunt, sed partes ipsæ membra capitis jam nati. Sicut autem illa, & ista membra corpus unum, ita caput corporis hujus caput unum. Sic & Christum prophetæ præcesserunt, sic Helias, & Helisæus, sic plerique veteris æmulatores testamenti. Qui scilicet, ne populus duræ cervicis, & incircumcisus corde post deos alienos ambularet, aut sequeretur viam latam, & spatiosam, quæ ducit ad mortem, Pentateucho Moysi tamquam vinculis quinque digitorum pedes ejus ligasse, ac tenuisse noscuntur. Ubi autem veritas de terra orta est, secuti sunt apostoli veritatem, secuti sunt martyres, secuti sunt ii, quos undecima hora in vineam patrisfamilias venisse Matthæus commemorat. Ii quidem sub lege Christum in tempore præcessere, sed fide facti sunt membra nati Christi. Sicut autem illa, & ista membra corpus unum, & Ecclesia una, sic unius corporis caput unum Christus, & unius Ecclesiæ sponsus unus Christus. Attende Moysen; præco sponsi, non sponsus fuit. Considera plusquam prophetam; indignum se esse confitetur, qui solvat corrigiam calceamentorum sponsi. Paullum respice. Dictum est a sponso, quia oportet eum pati multa pro nomine sponsi. Intuere Petrum, & Andream, percurre discipulos; domestici quidem sponsi fuerunt, nullus autem sponsus. Vides igitur sponsam Christi unam esse Ecclesiam, & sponsum Ecclesiæ unum esse Christum. Utriusque autem unitatis signum est earum unitas personarum, quæ in contactu carnalis conjugii singulæ requiruntur: unde & ipsa sacramentum est, quia sacræ rei signum est.

VIII. Nuptialis autem, & contemplatione prolis indulta commixtio cum sit necessaria suscitando semini, magnum etiam in ea est sacramentum. Esse namque duas generationes veritas his declarat verbis: *Quod natum est ex carne, caro est*, quare quod natum est ex spiritu, spiritus est. Porro carnalis generatio tota carnaliter agitur; spiritualis autem spiritualiter impletur. Aquam vides, vides catechumenum, vides ministrum; id autem quod in aqua fit, non vides, quod apud catechumenum, quod per ministrum. * Purum vides elementum, sed signo crucis, atque virtute verborum vim secretam adquirit. Obligatus diabolo puer in fontem descendit; sed suus, & Christi liber egreditur. Profert verba minister, sed agnus baptizat, qui tollit peccata mundi. Generatio hæc ex veteri materia novam progeniem creat, non mutans substantiam, sed tollens culpam. Purgat enim ab antiquo personam contagio, inserens eam corpori Christi, & cælestem de terrena efficiens. Generatur illa generatione prima primus Adam, secundus in ista renascitur. Generatur ex illa diabolus, quod per istam stipendium redintegrat Angelorum. Unde & ea, quæ in carne generat, sacramentum est, quæ istius, quæ generat in spiritu, sacrum signum est

IX. Legimus autem Dominum super his, quibus invicem de conjugio complacuit, sic dicentem: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Hinc est, quod nisi in morte alterius dirimi non potest copula conjugalis. De quo sic Apostolus ad Corinthios scribens ait: *Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege viri. Cui vult nubat, tantum in Domino*. Utroque igitur superstite, superstes & inconvulsa matrimonii lex exsistit. Sic & spirituale conjugium Christi, & Ecclesiæ numquam dirimitur, numquam solvitur, quia numquam Christus,

numquam ſponſa Chriſti moritur. *Chriſtus* enim A *reſurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*. Et Apoſtolus: *Si terreſtris*, inquit, *domus noſtra diſſolvitur, habemus domum non manufactam, ſed æternam in cælis*. In cælis igitur uterque vivit, in cælis alter alteri congaudet. Vivit ſponſus in cælis, anima ſimul & corpore conſummatus. Vivit ſponſa in cælis, nequaquam felicior de glorificato ſpiritu, quia de glorificanda carne ſecurior. Congaudet ſponſus ſponſæ, quia abſterſit Deus omnem lacrymam ab oculis ejus, & introduxit eam in cubiculum ſuum. Congaudet ſponſa ſponſo, quoniam ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis, & regnum ejus regnum omnium ſæculorum. Haud profecto congaudendi vi- B ciſſitudinem caritas docuit, caritas movit, caritas, ea caritas inexſtinguibilis, & tranſire neſciens cum tempore. De caritate iſta ſic Iſaias ait: *Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, & caminus in Hieruſalem*. Noſtis, fratres cariſſimi, Sion ſpeculam; Hieruſalem vero viſionem pacis interpretari. Quare quidem ſanctorum animæ, dum mortalitatis hujus circumferunt corpus, in Sion eſſe dicuntur, ſcilicet a longe ſpeculantes, qui ſperant, & præſtolantur mercedem. Erunt eædem in Hieruſalem, quando duplici ſtola ſuſcepta facie ad faciem Deum videbunt, mutantes imperfectum plenitudine, ſpem munere, imaginem veritate. In illa Sion erat Apoſtolus cum dicebat: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*. Hanc ſibi Hieruſalem promittebat, cum ſubmittebat. *Tunc autem facie ad faciem*. Item idem: *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Eſt igitur ignis in Sion, & caminus in Hieruſalem, quia caritatis fervor modicus eſt in hac vita, plurimus in futura. In hac igniculus, in futura caminus. Hic portio, ibi plenitudo. *Veniet* enim *quod perfectum eſt, & evacuabitur quod ex parte eſt*. Porro ſicut numquam Chriſtus, numquam Eccleſia moritur, ita numquam tam beata inter eos exſtinguitur, aut exſtinguetur caritas; numquam ſolvitur, aut ſolvetur eorum beatiſſimum, & ſpirituale conjugium. Hujus tamen ſacratæ perennitatem copulæ ea ſtabilitas carnalis conjugii deſignat, quam viventi viro, & uxori, non homo, ſed Deus, non fori lex aſſignavit, ſed poli. Unde & ſtabilitas hæc ſacramentum eſt, quia ſacræ rei ſignum eſt.




NICETÆ

BYZANTII

PHILOSOPHI ATQUE DOCTORIS

REFUTATIO

Epiſtolæ principis Armeniæ, qua fidem Orthodoxam & Synodum OEcumenicam quartam invidioſe calumniatur.



ACCEDUNT

HERMANNI abbatis S. Martini Tornacenſis Tractatus *de Incarnatione D. N. J. C.*

GUILLELMI abbatis S. Theodorici Remenſis, ac poſtea Monachi Ordinis Ciſtercienſis Commentarius *in Cantica Canticorum*, excerptus ex libris S. Gregorii Magni papæ.

Ex ms. codice autographo abbatiæ Signiaci.

ΝΙΚΗΤΑ
ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ
ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ καὶ ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΥ

Ἔλεγχος, καὶ ἀνατροπὴ τῆς σταλείσης ἐπιστολῆς ἐκ τοῦ ἄρχοντος τῆς Ἀρμενίας, ἐπὶ διαβολῇ τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως, καὶ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς τετάρτης συνόδου. ἐξ ἐπιτροπῆς τοῦ φιλοχρίστου καὶ εὐσεβεστάτου βασιλέως ἡμῶν.

Ἐγράφη δὲ πρὸς τὸν ἄρχοντα, ἐκ προσώπου τοῦ πατριάρχου.

NICETÆ
BYZANTII
PHILOSOPHI ET DOCTORIS

Refutatio epiſtolæ ab Armeniæ principe miſſæ, qua invidioſe fidem noſtram orthodoxam, & ſanctam, & œcumenicam quartam Synodum criminatur, juſſu Chriſti amantis & piiſſimi noſtri imperatoris.

Scripta eſt ad principem, & patriarcham inducit loquentem.

L. Allatio *Interprete*.

α'. Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ καὶ θείοις κρίμασι, καὶ εὐμενείᾳ τῶν πανευσεβῶν καὶ ὀρθοδόξων ἡμῶν βασιλέων, τὸν ἀρχιερατικὸν βαθμὸν τῆς βασιλίδος πόλεως πηδαλιουχεῖν ἀναδεδειγμένος, πάσῃ σπουδῇ καὶ προθυμίᾳ τὸ λογικὸν ποίμνιον τοῦ ἀρχιποίμενος ἡμῶν Χριστοῦ ἐννόμως διέπειν καὶ διϊθύνειν ἐπείγομαι. καὶ ὡς ἡ δύναμις ἐγχωρεῖ, καὶ λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος παρὰ τοῦ τῶν ὅλων κυρίου χορηγεῖται, καὶ θείοις δόγμασι καταρτίζειν πυκνῶς τοῦτο ἐσπούδακα, ὡς ἂν χώραν μὴ λάβῃ ὁ τῶν ζιζανίων σπορεὺς διάβολος, καὶ τῷ ἀδόλῳ καὶ καθαρωτάτῳ σίτῳ· τουτέστι τῇ εἰλικρινεῖ καὶ ὀρθῇ πίστει καὶ διδασκαλίᾳ, ἐν ᾗ βεβαία καὶ ἀσάλευτος ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία ἕστηκε· ζιζάνια, ἤγουν αἱρετικάς τινας ἐννοίας ἐπισπείρῃ, καί τινας τοῦ θείου ποιμνίου καταλυμήνηται. διά τοι τοῦτο. εἰ καί τινες τῆς αὐλῆς κυρίου ἐντὸς γενόμενοι, καὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς μυστηρίου μετασχεῖν καταξιωθέντες, εἶτα ὑπό τινων εἰκαίων ἀνδρῶν κατασυρέντες, ἢ καὶ ἐξ ἀμαθίας, ἢ καὶ ἐκ προγονικῆς δυστροπίας κεκρατημένοι, καὶ μὴ λίαν ὀρθῶς τὸν ἀκριβῆ λόγον τῆς ἀληθείας καὶ καθαρᾶς δόξης τῶν Χριστιανῶν πρεσβεύοντες τυγχάνοιεν, τούτους τῇ μὲν τῇ κατὰ στόμα ὁμιλίᾳ ἐπανορθοῦν, καὶ ἐπιβιβάζειν εἰς τὸν τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ ὀρθοῦ δόγματος λόγον προθυμούμεθα, τῇ δ' οἷς κατὰ πρόσωπον ὁμιλεῖν, ὡς πόῤῥω που διεστῶτες ἐξαδυνατοῦμεν, τούτους διὰ γραμμάτων ἐπιστηρίζειν σπουδάζομεν. καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν πάντα τὸν περιούσιον λαὸν, καὶ τὸ βασίλειον ἱεράτευμα χρηματίσαν κυρίου, καὶ δεομένης ὠφελείας τῆς κρείττονος, ὡς οἷόν τε, ὁδηγεῖν ἡμᾶς ἐπάναγκες. τοῦτο γὰρ χρέος ἀφωσιωμένον ἀρχιερεῦσιν ἀεὶ καθέστηκε. ταύτῃ τοι διαθέσει ψυχῆς καὶ πρὸς τὴν εὔκλειαν τοῦ ποθουμένου ἡμῶν τέκνου, καὶ χρονίας ἡμῖν ἀγάπης πρὸς αὐτὸν καθισταμένης καὶ πλείστων ὡς εἰκὸς πρὸς τὸ γράφειν ἡμῖν συνωθέντων, ἔδοξε μᾶλλον διὰ τὸ, οὐκ οἶδ' ὅπως, ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐν τοῖς τῆς Ἀρμενίας κλίμασι δόγματος οὐκ ὀρθοῦ ἐνσπαρέντος καὶ ἐπισκήψαντος, Σευήρου τινός φημι αἱρεσιάρχου, καὶ τοὺς ἐκεῖσε πάντα καταλυμηναμένου

A I. Cum Dei humanitate, & divinis judiciis, nec non piiſſimorum, atque orthodoxorum noſtrorum imperatorum benignitate, ſupremam pontificatus ſedem reginæ urbium gubernare in me receperim, omni ſtudio, animique alacritate rationis compotem gregem Chriſti noſtri, inter paſtores primarii, uti fas eſt, regere, dirigereque adnitor, & ut vires miniſtrant, & oratio in oris apertione ab univerſorum Domino ſuggeritur, divinis ſæpenumero dogmatibus inſtruere contendo, ne zizaniorum ſatori dæmoni in ſincero ac puriſſimo frumento, vera ſcilicet rectaque fide, & doctrina, ſuper quam firma atque inconcuſſa catholica, & apoſtolica eccleſia fundata eſt, zizania, hæreticas nempe B opiniones diſſeminandi, noxamque divino gregi afferendi locus ſit. Quapropter licet nonnulli aulam Domini ingreſſi, noſtrorumque arcanorum participes facti, poſtea ab aliquibus temerariis hominibus ſeducti, ſive ex ignorantia, ſive avita moroſitate oppreſſi, non ita recte exquiſitam veritatis rationem, puramque Chriſtianorum ſententiam profitentur: hos nunc quidem conſueta oris allocutione corrigere, & in veritatis, rectique dogmatis norma conſtabilire incumbimus, nunc vero eos, quos ob longum locorum intervallum præſentes alloqui non poſſumus, per epiſtolas confirmare ſtudemus, & ut verbo extricem, univerſo populo accepto, & regio Sacerdotio, quod fuerat Domini, nec C non potioris utilitatis indigenti pro viribus viam commonſtrare neceſſarium eſt: hoc enim ſemper eſt proprium antiſtitum munus, atque officium. Propterea tum inclinatione voluntatis, qua ad gloriam noſtri deſideratiſſimi filii propendemus, tum amore diuturno, quo eum proſequimur, pleriſque etiam ad ſcriptionem compellentibus, viſum eſt ſatius, propter neſcio qua ratione multo ab hinc tempore in regionibus Armenorum dogma non rectum, Severi cujuſdam hæreſiarchæ jam per omnes eas par-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.

πρὸς τὸ γράφειν παρορμηθῶμεν· ὅθεν δὴ τῆς ἡμετέρας ἐπιστολῆς πολλαῖς ἀποδείξεσι χρησάμενοι, ἐν αἷς θᾶττον πρὸς τὸ δέον καὶ ὑμᾶς πεισθήσεσθαι ἐδόκουν, καὶ ἀναμνηθέντας τὸ ἀληθὲς τῆς ἀμώμου καὶ καθαρᾶς πίστεως τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου, μεθ' ἡμῶν στῆναι. καὶ ἅμα τὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν, τὸν ἐκ δύο φύσεων, καὶ ἐν δύο φύσεσι, καὶ δύο φύσεις ἔχοντα, μιᾷ δὲ τῇ ὑποστάσει ὄντα κυρίως δοξάσαι. ὅπερ ἀνέκαθεν, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν ἡ ὑφήλιος πᾶσα, καὶ οἱ ἀρχιερατικοὶ πέντε θρόνοι τῆς ἀποστολικῆς καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας τὸ τηνικάδε ἐν τῇ Χαλκηδονέων μητροπόλει συναθροισθέντες, καὶ κατὰ πάντα ὀπαδοὶ καὶ ὁμόφρονες ταῖς πρώην τρισὶν ἁγίαις συνόδοις γενόμενοι, κατὰ μηδὲν διαφωνήσαντες, συνοδικῶς ὥρισάν τε καὶ ἐθέσπισαν. B τοιγαροῦν ἐκ τότε καὶ μέχρι τῆς σήμερον οἱ ὀρθῶς καὶ εὐσεβῶς μετὰ τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας βιοῦν ἐθέλοντες, τὴν ἐκεῖσε συγκροτηθεῖσαν σύνοδον ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν τετάρτην πρὸς ταῖς ἄλλαις τρισὶν ἀσμένως ὑποδεχόμενοι διαπαντὸς σέβουσι. μένουγε ἐλπὶς ἡμῖν οὐχ ἡ τυχοῦσα παρῆν, ὅπως ἐκ τῆς ἡμετέρας ἐπιστολῆς πεισθέντες, ὅτι τάχιστα τῆς χείρονος δόξης μεταστάντες, καὶ πρὸς τὸ παρ' ἡμῶν ὀρθὸν δόγμα τῆς ἀληθείας πρεσβευόμενον, ἤγουν τὸ δοξάζειν δύο φύσεις καὶ μίαν ὑπόστασιν ἐπὶ τῆς οἰκονομίας Χριστοῦ, ἀμαρῶς μεταπέσοιτε.

A tes introductum, quod desæviens omnes ibi habitantes summopere lædit, ad scribendum animum applicare, ut inde nostræ epistolæ plerisque demonstrationibus usi, quibus quantocius vos ad id, quod æquum est, reduci existimo: & de novo veritatem inculpatæ sinceræque fidei christiani mysterii edocti, una cum nobis sentiatis, & simul unum Christum & Dominum, & Deum nostrum, qui ex duabus naturis, & in duabus naturis, & duas naturas habet cum unica hypostasi, uti est, teneatis, quod ab antiquo tempore, & fere, ut ita dicam, universus terrarum orbis, & quinque archieraticæ sedes catholicæ & apostolicæ ecclesiæ tum in Chalcedonensium metropoli coacti, in omnibus B consortes, ac concordes, & a primis tribus synodis minime in aliquo discrepantes, ex synodi sententia decreverunt, & determinarunt. Quapropter ex eo tempore ad hunc diem, qui recte pieque cum catholica & apostolica ecclesia vivere satagunt, ibi coactam synodum sanctam, & œcumenicam quartam, præ aliis tribus lubenter exosculati per omnia venerantur. Spes itaque certa nos tenet, vos nostra hac epistola persuasos, abjecta omni cunctatione a pessima vestra sententia recessuros, & ad rectum veritatis dogma, quod nos profitemur, nempe in œconomia Christi duas naturas, & unam hypostasim esse, facili negotio relapsuros.

C

β'. Ἐπεὶ οὖν τὸ ἐλπιζόμενον ἡμῖν εἰς πέρας οὐκ ἐκβέβηκεν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ γραφέντα ἐδυσχέρανας. καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἀντειπεῖν, καὶ ἀντιρρητικοὺς ἡμῖν λόγους γράψαι ἐπειράθης. τούτου χάριν πυρωθεὶς τῷ θείῳ ζήλῳ, καὶ τὴν τῆς σιωπῆς ὑφορώμενος δίκην, οὐδ' ἐνταυθοῖ ἀτημέλητόν σε καὶ ἀθεράπευτον καταλιπεῖν ᾠήθημεν. διὸ ὅσα μὲν ἐν τῷ γράμματί σου ἐπὶ διαβολῇ τῆς ἡμετέρας ἀληθινῆς ὁμολογίας ἐμφέρεται, καὶ ἄξια πως ὡς λόγου ὄντα, ταῦτα εἰς μέσον ἀγαγόντες ἀνατρέψαι πειρασόμεθα. Τοιγάρτοι μικρὸν μετὰ τὸ προοίμιον τῆς σῆς ἐπιστολῆς, οἱονεὶ ἐπισφίγγων καὶ ἐπισυνδέων τὴν τῆς ἀγάπης κτῆσιν, μετὰ τὴν εἰς μίαν ὁμολογίαν τῆς ἀληθινῆς καὶ ἀμωμήτου πίστεως, σπουδάζων D τοὺς ὁμοτρόπους ἐν οἴκῳ κυρίου φωτίζεσθαί τε καὶ καταρτίζεσθαι· εἰ καὶ τινες ἀπέδρασαν ἐκ ταύτης τῆς καλῆς καὶ ὀρθῆς ὁμολογίας, ἣς παρέδωκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι, καὶ κατώρθωσαν αἱ ἅγιαι τρεῖς σύνοδοι, καὶ τὰ ἑξῆς. ἀριδηλότατα ἡμῖν διὰ τούτων ἐνέφηνας τὴν σεαυτοῦ δόξαν, ἀποσεμνύνων καὶ μακαριστοὺς εἶναι οἰόμενος, οἷς ἂν μετὰ τῆς ἐνθέου ἀγάπης, καὶ ἡ τῆς ἀληθοῦς πίστεως ὁμολογία μία πάρεστι. τίς δὲ αὕτη ἡ ἀληθεστάτη ὁμολογία, ἣν οἱ ἀπόστολοι παρέδωκαν, καὶ αἱ ἅγιαι τρεῖς σύνοδοι κατώρθωσαν, εἰ καὶ τινες ἐκ ταύτης τῆς ὀρθῆς πίστεως ἀπεδυσπέτησαν; πάντως ἐρεῖς τὴν σεαυτοῦ, ἥτις μιᾶς φύσεως τὸν ἕνα Χριστὸν καὶ Θεὸν ἡμῶν ἐκ διαφόρων φύσεων μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀποτελεσθέντα ὁμολογεῖ, καὶ ἐκ E δύο φύσεων, καὶ δύο φύσεις ἔχοντα ἐν μιᾷ ὑποστάσει ὄντα ἀρνεῖται. τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον, τῆς συνθέσεως παρακατιὼν ἐν τῇ τοῦ θείου λόγου πρὸς σάρκα ἑνώσει γεγενῆσθαι σαφῶς διαγορεύεις. Βαβαὶ τοῦ θαύματος. πῶς εἰς τοὺς αὐτόπτας καὶ θείους κήρυκας τῆς ἀληθείας, ἀλλὰ μὴν καὶ τοὺς κατὰ διαφόρους χρόνους συνοδικῶς συνειλεγμένους ἁγίους καὶ θεοφόρους ἄνδρας τοσοῦτον ἐπιχέεις τὸν μῶμον; τίς γὰρ τῶν ὑγιῶς κρίνειν εἰδότων, παραδεδόσθαι ἢ βεβαιοῦσθαι φύσεις[1] παρὰ τοῖς ὑπηρέταις τοῦ λόγου, ἢ τοῖς θείοις πατράσι τὴν οὑτωσὶ παρὰ σοῦ πρεσβευομένην δόξαν, τὴν φάσκουσαν τὸν Χριστὸν μιᾶς φύσεως μετὰ τὴν ἕνωσιν εἶναι, καὶ ἐκ δύο μὲν ἀποτελεσθεῖσαν τὴν ἕνωσιν, ἐκ δύο δὲ, ἢ δύο εἶναι τὸ φύσει[2] μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀπαγορεύουσαν; διὸ εἰσαχθήτω ὁ κορυ-

II. Cum ergo, quod nos sperabamus, finem non habuerit, immo scriptis etiam nostris exasperatus, tu & contra ire, & refutatoriam quoque orationem scribere conatus es: ideo divino zelo succensi crimen silentii, & accusationem effugientes, te neglectum, & incuratum deserere operæ pretium esse non duximus. Quare quæcumque in epistola tua nostram veram professionem calumniatus attexuisti, aliquo tamen modo non indigna consideratione, in medium afferentes, redarguere conabimur. Atqui paullo post tuæ epistolæ procemium quasi astringens, & alligans mutuam amicitiam cum una veræ & immaculatæ fidei professione, studensque ut D tui similes in domo Domini illuminentur, & instruantur, *Licet nonnulli*, ais, *ex proba hac rectaque professione recesserint, quam sancti Apostoli tradiderunt, & sanctæ tres synodi perfecerunt*, &c. manifestissime nobis per hæc tuam opinionem indicasti, laudibus extollens, & beatos eos existimans, quibus cum divino amore veræ fidei professio una est. At quænam hæc fuerit verissima professio, quam Apostoli tradiderunt, & tres sanctæ synodi constabiliverunt, licet aliqui ex hac recta fide rebellarint, omnino dices tuam, quæ unius naturæ unum Christum, & Deum nostrum ex diversis naturis post unionem factum profitetur, & ex duabus naturis & duas naturas habere in una hypostasi E pernegat: Hunc enim compositionis modum in divini Verbi unione cum carne factum fuisse palam infra declamans. Heu rem miram! Quanam tu ratione testes oculatos, & divinos veritatis præcones, nec non sanctos, ac deiferos viros aliis temporibus ad synodos congregatos tandem culpas, & contumelia oneras? Quis enim ex iis, qui res dijudicandi peritia pollent, traditam esse, aut confirmatam dicet apud Verbi ministros, aut patres divinos, quam tu profiteris sententiam, quæ afferat, Christum unius naturæ post unionem esse, & ex duabus unionem confectam, in duabus vero, aut duas esse naturas post unionem inficietur? Propterea ac-

1. φύσαι.

2. Forte τὰς φύσεις, vel τὸ φυόμενον.

φαῖος τῶν ἀποστόλων Πέτρος διὰ τῆς ἑαυτοῦ ὁμολογίας ψευδηγοροῦντά σε δεικνύων, καὶ δι' ἐκείνου ἅπας ὁ τῶν ἀποστόλων σύλλογος. καὶ γὰρ Χριστὸς ὁ κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν τῷ τῶν ἀποστόλων ἔφη κορυφαίῳ Πέτρῳ· σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. τοῦτον δὲ τὸν λόγον ὁ κύριος ἔφη τῷ Πέτρῳ, ἡνίκα πρὸς τὸν κύριον, ἑαυτὸν υἱὸν ἀνθρώπου κεκληκότα, Πέτρος εἴρηκε· Σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. καὶ συνήχθησαν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἀμφότεροι οἱ λόγοι, καὶ πεπίστωται, ὅτι καὶ Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν. εἰ οὖν ἀμφότεροι οἱ λόγοι, τῆς θεότητός φημι καὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ ἑνὸς ὄντος Χριστοῦ καὶ κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν μετὰ τὴν ἕνωσιν αὐτοῦ κατηγοροῦνται, καὶ εἷς καὶ ὁ αὐτός ἐστιν ὁ ἀΐδιος υἱὸς, ὁ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς ἀχρόνως καὶ ἀπαθῶς γεγεννημένος, ὅς ἐστιν ὑπόστασις μία τῆς ἁγίας τριάδος· Θεὸς ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν ἀϊδιότητα, τὴν πατρικὴν οὐσίαν καὶ φύσιν ἀϊδίως ἐν ἑαυτῷ ἔχων, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου σαρκωθεὶς, καὶ ἐνανθρωπήσας· οὗτος ὁ ἀΐδιος υἱὸς ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ γεγονὼς ὡς εἷς τῶν ἀνθρώπων, κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας προσειληφὼς τὴν ἡμετέραν, ἣν οὐκ εἶχε, φύσιν, μεμενηκὼς αὐτῷ τῆς θείας, ἣν ἀϊδίως προεῖχεν, φύσεως· φανερὸν ὅτι ἐν δύο φύσεσι, καὶ δύο φύσεις ἔχων ἐστὶν, ὁ εἷς τῇ ὑποστάσει Χριστὸς μετὰ τὴν ἕνωσιν· εἴπερ τὸ Θεὸς ὄνομα καὶ ἄνθρωπος, φύσεών εἰσι δηλωτικὰ, ὡς κατὰ πολλῶν φερόμενα. οὐκοῦν τὸ τῆς εἰς Χριστὸν ὁμολογίας τοῦ ἀποστόλου ἀληθινὸν δόγμα, ὁ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συγκεκροτημένης θείας συνόδου τῶν ἁγίων πατέρων ὅρος ὀρθοτομεῖ· τὸν Χριστὸν ὁρίζων μίαν ὑπόστασιν ἐκ τῆς ἁγίας τριάδος εἶναι, δύο φύσεις ἔχοντα, φύσιν θείαν καὶ φύσιν ἀνθρωπίνην.

VIII. Præterea illud item, *quartam synodum una cum Nestorio sentire, quod duas naturas fateatur. Similiter etiam cum Nestorio concordare quicumque duas naturas fatetur: in eo tantum differre, quod ille duas, Synodus unam tantum personam teneat, & per id fucum orthodoxis fecisse, jactans se a Nestorio dissentire.* Ex tua ipsius oratione apertissime refellitur, comprobaturque eam a Nestorio discrepare, & si ipse falso eam criminaris. Etenim Nestorium duas naturas existimantem palam est duas naturas diversas per se subsistentes fateri; ideoque eorum unionem secundum habitudinem vocat. Sancta vero Synodus, ut tu ais, unam personam, & unam hypostasim sanciens, duas naturas in una persona per essentiam, & secundum hypostasim unitas, ut ipse mihi persuadeo, asseveratura est: neque enim fieri potest, duas naturas in una persona, & una hypostasi dicere, nisi eæ secundum hypostasim, & essentiam uniantur. Quod si id nemini dubium est, ex tua ipsius oratione demonstratur, non separatas naturas, & actus in Christo dicere sanctam, & œcumenicam quartam synodum, sed unitas secundum hypostasim. Alia etiam ratione id idem probatur. Si propter unionem solam etiam dumtaxat, quæ secundum hypostasim est, & non propter duas naturas Ecclesiæ alumni cum Nestorio altercantur, ut sanctus Cyrillus refert, tu quoque ipse affirmasti Synodum de persona unica,

1. τάς.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.



ρίῳ κατὰ τὸ ἓν πρόσωπον καὶ τὰ δύο, ὅπερ ποιεῖ τὸ μὲν ἓν τῶν φύσεων τὴν ἕνωσιν, τὰ δὲ δύο τὴν διαίρεσιν· φανερὸν, ὅτι κατὰ τὸ φρόνημα τὸ ὀρθὸν τῆς ἐκκλησίας διαφέρεται ἡ σύνοδος τῷ Νεστορίῳ· εἰ δὲ τοῦτο, δῆλον ὅτι οὐδὲ συμφωνεῖ. ἀδίκως ἄρα παρὰ σοῦ συκοφαντεῖται. καὶ ὅτι τοῦτο ἀληθὲς, Κυρίλλου ἄκουσον πρὸς Εὐλόγιον δι' ἐπιστολῆς αὐταῖς λέξεσιν· ἐπιλαμβάνονταί τινες τῆς ἐκθέσεως, ἣν πεποίηνται οἱ ἀνατολικοί. καὶ φασι, διατί δύο φύσεις ὀνομαζόντων αὐτῶν, ἠνέσχετο καὶ ἐπῄνεσεν ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας; οἱ δὲ τὰ Νεστορίου φρονοῦντες λέγουσι, κἀκεῖνον οὕτω φρονεῖν, συναρπάζοντες τοὺς οὐκ εἰδότας τὸ ἀκριβές. χρὴ δὲ τοῖς μεμφομένοις ἐκεῖνα λέγειν, ὅτι οὐ πάντα ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ, φεύγειν καὶ παραιτεῖσθαι χρή. πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν, ὧν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν. οἷον ὅταν λέγωσιν οἱ Ἀρειανοὶ περὶ τὸν πατέρα, δημιουργός ἐστι τῶν ὅλων καὶ κύριος. μὴ διὰ τοῦτο φεύγειν ἡμᾶς ἀκόλουθον τὰς τοιαύτας ὁμολογείας; οὕτω καὶ ἐπὶ Νεστορίου· κἂν λέγῃ δύο φύσεις, τὴν διαφορὰν σημαίνων τῆς σαρκὸς καὶ τοῦ Θεοῦ λόγου· ἑτέρα γὰρ ἡ τοῦ λόγου φύσις, καὶ ἑτέρα ἡ τῆς σαρκός· ἀλλ' οὐκ ἔτι τὴν ἕνωσιν ὁμολογεῖ μεθ' ἡμῶν. ἡμεῖς γὰρ ἑνώσαντες, ἕνα Θεὸν οἴδαμεν, ἕνα κύριον τὸν αὐτὸν ὁμολογοῦμεν. καὶ μετὰ βραχέα· οὐκοῦν οὐ τὸ εἰδέναι τῶν φύσεων τὴν διαφορὰν ὁρᾶν, διατεμεῖν ἐστι εἰς δύο τὸν ἕνα Χριστόν. καὶ πρὸς Νεστόριον αὐτὸς πάλιν λέγει παῦσαι διαιρεῖν τὰς φύσεις, μετὰ τὴν ἕνωσιν δηλαδὴ, τῇ ἀπαλλοτριώσει, οὐ τῇ ἀπαριθμήσει.

& bina cum Nestorio litem habere, quarum una unionem naturarum efficit, duo divisionem: palam est, secundum rectam Ecclesiæ sententiam synodum Nestorio adversari, eoque patet evidentissime eamdem cum eo non convenire; immerito itaque abs te & calumniose proscinditur. Hoc porro verum esse a Cyrillo audi epistola ad Eulogium his iisdem verbis loquentem: *Accusant nonnulli expositionem, quam Orientales fecerunt, ajuntque, quam ob caussam duas naturas illis asserentibus sustinuit, assensumque præbuit Alexandrinus? Qui vero Nestorium sequuntur, tradunt, eum hoc idem tenere, eos qui rem veram non noverunt, rapientes in fraudem. Reprehensoribus vero respondendum est, non omnia quæcumque hæretici tradunt fugienda, vitandaque sunt. Multa enim ipsi profitentur, quæ & nos profitemur, quemadmodum dum dicunt Ariani de Patre, creator est omnium & Dominus. Num propterea nos has voces declinare debemus? Sic & de Nestorio, licet tradat duas naturas discrimen carnis, & Dei Verbi innuens; namque alia est Verbi natura, alia carnis; at non item unionem nobiscum probat. Nos etenim unientes, unum Deum novimus, unumque Deum eumdem profitemur.* Et paucis interjectis, *quare naturarum discrimen agnoscere, non est Christum unum in duos subdividere.* Et ad Nestorium hic rursus scribit, *ne dividas naturas*, post unionem scilicet, *alienatione, non numeratione.*

Θ'. Ἐπειδὴ δὲ ἔσκωψας τὴν ἁγίαν τετάρτην σύνοδον, ὡς κενοφωνίαν[1] ποιήσασαν, καὶ διὰ τοῦτο ὁμοφρονοῦσαν τῷ Νεστορίῳ· οὐχ ἁπλῶς δὲ τοῦτο ἀπεφήνω, ἀλλὰ καὶ χρήσεις τοῦ τε ἐν ἁγίοις πάπα Λέοντος ἐκ τῆς ἐπιστολῆς, ἧς ἐκυρώθη ἡ τετάρτη σύνοδος, καὶ ταύτης τῆς συνόδου πρὸς τὰ τοῦ Νεστορίου ὁμοιοτρόπως ἐχούσας προκεκόμικας, ὡς ἐντεῦθεν συνάγων, ὅτι ἥ τε τοῦ πάπα Λέοντος ἐπιστολὴ, καὶ ἡ τετάρτη σύνοδος τῆς αὐτῆς ὁμολογίας ἐστὶ τοῦ Νεστορίου. φέρε δὴ καὶ αὐτὰς εἰς μέσον θέντες ἐπισκεψώμεθα, εἰ οὕτως συνῳδὰ τῷ Νεστορίῳ κατὰ διάνοιαν φθέγγονται, εἴγε καὶ μή. ἔχουσι δὲ αἱ χρήσεις κατὰ λέξιν ὧδε. γράφει Νεστόριος εἰς τὸ πρῶτον κεφάλαιον τοῦ διδασκαλικοῦ λόγου οὕτως· Ἐγὼ ἀδιαλλάκτως τὰς δύο φύσεις τοῦ Θεοῦ ὁμολογῶ, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, καὶ ἄνθρωπον τέλειον ἐξ υἱοῦ Δαβὶδ καὶ Ἀβραάμ. Γράφει δὲ ἐν τῇ ἐπιστολῇ αὐτοῦ οὕτως· Θεὸν ὁμολογῶ κατὰ τό· ἐν ἀρχῇ ὁ Λόγος. ἄνθρωπον ὁμολογῶ, ὅτι· ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. ἐπισκεπτέον πρότερον τὴν χρῆσιν Νεστορίου, εἰ ὀρθοτόμως ἔχει, ἢ οὔ. τὸ μὲν οὖν λέγειν, ὅτι δύο φύσεις τοῦ λόγου ἀπολύτως ὁμολογῶ, καὶ μὴ διορίζεσθαι μετὰ τὴν σάρκωσιν, οὐκ ὀρθῶς εἰρῆσθαι δοκεῖ. ἐπειδὴ ὁ ἀΐδιος υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ πρὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας μιᾶς φύσεως τῆς θεϊκῆς μόνης ἦν, μετὰ δὲ τὴν ἐνανθρώπησιν προσελάβετο καὶ τὴν ἡμετέραν, οὐκ ἔδει αὐτὸν ἀπολύτως εἰπεῖν, τοῦ λόγου, μὴ προσδιορισάμενον μετὰ τὴν σάρκωσιν, ἤτοι ἐνανθρώπησιν· εἰ δ' αὖ πάλιν δύο λέγων ἀδιαλλάκτους, καὶ νοῶν μετὰ τὴν ἀνθρώπησιν· εἰ μὲν τὴν ἕνωσιν ὡμολόγει, οὐ σχετικήν φημι, ἀλλὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν καὶ οὐσιώδη, ἤγουν ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ θεωρεῖσθαι, καὶ τὸν αὐτὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ Θεὸν ἔλεγε, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, καὶ ἄνθρωπον τὸν αὐτὸν χρηματίσαντα τέλειον, ὡς ἐξ ἀνθρώπου τῆς παρθένου καὶ υἱὸν Δαβὶδ καὶ Ἀβραὰμ γεγονότα, καθὰ τὰ λόγια μαρτυρεῖ, τάχα ἂν ἐντὸς ἦν τῆς ἀληθείας· ἐπεὶ δὲ δύο φύσεις ὁμολογῶν τοῦ λόγου, ταύτας οὐ καθ' ὑπόστα-

IX. Cum autem incusaveris sanctam quartam synodum tamquam res novas inducentem, ideoque una cum Nestorio sentientem: neque tantum id affirmasti, sed sancti Leonis pontificis ex epistola, qua quarta synodus constabilita est, nec non ejusdem synodi Nestorii dictis uniformia produxisti, ut inde colligas pontificis Leonis epistolam, quartamque ipsam synodum non absimilia Nestorio statuisse. Age hæc eadem in medium proposita perpendamus, an, ut ipse ais, sententia, Nestorio conformia adloquuntur, an secus. Auctoritates verbotenus ita se habent. Scribit Nestorius primo orationis suæ præceptoriæ capite, *ipse immutabiles duas naturas Dei profiteor, Deum verum de Deo vero, & hominem perfectum ex filio David, & Abraham.* Scribit item in sua epistola hoc modo; *Deum ipse profiteor, namque scriptum est, in principio Verbum: hominem quoque profiteor, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ante alia, Nestorii verba examinemus, recte ne an secus enunciata sint. Namque *duas Verbi naturas absolute profiteor*, dicere, neque post incarnationem determinare, haud recte dictum esse videtur. Quandoquidem sempiternus Filius, & Verbum Dei ante carnem assumtam unius naturæ, divinæ scilicet, solius erat: post incarnationem & nostram assumsit. Non decuit ipsum absolute dicere, *Verbi*, non determinantem post incarnationem, vel humanitatem assumtam. Si rursus duas dicens immutabiles, post carnem assumtam intelligeret: si unionem affirmaret non secundum habitudinem, sed hypostaticam, & essentialem, in uno, nempe Christo, considerari, & eumdem unum Christum, & Dominum, & Deum diceret, verum Deum de Deo vero, & hominem eumdem perfectum, veluti ex homine perfecto, Virgine, & filium David, & Abraham, ut divina testantur eloquia, verum attingere videretur. Cum vero duas Verbi naturas asserens, eas unitas

1. Forte καινοφωνίαν.

SECUL. XII.
CIRCA
ANN. CHR.
1120.



σιν ἑνῶσθαι ἔλεγεν ἐν τῷ ἑνὶ λόγῳ, ἤγουν ἐν τῇ μιᾷ ὑποστάσει Χριστοῦ, ἀλλὰ κατὰ ἀναφορὰν καὶ σχετικὴν ἕνωσιν. ἤτοι κατὰ ἀξίωμα, ἢ ταυτοβουλίαν, ἢ εὐδοκίαν ἔλεγεν εἶναι τοῦ λόγου πρὸς τὴν σάρκα, καὶ ἀνὰ μέρος ταῦτα ποιῶν ἕτερον εἶναι τὸν λόγον ἔφασκε, καὶ ἕτερον τὸν ἐκ Μαρίας· καὶ προσωπικὴν ἕνωσιν λέγων, οὐ τὸ ταυτιζόμενον τῇ ὑποστάσει πρόσωπον, ὅπερ ἐπὶ τοῦ καθέκαστον ἁρμόττει, ἀλλ' ἑτέρως κατὰ τὸ οἰκεῖον θέλημα ἐδόξαζεν. οἷον, ὡς ὅταν τις τὸ τοῦ ἑτέρου ὑποδυόμενος πρόσωπον, ἀντ' αὐτοῦ τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ ποιῆται λόγους, ἣν οὐ δεῖ κυρίως ἕνωσιν ἡγεῖσθαι, ἀλλὰ σχετικὴν ἕνωσιν τὸ ὅλον. καλοῦσι γάρ τινες πρόσωπα τὴν τινων σχέσιν πρὸς ἀλλήλους· οὐκ ἀγνοεῖ δὲ ἡ συνήθεια τοῦτο τοῦ προσώπου τὸ σημαινόμενον. λέγομεν γὰρ τὸν ἄρχοντα τοῦ βασιλέως ἐπέχειν τὸ πρόσωπον. κατὰ τοῦτο ὁ Νεστόριος τὴν προσωπικὴν ἐπρέσβευεν ἕνωσιν. διατί τοῦτο, δικαίως τῷ ἀναθέματι καθυποβέβληται. ὁ δὲ δὴ πάπας Λέων, ἐπειδὴ τὸν αὐτὸν ἕνα Χριστὸν καὶ κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν ἐν μιᾷ ὑποστάσει ὄντα ὡμολόγει, τὸν καὶ Θεὸν ὄντα καὶ ἄνθρωπον, Θεὸν μὲν ὡς συναΐδιον, καὶ ἀχρόνως ἐκ τοῦ πατρὸς φύντα, καὶ ὁμοούσιον τῷ τε Θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σάρκα γεγονότα, ἤτοι ἐνανθρωπήσαντα, καὶ γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καθὼς ἡ θεολόγος γλῶττα ἐκφωνεῖ, καὶ τὰ λοιπὰ λόγια μαρτυρεῖ, καὶ αἱ τῶν ἀποστόλων φωναὶ ὑφηγοῦνται, καὶ αἱ τῶν θεοσόφων πατέρων διδασκαλίαι τρανοῦσι· φανερὸν, ὅτι ὁ πάπας Λέων μετὰ τῆς ἀληθείας ἵστηκε, καὶ οὐ συμφωνεῖ τῷ Νεστορίῳ. καὶ πάλιν γράφει Νεστόριος, ὅτι οὐχὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ διὰ χειρῶν Ἰωσὴφ ῥάκη ἐνεδύθη, ἀλλὰ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου. γράφει Λέων, ὅτι τὸ μὲν ἔλαμπε διὰ τῶν σημείων, τὸ δὲ ὑπέπιπτε τοῖς παθήμασιν. ἐναργέστατα διὰ τῆς δε τῆς χρήσεως, ὁ μὲν Νεστόριος ἄλλον ποιεῖ τὸν Θεὸν λόγον, καὶ ἄλλον τὸν ἐκ Μαρίας, ᾧ καὶ ἰδικῶς πρόσωπον ἴδιον ὁμολογῶν, Ἰησοῦν ἐκάλει. ἔδει γὰρ αὐτὸν, εἴπερ ὀρθοτόμως ἔλεγεν, οὕτως εἰπεῖν. οὐχὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καθὸ λόγος, ἀκατάληπτος καὶ ἀπερίγραπτος καὶ συναΐδιος τῷ πατρὶ ὢν, ῥάκη ἐνεδύθη ὑπὸ χειρῶν Ἰωσὴφ, ἀλλ' ἢ καθὸ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἄνθρωπος γέγονε, κατὰ πάντα ὅμοιος ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας, καὶ νηπιάσας ἐνεδύθη ῥάκη ὑπὸ χειρῶν Ἰωσήφ. οὕτως δὲ μὴ εἰπὼν, φανερὸν ὅτι διαίρεσιν τὴν οὐ πρέπουσαν ἐποιήσατο τῆς μιᾶς ὑποστάσεως τοῦ Χριστοῦ, εἰς δύο πρόσωπα ταύτην τεμών. διατοι τοῦτο ἀναθέματι δικαίως καθυποβέβληται. ὁ δὲ Λέων, ὅτι τὸ μὲν ἔλαμπε διὰ τῶν σημείων, τὸ δὲ ὑπέπιπτε τοῖς παθήμασιν. οὐ δύο φησὶν ὅλα, ἵνα καὶ διαίρεσιν τῶν φύσεων εἰσάξῃ, ἰδιοσυστάτως θεωρούμενα, καὶ διὰ τοῦτο δύο πρόσωπα καὶ δύο ὑποστάσεις, ἀλλὰ δύο ἑνὸς ὅλου συμπληρωτικά. οὐδὲ γὰρ εἶπεν, ὁ μὲν, ὁ δέ· οὐδὲ καὶ ἵνα τι συγχωρήσας εἴπῃ, τὸ μὲν, ἁπλῶς ἄνευ προσθήκης, καὶ τὸ δέ. ἀλλὰ τί φησι; τὸ μὲν αὐτοῦ, καὶ τὸ δὲ, δηλονότι αὐτοῦ διά τινος τοῦ ὅλου φησὶ, τὸ μὲν τὸ συμπληρωτικὸν, καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν αὐτοῦ παραληφθὲν διαλάμπει τοῖς θαύμασι, τὸ δὲ ὁμοίως καὶ αὐτὸ συμπληρωτικὸν ὂν τοῦ ὅλου ἐν τῇ συνθέσει ἐκείνου παραλαμβανόμενον, ὑποπίπτει τοῖς πάθεσι. καὶ οὕτως νοοῦντι, ὥσπερ οὖν καὶ εἴρηται, παρὰ τοῦ ἐν ἁγίοις πάπα Λέοντος, οὐδὲν ἄτοπον, οὐδὲ βλάσφημον ἀπαντήσει. καὶ πάλιν γράφει Νεστόριος· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. γράφει Λέων, ὅτι ἡ σοφία ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον, καὶ γὰρ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. ταύτας τὰς χρήσεις οὔτε Νεστόριος ὁ ἐναγὴς οἴκοθεν προεβάλετο, οὔτε μὴν ὁ Λέων ἐφθέγξατο, ἀλλ' ἐκ τῆς θείας γραφῆς λαβόντες τοῖς οἰκείοις

A esse non secundum hypostasim in uno Verbo, in una scilicet Christi hypostasi, sed per relationem, & respectivam unionem, sive dignitatem, aut proprium consilium, aut beneplacitum fatetur esse Verbi ad carnem, & eas postmodum secundum partes dividens, aliud esse Verbum affirmaret, & aliud, quod ex Maria ortus suos agnosceret; & personalem unionem decantans, non personam, quæ una cum hypostasi est, & singulis convenit, sed alio modo, ut illi videbatur, confingat. Verbi gratia, veluti cum quis alterius personam induens, loco illius, & pro eodem sermonem habet, quæ proprie unio vocanda non est, sed mera respectiva unio; appellant enim nonnulli personas aliquorum B inter se respectum, seu relationem, nec usus ab hujus personæ significatu abhorret: dicimus namque principem regis sustinere personam. Cum inquam hac ratione Nestorius personalem profiteretur unionem, propterea juremerito anathemate ictus est. At Leo pontifex eumdem unum Christum & Dominum, & Deum nostrum in una hypostasi esse affirmans, Deum simul & hominem, Deum coæternum Patri, & absque tempore a Patre genitum, & ejusdem cum Deo & Patre & Spiritu sancto essentiæ; postremis vero diebus propter nostram salutem carnem factum, sive hominem, prognatum ex Spiritu sancto, & Maria Virgine, quemadmodum divina lingua enunciat, & reliqua eloquia testantur, C & voces apostolorum docent, & divina sapientia præditorum patrum doctrina commonstrat: manifestum est, Leonem pontificem a veritate stare, & cum Nestorio non concordare. Rursum scribit Nestorius, *Verbum Dei per manus Josephi pannis amictum non est, sed corpus Domini*. Leo autem, hoc quidem resplenduisse miraculis, illud vero passionibus obnoxium fuisse. Apertissime per hæc verba Nestorius alium Deum Verbum constituit, & alium ex Maria prognatum, cui & singulariter propriam personam constituens, Jesum nuncupabat. Debebat enim, si quid ille rectum exprimere volebat hac ratione enunciare: Verbum Dei, qua Verbum est incomprehensibile, & incircumscriptum, & Patri D coæternum, pannis non est circumvestitum per manus Josephi: qua vero propter nostram salutem homo factus est per omnia nobis similis absque peccato, & infans pannis per manus Josephi obvolutus est. Quod cum non dicat, manifesto evincitur, divisionem unius Christi hypostasis intulisse, eam in duas personas subdividens, proptereaque juremerito anathemate subactus est. Leo autem hoc miraculis resplenduisse, aliud disciplinis addictum fuisse dicens, non duo inquit integra per se subsistentia, ut & divisionem naturarum afferat; proptereaque duas personas, & duas hypostases: sed duo unius integri completiva. Neque enim dixit hic, & ille: neque ut aliquid etiam concederet, hoc, simpliciter absque addito, & hoc. Verum sic, hoc quidem il- E lius, & hoc vero, hoc est illius de aliquo integro sermonem habens hoc quidem ait completivum, & in compositionem ipsius assumtum, respondet miraculis: hoc vero, similiter & ipsum totius completivum in compositionem illius acceptum, passionibus obnoxium est. Ea quicumque sic intelligit, quemadmodum & a sancto pontifice Leone exponuntur, is nihil neque ineptum, neque blasphemum pronunciabit. Rursum scribit Nestorius, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Leo vero; *Sapientia ædificavit sibi domum, nam Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Has voces neque impius Nestorius ex propriis attulit, neque ipse Leo elocutus est, sed ex divinis literis haurientes,


συγγράμμασιν ἐνέθηκαν. ἀλλ᾽ ὁ Νεστόριος οὐ κατὰ βούλημα ἐκκλησιαστικὸν τὸ εὐαγγελικὸν ῥητὸν ἐξείληφεν, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἑαυτοῦ διεστραμμένον νοῦν. τὸ γὰρ· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, τοιαύτην ἔχει εὐσεβῆ διάνοιαν· ὅτι αὐτὸς ὁ θεῖος λόγος, ὁ εἷς τῇ ὑποστάσει τῆς ἁγίας τριάδος, μείνας ἀναλλοίωτος καὶ ἄτρεπτος ὅπερ ἦν, Θεὸς δηλονότι, προσείληφε σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ, καὶ ταύτην ἥνωσε τῇ θείᾳ φύσει ἐν τῇ οἰκείᾳ ὑποστάσει, δηλονότι τῆς θεότητος, οὐσιώδη καὶ καθ᾽ ὑπόστασιν τὴν ἕνωσιν ἐργασάμενος, ὡς μίαν ὑπόστασιν αὐτὸν ὄντα πιστεύεσθαι καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν ἤτοι ἐνανθρώπησιν, τῆς ἁγίας τριάδος προσθήκην οὐκ εἰσδεξαμένης προσώπου, καὶ μετὰ σαρκὸς νοοῖτο καὶ ἔστι. ταύτῃ τῇ ἐννοίᾳ τὸ εὐαγγελικὸν ῥητὸν ἡ τῆς ἐκκλησίας ἀκριβὴς διάληψις ἐξηγεῖται. τὸ δὲ· ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καλῶς γε ποιῶν ὁ θεολόγος, εὐθὺς ἐπήγαγεν, ἵνα δύο νοήσας τὰ σημαινόμενα, τόν τε σκηνοῦντα καὶ τὸ ἐν ᾧ ἡ σκήνωσις, μὴ εἰς σάρκα περιτετράφθαι νοήσῃς αὐτὸν, σκηνῶσαι δὲ μᾶλλον ἐν σαρκὶ, ὡς ἰδίῳ προσχρησάμενος σώματι, τῷ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου ναῷ.

A in propria commentaria retulerunt. Verumtamen Nestorius contra consilium ecclesiasticum, & ex sua depravata mente verba evangelica sumsit. Namque, *Verbum caro factum est*; sensum hunc pium obtinet; idem divinum Verbum, unum ex sancta Triade hypostasi, cum mansisset immutabile, immotumque quod erat, Deus scilicet, assumsit carnem animatam, anima rationis compote, & intellectuali, & hanc divinæ naturæ in propria hypostasi, Deitatis nempe, univit, secundum essentiam & hypostasim unione effecta, ut una hypostasis ipse post incarnationem, vel assumtum hominem crederetur, nullo additamento personæ aucta sancta Trinitate, is cum carne comprehenditur, & est. Hoc sensu dictum evange-B licum, exquisita sinceraque Ecclesiæ commentatio interpretatur. Ad illud vero, *habitavit in nobis*, recte Theologus statim subjunxit: ut duo, quæ significantur, intelligens habitantem, & in quo habitatio fit, ipsum in carnem immutatum non fuisse mente concipias, sed potius in carne inhabitasse, ac tamquam proprio usum corpore, quod ex sancta Virgine principium habuit, templo.

ι. Ἐπειδὴ δὲ περὶ σκηνώσεως ἤτοι κατοικήσεως τοῦ Θεοῦ λόγου πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐῤῥέθη τῷ εὐαγγελιστῇ, διοριστέον κατὰ πόσους τρόπους ὁ Θεὸς λέγεται ἐνοικεῖν ἐν ἡμῖν. λέγονται γὰρ καὶ οἱ ἅγιοι ναὸς Θεοῦ, ἐν ᾧ ὁ Θεὸς κατοικεῖ. ἀλλ᾽ ἐν τούτοις κατ᾽ ἐνέργειαν φήσειεν ἂν ὁ ὀρθὸς λόγος εἰρῆσθαι. λέγεται δὲ πάλιν καὶ ἡ παρθένος ναὸς Θεοῦ. ἐν ταύτῃ γὰρ ὁ Θεὸς λόγος οὐσιωδῶς κατῴκησεν, ὅπερ πλέον ἐστὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων, καὶ ἀσυγκρίτως. ἐν δὲ τῇ οἰκείᾳ σαρκὶ, ᾗ ὡς οἰκείῳ προσεχρήσατο σώματι, τῷ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου ναῷ, οὐσιωδῶς καὶ καθ᾽ ὑπόστασιν ἑνωθεὶς αὐτῷ ὁ Θεὸς λόγος, κατοικεῖν ἐν αὐτῷ λέγεται. καὶ ταύτῃ μὲν τῆς ἐκκλησίας τὸ εὐσεβὲς φρόνημα. ὁ δὲ Νεστόριος διεστραμμένως ἐξείληφε τὸ ῥητόν. τὸ γάρ· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἐν οἰκειώσεως λόγῳ, καὶ κατὰ ἀναφορὰν ἀξιώματος, ἢ ταυτοβουλίαν, ἢ εὐδοκίαν τοῦτο ἔφη. ἐπειδὴ δύο ποιεῖ υἱοὺς, ἄλλον τὸν Θεὸν λόγον, καὶ ἄλλον ἄνθρωπον ἰδικὸν, τὸν ἐκ Μαρίας. ὡσαύτως δὲ καὶ τό· ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, κατ᾽ ἐνέργειαν ἢ εὐδοκίαν ἔφασκεν. ὅθεν καὶ ψιλὸν ἄνθρωπον ὡμολόγει τὸν Ἰησοῦν. διὰ τοῦτο δικαίως τῷ ἀναθέματι καθυποβέβληται. ὁ δὲ δὴ Λέων λέγων, ὅτι ἡ σοφία ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον, καὶ γὰρ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· εὐσεβοφρόνως νοήσας κατὰ τὸ βούλημα τὸ ἐκκλησιαστικὸν, ὃ καὶ φθάσαντες εἴπομεν, οὐ συναπάγεται τῇ διεστραμμένῃ νοήσει τοῦ Νεστορίου. διάτοι τοῦτο οὐδὲ συμφρονεῖ αὐτῷ ἐν τούτοις. γράφει Νεστόριος τὰς δύο φύσεις τοῦ Χριστοῦ χωρίζων, ὅτι διπλῆ ἐστιν ἡ φύσις εἰς ἓν ἀξίωμα. γράφει Λέων τὸ πεινῆσαι καὶ διψῆσαι καὶ κοπιάσαι, ἀνθρώπινον· τὸ δὲ, ἐκ πέντε ἄρτων ἄνδρας πεντακισχιλίους χορτάσαι, καὶ τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν χαρίσασθαι τῇ Σαμαρείτιδι, τοῦτο θεότητος. ἀλλ᾽ ὁ μὲν Νεστόριος, οὐ διὰ τὸ εἰπεῖν· διπλῆ ἐστιν ἡ φύσις, ἤδη κατακέκριται· πλεῖστοι γὰρ ὅσοι, μᾶλλον δὲ πάντες οἱ θεοφόροι πατέρες τοῦτο διατρανοῦσιν ἐπὶ Χριστοῦ, ὅτι διπλοῦς ἦν. καὶ ἄκουσον τοῦ ἐν θεολογίᾳ Γρηγορίου λέγοντος· διπλοῦς ἦν, ἐπεὶ καὶ ἐκοπίασε καὶ ἐδίψησε, καὶ ὅσα νόμῳ σώματος ἦν. ἀλλ᾽ ὅτι ἐπήνεγκεν, εἰς ἓν ἀξίωμα, ἐναργῶς ὑποδηλῶν τὰς φύσεις κεχωρισμένας, καὶ ἰδιοσυστάτους ποιῶν, καὶ σχετικὴν, λέγω δὴ τὴν κατὰ ἀναφορὰν ἀξιώματος πρὸς τὸν θεῖον λόγον τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, τὴν ἕνωσιν κεκτῆσθαι. διάτοι τοῦτο καὶ ἀπόβλητος. ὁ δὲ δὴ Λέων ὀρθοδόξως τὸ μὲν διψῆσαι καὶ πεινῆσαι καὶ κοπιάσαι τὸν Χριστὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον εἴρηκε, τὸ δὲ θαυματουργῆσαι κατὰ τὸ θεϊκὸν μέρος ἐξέθετο. ταύτῃ τῇ ἐννοίᾳ ἡ καθολικὴ ἐκ-

X. Cum porro de Dei Verbi habitatione in carne propria locutus sit Evangelista, determinandum est, quot modis dicitur Deus in nobis inhabitare. Vocantur siquidem & sancti templum Dei, in quo C Deus habitat: sed in illis actione habitare probe, recteque dixeris. Vocatur item & Virgo templum Dei: in ipsa etenim Deus Verbum essentia habitavit, quod plus habet, & sine comparatione eximium præ aliis sanctis: in propria vero carne, qua ut proprio usus est corpore ex sancta Virgine temlo secundum essentiam, & hypostasim illi Deus Verbum unitum habitare dicitur. Et hæc quidem Ecclesiæ pia sententia est. Sed Nestorius, perverse dictum accepit: namque, *Verbum caro fatum est*, familiaritate, & relatione dignitatis, aut consilio, aut beneplacito factum fuisse dixit: cum duos constituat filios, alterum Deum Verbum, & alterum singurem hominem ex Maria; sic & illud *habitavit in* D *nobis*, operatione, aut beneplacito exponebat, quare & purum hominem enunciabat Jesum: propterea que juremerito anathemate ictus est. Leo vero dicens; *Sapientia ædificavit sibi domum; nam Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, pie intelligens, & ad Ecclesiæ mentem, ut antea declaravimus, non a perverso Nestorii intellectu abripitur, propterea neque in hisce cum eo consentit. Scribit Nestorius, duas in Christo naturas separans; *duplex est natura in una dignitate*. Scribit Leo, *Cumque fame, siti, & laboribus depugnasse, humanum est: quinque vero panibus, quinque hominum millia exsaturasse, & aquam vivam Samaritanæ elargitum fuisse, hoc vero deitatis est*. Et Ne-E storius quidem non quod dixerat, *duplex est natura*, ideo condemnatus est: cum plurimi etiam ex sanctis patribus hoc idem de Christo asseverarunt, duplicem esse. Audi in divinis pertractandis egregium Gregorium. *Duplex erat*, ait, *nam & laboravit, & sitivit, aliaque, quibus ex lege corporis tenebatur, perpessus est*. Sed quod addidit, *in una dignitate*, aperte divisas naturas innuens, & per se subsistentes enuncians, & respectivam, eam inquam, quam secundum dignitatis relationem ad divinum Verbum humana natura unionem possedit confirmans; proptereaque proscriptus est. Leo vero satis pie, & cum recte sentientibus, cum fame, siti & laboribus depugnasse Christum humana natura asseruit, at miracula effecisse de divina parte interpretatus est. Similia catholica ecclesia de Christo nos

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.



κλησία ἐπὶ Χριστοῦ νοεῖν ἡμᾶς ἐκδιδάσκει· τὰ μὲν ταπεινὰ τῇ ἀνθρωπότητι προσάπτουσα, τὰ δὲ ὑψηλὰ τῇ θεότητι. ἀσεβὴς ἄρα ὁ Λέων ἀποδέδεικται, καὶ οὐ συμφωνῶν τῷ Νεστορίῳ, κἂν ἀδίκως παρὰ σοῦ συκοφαντῆται. εἰ δὲ τοῦτο, μάτην προφασίζῃ προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, καὶ οὐκ ἀποδέχῃ τὴν ἁγίαν τετάρτην σύνοδον, καὶ τὸ παρ' αὐτῆς ὀρθὸν δόγμα, τὸ ἐπὶ τῆς οἰκονομίας Χριστοῦ ὁρισθέν. οὐ γὰρ τὸν ἕνα Χριστὸν εἰς δύο διαιρεῖ, καὶ χωρισμὸν ἀπὸ Θεοῦ ἐμποιεῖ, ὡς σὺ φανερῶς διαψεύδῃ· μᾶλλον μὲν οὖν ἑνοῖ, καὶ βασιλείας οὐρανῶν πρόξενον τὸν ταύτην ἀσμένως ἀποδεχόμενον καθίστησιν, εἴπερ καὶ αὐτὴ ὀρθοφρόνως μετὰ τῶν ἁγίων τριῶν συνόδων ἐδογμάτισε καὶ ἐτράνωσε καλῶς τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον.

ια'. Ἐπεὶ δὲ οὐ μόνον ἐκ τῆς παραθέσεως τῶν χρήσεων τοῦ ματαιόφρονος Νεστορίου, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πάπα Λέοντος ἐπειράθης διαβαλεῖν τὴν ἁγίαν τετάρτην σύνοδον, εἰ καὶ ὁ λόγος σου γέγονεν ἀπίθανος καὶ ἀσύμβατος, ἀλλ' ἢ καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συνόδου παρακεκομμένας λαβὼν ῥήσεις· ἔτι γε μὴν καὶ τοῦ ἁγίου Κυρίλλου, διὰ τῆς παραθέσεως τὴν διαφωνίαν ἐνδείξασθαι βούλει· φέρε δὴ καὶ ταύτας αὖθις εἰς μέσον θέντες, τὸ σύμφωνον τῆς τε συνόδου, καὶ τοῦ ἁγίου Κυρίλλου σαφέστατα παραστήσωμεν. ἔχει ἡ σύνοδος κατὰ λέξιν ὧδε, ὡς σὺ ἐπέστειλας· γράφει ἡ σύνοδος τῆς Χαλκηδόνος, ὅτι οὐκ ἠλλοίωσε τῶν φύσεων τὴν διαφορὰν διὰ τῆς ἑνώσεως, ἀλλ' ἐφύλαξε τὸ ἴδιον τῆς ἑκάστου φύσεως. γράφει ὁ ἅγιος Κύριλλος ἐν τῇ πρώτῃ ἐπιστολῇ τῇ πρὸς Σούκεσσον· ἕνα λέγομεν υἱὸν, ὡς καὶ οἱ πατέρες ἐλαλήκασι, μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην· ποίαν οὖν κοινωνίαν ἔχει ἡ τῆς Χαλκηδόνος σύνοδος μετὰ τοῦ ἁγίου Κυρίλλου; ὅτι ἐκεῖνος μὲν μίαν φύσιν ἑνώσας ἐκ δύο ἐλάλησε κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον τὴν ἐν Ἐφέσῳ, ἡ δὲ τῆς Χαλκηδόνος σύνοδος, ἐκ δύο φύσεων κεχωρισμένων ἀλάλησεν. ἐνταῦθα μὲν δοκεῖς παριστᾷν ἀσύμφωνον καὶ ἀνομόλογον τὸν ἐν ἁγίοις Κύριλλον πρὸς τὴν ἐν Χαλκηδόνι, διὰ τὸ οἴεσθαί σε, μίαν αὐτὸν εἰρηκέναι τοῦ λόγου φύσιν μετὰ τὴν σάρκωσιν, τῆς συνόδου δύο φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν ἐκφωνησάσης. ἀλλ' ὡς ὁ λόγος παρίστησι, σύμφωνος ἔσται μᾶλλον ὁ Κύριλλος διὰ τῆς δε τῆς χρήσεως τῇ ἁγίᾳ τετάρτῃ συνόδῳ, ἤπερ ἀσύμφωνος. ἐπειδὴ ὁ μὲν Νεστόριος ἡνίκα ἂν δύο φύσεις ἔλεγέ τις ἐπὶ Χριστοῦ, παραυτὰ συνήρπαζε τὴν φωνὴν εἰς τὸ οἰκεῖον βούλημα, καὶ συνῆγε δύο πρόσωπα. ἔλεγε γὰρ οὐκ ἔστι φύσις ἀπρόσωπος, ἤγουν χωρὶς οἰκείου προσώπου. τούτου οὖν τὴν δυστροπίαν προορῶν ὁ ἐν ἁγίοις Κύριλλος, μίαν φύσιν τοῦ λόγου εἴρηκε, καὶ ταύτην δηλονότι σεσαρκωμένην· οὐ τοῦτο λέγων, ὅτι ὁ λόγος μετὰ σαρκὸς ἡνωμένος καθ' ὑπόστασιν, τὸ ὅλον μία φύσις γέγονεν. εἰ γὰρ οὕτως ἐννοῶν εἰρήκει, ὡς ὑμεῖς φατε, τάχα ἂν ἀσύμφωνος καὶ διαμαχόμενος αὐτὸς ἑαυτῷ ἔσται, ὧδε μὲν οὕτω λέγων, μίαν εἶναι φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου κατὰ τὴν σάρκωσιν, ἤγουν τὴν θεότητα καὶ τὴν ἀνθρωπότητα συνελθούσας ἀποτελέσαι μίαν φύσιν καθ' ὑμᾶν σύνθετον· ἀλλαχόσε δὲ αὐτὸς ἐκεῖνος οὐ μόνον ἐν τῇ δευτέρᾳ ἐπιστολῇ τῇ πρὸς Σούκεσσον, ἀλλὰ καὶ σχεδὸν εἰπεῖν ἐν οἷς διείληπται περὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου· φαίνεται πάλιν ἐν δύο φύσεσι τὸν Χριστὸν, καὶ δύο φύσεις εἶναι μετὰ τὴν ἕνωσιν, τρανῶς διαγορεύων. καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἔσται πατράσιν ἐναντίος. ὅπερ ἐστὶ λέγειν ψευδές τε καὶ δύσφημον· σχεδὸν δὲ εἰπεῖν πάντες διαῤῥήδην κεκράγασιν, ὅτι ὁ Χριστὸς, ἤγουν ἡ μία ὑπόστασις ἐν δύο φύσεσι, καὶ δύο φύσεις ἐστὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν, εἴπερ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς τέλειός ἐστι μετὰ τὴν ἕνωσιν. ἀλλ' ἐκ περιόδου τὸ ὅλον, ἤγουν τὸν Χριστὸν, μίαν φύσιν τοῦ λόγου σεσαρκωμένην εἰπὼν, ἐκ τῶν μερῶν τὸ ὅ-

A docet, humilia humanitati adscribens, sublimia deitati vendicans. Pie itaque Leo sentit, uti demonstratum est, nec cum Nestorio convenit, licet a te immerito de eo insimuletur. Id si ita est, frustra prætextus prætexis in peccatis, & sanctam quartam synodum ipsiusque probam assertionem non recipis, quam illa de œconomia Christi præscripsit: neque enim unum Christum in duos dividit, & a Deo separationem introducit, ut tu aperte mentiris; quinimmo potius unit, hospitemque regni cælorum, qui eam libenter amplectitur, constituit; si & ipsa recte sentiens cum sanctis tribus synodis decrevit, probeque Christi mysterium publicavit.

B

XI. Quando vero non tantum ex comparatione dictorum amentissimi Nestorii & sancti pontificis Leonis, conatus es sanctam quartam Synodum criminari; quamvis id neque probabilibus, neque concludentibus rationibus egeris; sed ex ipsius etiam Synodi obtruncatis ac mutilis assertis, nec non & sancti Cyrilli invicem comparatis, dissensionem ostendere contendis: age ipsis in medium positis, & examinatis, Synodi sanctique Cyrilli consensionem, quam compertissime comprobemus. Verba ipsa synodi sunt, ut ipse scripto tuo significasti: *Scribit Chalcedonensis synodus, non immutavit naturarum* C *differentiam per unionem, sed proprium uniuscujusque naturæ conservavit. Scribit sanctus Cyrillus prima ad Sucensum epistola, unum dicimus Filium, quemadmodum & Patres locuti sunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam. Quid itaque Chalcedonensi synodo cum sancto Cyrillo commune est? Ille unam naturam uniens ex duabus secundum sanctam synodum Ephesinam locutus est; at Chalcedonensis synodus ex duabus naturis separatis enunciavit.* His, ut tibi videris, sanctum Cyrillum a Chalcedonensi synodo discrepare, & diversa ab ea tenere probas: quod existimas eum, unam asseruisse Verbi naturam post carnem assumtam, Synodo duas naturas post unionem acclamante. Sed ut verba inferunt, hoc D dicto magis ac magis sanctæ quartæ synodo Cyrillus consentit, tantum abest, ut ab ea dissideat. Quandoquidem Nestorius statim atque quispiam duas de Christo naturas enuntiasset, dictum in proprium sensum trahebat, concludebatque duas personas: asserebat siquidem, nullam esse naturam absque persona, propria nempe: hujus ingenii perversitatem prævidens sanctus Cyrillus, unam dixit Verbi naturam, eamque incarnatam, non id innuens, Verbum cum carne unitum secundum hypostasim totum unam naturam factum fuisse: si enim id innuens ita locutus fuisset, quemadmodum vos contenditis, ipse sibiipsi adversa, atque contraria pronuntiasset; heic inquiens unam esse naturam Dei E Verbi post incarnationem; hoc est, deitatem & humanitatem in unum ambas coactas, unam effecisse naturam, ut vos dicitis, compositam: alibi vero non tantum in secunda ad Sucensum epistola, sed fere, ut ita dicam, locis omnibus, in quibus de œconomia, Christique mysterio agit, deprehenditur in duabus naturis Christum, & duas esse naturas post unionem, palam aperteque dicere: neque id solum, sed aliis quoque Patribus adversabitur, quod sane falsum est, tantoque viro injurium. Fere enim omnes clare intonant, Christum, hoc est, unam hypostasim in duabus naturis, & duas naturas esse post unionem: si ille Deus, & homo idem perfectus est post unionem. Sed obiter totum, Christum, nempe unam naturam Verbi incarnati tradens, ex partibus totum significavit: una siquidem

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.

λον ἐνέφηνεν. ἡ γὰρ μία φύσις τοῦ λόγου, ἡ αὐτή ἐστι τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· προσκειμένου δὲ ὅτι σεσαρκωμένη, ὅπερ δηλοῖ ἐμψυχωμένη ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ, ὡς καὶ αὐτὸς λέγει, πάντως τὴν καθ' ἡμᾶς φύσιν δηλοῖ. ὅπερ ἐμφαίνει, ἤγουν τοῦ Χριστοῦ δύο φύσεις εἶναι, θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην. εἰ δὲ τοῦτο, φανερὸν ὅτι μᾶλλον συμφωνεῖ τῇ ἁγίᾳ τετάρτῃ συνόδῳ, δύο καὶ αὐτὸς διὰ περιόδου ἐμφαίνων φύσεις ἔχειν τὸν ἕνα τῇ ὑποστάσει ὄντα Χριστὸν καὶ κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν. πλὴν οὖν ἄκουσον τί φησιν ὁ ἐν ἁγίοις Κύριλλος ἐν τῇ δευτέρᾳ ἐπιστολῇ πρὸς Σούκενσον ὑπεραπολογούμενος, διὰ τὸ εἰπεῖν μίαν φύσιν τοῦ λόγου σεσαρκωμένην. εἰ μὲν μίαν εἰπόντες τοῦ λόγου φύσιν, σεσιγήκαμεν οὐκ ἐπενεγκόντες τὸ σεσαρκωμένην, ἀλλ' οἷον ἔξω τιθέντες τὴν οἰκονομίαν, ἦν αὐτοῖς ἐρωτᾶν, ποῦ τὸ τέλειον ἐν ἀνθρωπότητι, ἢ πῶς ὑφέστηκεν ἡ καθ' ἡμᾶς οὐσία; ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ ἐν ἀνθρωπότητι τελειότης, καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς οὐσίας ἡ δήλωσις εἰσκεκόμισται διὰ τοῦ λέγειν σεσαρκωμένην, παυσάσθωσαν καλαμίνην ῥάβδον ἑαυτοῖς ὑποστηρίσαντες. ἰδοὺ σκόπει τὸ σεσαρκωμένην εἰς δήλωσιν τῆς καθ' ἡμᾶς οὐσίας εἰσκεκομίσθαι λέγοντα τὸν διδάσκαλον, ὡς εἶναι τὴν μίαν τοῦ λόγου φύσιν καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς οὐσίας τὴν δήλωσιν, διὰ τὸ σεσαρκωμένην, δύο φύσεων θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος παραστατικόν. καὶ μετ' ὀλίγα ἐν τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ. ὀρθότατα δὲ καὶ πάνυ συνετῶς ἡ σὴ τελειότης τὸν περὶ τοῦ σωτηρίου πάθους ἐκτίθεται λόγον, οὐκ αὐτὸν μονογενῆ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καθὸ νοεῖται καὶ ἔστι Θεὸς, παθεῖν εἰς ἰδίαν φύσιν τὰ σώματος ἰσχυριζομένη, παθεῖν δὲ μᾶλλον τῇ χοϊκῇ φύσει. δεῖ γὰρ πάντως ἀμφότερα σώζεσθαι ἐν τῷ ἑνὶ καὶ κατὰ ἀλήθειαν υἱῷ, τὸ μὴ πάσχειν θεϊκῶς, καὶ τὸ λέγεσθαι παθεῖν ἀνθρωπίνως. ἡ αὐτοῦ γὰρ πέπονθε σάρξ. σκόπει πῶς φύσιν θείαν εἶπε καὶ φύσιν χοϊκὴν ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ. σώζεσθαι δὲ καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν, κἂν σὺ ἀγανακτῇς, καὶ οὐ συγχωρεῖς φύσιν θείαν καὶ φύσιν χοϊκὴν δύο φύσεις εἶναι. καὶ πάλιν ἀλλαχοῦ ἄκουσον Κυρίλλου ἐκ τοῦ περὶ τριάδος λόγου. διττὸν τὸν ἐφ' υἱῷ λόγον ὁ σοφώτατος Παῦλος, μᾶλλον δὲ σύμπας ὁ τῶν ἁγίων χορὸς, ἐγνώκασί τε καὶ εἰσκομίζουσι μετὰ τὸ ἑνωθῆναι τῇ σαρκί. ἄραγε τὸν διττὸν ἐφ' υἱῷ λόγον κατὰ τὴν ὑπόστασιν φὴς εἰρηκέναι, ἢ κατὰ τὴν φύσιν; εἰ μὲν κατὰ τὴν ὑπόστασιν, ἰδοὺ τὸ τοῦ Νεστορίου φρόνημα, ὅπερ ἐστὶν ἀσεβές. εἰ δὲ κατὰ τὴν φύσιν σύμφημι. ὅτι καὶ Κύριλλος ὧδε συμφωνεῖ τῇ ἁγίᾳ τετάρτῃ συνόδῳ, δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ εἰπούσῃ. καὶ σχεδὸν ἐν πᾶσι τοῖς τοῦ ἁγίου συγγράμμασιν, εὕροι ἄν τις αὐτὸν διπλοῦν λέγοντα τὸν Χριστὸν μετὰ τὴν ἕνωσιν κατὰ φύσιν. πλὴν εἰσαχθήτω αὖθις Γρηγόριος, ὁ ἐπὶ τῇ θεολογίᾳ περιβόητος, ἐν τῷ περὶ υἱοῦ λόγῳ συνῳδὰ τῇ ἁγίᾳ τετάρτῃ συνόδῳ φάσκων· Θεὸς δ' ἂν λέγοιτο, οὐ τοῦ λόγου, τοῦ ὁρωμένου δέ. πῶς γὰρ ἂν εἴη τοῦ κυρίως Θεοῦ Θεός; ὥσπερ καὶ πατὴρ, οὐ τοῦ ὁρωμένου, τοῦ λόγου δέ. καὶ γὰρ ἦν διπλοῦς, ὥστε τὸ μὲν κυρίως ἐπ' ἀμφοῖν, τὸ δὲ οὐ κυρίως. τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ εἰς τὰ Γενέθλια. ἀπεστάλη μὲν γὰρ, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος, διπλοῦς γὰρ ἦν. εἰσαχθήτω καὶ τοῦ Ἀμβροσίου Μεδιολάνων ἐπισκόπου πρὸς Γρατιανὸν βασιλέα, ἣν τινα χρῆσιν προήγαγε Κύριλλος ἐν τῇ κατ' Ἔφεσον συνόδῳ κατὰ Νεστορίου· φυλάξωμεν τὴν διαφορὰν τῆς θεότητος καὶ τῆς σαρκός. εἷς γὰρ ἐν ἑκατέρᾳ λαλεῖ ὁ τοῦ Θεοῦ υἱός. ἐπειδὴ ἐν αὐτῷ ἑκατέρα φύσις ἐστίν. ἱκανὰ μὲν καὶ ταῦτα παραστῆσαι τὴν συμφωνίαν τῆς ἁγίας τετάρτης συνόδου μετὰ Κυρίλλου, καὶ τῶν λοιπῶν πατέρων, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ συνόδου. καὶ εἰ μή τις λόγου ἔκτασις διεκώλυε, τάχα ἂν πολλαῖς, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν ἀπείροις μαρτυρίαις, ἔκ τε γραφικῶν λογίων καὶ πατρικῶν συγγραμμά-

A natura Verbi eadem est, atque Dei, & Patris, & Spiritus sancti: cum vero adnectitur incarnata, quod notat animata anima rationis compote, & intellectuali, ut & ipse dicit, omnino nostram naturam indicat: quod exprimit, duas Christi naturas esse divinam, atque humanam. Hoc si ita est, manifestum fit eum potius sanctæ quartæ synodo conformari, duas & ipsum obiter significantem naturas habere unum hypostasi Christum, & Dominum, & Deum nostrum. Audi nihilominus quid divus Cyrillus secunda ad Sucensum epistola tradat respondens, quod dixerat, unam Verbi naturam incarnatam: *Si unam dicentes Verbi naturam, tacuissemus non adnectentes incarnatam, quasi œconomiæ myste-* B *rium adulterantes, esset fortasse ipsis oratio non absque verosimilitudine, cum fingant se interrogare, ubi est perfectum in humanitate? aut quomodo subsistat secundum nos essentia? Cum vero & in humanitate perfectio, & nostræ naturæ indicatio introducta est, quod dicamus incarnatam, quiescant arundineum calamum sibi ad incumbendum supponentes.* Ecce jam considera, Incarnatam, ad nostram essentiam manifestandam appositum fuisse, Doctorem asserentem; ut sit una Verbi natura, & nostræ essentiæ manifestatio per illud Incarnatam, quod duas naturas deitatis, atque humanitatis constituat. Et paucis interjectis in eadem epistola: *Rectissime vero, & satis scite tua perfectio salutaris passionis ra-* C *tionem exponit, non ipsum unigenitum Dei Filium secundum quod intelligitur & est Deus, passum fuisse in propria natura, sed in terrena contendens. Omnino enim utraque conservanda sunt in uno & vere Filio, non pati secundum divinitatem, & pati secundum humanitatem: illius enim caro passa est.* Naturam divinam, ut vides, dixit & naturam terrenam in uno Christo conservari etiam post unionem. Licet tu id ægre feras, neque concedas naturam divinam, & naturam terrenam duas esse naturas. Et rursum alio in loco, audi Cyrillum ex oratione de Trinitate: *duplicem de Filio rationem sapientissimus Paullus, immo universus Sanctorum cœtus agnoverunt, & tradunt post unionem cum car-* D *ne.* Duplicemne ille de Filio rationem secundum hypostasim posuit, an secundum naturam? si secundum hypostasim, Nestorii hæresim firmat, quod impium est: si secundum naturam, & tunc aio Cyrillum etiam hoc loco cum sancta quarta synodo concordare, quæ duas in Christo naturas edixit, & fere eumdem in omnibus suis commentariis offendes, duplicem Christum asserentem post unionem secundum naturam. Accedat nihilominus rursus Gregorius in rebus theologicis tractandis percelebris, oratione de Filio, sanctæ quartæ synodo conformia scribens: *Deus vero dicetur non Verbi, sed illius qui conspicitur: qua enim ratione Dei proprie Deus fuerit? quemadmodum & Pater, non illius qui conspi-* E *citur, sed Verbi. Namque erat duplex: ut hoc quidem proprie de ambobus, hoc vero non proprie.* Ejusdem in Christi diem natalem: *Missus enim est, sed ut homo, duplex enim erat.* Accedat quoque Ambrosius Mediolanensis Episcopus ad Gratianum imperatorem, cujus verba Cyrillus in Ephesina synodo adversus Nestorium produxit: *Conservemus deitatis, & carnis discrimen: unus enim in utraque loquitur Dei Filius, cum in eo utraque natura sit.* Et hæc quidem satis fuerint ad probandam consensionem sanctæ quartæ synodi cum Cyrillo & aliis Patribus, nec non & synodo Ephesina. Quod si sermonis prolixitas non prohiberet, forte plerisque, & fere innumeris, ut ita dicam, testimoniis ex divinis eloquiis, & patrum operibus peritis, nec non

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.

των, καὶ συλλογισμοῖς ἀποδεικτικοῖς χρησάμενοι, παριστᾷν εἴχομεν τῆς ἁγίας τετάρτης συνόδου τὴν συμφωνίαν πρὸς τὰς ἄλλας τρισὶν ἁγίας συνόδοις, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀλήθειαν. οὖν ἐπεὶ ὁ λόγος ἐναργῶς τοῦτο παρέστησεν, ἀπόστηθι τοῦ διασύρειν τὴν ἁγίαν τετάρτην σύνοδον, εἴπερ τὴν ἑαυτοῦ ἐπιστρέφῃ σωτηρίαν, καὶ τοὺς κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τὴν πολύανδρον ἐκείνην συναθροισθεῖσαν σύνοδον βασιλεῖς ὁρίσαντας, καὶ ἐννόμως πάντα τὰ ἐν αὐτῇ πραχθέντα κυρώσαντας, Μαρκιανόν φημι καὶ Πουλχερίαν, οἱ μεγάλως τὴν βασίλειον ἐξουσίαν ὀρθοδοξίᾳ μετὰ καὶ τῆς λοιπῆς εὐταξίας ἐκόσμησαν. τοσοῦτον γὰρ περιῆν τὸ σέβας τῇ Πουλχερίᾳ πρὸς τὴν πάναγνον καὶ θεοτόκον Μαρίαν, μητέρα τε τοῦ κυρίου ταύτην πιστῶς ἀποκαλοῦσῃ καὶ θεοτόκον, καὶ μετὰ πίστεως πολλῆς σεβομένῃ, ὡς καὶ ναοὺς, κατ' ἐξαίρετον ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ἐπ' ὀνόματι τῆς θεομήτορος μεγίστους καὶ περικαλλεῖς, καὶ κατηγλαϊσμένους δείμασθαι, τὴν ἐπωνυμίαν ἐκ τῶν τόπων ἕκαστον, ἐν ᾧ ᾠκοδόμηντο, λαβόντα· δι' αὐτῶν τὸ θερμὸν τῆς πίστεως αὐτῆς, τῆς πρὸς τὴν πάναγνον καὶ θεοτόκον Μαρίαν πᾶσιν ἐνδεικνυμένη. διάτοι τοῦτο οὐδὲ ὡς τὰ Νεστορίου φρονοῦσαν δεῖ σε αὐτὴν διασύρειν, εἴγε καὶ αὐτὸς θεοτόκον ὁμολογεῖς τὴν τοῦ κυρίου μητέρα.

ιβ'. Ἐνεφέρετο δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ γράμματι τῆς σῆς μεγαλονοίας· ὅτι πολλὰς εἴχομεν μαρτυρίας περὶ τῆς παρ' ἡμῖν δογματιζομένης, ἤγουν τῆς μιᾶς φύσεως τοῦ Χριστοῦ, μετὰ τὴν ἕνωσιν ὁμολογίας παρισᾷν, καὶ πολλὰ τοῦ λέγειν, ἀλλὰ διὰ τὸ μηδὲ ἐν τῷ γράμματι τῆς σῆς ἁγιωσύνης τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν οὐ περιεῖχε μαρτυρίας, οὐδὲ ἡμεῖς ἐνεγράψαμεν, πλὴν οὖν διατιθέντες τὴν σὴν εὔκλειαν, καὶ ἐν τούτοις ταυνῦ λέγομεν· οὐχ ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε, δεῖ σε μαρτυρίας πατέρων περὶ πίστεως καὶ δογμάτων ἀναλέγεσθαι, ἐπεὶ καὶ τοὺς θείους πατέρας ἐγκλήματι περιγράψειας, καί σε ἀσινῆ εἰς τὸν τῆς πίστεως λόγον οὐ διατηρήσειας. πολλὰ γὰρ τοῖς πατράσι πρὸς κατάχρησιν, ἤτοι κατὰ μεταφορὰν, ἢ ὁμωνυμίαν, ἢ ἀντιστροφὴν, ἢ ἄλλως πῶς ἐστιν εὑρεῖν λέγοντας. καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ αἱ θεῖαι γραφαὶ καὶ ἡ συνήθεια οὕτως τὰ ὀνόματα μεταχειρίζεται. καὶ θέα μοι καὶ αὐτὸν τὸν μακάριον Κύριλλον τὰς ὑποστάσεις ἀντὶ τῶν φύσεων, καὶ τὰς φύσεις ἀντὶ τῶν ὑποστάσεων ἐκλαμβάνοντα. οἷόν φημι· εἴ τις διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις, καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς λέγει· ἀσύγχυτοι μεμενήκασιν αἱ φύσεις, ἤγουν ὑποστάσεις. ὅ, τε μέγας Ἀθανάσιος καὶ πρόσωπα ἐπὶ Χριστοῦ δύο εἶναι διϊσχυρίζεται· εἰ μή τις τοῦτο εἴποι, ὅτι καταχρηστικῶς τοῖς πατράσιν ἐρρήθη, αὐτούς τε τούτους αἱρετικοὺς ἀποφήσειε, καὶ ἐκ τῶνδε τῶν λόγων ἀναλεγόμενος χρήσεις, ἑαυτόν τι καὶ ἄλλους μεγάλως βλάψειεν. ἀλλὰ χρὴ τὰς τοιαύτας χρήσεις, εἴ τις βούλοιτο ἐκ τῶν θείων πατέρων ἀναλέγεσθαι, οἷον νομοθετοῦντας περί τινων πραγμάτων, καὶ ὁροθετοῦντας ἀφορισμένους, καὶ τὴν οἰκείαν γνώμην ἀνακαλύπτοντας, οἷόν ἐστι τὸ περὶ οὐσίας καὶ ὑποστάσεως ὄνομα παρὰ Βασιλείου τοῦ πάνυ, λαβὼν διάκρισιν, ταύτην ἔχοντα τὴν διαφορὰν πρὸς ἄλληλα, ἣν ἔχει τὸ κοινὸν πρὸς τὸ καθέκαστον. ἢ καὶ αὐτοὺς καταχρησαμένους ἐν ἄλλοις ὅτι πλείστοις αὐτῶν συγγράμμασι διασαφοῦντας κυρίως, ὅπερ ἀλλαχότε κατεχρήσαντο, ἢ καὶ ἐν οἷς σύμφωνοι οἱ πλεῖστοι τῶν πατέρων γεγόνασιν, ἢ καὶ συνοδικῶς ἐκυρώθη, ἀλλὰ μὴ τῷ ἐξοδικῷ λόγῳ, ᾧ πολλάκις ἄν τις κατὰ τὴν ἑρμηνείαν καὶ ἀμελέστερον διακείμενος καταχρήσοιτο λέξεσιν, ὑπὸ ὑμετέρων νοημάτων πρὸς τοῦτο ἀγόμενος, ἢ καὶ μὴ πρόχειρον ἔχων τὴν ἐπιτηδειότητα, ἢ καί τισι τῶν ἑτεροδόξων ἀντικαθιστάμενος καὶ κατ' ἄλλας δὲ προφάσεις τῆς τῶν ὀνομάτων ἀκριβείας μὴ φροντίσοι, οὐ δεῖ ἐκ τῶν τοιούτων χρήσεις ἀναλέ-

A gravissimis, ac firmissimis argumentationibus in medium allatis, sanctæ quartæ synodi cum aliis tribus & ipsa veritate concordiam comprobaremus. Sed cum oratio aperte id demonstraverit, finem ponito sanctam quartam synodum conviciandi, si tuæ te salutis studium tenet, nec eos aversaris, qui eo temporis hominum frequentia conspicuam illam synodum cogi decreverunt, & legitime, quæcumque in ea acta sunt, decreto etiam suo stabiliverunt, Marcianum, inquam, & Pulcheriam, qui summopere majestatem imperatoriam rectæ fidei sensibus, ceteraque recti ordinis conservatione condecorarunt. Tanto enim Pulcheria immaculatissimam Deiparam Mariam, matrem eam Domini fideliter compellans, B & Dei genitricem, & ingenti fide venerans, cultu prosequebatur, ut templa, & potissimum in regina hac urbium sub illius nomine, quam maxima, pulcherrima, omnique ornatu conspicua, singulis cognomine ex loco, in quo exstructa sunt, indito, exædificaverit, per ea intensam fidei in immaculatissimam, & Deiparam Mariam voluntatis inclinationem suæ omnibus ostendens. Propterea improbe eam, nec uti par est, quasi cum Nestorio sentiret, insimulas, dummodo & ipse Deiparam Domini matrem agnoscas.

XII. Illud quoque in epistola tuæ magnanimitatis inserebatur: *Multa possemus testimonia de ea,* C *quam nos statuimus, una nempe Christi natura post unionem, sententia producere, nec ab ea aliena in medium afferre. Verumtamen cum in tuæ sanctitatis scripto nulla inessent divinorum patrum testimonia, neque nos ea recollegimus.* Nos nihilominus tuæ gloriæ consulentes, nunc pro iis ita enunciamus. Haud decet te utcumque, & ut occasio tulerit de fide, & dogmatibus testimonia patrum recolligere: sic enim & divinos illos patres in crimen adduces, & tibi sarctam tectam fidei rationem non conservabis. Multa siquidem patribus sive per metaphoram, sive per æquivocationem, sive per conversionem, sive alio quopiam modo vocabulis abutentibus excidisse comperientur. Quinimmo, & divinæ li- D teræ, & usus ita nomina pertractant. Et conspicito mihi ipsum beatum Cyrillum hypostases naturarum, & naturas hypostaseon loco accipientem. Quale illud est, *Si quis dividit hypostases.* Rursumque idemmet dicit, *inconfusæ permanserunt naturæ, hypostases nempe.* Magnus etiam Athanasius, & personas in Christo duas esse contendit. Quæ nisi quis afferat, dicta esse a patribus, sic vocabulis abutentibus, eosdem hæreseos nota infamabit, & ex iis orationibus testimonia congerens sibiipsi, & aliis maxima incommoda comparabit. Verumtamen dictæ auctoritates, si cui id in animo fuerit, ex divinis patribus seligendæ sunt, cum illi de rebus decernunt, & determinant, propriamque sententiam de- E clarant: quale fuerit de natura, & hypostasi a magno Basilio decretum, qui inter ea discrimen apponit non aliud, quam quo universale, & singulare inter se differunt: vel quo ipsi, licet in aliis plurimis operibus abutuntur, in alio tamen opere, quid ipsi sentiant, & quamnam ipsi ob caussam abusi sunt, explanant: vel ea, in quibus plerique patrum concordant, vel quæ synodali decreto firmata sunt, non autem ea, quæ ipsi aliud agentes scripto tradiderunt, in quibus sæpius exponendis, dum aliquis negligentius se gerit, dictionibus abutitur a vestris cogitationibus ad hoc ipsum distractus, vel quod aptitudinem nullam habens in promtu, vel cum aliis opposita sentientibus decertans, alias quoque ob caussas nominum accuratam significationem neglexit. Ex similibus testimonia congerenda non sunt, sed

γεσθαι, ἀλλ' ὡς ἀνόπιν ἔφαμεν. τοῦτο δὲ καὶ σὺ ποιῶν, οὐκ ἂν εὕροις παραστῆσαι χρήσεις συνιστώσας τὸ περὶ μιᾶς φύσεως τοῦ Χριστοῦ παρὰ σοῦ δογματιζόμενον.

ιγʹ. Παρακατιὼν δὲ ἐν τῷ γράμματί σου, καὶ οἱονεὶ ἀχθόμενος πρὸς ἡμᾶς, διότι γεγράφαμεν, ὅτι οἱ λέγοντες μίαν φύσιν εἰς Χριστὸν, Εὐτυχιανισταί εἰσι, καὶ τῷ αὐτῷ ἀναθέματι καὶ κρίματι καθυποβάλλονται, τοιάδε γράφεις· καὶ λέγομεν δέσποτα, οὐκ ἐποιήσω ἐν τούτῳ ἀληθινὴν κρίσιν. διὸ καὶ πειρᾶσαι τοῦ Εὐτυχοῦς τὴν δόξαν ἐκτίθεσθαι, διασαφηνίζειν τε, ὅτι ἀνάχυσιν καὶ ἀνάκρασιν δοξάζει ἐπὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ ἐκ τῶν ἁγίων καὶ ἀχράντων αἱμάτων μηδὲν τὸν Θεὸν λόγον προσλαβέσθαι λέγει, ἑαυτὸν δὲ παραστῆσαι μὴ εἶναι συγχυτικὸν, καὶ ἑτέρωσε δοξάζοντα μίαν φύσιν ἐπὶ Χριστοῦ· δι' αὐτὸ τοῦτο μηδὲ τῷ αὐτῷ ἀναθέματι δικαίως καθυποβάλλεσθαι. ἀλλ' εἰ μὲν καὶ ὁ λόγος ὁ σὸς τὸ διάφορον τῆς δόξης, φημὶ δὴ τοῦ Εὐτυχοῦς καὶ τῆς σῆς ὁμολογίας βούλεται παριστᾶν, ὡς ἐντεῦθεν μηδὲ τῷ αὐτῷ ἀναθέματι συγκατάγεσθαι, ὁ γοῦν ἡμέτερος λόγος τῆς ἀποδείξεως οὕτω λέγοντά σε μίαν φύσιν ἐπὶ τῆς ἑνώσεως Χριστοῦ, κἂν μὴ ἐκ πρώτης οὕτως εὕροι δοξάζοντα, ἀλλ' ἐξ ὧν λέγεις, ἐξάπαντος εἰς τὸν τῆς ἀναχύσεως τρόπον περιάξει, καὶ τοῦτό σοι δῆλον ἐντεῦθεν. τρεῖς τοίνυν αἱ ἀνωτάτω δόξαι περὶ τῆς ἑνώσεως τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων κατεβλήθησαν, διαιρετικὴ, συγχυτικὴ, καὶ ἡ κυρίως ἑνωτικὴ λεγομένη. αἱ μὲν οὖν δύο παισὶν αἱρετικῶν ἐπαίχθησαν, καὶ παιζέσθωσαν. καλῶς γὰρ προλαβὼν αὐτοὺς ὁ θεῖος Γρηγόριος ἐστηλίτευσεν. ἥ τε γὰρ διαιρετικὴ σχετική τις οὖσα, καὶ μηδὲ τὴν ἀρχὴν τὰς φύσεις συνάπτουσα, κεχωρισμένα πρὸς ἄλληλα καταλείπει τὰ πράγματα, μηδὲ ὅσα ἴδια τούτοις διδοῦσα, ἢ ἀντιδιδοῦσα. ὡς ἐντεῦθεν δύο φύσεις πάντῃ χωριστὰς ἀλλήλων ὁρίζεσθαι, πλὴν ὅσον ἀξίᾳ, καὶ γνώμῃ, καὶ ταυτοβουλίᾳ τὸν τῶν φύσεων χωρισμὸν, φενακίζει τοὺς ἄφρονας. τοιαύτη ἡ τοῦ ματαιόφρονος Νεστορίου δόξα. ἡ δὲ κατὰ διάμετρον ταύτης, καὶ συγχυτικὴ πλεῖστα ἀφανίζουσα καὶ συγχέουσα, ἕν τι πρᾶγμα νόθον ἀναπλάττει τε καὶ φαντάζεται, ἐν οὐδ' ὁποτέρῳ τῶν ἡνωμένων καθαρῶς τὸ ἴδιον ἀποσώζουσα, ἀλλὰ τοῦτο ἐκεῖνο, κἀκεῖνο τοῦτο, καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ τοῦτο, οὐδὲ ἐκεῖνο συγχωροῦσα. νόθον γὰρ ἅπαν τὸ ἐκ τῆς συγχύσεως ἀναφαίνεται, οὐδὲν ἔχον καθαρὸν, οὐδὲ ἐν τῇ μονίμῳ ἱδρυμένον ἑαυτοῦ ἰδιότητι. ἡ δὲ τούτων μέση ἀσύγχυτός τε καὶ ἀδιαίρετος ἕνωσις, οἶδε μὲν τὰ ὁραθέντα ἀνελλιπῶς ἔχοντα κατὰ τὴν αὐτῶν ἰδιότητα διὰ τὸ ἄτρεπτον, κοινῶς δὲ ταῦτα καὶ ἑνὸς εἶναι ποιεῖ δι' αὐτήν γε τὴν οὐσιώδη ἕνωσιν, ὡς εἰ καὶ τὰ μὲν κυρίως ἴδια θατέρου, κοινὰ τοῦ ὅλου, τὰ δὲ τοῦ ὅλου κοινὰ, θατέρου ἴδια διὰ τὴν ἐν θατέρῳ τοῦ αὐτοῦ ἀσύγχυτον ἰδιότητα. οὐ γὰρ ἂν ἀντίδοσις τῶν ἰδιωμάτων ἐγένετο, εἰ μὴ ἐν ἑκατέρῳ ἔμεινεν ἐν τῇ ἑνώσει ἡ ἰδιότης ἀκίνητος. ἔστιν οὖν ἡ τοιαύτη ἕνωσις, τῶν μὲν πάντῃ διαιρετῶν ἑνικωτέρα, τῶν δὲ πάντῃ συγχυτικῶν πλουσιωτέρα, ὡς μήτε πάντῃ ταυτὸν εἶναι ποιεῖν τὰ ἑνωθέντα ἀλλήλοις, μήτε πάντῃ ἕτερον. εἰ τοίνυν μηδὲ πάντῃ ταυτὸν, μηδὲ ἐξ ὅλων ἕτερον τὸ ἐκ τῆς ἑνώσεως ἀποφαίνει, ζητητέον, τῇ μὲν ταυτὸν, τῇ δὲ ἕτερον ὁ τῆς ἀληθείας λόγος οἶδε. τὸ μὲν ταυτὸν κατὰ τὴν ὑπόστασιν, τὸ δὲ ἕτερον κατὰ τὴν φύσιν. ἔμπαλιν γὰρ ἢ ἐπὶ τῆς τριάδος ἔχει κατὰ τὸν θεῖον Γρηγόριον. εἰ δὲ τοῦτο τοῖς ἐναντίοις ἀπαράδεκτον, τὸ ἑξῆς αὐτοὶ συναγέτωσαν. πάντως γὰρ εἰ μὴ ὑποστάσει τὸ ταυτὸν, ἄρα φύσει δώσουσιν· εἰ δὲ τοῦτο, εἷς δήπου καὶ ὁ αὐτὸς ἔσται λόγος θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος διὰ τὴν ἕνωσιν· καὶ εἰ τοῦτο, ταυτόν ἐστιν ἕνωσίς τε καὶ φύσις· κοινὸν γὰρ τὸ ἐπ' ἀμφοῖν κατηγόρημα. ὥσπερ γὰρ

A ut supra diximus. Id tu quoque ubi feceris, nulla comperies testimonia patrum, quæ sententiam tuam de una Christi natura comprobent.

XIII. In epistola vero tua progressus, veluti indignatus molesteque ferens, quod nos scripserimus, afferentes unam in Christo naturam Eutychianos esse, eodemque anathemate, ac judicio subjici, hæc scribis: *Et dicimus domine, in hoc te non recte judicium tulisse*; ideoque Eutychetis opinionem exponere conaris declarareque, eum confusionem commutationemque in œconomia ponere, nihilque ex immaculatis, sanctisque sanguinibus Deum Verbum B assumsisse: te ipsum vero probare non introducere confusionem, & alibi, unam naturam affirmantem in Christo, non propterea anathemati merito subjici. Et licet sermo tuus opinionis Eutychianæ tuæque confessionis discrimen extricare nitatur, ut inde ab anathemate contra Eutychem lato immunis esse videaris, nostræ tamen demonstrationis ratio te unam naturam in unione Christi afferentem, etsi ipso primo aspectu te ita confiteri non compererit, omnino in confusionis modum adducet: quod tibi hisce manifestum fuerit. Tres ergo supremæ opiniones de unione naturarum in Christo conceptæ sunt, divisiva, confusiva, & quæ proprie appellatur unitiva: quarum duæ ab hæreticis, quasi joci ridicu- C li divenditæ sunt, & divenduntur. Probe enim eos præoccupans divinus Gregorius infamavit. Namque divisiva, cum relativa sit, & neque in ipso initio naturas conjungat, separatas inter se res relinquit, neque illis communia, neque pecularia exhibet, aut reddit, ut inde duæ naturæ omnino a seipsis dispertitæ constituantur: & hæc tantummodo dignitate, & opinione, & consilio naturas dividens fucum insipientibus facit. Estque stolidi Nestorii. Quæ vero illi ex diametro opponitur plura dirimens, & confundens, spurium nescio quid sibi fingit, & imaginatione complectitur, in neutra unitorum parte pure proprium conservans, sed hoc illud est, & illud hoc: ideoque neque hoc, neque illud conce- D dens, quod enim ex confusione oritur, spurium est, nihil purum continens, in ipsa sui stabili proprietate minime firmum. Harum media inconfusa, & indivisa unio, agnoscit equidem conspecta integra esse propter suas proprietates, quæ immutatæ non sunt. Communiter autem hæc, & unius esse fatetur propter essentialem unionem, & propria unius, totius communia: quæ vero totius communia, alterius quoque propria propter illius in utroque inconfusam proprietatem. Neque enim proprietatum mutua compensatio fieret, nisi in utroque remaneret, in unione proprietas immota. Est itaque similis unio eorum, quæ penitus dividuntur, magis unitiva, eorum, quæ prorsus confunduntur affluentior; E ut neque omnino idem esse faciat simul unita, neque prorsus aliud. Si itaque neque omnino idem, neque ex omnibus aliud, quod ex unione oritur, est, quærendum ubinam idem, ubi vero aliud veritatis norma cognoscit: idem quidem secundum hypostasim, aliud vero secundum naturam, opposito namque modo, quam in Trinitate, ut divinus refert Gregorius, se habet. Quod si id adversariis non probatur, quod sequitur ipsi concludant. Omnino etenim si hypostasi non esset idem, ergo natura, concedent: & si hoc, una omnino, & eadem fuerit ratio deitatis, & humanitatis per unionem: & si id, idem fuerit unio, & natura, idem enim de utrisque prædicatur. Quemadmodum enim quo-

A batur. Communicat itaque sua divina natura carni per modum retributionis, rursumque humana propria divinæ naturæ in divino Verbo unita secundum hypostasim, quæ simul inter se sunt inseparabiliter conjunctæ. Ideoque & *Dominus gloriæ cruci affixus* dicitur, licet nihil divina ejus natura perpessa fuerit: & filius hominis ante passionem in cælo esse affirmatur, quemadmodum ipse Dominus dixit, *nullus ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis*. Et tamen non de cælo carnem descendisse, sed ex puris, immaculatisque sanguinibus Virginis factam fuisse dicimus. Per retributionem itaque, & hoc dictum est. Quædam per appropriationem, ut cum dici-

B mus, *modicæ guttæ sanguinis Dei universum terrarum orbem sanctificarunt*, rursumque, *deicidæ Judæi*, quoniam caro propria Verbi facta est, & in propria illius hypostasi substitit; proprias itaque carnis passiones sibi Verbum appropriat, & uti proprias agnoscit, quemadmodum tu etiam in commentario de Christo ex divinis literis adnotaras, licet non . . . . & de hominis compositione similiter in scriptura, sicuti & de Christo tres hos modos, synecdochen, inquam, retributionem, & appropriationem inveniri, quasi ex eo colligens similitudinem compositionis hominis cum Christi unione, propereaque scripseras unius naturæ esse Christum post unionem, quemadmodum &

C de homine dicitur. An non vides hisce te ea, quæ simul componi non possunt connectere, & quæ misceri non possunt commiscere? Neque enim eodem modo de œconomia Christi, unioneque cum ipso, & de compositione hominis divinæ literæ verba faciunt; sed per synecdochen ex parte totum, vel ex toto partem de homine scripturam dicere, quod & tu quoque insinuasti, vel ab anima tantum, vel a corpore totum hominem notare, vel a toto partem inveniemus. At appropriationis modum neque de Christo ostendere potuisti, tantum abest, ut de humanitate id egeris. Sic quoque retributionis modum, qui ea, quæ corporis sunt animæ communicat, aut quæ animæ corpo-

D ri, non absque errore prosecutus es: neque enim retributionis, aut appropriationis modum de anima, & corpore dictum potis es ostendere; quemadmodum tu itidem per tua exempla asseruisti, nam cum astruis in divina scriptura dici animam pro corpore in illis Domini, *nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, aut bibatis*, falsus es. Manifestum etenim est manducare, aut bibere non esse corporis, sed utriusque, animalis dumtaxat. Prolatum quippe est a sapientibus, alia esse propria animæ solius, ut intelligere: alia utriusque, animantis nempe, ut edere, bibere, moveri, dormire, & vigilare, & his similia, propter eam exsistentia. Sic quoque magnus Basilius decernit:

E corporis vero propria sunt, secari, aut uri: alia vero sunt corporis animati, ut delassari: alia animæ, quæ corpore utitur, ut tristitia, aut mœrore affici, quæ utriusque per synecdochen sunt. Dictum vero est, *nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, aut bibatis*, hoc est vos ipsi. Similiter etiam quæcumque de hoc differueras, quæ per synecdochen dicta sunt, ad retributionis modum ignave, & citra judicium transtulisti. Et hæc quidem de his satis.

ιη΄. Πάλιν δὲ ἐν τῷ γράμματί σου, ὥσπερ ἑαυτὸν ἀπαλλάττων ἐγκλήματος, διὰ τὸ γεγραφέναι ἡμᾶς, ὅτι εἰ μίαν φύσιν ἐπὶ Χριστοῦ δοξάζετε, συμβαίνει ἂν, ἢ θείαν μόνον ταύτην εἶναι, ἢ ἀνθρω-

XVIII. Rursus in epistola tua temetipsum a crimine liberans, quod nos scripserimus, si unam tantum in Christo naturam statuitis, continget, aut divinam tantum eam esse, aut humanam, aut di-

SÆCUL. XII CIRCA ANN. CHR. 1120.



πίνην, ἢ μεταβεβλῆσθαι τὴν θείαν εἰς τὴν ἀνθρώπου, ἢ τὴν ἀνθρώπου εἰς τὴν θείαν, ἢ συνθέτου μιᾶς φύσεως ὄντος τοῦ Χριστοῦ, σωζομένων δηλονότι τῶν φύσεων ἀμεταβλήτων, ἀνάγκη καὶ τοῦ πατρὸς τὴν φύσιν σύνθετον εἶναι, διὰ τὸ καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν ὁμοφυῆ, καὶ ὁμοούσιον εἶναι τὸν Χριστὸν μετὰ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἢ μὴ εἶναι ὁμοφυῆ καὶ ὁμοούσιον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸν υἱὸν καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν. καὶ πολλὰ ἄτοπα τάχα ἄν τις ἐκ τοῦδε τοῦ λόγου συνάξει. αὐτὰς τὴν τοιαύτην γραφὴν ὥσπερ ἀποθαυμάζων, καὶ ἑαυτὸν ἐκτὸς ἐγκλήματος συνιστῶν, ὧδέ πη γράφεις· ἐθαύμασα περὶ ὧν ἔγραψας ἐν τῷ γράμματι τούτῳ. καὶ μετὰ βραχέα. ἐὰν γὰρ ἡμεῖς πεφυρμένην μίξιν λέγωμεν εἰς τὰς τοῦ Χριστοῦ φύσεις, ὥσπερ τὸ ὕδωρ μετὰ τοῦ οἴνου μιγέντα, πάντως ὅτι πεφυρμένοι εἰσὶν, ἢ ὥσπερ ἐπὶ χωνευτηρίου πυρὸς, χρυσὸς λέγω καὶ ἄσημος χωνευόμενοι πάντως καὶ φύρονται, εἶχεν ἂν ὁμοιότητα ὧν λέγομεν. εἰ δὲ ἔξωθεν τούτων ἐστὶν, ἣν λέγωμεν μίξιν τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ μετὰ τοῦ ἰδίου σώματος, ὥσπερ φῶς μετὰ τῆς ἀκτῖνος, εἴτε πῦρ μετὰ τοῦ χρυσοῦ, ἢ πνεῦμα μετὰ τοῦ σώματος ἀπαραλλάκτως καὶ ἀχωρίστως· λοιπὸν ἀδίκως ἡμᾶς λοιδορεῖτε, καταπατοῦντες τὴν δικαιοσύνην, καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ ἐπιβεβαιῶν τὴν ἀσύγχυτον τῶν φύσεων ἕνωσιν, προκεκόμικας Γρηγόριον τὸν θεολόγον τοῦτο αὐτὸ φάσκοντα, καὶ τὸν ὁμοταγῆ αὐτοῦ καὶ ὁμόφρονα Γρηγόριον τὸν θαυματουργόν. ὅπερ καὶ ἡμεῖς ἐν τούτῳ συμφωνοῦμεν μόνον. διὸ δοκεῖς μὲν διαδρᾶναι τοὺς ἐλέγχους, δι' ὧν οἴει τῆς μιᾶς φύσεως τὴν ἕνωσιν τὴν ἐπὶ Χριστοῦ ἄνευ συγχύσεως γεγενῆσθαι. ἣν καὶ ὁμολογεῖς, οὐχ ἥκιστα δὲ δι' ὧν γράφεις τοὺς ἐλέγχους ἐκφεύγῃ, μᾶλλον δὲ τοῖς ἑαυτοῦ πτεροῖς φωραθήσῃ ἁλισκόμενος. καὶ τοῦτο δῆλον ἐντεῦθεν. Πᾶν τὸ συντιθέμενον μίαν φύσιν ἀποτελοῦν ἐκ τῆς συνθέσεως, ἢ κατὰ κρᾶσιν, ἤτοι κατὰ σύγχυσιν τοῦτο φαίνεται γινόμενον, ἢ καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτον. καὶ κατὰ κρᾶσιν μὲν, οἷον τὰ ἡμέτερα σώματα. καὶ ἄλλο ὅτι καὶ πλεῖστον ἐκ τεσσάρων στοιχείων ἕν τι καὶ μιᾶς φύσεως ἀποτελούμενον, σύμφθαρσιν τῶν συνελθόντων μερῶν ἐν τῇ ἑνώσει πεπονθότων, τὸ ὅλον συνέστηκεν. ἃ οὔτι πάντῃ τῆς οἰκείας φύσεως ἐν τῷ συνελθεῖν ἅμα ἐξέστηκεν. οὐ γὰρ ἂν, οὐδὲ σύνθεσις ἢ ἕνωσις τῶν συνελθόντων μερῶν πάντῃ φθειρομένων δικαίως ἂν καὶ κληθείη· ἀλλ' ἐπί τι μὲν δόξει φθείρεσθαι, ἐπί τι δὲ φυλάττεσθαι. τὸ δὲ ἐκ τῶνδε ὅλον γινόμενον, ἐκ τόσων μὲν τῶν συνελθόντων λέγεται, ἐν ἐκείνοις δὲ, ἢ τόσοις οὐδαμῶς ἐνεργείᾳ ὄσι κυρίως ῥηθήσεται, εἰ μή τις τοῦτο δυνάμει εἴποι. καὶ τὸ ἡμέτερον σῶμα, ὡς προέφημεν, ἐκ τεσσάρων στοιχείων κατὰ κρᾶσιν, ἤτοι κατὰ σύγχυσιν γενόμενον, ἐκ τεσσάρων μὲν εἶναι λέγεται, ἐν τέτρασι δὲ, ἢ τέσσαρα εἶναι δυνάμει λεχθήσεται, ἐνεργείᾳ δὲ οὐκ ἂν ῥηθείη. καὶ οὔτε τὸ σῶμα, εἰ καὶ λέγεται ἔχειν τέσσαρα στοιχεῖα, ἀλλ' οὐδαμῶς οὔτε αὐτὸ ὁμοφυὲς καὶ ὁμοούσιον πρὸς τὰ ἐξ ὧν συνετέθη ῥηθήσεται, διὰ τὸ μηδαμῶς τὸ ὅλον τῶν συνελθόντων μερῶν εἰς τὴν σύνθεσιν μήτε τὰς ὀνομασίας, μήτε μὴν τοὺς ὁρισμοὺς αὐτῶν ἐπιδέχεσθαι. ἀλλὰ μὴν, οὐδὲ τὰ καθέκαστα τῶν ἀνθρωπίνων σωμάτων πρὸς τὰ ὑπὸ τὰ καθόλου στοιχεῖα ἀναγόμενα, ὁμοφυῆ ἢ ὁμοούσια ῥηθεῖεν ἄν. εἰ δὲ καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτον πάλιν, τὸ συντιθέμενον μία φύσις γίνεται, οἷον ἐπ' ἀνθρώπου. δύο γὰρ συνελθόντα ἀσυγχύτως, σῶμα λέγω καὶ ψυχὴ, τὸ ὅλον ἀπετέλεσαν. ἀλλὰ τοῦτο μὲν διάφορον τὴν ἕνωσιν ἔχον, διάφορον καὶ τὸν τρόπον τῆς ἑνώσεως κέκτηται. ἐκ μὲν γὰρ τόσων, ἤγουν ψυχῆς τε καὶ σώματος, καὶ ἐν τόσοις εἶναι ῥηθείη ἂν δικαίως. ἐπεὶ καὶ τὰ συνελθόντα ἐν τῇ ἑνώσει ἀμείωτα διασώζονται, ἐνεργείᾳ ὄντα, καὶ τόσα ἔχειν ὁ ἄνθρωπος μέρη ῥηθείη ἂν παρὰ τοῖς ὀν-

A vinam in humanam immutatam fuisse, aut humanam in divinam: vel compositæ unius naturæ cum sit Christus, non alteratis dumtaxat naturis, necesse fuerit, & Patris naturam compositam esse: quod etiam post unionem ejusdem naturæ, & essentiæ cum Deo, & Patre, & Spiritu sancto Christus sit: aut non esse ejusdem naturæ, & essentiæ cum Deo, & Patre Filium etiam post unionem; & multa alia absurda alius ex hac oratione in unum colliget. Hoc, inquam, scripto veluti in admirationem raptus, teque a crimine immunem comprobans, ita scribis. *Admirationi mihi fuerunt, quæ huic scripto commiseras.* Et post pauca; *etenim si nos confusam mixtionem dicimus in Christi naturis, quemadmodum*
B *aqua, & vinum permixta omnino confusa sunt; vel ut in conflatorio ignis aurum, & argentum fusa penitus confunduntur, non dissideret omnino ab his, quæ dicimus; si vero ab his disjunctissima est, quam nos vocamus mixtionem Verbi Dei cum proprio corpore, quemadmodum lumen cum radio, sive ignis cum auro, sive spiritus cum corpore citra ullam immutationem, & separationem; immerito igitur nobis convitia ingeritis, justitiam conculcantes* &c. Et ad hanc naturarum unionem inconfusam constabiliendam, Gregorium theologum, & consortem illius, concordemque alium thaumaturgum Gregorium id idem asserentem adducis in quo solo & ipsi convenimus. Sic videris criminationem effuge-
C re, quod existimes unius naturæ unionem in Christo absque confusione fuisse factam, quam & profiteris. Per ea itaque quæ ipse confiteris, & scribis tantum abest ut maculas, notasque evadas, ut potius tuis ipse alis capiaris. Quod ex his apertum, manifestumque fuerit. Omne compositum unam naturam efficiens ex compositione, aut immixtione, aut confusione, aut unione inconfusa effici dicimus: immixtione, ut nostrum corpus, & alia quoque ratione, sed potissimum, quod ex quatuor elementis unum quid, uniusque naturæ effectum, & corruptionem partibus, quæ convenerunt in unione positis hoc totum constitutum est; quæ neque omnino a propria natura, cum conveniunt, recedunt:
D tum enim compositio, quæ convenerunt, partium unio, si penitus corrumpantur, merito non vocabitur, sed in aliquo corrumpi, in aliquo conservari videbuntur. Quod vero ex hisce totum fit ex tot quidem, quæ convenerunt, dicitur, in illis vero tantisque, quæ actu nulla sunt, proprie non dicentur, nisi id aliquis virtute dicat. Et nostrum corpus, ut antea diximus, ex quatuor elementis per immixtionem, aut confusionem factum, ex quatuor quidem esse dicitur, in quatuor autem, aut quatuor virtute esse, numquam vero actu dicetur. Sed corpus quoque licet asseratur habere quatuor elementa, nullo modo ipsum ejusdem naturæ, & essentiæ cum iis, ex quibus compositum est, dice-
E tur: quod nullo modo totum convenientium partium in compositione, neque nomina, neque earum definitiones obtineat. Quinimmo neque singularia humanorum corporum, quæ sub universalia elementa reducuntur, ejusdem essentiæ, aut naturæ dicentur. Quod si per unionem inconfusam rursus compositum una natura fit, ut homo: duo etenim concurrentia citra confusionem corpus, & anima totum constituerunt. Sed hoc quidem diversam unionem habens, diversum quoque unionis modum possidet. Ex tot enim, corpore nempe, & anima, & in tot esse jure merito dicetur, cum & ea, quæ convenerunt in unione, integra conserventur, cum actu sint. Et tot habere partes homo dicetur ab iis, qui res sane dijudicant: tot vero esse, nempe duas naturas homo nullo modo dicitur, si naturæ de toto

θῶς κρίνουσι, τὰ δὲ εἶναι, ἤγουν δύο φύσεις εἶναι ὁ ἄνθρωπος οὐδαμῶς λέγεται, ἅπερ αἱ φύσεις τοῦ ὅλου οὐδαμῶς κατηγοροῦνται. ἐπειδὴ τὸ συντιθέμενον ἕτερον γέγονε παρὰ τὰ ἐξ ὧν, καὶ οὐ τὰ αὐτὰ, καὶ οὔτε αὐτὸ τὸ ὅλον, ἤγουν ὁ ἄνθρωπος, πρὸς τὰ ἐξ ὧν συνετέθη, πρός τε τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμά φημι ὁμοφυὴς ἢ ὁμοούσιος ῥηθείη ἄν ποτε. ἐπεὶ μηδὲ κυρίως τὰς ὀνομασίας αὐτῶν, μήτε μὴν τοὺς λόγους αὐτῶν ἐπιδέχεται, οὔτε μὴν οἱ καθέκαστα ἄνθρωποι, οἷόν φημι Παῦλος ἢ Πέτρος, πρὸς τὰ καθέκαστα τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς, ἢ τὰ ἀνθρώπινα σώματα ὁμοφυεῖς, ἢ ὁμοούσιοι λεχθεῖεν ἂν, διὰ τὸ μηδὲ τὰ καθόλου ὁμοειδῆ εἶναι. εἰ οὖν εἴπῃς τὸν ἄνθρωπον ἐκ διαφόρων φύσεων ἀσυγχύτως ἑνωθέντα φήσειεν ὁμοφυῆ καὶ ὁμοούσιον τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, συμβαίνῃ ἂν ἐξάπαντος, ἢ τὴν ψυχὴν σύνθετον εἶναι ἐκ τοῦ αὐτῆς καὶ τοῦ σώματος. ἢ εἰ μὴ τοῦτο διὰ τὸ ἐναργὲς ἄτοπον, τὴν ψυχὴν μὴ εἶναι ὁμοούσιον καὶ ὁμοφυῆ τῆς μιᾶς συνθέτου φύσεως τοῦ ἀνθρώπου. τοιοῦτόν τι καὶ ἡμεῖς πεπράχαμεν ἐν τῇ ἐπιστολῇ ἡμῶν λέγοντες· εἰ μίαν φύσιν λέγοιτε ἐπὶ τῆς Χριστοῦ συνθέτου ἑνώσεως, ἀνάγκη πᾶσα, ἢ θείαν αὐτὴν εἴποιτε εἶναι, ἢ ἀνθρωπίνην μόνον, ἢ μετατετράφθαι ἄμφω πρὸς ἀλλήλας· ἢ συνθέτου μιᾶς οὔσης τῆς Χριστοῦ φύσεως, ἀνάγκη πᾶσα, ἢ σύνθετον εὑρίσκεσθαι τοῦ πατρὸς τὴν φύσιν, ἵνα τὸ ὁμοφυὲς μετὰ τὴν ἕνωσιν τοῦ Χριστοῦ πρὸς αὐτὸν διασώζοιτο, ἢ εἰ μὴ τοῦτο διὰ τὸ βλάσφημον, οὐκ ἔσται τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς ὁμοούσιος, ὅπερ ἐστὶ καὶ αὐτὸ πάσης βλασφημίας ἀνώτατον. σὺ οὖν δοκῶν τοὺς ἐλέγχους ἐκφεύγειν, τὸ διάφορον τῆς ἑνώσεως τοῦ κατὰ σύγχυσιν καὶ μὴ τοιούτου προκεκόμικας, ὡς ἐντεῦθεν μηδὲ δικαίως παρ' ἡμῶν συκοφαντούμενος. τὸ μὲν οὖν δὴ γράφειν ἡμᾶς μετατετράφθαι θατέραν φύσιν ἐπὶ θατέραν, ἐπὶ τῶν κατ' ἀνάχυσιν τὴν ἴσην ἔχει. τὸ δὲ συμβαίνειν, ἢ σύνθετον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς εὑρίσκεσθαι τὴν φύσιν, διὰ τὸ μετὰ τὴν ἕνωσιν τὸν Χριστὸν ὁμοφυῆ καὶ ὁμοούσιον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς εἶναί τε καὶ πιστεύεσθαι. ἢ εἰ μὴ τοῦτο διὰ τὸ βλάσφημον, τὸν πατέρα μὴ εἶναι ὁμοούσιον τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν ἕνωσιν, ὅπερ ἐστὶ καὶ αὐτὸ πάσης βλασφημίας καὶ ἀτοπίας ἐπέκεινα. τοῦτο δὴ καὶ ἐπὶ τῆς καθ' ἕνωσιν ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως ἡνωμένης, ὡς ὁ λόγος διὰ τῆς τοῦ ἀνθρώπου ὑποδείξεως παρέστησε, τὸ ἄτοπον καὶ βλάσφημον συνάγοντος, οὐδαμῶς ἂν τοὺς παρ' ἡμῶν ἐλέγχους ἐκφύγοις, μιᾶς φύσεως τὸν Χριστὸν δογματίζων, εἰ καὶ ἀσύγχυτον τὴν ἕνωσιν δοξάσειας. ὁ λόγος γὰρ ἑκατέρωθεν ἀπέδειξε πρὸς τὸ ἄτοπον καὶ βλάσφημον συνάγεσθαι. ὡσαύτως δὲ οὐδὲ ἡ τῶν παραδειγμάτων προσαγωγὴ πρὸς παράστασιν τῆς παρὰ σοῦ δοξαζομένης μιᾶς φύσεως, καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτον γεγενημένης, ὀρθῶς ἐλήφθη. τὰ μὲν γὰρ ἐπὶ καθαιρέσει τῆς μιᾶς συνθέτου φύσεως, καὶ τοῦ σοῦ δόγματος ἔνεισιν· οἷον ὁ χρυσὸς μετὰ πυρὸς μεμιγμένος. πάντως ὅτι ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει ὁ χρυσὸς τὸ πῦρ δεχόμενος, ποιεῖ σύνθετον ὑπόστασιν δύο φύσεις ἔχουσαν, τήν τε τοῦ χρυσοῦ καὶ τοῦ πυρὸς, ὃ καὶ πλεῖστοι περιφανεῖς καὶ θεοφόροι πατέρες εἰς παράστασιν τῶν δύο φύσεων, τῶν ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ, ἤγουν τῇ μιᾷ ὑποστάσει ἐν τοῖς οἰκείοις συγγράμμασιν ἐντεθείκασιν. τὰ δὲ ἀπέοικεν ἐκ τῆς κατὰ Χριστὸν ἀσυγχύτου καὶ ἀτρέπτου τῶν φύσεων ἑνώσεως. τὸ μὲν γὰρ φῶς μετὰ τῆς ἰδίας ἀκτῖνος, οὐδεὶς τῶν εὖ φρονούντων συντεθεῖσθαι φήσειεν. οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων μετ' οἰκείας ἐνεργείας, ἢ τοῦ ἐξ αὐτοῦ ἀποτελέσματος λέγεταί ποτε συγκεῖσθαι. ἀλλ' οὐδὲ ἡ ψυχὴ καὶ ὁ ἄνθρωπος ὁμοίαν ἔχει τὴν καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτον πρὸς τὴν κατὰ Χριστόν. τοῦτο γὰρ καὶ προδέδεικται, ὅτι ἡ μὲν τῆς ψυχῆς, συνυποστάτως γέγονεν, ἡ δὲ ἑτέρως.

ιθ'. Πάλιν δὲ ἐν τῷ γράμματί σου ἀνθυποφέρων γράφεις. περί τι οἱ πατέρες ἐν διαφωνίᾳ ἐπολιτεύ-

nullo modo prædicantur. Cum compositum aliud factum sit ab iis, ex quibus constat, nec illa eadem sit. Nec etiam ipsum totum, homo scilicet, cum iis, ex quibus conflatus est, anima, inquam, & corpore, ejusdem naturæ, & essentiæ dicetur umquam, cum neque appellationum eorum, neque definitionum omnino capax sit. Neque singulares homines, ut Petrus, & Paullus cum singularibus hominum animis, aut humanis corporibus ejusdem naturæ, aut essentiæ esse dicentur, quod nec universalia ejusdem speciei sint. Itaque si quis hominem ex diversis naturis inconfuse unitum assereret, ejusdem naturæ, & essentiæ cum anima humana, necessario inde sequeretur, aut animam ex se, & corpore compositam esse, aut si id non datur, propter potens absurdum, animam non esse ejusdem essentiæ, & naturæ cum una composita hominis natura. Non dissimile nos quoque in epistola nostra attentavimus inducentes; si unam naturam dicitis in Christi composita unione, necesse est, aut ipsam divinam asserere, aut humanam tantum, aut utrasque inter se immutatas fuisse, aut composita una exsistente Christi natura, necessarium omnino erit, vel compositam Patris reperiri naturam, ut in natura æquale etiam post unionem Christi cum eo conservetur: vel si id non est, propter blasphemiam, non erit Pater ejusdem naturæ cum Filio, quod etiam blasphemiam omnem exsuperat. Tu igitur, ut tibi videris argumentorum vim vitans, diversitatem unionis secundum confusionem, & non secundum confusionem in medium attulisti: quasi inde quoque te immerito calumniaremur. Scribere itaque nos unam in aliam naturam immutatam fuisse ab iis, qui eam secundum infusionem factam esse tradunt, non abhorret. Verum consequi aut compositam Dei & Patris naturam reperiri, quod post unionem Christus ejusdem naturæ, & essentiæ est, & creditur cum Deo & Patre. Et si id propter blasphemiam non concedatur, Christum non esse ejusdem essentiæ cum Deo post unionem, quod & ipsum & blasphemiæ, & ineptiæ universæ limites excedit. Cum autem & in natura post unionem inconfuse, & immutabiliter unita, quemadmodum oratio demonstratione ex homine desumta ostendit, idem absurdum blasphemumque inferatur, nulla ipse ratione reprehensiones nostras effugies, unius naturæ Christum astruens, licet inconfusam unionem asserueris. Oratio etenim utrinque absonum, blasphemumque colligi demonstravit. Sic etiam exempla a te adducta ad comprobandam unam naturam, quam ipse statuis post unionem inconfusam factam, haud recte instituta sunt: quædam enim unam compositam naturam, tuumque dogma proscribunt, ut aurum igni immixtum: cum omnino aurum in propria hypostasi ignem accipiens compositam hypostasim efficiat, duas naturas habentem, auri & ignis; quod plerique etiam ex patribus, divini illi sane ac percelebres, ad comprobandas duas naturas in uno Christo, una scilicet hypostasi, propriis commentariis usurparunt: alia abhorrent ab inconfusa, & immutabili naturarum unione; neque enim quispiam recte sentientium lumen cum proprio radio componi dicet. Nulla enim rerum cum proprio actu, sive cum effectu suo umquam componi dicitur. Quinimmo neque anima, & homo similem habet unionem inconfusam cum ea, quæ Christi est. Quod supra demonstratum est, quoniam animæ simul una subsistit, Christi vero alio modo.

XIX. Rursus in epistola tua, quasi sermonem excipiens, objicis: *Circa quod Patres non conve-*

SECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.



θησαν, μίξιν δὲ λέγοντες καὶ ἕνωσιν. διότι ἡ μὲν μίξις χωρισμὸν οὐκ ἔχει, οὐδὲ ἡ ἕνωσις διασπασμόν, ἀλλὰ διὰ τούτων τῶν ῥημάτων ἐλάλησαν οἱ πατέρες· ὅτι ὥσπερ τὰ κεχωρισμένα οὐ λέγονται μεμιγμένα, οὕτως οὐδὲ τὰ μεμιγμένα λέγονται κεχωρισμένα. ὥσπερ αἱ ἰδιότητες τὴν ἕνωσιν ἐπαίρουσιν, οὕτως καὶ ἡ ἕνωσις συγχώνει τὰς ἰδιότητας. ἐὰν οὖν οὐκ ἦν μεμιγμένα ἀσυγχύτως μετὰ τοῦ σώματος, διατί λέγουσιν, ὅτι ἐσαρκώθη; εἰ δὲ οὐκ ἦν ἑνωθεὶς μετὰ τὴν ἀνθρωπότητα, διατί λέγουσιν, ὅτι ἐνηνθρώπησε; ταῦτα μὲν οὐδενὸς λόγου ἄξια ὄντα, διὰ τὸ ἱκανῶς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν παρ᾽ ἡμῶν προλελύσθαι, ἥκιστα περὶ τούτων φροντιστέον. πλὴν οὖν μή τῳ δόξῃ καταβρενθύεσθαι ἐν τούτοις, διὰ βραχέων λέγομεν. οἱ μὲν οὖν ἅγιοι πατέρες ἕνωσιν καὶ μίξιν ἐπὶ Χριστοῦ ἀσύγχυτον, καὶ ἄτρεπτον τῶν δύο φύσεων τῶν συνελθουσῶν, θεότητός φημι καὶ ἀνθρωπότητος, δογματίζοντες, δηλονότι καθ᾽ ὑπόστασιν καὶ οὐσιωδῶς γεγενημένην ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ λέγουσι, καὶ τοὺς ἐνεργείᾳ καὶ ὑπάρξει τὰς δύο φύσεις ἀνὰ μέρος καὶ χωρὶς τιθέντας, ὅ ἐστι, Νεστόριος ὁ θεοστυγής, πρὸς αὐτὸν διηνέχθησαν, καὶ τῷ ἀναθέματι δικαίως αὐτὸν καθυπέβαλον. καὶ γὰρ τὰ ἡνωμένα καθ᾽ ὑπόστασιν καὶ φυσιωδῶς, κεχωρισμένα ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος εἶναι ἀδύνατον, ὥσπερ καὶ τὰ κεχωρισμένα ὑπάρξει καὶ ἐνεργείᾳ καὶ ἀνὰ μέρος, τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν καὶ οὐσιώδη ἕνωσιν ἔχειν οὐ δύνανται. τοιγαροῦν ἡμεῖς οὐδὲν τοιοῦτον ἐν τῷ δοξάζειν δύο φύσεις, καὶ δύο ἰδιότητας τῶν φύσεων, τῶν ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ, τὰ μέρη ἀναθεωροῦντες, ποιοῦμεν. οὐ γὰρ ὁ ἀριθμὸς καθ᾽ αὑτὸν διαιρέσεως τῶν πραγμάτων ἐστὶ ποιητικός, οὐδὲ ἰδιοσυστάτων πραγμάτων παραστατικός. οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς διὰ τὸ ἀριθμεῖν καὶ μόνον τῷ λόγῳ τῆς διαφορᾶς τὰς φύσεις, καὶ τὰς τούτων ἐνεργείας καὶ θελήσεις καταλλήλως τῶν φύσεων δοξάζειν, διαίρεσιν τὴν κατ᾽ ἐνέργειαν καὶ ὕπαρξιν ἐπὶ τῶν φύσεων καὶ τῶν ἰδιοτήτων λέγομεν, ἵνα καὶ χώραν τὸ παρὰ σοῦ γραφόμενον λάβῃ. εἰ δὲ οὐδὲν ὧν γράφεις ἡμῶν ἐφάπτεται, μάτην ὧδε κἀκεῖσε τὸν λόγον κινεῖς συκοφαντῶν τὴν ἀλήθειαν. καὶ ταῦτα μὲν ἐν τούτοις.

κ᾽. Ἐπεὶ δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ γράμματι ἡμῶν συνετάξαμεν· ὅτι ἡ ἐν Χαλκηδόνι ἁγία σύνοδος διάτοι τοῦτο ἐξεφώνησεν ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν, διὰ τὸ καὶ τὰ πάθη καὶ τὰ θαύματα τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας τριάδος, ἤτοι τοῦ Θεοῦ λόγου λογίζεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν ἀνατρέχειν· αὐτὸς οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἀκρίτως τὰ παρ᾽ ἡμῶν ἐπιγελᾷς, καὶ πρὸς τὰ γραφέντα ἀντιλέγεις, καὶ ἀποθαυμάζων ὧδέ πη γράφεις· καὶ ἄλλο θαῦμα ἔγνωμεν ἐν τῷ γράμματί σου, ὅτι ἡ σύνοδος τῆς Χαλκηδόνος ἓν πρόσωπον καὶ δύο φύσεις διὰ τοῦτο ἐλάλησεν εἰς Χριστόν, ὅτι τῷ ἑνὶ λόγῳ τοῦ Θεοῦ λογίζονται, καὶ ἀνατρέχουσι τὰ πάθη, πρὸς ἣν ὁ μακάριος Κύριλλος δεόντως ἀπελογίσατο. ὄντως τὰ ἄμικτα μιγνύων, καὶ τὰ μηδόλως κοινωνίαν κατὰ διάνοιαν ἔχοντα, ὁμοιοτρόπως λογίζῃ. καὶ εἴτε ἑκὼν εἴτε ἄκων, Θεὸς ἂν εἰδείη μόνος, καὶ τὸ διάφορον τῆς ἡμῶν γραφῆς καὶ τῆς τοῦ Νεστορίου κακονοίας συνιῆσαι οὐ βούλει. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ταὐτὸν οἰόμενος εἶναι φύσιν καὶ πρόσωπον καὶ ὑπόστασιν, καὶ τί τὸ ἐν ἀμφοῖν διάφορον ἀγνοῶν, καὶ πᾶσαν φύσιν ἰδιοσύστατον λογιζόμενος, πρὸς τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν ἕνωσιν ἀπεδυσπέτει. ὡς δῆθεν τῶν φύσεων συναιρουμένων ἐν τῇ ἑνώσει τοῦ ἑνὸς προσώπου. εἰς τὸν θεῖον τοιγαροῦν λόγον ἐπισφαλῶς οἴεται, πρὸς ὃν ὁ ἐν ἁγίοις Κύριλλος ἐκ τοῦ παραδείγματος τοῦ κατὰ τὸν ἄνθρωπον ὑπεδείκνυε, δύο φύσεων ἐν μιᾷ ὑποστάσει θεωρουμένων, οἷόν τί φημι σώματος καὶ ἀσωμάτου, εἰ καί τι λέγεται παθεῖν ὁ ἄνθρωπος, οἷον καίεσθαι ἢ τέμνεσθαι, κατὰ σῶμα τουτὶ πέπονθε, τῆς ψυχῆς ἀμειώτου καὶ ἀβλαβοῦς φυλαττομένης. τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ἐπὶ τοῦ Θεοῦ λόγου ἐστὶν ἰδεῖν· τοῦ γὰρ

A *nientes, partibus studuerunt, mixtionem vocantes, & unionem: quod mixtio separationem nullam habet, neque unio divisionem; sed per hæc verba Patres locuti sunt; quemadmodum enim separata mixta non dicuntur, ita nec mixta dicuntur separata: quemadmodum proprietates unitatem tollunt, ita & unio opprimit proprietates. Si itaque non erant mixta inconfusa cum corpore, quare dicunt incarnatum fuisse? Si non erat unitus cum humanitate, quare dicunt, eum hominem assumsisse?* Hæc cum nullius considerationis sint, quod satis abunde in antecedentibus a nobis absoluta sunt, parum nobis de illis curandum est. Ceterum ne cui jactabundus superbias, brevibus respondemus. B Sancti Patres unionem, & mixtionem in Christo inconfusam, & immutabilem duarum, quæ concurrerunt naturarum, deitatis, & humanitatis astruentes, secundum hypostasim, & essentialiter factam in uno Christo asserunt, eosque, qui actu & exsistentia duas naturas per partes, & divisim ponerent, ex quibus erat impius Nestorius, quem post magnam rixam, atque contentionem anathemate, & merito perculerunt, condemnant. Namque unita secundum hypostasim, & essentialiter privatim, & per partes separata disjungi non possunt, quemadmodum disjuncta, actu & per partes, unionem secundum hypostasim, & essentialem habere non possunt. Quare C nos nihil tale, dum duas naturas, & duas proprietates naturarum, quæ in uno Christo sunt, partes, considerantes, facimus. Neque enim numerus secundum se divisionem rebus inducit, neque res per se subsistentes repræsentat. Neque enim nos, quod numeravimus, & tantum differentiæ ratione, naturas, & earum actus; & voluntates naturis congruentes asseveramus divisionem secundum actum, & exsistentiam in naturis, & proprietates inducimus, ut quod a te scribitur locum habeat. Quod si ex iis, quæ scribis, nihil nos lædit, frustra hac atque illac sermonem agitas, veritatem infamans. Et hæc quidem ita se habent.

D XX. Quando vero & hoc in nostra epistola scripsimus, Chalcedonensem synodum propterea acclamasse unam personam, & unam hypostasim, quod & passiones, & miracula unius ex sancta Trinitate Dei Verbi scilicet esse reputantur, & ad eum recurrunt: tu ipse nescio qua ratione, inconsulte nostra deridens, scriptis contradicis nec sine admiratione hunc in modum loqueris; *aliud quoque admiratione non indignum in tua epistola legimus, synodum Chalcedonensem, ideo unam personam, & duas naturas censuisse in Christo, quod cum Verbo divino adscribantur passiones, & ad eum referantur, cui beatus Cyrillus, uti par erat, respondit.* Vere quæ misceri non possunt immiscens, E quæ nulla communione, etiam per intellectum, conjunguntur, eadem ratione perpendis: & sive id libens, sive invitus agas, Deus tantummodo noverit, & nostræ scriptionis & Nestorianæ vesaniæ discrimen cognoscere renuis. Ille enim idem esse personam, & hypostasim existimans, quidque inter utraque interesset, ignorans, & omnem naturam per se subsistentem reputans, secundum hypostasim unionem ægre ferebat, quasi duæ naturæ contraherentur in unione unius personæ. Ipse itaque in Verbum divinum gravissime peccat, cui divus Cyrillus ab exemplo hominis commonstrabat, duas naturas in una hypostasi considerari, ut corporei, & incorporei. Et si quid dicitur homo pati, ut si uratur, si abscindatur, secundum corpus illud perpeti, anima integra, illæsaque remanente. Eadem ratione, & de Filio Dei philosophandum est;

Θεοῦ λόγου σωματικῶς πάσχοντος, αὐτὸς ἀπαθὴς, ὅσον ἧκε τὸ ἐπ᾽ αὐτῷ καθὸ Θεὸς ἄναρχος καὶ ἀσώματός ἐστι, διετηρεῖτο, καὶ οὕτως μὲν Νεστόριος νοήσας ἐναντία γέγραφε πρὸς Κύριλλον. ὁ δὲ δὴ τῆς ἁγίας τετάρτης συνόδου σκοπὸς, ἑτέρῳ τινὶ καὶ οὐ καθ᾽ ὃ Νεστόριος ὁ ἐναγὴς, ἀλλὰ καὶ τὸ διάφορον τῆς φύσεως, ὃ ἔχει πρὸς τὴν ὑπόστασιν συνοδικῶς καὶ πατρικῶς διακριθὲν σαφῶς ᾔδει, καὶ πᾶσαν φύσιν ἰδιοσύστατον εἶναι μὴ λογιζομένη, καὶ τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν καὶ οὐσιώδη ἕνωσιν τὴν ἐπὶ Χριστοῦ ἀκριβῶς ἐπισταμένη, καὶ ὅτι ὁ ἀΐδιος λόγος ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει ὑπέστησε τὴν ἡμετέραν φύσιν, καὶ τῷ λόγῳ τῆς οἰκειώσεως, τῆς φυσικῆς φημι καὶ οὐσιώδους, καὶ οὐ τῆς προσωπικῆς καὶ κατὰ σχέσιν θεωρουμένης, ἄπαγε, ἣν καὶ Νεστόριος πρὸς τὸν ἄνθρωπον ἔχειν τὸν λόγον ἐκήρυττεν, ἀλλὰ μᾶλλον, ὡς ἔφαμεν, τὴν φυσικὴν καὶ οὐσιώδη, ἥτις ἐν τῇ καθ᾽ ὑπόστασιν ἑνώσει θεωρεῖται, καλῶς γινώσκουσα, καὶ ὅτι τὸν ἀΐδιον υἱὸν δοξάζουσα ἄνθρωπον γεγενῆσθαι, τοῦτο ἔλεγεν. ὅπερ Ἀθανάσιος καὶ Κύριλλος οἱ τῆς Ἀλεξανδρείας εἰρήκασιν ἱεράρχαι, καὶ παντες οἱ πατέρες, ὅτι κτίσας ἐκ τῆς παναγίου παρθένου Μαρίας ἑαυτῷ σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ, τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν ἰδίαν τῆς αὐτοῦ ὑποστάσεως ἐποιήσατο. καὶ ὃν τρόπον ὁ Πέτρος ἢ ἄλλος πως σῶμα ἀνθρώπινον ἔχων καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην, ἄνθρωπός ἐστι τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ὁ ἀΐδιος υἱὸς κτίσας τῇ ἑαυτοῦ ὑποστάσει σῶμα ἀνθρώπινον καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην, καὶ ἴδια ἄμφω αὐτοῦ ποιησάμενος, γέγονεν ἀληθῶς ἄνθρωπος. ὥσπερ δὲ τὸ τοῦ Πέτρου σῶμα καὶ ἡ ψυχὴ ἀμφότερα τῆς ἑαυτοῦ ὑποστάσεως ἴδια, οὐκ ἄλλης τῶν ἀνθρώπων ὑποστάσεως, ταύτῃ τοι ἐσχηκὼς ταῦτα, πάντως τὴν ἀνθρωπίνην ἔχει φύσιν, ἥτις οὐχὶ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ μόνης, ἀλλὰ καὶ ἑκάστης ὑπάρχει τῶν ἀνθρώπων ὑποστάσεως, τούτου χάριν τὸν ἀΐδιον υἱὸν ἡ σύνοδος λέγει ἕνα τῆς τριάδος ὄντα μιᾷ ὑποστάσει δύο φύσεις ἔχειν, οὐκ ἰδικῶς ἑκατέρας τῇ αὐτοῦ ὑποστάσει διαφερούσης, ἀλλὰ τῆς μὲν θείας φύσεως αὐτῷ τε καὶ τῷ πατρὶ καὶ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ὑπεχούσης, τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, αὐτῷ τε καὶ τοῖς κατὰ μέρος. ἡ μέντοι ὑπόστασις αὐτοῦ διαφερόντως αὐτῷ μόνῳ παρὰ τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀφώρισται, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ καὶ ἡ ψυχὴ, ἰδίως ἀμφότερα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ παρὰ πάντας τοὺς ἀνθρώπους. διὸ καὶ ὅσα ὑπέστη καὶ πέπονθεν ἡ τοῦ ἀϊδίου Θεοῦ σὰρξ, καὶ ἡ ἀνθρωπίνη αὐτοῦ ψυχὴ, αὐτὸς ὁ ἀΐδιος υἱὸς ὑφεστάναι καὶ πεπονθέναι λέγεται, καὶ αὐτῷ συμβέβηκε κατὰ ἀλήθειαν, καὶ αὐτῷ ἐπιγράφεται. ὃν τρόπον ὅσα πάσχει ἡ τοῦ Πέτρου σὰρξ καὶ ἡ ψυχὴ, τῷ Πέτρῳ συμβαίνει, καὶ αὐτῷ κατὰ ἀλήθειαν ἐπιγράφεται. διὰ τοῦτο τὴν ἀληθινὴν [1] ὁμολογοῦντες λέγομεν, ὅτι αὐτὸς ὁ ἀΐδιος υἱὸς ἐπείνασε καὶ ἐδίψησε, καὶ ἠγωνίασε, καὶ ἐκοπίασε, καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐῤῥαπίσθη καὶ ἐνεπτύσθη, καὶ ἐμαστιγώθη, καὶ τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ καθηλώθησαν αἱ χεῖρες καὶ οἱ πόδες, καὶ αὐτὸς ἐπὶ σταυροῦ ἐκρεμάσθη, καὶ ἀπέθανε, καὶ ἐτάφη, καὶ ἀνέστη τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ταῦτα δὲ πάντα τῷ ἀϊδίῳ συμβέβηκεν υἱῷ. ἀλλὰ ταῦτα πέπονθε καθὸ δυνατὸν παθεῖν, τουτέστι τῇ ἑαυτοῦ ἀνθρωπίνῃ σαρκί τε καὶ ψυχῇ, οὐ τῇ ἑαυτοῦ θείᾳ φύσει. τῷ λόγῳ οὖν τῆς φυσικῆς καὶ οὐσιώδους οἰκειώσεως ταῦτα πάντα τῷ ἑνὶ λόγῳ συμβέβηκεν, οὐ καθὸ λόγος, ὡς ἔφαμεν. διάτοι τοῦτο ἥτε ἁγία τετάρτη σύνοδος μίαν ὑπόστασιν καὶ δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ ἐδογμάτισεν. ὁ δὲ Νεστόριος ἑτέρωθι τρόπῳ τοῦ λόγου νοῶν τὰ πάθη, καθὼς ἀνώτερον εἴπομεν, διὸ πρὸς αὐτὸν καλῶς ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας Κύριλλος ἀντεῖπε. καὶ τοῦτό σοι ἀποδέδεικται ἕωλον, καὶ πάντῃ ἀνίσχυρον.

1. Forte ἀλήθειαν.

A namque divino Verbo corporaliter patiente, ipse impatibilis, quantum in eo est, qua Deus est absque principio, & citra corpus, conservabatur. Et ita Nestorius sentiens contraria scripsit Cyrillo. At sancta quarta synodus alio proposito & non ut exsecrandus Nestorius diversitatem naturæ, quam habet ad hypostasim, synodi, patrumque sententiis edocta, & omnem naturam per se minime subsistere posse sciens, cateque tenens secundum hypostasim, & essentialem unionem in Christo, & sempiternum Verbum in propria hypostasi sustinuisse nostram naturam, & rationem appropriationis, naturalis, & essentialis, non personalis, & quæ secundum relationem consideratur, apage, B quam Nestorius erga hominem habere Verbum divulgabat, sed potius, ut diximus, naturalis, & essentialis, quæ in unione secundum hypostasim conspicitur, probe sentiens & sempiternum Filium hominem factum sciens asserebat, quod Athanasius, & Cyrillus Alexandrini antistes, & patres universi affirmarunt, creata ex immaculata Virgine Maria sibi ipsi carne, animata anima rationis compote, & intellectuali, humanam carnem, & humanam animam propriam suæ hypostasis effecisse. Et quemadmodum Petrus, vel alius quispiam humanum corpus, & humanam animam possidens, homo est, ita & sempiternus Filius creans suæ hypostasi corpus humanum, & animam humanam, & ambo C propria sibi faciens, vere homo factus est. Cum vero Petri corpus, & anima, ambo illius hypostasis, non alterius hypostasis propria sunt, propterea que ea obtinens, omnino humanam habet naturam, quæ non ipsius solius hypostaseos, sed cujuslibet hominum hypostasis exsistit, ideo sempiternum Filium synodus tradit, unum Trinitatis, una hypostasi duas habere naturas, non privatim utraque sua hypostasi separata. Sed divina quidem natura ipsi, & Patri & Spiritui sancto communi, humana natura ipsi, & singularibus. At hypostasis ipsius potissimum ipsi soli præ Patre, & Spiritu sancto decreta est, & corpus ipsius, & anima proprie utraque ipsius hypostasi præ reliquis D hominibus: ideo quæcumque subiit, & perpessa est sempiterni Dei caro, & humana ipsius anima, ipse sempiternus Filius subiisse, & perpessus fuisse dicitur, ipsique vere contigerunt, ipsique vendicantur. Quemadmodum quæcumque patitur Petri caro, & anima, Petro accidunt, ipsique vere ascribuntur. Propterea que veritatem confitentes dicimus, ipsum sempiternum Filium esurisse, sitisse, turbatum, & delassatum fuisse, faciem ipsius alapis cæsam, & sempiterni filii manus, ac pedes clavis affixos, eumdem consputum, & flagellatum in cruce pependisse, & mortuum, & sepultum, & die tertia resurrexisse. Hæc omnia sempiterno filio contigerunt. Sed ista perpessus est, modo, quo pati poterat, E hoc est sua ipsius humana carne & anima, non sua ipsius divina natura. Modo itaque naturalis, & essentialis appropriationis uni Verbo hæc omnia acciderunt, non ut erat Verbum, ut diximus. Quapropter sancta quarta synodus unam hypostasim, & duas naturas in Christo statuit. Verum Nestorius alia ratione Verbi passiones intelligens, ut supra explicavimus, probe a Cyrillo Alexandrino refutatus est. Et hoc quoque inane, nulliusque roboris, quod ipse tamquam alicujus momenti afferebas, demonstratum est.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.



κά. Ἴδωμεν δὲ ἐν τοῖς μετέπειτα τί γράφεις. ἔχει A δὲ καὶ τὸ σὸν γράμμα οὕτως· Ἀλλ' ἀνθυποφέροντες λαλήσωμεν ἐκ τῶν ἐναντίων ῥημάτων, ὧν αὐτοὶ λέγουσι, καθὼς ἀνέγνωμεν ἐν τῷ γράμματι. ἐὰν γὰρ τὰς φύσεις χωρίζωσι, καὶ τὰ πρόσωπα ἑνοῦντες λέγωσι, κρᾶσιν εἶναι λοιπὸν, καὶ πρόσωπον πρέπει γίνεσθαι. διότι ὁ ἀπόστολος διὰ δύο πρόσωπα γράφει· ὅτι ἐν μορφῇ Θεοῦ ὢν, μορφὴν δούλου προσελάβετο. μορφὴν οὖν καὶ μορφὴν εἶπεν. ἀρτίως οὖν ποῖον ἐκ τῶν δύο ἀγαπῶσι φορτῶσαι ἐπὶ τοῦ προσώπου, ὃ λέγουσιν ἕν; εἰ μὲν γὰρ θεότητος, τὴν τοῦ Σαβελλίου ἀσθένειαν ἀσθενήσουσιν, εἰ δὲ τῆς ἀνθρωπότητος. τί ἐστιν ἐκεῖνο, ὃ ἐν ἀληθείᾳ ἐν μορφῇ ἀνθρώπου τὸν κύριον ἔβλεπον; ἐνταῦθα μὲν σχηματίζεις τὸν λόγον, ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων καθ' ἡμῶν B προβαλλόμενον, καὶ ἡμᾶς ἐν τῷ δοκεῖν τὰς δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ λέγοντας καὶ μίαν ὑπόστασιν, εἰς ἄτοπον περιστρέφειν, ἵνα δῆθεν ἐκ τοῦ ἡμᾶς εἰς ἄτοπον ἀπάγειν, τὸ οἰκεῖον αὐτοῦ δόγμα, τὸ μιᾶς εἶναι φύσεως τὸν Χριστὸν κατασκευάσειας. τοιγάρτοι τὸ παρὰ σοῦ δογματιζόμενον καθ' ἡμῶν ἐστι τοιόνδε, εἰ καὶ ἀνοήτως αὐτὸ ἐξενήνοχας. ἐπειδὴ ἐσφαλμένως τὸ τῆς φύσεως καὶ ὑποστάσεως, ἤγουν προσώπου ὄνομα ταὐτὸν δηλοῦν ἐπὶ τῆς οἰκονομίας ἐπινοῇ, καὶ ὅσαι μὲν αἱ φύσεις τοσαύτας καὶ τὰς ὑποστάσεις, ἤγουν πρόσωπα συνεισάγεσθαι δίδως, ἡνίκα ἂν ἡμεῖς δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ καὶ μίαν ὑπόστασιν εἴπωμεν, παραυτίκα συνάγεις κατὰ οἰκεῖον θέλημα, ὅτι ἀνάγκη, κρᾶσιν συμβαίνειν γίνεσθαι τοῖς προ- C σώποις. εἰ δὲ τοῦτο ἄτοπον, τὸ λέγειν κρᾶσιν γίνεσθαι τῶν προσώπων, ἀνάγκη μιᾶς ὑποστάσεως ὄντα, ἀνάγκη καὶ μιᾶς φύσεως. ὢ τῆς ἀμαθίας τῶν ταῦτα λεγόντων. οὐδὲ γὰρ συνῆκαν περὶ ὧν τε λέγουσι, καὶ περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. τίς γὰρ τῶν εὖ φρονούντων, τὸ κοινὸν, ἤτοι τὸ καθόλου, ταὐτὸν φήσειεν ἂν εἶναι τῷ ἰδικῷ, ἤγουν τῷ καθέκαστα, ὅπερ ἐστὶ πρόσωπον ἢ ὑπόστασις; τὸ μὲν γὰρ κατὰ πλειόνων εἴωθε φέρεσθαι· οἷον ὁ ἄνθρωπος κατὰ Πέτρου καὶ Παύλου, τὸ δὲ καθ' ἑνὸς, ἤτοι τὸ πρόσωπον καὶ ἡ ὑπόστασις. καὶ οὐκ ἀνάγκη ἀντιστρέφειν πρὸς ἄλληλα τήν τε φύσιν καὶ τὸ πρόσωπον. τῷ μὲν γὰρ ὑπόστασιν εἶναι λέγοντι, ἀνάγκη παρεῖναι τὴν φύσιν, εἴπερ τὸ πρόσωπον, ἤτοι ἡ ὑπόστασις D οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ φύσις μετὰ ἰδιώματος, ἢ καὶ ἰδιωμάτων, ὅλον τι καθ' ἑαυτὸ λεγόμενον. τῷ δὲ καθόλου ἤτοι φύσιν φάσκοντι, οὐκ ἀνάγκη καὶ τὸ καθέκαστον, ἤγουν τὸ πρόσωπον, ἢ τὴν ὑπόστασιν παρεῖναι. τὰ γὰρ καθόλου ἐν τοῖς καθέκαστα θεωρούμενα. συμπληρωτικὰ τούτων ἐστὶν, οὐ μὴν τὰ καθέκαστα ἐν τοῖς καθόλου. οὐκοῦν οὐ διὰ τὸ δύο φύσεις λέγειν ἡμᾶς ἐπὶ Χριστοῦ καὶ μίαν ὑπόστασιν, συμβαίνει καὶ προσώπων κρᾶσιν γίνεσθαι. οὐδεὶς γὰρ καταναγκάζει λόγος. ἐπεὶ οὐ ταὐτὸν φύσις καὶ πρόσωπον, οὐδὲ μὴν ἀντιστρέφει, ἵνα ὅσαι ἂν εἶεν αἱ φύσεις, τοσαῦτα καὶ τὰ πρόσωπα. ἐν πολλοῖς γὰρ ἔνεστιν εἰδεῖν ἐν μιᾷ ὑποστάσει δύο φύσεις θεωρουμένας, καὶ δύο φύσεων ὄντων μὴ γίνεσθαι δύο προσ- E ώπων [1] εἰς ἑνὸς προσώπου κρᾶσιν. οἷον ἐπὶ τοῦ καθέκαστα ἀνθρώπου, καὶ ἐπὶ τοῦ σιδήρου τοῦ πεπυρακτωμένου, καὶ ἐπ' ἄλλων πλείστων δύο φύσεις εὕρηνται ἀσυγχύτως ἡνωμέναι, οὐ μὴν καὶ πρόσωπα δύο, ἵνα καὶ κατὰ κρᾶσιν καὶ ἓν γένωνται. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ τοῦ ἀποστόλου ῥητὸν κακῶς συνῆκας, τὸ λεγόμενον· ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών. τὸ μὲν οὖν τῆς μορφῆς ὅ,τι μέγας Βασίλειος ἐν ἴσῳ δύνασθαι σημαίνειν τῷ, ἐν οὐσίᾳ καὶ φύσει τῇ πατρικῇ τὸν υἱὸν ὄντα, μορφὴν δούλου, ἤγουν φύσιν, ἀνειληφέναι τὸν κύριον, καὶ γεγονότα ἄνθρωπον. καὶ ὅσοι ἂν τοῦδε τοῦ ῥητοῦ τὴν

1. Forte πρόσωπα.

XXI. Videamus nunc quid ipse in subsequentibus scribas: namque scriptum tuum ita se habet, *sed objicientes dicamus ex oppositis verbis, quæ ipsi dicunt, quemadmodum legimus in epistola. Nam si naturas separant, & personas unientes firmant, mixtio sequitur, & personam fieri addecet, quod apostolus pro duabus personis scribat, qui in forma Dei cum esset, formam servi accepit: formam itaque & formam dixit. Nunc itaque quanam ex his duabus amant onerare personam, quam dicunt unam? Si deitatis, Sabellii errorem incurrent, si humanitatis, quid illud fuerit, quo vere in forma hominis Dominum videbant?* Hic enimvero orationem componis veluti ex adversis contra nos prolatam, & nos cum videamur duas in Christo naturas, unamque hypostasim asserere in absurda rapere conaris, ut scilicet ex eo quod nos in absurdum inducis, tui ipsius dogma, unius nempe naturæ Christum esse comprobes. Quare quod adversus nos a te tamquam certum decernitur tale quid est, licet stolide expromsisti. Quandoquidem non citra errorem naturæ, & hypostasis, personæ nempe nomen, quasi idem significet in œconomiæ mysterio accipis: & quot sunt naturæ, tot etiam hypostases, vel personas induci concedis, & cum nos duas in Christo naturas, & unam hypostasim asserimus, illico tu pro libidine colligis, necesse esse, mixtionem fieri personarum, quod si id dicere absurdum, ineptumque est, mixtionem personarum fieri necesse esse, unius hypostasis cum sit, unius quoque esse naturæ. O ignorantia similia tradentium! neque enim norunt, de quibus sermonem habent, & de quibus decernunt. Quis enim dummodo animus illius a sapientia, & prudentia remotus non sit, commune, seu universale dicet idem esse ac individuum, sive singulare, quod est persona, sive hypostasis? hoc enim ad plures referri solet, ut homo ad Petrum & Paullum, hoc vero ad unum, ut persona, & hypostasis: nec esse necesse, ut sibi mutuo respondeant natura, & persona; namque hypostasim esse esserenti; necesse est, ut adsit natura, si modo persona, sive hypostasis nihil aliud est, quam natura cum proprietate, vel proprietatibus, totum quoddam per se dictum: at universale, sive naturam enuncianti, non est necesse & singulare, personam nempe, aut hypostasim adesse. Universalia enim in individuis considerata, horum faciunt ad complementum, at non singularia in universalibus. Non itaque ex eo quod dicimus duas in Christo naturas, & unam hypostasim, evincimur etiam dicere & immixtionem personarum fieri. Nulla id cogit ratio, cum non idem sit natura, & persona, neque una pro alia sumatur, ut quot sint naturæ, tot etiam sint personæ. In multis enim conspicimus in una hypostasi duas naturas considerari, & duabus naturis exsistentibus, non fieri duas personas in unius personæ mixtionem, ut in singulari homine, & in ferro succenso, & in plerisque aliis duæ naturæ comperiuntur inconfuse unitæ, non autem & duæ personæ, ut per mixtionem unum fiant. Similiter etiam apostoli dictum non probe intellexisti, quod ait, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Nomen itaque formæ & magnus Basilius perinde esse, idemque innuere, ac, qui in essentia, & natura paterna Filius erat, formam servi, hoc est, naturam assumsit Dominus, factusque est homo, & quicumque alii Patres dictum hoc interpretati sunt, in es-

ἐξήγησιν ἐποιήσαντο πατέρες, ἐν οὐσίᾳ ἤτοι φύσει τὸ τῆς μορφῆς ὄνομα σημαίνειν νενοήκασιν. αὐτὸς οὖν καὶ τόδε ταυτὸν ἡγησάμενος σημαίνειν τῷ προσώπῳ, κατὰ καὶ τὴν φύσιν, ἀμαθῶς καὶ ἀναποδείκτως συμπεραίνεις. καὶ ἄλλως εἰς ταυτό. εἰ μὲν οὖν τὰς φύσεις κεχωρισμένας, ἤτοι ἰδιοσυστάτους, καὶ καθ᾽ ἑαυτὰς οὔσας ἐδογματίζομεν, οἷον τὸν Θεὸν λόγον ἰδίως μετὰ τῆς θεϊκῆς αὐτοῦ φύσεως ὄντα, καὶ πάλιν ἄνθρωπον καθ᾽ ἑαυτὸν προϋποστάντα καὶ διαπλασθέντα, εἶτα τὴν ἕνωσιν τῶν φύσεων λέγοντες, καὶ δύο αὐτὰς ὁμολογοῦντες, καὶ μίαν ὑπόστασιν, ἀνάγκη τὰ πρόσωπα τὰ δύο εἰς ἓν πρόσωπον συνηρῆσθαι. εἰ δὲ τοῦτο ἀλλότριον τῆς τῶν Χριστιανῶν ὀρθοδόξου πίστεως· ὡς γὰρ Νεστορίου φρόνημα ὂν μυσαττόμεθα· μάτην ταῦτα καθ᾽ ἡμῶν συμπεραίνεις. ἡμεῖς γὰρ φαμὲν τὸν Θεὸν λόγον τὴν θείαν φύσιν ἐν ἑαυτῷ τελείαν ἔχοντα, εἶτα τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν μετὰ τῶν ἀφοριστικῶν ἰδιωμάτων ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει ἀτομώσαντα, καὶ ὑποστατικὸν τὸν κυριακὸν ἄνθρωπον ποιήσαντα, ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνωθέντα αὐτῷ, καὶ μὴ προδιαπλασθέντα ἐν τῇ νηδύϊ τῆς παρθένου, ἀλλ᾽ ἅμα τῇ εἰς τὸ εἶναι τούτου παραγωγῇ, ὁμοῦ γενέσθαι τὰ τρία, τὴν πρόσληψιν, τὴν ὕπαρξιν, τὴν θέωσιν αὐτῷ ὑπὸ τοῦ λόγου, καὶ οὕτω νοεῖσθαι καὶ λέγεσθαι θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον, οὐ μόνον διὰ τὴν φύσιν τοῦ λόγου, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἕνωσιν τοῦ ἀνθρωπίνου· ὧν ἅμα ἡ σύλληψις καὶ ἡ ὕπαρξις τεθαυματούργηται, ἡ μὲν σύλληψις τοῦ λόγου, τῆς δὲ σαρκὸς ἡ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ ὕπαρξις δι᾽ αὐτῆς τῆς θεομήτορος, ὑπερφυῶς χορηγούσης τὸ πλασθῆναι τῷ πλάσαντι, καὶ τὸ ἀνθρωπισθῆναι τῷ Θεῷ καὶ ποιητῇ τοῦ παντὸς θεοῦντι τὸ πρόσλημμα, σωζούσης τῆς ἑνώσεως τὰ ἑνωθέντα, τοιαῦτα οἷα καὶ ἥνωνται· οὐ τὸ θεῖον λέγω μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀνθρώπινον τοῦ Χριστοῦ, τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ καθ᾽ ἡμᾶς. εἰ δὲ τοῦτο, μάτην διὰ τὸ δοξάζειν ἡμᾶς δύο φύσεις, καὶ μίαν ὑπόστασιν ἐπὶ Χριστοῦ, καὶ προσώπων κρᾶσιν συνάγεσθαι λέγεις. καὶ αἱ μὲν πρὸς τὰς καθ᾽ ἡμῶν μέμψεις, καὶ τὰς κατὰ τοῦ ὀρθοῦ δόγματος τῆς μεγάλης καὶ οἰκουμενικῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου κακηγορίας [1] καὶ διαβολὰς, ἀπαντήσεις τε καὶ ἐνστάσεις, δι᾽ ὧν ἀθῷοι πάντες οἱ σύμφρονες τῇ τοιαύτῃ ἁγίᾳ συνόδῳ δείκνυνται τοῖς ὀρθῶς εἶναι βουλομένοις παρ᾽ ἡμῶν ἐκτεθῆναι καὶ ἐνθάδε περιωρίσθω.

κβ΄. Λοιπὸν καὶ τὰ κατὰ τὴν ὁμολογίαν ὑμῶν οὐ τοσοῦτον ἐκ μοχθηρίας, ὅσον τῇ τῆς προσλήψεως τυραννίδι ἐσφαλμένως νοούμενά τε καὶ φυλαττόμενα· ὀκνηρὸν γὰρ εἰπεῖν ἐξ ἀμαθίας τε καὶ φιλονεικίας· ἐπισκεπτέον. οὐ πάντῃ τοῦ ὀρθοῦ περὶ τὴν πίστιν διαπεπτώκατε λόγου, ἀλλ᾽ ἐπὶ μέρους. εἰ μή τι ἄρα τὸ παροιμιακὸν ἐκεῖνό τις βουληθείη ὑμῖν ἐπαφεῖναι ῥητόν. ὅτι ὁ καταφρονῶν τὸ μικρὸν, κατ᾽ ὀλίγον πεσεῖται. πᾶν δὲ τὸ εἰς πτῶσιν ἐπάγον, καὶ πτῶσιν ὑπὸ Θεοῦ, μίσους καὶ ἀποστροφῆς ἄξιον. τὴν γὰρ προαιώνιον τοῦ υἱοῦ καὶ λόγου τοῦ Θεοῦ σὺν τῷ ἀνάρχῳ αὐτοῦ πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ αὐτοῦ πνεύματι ὕπαρξιν, ὀρθῶς δοξάζετε κατὰ τὴν οἰκουμενικὴν καὶ ὀρθόδοξον ἐκκλησίαν. ἔτι γε μὴν καὶ τὴν εὐδοκίᾳ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ συνεργίᾳ τοῦ παναγίου πνεύματος γενομένην τοῦ Θεοῦ λόγου ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀειπαρθένου καὶ Θεοτόκου Μαρίας οἴκησίν τε, καὶ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἀσύγχυτον καὶ ἀχώριστον ἕνωσιν, ἀμεταβλήτου μείναντος τοῦ Θεοῦ λόγου τῇ οἰκείᾳ φύσει ἤγουν θεότητι, καὶ ἀμεταβλήτου τηρηθείσης τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ἤγουν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, πάντα ἀψευδῶς προβαλλομένου τοῦ ἀνθρωπίνου*, πλὴν τῆς ἁμαρτίας μόνης, τουτέστι, σῶ-

1. Forte κατηγορίας.

sentiæ, naturæque significatione formæ nomen acceperunt. Tu itaque & hoc non aliud ratus notare quam personam, quemadmodum & naturam temere, & absque ulla demonstratione concludis. Alia quoque ratione de eodem. Si naturas divisas, per se nempe subsistentes, & separantes decerneremus, nempe Deum Verbum separatim cum divina sua natura, rursumque hominem secundum se antea in hypostasi subsistentem, & creatum, tum unionem naturarum affirmaremus, easque duas profiteremur, & unam hypostasim, necessario sequeretur, duas personas in unam contractas fuisse, quod si alienum est a christianorum fide orthodoxa, idque nos tamquam Nestorii sententiam exsecramur, frustra adversus nos similia concludis. Nos enim dicimus divinum Filium divinam naturam in se perfecte habentem, postea naturam humanam cum præscriptis illi proprietatibus in propria hypostasi individuantem, & hypostaticum dominicum hominem facientem, in ipso conceptu: ipsi unitum, & non antea confictum in utero virginis, sed statim in ipsius prima productione simul tria fuisse, assumtionem, exsistentiam, & deificationem ipsius a Verbo, sicque intelligi, dicique Deiparam sanctam virginem, non tantum ob naturam Verbi, sed ob unionem hominis, quorum simul conceptus, & exsistentia non sine miraculo effectum habuit: conceptio quidem Verbi, carnis vero in ipso Verbo exsistentia per ipsam Deiparentem supra naturam creationem creatori, & incarnationem Deo, & factori universi, quod erat assumtum deificanti suppeditantem, conservante unitate quæ erant unita, talia, & qualia in unionem convenerunt, non divinum inquam solummodo, sed etiam humanum Christi, quod erat supra nos, & secundum nos. Quod si id est, temere ex eo quod nos de Christo duas naturas, & unam hypostasim dicimus, personarum mixtionem colligi contendis. Et sane ad vestras querelas, & adversus rectam magnæ, œcumenicæ synodi Chalcedonensis doctrinam criminationes, & convicia nostræ responsiones, & instantiæ, per quas a calumniis, qui cum hac sancta synodo una sentiunt, vindicantur, illis qui rectum, justumque amplecti appetunt a nobis sic dispositæ heic finem habeant.

XXII. Reliquum est, ut ea etiam, quæ in vestra professione non tantum ab improbitate, quam anteceptæ animo informationis tyrannide depravate intelliguntur, & conservantur, gravis enim essem, si dicerem ex inscientia, & contentionis studio, consideremus. Non prorsus a recta circa fidem ratione excidistis, sed ex parte, nisi quis proverbii illud velit vobis appingere, *qui parvum negligit, paullatim cadet*: quodcumque vero in casum adducit, & casum a Deo, exsecrationis, aversionisque dignum est. Namque Filii, & Verbi Dei cum Patre sine principio, & sanctissimo, vivificoque ipsius Spiritu ante sæcula exsistentiam recte secundum catholicam & orthodoxam ecclesiam tenetis. Præterea Dei, Patrisque beneplacito, & sanctissimi Spiritus concursu in utero semper-Virginis, ac Deiparæ Mariæ habitationem, & nostræ naturæ inconfusam, & inseparabilem unionem, immutabili remanente Deo Verbo, in propria natura, nempe deitate, & immutabili conservata ipsius humanitate, nempe natura humana, omnia fere præseferente quæ hominis sunt, excepto peccato solo, corpus, animam, & men-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.



μα ψυχὴν καὶ νοῦν. τούτων δὲ παρ' ὑμῶν ὁμολογουμένων, τέλειος ἐν θεότητι, καὶ τέλειος ἐν ἀνθρωπότητι δείκνυται εἷς καὶ αὐτὸς ὢν Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, εἰ οὖν ὁ Θεὸς λόγος ἑνωθεὶς τῇ ἀνθρωπότητι, τελείαν ἔχων τὴν θεότητα, τελείαν τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ καὶ καθ' ὑμᾶς φυλάττων ὁμολογεῖται, τίνι λόγῳ οὐχὶ καὶ ἐκ δύο, καὶ ἐν δύο φύσεσι, καὶ δύο φύσεις ἔχοντα αὐτὸν πιστεύετε, ἀλλὰ μιᾶς αὐτὸν ἀναγορεύετε φύσεως; εἰ οὖν τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἑκατέρᾳ πεφηνότα φύσει ὁμολογεῖτε, δῆλον ὅτι καὶ ἀριθμῷ ταύτας, τήν τε θείαν φημὶ, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην, τῷ τρόπῳ τῆς διαφορᾶς ἀριθμουμένας καθυποβάλλετε, καὶ οὐ τῷ διορισμῷ τῆς ὑπάρξεως ὑφ' ἡμῶν καὶ τῆς ἁγίας τετάρτης συνόδου λέγειν ὁριζούσης. οὕτως ἐπὶ Χριστοῦ τὰς δύο φύσεις ὁμολογοῦντες, ἐντὸς τῆς ἀληθείας ἐστήκατε. εἰ δὲ ὁμολογοῦντες, ὅτι ἐν αὐτῷ τῷ ἑνὶ Χριστῷ ἥτε θεία καὶ ἀνθρωπίνη φύσις ἔνεστι, ταύτας δὲ τὰς φύσεις κατὰ τὸ διάφορον οὐκ ἀριθμεῖτε, ἐν δύο φύσεσιν αὐτὸν, καὶ δύο φύσεις ἔχοντα τὸν Χριστὸν λέγοντες, φανερὸν ὅτι ἀσύμφωνοι ἀλλήλων ἐστὲ, τῇ μὲν ὁμολογοῦντες, τῇ δὲ ἀπαρνούμενοι, διὰ μὲν γὰρ τοῦ μὴ ἀριθμεῖν τὴν διαφορὰν, τὰς φύσεις ἀναιρεῖτε, καὶ τὸ ἀσύγχυτον καὶ τὸ ἄτρεπτον μετὰ τὴν ἕνωσιν. εἰ δὲ τοῦτο, καὶ τὸ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ὁ δὲ τὸ αὐτὸ πρᾶγμα, τῇ μὲν ὡς ἔχον φύσεως ἀπαγγέλλων, τῇ δὲ ὡς οὐκ ἔστι τὸ αὐτὸ ὡς πρότερον εἴρηκε διϊσχυριζόμενος, ἢ παραφρονεῖ, ἢ κακουργεῖ, ὧν οὐδέτερον ὑμᾶς εὐχόμεθα πάσχειν· τὸ μὲν γὰρ ἄθλιον καὶ ἐλέους, τὸ δὲ κολάσεως ἄξιον. εἰ δὲ τῶν τοιούτων ἐκτὸς ἐγκλημάτων οἴεσθε ἑαυτοὺς παριστᾶν ὁμολογοῦντες τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ κατὰ θεότητα ἔχειν τὸ ὁμοούσιον, πρός τε τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ ἀριθμεῖτε δηλονότι λέγοντες· δύο φύσεις ἔχει ὁ Χριστὸς, καὶ ἐν δύο φύσεσι, καὶ δύο φύσεων εἶναι μετὰ τὴν ἕνωσιν ἐν μιᾷ ὑποστάσει, καὶ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον τοῦτο θεσπίσασαν μεθ' ἡμῶν σεβάζεσθε, καὶ οὕτως ὀρθοδοξίας πολιτεύεσθε, θαῤῥεῖτε. τὸ δὲ λέγειν· καὶ οὐχ ἁπλῆν ὁμολογοῦμεν τῶν φύσεων τὴν ἕνωσιν, θεότητός φημι καὶ ἀνθρωπότητος. εἰ μὲν τὸ συντεθὲν μιᾶς ὑποστάσεως, δύοτε φύσεις ἔχειν φαίνετε. ὄντως ὀρθῶς καὶ μετὰ ἀληθείας λογισθήσεσθε. εἰ δὲ τὸ ἐκ διαφόρων φύσεων μιᾶς συνθέτου φύσεως ἀποτελεσθὲν, καθάπερ ἐπ' ἀνθρώπου ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος μία φύσις ἀποτελεῖται, οὕτως ὁμολογεῖτε, φανερὸν ὅτι τὰς οἰκείας ὁμολογίας ἀναιρεῖτε. δέδεικται γὰρ διὰ πολλῶν ἔμπροσθεν ἐπιχειρημάτων, ὅτι τὰ ἀσυγχύτως συντιθέμενα, καὶ μίαν φύσιν ἀποτελοῦντα, μήτε αὐτὰ πρὸς τὰ ἐξ ὧν συνετέθη ὁμοούσια ἢ ὁμοφυῆ εἶναι, ἢ τὰ ὑπὸ τῆς κοινότητος αὐτῶν ἀναγόμενα ἄτομα. εἰ δὲ τοῦτο, ὁ Χριστὸς οὐχ ὁμοούσιος τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. εἰ δὲ τὸ ὁμοούσιον καὶ ἐν τῇ ἑνώσει βούλεσθε διασώζειν, τὸ δοξάζειν μίαν φύσιν ἐπὶ Χριστοῦ ἐξ ὑμῶν ἀποῤῥίψατε, καὶ ταῦτα μὲν τὰ ἑπόμενα ἄτοπα ἐκ τῶν παρ' ὑμῖν ὁμολογουμένων ἐπὶ τῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ συμβαίνοντα ἐνανθρωπήσεως, διὰ τὸ μὴ ἕπεσθαι ὑμᾶς τῇ ὀρθῇ τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως ἐκθέσει παρὰ τῆς ἁγιωτάτης καὶ οἰκουμενικῆς ἐν Χαλκηδόνι τετάρτης συνόδου. ἃ δὲ δι' αὐτὸ τοῦτο τὸ ἀθετεῖν ὑμᾶς τὰ ἀκριβῆ ταύτης δόγματα ἀναιδῶς, μᾶλλον δὲ ἀμαθῶς νοεῖτε, καὶ ἁμαρτάνετε περὶ τὰ λεγόμενα ἐπὶ τῇ ἐνανθρωπήσει τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ταῦτά ἐστι.

κγ'. Τὴν δὲ λεγομένην συνδρομὴν, ἡ μὲν τοῦ πολλοῦ καὶ ἀγυρτώδους λαοῦ χρῆσις, ἐπὶ ἵππων δύο ἢ καὶ πλειόνων ἁμιλλωμένων, ἱππαζομένων τε καὶ πεζῇ τὸν δρόμον ἐξανυόντων παραλαμβάνει, ἡ δὲ τῶν σοφῶν ἀν-

A tem. His vero per vos comprobatis, perfectus in deitate, & perfectus in humanitate commonstratur unus & idem Christus Deus noster. Si itaque Deus Verbum unitus humanitati perfectam habens deitatem, perfectam suam humanitatem, vobis hoc idem non abnuentibus, conservat; quam ob caussam ex duabus, & in duabus naturis, & duas eum naturas habere non creditis, sed eum unius naturæ tantum pronunciatis? Si perfectum ipsum in utraque apparuisse natura confitemini, manifestum est, vos easdem, divinam scilicet naturam & humanam differentiæ ratione numeratas, numero subjicere, & non exsistentiæ determinatione, ita nobis & sancta quarta synodo injungente. Sic in Christo duas naturas asserentes

B a veritate non aberratis. Quod si affirmantes, in ipso uno Christo divinam & humanam naturam fuisse, naturas secundum differentiam non numeratis, in duabus naturis, & duas naturas Christum habere probantes, palam est, vos inter vos non convenire, nunc quidem confitentes, nunc abnegantes: ex eo enim quod differentiam non numeratis, naturas tollitis, & ex eo quod naturas tollitis, tollitis etiam inconfusum, & immutabile post unionem, & per consequens consubstantiale Patri secundum deitatem, & consubstantiale nobis secundum humanitatem. Qui vero rem eamdem, nunc quidem ut se habet pronunciat, nunc eam non ita se habere, ut antea dixerat, contendit, aut mente captus est, aut mali-

C tiose agit, quorum nulli ne obnoxii sitis Deum exoramus, id enim miserum, & commiseratione, hoc castigatione dignum est. Si autem vos ab his criminibus exemtos judicatis, dum fatemini, Filium Dei secundum deitatem habere naturam eamdem cum Deo Patre, & nobiscum secundum humanitatem, & numeratis, verbi gratia dicentes, duas naturas habet Christus, & in duabus naturis, & duarum naturarum est post unionem in una hypostasi, & Chalcedonensem synodum illud decernentem, nobiscum veneramini, sic ut orthodoxi pie vitam agentes, bono sitis animo. Sed dicere, non simplicem confitemur naturarum unionem, Deitatis nempe & humanitatis, si compositum unius hypostasis duas

D naturas habere concesseritis, recte equidem, nec citra veritatem, opinamini. Quod si ex diversis naturis unius compositæ naturæ effectum, ut de homine ex anima, & corpore, una natura efficitur, hac ratione profitemini, manifestum est, vos vestras confessiones destruere: antea enim multis argumentationibus demonstratum est, ea quæ inconfuse uniuntur, & unam naturam efficiunt, non esse eadem cum illis, ex quibus composita sunt, neque ejusdem essentiæ, neque ejusdem naturæ, aut quæ sub universitate eorum referuntur individua. Id si est, Christus non erit consubstantialis Deo, & Patri secundum deitatem, & nobis secundum humanitatem. Quod si consubstantiale etiam in unione conserva-


E re prætenditis, unam in Christo naturam tenere, a vobis abjicite. Et hæc quidem absurda consequuntur ex iis, quæ a vobis astruuntur de Filii Dei incarnatione, quod vos non sequimini rectam christianæ fidei traditionem a sanctissima, & œcumenica synodo Chalcedonensi traditam. Ex eo porro quod vos illius sana, exquisitaque decreta improbaris inverecunde, immo stulte intelligitis, erratisque circa ea, quæ de incarnatione Filii Dei, & Domini nostri Jesu Christi dicuntur, hæc sunt.

XXIII. Concursus autem dictionem, vulgaris futilisque plebeculæ usus de duobus, aut pluribus decertantibus, aut equo, pedibusque de cursu contendentibus accipit, at sapientium virorum conceptus,

δρῶν διάνοια, οὐ τοῦτο μόνον συμαίνειν τὴν συνδρομὴν βούλεται, ἀλλὰ καὶ τὴν δύο τινῶν ἢ καὶ πλειόνων πραγμάτων ὀξεῖαν καὶ ἀκαρῆ εἰς ταυτὸ περάτωσιν παντὸς χρονικοῦ διαστήματος ἄνευ, ὡς ἐπὶ τοῦ παραλυτικοῦ τοῦτο γεγονὸς ἔγνωμεν. ἅμα γὰρ ἔφη ὁ κύριος· ἔγειραι καὶ περιπάτει· εὐθέως, φησὶν ὁ εὐαγγελιστὴς, ἀνέστη καὶ περιεπάτει. τὴν οὖν ὀξεῖαν τῆς προστάξεως τοῦ κυρίου πλήρωσιν μετὰ τῆς τοῦ παραλύτου ὑγείας, συνδρομὴν οἱ σοφοὶ λέγουσι. συνέδραμε γὰρ τῇ δεσποτικῇ κελεύσει καὶ ἡ τοῦ ἀνθρώπου ὑγεία. ὁποίως καὶ ἐπὶ τῆς τοῦ Πέτρου πενθερᾶς, καὶ τῆς ἐπιτιμήσεως τῆς θαλάσσης, καὶ τῶν τοιούτων. οἱ οὖν πατέρες συνδρομὴν λέγοντες τῶν δύο φύσεων ἐν τῷ αὐτῷ καὶ ἑνὶ Χριστῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, οὐδὲν ἄλλο δηλοῦν φαίνονται, ἢ ὅτι πάσης ἀναμονῆς ἐκτὸς, καὶ παντὸς χρονικοῦ διαστήματος, ἅμα ἐπεσκίασεν ἡ τοῦ ὑψίστου δύναμις τῇ ἀειπαρθένῳ θεοτόκῳ, τὴν τῶν δύο φύσεων ἕνωσιν ἀπειργάσατο. ὑμεῖς δὲ κατὰ τὴν προτέραν σημασίαν τῆς συνδρομῆς τὴν ἕνωσιν τῆς θεϊκῆς φύσεως μετὰ τῆς ἀνθρωπίνης ἐκλαμβανόμενοι, διαιρετὴν καὶ καθ᾽ ἑαυτὴν ὑφεστάναι ἑκατέραν τῶν οὐσιῶν τοὺς πατέρας εἰρηκέναι συκοφαντεῖτε, καὶ τὴν ὑμετέραν ἄγνοιαν, πατρικὴν βλασφημίαν οἰόμενοι, μακρὰν τῆς ἀληθείας, καὶ ταυτὸν φάναι, τῆς σωτηρίας ἀποπεπλάνησθε. μεμαθηκότες οὖν καὶ ταύτης τῆς συνδρομῆς τὴν σημασίαν, καὶ τὸ ταύτης χρειῶδες εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐνανθρώπησιν, ἀπόστατε τῆς κατ᾽ ἄγνοιαν ὑμῶν δυσφημίας, καὶ εἰς ἀκριβῆ ἕνωσιν τῶν δύο ἐν Χριστῷ φύσεων ταύτην καθὼς ἡμεῖς, προβάλλεσθε. ἕψεται γὰρ ὑμῖν ἐκ τούτου, πρῶτον μὲν τοὺς σοφοὺς καὶ εἰδήμονας πεφηνέναι, ἔπειτα δὲ καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν οἷς δογματίζετε διαγγέλλεσθαι. εἰ δὲ καί τινες τῶν αἱρετιζόντων τὸ τῆς συνδρομῆς ὄνομα κατὰ τὸ πρῶτον σημαινόμενον ἐξελάβοντο εἰς τὴν τοῦ οἰκείου δόγματος κακουργίαν, καὶ διὰ τοῦτο παραιτεῖσθε ταύτῃ ἐπὶ τῇ ἑνώσει τῆς θείας καὶ ἀνθρωπίνης φύσεως τοῦ ἑνὸς κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· νῦν τὸ δεύτερον σημαινόμενον ταύτης κατανενοηκότες, καὶ τὸ ἐκ τούτου ἀσφαλὲς περὶ τὴν ἕνωσιν μεμαθηκότες, τοῦ λοιποῦ ταύτην μὴ ἀπαγορεύσητε. οὐδὲ γὰρ λυμαίνεται ἡ ὁμωνυμία τῶν μὴ οὕτως ὑπαρχόντων, τὰ κυρίως ὄντα πράγματα. ἐπειδὴ δὲ τοῦ αὐτοῦ ἑνὸς κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἶναι ὁμολογεῖτε τὰ ἐν εὐαγγελίῳ φερόμενα ταπεινά τε καὶ ὑψηλὰ, τοῦ τε σώματος καὶ τοῦ ἀσωμάτου ἀσυγχύτως ἐπ᾽ αὐτοῦ φυλαττομένων, πότερον ποίᾳ τῶν συνελθουσῶν φύσεων ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ τὰ ταπεινὰ δώσετε, τῇ ἀνθρωπίνῃ, ἢ τῇ θείᾳ, τουτέστι τὸ προκόπτειν ἡλικίᾳ, καὶ τὸ ῥαπίζεσθαι, τὸ δεσμεῖσθαι, τὸ ἥλοις πεπερονῆσθαι, τὸ τεθνάναι καὶ τὰ τοιαῦτα; εἷς μὲν γὰρ ἀληθῶς καὶ ὁ αὐτός ἐστι Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ὁ ταῦτα ὑπομεμενηκώς. ἀλλ᾽ οὐδεὶς νοῦν ἔχων κατὰ τὴν θεϊκὴν ταῦτα ὑπομεμενηκέναι φύσιν ἐρεῖ. ἀπαθὴς γὰρ ἡ θεία φύσις, καὶ αὐξήσεως ἀνεπίδεκτος. ὅμως γε πέπονθε ταῦτα ὁ αὐτὸς κύριος ἀληθῶς. ἆρ᾽ οὖν οὐχὶ καὶ αὐτοὶ οἱ λίθοι κεκράξονται, κἂν ὑμεῖς σιγήσητε, ὅτι κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην αὐτοῦ ταῦτα φύσιν ὑπέστη ὁ τέλειος ἐν θεότητι, καὶ τέλειος ἐν ἀνθρωπότητι, εἷς κύριος Ἰησοῦς; εἰ δὲ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην αὐτοῦ ταῦτα φύσιν ὑπέστη, δῆλον ὅτι ἐν δύο φύσεσι θεωρεῖται ὁ εἷς τῷ προσώπῳ, καὶ τῇ ὑποστάσει κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. τὰς δὲ κατὰ τοῦ Νεστορίου τοῦ ἐπαράτου μέμψεις καθ᾽ ἡμῶν τῶν ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν εἰδότων ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, ἀφρόνως ἐπιφημίζετε. ἡμεῖς γὰρ τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν ἕνωσιν ἐν τῷ Χριστῷ ὁμολογοῦντες, καὶ ἓν αὐτοῦ πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν μετὰ τὴν ἕνωσιν δοξάζοντες, καὶ τὴν ἐν γαστρὶ τῆς ἀειπαρθένου σκήνωσιν ἀνυμνοῦντες, καὶ τὴν αὐτοῦ πανάμωμον μητέρα θεοτόκον κυρίως δοξάζοντες, καὶ ἕνα τὸν αὐτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ υἱὸν

A non hoc tantummodo notare concursum vult, sed & duarum, aut plurium rerum celerem, ac subitaneam in idem absque ullo temporis intervallo terminationem, quemadmodum in Paralytico factum agnovimus: statim enim atque dixit Dominus, *surge, & ambula, subito*, ait evangelista, *surrexit & ambulabat*. Pernicem itaque Domini imperii absolutionem cum Paralytici sanitate, concursum sapientes nuncupant; simul enim cum Dominica jussione hominis sanitas cucurrit. Similiter & in socro Petri, & in maris increpatione, & similibus. Patres itaque duarum naturarum in eodem, & uno Christo Domino nostro concursum astruentes, nihil aliud innuere videntur, quam citra ullam exspectationem, B & absque ullo temporis intervallo, simul atque excelcissimi virtus semper Virgini Deiparæ obumbravit, duarum naturarum unionem effecisse. Vos vero secundum priorem significatum concursus divinæ cum humana natura unionem accipientes, divisam, & propria hypostasi subsistentem utramque essentiam Patres asseruisse calumniamini: vestramque ignorationem Patrum blasphemiam rati, longe a veritate, & quod idem est, salute aberrastis. Edocti itaque & hujusce concursus significatum, & usum in Filii Dei incarnatione, ex ea, quæ ab ignoratione oritur maledicentia recedite, & in exactam duarum naturarum in Christo unionem, quam nos tuemur, confugite. Namque ex eo consequemini pri- C mum quidem catos, sapientesque reputari, post modum veritatem, in quibus decernitis, sectari. Quod si nonnulli ex hæreticis concursus nomen secundum primum significatum in proprii dogmatis subdolam fraudem assumserunt, ideoque illud rejicitis in unione divinæ humanæque naturæ unius Domini nostri Jesu Christi, nunc cum alterum illius significatum apprehenderitis, deque unione firmum illius ac cautum callentes, eum imposterum ne negligatis: neque enim æquivocatio eorum, quæ non ita se habent, proprie ita se habentia destruit. Quando vero uni Domino nostro Jesu Christo omnes uno consensu, quæ in Evangelio referuntur, dejecta, excelsaque vendicatis, corporeo incorporeoque D inseparabiliter, inconfuseque in eo conservatis, cuinam ex naturis, quæ in uno Christo convenerunt dejecta ascribetis? quale illud fuerit proficere ætate colaphis cædi, vinculis alligari, clavis transfigi, mori, & similia; humanæ, an divinæ? Unus enim est vere idemque Deus, & homo, qui illa sustinuit. Sed nemo, dummodo cor habeat secundum divinam illa tolerasse naturam dicet: neque enim passionibus obnoxia est divina natura, & capax incrementi, nihilominus ea vere perpessus est idem Dominus. Annon igitur saxa ipsa clamabunt, etiamsi vos tacueritis, secundum humanam ipsius naturam hæc subiisse, perfectum in deitate, & perfectum in humanitate unum Dominum Jesum? Quod si secun- E dum humanam ipsius naturam illa passus est, jam palam est in duabus naturis esse unum persona, & hypostasi, Dominum nostrum Jesum Christum, & exsecrandi Nestorii adversus nos, qui unam personam, & unam hypostasim confitemur in uno Christo Deo nostro, criminationes insipienter intorqueri. Nos etenim, qui secundum hypostasim unionem in Christo confitemur, & unam ipsius personam, & unam hypostasim post unionem tenemus, & in utero semper-Virginis habitationem celebramus, & ipsius matrem immaculatam Deiparam proprie prædicamus, & unum eumdemque filium Dei, & fi-

SÆCUL. XII
CIRCA
ANN. CHR.
1120.



SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1120.

τῆς παρθένου ὁμολογοῦντες, ὧν ἁπάντων οὐδὲν ὁ μάταιος ἐκεῖνος καθωμολόγει, πῶς τῆς αὐτῆς αὐτῷ μέμψεως κριθείημεν ἄξιοι παρ' ἡμῶν, εἰ μή τι ἄρα τὸν ὑμῖν ἐφαρμόζοντα ψόγον διὰ τὴν ἐξ ἀμαθείας τοῦ ὀρθοῦ δόγματος παρατροπὴν ἀποτρέψαι βουλόμενοι, διὰ τῆς καθ' ἡμῶν τῶν ὀρθῶς φρονούντων ἀλόγου διαβολῆς τοῦτο ποιεῖν προαιρεῖσθε; ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς ἀμώμητος καὶ ἀδιάβλητος δόξα περί τε τῆς κατὰ τὴν ἁγίαν τριάδα θεολογίας, περί τε τῆς κατὰ τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ὀρθοτομίας ἐκ τοῦ παρ' ἡμῶν ὁμολογουμένου ἱερωτάτου καὶ θείου συμβόλου δείκνυται, ἀρξαμένου μὲν ἀπὸ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου πατέρων, καὶ διὰ τῶν λοιπῶν ἁγίων τε καὶ οἰκουμενικῶν ἓξ συνόδων βεβαιουμένου· ἥπου ἄρα καὶ τοῦτο κακῶς ὑμεῖς νοοῦντες διασύρειν πειρᾶσθε. καὶ ταῦτα μὲν πέρα τοῦ μέτρου· ἐπεὶ καὶ κόρος λόγου πολέμιος ἀκοαῖς.

A lium Virginis astruimus, ex quibus omnibus nihil insipiens ille asseverabat; quomodo eadem, atque ille criminatione, notaque a vobis merito condemnabitur? nisi vituperationem, quas vos propter ignorationem, & a recto dogmate aberrationem commeruistis, avertere contendentes, per irrationabilem calumniam in nos, qui probe sentimus, conferre studetis. Verumtamen nostra inculpata, innoxiaque opinio tum de sacra Triadis theologia, dum de incarnationis œconomiæ filii Des rectitudine ex sacrosancto, divinoque symbolo, quod nos profitemur, incepit a tercentum decem, & octo sanctis patribus, in Nicæna synodo cogregatis, & a reliquis sanctis sex œcumenicis synodis constabilitur, nisi id B etiam vos per importunam amentiam haud recte intelligentes, criminari non veremini, late patenterque demonstratur. Et hæc quidem plus satis sint, & præter mensuram; cum & sermonis satietas auribus adversetur.



HERMANNI

MONACHI ORDINIS D. BENEDICTI, AC POSTEA ABBATIS SANCTI MARTINI TORNACENSIS

TRACTATUS

DE

Incarnatione Jesu Christi Domini nostri.

INCIPIT

Præfatio sequentis Operis.

REverendo patri & domino suo Stephano Dei A gratia Viennensi archiepiscopo frater Hermannus omnium monachorum minimus, in æternum gaudere cum Christo, de Christo, per Christum, in Christo.

De benignitate quæ me de longinqua regione, id est de urbe Tornaco, quæ in finibus Francorum sita, metropolis Flandriæ dignoscitur esse, venientem, tam hilariter suscipere & vobiscum dignatus estis retinere; non quales debeo, sed quales valeo vestræ paternitati gratias refero; utque ipse pro cujus amore hoc fecistis, vobis Dominus retribuat pro me, ipsius misericordiam exoro. Quia vero Majestas vestra dignata est petere, ut opusculum quod de incarnatione Domini parvitas mea fecerat, vobis ostenderem; ecce libens pareo jussioni vestræ, orans ut si quid in eo perperam dictum est, per vos corrigatur: quod vero bene, per vos approbetur. Sciatis tamen me in eo nihil de meo posuisse, sed quod in sanctis doctoribus legeram, & maxime in libro Domini Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, quem de eadem materia compositum: *Cur Deus homo* nominavit, velut in uno vasculo congregasse. Præterea dominus Odo Cameracensis episcopus piæ memoriæ vir, nostri Cœnobii id est beati Martini Tornacensis primus monachus & primus abbas, qui me & patrem meum tresque germanos meos monachos fecit, & cui ego licet indignus in ejusdem Cœnobii regimine tertius abbas successi: is inquam abbas Odo in vigilia nativitatis Domini, de eadem incarnatione ejus sermonem perpulcrum & prolixum fratribus nostris in capitulo singulis annis facere consueverat: adeo ut cum mane inciperet, usque ad horam fere sextam eum protenderet. B Et quia tunc eram adolescens & capacis ingenii, non pauca ex ejus verbis memoriæ commendavi, quæ nunc etiam referam vobis & omni legere volenti. Itaque pronuntiato ex more evangelio, *Cum esset desponsata*, &c. sicut mihi videtur, hoc modo solebat incipere.

TRACTATUS

DE

INCARNATIONE DOMINI.

CAPUT I.

Quæ fuerit necessitas incarnationis filii Dei, heic quæritur.

REdemtoris nostri nativitatem annua devotione celebraturi fratres carissimi, sollicite & diligenter considerare debemus, qua ratione vel necessitate carnis nostræ infirma suscepit, passionisque simul opprobria pertulit. Quam quæstionem non solum fideles, sed & infideles quique solent discutere, illi quidem addendo, isti vero pie & religiose caussam hujus mysterii perscrutando. Quæ enim inquiunt necessitas fuit, ut Deus in utero femineo novem mensibus incarnatus & inclusus gestaretur? Deinde sicut alii parvuli, lacte materno aleretur, & vagiens pannis involveretur: ad ultimum inter latrones tam contemtibiliter delusus, consputus & suspensus moreretur? Quibus cum respondemus illud apostoli quod, *Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut nos redimeret & educeret de potestate diaboli*, qui nos captivos tenebat peccato primi parentis. Illico subjungunt, quæ ratio est ut Deus propter hoc de cælo ad terram descenderet, & tot passiones ac ludibria sustineret: C præsertim cum de eo per Psalmistam dicatur, *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra*? Si enim, *In voluntate ejus universa sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati ejus*: quare non sicut dixit, *Fiat lux, & facta est lux*; ita etiam supra thronum majestatis suæ in cælo residens, præcepit ut captivus homo de diaboli manu liberaretur, & in cælum cum angelis levaretur? Nam sicut rex aliquis præpotens cum posset servum suum ab aliis servis captum solo jussu eripere & libertati reddere, si nollet eum aliter liberare nisi seipsum pro eo in vinculis poneret, non misericordia, sed nimia insipientia deputaretur. Ita & Dominus Deus cum solo nutu, nedum jussu posset hominem de diaboli potestate liberare: ut salva pace ejus dicatur; stultum D & incredibile videtur, ut pro ejus ereptione vellet prius per semetipsum experiri, utrum lac in matris uberibus amarum esset an dulce? Uterque enim a Deo creatus, uterque Dei fuerat servus, homo scilicet & diabolus. Et si servus nequam simplicem servum fraudulento consilio seduxerat, & proprio domino subtractum sibimet subjugaverat:

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1125.



nonne justum fuit ut servus nequam pro sua nequitia puniretur, & servus simplex de ejus dominio liberaretur? Cum hæc dicunt, non considerant illam divinæ scripturæ sententiam; quod *Sapientia vincit malitiam, attingens a fine ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter*. Non solum enim fortitudo Deo convenit, sed etiam suavitas: suavitas autem non solum in amicis, sed etiam in inimicis: *Suavis enim Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*. Ut ergo diligentius perscrutari valeamus, cur Deus homo factus fuerit: primo consideremus cur Deus ipsum primum hominem creaverit.

CAPUT II.

Cur Deus ipsum primum hominem creavit?

OMnipotens itaque Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, trinus quidem est in personis, sed unus in substantia, unus in majestate. Deus quidem est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Non tamen idem est Pater, qui Filius aut Spiritus sanctus: nec idem est Filius, qui Pater aut Spiritus sanctus: nec idem Spiritus sanctus qui Pater aut Filius. Ipse juxta cujusdam sapientis dictum supra cuncta, subter cuncta, inter cuncta, extra cuncta: supra cuncta nec elatus, subter cuncta nec substratus, intra cuncta nec inclusus, extra cuncta nec exclusus. Supra cuncta præsidendo, subter cuncta sustinendo, intra cuncta adimplendo, extra cuncta complectendo. Ipsius potestas vel divitiæ aut opes, nec augeri possunt nec minui: quia nec ditior fuit cum totum mundum creavit, nec pauperior esset, si totus mundus deficeret & in nihilum rediret. Unde nulla necessitate sed sola benignitate mundum creavit, sicut de eo nobilis ille consul Boetius cecinit dicens.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum cælique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ,
Materiæ fluitantis opus: verum insita summi
Forma boni, livore carens. Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, &c.

Placuit itaque ipsi supremo regi Domino Deo nostro, ædificare civitatem sibi, illam cælestem de qua dicitur in Psalmo, *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*: cujus muros non ex sua substantia, sed de nihilo creavit. Intellectumque eis contulit quo ipsum quidem Dominum & creatorem suum, se vero servos & creaturam ejus esse cognoscerent, ipsique sine aliquo labore vel difficultate obediendo, in perpetua cum eo beatitudine feliciter permanerent. Nec tamen eos omnes in uno gradu æquales esse ordinavit, sed sicut per Esaiam dicitur ei qui ceteris est prælatus: [a] *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: Sardius, Topazius, & Jaspis, & Chrysolitus, Onyx & Berillus, Sapphirus, Carbunculus & Smaragdus*. Quod beatus Gregorius in homilia decem drachmarum exponens: ecce, inquit, novem dixit nomina lapidum, quia profecto novem sunt ordines Angelorum, quibus omnibus ille unus Angelus fuit prælatus. Sed magnitudinem atque excellentiam gloriæ & claritatis suæ ferre non sustinens, contra Creatorem suam intumuit, sicut rursus ei per eumdem Esaiam dicitur: [b] *Quomodo cecidisti de cælo lucifer qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?* Illo vero contra Creatorem superbe intumescente, non defuerunt ex Angelis qui se ei conjungerent, & adversus Dominum cum eo superbirent. Sed ille justus judex nihil inordinatum in sua civitate relinquere volens, illos pretiosos virtutum cælestium lapides qui contra conditorem sese erexerant, protinus de cælo dejecit & præcipitavit. Sicque qui prius fuerant Angeli, nunc appellantur diaboli, hoc ipsum Domino in Evangelio testante ubi dicitur: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Heic si aliquis quærat, quomodo ad tam præcelsam dignitatem Angelorum in cælis positorum, tam mala tamque noxia pestis superbiæ ascendere vel irrepere potuerit, quisve primus ejus author exstiterit, vel quomodo tantæ celsitudinis creatura ea corrumpi vel infici potuerit: legat librum præfati Domini Anselmi *De casu diaboli*, ubi tractat cur Deus ei perseverantiam non dedit, ibique multa proficua invenire poterit. Quidam etiam sapiens inde requisitus, sic breviter & eleganter quatuor versiculis respondit:

Quid petis unde malum, cum sint bona cuncta creata?
Defectu proprio sunt mala, quæ mala sunt.
Cum vitio careant etenim, vitium tamen ex se,
Et per se citius, dulcia poma trahunt.

Ruentibus autem superbis angelis, & libero arbitrio quod prius habuerant male abusis, hi qui fideles Creatori suo remanserant, in tantum ab eo roborati & confirmati sunt ejusdem liberi arbitrii perfecta & immutabili soliditate: ut nullam ulterius peccandi vel superbiendi habeant voluntatem. Unde etiam mystice in Genesis exordio, cum dictum fuisset: [c] *In principio creavit Deus cælum & terram*: postea in secundi diei creatione repetitur; quod vocavit Deus firmamentum, cælum. Quod beatus Gregorius exponens, dicit virtutes Angelicas quæ ruentibus sociis cum Deo remanserunt, in tanta soliditate fuisse confirmatas: ut ad comparationem hujus firmitatis, videantur prius quasi infirmi & imbecilles fuisse; sed in secundo die id est in hac sequenti confirmatione, merito cælum pro soliditate vocari debere. Ecce ergo gloriosa illi summi Regis civitas gravem ruinam pertulit, murusque ejus non parva ex parte interruptus fuit. Cum autem longe post ruinam illam Daniel Propheta de his qui remanserunt, dixerit, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*: quis æstimare, quis cogitare sufficiat: quatenus decor domus illius fuerit vel urbis, quamdiu cunctis civibus suis integra mansit? Ne ergo tam speciosam civitatem ruina illa, vel interruptio diutius dedecoraret, placuit superno opifici pro ejus restauratione aliquam creaturam condere. Si vero aliquis quærat, cur ex eis qui ceciderant angelis eam non restaurarit, cum viderit in subsequentibus difficultatem reparationis humanæ? Facile per seipsum poterit perpendere, lapsos angelos nullatenus jam reparari posse. Creavit itaque Deus hominem, sed non tantæ sublimitatis, quantæ angelos fecerat: ne forte & ipse gloriam suam non ferens, contra Deum superbiret & periret. Ex anima ergo rationali & carne eum consistere voluit, quatenus anima quidem rationali assimilaretur Angelis, carne vero

a Ezech. XXVIII. 13. b Isa. XIV. 12. c Gen. I. 1.

quæ de limo terræ esset, semper ad humilitatem provocaretur, dum se ex ea parem bestiis fore contemplaretur. Felicem tamen & omnis infirmitatis vel indigentiæ seu corruptionis immunem in eo statu eum creavit; ut si peccare nollet, numquam moreretur: si vero creatori inobediens esset, protinus morti obnoxius fieret. Quia vero de terra factus fuerat, in terrestri loco id est in Paradiso eum posuit, intellectum rationalem ei contulit, nihilque aliud obedientiæ, nisi ut de una sola arbore non comederet, ei injunxit. Quod si contemneret, mortem illico subsecuturam ei comminando prædixit: si vero servaret, tempore congruo de terra levandum, & cum Angelis in cælo cognosceret se fore collocandum. Sociam quoque ei de costa sua id est de semetipso factam quæ ei prolem generaret, addidit: & quid facere deberent, utrosque edocuit. Invidens diabolus illuc hominem de limo terræ factum ascendere, unde ipse tam præclarus sciebatur corruisse: sicut omnibus notum est, per serpentem mulierem seduxit, & per eam viro fructum vetitum comedere suasit, sicque utrumque sibi subdidit: ac per hoc, consilium Dei quod ei disposuerat, cassare studuit, immo se cassasse exsultavit. Ecce ergo homo ad imaginem Dei factus, universæque creaturæ quam sub cælo Deus fecerat prælatus: *Cum in honore esset, non intellexit, immo noluit intelligere ut bene ageret*: ideoque justo Dei judicio *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illi*. In præsenti vita, *Brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*, moriens infernalibus adducitur tenebris. Quid ergo miser faciet? Quo se convertet? Quomodo poterit resurgere, seque de diaboli manu vel servitute liberare? Per se certe surgere non potest. Clamet ergo ad Dominum & dicat: *O Domine! quia ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Educ de carcere animam meam. Eripe me de inimicis meis Deus meus.*

CAPUT III.

Conveniens fuit ut homo post peccatum non redimeretur, nisi cum aliqua satisfactione facta Deo.

Sed quid faciet Dominus Deus? verum est certe, *quia omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra*: nihil tamen facere potest vel debet injuste. Et si præceperit diabolo ut dimittat eum exire de inferno, quem injuste & per invidiam seduxit, poterit ei diabolus respondere: Verum quidem est Domine, quod per invidiam eum decepi: sed tamen si violenter eum mihi abstuleris, injuste me tractabis. Non enim eum mihi violenter subdidi quoniam per violentiam nihil ei facere potuissem. Tu ei præcepisti de ligno non comedere, ego suasi ei comedere: tu ei prædixeras quod si comederet, moreretur: ego ei dixi quod non moreretur: ipse autem magis credidit mihi quam tibi, & propter consilium meum, sponte despexit præceptum tuum. Cum ergo eum violenter peccare non fecerim, sed tantummodo ut peccaret suaserim: injustum certe erit, si eum mihi violenter abstuleris. Dimitte potius eum congredi mecum, & sicut sese sponte mihi supposuit: ita si potuerit, eripiat se de manibus meis. Ista certe posset Deo diabolus objicere. Quamquam etsi aliqua pietas vel misericordia, (quod impossibile est) moveret diabolum erga hominem, nihil tamen ejus pietas homini proficeret. Etiamsi Deo diceret, Domine Deus saturatus sum miseriis & pœnis infelicis hominis, jamque me pœnitet quod eum per invidiam seduxerim: & concedo ut educas eum de inferno, immo etiam deprecor ut sicut proposuisti, eum colloces cum Angelis in cælo: nihil hæc tota ejus bonitas homini conferret. Homo enim si diligenter suspiciatur, nihil debebat diabolo, vel in manu vel potestate ejus consistebat. Contra Deum peccaverat, dum præceptum ejus utpote Domini sui contemserat: ideoque Deus eum in carcere suo, id est, in inferno posuerat: justo tamen judicio illum ei tortorem tradiderat, cui ipse stulte crediderat. Si Deo aliquo modo reconciliari posset, ut Deus illi iram suam indulgeret, & peccatum quod fecerat dimitteret: tunc vellet nollet diabolus, facile de inferno educi posset. Hæc autem reconciliatio sine aliqua peccati ipsius satisfactione fieri non potest. Alioquin etiamsi Dominus Deus misericordia motus homini peccatum indulgeret, eumque de inferno educeret: essetne justum & conveniens, ut eum sic sordidum & maculatum, nullaque satisfactione lotum vel mundatum, cum Angelis tam mundis & gloriosis qui numquam Deum offenderunt, in cælo collocaret? Et ubi esset quod dicit Apostolus: *Quæ communicatio luci ad tenebras?* Hoc revera inconveniens esse, omni sanum sapienti patet. Quapropter aliquam satisfactionem oportet hominem facere, qua possit Deum placare. Cujusmodi autem debeat esse ipsa satisfactio, videamus sub exemplo. Verbi gratia, Sit rex aliquis præpotens, qui unum ex principibus suis contumacem sibi & rebellem ejiciat de regno suo. Si postea illi regi domino suo voluerit reconciliari; primum oportet ut ex integro reddat quidquid ei abstulit: aut si illud non potest reddere, reddat quod tantumdem valeat. Deinde pro contumacia & superbia qua contra eum rebellavit, secundum leges curiæ suæ & judicium optimatum suorum ei satisfaciat. Quamdiu enim retinet & non reddit quod ei abstulit, non est conveniens vel digna satisfactio, nec ad honorem regis. Si enim rex sua retinenti indulserit, veniamque donans in regnum suum redire permiserit: dicent utique homines ideo eum indulsisse, quia emendare vel sibi eum aliter subjicere non potuit; sicque hujusmodi satisfactio vel reconciliatio, ad vilitatem ac dedecus, seu opprobrium fiet regis. Similiter ergo homo qui pro culpa sua ejectus est de Paradiso & relegatus in inferno, si Domino Deo vult reconciliari & gratiam ejus recipere: primum oportet ut ex integro reddat quidquid ei abstulit, aut quod tantumdem valeat. Deinde pro superbia qua Creatoris sui præceptum contemsit & ejus hosti adhæsit, ei satisfaciat. Si hoc ordine non satisfecerit, satisfactio ejus non erit ad honorem Dei. Videamus ergo quid Deo abstulit, quando de ligno vetito comedit.

CAPUT IV.

Quid homo Deo abstulit, quando de ligno vetito comedit?

Deus certe ut supradictum est ideo illum creavit, ut ex illius genere ruinam restauraret supernæ civitatis. Dicit etiam beatus Gregorius in præfata homilia *decem drachmarum*, quod tantum numerum credimus ad eam ascensurum electorum hominum, quantum illic contigit remansisse electorum Angelorum. Cum ergo præceptum divinum transgrediens peccavit, tot utique animas Deo abstulit, quot ipse in cælum levare disposue-

rat cum Angelis. Itaque si vult Deo reconciliari & ad Paradisum reverti, oportet ut primo solvat ei damnum quod intulit: tot scilicet homines, quot Deus disposuit in cælum levare: & tam mundos atque ab omni peccato immunes, sicut fuit Adam antequam peccasset. Aut si non potest tot homines mundos & immaculatos reddere, solvat quod tantumdem valeat: alioquin satisfactio ejus sicut dictum est, non erit ad honorem Dei. Etsi Deus, antequam reddatur sibi quod ablatum est, misericordia motus homini peccatum suum indulserit, cumque Angelis in cælo sociaverit: non erit certe justitiæ congruum, ut raptorem suum, furem suum, homicidam suum, qui tot homines sibi rapuit, tot furatus est, tot interfecit, conjungat filiis suis, amicis suis, qui semper sibi ac si dulcissimo patri servierunt, numquam eum offenderunt, numquam mandatum ejus præterierunt. Reddat ergo homo, reddat Deo quod ei abstulit, ut gratiam ejus recipere possit. Sed quomodo reddet ei tot homines tales, quales fuit Adam antequam peccasset? Ut de tot hominibus taceam, unum certe solum hominem talem, qualis fuit Adam antequam peccasset in toto genere suo, id est in tota natura humana, non inveniet. Quando enim peccavit Adam, innocentiam & munditiam suam perdidit, peccatorque & immundus factus est. Qualis autem factus est, tales utique generavit: quia peccator & immundus nonnisi peccatores & immundos generare potuit: *Quis* enim sicut Job ait, *potest facere mundum de immundo conceptum semine*? In tota ergo linea generationis humanæ, non reperietur unus homo sine peccato, nedum tot millium multitudo. Peccator autem homo, si semetipsum in mortem pro peccatis aliorum offerat Deo, nec se solum poterit justificare, necdum alios. Nam nec Isaac sanctus & de sanctis parentibus natus, si inter manus patris, Dei præcepto obedientis occisus fuisset: de inferno se liberare potuisset, sicut nec Abel sanctus & Dei voce laudatus. Quod ergo Deo abstulit, nullo genere reddere potest. Sed numquid saltem quod tantumdem valeat, reddere poterit? Non utique. Nam licet in lege a Deo per Moysen data, sacrificia fieri jubeantur de bestiis & volatilibus: tamen sicut ait Apostolus, [a] *Impossibile erat sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*. Omnes enim hirci vel tauri, immo omnes bestiæ agri & volatilia cæli, & ut amplius dicam, totus mundus cum sole & luna & sideribus, non potest comparari uni homini licet immundo, licet peccatori: nec valet eum, quia ipse ad imaginem Dei factus est, quamvis peccando eam in se corruperit. Et animam rationalem habet, & in fine sæculi resuscitandus & ad judicium est venturus, postque in æternum licet in pœnis victurus. Nec damnum ergo quod Deo intulit, nec quod tantumdem valeat, potest homo reddere de toto mundo, vel de suo genere. Sed si Deus novum aliquem hominem justum & mundum faceret sicut fecit Adam, qui se pro peccatis omnium hominum in sacrificium Deo offerret, possetne sufficiens hostia esse? Nequaquam. Unus enim homo talis qualis fuit Adam antequam peccasset, non valeret nisi solum Adam redimere, aut unum hominem, solum ei similem: & sanguis unius talis hominis non valeret nisi ad redemtione unius solius hominis. Quamquam etiamsi valeret ad redemtionem omnium hominum, quod impossibile est, tamen ut concedamus posse valere: illud certe patet, quod etsi valeret, non ta-

A men in pristinam dignitatem natura humana per ejus sanguinem restituta esset. Justum enim esset ut ei natura humana subjiceretur & serviret, per quem se redemtam esse cognosceret: quod si fieret, jam pristinæ dignitati restituta non esset. Quando enim Adam factus est, nulli nisi soli Deo subjectus est: licet pro substantia carnis per David dicatur, *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*. Nunc autem si alius esset cui subjiceretur, jam a priori dignitate inferior fieret, nec æqualis esset Angelis, qui nemini subjecti sunt nisi soli Deo. Præterea ille novus & justus homo, quare moreretur, qui nullum peccatum fecisset? Mors enim non est, nisi pœna

B peccati: & si Adam non peccasset, numquam utique moreretur. Novus itaque & sanctus ille homo, ab omni peccato liber & immunis, non debet puniri pro peccatore: sed qui peccavit, debet pœnam & supplicium subire peccati. Hoc idem posset dici & cogitari de quolibet Angelo, si fieret homo: unde dicitur in Psalmo: [b] *Frater non redimit, redimet homo*. Fratres enim nostri Angeli sunt, quibus secundum animam æquales sumus, per quam ad imaginem suam nos condidit Deus. Sed cum frater id est Angelus tam sanctus, tam gloriosus, nos redimere non possit: quomodo redimet homo, de immundo semine conceptus & in peccatis genitus? *Non dabit placationem suam, &*

C *pretium redemtionis animæ suæ*. Quid ergo faciet? *Et laborabit in æternum*. Patet itaque quod nec Angelus, nec novus aliquis homo, nedum vetus & peccator potest humanum genus redimere. Quamobrem nulla omnino creatura, neque totus mundus potest pro peccato primi hominis digne satisfacere. Sed quod non potest Angelus, vel homo vel totus mundus facere: Deus utique qui omnipotens est, posset facere: quia *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra*. Si ergo vellet, posset utique nos redimere, quod nec Angelus nec homo neque alia quælibet creatura potest facere.

Sed jam dixi quod pro peccato non debet mori,

D nisi illa natura quæ peccavit: Deus autem non peccavit, ideoque non debet mori. Redemtionem ergo istam non potest facere nisi Deus, nec debet illam facere nisi homo. Quoniam itaque non potest illam facere nisi Deus, nec debet illam facere nisi homo: necesse est ut eam faciat Deus homo. Compleatur igitur illud Psalmistæ, [c] *Redemtionem misit Dominus populo suo*: nisi enim de cælo mittatur, in terra non invenietur. Unde rursum dicitur, *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit: ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemtorum*. Sed cum Deus constet in tribus personis, non tamen Trinitatem necesse est incarnari: quia quæ-

E cumque ex tribus personis incarnetur, Deus incarnabitur, quoniam unaquaque per se singillatim persona, verus est Deus. Quærendum itaque est, cui personæ magis conveniat incarnatio. De quo tamen non est opus diutius immorari. Quia convenientius est ut Filius se offerat Patri in sacrificium pro nobis & supplicet Patri: quam Pater Filio. Præterea si Pater incarnaretur & Filius esset Virginis: tunc duo Filii essent in Trinitate, Filius scilicet Dei Patris, & ipse Deus Pater, qui esset Filius Virginis. Ac per hoc quædam confusio sequeretur personarum, & dum de Filio tractaretur, dubitaretur: Utrum de Filio Dei, an de Filio Virginis esset locutio. Idem etiam contingeret, si Spiritus sanctus incarnaretur. Multo ergo aptius, multo est convenientius ut Filius incarnetur, sitque

a Hebr. x. 4. *b* Psalm. XLVIII. 8. *c* Psalm. CX. 9.

una persona in Trinitate permanens sine aliqua dubietatis confusione, Filius Dei & Filius Virginis: per hoc quod ex Patre genitus est, verus Deus permanens: per hoc quod de Virgine natus est, verus homo exsistens. Alioquin nisi se de nostro genere novum hominem faceret, ad nos utique ejus natura non pertineret: nec pro nobis mori deberet, quia de natura illa quæ peccaverat, natus non esset. Nunc autem cum de carne Adam veram carnem sumat absque peccato, quia non de virili semine, sed de Spiritu sancto conceptus & natus est: licet ipse peccatum non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus, ac per hoc mori non mereatur: propter consortium tamen & participationem humanitatis nostræ, recte & convenienter poterit & debebit (si voluerit) mori pro fratribus suis, qui ejusdem generis, ejusdem sunt secum naturæ. Unde & Apostolus, *Decebat enim* (inquit) *eum propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Dicens ergo, *Debuit per omnia fratribus assimilari*. Non ita hoc intulit: quod debuerit mori pro peccato sicut alii moriuntur, sed solummodo pro misericordia & participatione humanitatis nostræ.

CAPUT V.

Congrua & decens redemtio naturæ humanæ.

INtueamur vero nunc quam congrue & decenter, sequatur redemtio humanæ naturæ. Diximus superius, quod humana natura debet primum Deo reddere quod ei abstulit: id est, tot homines quot ad civitatem suam restaurandam vel complendam, necessarios esse disposuit, vel quod tantumdem valeat. Dei ergo Filius unus cum Patre Deus exsistens, nonne melior est, quam non solum illi qui ad supernæ civitatis ædificium restaurandum erant necessarii: verum etiam omnes Angeli & Archangeli, immo universa generaliter creatura totius mundi? Creator inquam omnis creaturæ, nonne melior est omni creatura: Deus omnipotens qui omnia solo jussu fecit, & si perirent, solo jussu in momento omnia reficeret; nonne melior est, & plus valet omnibus quæ fecit? Dum ergo se obtulit in sacrificium Deo Patri pro nobis, mortemque suscipiens vitam suam tradidit pro peccatis nostris: nonne centies millies in infinitum plus valuit quod ipse reddidit pro nobis: quam valuissent omnes illi homines, quos Adam diximus Deo abstulisse, cum peccavit? Quomodo itaque se Deus Pater continere posset, ut humano generi peccatum suum non dimitteret, iram antiquam non indulgeret paradisumque redderet: cum Filium suum dilectum, coæqualem sibi & coæternum pro eis in cruce pendentem, manibus ad se extensis, tantam sibi cerneret solvere redemtionem? Hinc & præfatus Apostolus in eadem Epistola, *Qui in diebus* (inquit) *carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere a morte cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Solvit ergo misericorditer pro nobis, quod pro se non debebat, dicens cum Propheta David: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Hinc & Isaias, *Vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Disciplinam enim mortis & dolorum atque passionem, quam pro peccatis nostris merueramus, ipse pro nobis suscepit & per eam nos Deo Patri, sibique ipsi & Spiritui sancto, id est sanctæ trinitati quæ unus Deus est, reconciliavit: pacemque inter nos & Deum, in sanguine suo pius mediator reformavit. Ipse est enim sacerdos a quo & per quem reconciliati sumus, ipse hostia qua reconciliati sumus, ipse est Deus cui reconciliati sumus.

CAPUT VI.

Fit Deo condigna satisfactio per Incarnationem.

POstquam ergo per ipsum Dei & hominum mediatorem Christum Jesum, humana natura reddidit Deo pretium, quod multo plus valebat, quam omnes homines quos ei abstulerat: videamus etiam nunc quomodo de contumacia & contemtu quo ejus præceptum transgressus est, satisfaciat. Sic enim superius rectum ordinem regiæ satisfactionis proposuimus, ut princeps expulsus & reconciliandus primum solveret regi ex integro quod ei abstulerat, aut æquipollens: deinde pro contemtu regiæ majestatis & contumaciæ modum consideremus. Hominem Deus ut supra dictum est ex duabus naturis composuit, id est ex spirituali & corporali: ex spirituali secundum animam, ex corporali secundum carnem, quæ de terræ limo facta est. Sed secundum animam quæ & rationalis est & immortalis, factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei: secundum carnem vero quæ de terra facta est, non factus est ad similitudinem Dei, quia Deus nec oculos nec aures, nec aliquod membrum corporale habet: quoniam summus & incircumscriptus spiritus est. Et quod legitur in Psalmis, [a] *Manus tuæ Domine fecerunt me & plasmaverunt me*: Itemque: *Oculi Domini super justos & aures ejus in preces eorum*, & similia multa. Non simpliciter ad literam sunt accipienda, sed figuraliter intelligenda: *Litera enim occidit, spiritus autem vivificat*. Alioquin & alas Deus habebit, quia de illo legitur: *Et ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum*. Anthropomorphitæ ergo hæretici qui dicunt hominem secundum corpus factum ad imaginem Dei, aut ostendant hominem volare, quia Deus legitur volasse: aut recognoscant fatuitatem nimiæ simplicitatis suæ. Sola itaque rationalis creatura, Angelica scilicet atque humana, similitudinem Dei in se continet, quamvis Angelus non legatur factus ad imaginem Dei. Sic enim per Isaiam dicitur: [b] *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti.* Quod beatus Gregorius exponens, Notandum (inquit) quod non ad similitudinem Dei factus, sed *Signaculum similitudinis* dicitur: ut quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei subtilius vel similius insinuetur expressa. Similius ergo in Angelo qui nihil habet corporale, sed solummodo spiritus est, imago Dei est expressa, quam in homine, qui corpus gestat terrestre. Licet dicat idem beatus Gregorius in expositione Ezechielis, quod ad comparationem summi illius & incircumscripti spiritus qui est Deus, etiam Angeli corporei possunt dici. Secundum animam itaque homo factus est ad ima-

a Job. x. 8. b Ezech. xviii, 12.

SÆCUL. XII CIRCA ANN. CHR 1125.



ginem Dei, & similis est Angelis, immo æqualis: secundum corpus vero inferior est Angelis, testante Psalmista qui ait: [a] *Minuisti eum paullo minus ab Angelis.* Adam itaque per rationalem sibi intellectum sibi a Deo datum, debuit cognoscere sese minorem esse Angelis: per superbiam conatus est superior esse Angelis, & Deo consimilis. Mulier etenim credens serpenti dicenti: *Scit Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum:* ea intentione comedit & viro comedere suasit, quia speravit, quod futuri essent Dii. Unde & ipse Deus, *Ecce* inquit *Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Ecce quanta superbia! Quod homo de terræ limo factus, conatur excellere Angelos, & par esse Deo creatori suo. Unum ergo idemque est vitium superbientis Angeli & superbientis hominis: quamobrem justo Dei judicio parem culpam par pœna sequitur, quia ille de cælo, & hic ejicitur de Paradiso. Sed illum sine aliqua spe recuperationis lapsum credimus, quamvis legatur Origenem scripsisse, quod Salvator noster sicut perditum hominem reparavit: ita quoque post resurrectionem prolapsum Angelum peracto judicio liberabit. Homo vero qui jam per Mediatorem Jesum Christum solvit Deo quod ei abstulerat, pretium scilicet sanguinis ejus plus valentis, quam illud quod ei abstulerat: nunc superest ut pro contumacia & superbia qua contra eum tumuit, digne ei satisfaciat.

Quæ ergo dignior vel convenientior potest esse satisfactio pro contumacia hominis, qui superbe voluit esse similis Deo: quam ut Filius Dei humiliter fiat homo? Quia enim homo stulte voluit esse Deus, misericorditer Deus factus est homo. Hinc & beatus Apostolus, *Hoc* (inquit) *sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Ecce quam distincte superbiam hominis & humilitatem Christi notavit. Homo enim per rapinam conatus est Deo esse æqualis, & hoc arbitratus est, se per fructus vetiti comestionem posse assequi: Christus autem non rapina, sed natura æqualis Deo fuit. Homo cum in forma servi, immo Dei servus esset, superbe se voluit extollere ad similitudinem Dei: Christus vero, *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinum hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Adam sine aliqua necessitate præceptum Dei transgressus est, & obedientiam ejus servare contemsit: Christus vero dicens, *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit:* per multarum tribulationum difficultates & angustias, factus est obediens Patri, servavitque irrefragabiliter ejus obedientiam non ad tempus, sed usque ad mortem. Nec ipsam jucundam aut suavem vel honorabilem mortem; sed duram & ignominiosam, mortem scilicet crucis. Unde & ipse hæc omnia sciens & passioni propinquans, cum discipulos immo totum genus humanum Deo patri commendans, oraret pro omnibus: *Et pro eis* (inquit) *sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Ac si diceret, pro eis offero meipsum, qui plus valeo quam omnes homines, quos tibi abstulerunt. Qui pro eis, cum essem Deus, Filius tuus unigenitus, homo factus sum, & usque ad mortem tibi obediens sum. *Dirigatur* ergo pro eis *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, & elevatio manuum mearum* in cruce fecit pro eis *sacrificium vespertinum:* ut dimissa omni peccati originalis macula, *Sint & ipsi sanctificati.* Sic ergo: *Cum clamore valido & lacrymis efferens, exauditus est pro sua reverentia,* peractoque sacrificio & satisfactione ad integrum completa: *Consummatum est,* inquit: *Et inclinato capite emisit spiritum.* Quodque magis mirandum est, & dulci memoria retinendum, jugique ruminatione venerandum: non solummodo sanguinem suum qui majoris est pretii, quam tota creatura quæ Deus non est, Patri suo pro nobis recompensavit: sed etiam omnes homines quos primus parens Deo abstulerat, ei ex integro reddidit per virtutem ejusdem Sacrificii. Dicit enim Apostolus, quia: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Habet namque fides Catholica, quod unusquisque fidelis baptizatus, ab omni peccato originalis maculæ sit liber, & plene mundatus atque purgatus: ejusdemque est meriti, cujus Adam antequam peccaret. Hic si aliquis quærat, quare dimisso peccato originali, non dimittitur, nec removetur, sed fixa retinetur pœna ejusdem peccati, id est mors? Hanc quæstionem beatus Augustinus in libro *De libero arbitrio* ita solvit: Omnis inquit summa salutis nostræ in fide est, quia sine fide impossibile est placere Deo, & justus ex fide vivit. *Est autem fides* sicut dicit Apostolus: [b] *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Si ergo viderent Judæi atque Pagani quosque baptizatos ultra non mori, utique non propter Christianæ fidei dilectionem, sed propter devitandam corporis mortem, omnes currerent etiam non vocati ad baptismum, sicque fides proprium perderet meritum. Cum itaque duæ sint mortes, prima scilicet carnis & secunda animæ, unde dicitur in Apocalypsi: [c] *Qui vicerit, non lædetur a morte secunda:* utramque incurrit primus homo, dum vetitum lignum comedit: in præsenti quidem mortem carnis, in futuro vero mortem animæ, id est damnationem. Veniens autem Redemtor noster, simplam suam mortem id est carnis, duplæ nostræ opposuit: & per eam nos ab utraque liberavit: dum per suam, nostram destruxit dicens per Osee Prophetam, *O mors! ero mors tua.* Quamvis si diligenter consideremus, etiam in anima sola duæ mortes inveniantur, una in præsenti, altera in futuro. Quando enim facit aliquis criminale peccatum, moritur in eo anima: dicit namque beatus Augustinus, quod sicut vita corporis anima, ita vita animæ Deus est. Egrediente anima mortuum remanet corpus, & recedente Deo propter peccatum, moritur anima. Propter hanc mortem animæ orabat David, *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.* Quamdiu enim resistimus adversario & pugnamus contra eum, cujuscumque criminis nobis tentationes inferat: non morimur propter eas, immo coronam nobis & salutem operantur. Si autem nobis cedentibus & devictis, potuit dicere inimicus, *Prævalui adversus eum:* Heu! ecce in corpore vivo & lascivo, mortua jacet anima. Unde & Apostolus, *Vidua,* inquit, *quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Post hanc vero primam mortem animæ quæ fit in præsenti, sequitur in futuro secunda: quoniam nisi heic per pœnitentiam resurgat, hinc exeuntem recipit mors, id est, damnatio æterna. Pro hac damnatione, dicitur in Evangelio de reo illo, ministris a rege: *Mittite eum in tenebras exteriores.* Quoniam nisi heic quisque per peccatum incurrens cæcitatem mentis, decidat in tenebras

a Psalm. VIII. 6. b Hebr. XI. 1. c Apoc. XII. 11.

interiores cordis: illuc post mortem, non mittitur in tenebras exteriores inferni. Per tenebras ergo interiores, deciditur in tenebras exteriores: quia per mortem peccati infelix anima mortem incurrit damnationis. Pro hac morte Dominus dicit in Evangelio, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit & credidit in me, non morietur in æternum*. Pro hujus primæ mortis, id est peccatorum diversitate, tres mortui a Domino resuscitati leguntur in Evangelio: Puella in cubiculo, Juvenis extra portam, Lazarus quatriduanus in sepulcro: significantes peccatores pro criminis sui modo vel qualitate, alios privata, alios publica, alios diutina pœnitentia fore resuscitandos. De his ergo omnibus mortis generibus anima in baptismo liberatur, & deposito veteri homine, novus homo & filius Dei per lavacrum regenerationis efficitur: ejusdemque munditiæ & sanctitatis exsistens, cujus fuit Adam antequam peccaret, de baptismo egreditur. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Mors tamen carnis retinetur, ne non propter animæ, sed propter carnis mortem devitandam ad baptismum veniant. Veniet autem tempus quando, *Novissima inimica destruetur mors*, in resurrectione scilicet. Cum integro numero, collectis omnibus qui ad complendam perfectionem cælestis illius gloriosæ civitatis Jerusalem, fuerint necessarii: dabuntur singulis, non singulæ sed binæ stolæ albæ, idest perfecta immortalitas animæ & corporis: sicque *Corruptibile nostrum induet incorruptionem, & mortale nostrum induet immortalitatem. Deinde fiet sermo qui scriptus est, absorta est mors in victoria*: nosque perpetuo lætantes videbimus, quomodo erit Deus omnia in omnibus, Amen.

CAPUT VII.

Quomodo antiqui Patres ante legem & post, desideraverunt adventum Incarnationis.

Ecce ergo Fratres carissimi jam audivimus qua ratione Deus homo factus, operatus est salutem in medio terræ: nunc vero si placet audiamus, quomodo antiqui Patres ante legem & sub lege in eum credentes, ejus desideraverunt adventum: quomodo cum lacrymis ut eum viderent, suspiraverunt: quomodo mysterium Incarnationis ejus, & verbis & factis prænuntiaverunt. Si quis enim diligenter inspicere velit, quidquid nunc diximus de Incarnatione Domini, in antiquis Scripturis reperire poterit. Verum quia non omnia Scripturæ divinæ testimonia facile possunt replicari, illud certe quod Moyses omnium primum ponit, inspiciamus quomodo consonet his quæ supra dicta sunt. [a] *In principio*, inquit, *creavit Deus cælum & terram*: cæli nomine cælestem creaturam, id est Angelos; terræ vero, terrenam id est humanam volens intelligi. Quia vero non de Angelis sed de homine referre proposuerat: cælo interim dimisso, addit: [b] *Terra autem erat inanis & vacua*: id est, humana natura bene a Deo creata, Protoplasti peccato prorsus inanis totius boni & vacua virtutibus ita facta est: ut nihil in ea prioris dignitatis vel munditiæ inveniretur. *Et tenebræ erant supra faciem abyssi*. Abyssi nomine cor humanum potest intelligi, Jeremia dicente: *Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Sicut enim profundum abyssi nullus nostrum penetrare valet, nec ad ejus finem pertingere: sic & humani cordis altitudinem vel ingenium aut versutias, non facile dijudicare vel cognoscere possumus. Ita ut quem nobis magis blandiri exterius conspicimus, ab eo fit nobis nonnumquam potius cavendum interius, dum dolos vel astutias ejus non intelligimus. *Tenebræ ergo erant supra faciem abyssi*: quia post illud peccatum Protoplasti, corda humana divinæ cognitionis tanta contexit ignorantia: ut etiam relicto Creatore deos esse crederent sua opera vel figmenta: nec cur facti, vel a quo facti essent homines, aliquis pene eorum cognosceret. *Et spiritus Dei ferebatur super aquas*, per ora prophetarum qui Spiritu sancto edocti, prænuntiabant per aquas baptismatis reddendam esse salutem generi humano. Ecce quam breviter descripsit per inanitatem & vacuitatem terræ & per tenebras abyssi, ignorantiam totius mundi: quæ tanta erat, ut exceptis paucis intra Judæam hominibus vel Prophetis, vix aliquis sciret cur natus fuerit. Sed cum tenebræ istæ, jam per quinque millia & eo amplius annos mundum contexissent: illudque tempus advenisset de quo dicit David: *Tu exsurgens Domine misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus*: dixit Deus, *Fiat lux*. Quæ est ista lux? Nisi Filius Dei, Deus de Deo, lumen de lumine: quæ erat quidem cum Patre, non facta sed genita: & videbatur ab Angelis quos claritatis suæ illustrabat aspectu. Sed ab hominibus videri non poterat, quia oculos eorum tenebrarum densitas operuerat. Nam nec cæcus solem clare fulgentem videre potest, quoniam non habet oculos quibus eum videat. Non ergo culpa solis est, quod non videtur, sed culpa cæci. Sic & homines non poterant videre lucem illam præcipuam, quia visum illum quo Deus videtur, amiserant. Erat itaque lux ista apud Patrem, sed facta non erat: quia Filius Dei nec factus nec creatus, sed tantum a Patre est genitus. Quia ergo homo infixus in limo profundi tantæ altitudinis lucem videre non poterat, dixit Deus, *Fiat lux*. Ac si diceret, quoniam miser homo tenebrarum caligine pressus, non potest videre lumen mihi coævum, & coæquale, id est Filium meum: volo ut Filius meus per quem omnia facta sunt, illi condescendens, fiat talis lux quam videre oculis corporeis possit, id est incarnetur & fiat homo. Ut quia homo non potest videre Deum, qui spiritus est: Deus fiat homo, & ab homine videatur ut homo: quatenus hominem videndo & Deum hunc esse recognoscendo, per visionem hominis paullatim redeat & ascendat ad visionem Dei. *Et facta est lux*, id est, [c] *Verbum caro factum est*.

„ Dum ergo medium silentium tenerent omnia, „ & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipo„ tens sermo Dei de cælis a regalibus sedis venit. „ Hoc licet de vindicta Dei quæ facta est media nocte in Ægypto, quando omnia primogenita occisa sunt, dictum sit: tamen etiam de Incarnatione Domini convenienter intelligitur. Duæ quippe voces in mundo sonuerunt, primo vox Prophetarum venturum Christum prædicentium, secundo vox Apostolorum eum venisse clamantium. Quas duas voces significabant duo Seraphim de quibus dicit Isaias, quod clamabat alter ad alterum, & dicebant: *Sanctus, Sanctus*, &c. Quod enim futurum prophetæ prædixerunt, Apostoli factum esse prædicaverunt. Sed tempore dominicæ nativitatis, pro-

a Gen. I. 1. b Ibid. ♈. 2. c Joan. I. 14.

SECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1125



phetis jam ex majori parte defunctis, prophetia pene refriguerat: Apoſtolorum vero prædicatio necdum intonuerat: ſicque inter voces, medium ſilentium interceſſerat. Ante adventum etiam Chriſti dictum fuerat: *Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus*: eo autem adveniente, nox in ſuo curſu medium iter habebat: quia tanta noctis & tenebrarum, id eſt ignorantiæ, caligo excreverat, ut nec ipſi Judæi qui Prophetas legebant, nec Gentiles eum cognoſcerent, ſicut Joannes dicit: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit: in propria venit, & ſui eum non receperunt*. In tanta ergo tenebrarum denſitate ſubita lux de cælo refulgens, venit illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedebant, ut compleretur illud Iſaiæ: [a] *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. Hanc lucem ſignificat etiam ille cereus quem ſingulis annis in vigilia Paſchæ pulcherrimo more ſancta Eccleſia novum facere & accendere conſuevit: unde & ipſi cereo inſcribitur quotus annus ſit Dominicæ Incarnationis, quatenus per hoc etiam pueri patenter intelligant, ad recordationem eum fieri illius novæ lucis, quæ de cælo in terra refulſit. Nam & ipſæ tenebræ quæ tribus diebus ante Paſcha recoli jubentur, eaſdem tenebras de quibus locuti ſumus, ſignificant: quas Chriſtus veniens illuſtravit. Et bene tribus diebus fiunt, propter tria tempora quæ ipſam lucem præceſſerunt. Primum tempus ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Ante legem a principio mundi, id eſt ab Adam uſque ad Moyſen. Sub lege a Moyſe uſque ad Joannem, ſic enim ipſe Dominus in Evangelio determinat dicens: [b] *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem, & ex eo regnum Dei evangelizatur*. Bene ergo etiam tempore gratiæ licet jam nato Chriſto, tenebræ durant: quia ab Abel juſto uſque ad paſſionem Chriſti quamtumcumque pie & juſte viverent Sancti, morientes tamen in tenebras & in infernum ire cogebantur: licet nequaquam igne vel tormentis ſicut impii punirentur. Hinc eſt quod ſancta Eccleſia, quamvis probatiſſimi Patres ante Chriſtum fuerint: de nullo tamen eorum qui priuſquam Chriſtus pateretur mortui ſunt, diem agere conſuevit ſolemnem: excepto ſancto Joanne Baptiſta, & Innocentibus, ſeptemque fratribus Machabæis, quia omnes pariter ducebantur ad infernum. Quando enim feſtum alicujus Sancti colimus, congaudemus ei utique & Deum collaudamus de eo quod animam ejus eductam de corpore levaverit ad cælum. Quorum autem animæ ducebantur ad infernum, quomodo de eis fiet ſolemnitas? Quibus magis videtur compatiendum, quam congaudendum. Poſtquam autem Chriſto ad inferos deſcendente, populus Sanctorum qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & educti ſunt a Domino in manu forti & brachio extento: ſtatim impletum eſt illud Apoſtoli; *Quoniam tenebræ tranſierunt, & lumen verum jam lucet*.

Hæc tria tempora ſignificant etiam illæ tres miſſæ quas in præſenti Natalis Dominici die celebraturi ſumus. Prima enim Miſſa in nocte ſignificat tempus ante legem, quando exceptis paucis Patriarchis nox ignorantiæ contegebat fidem vel agnitionem Dominicæ Incarnationis. Secunda Miſſa aurora apparente ſignificat tempus ſub lege, quando in Pſalmis & Prophetis remota ex parte magna priori nocte, incipit apparere fulgor naſcituri ſo-

A lis. Tertia vero Miſſa in die deſignat tempus gratiæ, quando exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. Unde & Angelus qui eamdem Nativitatem paſtoribus nuntiavit, cum lucis claritate apparuit, quod numquam antea legitur contigiſſe: inſinuans jam priores tenebras ſpiculo novi ſolis penitus effugandas eſſe. Poſtquam ergo dixit Deus, *Fiat lux, & facta eſt lux*: recte ſubjungitur, *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris*. Videre Dei, & approbare & laudare eſt. *Vidit* ergo *lucem quod eſſet bona*: id eſt, placuit ei & laudavit quicquid ille verus ſol faciebat, dicens ſuper eum in Jordane baptizatum vel in monte transfiguratum: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi* B *complacui*. *Et diviſit lucem a tenebris*, dicens ei: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum*. Vel lucem poſſumus heic intelligere Apoſtolos ejus, qui participatione veræ lucis & ipſi facti ſunt lux, ſicut eis dicitur a Domino, *Vos eſtis lux mundi*. Hos diviſit a tenebris dicens eis: *De mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Et alibi: *Veni ſeparare hominem adverſus patrem, & filiam adverſus matrem* & cetera. *Appellavitque lucem diem & tenebras noctem*. Diem ſe nominari Dominus deſignat dicens Apoſtolis: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Quia videlicet ipſe dies, C duodecim habebat Apoſtolos. Apoſtoli quoque dies vocantur, dicente Pſalmo, *Dies diei eructat verbum*, & item, *Dies formabuntur & nemo in eis*. Noctem & tenebras vocari impios, nullus ignorat. Statim vero de Paſſione ejus ſubditur: *Factumque eſt veſpere & mane dies unus*. Per veſpere & mane, intelligi Paſſionem & Reſurrectionem, David breviter oſtendit dicens: *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, ſcilicet Apoſtolis, qui Chriſto patiente triſtati, reſurgente vero ſunt lætati. Et ſub perſona Chriſti, *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*. Notandum autem quam congrue noluerit dicere, *Factum eſt veſpere & mane, dies primus*: ſicut di- D cit de conſequentibus, ſed *dies unus*: quod multum valet contra hæreticos, qui alteram Dei, alteram hominis dixerunt eſſe perſonam. Ponit ergo, *Factum eſt veſpere & mane dies unus*; ac ſi dixiſſet aptius, licet Chriſtus paſſus ſit ac mortuus non ex Divinitatis ſed ex humanitatis natura, reſurrexit autem per Deitatis potentiam: non tamen ex duabus perſonis conſtare dicendus eſt, ſed ex duabus naturis: nec in eo Deus eſt ab homine ſeparandus, quia Deus & homo unus eſt dies, id eſt unus eſt Chriſtus. Unde & congrue ſancti Patres inſtituerunt, ut ſanguis Chriſti in ſacrificium altaris numquam de vino puro conſecretur, ſed ſemper E in calice cum vino aqua miſceatur: per vinum Divinitatem, per aquam vero intelligi volentes Chriſti humanitatem.

CAPUT VIII.

De beata Maria deſtinata ab æterno, ut ad exſecutionem Incarnationis concurreret.

HIS vero de Chriſti nativitate paſſione ac reſurrectione, noſtraque redemtione breviter a Moyſe prælibatis, rurſus poſt operationem ſex dierum de Tabernaculo in quo requievit, id eſt, de beatiſſima matre ejus domina noſtra ſancta Maria, dignam memoria protulit ſententiam dicens: [c] *Plantaverat autem Dominus paradiſum voluptatis a*

a Iſaj. IX. 2. b Luc. XVI. 16. c Gen. II. 8.

principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Hoc si solummodo de illo Paradiso in quo positus est Adam ad literam dictum intelligatur, mirum videtur quomodo a principio plantatus esse dicatur. Nam non in principio, sed die tertio jubente Deo, *Protulit terra herbam virentem, lignumque faciens fructum.* Si ergo die tertio primitus factæ sunt arbores, quomodo a principio *Paradisus* iste plantatus dicatur? Sed si figurate de domina nostra dictum intelligatur, omnis quæstio solvitur. Plantaverat enim eam revera Dominus a principio, & cum ab ipso Filio ejus in Evangelio dicatur: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis eradicabitur:* liquet profecto quod illa quam plantavit, fixe & altius stabilita eradicari non potest. Plantaverat ergo eam Dominus a principio, quia [a] *Antequam quicquam faceret a principio, ab æterno ordinata erat, & ex antiquis antequam terra fieret:* immobiliter in præscientia sua Deus proposuerat & diffinierat per ejus fructum reparare genus humanum. Paradisum autem eam sæpe vocat sancta Ecclesia, cum in ejus laude illud Cantici Canticorum decantat: *Emissiones tuæ, Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Paradisus namque, locus delitiarum interpretatur: & quis magis locus delitiarum intelligi potest, quam venter ille in quo panis Angelorum & delitiæ eorum, novem mensibus reconditus mansit? *Plantaverat itaque Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat,* id est paraverat aulam regiam a principio, in qua poneret filium suum, coæqualem sibi & coæternum, cum hominem formaverat. Sed quomodo plantaverat & qualem plantaverat hunc paradisum? Plane talem, cui nulla deesset voluptatis caussa. Cum enim vult Rex aliquis dives sibi ædificare aulam, in qua fessus requiescere & frequentius velit habitare: eligit utique competentem locum, id est aquis irriguum, arboribus consitum, locorum natura munitum, nemori contiguum, hortorum abundantia circumseptum.

Videamus si aliquid ex his defuit illi cælesti aulæ, dominæ nostræ. Aquis fuit irriguus iste paradisus, quia *Fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ:* & paullo post; *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Quis est iste fons, sive fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis? Nimirum iste est de quo dicit Isajas, [b] *In die illa erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Iste egreditur de loco voluptatis, de utero scilicet sanctæ Mariæ irrigans universam superficiem terræ: id est sanctæ Ecclesiæ peccatores abluens, justos dulci potu reficiens juxta illud, *Super aquam refectionis educavit me:* & item, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Qui inde dividitur in quatuor capita, quia unicuique Evangelistarum divisit, quid vel quantum de se dicere deberet: & vide quam mirabiliter etiam ipsos Evangelistas exprimit & determinat! *Nomen uni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est.* Quia aurum pretiosius est omnibus metallis, & Divinitas Christi pretiosior est humanitate; non incongrue per Phison, qui circuit terram in qua nascitur aurum, intelligimus Joannem, qui altius ceteris de Divinitate Christi contemplatus est & locutus. *Et nomen fluvio secundo Gihon, ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Matthæum in Æthiopiam ad prædicandum missum esse, eamque prædicando circuisse & ad fidem convertisse, ibique passum fuisse, legimus. Ideoque per Gihon, recte ipse designatur. *Nomen vero fluminis tertii Tygris, ipse vadit contra Assyrios.* Lucam natione Syrum fuisse legimus, qui ad Christum conversus, vadit contra Assyrios: dum contra errorem paternum scribit Evangelium, ideoque per Tygrim potest designari. *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates,* qui circuit Babyloniam & Alexandriam in qua Marcus prædicavit & Evangelium scripsit, atque passus est: & ideo non incongrue per Euphratem potest idem Marcus designari.

Paradisus ergo iste, id est, Dei genitrix, *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium,* quam *sicut dies verni circundant flores rosarum & lilia convallium:* quæ *sicut cinnamomum & balsamum aromatizans suavissimo jugiter flagrat odore.* Paradisus inquam iste, videamus quam forti polleat munitione. Dicitur in amoris Cantico, *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Collum inter caput & corpus medium est, caputque jungit corpori. Collum ergo sanctæ Ecclesiæ competenter domina nostra intelligitur, quæ inter Deum & homines mediatrix exsistens, dum Dei Verbum incarnatum genuit, quasi caput corpori, Christum Ecclesiæ, Divinitatem humanitati nostræ conjunxit. Hæc sicut turris David constructa dicitur, quia hanc rex David ille manufortis contra Nabuccodonosor Regem Babylonis erexit & munivit, in hanc contra eum pugnaturus intravit, sicut in Evangelio dicitur: *Intravit Jesus in quoddam castellum.* Ex hac castellum illud expugnavit, ad quod invadendum præmittens milites suos, dicit eis: *Ite in castellum quod contra vos est, & invenietis asinam,* id est naturam humanam *alligatam* a Rege Babylonis, *Solvite & adducite mihi.* Ex hac turre fortem illum devicit, qui in pace eatenus atrium suum custodiens, sedebat in medio fluminum suorum teste Isaia & dicebat: *Sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os & gganniret.* Ex hac inquam turre egrediens ille verus David, *Rufus & pulcher aspectu: Rufus* propter aspersionem sanguinis de latere vel pedibus ac manibus defluentis: *Pulcher aspectu,* quia *Speciosus forma præ filiis hominum,* Goliath superbum in fronte percussit, prostratumque gladio proprio interficiens, universa arma ejus in quibus confidebat abstulit, & spolia ejus distribuit. Sicque victor ad milites suos cum triumpho rediens, *Confidite,* ait, *ego vici mundum.* Et, *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Hæc itaque turris ædificata est cum suis propugnaculis, virtutibus scilicet principalibus, vel donis Spiritus sancti protegentibus eam: sicut ei per Gabrielem dicitur *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per millenarium qui perfectus est numerus, significatur universis refertam fuisse virtutibus: unde & ab Angelo recte *Gratia plena* dicitur. Quod etiam tunc confirmatur cum dicitur, *Omnis armatura fortium:* quia videlicet omnes virtutes, quibus fortes id est sancti viri singuli, ab Angelis Dei dono muniti fuerant, ista sola universaliter in se suspensas & quasi insertas & infixas habuit. Quis autem cogitare vel æstimare sufficiat, quomodo Angelicæ cohortes ad ob-

[a] Prov. VIII. 22. [b] Zach. XIII. 1.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1125.



sequium ejus deputatæ, ei assisterent jugiter, unde & in eodem cantico: *En lectulum inquit Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi.* Quis enim lectuli nomine convenientius, quam ille venter designatur? In quo verus ille Salomon, rex scilicet pacificus, cujus vultum desiderat universa terra, novem mensibus dulciter jacens requievit: & postea de eo tamquam de thalamo, sponsus processit. Hunc lectulum *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*, quia non minores Angeli, sed sexaginta, id est perfectæ & infinitæ supremarum virtutum & potestatum legiones ad ejus servitium directæ, assidue illam circumdant & ambiunt: quatenus & ei aliquid præcipienti sine mora obediant, & appropinquantes forte adversarios illico procul ab ea repellant.

Hunc itaque *Paradisum voluptatis a principio Deus plantavit, in quo posuit hominem quem formavit*, id est Filium suum sibi coæternum Verbum, carnem factum, beatæ Virginis alvo coadunavit. *Ut operaretur* inquit *& custodiret illum*. Quid operaretur, Isaias aperit dicens: [a] *Ut faciat opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo*. Quid enim tam alienum est Deo, quam vagire & femineo lacte nutriri? Quid Deo tam peregrinum, quam mori? Opus illud prospiciens Abacuch [b], *Domine* inquit *audivi auditum tuum, & timui: consideravi opera tua, & expavi*. De hoc opere, rursum dicit Dominus ipse per Isaiam: *Obstupescite & admiramini, quia opus ego operor in diebus vestris, quod nemo credet, cum enarrabitur*. Hinc ipse Isaias, *Domine* inquit *quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Hoc autem opus ex quo in ventre matris incarnatus est Deus, cœpit operari: quia nimirum ideo homo factus est, ut hominem redimeret. Quod vero dicitur, *& custodiret eum*: expositione non indiget, quoniam & prius quam in beata Virgine incarnaretur, & cum in ea clausus fuit, & postquam ex ea natus est, semper eam in omni sanctitate & munditia servavit.

Quæ gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Nulla vero lingua dicere, nulla mens potest excogitare, quanta divini amoris dulcedine flagraret, dum Deum in utero clausum portaret. Cum enim David qui solummodo per speculum & in ænigmate Deum contemplabatur, ex magna tamen devotione dicat, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* quid sentiendum est de ea, in qua tanto tempore habitavit plenitudo divinitatis corporaliter? Depromebat revera in ea sicut dicit quidam sapiens, universarum copia virtutum cœlestem quamdam & ineffabilem harmoniam: quia sine suavis modulationis spirituali cantilena, non est credendum vel una hora Deum in ea mansisse. Nemo autem miretur, quod eam per Paradisum vel lectulum Salomonis significari posse dixerim: quia & beatus Augustinus in libro *De doctrina Christiana* dicit, nihil obesse, immo etiam prodesse si eadem sententia diversis modis intelligatur: tantum ut a catholico sensu & dilectione Dei & proximi non recedatur. Cum ergo per lectulum Salomonis sanctam Ecclesiam figurari nullus contradicat: quia in ea Dominus requiescit juxta illud; *Super quem requiescet spiritus meus? nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos*. Si inquam super humilem ipse requiescit: quis humilior ea inveniri potest? Quæ cum ab Angelo mater Domini futura diceretur, ancillam ejus se vocavit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Et in Cantico suo postpositis omnibus aliis virtutibus *Quia respexit* inquit *humilitatem ancillæ suæ*. Cum ergo & in anima ejus Deus spiritualiter habitaverit propter incomparabilem humilitatem, & in carne corporaliter propter susceptam humanitatem: non video quæ ratio obsistat, ut non magis ipsa lectulus Salomonis appelletur, quam quilibet alius sanctæ Ecclesiæ fidelis. Quod si aliquis dicere velit, sufficere posse expositionem antiquorum Patrum & novam vel insolitam superaddi non debere: Respondemus juxta illam Ruth Moabitidis sententiam, quæ paupertate oppressa loquitur ad Noemi socrum suam: *Si jubes, vadam in agrum & colligam spicas remanentes post terga metentium*.

CAPUT IX.

Idem locus S. Scripturæ potest exponi variis modis. Iterum de beata Virgine Maria magnus illius encomiastes.

SIc ergo & nos colligimus spicas quæ metentium manus reliquerunt, imitantes illud Isaiæ: *Et erit sicut colligens spicas in valle Raphaim*. Messores namque sancti Patres & Doctores Ecclesiæ fuerunt, quibus a Domino dicitur, *Rogate ergo Dominum messis ut mittat operaios in messem suam*: & alibi, *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis*. Qui quoniam breves dies hominis sunt, morte utique præventi, non totum agrum metere, id est non omnem veteris Testamenti Scripturam exponere potuerunt, sed multas nobis spicas colligendas, id est plures sententias aliter atque aliter intelligendas reliquerunt. Quas si nos perscrutantes, velit aliquis reprehendere, videat ne non sit ejusdem bonitatis, cujus fuit Booz: qui eam cœpto operi persistere exhortans, præcepit pueris suis, ne quis ei molestus esset, immo de suis manipulis ei projicerent, & ex industria remanere permitterent, ut absque rubore colligeret. Sicque ipsa usque ad vesperam colligens & quæ collegerat virga excutiens, invenit hordei tres modios. Per hoc typice nobis insinuans, ut si quid forte memoria dignum in Scriptura sacra nos intellexisse senserimus: protinus virga id est rectitudine subtilis examinis, illud diligenter discutere studeamus: ne forte dictis antiquorum Patrum quantulumcumque contraire inveniatur. Sed potius ad mensuram trium modiorum, id est fidem sanctæ Trinitatis, operationemque trium virtutum, Fidei, Spei & Caritatis, coerceatur. Hoc quoque quod eadem Ruth per ipsam spicarum collectionem, prædicti Booz familiaritatem adepta, & postmodum ei conjugali thoro legitime sociata, ad tantum honorem pertingere meruit, ut ex ipsius stirpe ipse Dominus Jesus Christus descenderit, mystice nos hortatur: quod si ejus actus spiritaliter imitari studeamus, nos quoque per eos ad Domini dilectionem perducemur. Nemo ergo ut dixi reprehendi debet, si aliquam veteris Testamenti sententiam aliter exponat, quam in antiquis inveniat: tantum ut nihil eis contrarium intermisceat: quia & ipsi antiqui doctores non uno eodemque modo eamdem sententiam semper exposuerunt. Beatus enim Augustinus exponens illum versum, [c] *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ*: Montium nomine ibi intelligendos dicit Apostolos. Beatus autem Gregorius lon-

a Isaj. XXVIII. 21. b Habac. I. 5. c Psalm. CIII. 10.

ge post, in Homilia (*Anno quintodecimo*) ejusdem versus mentionem faciens: nomine *Montium* intelligendos dicit *superbos*, *Convallium* vero *humiles*. Et cum multa distantia sit inter superbos & Apostolos, neuter tamen horum Doctorum alteri contrarius exstitit, quia per utrumque & in utroque Spiritus sanctus loquitur: & licet diverso modo, tamen ex utriusque ore in proximorum mentibus ædificationem operatur. Si ergo nos quoque creationem terræ, ad recreationem humanæ naturæ referamus, minime exinde reprehendendi sumus. Nam ipsa quoque creatio primi hominis, secundo homini, id est Christo, in multis locis convenienter potest aptari. Ille enim factus est sexta die, iste vero sexta ætate: Ille non de nihilo, sed de limo terræ factus est, iste de carne Virginis in ejus ventre a Deo formatus est. De illius costa dormientis, ædificavit Deus mulierem: de istius latere in cruce mortui profluxit sanguis & aqua, quibus duobus ædificatur Ecclesia: quia nisi quis aqua baptismatis renatus, & sanguinis Christi perceptione ei conjunctus fuerit, nec Christi nec Ecclesiæ membrum, vel filium se appellare poterit. De Adam & Eva omnes secundum carnem nascimur, de Christo & Ecclesia omnes spiritualiter renascimur.

Jam vero ipsa verba quæ de Eva Adam dixit, consideremus. [a] *Hoc nunc* inquit *os ex ossibus meis*, *& caro de carne mea*: per ossa fortes Ecclesiæ, per carnem debiles intelliguntur. Dominus itaque ostendens infirmos quosque in Ecclesia a fortibus despici non debere, cum præmisisset per Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis*: subjecit, *& caro de carne mea*. Os ex ossibus Christi intelligi possunt, quibus dicitur, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. Caro vero infirmiores, quibus dicitur: *Cum persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam*. Ossibus dicitur, *Nolite portare sacculum neque peram neque calceamenta*: Carni dicitur, *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Et cum de eo Paullus dicat, *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemta*: Carni tamen, id est, infirmioribus compatiens, & ne subitaneo timore pressi desperarent exhortans, *Tristis est* inquit *anima mea usque ad mortem*: Et, *Pater si possibile est, transeat a me calix iste*. Ne ergo infirmi desperent, sese eis sociat dicens, *Et caro de carne mea*. Gallinæ etiam magis quam alii avi se comparat, quæ pullis suis plus omnibus avibus compatiens, voce fit rauca, plumis hispida. Hinc est quod ipsam principalem & primam columnam Ecclesiæ permisit Petrum Apostolum se tertio negando cadere, ut post casum resurgens, disceret infirmis cadentibus condescendere dicens ei: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quamobrem, *Relinquet* inquit *homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: quod Apostolus exponens, *Sacramentum* inquit *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Ipse enim patrem suum & matrem, id est, Synagogam, de cujus stirpe secundum carnem natus fuerat relinquens, adhæsit uxori suæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ: & sunt *duo in carne una*, sponsus & sponsa, caput & corpus, Christus & Ecclesia. Hæc autem coadunatio facta est in glorioso & nobilissimo illo thalamo, id est in beatæ Virginis utero, cujus adventum ipse Deus serpenti maledicto comminando, pronuntiat ita dicens; *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius*. Caput enim serpentis superbia est, quia & ipse ejectus est de cælo, & hominem ejecit de Paradiso, dicente Apostolo: *Initium omnis peccati superbia*. Hoc autem caput, id est, superbiam ipsa valde contrivit & per se & per semen suum, id est, Filium suum: per se quidem, cum dicit, *Ecce ancilla Domini*: per filium vero suum, qui cum Deus esset, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*. Verum de Adam & Eva ista sufficiant, nunc vero adhuc de Noe quomodo passionem Dominicam præsignaverit, unum exemplum ponamus & sic sermonem finiamus.

CAPUT X.

Quomodo nudus Noe passionem Christi figuraverit.

PLantavit inquit [b] *Noe vineam, & bibens vinum inebriatus est & nudatus in tabernaculo suo*. Per Noe in hoc loco personam Domini intelligimus, qui *Plantavit vineam*, populum scilicet Judaicum de quo in Psalmo dicitur: *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes & plantasti eam*. De hac & Isaias, *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi, & exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas*. Per vinum quod Noe bibit, intelligimus dilectionem quam Dominus ad populum Judaicum habuit. Licet enim totum mundum sanguine suo redemerit, tamen specialius pro eis se venisse testatur, dicens in Evangelio: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Hoc autem vinum tantæ fortitudinis fuit, ut bibens illud inebriatus sit: quod Apostolus exponens, *Propter nimiam* inquit *caritatem suam qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati*. Sicut enim ebrius sensu perdito non considerat quid faciat, sic & Dominus propter nimiam vim dilectionis, fecit quod numquam eum aliquis credidisset facturum, nec pertinere videbatur ad majestatis ejus excellentiam ut faceret: nasci videlicet de femina, lacte ejus ali, colaphis cædi, exspui, crucifigi & mori: sed hæc omnia quasi ebrius pertulit. Ne cui autem incredibile videatur, quod Noe ebrium figuram Domini gestare diximus, consideret quod per David dicitur: *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino*. Dicitur etiam in amoris Cantico, *Fortis est ut mors, dilectio*. Crapulatus ergo a vino, id est nimietate dilectionis erga nos flagrans, nudatus est in tabernaculo suo: quia in populo Judaico qui proprie tabernaculum & domus ejus esse debuit, exhonoratus & consputus, & etiam corporaliter a Pilati militibus vestimentis suis nudatus, & nudus in cruce fuit suspensus. Cham autem filius ejus minor qui patrem nudatum derisit, incredulum populum designat, id est eos qui Christum videntes nudum in cruce suspensum, irridentes eum & capita sua moventes dicebant: *Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei dilectus*. Per Sem vero & Japhet majores filios, Prophetæ & Apostoli designantur, qui videntes eum nudatum, vel in spiritu Prophetæ, vel in corpore Apostoli, non despexerunt sed honoraverunt eum. Ex his unus est Isaias, qui prospiciens eum nudatum dicit: *Non est ei species, neque decor, & vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum*: de-

[a] Gen. II, 23. [b] Gen. IX, 21

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1125.



spectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmatem. Et quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum. Cui alter consonans Paullus scilicet Apostolus, *Nos* inquit *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Sed evigilans Noe, non ipsum filium qui se deriserat, sed Chanaan filium ejus maledixit: duos autem qui se honoraverant, benedixit. Quia Christus resurgens ex mortuis & ascendens in cœlum, Prophetas quidem & Apostolos, omnesque qui prædicationi eorum crediderunt, secum glorificavit: semen vero incredulum puniri præcepit, sicut in supradicto psalmo dicitur: [a] *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* In posteriora quippe inimicos suos percussit, quia in posteros eorum qui se crucifixerunt, & in præsenti vita sententiam dispersionis & captivitatis, & in futura jaculum æternæ damnationis intorsit. Sed quia de Christi incarnatione & passione multa jam dicta sunt, tempusque est tam prolixi sermonis terminandi: ad dominam nostram misericordiæ matrem, iterum oculos vertamus: & per cujus benedictum fructum salvati sumus, in ipsa finem loquendi faciamus.

CAPUT XI.

Author vertit sermonem suum ad beatam Virginem, quam deprecatur ut misericordiæ matrem.

Est enim re vera mater illa de qua dicitur: *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quod mater esset omnium viventium.* Eva quippe illa recte dicitur mater morientium, quia per illius culpam omnes sententiam mortis incurrimus: hæc est autem mater viventium, quia per istam omnes vitam perditam recepimus. Sequentes enim Apostolum dicentem, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur:* & nos de gloriosa matre ejus dicere possumus; sicut per Evam omnes morimur, ita per Mariam omnes vivificamur. Paradisi namque porta per Evam cunctis clausa est, & per Mariam Virginem iterum patefacta est. De hac revera a Domino dictum convenienter potest intelligi: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Sicut enim cæteris corporalibus creaturis a Domino solo jussu creatis, hominem quem ad imaginem suam formavit per quem Christum significari intelligere possumus, quasi non sine consilio creare voluit dicens, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* ita & mulierem quasi per consilium creavit dicens: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quod de Eva quidem ad litteram nemo dubitat dictum, de sponsa vero simul & matre Dei sancta Maria, & per eam de sancta Ecclesia non minus prædictum, convenienter potest intelligi. Licet enim per Isaiam dicatur, *Si ego qui alios parere feci, ipse non pariam? dicit Dominus. Et si ego qui aliis generationem tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus.* Tamen ante beatam Mariam quasi sterilis fuit, qui quamvis omnia ut Deus creaverit, nullum tamen eo modo, quo postea filium peperit. Ubi vero dicente Deo *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, Unigenito filio suo carnem nostram quasi sponsam in utero beatæ Virginis tanquam in thalamo sociavit: & sicut dixit Adam, *Erunt duo in carne una*, ita Deum & hominem in uno Christo copulavit: illico sterilitate remota Deus parere cœpit illos filios, de quibus dicit Joannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ecce ergo quam competenter de domina nostra dictum intelligitur, *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Deus enim est pater rerum creatarum, & Maria mater rerum recreatarum. Deus qui de nihilo creavit omnia, voluit ea corrupta reparare sine Maria. Deus omnia eravit, & Maria Deum generavit: & quia Dei filium genuit Maria, sponsa utique Dei facta est Maria. Non tamen solum Deum Maria genuit, sed post illum & per illum multos filios Dei generavit, qui ei quotidie clament devote, *Pater noster qui es in cælis.* Illos filios non dedignatur bonus filius Mariæ fratres appellare dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: & Ite, nuntiate fratribus meis.* Denique filius Mariæ, frater noster est: & consequenter etiam Maria mater nostra est. O quid Mariæ debemus! Per Mariam Deus factus est pater noster, quia per illam Dei Filius factus est frater noster. Per Mariam Deus creator noster, factus est pater noster: per Mariam Deus Judex noster, factus est frater noster. Quid jam timendum nobis est, quando judex noster est frater noster: & Judicis nostri mater, est etiam nostra mater? Si propter peccata nostra, nobis forte iratus est judex noster: non desperemus, quia ipsius mater est etiam nostra mater. Placet ergo pia mater, pium filium reis filiis: reconciliet bona mater, iratum fratrem fratribus miseris. Scripsit de ea quidam bonus servus ejus, ille scilicet jam supra sæpe memoratus domnus Anselmus in quadam oratione ad eam facta, hoc modo: Meminimus, inquit, & meminisse delectabile est, quomodo apparens cuidam servo suo in extremis agenti, & interrogans utrum cognosceret: cum ille, *Minime domina*, tremens responderet: quam dulciter ei dixisti, *Ego sum misericordiæ mater.* Apud quam ergo rectius & confidentius miseri calamitates suas deplorabunt, quam apud te, quæ meruisti mater existere ejusdem Redemtoris & Judicis nostri? Te præfiguravit urna illa aurea, in qua Deo jubente positum est manna, panis scilicet Angelorum, quem per te manducavit humana natura. Hunc ergo panem, pia Mater porrige esurientibus filiis tuis: & ut illum digne percipere possint, sana in eis palatum interioris hominis. Quamvis enim ipse Filius tuus dicat, *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo:* terret nos tamen multum quidam de dapiferis ejus dicens: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Scimus enim revera tanti mysterii nos prorsus fore indignos, qui in multis eum offendimus. Ideoque licet eum desideremus, tamen conscientia intrinsecus graviter remordente, eum suscipere formidamus. Sed ad te confugientes mediatrix nostra quæ es post Deum spes sola, tibi peccata nostra confitemur: teque inter nos & Deum mediatricem & interventricem fieri

[a] Psalm. LXXVII. 66.

exoramus. Sed quid miseri faciemus? Angustiæ nos premunt undique. Cum enim Dei Filium offendimus, utique etiam matrem ejus quam ipse multum diligit, pariter offendimus. Quomodo ergo Filio reconciliari petimus per matrem, qui similiter offendimus matrem? Sed quia utrumque offendimus, ad utriusque misericordiam recurramus: & alteri per alterum reconciliari exoremus. Bona ergo mater, reconcilia bono filio tuo reos filios tuos. Bone frater, reconcilia bonæ matri tuæ reos fratres tuos. Bonus tu, & Bona tu: dulcis tu & dulcis tu. Bone ergo Domine & bona Domina, A dulcis frater & dulcis mater, obsecramus misericordiam vestram, quatenus sic præsens festum Natalis pii fratris & partus piæ matris, sic nos recolere concedatis: ut per illud festum ad æterna festa nos perducatis, ubi vos videamus, videntes gaudeamus, gaudentes collaudemus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1125.

Hic liber sanctæ Mariæ de Casa Dei scriptus [1] anno
Incarnati verbi millesimo centesimo quadragesimo nono.

1. Nunc Viconia, cœnobium Ordinis Præmonstratensis.

E X P L I C I T.



Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1137.

EXCERPTA
EX LIBRIS
S. GREGORII PAPÆ
SUPER
CANTICA CANTICORUM.

Hæc [1] Excerpta excerpsit Domnus GUILLELMUS Abbas sancti Theodorici Remensis, postea Monachus Signiaci.

CAPUT I.

ỳ. 1. *Osculetur me osculo oris sui*. Potest [2] per os Dei unigenitus Filius designari, quia sicut brachium ejus dicitur, quia per eum cuncta Pater operatur, de quo Propheta ait: *Brachium Domini cui revelatum est?* & de quo Joannes Evangelista dicit: *Omnia per ipsum facta sunt*: ita etiam os dicatur, per quem nobis omnia loquitur. Hinc est enim quod per Prophetam ait: *Os enim Domini locutum est hoc*: ac si oris nomine patenter diceretur verbum. Sicut nos quoque pro verbis linguam dicere solemus, ut cum Græcam vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca verba monstremus. Os ergo Domini non immerito i- B psum Filium ejus accipimus. Orat itaque sponsa ad Patrem sponsi & ait: *Osculetur me osculo oris sui*: ac si dicat, Tangat me dulcedine præsentiæ unigeniti Filii Redemtoris mei. Ac si [3] apertius diceretur, Ille qui ante Incarnationem suam tot mihi præcepta facienda per Prophetarum ora mandaverat, incarnatus ipse ad me veniens, ore suo proprio loquatur. Sancta quippe Ecclesia quot præcepta ejus prædicatione cognovit, quasi tot oscula oris ejus accepit. Unde & Matthæus cum præcepta ab eo dari in monte describeret, ait: *Aperiens os suum dixit*: ac si patenter dicat, tunc os suum in præceptis aperuit, qui prius aperuerat ora Prophetarum. De peccatrice muliere [4], quæ C pedes Domini quos lacrymis infundebat & capillis tergebat, osculari non cessabat, Pharisæo indignanti Dominus ait: *Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos*. Osculum dilectionis est signum. Per pedes vero ipsum mysterium incarnationis Domini intelligitur, quo Divinitas terram tetigit, quia carnem assumsit: *Verbum enim caro factum est, & habitavit in nobis*. Quem autem Pharisæus de falsa justitia præsumens, nisi Judaicum populum; quem peccatrix mulier sed ad vestigia Domini veniens & plorans, nisi conversam gentilitatem designat? Et infidelis ille populus Deo osculum non dedit, quia caritate amare eum noluit, cui ex timore D servivit. Vocata autem gentilitas, Redemtoris sui vestigia osculari non cessat, quia ejus continuo amore suspirat, mysterium Incarnationis ejus ex toto corde diligit. Et quia se Conditori suo obsequi per amorem parat, osculum ejus recte desiderat dicens, *Osculetur me osculis oris sui*.

Meliora sunt ubera tuo vino [5]. Ubera sponsi sunt A Prædicatores sancti, ista enim sunt ubera, quæ in arca peccatoris fixa, lacte nos potant, quia ipsi arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili prædicatione nos nutriunt.

v. 2. *Adolescentulæ dilexerunt te* [6]. Scriptura sacra sæpe adolescentem, pro novitate vitæ ponere consuevit: universæ quippe Ecclesiæ quæ unam Catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur: non jam vetustæ per culpam, sed novellæ per gratiam: non senio steriles, sed ætate mentis ad spiritualem congruæ fecunditatem [7]. Venienti igitur sponso dicitur, *Adolescentulæ dilexerunt te*: idest, Sanctorum animæ gratia baptismatis renovatæ, quæ non in vitæ veteris usu deficiunt, sed novi hominis conversatione decorantur.


v. 3. *In odorem unguentorum tuorum currimus*. Hoc [8] sponsa sponsum desiderans, ait. In Scriptura sacra, unguentorum odoribus opinio solet signari virtutum: unde & Paullus Apostolus virtutum laude fragrare se sciens ait: *Christi bonus odor sumus Deo*.

v. 4. *Nigra sum, sed formosa* [9]. Tanto fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi: *Quia humilia respicit, & alta a longe cognoscit*. Justi enim nequaquam de justitiæ luce superbiunt, sed per humilitatis gratiam, peccatorum in se nigredinem confitentur: hinc Joannes ait, *Si diximus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*.

v. 5. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi* [10]. Est quidam Fratres carissimi, quod me de vita Pastorum vehementer affligit, quod prædictæ sententiæ congruit: sed ne cui hoc injuriosum videatur fortasse, quod assero, me quoque pariter accuso. Ad exteriora enim negotia dilapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud officio actionis exhibemus: ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram ut video Episcopi vocamur: qui nomen honoris, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus; in pravis actionibus jacent, & correctionis manum non tendimus; quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostras? curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur; quanto ad ea quæ foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ ad cæleste desiderium animus

1. Ita Cod. Ms. Autographus Abbatiæ Signiaci.
2. Moral. lib. XXVII. cap. 10.
3. Lib. XIV. moral. cap. 20.
4. Homil. XXXIII. in Evangelia.
5. Lib. XXX. moral. cap. 10.
6. Lib. XIX moral. cap. 8.
7. Lib. XXIV. moral. cap. 4.
8. Hom. XXXIII. in Evangelia.
9. Moral. lib. XVIII. cap. 19.
10. Homil. XVII. in Evangelia.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137.



obdurescit, & dum ipso suo usu durus efficitur per A actionem sæculi, ad ea non valet emolliri, quæ pertinent ad caritatem Dei. Unde bene sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*. Vineæ quippe nostræ, actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus: sed custodes in vineis positi, nostram vineam minime custodimus: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus.

v. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Pascitur [1] Dominus, cum nostris actibus bonis delectatur: cubat vero in meridie, cum ex desideriis carnalibus ardenti corde reproborum discedens, apud electo- B rum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bonæ. Ferventior quippe in meridie æstus exardescit, & umbrosum locum Dominus quærit, quem æstus igne non afficit. In illis ergo cordibus Dominus requiescit, quæ amor præsentis sæculi non incendit, quæ carnis desideria non exurunt, quæ incensa suis curiositatibus, in hujus mundi concupiscentiis non arescunt. Unde & Mariæ dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Umbrosa igitur loca in meridie ad pascendum Dominus requirit, quia talibus mentibus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatæ corporalibus desideriis non uruntur. Plus ergo Maria peccatrix sed pœnitens pascebat intus, C quam Pharisæus Dominum pascebat foris: quia ab æstu carnalium Redemtor noster ad illius mentem fugerat, quam post vitiorum ignem, pœnitentiæ umbra temperabat.

v. 7. *Nisi cognoveris te, o pulcra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*. Solerter [2] electi quique a quo & ad quid creati sint, conspiciunt, & recta consideratione acceptæ imaginis, sequi vulgi multitudinem dedignantur. Unde sponsus sponsam suam alloquitur dicens: *Nisi cognoveris te o pulcra inter mulieres*, id est, nisi honorem tuum, quo ad similitudinem Dei es condita, bene vivendo cognoveris: a conspectu meæ contemplationis egredere, D & imperitorum vitam imitare populorum. Nam gregum nomine imperiti populi designantur. Semetipsam namque ea quæ est inter mulieres pulcra cognoscit, quando electa quæque anima etiam inter peccatores posita, quia ad authoris sui imaginem ac similitudinem sit condita, meminit, & juxta perceptæ similitudinis ordinem incedit. Quæ si se non cognoscit, egreditur: quia a secreto sui cordis expulsa, in exterioribus concupiscentiis dissipatur. Egressa vero abit post vestigia gregum, quia sua interna deserens, ad latam videlicet viam ducitur & sequitur exempla populorum. Nec jam agnos, sed hædos pascit, quia non innoxias cogitationes mentis, sed nutrire pravos motus carnis intendit. E

v. 7. *Donec rex in recubitu suo est, nardus mea dedit odorem suum* [3]. Ac si sancta Ecclesia in electis suis quamdam fragrantiam suavitatis odorata, apertius dicat: Quousque meis obtutibus, Rex apud se in requie secreti cælestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur: ut quo adhuc eum quem appetit non videt, ardentius per desiderium fragret. Rege quippe in suo recubitu posito, nardus odorem dat: dum in beatitudine sua quiescente Domino, Sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suavitatis administrat. Electorum enim virtutes proficientium, in ceterorum notitiam hominum, quasi suavitate fragrant odoris: hinc est enim quod per Paulum dicitur, *Christi bonus odor sumus Deo*.

CAPUT II.

v. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* [4]. In sancta Ecclesia nec mali esse sine bonis, nec boni sine malis possint: quousque namque hic vivimus, necesse est ut viam præsentis sæculi, permixti pergamus; tunc autem discernimur, cum pervenimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autem vita quæ inter cælum & infernum posita est, sicut in medio consistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nunc indiscrete suscipit, & post in egressione discernet. Si igitur boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerate malos: nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam suam testis est, quia bonus non est. Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Sic in natura areæ, grana sub paleis premuntur: sic flores, inter spinas oriuntur: & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo, unus horum electus est, alter reprobus fuit. Tres filios Noe arca continuit, sed duobus in humilitate persistentibus, unus ad patris irrisionem ruit. Duos filios Abraham habuit, sed unus innocens, alius vero fratris persecutor fuit. Duos filios Isaac habuit, unus in humilitate servatus, alter vero & prius quam nasceretur, reprobatus fuit. Duodecim filios habuit Jacob, sed unus ex his propter innocentiam venditus est, alii vero per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim Apostoli sunt electi, sed unus ex his commixtus est reprobis, qui eos persequens probaret, ne improbati remanerent. Septem sunt Diaconi ab Apostolis ordinati, sed sex in fide recta permanentibus, unus exstitit auctor erroris. Anteacta itaque Fratres carissimi tempora ad mentem reducite, & vos ad malignorum tolerantiam roborate. Si enim filii electorum sumus, restat necesse est, ut per eorum exempla gradiamur. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusavit: neque autem valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse: ita immensi præconii, bonum etiam inter malos exsistere. Hinc namque est quod de seipso beatus Job asserit dicens: *Pater fui draconum & socius struthionum*. Hinc Petrus magnis Loth laudibus extulit, quia bonum inter reprobos invenit, dicens: *Et justum Loth oppressum a nefandorum injusta conversatione eruit, aspectu enim & auditu justus erat: habitans apud eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant*. Qui nimirum cruciari non posset, nisi prava propinquorum opera & audiret & cerneret. Et tamen *aspectu & auditu justus* dicitur, quia iniquorum vita non delectando justi aures atque oculos, sed feriendo tangebat. Inde etiam beatus Job in terra gentilium inter iniquos vixisse describitur, ut ejus meritum virtutis exprimatur: & hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit, & juxta Sponsi præconium inter spinas lilium crevit. Hinc Paullus discipu-

1. Homil. XXXIII. in Evang. post medium.
2. Lib. XVI. moral. cap. 21.
3. Lib. XXXV. moral. cap. 13.
4. Homil. XXXVIII. in Evang. ante medium.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137.




lorum vitam & laudat & reprobat dicens: *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*. Ecce fratres carissimi [1], pene omnia percurrendo cognovimus, quia bonus non fuit, quem malorum pravitas non probavit. Nos autem conquerimur cur non omnes boni sunt qui nobiscum vivunt, quia mala proximorum ferre nolumus. Omnes sanctos jam debere esse decernimus, dum esse nolumus, quod ex proximis portemus. Sed hac in re patet, dum malos portare renuimus, quam multum adhuc ipsi de bono minus habeamus. Neque enim perfecte bonus est, nisi qui fuerit & cum malis bonus. Ut enim ita loquar, ferrum nostræ animæ nequaquam perducitur ad sublimitatem acuminis, si hoc non eraserit lima pravitatis. Sæpe etiam cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, & secretum vitæ remotioris eligere: videlicet ignorantes quia si desit spiritus, non adjuvat locus. Loth cum in Sodomis sanctus exstitit, in monte peccavit. Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui in Paradiso cecidit. Si locus salvare potuisset, sathan de cælo non caderet; unde Psalmista ubique in hoc mundo tentationes esse conspiciens, quæsivit locum quo fugeret, sed sine Deo invenire non potuit munitum. Ex qua re & ipsum sibi locum fieri petiit, propter quem locum quæsivit dicens: *Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum, ut salvum me facias*. Tolerandi ergo ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Unum vero est, pro quo vitari societas malorum debeat, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem sui & alios trahant: & cum ipsi a malitia sua non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paullus ait, *Corrumpunt mores bonos coloquia prava*. Et per Salomonem dicitur, *Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum homine furioso, ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ*. Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quoniam & illos sæpe trahunt ad rectitudinem, & ipsi ad perversitatem numquam trahuntur: ita infirmi quoque societatem declinare debent malorum: ne mala quæ frequenter aspiciunt & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic ergo verba proximorum audiendo, quotidie sumimus in mente, quemadmodum flando atque respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita, infirmantium inficit animum: ut tabescat delectatione pravi operis, assidua iniquitate sermonis. Sic autem justo & perfecto viro peccator cum malitia jungitur, sicut in fornace auro palea cum igne sociatur: ut quo ardet palea, purgetur aurum. Illi ergo veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt. *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi*. Obumbratio [2] in sacro eloquio aliquando Incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium a fervore carnalium cogitationum: unde & appellatione umbræ ex superna protectione hoc ipsum refrigerium cordis insinuatur, unde psalmista ait: *Sub umbra alarum tuarum protege me*. Sponsa itaque adventum sponsi præstolata, prænuntiat dicens: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi*. Hic per umbram, ex superna protectione refrigerium cordis exprimitur, ac si sponsa dicat: Ab æstu desideriorum carnalium sub adventu illius protectione requievi. Nam quod Dominica incarnatio servata veritate historiæ, obumbrationis appellatione signetur: Angelicus sermo testatur, qui ad beatam Mariam dicit, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Quia enim umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus: virtus ei Altissimi obumbravit, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumsit, ex qua videlicet obumbratione, omne in se refrigerium mentis accepit.

v. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Menti [3] sponsum suum fortiter amanti, devota vitæ præsentis una solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa ab ejus visione differtur; aliorum animæ ejus verbo proficiant, & ad cælestem sponsum amoris facibus inardescant. Merito quia differri se conspicit, triste est ei omne quod aspicit: quia illum adhuc non videt quem videre concupiscit. Sed est ut dixi, non parva consolatio: quod cum fervens anima differtur, per eam multæ colliguntur: ut tarde cum multis videat, quem sola videre citius volebat. Unde sponsa heic dicit, *Fulcite me malis, quia amore langueo*. Quid namque sunt flores, animæ bonum nisi jam opus inchoantes, & desiderio cælesti redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis, de initio sanctæ propositionis? Quæ ergo amore languet, fulciri floribus quærit & stipari malis, quia si illum quem desiderat, videre adhuc non permittitur: magna ei est consolatio, si de aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sancto amore languet, floribus malisque fulcitur: ut requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. Pensemus ergo qualis mens Paulli fuerat, qui dicebat quia, *Mihi vivere Christus est & mori lucrum*. Omnipotenti Deo in quanto amore se junxerat, qui sibi vitam tantummodo & mori lucrum esse deputabat? Hinc est quod iterum dicit, *Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius*. Sed ecce qui dissolvi desiderat, quo amore langueat, videmus: quia interim differri se conspicit, fulciri se floribus non requirit? Quærit plane, nam sequitur, *Permanere autem in carne necessarium propter vos*. Et proficientibus discipulis dicit, *Quæ est enim nostra spes aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum?*

Vulnerat a caritate ego sum. Duobus [4] modis omnipotens Deus vulnerat, quos ad salutem reducere curat. Aliquando enim foris in carne verbera eis admovet, ut virus delictorum curet. Aliquando etiamsi flagella exterius cessare videantur, intus vulnera infligit, qui mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit. Sed percutiendo sanat: quia terroris suo jaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis revocat. Corda enim nostra male sana cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi nec quamlibet minimo affectu languescunt. Sed vulnerantur ut sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque has sensibiles per ardorem caritatis reddit. Unde heic sponsa dicit, *Vulnerata caritate ego sum*. Male enim sana anima atque in hujus exsilii statum cæca securitate prostrata, nec videbat Deum, nec videre requirebat. Percussa autem caritatis ejus spicu-

1. Homil. IX. in Evang. post medium.
2. Lib. XXXIII. moral. cap. 3.
3. Homil. XV. in Evang. sub initium.
4. Lib. VI. moral. cap. 14.

SÆCUL. XII.
CIRCA
ANN. CHR.
1137.



lis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, & miro modo vivificatur ex vulnere, quæ prius mortua jacebat in salute. Æstuat, anhelat, & jam videre desiderat quem fugiebat, ejus desiderio ardet, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscit, præsentis vitæ longitudinem pœnam reputat, exire festinat, & amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere. Mens itaque quæ jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit, medullitus suspirat, fervet, anxiatur. Ipsa salus sui corporis, quæ transfixa est vulnere amoris: mala autem salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare jam in cæleste desiderium, & sentire vulnus amoris cœperit: fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute: & percussione ad salutem reducitur, quæ ad securitatem quietis intimæ, amoris sui perturbatione revocatur. Hoc amore & desiderio arsit, quisquis ad veritatem pertingere potuit. Hinc namque David ait, *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Hinc nos admonet dicens, *Quærite faciem ejus semper.* Hinc Esaias Propheta ait, *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Hinc ergo sancta Ecclesia, quæ ei dicit, Vulnerata charitate ego sum. Justum est ut ex visione medici pertingat ad salutem, qui per æstum ejus desiderii, vulnus amoris portat in pectore.

v. 6. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sic vobis [1] quæ suppetunt exterius, serviant, quatenus a supernæ dilectionis studio animum non inflectant: ne luctum nobis internæ peregrinationis temperent, ea quæ in exsilium positis, subsidium præbent: & quasi felices nos in transitoriis gaudeamus, quia ab internis nos interim miseros cernimus. Hinc est quod electorum voce heic dicit Ecclesia, *Læva ejus sub capite meo, dextera illius amplexabitur me.* Quid namque per sinistram, nisi vita præsens, quid vero per dexteram, nisi perpetua vita signatur? Sinistram Dei, prosperitatem videlicet præsentis vitæ quasi sub capite posuit, quam intensione summi amoris premit: Dextera vero Dei eam amplectitur, quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur. Hinc per Salomonem dicitur: *Longitudo dierum in dextera ejus, in sinistra vero illius, divitiæ & gloria.* Divitiæ itaque & gloria qualiter sint habenda docuit, quæ posita in sinistra memoravit. Hinc Psalmista ait, *Salvum me fac dextera tua.* Neque enim ait manu, sed dextera; ut videlicet cum dexteram diceret, quod æternam salutem quæreret, indicaret. Hinc rursum scriptum est, *Dextera manus tua Domine confregit inimicos.* Hostes enim Dei etsi in sinistra proficiunt, dextera franguntur: quia plerumque pravos vita præsens elevat, sed adventus æternæ beatitudinis damnat.

v. 8. *Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles.* Veniendo [2] quippe ad redemtionem nostram, Dominus quosdam ut ita dicam saltus dedit. Vultis Fratres carissimi ipsos ejus saltus agnoscere? de cælo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro redit ad cælum. Ecce ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit. Quia *Exsultavit ut gigas ad currendam viam*: ut

A nos ei ex corde diceremus: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Unde Fratres carissimi oportet ut illuc sequamur Dominum corde, ubi eum corpore credimus ascendisse.

Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. Cervorum quippe hinnulus Dominus appellatur, juxta assumtam carnem antiquorum filius Patrum, unde Apostolus: *Quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

v. 9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Redemtor [3] noster incarnatus pro nobis misericorditer, ante humanos oculos quasi post parietem stetit: B quia & per humanitatem visibilis apparuit, & sese invisibilem in divinitate servavit. Hinc enim Judæi, qui hunc ex Prophetarum sustinuerant promissione, perfidiæ suæ turbati sunt confusione; quia eum quem ad ereptionem suam venire crediderant, mortalem videbant. Miracula itaque ejus videntes, trahebantur ut crederent: sed rursum passiones illius perpendentes, dedignabantur Dominum credere, quem carne videbant mortalem: unde factum est ut de ejus cognitione dubitarent. Videbant enim esurientem, sitientem, comedentem, bibentem, lassessentem, dormientem: & purum hunc hominem esse existimabant. Videbant mortuos suscitantem, leprosos mundantem, cæcos C illuminantem, dæmonia ejicientem: & esse hunc ultra hominem sentiebant. Ipsa ejus miracula, in eorum corde cogitata humanitas perturbabat: unde sancta Ecclesia sub sponsi voce aperte speciem ejus videre desiderans in divinitate, nec tamen valens: quia æternitatis illius formam quam intueri concupiverat, ab ejus oculis assumta humanitas abscondebat. Mœrens heic dicit, *En ipse stat post parietem nostrum*: ac si aperte dicat, Ego hunc in divinitatis suæ jam specie videre desidero, sed adhuc a visione illius per assumtæ carnis parietem excludor. Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumsit ostendit, & in seipso invisibilis permansit: in aperto se videre quærenti- D bus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifestata majestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumsit, ostendit: & Divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde & subditur: *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quisquis enim per fenestras vel per cancellos respicit, nec totus videtur nec totus non videtur: sic nimirum Redemtor noster ante dubitantium oculos factus est. Quia miracula faciens, si nihil protulisset ut homo, plene eis apparuisset ut Deus: & rursus humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, purus putaretur homo. Sed quia & Divina fecit & humana tulit, quasi per fenestras vel per cancellos E ad homines prospexit: ut Deus & appareret ex miraculis, & lateret ex passionibus, & homo cerneretur ex passionibus, si tamen esse ultra hominem ex miraculis agnosceretur.

v. 10. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis advenit.* [4] Hiems quippe est vita præsens, in qua nos etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor adstringit, quia scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Ha-

1. Pastoralis parte 3. Admonitione 27.
2. Homil. XXIX. in Evang. sub finem.
3. Homil. XIII. in Ezech. sub finem.
4. Lib. XXVII. moral. cap. 14

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137.



bet hæc hiems imbres, rectorum procul dubio prædicationes, de quibus videlicet imbribus per Moysen dicitur: *Exspectetur sicut pluvia eloquium tuum, & descendant sicut ros verba mea.* Hi nimirum imbres hiemi conveniunt, æstate cessabunt: quia nunc cum carnalium oculis vita cælestis absconditur, necesse est ut sanctorum nobis prædicationibus irroretur. Cum vero æterni Judicii æstus incanduerit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit. Quia autem prædicationes sanctæ cum vita præsenti, id est imbres cum hieme cessabunt: recte [1] sanctæ Ecclesiæ vel animæ exeunti atque ad æterna æstiva properanti, & veri luminis diem quasi tempus vernale præstolanti, sponsi voce suadentis dicitur: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit.* Sive [2] enim sancta Ecclesia, seu una quæque electa anima, cælestis sponsi est amica per amorem, columba per spiritum, formosa per morum pulcritudinem. Quæ cum jam de corruptione carnis educitur, ei procul dubio hiems transit, quia præsentis vitæ torpor abscedit. *Imber quoque abiit, & recessit*; quia cum ad contemplandum in sua substantia omnipotentem Deum educitur: jam verborum guttæ necessariæ non erunt, ut pluvia prædicationis debeat infundi. Transeunte quippe hieme, imber recedit: quia cum vita præsens peragitur, in qua nos ignorantiæ nubilo carnis corruptibilis torpor astrinxerat, omne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe & amplius per nos tunc videbimus, hoc quod Sanctorum nunc vocibus obscurius & minus audimus. Tunc apparent flores in terra: quia cum de æterna beatitudine quædam suavitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi jam in floribus odoratur exiens. Postquam egressa fuerit, fructum uberius habebit, unde & subditur: *Tempus putationis advenit.* In putatione quippe sarmenta sterilia reciduntur, ut ea quæ prævalent, uberius fructum ferant. Nostræ itaque putationis tempus tunc advenit, quando infructuosam hanc nos jam corruptionem carnis deserimus, ut ad fructum animæ pervenire valeamus, qui fructus erit nobis uberrimus, visio Dei.

CAPUT III.

v. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum & non inveni. Surgam & circuibo per civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. Quæsivi illum & invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem* [3]. Sub uniuscujusque animæ specie hoc loquitur sponsa, sanctis desideriis animata, & occultis stimulis sancti amoris excitata. Sciendum est autem quod in sacro eloquio, Lectus, Cubile vel Stratum, secretum solet cordis intelligi. In lectulo igitur & per noctem Dilectus quæritur, quia nimirum invisibilis conditoris species expressa omni corporeæ visionis imagine in cubili cordis invenitur: quia intra secreta cordis cubilia, in tribulatione Spiritus desideratur. Dilectum [4] in lectulo quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie redemtoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi in illo jam mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Quem tamen quærens sponsa non invenit, quia electa A quæque anima jam quidem videre Deum concupiscit, jam ad eum exire desiderat, jam carere præsentis vitæ tenebris anhelat: sed quamvis amore magno desideret, adhuc tamen ei non conceditur videre quem amat, ut dilatus amor ex ipsa sua dilatione proficiat, & ardenti desiderio quasi quod negatur crescat: ut desideria dilata crescant, & crescentia quod invenerint accipiant. Sponsus ergo prius non inventus quæritur, ut post inventus strictius teneatur: sancta enim desideria dilatione crescunt, si vero dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Abscondit [5] itaque se sponsus cum quæritur, & differtur quærens sponsa ne inveniat: ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius B quandoque inveniat quod quærebat. Sed qui dilectum suum non invenit, restat ut surgat, civitatem circumeat, id est, sanctam electorum Ecclesiam mente & inquisitione percurrat; per vicos eum & plateas quærat, id est per angusta & lata gradientes aspiciat: & si qua invenire in eis valeat, ejus vestigia exquirat. Quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Sponsa itaque dilectum suum prius quærens & minime inveniens, rursus defectum inventionis ingeminat dicens: *Quæsivi illum & non inveni.* Sed quia diu inventio non elongat, si inquisitio non desistat, adjungit: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Quos enim [6] C vigiles qui custodiunt civitatem, nisi sanctos Patres & Prophetas atque Doctores debemus accipere: qui student ad custodiam nostram sanctæ prædicationis voce vigilare? Unamquamque ergo animam Redemtoris sui speciem requirentem, sancti Patres & solliciti Doctores inveniunt, qui Ecclesiæ statum custodiunt: quia bonis ejus studiis occurrunt, ut eam solo vel verbo scripto doceant. Sed cum Redemtorem suum Ecclesia quæreret, in ipsis Patribus & Doctoribus spem figere noluit, quæ dicit: [7] *Paullulum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Quippe invenire non posset, si istos pertransire noluisset. In istis se custodibus infideles fixerant, qui Christum Dei Filium D unumquemlibet esse illorum credebant. Voce autem ac fide Petri, vigiles inventos sancta Ecclesia transiit: quæ Prophetarum Dominum, unumquemlibet ex Prophetis credere contemsit. Ita [8] etiam visionis ejus mens avida, nisi Prophetarum æstimationem, nisi Patriarcharum celsitudinem, nisi Apostolorum & Doctorum cunctorumque hominum mensuram transcenderit, in eum qui est super homines non veniet. Quia Redemtor noster etsi humilitate homo inter homines, Divinitate tamen super homines fuit. Transire ergo *Vigiles*, est etiam eos quos miratur anima, in ejus comparatione postponere, in ipsis spem nolle figere. Cum ergo transeuntur *Vigiles*, Dilectus E invenitur: quia cum Prophetas & Apostolos & Doctores infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, esse supra homines consideramus: si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum credatur.

v. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & turis, & universi pulveris pigmentarii?* Heic sponsæ virtus sponsi voce laudatur. Sancta itaque electorum Ecclesia cum ab hoc mundo in sanctis precibus, ardenti amore se erigit, per desertum quod

1. Lib. XXVII. moral. cap. 14.
2. Homil. XVII. in Ezech. post medium.
3. Lib. VIII. moral. cap. 13.
4. Homil. XXV. in Evang. sub initium.
5. Lib. V. moral. cap. 4.
6. Lib. XVIII. moral. cap. 27. circa medium.
7. Ibidem.
8. Lib. XXVII. moral. cap. 1. post medium.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1137.

deserit ascendit. Qualiter vero ascendat, adjungit: *Sicut virgula fumi, ex aromatibus*. Fumus de incenso nascitur, & per Psalmistam dicitur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Fumus excutere lachrymas solet. Itaque fumus est ex aromatibus, compunctio orationis, concepta ex virtutibus amoris; quæ tamen oratio fumi virgula dicitur: quia dum sola cælestia postulat, erecta progreditur, ut ad terrena atque temporalia petenda, minime reflectatur. Sancta itaque [1] Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit, quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes diffluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Et notandum, quod oratio non virga, sed virgula nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tantæ subtilitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere, quam illuminatus meruit habere. Bene autem *myrrhæ & turis*: tus enim ex lege Domini in sacrificio incenditur, per myrrham vero mortua corpora condiuntur, ne vermibus corrumpantur. Myrrhæ ergo & turis sacrificium offerunt, qui & carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur: & redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent. Unde & illuc subditur, *Et universi pulveris pigmentarii*: pulvis enim pigmentarii, virtus bene operantis. Et notandum quod virtutes bene operantium non pigmenta, sed pulvis dicuntur: cum enim quælibet bona agimus, pigmenta offerimus; cum vero ipsa etiam bona quæ agimus retractamus, & ne quid in his sinistrum sit, judicio retractationis attendimus: quasi ex pigmentis pulverem facimus, ut orationem nostram per discretionem & amorem subtilius incendamus. Itaque [2] dum ea quæ agimus, recogitare semper ac retractare non desinimus: myrrham quidem & tus habemus in opere, sed pulverem in cogitatione. Per compunctionis ergo lacrymas, nihil terrenum Carissimi, nihil transitorium quærere debemus: solus ipse nobis sufficiat, qui fecit omnia. Transcendamus per desiderium omnia, ut mentem colligamus in unum, non jam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi, ardeamus in lacrymis cum odore virtutum.

v. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel*. Sancti [3] etenim quique sine ulla debilitate desiderii internam requiem contemplantur, quibus per Psalmistam dicitur: [a] *Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino*. Justi quippe sunt fortes carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis exstinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare, ad mundi pericula pro mundo toleranda an sint debiles studere, finem suum conspicere, vita præsens quam sit transitoria attendere, & pro ea renuere perpeti labores exterius, cujus delectationem vincunt extrinsecus.

v. 8. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*. Quid [4] in divina Scriptura per gladium figuretur, Paullus aperuit dicens: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Salomon itaque dum fortes spiritualis pugnæ describeret bellatores, non ait, *Omnes habentes gladios*, sed *tenentes*: quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habent quippe sed non tenent gladium, qui divinum quidem eloquium norunt, sed secundum illud vivere negligunt. Et doctus esse jam ad bella non valet, qui spiritualem quem habet gladium, minime exercet. Nam resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit.

Ibidem. *Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*. Hoc de fortibus [5] supernæ patriæ bellatoribus dicitur. Ensis super femur ponitur, quando sanctæ prædicationis acumine, prava suggestio carnis edomatur. Ensis [6] supra femur, est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Nocturni vero timores, sunt insidiæ tentationis occultæ. Per noctem quippe nostræ cæcitas infirmitatis exprimitur: quia quidquid adversitatis in nocte imminet, non videtur. Uniuscujusque ergo ensis super femur suum, propter timores nocturnos: quia videlicet sancti viri dum ea quæ non vident, metuunt; ad intentionem certam in his parati, semper assistunt. Sancti etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti: quippe quibus dicitur, *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore*: ut & de spe exsultatio, & de suspicione nascatur timor. Ne ergo nocturnus timor, id est, occulta & repentina tentatio subrepat, semper necesse est, ut femur nostrum superpositus custodiæ ensis premat.

Vers. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit propter filias Jerusalem*. Non est [7] credendum Salomonem tantæ magnitudinis regem, qui sic immersis divitiis affluebat, ut pondus auri ejus æstimari non posset, & argentum in diebus ejus pretium non haberet: quod ferculum sibi ligneum sicut heic sponsa loquitur, fecit. Sed est Salomon, Rex videlicet & pacificus noster: qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina, valde sunt imputribilia. *Ferculum* itaque Regis nostri sancta Ecclesia est, quæ de fortibus Patribus, id est de imputribilibus mentibus est constructa: quæ recte *Ferculum* dicitur, quia ipsa fert quotidie animam ad æternum convivium conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt, quia Prædicatores Ecclesiæ sanctæ, eloquii luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc quod a sanctis Prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis intimæ in qua reclinentur, inveniunt. Per hoc enim quod occulta aperte audiunt, in illud quod clarescit in corde, requiescunt. Columnæ ergo argenteæ, & reclinatorium aureum factum est: quia per lucem sermonis, invenitur apud animam claritas quietis. Ille jam quippe fulgor internus mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi prædicationis gratia non quæratur. De eadem quippe sancta Ecclesia scriptum est: [b] *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in specie auri*. Quæ enim heic spiritu mansuetudinis impleta, quasi columba pennas deargentatas habet, in posterioribus dorsi speciem auri continet: quia heic Prædicatores suos sermonis luce induit, in posteriori autem sæculo fulgorem in se claritatis ostendit. Sed ad hoc quod clarum intus ostenditur, qualis

a Psalm. xxx. 25. b Psalm. lxvii. 14.

1. Lib. I. moral. cap. 19. sub finem. 2. Ibidem.
3. Lib. vii. moral. cap. 8.
4. Lib. xix. moral. cap. 16. ad finem.
5. Pastoralis parte 3. Admonitione 3.
6. Moralium, lib. xx. cap. 5.
7. Homil. xv. in Ezech. in medio.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1137.

fit ascensus adjungit: cum de eodem ferculo protinus subditur, *Ascensum purpureum*. Vera quippe purpura quia de sanguine tingitur, non immerito in colore sanguinis videtur. Et quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ per Martyrii sanguinem pervenit ad regnum: Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo: quia ad clarum quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis pervenitur. Quid ergo nos miseri atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columnæ esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia necdum sicut oportet per intellectum spiritualem, requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro redemtore nostro sanguinem fundere non valemus. Quid ergo de nobis agendum est? Quæ spes erit, si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis præditus virtutibus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio. Amemus in quantum possumus Deum, diligamus proximum, & simul quoque nos ad Dei ferculum pertinemus: quia illic scriptum est: *Media caritate constravit*. Habe quippe caritatem, & ibi sine dubio pervenis, ubi & columna argentea erigitur, & ascensus purpureus tenetur. Nam quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, aperte monstratur, cum illis protinus subdidit: *Propter filias Jerusalem*. Sermo [illegible]nim Dei qui non *Filios*, sed *Filias* dicit, quid [illegible]id per sexum femineum, quam mentium infir[illegible]avit? Inter columnas autem argenteas, & [illegible]rium aureum, & ascensum purpureum, ines[illegible] caritas dicitur, propter filias Jerusalem: [illegible] qui virtutibus infirmantur, si ipsa bona quæ [illegible]nt facere cum caritate, non negligant, a Dei [illegible]lo alieni non sunt.

CAPUT IV.

Vers. 1. *Quam pulcra es amica mea, quam pulcra! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*. Sponsus [1] sponsam suam pulcram narrat & pulcram replicat, quia alia ei est pulcritudo morum, in qua nunc cernitur: atque alia pulcritudo præmiorum, in qua tunc per Conditoris sui speciem sublevatur. Cujus videlicet membra omnes electi, quia ad cuncta simpliciter incedunt. Ejus oculi columbarum vocantur, quia magna luce irradiant, quia & signorum miraculis coruscant. Sed quantum est hoc omne miraculum, quod videri potest? Illud de internis miraculum est mirabilius, quod videri nunc non potest, de quo illic aperte subditur: *Absque eo quod intrinsecus latet*. Magna quippe est gloria aperti operis, sed longe incomparabilis occultæ remunerationis. Pulcrum est omne hoc, quod quasi in cæli faciem divina dispensatione cernitur: sed longe illud & incomparabiliter pulcrius, ad quod invisibiliter pervenitur.

Vers. 2. *Dentes tui sicut grex tonsarum, ascendentium de lavacro*. Sanctæ [2] Ecclesiæ dentes accipimus sanctos Prædicatores, qui prædicationibus suis peccantium duritiam conterunt: qui non immerito detonsis ac lotis ovibus comparantur, quia innocuam vitam sumentes in lavacro baptismatis, conversationis pristinæ vellera vestuta posuerunt.

Vers. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua sponsa, & eloquium tuum dulce*. Vitta [3] crines capitis astringit. Quid autem per crines, nisi defluentes animi cogitationes accipimus? Labia ergo sponsæ sicut vittæ sunt, quia exhortatione sanctæ Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur, ne remissæ diffluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos deprimant: sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam recte & coccineam asserit, quia sanctorum prædicatio solo caritatis ardore flammescit.

Vers. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. In collo [4] guttur, in guttute vox est. Quid ergo per collum sponsæ, cui hæc a sponso dicuntur; nisi sacra sanctæ Ecclesiæ eloquia designantur? In quo dum mille clypei dependere memorantur, per hunc perfectum numerum numerus universitatis ostenditur: quia universa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla justorum. Si enim torpet animus a conditoris sui desiderio, audiat quod dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*. In odium fortasse labitur proximi? Audiat quod dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Res aliena concupiscit? Audiat quod illic scriptum est: *Non concupisces rem proximi tui*. De injuria quæ proximi ore vel facto illata est, ad iram mens accenditur? Audiat quod dicitur: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. In carnis concupiscentiam malis agitata mens accenditur? Ne sequatur oculus mentem, audiat quod paullo superius dictum est: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Contra inimicum forsitan quisquam animum suum relaxare disponit in odium? Audiat quod illic scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt*. Sed is qui aliena jam non rapit, adhuc forsitan sua inordinate retinet? Audiat quod illic dicitur: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*. Infirmantis animus perfrui desiderat Deo simul & sæculo? Audiat quod illic scriptum est: *Nemo potest duobus dominis servire*. Alius non ad necessitatem stipendii, sed ad voluntatem desiderii possessa retinet? Audiat quod illic dicitur: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Quidam enim relinquunt omnia, multi autem etiam possidendo renuntiant, quia sic ad usum possessa retinent, ut eis ex desiderio non succumbant. Torpere quisquam appetit, & laborem subire pro Domino etiam cum prævalet, refugit? Audiat quod illic scriptum est: *Qui mecum non colligit, dispergit*. In collo ergo Ecclesiæ, id est in sacri eloquii prædicatione, quod pro sua munitione & altitudine, turri David simile dicitur, mille clypei dependent: quia quot illic præcepta sunt, tot etiam pectoris nostri munitiones. Ad servandam itaque innocentiam, etiam læsi a proximo, perdurare in humilitate festinamus? Abel ante oculos veniat, qui & occisus a fratre scribitur, & non legitur reluctatus. Mentis munditia etiam in conjugali copula eligitur? Enoch debet imitari, qui & in conjugio positus *ambulavit cum Deo*, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Præcepta Dei festinamus præsenti nostræ utilitati præponere? Noe ante oculos veniat, qui cura domestica postposita, ex jussione omnipotentis Domini per centum annos ad arcæ fabricam vixit occupatus. Subire obedientiæ virtutem nitimur? Aspicere Abraham debemus, qui relicta domo, cognatione, patria, obedivit exire in locum quem ac-

1. Lib. IX. moral. cap. 6. sub finem.
2. Lib. XXXIII. moral. cap. 23. & Lib. XI. cap. 15.
3. Lib. II. moral. cap. 27. post medium.
4. Homil. XV. in Ezech. circa finem.

cepturus erat in hereditatem: *Et exiit, nesciens quo iret*. Qui paratus exstitit, ut pro æterna hereditate dilectum quem acceperat, occideret heredem: & quia unicum Deo offerre non distulit, universam multitudinem gentium in semine accepit. Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei oculis vitæ suæ tranquillitas ornavit. Laboriosa fortitudo ut obtineri debeat, quæritur? Jacob ad memoriam deducatur, qui postquam scit fortiter servire homini, ad eam quoque virtutem perductus est, ut non potuisset a luctante Angelo superari. Conamur carnis illecebras vincere? Joseph ad memoriam redeat, qui studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire: unde factum est, ut quia membra sua bene noverat regere, regendæ quoque omni Ægypto præesset. Mansueti esse quærimus? Moysem ante oculos deducamus, qui exceptis parvulis & mulieribus, sexcenta millia armatorum virorum regens; mitis fuisse describitur super omnes homines, qui habitabant super faciem orbis terræ. Rectitudinis zelo contra vitia accendimur? Phinees ante oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigens, castitatem populo reddidit, & iram Dei iratus placavit. De spe omnipotentis Dei præsumere in dubiis quærimus? Josue ad memoriam revocemus, qui dum dubia certamina certa mente adiit, ad victoriam sine dubietate pervenit. Jam mentis inimicitias ponere cupimus, in benignitate animum dilatare? Samuel in cognitionem deducatur, qui de principatu dejectus a populo, cum idem populus peteret ut pro eo Domino preces effunderet: respondit dicens [a] *Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis*. Culpam quippe vir sanctus se perpetrare credidit, si eis quos adversarios pertulerat usque ad ejectionem, benignitatem gratiæ non reddidisset in prece. Qui rursus cum jubente Domino mitteretur, ut David ungeret in Regem: respondit, *Quomodo vadam? Inveniet me Saul & occidet me*. Et tamen quia iratum Deum eidem Sauli cognoverat, in tanto se luctu afflixerat, ut ei per se Dominus diceret: *Quousque tu Saulem luges, cum ego illum abjecerim?* Pensemus ergo ejus animum quantus dolor caritatis incenderat, qui & illum flebat a quo timebat occidi. Cavere autem volumus, quem timemus? sollicita nobis mente pensandum est, ne si locum fortasse reperiremus, malum pro malo reddamus ipsi, quem fugimus. David ergo ad memoriam redeat, qui persequentem se Regem & invenit ut potuisset occidere: & tamen in ipsa feriendi potestate positus, elegit bonum quod ipse deberet facere, non autem malum quod ille merebatur pati, dicens: *Absit a me, ut mittam manum meam in christum Domini*. Et cum idem Saul post ab hostibus fuisset interemtus, eum quem persecutorem dum viveret pertulit, flevit occisum.

Errantibus hujus mundi potentibus, libere loqui decernimus? Joannis authoritas ad animum reducatur, qui Herodis nequitiam reprehendens, pro verbi rectitudine occidi non timuit. Et quia Christus est veritas, ipse ideo pro Christo, quia pro veritate, animam posuit. Carnem jam nostram pro Deo ponere in mortem festinamus? Petrus ad mentem veniat, qui inter flagella gaudet, qui cæsus principibus resistit, qui vitam suam pro vita despicit. Cum mortis appetitu, disponimus adversa contemnere? Paullus ante oculos deducatur, qui non solum alligari, sed & mori paratus pro Christo, non facit pretiosiorem animam suam, quam se.

A Succendi cor nostrum, igne caritatis quærimus? Joannis verba pensemus, cujus omne quod loquitur, caritatis igne vaporatur. Quia ergo in voce sacri eloquii, cujuslibet, dum quærimus, munimen virtutis invenimus: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Si enim pugnare contra spiritualia nequitiæ volumus, in collo Ecclesiæ quæ nobis sicut David turris erecta est, id est in divino eloquio, protectionis arma requiramus: ut ex discretione præcepti, contra vitia sumatur virtus adjutorii. Ecce enim contra aereas potestates festinamus fortes exsistere? In hac turri armaturam nostræ mentis invenimus, ut inde præcepta conditoris, inde sumamus exempla præcedentium, per quæ
B contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, & hanc illic a Patribus jam impletam vides, ibi armaturam tuam invenis, per quam contra spiritualia bella muniaris. Dependent quippe in ea mille clypei: si quis pugnare appetit, assumat, & ex ea virtute pectus muniat, & verborum jacula emittat. Et notandum, quia ædificata cum propugnaculis suis dicitur. Hoc quippe agunt propugnacula quod clypei, quia utraque pugnantem muniunt. Sed inter utraque distat, quia clypeum pro nostro munimine ubicumque volumus, movemus: propugnaculo autem deffendi possumus, sed hoc movere
C non possumus. Clypeus in manu tenetur: sed propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula & clypeos distat, nisi quod in sacro eloquio Patrum præcedentium & miracula legimus, & virtutes bonorum operum audimus? Ibi namque cognoscimus, quod alius potuit mare dividere, alius solem figere, alius mortuum suscitare, alius paralyticum verbo erigere, alius umbra ægrotos curare, alius per sua semicinctia infirmantium febribus obviare. Qui tamen omnes & patientiæ longanimitate mites, & zelo rectitudinis ferventes fuerunt, verbi prædicatione divites, simul & misericordiam largientes. Hi itaque quam vera de Domino dixerunt, testantur miracula: quia talia per
D eum non facerent, nisi de illo vera narrarent. Et quam pii, quam humiles, quam benigni exstierunt, testantur eorum operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium miracula conspicimus; & in fide quam ab eis accepimus, confirmamur. Quid ergo illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? Quia & muniri per illa possumus, attamen hæc in manu nostri arbitrii non tenemus, nam talia facere non valemus. Clypeus vero in manu est, & defendit: quia virtus patientiæ, virtus misericordiæ, præcedente nos gratia & in protestate est arbitrii, & a periculo protegit adversitatis. Tur-
E ris itaque nostra cum propugnaculis suis ædificata est, in qua mille clypei dependent: quia in Scriptura sacra & sub miraculis Patrum a jaculis abscondimur, & conversationis sanctæ munimina etiam in manu operis tenemus. Nolite [1] ergo Fratres carissimi dispicere scripta nostri Redemtoris, quæ ad nos missa sunt. Multum valde est quod per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis suæ frigore torpescat. Cum in illa præcedentes justos fortiter egisse cognoscimus, & ipsi ad fortitudinem bonæ operationis accingimur, sanctorum exemplorum flamma animus legentis incenditur. Videt itaque quæ fortiter ab eis facta sunt, & valde indignatur sibi, quia talia non imitatur.

Vers. 5. *Duo ubera tua sicut duo binnuli capreæ*

a I. Reg. xii. 23.

1. Ibidem, aliquanto antea.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137.



gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies & inclinentur umbræ. Debemus [1] fratres carissimi semper justorum vitam conspicere, ut subtiliter nostram possimus deprehendere: quod quidem omnes electi facere non cessant, quia meliorum vitam considerant, & deterioris usus conversationem mutant. Quæ enim sunt duo ubera sponsæ, cui loquitur sponsus? nisi ex Judæa & gentilitate veniens uterque populus, qui in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ, arcano cordis est infixus. Ex quo populo hi qui electi sunt, idcirco capreæ hinnulis comparantur, quia per humilitatem quidem parvos se & peccatores intelligunt: sed eis per caritatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obviant, transeunt; & latis contemplationis saltibus ad superna conscendunt. Qui ut hæc agant, præcedentium Sanctorum exempla conspiciunt, unde & in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus Deo*? Electi ergo ut assequi summa prævaleant, conspecta odorifera & candida justorum vita satiantur. Jam quidem videre Deum sitiunt, jam de ejus contemplatione satiari caritatis æstibus inardescunt: sed quia in hac vita positi necdum valent, præcedentium interim Patrum exemplis pascuntur. Unde & apte illic tempus de ipsorum liliorum pastu definitur, dum dicitur: *Donec adspiret dies, & inclinentur umbræ*. Tamdiu quippe refici justorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis umbras æterno die adspirante transeamus. Cum enim hujus temporalitatis umbra transacta hac mortalitate fuerit inclinata, qua ipsius diei internum lumen cernimus: nequaquam jam appetimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem quia necdum eum intueri possumus, summopere necesse est, ut eorum qui illum perfecte secuti sunt, conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quam pulcra est agilitas sequentium, & videamus quam turpis sit tepitudo pigrorum. Statim namque ut bene agentium gesta conspicimus, nosmet ipsos confusione intima ulciscente judicamus. Mox verecundia mentem concutit, mox juste sæviens reatus addicit, & vehementer hoc etiam displicet, quod adhuc fortasse turpiter libet. Qui itaque perduci ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum provectibus intendant: quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius quod admirentur, vident.

Vers. 8. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum*. Venienti [2] sponso dicitur, quod de cubilibus leonum coronabitur. Quid autem aliud Leonum nomine, quam dæmonia intelliguntur? quæ ira contra nos atrocissimæ crudelitatis insæviunt. Cubilia vero dæmoniorum, corda fuerunt iniquorum, quæ quia ad pravitatem propriam traxerunt, quasi in eorum habitatione requieverunt. Sed obstetricante manu Domini, leones de propriis cubilibus expulsi sunt: quia dum nobis divina gratia medetur, is qui nos tenuerat, a nobis antiquus hostis ejicitur: sicut incarnata veritas dicit. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Et quia peccatores ad fidem vocati sunt, quorum quondam corda, leonum cubilia fuerunt: dum vicisse mortem Dominus eorum confessione creditur, quasi de leonum

A cubilibus coronatur. Remuneratio quippe, victoriæ corona est. Toties ergo ei coronam fideles offerunt, quoties hunc vicisse mortem ex resurrectione confitentur.

Vers. 11. *Mel & lac sub lingua tua*. Plerique [3] justorum cum quosdam agere perverse conspiciunt, qui duris sunt increpationibus feriendi, in lingua asperitatem sumunt: sed sub lingua mentis suæ benignitatem contegunt. Qui enim mentis suæ dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, & tamen inter verba aspera quasi latentes quasdam dulcedines intermittunt: hi videlicet non in lingua, sed sub lingua habent dulcedinem. Quia inter dura quæ profe-
B runt, emittunt quædam blanda & dulcia, quibus contristati mens possit ex benignitate refoveri. Perversi autem & hypocritæ malum non in lingua, sed sub lingua habent, quia sermonibus dulcia prætendunt, & cogitationibus perversa moliuntur.

Vers. 16. *Surge aquilo & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*. Pro eo [4] quod ventus aquilo constringit in frigore, non incongrue torpor maligni spiritus designatur aquilonis nomine. Isaia quoque propheta testante, qui sessurum in lateribus aquilonis diabolum dixisse denuntiat. In lateribus enim aquilonis sedet, quia frigidas mentes hominum possidet. Per austrum vero qui nimirum calidus ventus est, non immerito fervor Spiritus Sancti desi-
C gnatur: quo quisque dum tangitur, ab iniquitatis suæ torpore liberatur: & quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriæ spiritualis ignescit. Aquilo itaque sponsi voce jubetur ut surgat, ut nimirum is qui mortalium corda in torpore restringit, adversarius spiritus fugiat. Cum autem jubente Deo frigidus spiritus recedit, calidus spiritus mentem fidelium occupat, qui hortum Dei id est sanctam Ecclesiam ut aromata ejus diffluant, perflat: quia nimirum dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus Spiritus veritatis impleverit: ab ea longe lateque odores boni operis spargit, ut opiniones virtutum ejus ad multorum notitiam velut aromata diffluant. Recedente etenim aquilone, id
D est maligno spiritu, Spiritus Sanctus mentem quasi auster replet: qui dum calefaciendo flaverit, statim de fidelium cordibus aromata virtutum fluunt. Et ex eis mox opinio virtutum aspergitur, ut jure jam Sanctorum lingua quasi hortus perflatus dicat, *Christi bonus odor sumus Deo*.

CAPUT V.

Vers. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. In Scriptura [5] sacra figurate positus, tribus modis somnus vel dormitio accipitur. Aliquando enim somno mors carnis, aliquando torpor negligen-
E tiæ, aliquando vero exprimitur, calcatis terrenis desideriis, quies vitæ. Somni namque vel dormitionis nomine mors carnis intimatur, sicut Paullus ait: [a] *Nolo vos ignorare fratres de dormientibus*. Et paullo post, *Ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*. Somno rursum torpor negligentiæ designatur, sicut ab eodem Paullo dicitur: [b] *Hora est jam nos de somno surgere*; & rursum, [c] *Evigilate justi & nolite peccare*. Somno quoque, calcatis carnis desideriis, quies vitæ signatur: sicut heic sponsæ voce dicitur, *Ego dormio &*

a I. Thessal. IV. 12. 13. b Rom. XIII. 11. c I. Cor. XV. 34.

1. Lib. XXIV. moral. cap. 6.
2. Lib. XVII. moral. cap. 20.
3. Lib. XV. moral. cap. 5. sub finem.
4. Homil. II. in Ezech. sub medium. Et lib. XXVII. moral. cap. 23. Et lib. IX. cap. 6. sub medium.
5. Lib. V. moral. cap. 22.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137

cor meum vigilat: ac si diceret, dum [1] per exteriores sensus ab hujus vitæ sollicitudinibus sopio, vacanti mente vivacius interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat: quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo. Sancta [2] etenim mens, quo se ab strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit; & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat. Vigilanti itaque corde dormit, qui per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit. Quisquis ea quæ mundi sunt agere appetit, quasi vigilat: quisquis vero internam quietem quærens, hujus vitæ strepitum fugit, velut obdormiscit.

Vers. 4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.* Larga [3] est misericordia creatoris nostri, quia sive Judaico & gentili populo, seu justis & peccatoribus, sed post peccata conversis, æque aditus regni cælestis aperitur. Non solis qui in innocentia permanent, sed etiam peccatoribus peccata sua pœnitendo damnantibus, aperiuntur cælestis regni gaudia, ut ineffabilia mysteria patriæ cælestis agnoscant, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Hæc interni gaudii secreta cognoverat, qui dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei!* Prædicator Gentium ad hunc aditum regni cælestis anhelabat cum diceret: *Cupio dissolvi & cum Christo esse.* Hæc exsultationis occultæ secreta cognoverat sponsa, quæ heic dicit: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.* Dilectus etenim manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat; Et venter in tactu ejus contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cælestis gaudii intellectu tangitur, ipsa sua exsultatione turbatur. Et fit menti pavor in lætitia, quia jam sentit quod de cæli gaudio diligat: & adhuc metuit ne non percipiat, quod vix tenuiter sentit. Quid igitur restat, nisi ut se ad perfectioris vitæ cursum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ cælestis agnoscunt?

v. 5. *Manus meæ stillaverunt myrrham: digiti mei pleni myrrha probatissima.* Hoc [4] sancta Ecclesia de suis operariis usque ad mortem pro Deo certantibus, dicit. Per myrrham namque carnis nostræ mortificatio figuratur. De Magis qui ab Oriente venerunt in Bethleem adorare Dominum, scribit Evangelista: [a] *Et apertis thesauris suis obtulerunt Domino aurum, tus & myrrham.* Myrrham quoque nos ipsi offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus: per myrrham namque ut diximus, agitur, ne mortua caro putrefiat. Mortuam vero carnem putrescere, est hoc mortale corpus fluxu luxuriæ desævire: sicut de quibusdam per Prophetam dicitur, *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Jumenta quippe in stercore suo computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Myrrham ergo Deo offerimus, quando hoc mortale corpus a luxuriæ putredine per condimentum continentiæ custodimus.

v. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Mens [5] hominis conditoris sui speciem

A non quærentis male dura est, quoniam in seipsa remanet frigida. At dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, a statu suæ fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur, desiderio liquatur: & cum ardere jam ex desiderio cœperit, ad sequendum quem diligit, liquefacta per ignem amoris currit; & tanto frigescit a studio sæculi, quanto surgit ardentior in amore Dei. Fit desiderio anxia, vilescunt in sæculo cuncta quæ placebant, nihil est extra Conditorem quod libeat: & quæ prius delectabant animum, fiunt postmodum vehementer onerosa. Nihil ejus mæstitiam consolatur, quousque adhuc qui desideratur, non aspicitur. Mæret mens, lux ipsa fastidio est, talique igne in mente
B decoquitur rubigo culpæ: & succensus animus quasi auri more, quia per usum speciem perdidit, per incendium clarescit.

Ibidem. *Quæsivi & non inveni illum, vocavi & non respondit mihi. Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, vulneraverunt me. Tulerunt mihi pallium meum custodes murorum.* Dilectum [6] quærens sponsa non invenit, quoniam electa quæque anima jam quidem amoris ejus facibus fragrat: sed etiam quæsiti negatur species, ut amantis desiderium crescat. Et quasi in siti aqua subtrahitur, ut ejusdem sitis æstus augeatur: & quo hanc diutius sitiens desiderat, eo quan-
C doque cum venerit, avidius sumat. Sed hanc quærentem vigiles inveniunt, eamque vulnerant & ejus pallium tollunt: quia unamquamque animam Redemtoris sui speciem jam requirentem cum solliciti Doctores inveniunt, hanc per prædicationis verbum cælestis amoris spiculis vulnerant. Et si quod ei adhuc de vetusta conversatione tegmen inest subtrahunt, ut quo exuta ab hujus mundi onere redditur, eo is qui quæritur, ab illa citius inveniatur.

v. 11. *Caput ejus, aurum optimum.* Appellatione [7] auri, ipsa intima Divinitatis claritas designatur, cum a sponsa species sponsi describitur. Quia enim caput Christi Deus, nihil vero est in me-
D tallis auro fulgentius: Sponsi caput *Aurum* dicitur, quia ejus humanitas ex Divinitatis suæ nobis claritate principatur.

CAPUT VI

v. 3. *Pulcra es amica mea, suavis & decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Sancta [8] universalis Ecclesia sub specie dilectæ describitur, quia enim Jerusalem visio pacis interpretatur, cujus nomine patria cælestis exprimitur: sancta Ecclesia suavis & decora ut Jerusalem dicitur, cujus vita & desiderium visioni jam pacis intimæ comparatur. Ut in eo quod aucto-
E rem suum diligit, quod ejus speciem videre concupiscit, de quo scriptum est: *In quem desiderant Angeli prospicere*: per ipsa jam amoris sui desideria Angelis similis dicatur, quæ quantum Deo amabilis efficitur, tanto agitur ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem fit terribilis, subjuncta comparatione ostenditur, id est *Ut castrorum acies ordinata.* Quid est quod sancta Ecclesia hostibus suis ut *Castrorum acies* sit timenda? Non enim a magno intellectu vacat ista com-

a Matth. II. 11.

1. Lib. XXIII. moral. cap. 12. post medium.
2. Lib. V. moral. cap. 22.
3. Homil. XIX. in Ezech. ante medium.
4. Homil. X. in Evang. sub finem.
5. Lib. IV. moral. cap. 30. & Homil. XXV. in Evangelia post initium.
6. Lib. XXVII. moral. cap. 1.
7. Lib. XXXIV. moral. cap. 13.
8. Homil. VIII. in Ezechielem.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137.




paratio, & idcirco est subtiliter intuenda. Scimus & constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando fuerit ita constipata atque densata, ut in nullo loco videatur interrupta. Nam si ita disponitur ut locus vacuus per quem hostis possit ingredi, dimittatur; profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra spiritus malignos spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necessarium est: ut per caritatem semper uniti atque constricti, & numquam interrupti per discordiam inveniamur. Quia quælibet in nobis bona opera fuerint, si caritas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat intrare. Antiquus vero hostis inveniens castitatem in nobis, si sine caritate fuerit, non timet; quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur, qui necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi caritas desit, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem caritatem in nobis veram, id est humilem amorem quem nobis vicissim impendimus timet, & nimis concordiæ nostræ invidet: quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens, amisit in cælo. Bene ergo dicitur, *Terribilis ut castrorum acies ordinata*: quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per caritatis concordiam unitos contra se & conglobatos aspiciunt. Quanta autem sit concordiæ virtus ostenditur, cum sine illa virtutes reliquæ, virtutes non esse monstrantur. Magna enim est virtus abstinentiæ: sed si quis sic ab alimentis abstineat, ut ceteros in cibo dijudicet, & alimenta eadem quæ Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, in fidelibus etiam damnet: quid huic virtus abstinentiæ facta est, nisi laqueus culpæ? Unde Psalmista, quoque nullam esse abstinentiam sine concordia designans, ait: *Laudate eum in tympano, & choro*. *In tympano* enim curvum siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per *Tympanum* nisi abstinentia, & quid per *Chorum* nisi caritatis concordia designatur? Qui itaque sic abstinentiam tenet, ut concordiam deserat: laudat quidem in *Tympano*, sed non laudat in *Choro*. Et sunt nonnulli, qui dum sapere plusquam necesse est student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt: unde per se Veritas admonet dicens; *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*. Quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est, quatenus a pace concordiæ numquam recedat. Quod vero de his duabus virtutibus diximus, hoc de ceteris omnibus sentiendum est. Unde Paullus terribiliter admonet dicens, *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Quia autem nihil sine concordia Deo placeat, ipsa per se Veritas demonstrat, dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus deliquit adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Ecce a discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiæ; propter quod & illud abjicitur, per quod culpa laxatur. Recte ergo sancta Ecclesia terribilis dicitur ut *Castrorum acies ordinata*, quia electi qui castra spiritualis exercitus sunt, quoniam bellum contra potestates aereas susceperunt, semper in caritate sunt conjuncti: & hæc eadem eorum caritas malignis spiritibus, id est antiquis suis hostibus pœnam incutit timoris.

v. 6. *Sicut cortex mali punici, genæ tuæ absque occultis tuis*. Genæ [1] quippe sunt sanctæ Ecclesiæ spirituales patres, qui pro eo quod caritate pleni sunt, carnem abstinentia domant, corda audientium prædicationis lumine illustrant, signa faciunt, virtutes operantur, miraculis coruscant. Per hoc quod eorum bona nobis foris innotescunt, non immerito in facie sanctæ Ecclesiæ venerabiles apparent. Cum enim videmus multos mira agere, ventura prophetare, mundum perfecte relinquere, cælestibus desideriis ardere, *Sicut cortex mali punici*, sanctæ Ecclesiæ genæ habentur. Sed quid est illud omne quod miramur, in illius rei comparatione de qua scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se?* Bene ergo cum miraretur genas Ecclesiæ, tunc subdit, *Absque occultis tuis*: ac si aperte diceretur, ea quidem quæ in se non latent, magna sunt; sed illa valde inæstimabilia, quæ latent.

v. 9. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* Aperte [2] sancta ecclesia quam sponsus heic admiratur, auroræ comparata describitur: quæ peccati tenebras deserens ad lucem jam erupit æternitatis, quæ per cognitionem fidei a peccatorum suorum tenebris in clara luce justitiæ permutatur. Quia enim aurora a tenebris in lucem vertitur, non immerito auroræ nomine, omnis electorum Ecclesia designatur. Ipsa namque dum ab infidelitatis nocte ad lucem fidei ducitur, velut auroræ more in diem post tenebras splendore supernæ claritatis aperitur. Sancta itaque ecclesia cælestis vitæ præmia appetens, aurora vocata est: quia dum peccatorum tenebras deserit, justitiæ luce fulgescit. *Quasi aurora consurgit*, quia pravitatis pristinæ tenebras deserit, & sese in novi luminis fulgorem convertit. Habemus tamen subtilius aliquid, quod considerata qualitate auroræ pensemus. Aurora namque noctem quidem interisse nuntiat, nec tamen diei claritatem ostendit: sed dum illam pellit, hanc suscipit, lucem tenebris permixtam tenet. Quid itaque in hac vita, omnes qui veritatem sequimur, nisi aurora sumus? Quia & quædam jam quæ lucis sunt, agimus: & tamen quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus. Per prophetam quippe Deo dicitur, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Rursumque scriptum est: *In multis offendimus omnes*. Paullus quoque ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem sub lege peccati, quæ est in membris meis*. Ubi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profecto adhuc aurora est; quia lux quæ jam emicuit, necdum prætereuntes tenebras funditus pressit. Adhuc aurora est: quia dum lex carnis legem mentis, & lex mentis legem carnis percutit, inter se vicissim lux & umbra confligit. Unde rursum Paullus cum diceret: *Nox præcessit*: nequaquam subdidit, *Dies venit*; sed *Dies autem appropinquavit*. Qui enim post discessum noctis non jam venisse, sed appropinquasse diem insinuat; esse se procul dubio ante solem post tenebras adhuc in aurora demonstrat. Tunc autem plene sancta electorum ecclesia dies erit, quando interni luminis perfecto fervore claruerit. Tunc plene dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memoriam tolerans, omnes a se tenebrarum etiam reliquias absconderit. Nunc autem adhuc

1. Homil. x. in Ezech. in medio.

2. Lib. IV. moral. cap. 14. in medio, & lib. XXIX. cap. 2.



tentationum molestias sustinens, quia per intentionem cordis ad aliud festinat ecclesia, ad locum suum progreditur consurgens quasi aurora. Quis est enim locus auroræ, nisi perfecta caritas visionis æternæ? Ad quem cum perducta venerit, jam de transactæ noctis tenebris nihil habebit. Quem locum si mente non cerneret, in hujus vitæ tenebris remaneret. Sed dum quotidie augeri locum suum jam conspicit, & plene sibi clarescere solem quærit, locum suum aurora considerat, quando sancta anima ad contemplandam conditoris sui speciem flagrat. Ad locum suum pertingere aurora satagebat, cum David diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Ad hunc locum quem cognoverat, pervenire aurora festinabat: cum desiderium habere se diceret *dissolvi & cum Christo esse*. Et rursus; *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Et rursum, *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*. De hac aurora beatus Job loquitur dicens: *Sit nox illa solitaria nec laude digna, exspectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ* [1]. In illa igitur luce quæ in districti judicis adventu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt: quia cum districtus judex ad retributionem venerit, iniquus quisque suorum caligine meritorum pressus, quanta claritate sancta ecclesia in intimum lumen cordis surgat, ignorat. Tunc namque electorum mens in altum rapitur; ut divinitatis radiis illustretur; & quo ejus respectu perfunditur, eo ultra se gratia corruscante sublevatur. Tunc sancta ecclesia plena aurora fit, cum mortalitatis atque ignorantiæ suæ tenebras funditus amittit. In judicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies; quia etsi jam cum restauratione corporum videre lumen in judicio inchoat, ejus tamen visum in regno plenius consummat. Ortus itaque auroræ, est exordium clarescentis ecclesiæ; quem videre nequeunt reprobi, quia a conspectu districti judicis malorum suorum pondere ad tenebras pressi pertrahuntur: unde recte quoque per prophetam dicitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*.

CAPUT VII.

v. 4. *Nasus tuus, sicut turris Libani*. Quæ [2] rogo laus est fratres carissimi, ut sponsæ nasus sponsi voce turri comparetur? Sed quia rem quam oculis non cernimus, plerumque odore prævidemus, per nasum quoque semper odores fœtoresque discernimus: quid per nasum ecclesiæ, nisi sanctorum & prælatorum provida discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur, ut hostis veniens a longe videatur. Recte ergo nasus ecclesiæ, turri quæ est in Libano, similis dicitur: quia sanctorum provida discretio dum sollicite circumquaque conspicit, in altum posita; priusquam veniat culpa, deprehendit: eamque quo vigilantius prænotat, eo fortius declinat. Recte nasus ecclesiæ, turri quæ est in Libano similis dicitur: quia discreta sanctorum providentia ita in alto sita est, ut tentationum certamina & priusquam veniant, &

A contra ea dum venerint, munita subsistat. Quæ enim futura prævidentur, cum præsentia fuerint, minoris virtutis fiunt: quia dum contra ictum quisque paratior redditur, hostis qui se inopinatum credidit, eo ipso quo prævisus est, enervatur. Recte nasus ecclesiæ, turri quæ est in Libano similis dicitur: quia videlicet præpositorum discretio & munita semper debet esse ex circumspectione, & in altitudine vitæ consistere, id est in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes qui veniunt, longius videantur: sic prædicatoribus vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium dis-

B cernat fœtores vitiorum odoresque virtutum, incensus malignorum spirituum longe prospiciat, & commissas sibi animas per suam prudentiam cautas reddat. Esse ergo [3] speculatoris vita & alta debet semper & circumspecta. Neque hoc speculatori sufficit ut alte vivat, nisi & alte loquendo ad alta auditores suos pertrahat: eorumque mentes ad amorem cælestis patriæ loquendo succendat. Ne enim terrenarum rerum amori succumbat, alta fit: ne occulti hostis jaculis feriatur, ex omni latere sit circumspecta.

v. 12. *Mane surgamus ad vineas: videamus si vinea floruit, si flores fructus parturiunt*. Florent [4] quippe vineæ, cum mentes fidelium bona opera


C proponunt: sed fructus non parturiunt, si ab eo quod proposuerunt, aliquibus victi erroribus infirmantur. Non ergo intuendum est si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant: quia mirum non est si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Unde fit plerumque, ut si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus bonum quod creditur, amittatur. Pensandum namque nobis est, qualiter vinea in primo flore læditur. Si florentem vineam per inæqualitatem aeris immoderatum frigus attigerit, protinus ab omni humore viriditatis arefacit. Et sunt [5] nonnulli qui

D post perversa itinera, sanctas vias sectari appetunt: sed priusquam in eis, ut diximus, desideria bona roborentur, quædam illos præsentis sæculi prosperitas accipit. Quæ eos rebus exterioribus implicat, & eorum mentem dum calorem intimi amoris retrahit, quasi ex frigore exstinguit: & quidquid in eis de virtutum flore apparere videbatur, interficit. In terrenis quippe actibus valde frigescit animus, si necdum fuerit per intima dona solidatus. Unde necesse est ut loca majora vel exteriora opera quæ sint humanis necessitatibus profutura, illi suscipiant exercenda: qui hæc dijudicare atque sub semetipsis premere ex intima virtute noverint. Nam cum infirmus quisque, vel ad locum regi-

E minis vel ad exteriora agenda retrahitur: quo quasi extra se ducitur, eradicatur. Quia & arbor quæ radices in altum prius non mittit, citius ventorum impetu sternitur, si se ad altum verticis extollit: eoque citius ad ima corruit, quo altius in aere sine radicibus excrevit. Nonnumquam vero florentem vineam non frigus, sed æstus arefacit, cumque immoderato calore tangitur, discusso flore botrus tabescit. Et plerumque contingit ut hi qui ad bona recta intentione non veniunt, cum placere se hominibus vident, ad exercenda hæc eadem opera, vehementius accendantur: humanis placitu-

1. Lib. IV. moral. cap. 4. in medio.
2. Pastoralis 3. parte admon. 33. & lib. XXXI. moral. cap. 27. post medium. Item homil. XI. in Ezechielem post initium.
3. Homil. XI. in Ezech. paullo ante prædicta.
4. Lib. XII. moral. cap. 24.
5. Ibidem, paullo antea.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1137



ra oculis agere anxie studeant, & quasi in sancto studio fervescant. Quid itaque istos, nisi in flore astus contigit, quos humanæ laudis appetitio, a fructu alienos fecit? Sed sciendum est quod hæc semper eis eveniunt, qui Deum puro ac simplici studio non sequuntur.

CAPUT VIII.

v. 5. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Nimirum [1] sancta Ecclesia nisi verborum Dei deliciis afflueret, de deserto vitæ præsentis ascendere ad superiora non posset. Deliciis ergo affluit & ascendit, quia dum mysticis intelligentiis pascitur, ad superna quotidie contemplanda sublimatur. Deliciis affluere, est in amore omnipotentis Scripturæ sacræ deliciis satiari: in cujus nimirum verbis tot delicias invenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus. Ut modo nuda nos pascat historia, modo sub textu litteræ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria, modo ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris jam de lumine æternitatis intermicans. Et sciendum quod quisquis deliciis affluit, in quadam sui parte resolvitur, atque a laboris studio quasi ex lassitudine relaxatur: quia nimirum anima cum interius deliciis abundare cœperit, terrenis jam operibus incubare minime consentit. Sed amore Conditoris capta est, & sua captivitate jam libera, ad contemplandam ejus claritatem deficiendo suspirat, & quasi lassescendo convalescit: quia dum sordida onera portare jam non valet, ad illum per quietem properat, quem intus amat. Hinc etiam Psalmista ait: [a] *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*: quia dum per intellectum mysticum studiosa mens reficitur, jam in ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur. Ut etiam in hujus corruptionis caligine in intellectum illius vis futuri luminis erumpat: & verborum deliciis pasta prægustando discat, quid de pabulo veritatis esuriat.

Quæ est ista, quæ ascendit, dealbata? Quia [2] sancta Ecclesia cælestem vitam naturaliter non habet, sed superveniente Spiritu, pulcritudine donorum componitur: non alba, sed dealbata, sponsi voce memoratur. Unde etiam cum hæretici in Ecclesia superbientes increparentur, fideles quique veraciter humiles, tincturæ mundissimæ nominati sunt, cum a beato Job dicitur, [b] *nec tincturæ mundissimæ componentur*. Tincturæ mundissimæ vocantur, hi qui veraciter sunt humiles & veraciter sancti, qui sciunt quidem quia ex semetipsis virtutum speciem non habent, sed hanc ex dono gratiæ supervenientis tenent: tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent. Sed mundissimæ tincturæ sunt, quia humiliter custodiunt supervenientem in se virtutum gratiam, quam acceperunt. Tincturæ mundissimæ recte nominantur, hi qui prius per prava opera fœdi fuerant, superveniente tamen Spiritu, nitore gratiæ vestiuntur, ut longe aliud appareant esse, quam erant. Unde etiam baptisma, id est tinctio dicitur, ipsa nostra in aquam descensio. Tingimur quippe, & qui prius indecori era- A mus deformitate vitiorum, accepta fide reddimur pulcri gratia & ornamento virtutum.

v. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum*. Solet [3] Scriptura sacra pro fide appellare signaculum, nam filius junior qui consumta substantia ad patrem rediit, in munere annulum accepit. Gentilis enim populus qui immortalitate perdita ad Deum pœnitendo revertitur, per fidei signaculum munitur. Iccirco autem signaculum rebus ponitur, ne qua dicipientium præsumtione temerentur. Sponsus ergo qui heic Ecclesiæ loquitur, in cor signaculum ponit, quando fidei ejus mysterium in custodia nostræ cogitationis imprimitur: ut ille infidelis servus nimirum noster adversarius, cum signata fide corda considerat, tentando ea irrumpere non præsumat.

Ibidem. *Fortis est ut mors, dilectio.* Fortitudo [4] caritatis vera sanctæ Ecclesiæ voce laudatur, & virtuti mortis dilectio comparatur: quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium, & a dilectione mundi mentem quam semel cœperit, æternæ vitæ caritas funditus occidit. Nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit, & tanto huic violentius in auctoritatem erigit, quanto & insensibilem contra terrores reddit. Quisquis [5] enim in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur: dum nihil habet in mundo quod appetat, nihil est de mundo quod pertimescat. An non Paullus igne hujus dilectionis ardebat, qui dicebat: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita neque Angeli neque Principatus; neque instantia, neque futura; neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro?*

v. 8. *Soror nostra parvula est, & ubera non habet*. Sicut [6] uniuscujusque hominis, sic sanctæ Ecclesiæ ætas describitur. Parvula quippe tunc erat, cum a nativitate recens, verbum prædicare non poterat: quia nimirum priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusdam auditoribus præbere non potuit ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando verbo Dei copulata, Spiritu sancto repleta, per prædicationis mysterium in filiorum conceptione fœtatur, & quos exhortando parturit, convertendo parit.

v. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam*. Ecclesia [7] quippe cui hæc sponsi colloquio dicuntur, in hortis habitat, quæ ad viriditatem intimam exculta, plantaria virtutum servat. In hortis est sancta Ecclesia, in hortis unaquæque anima habitat, quæ jam viriditate spei & bonorum operum fertilitate repleta est. Sicca quippe species hujus sæculi, quia omnia quæ heic amantur, cum festinatione marcescunt. Et Petrus Apostolus nos festinare admonet dicens: *In hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcessibilem*. Quæ ergo jam in hortis habitat, oportet ut sponsum suum vocem suam audire faciat: id est in tantum bonum prædicationis emittat, in qua ille delectetur quem desideret. Quam videlicet vocem sponsus audire desiderat, quia ad prædicationem ejus per electorum suorum animas

a Psalm. CXXXVIII. 11. *b* Iob. XXVIII. 19.

1. Lib. XVI. moral. cap. 9.
2. Lib. XVIII. moral. cap. 27. in fine.
3. Lib. XXIX. moral. cap. 4.
4. Lib. X. moral. cap. 32. in fine.
5. Aliquanto antea.
6. Lib. XIX. moral. cap. 9.
7. Pastoralis parte 3. admon. 26.

anhelat. Quia *Amici auscultant*, videlicet omnes electi, qui ut ad cælestem patriam revivifcant, verbum vitæ ab ea, verbum prædicationis illius audire desiderant. Quisquis igitur in sancta Ecclesia videndo spiritualia proficit, oportet ut hæc loquendo, etiam aliis propinet. Videt quippe ut annuntiet, qui in se proficit, etiam prædicando de profectu proximi curam gerit. Unde & alibi scriptum est: [a] *Qui audis, dicat, Veni*. Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in voce: & iccirco alium vocet, quia jam ipse vocatus est.

v. 14. *Fuge dilecte mi, fuge*. Fugit [1] nos, dicimus, quoties menti nostræ id quo reminisci volumus, non occurrit: fugit nos, dicimus, quando id quod volumus, memoria non tenemus. Sancta ergo Ecclesia postquam mortem ac resurrectionem Domini ascensionemque descripsit, clamat ei prophetico plena spiritu: *fuge dilecte mi, fuge*. Ac si diceret, Tu qui ex carne comprehensibilis factus es, ex Divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, & in teipso nobis incomprehensibilis permane. Unde [2] recte per Psalmistam dicitur: *Caligo sub pedibus ejus, & ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum*. Caligo est namque ei sub pedibus, quia non ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. *Ascendit* enim *super Cherubim & volavit*: Cherubim quippe plenitudinem scientiæ dicitur. Proinde super plenitudinem scientiæ ascendisse perhibetur & volasse, quia majestatis ejus celsitudinem scientia nulla comprehendit. *Volavit* igitur, quia longe in altum ab intellectu nostro se rapuit. *Volavit super pennas ventorum*, quia scientiam transcendit animarum. *Et posuit tenebras latibulum suum*, quia dum caligine mentis nostræ obscuramur, per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne a nobis modo in æterna & intima claritate videatur. Majestatis suæ potentiam mortalibus abscondit, nec a nobis in hac vita regni ejus gloria quanta intrinsecus habetur, agnoscitur: & sicut est illa cælestis regni gloria non videtur. Unde Fratres carissimi, oportet ut illuc sequamur Dominum corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus, nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit: & quicquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc a nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam sui dum valet agere, negligat: quia Redemtor noster tanto tunc in judicium districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam patientiam prærogavit. Hæc itaque nobiscum Fratres agite, hac in mente sedula cogitatione versate: quamvis adhuc rivum perturbationibus animus fluctuet, jam tamen spei nostræ anchoram in æterna patria figite, intentionem mentis in vera luce solidate. Ecce ad cælum ascendisse credimus Dominum, hoc ergo servemus in meditatione quod credimus: etsi adhuc heic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris. Non autem deserit desiderium nostrum ipse qui dedit, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

a Apoc. xxii. 17.

1. Lib. xvii. moral. cap. 15.

2. Ibidem aliquanto antea.

E X P L I C I T.



I S A A C I

MAGNÆ ARMENIÆ CATHOLICI

O R A T I O

INVECTIVA ADVERSUS ARMENIOS.



A C C E D U N T

ECKBERTI presbyteri & Monachi Schonaugienſis *Sermones* adverſus Catharos.

ERNALDI abbatis Bonæ Vallis *Commentarius* in Pſalm. CXXXII. & *De Donis* Spiritus ſancti.

GUALTHERI de Caſtellione *Dialogi* contra Judæos libri tres.

BERNARDI abbatis Fontis Calidi *Tractatus* contra Valdenſes.



ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

Ι Σ Α Α Κ

ΤΟΥ ΚΑΘΟΛΙΚΟΥ ΤΗΣ ΜΕΓΑΛΗΣ ΑΡΜΕΝΙΑΣ

Λόγος στηλιτευτικὸς κατὰ Αρμενίων, τῶν ὁμοφρόνων Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου· Τιμοθέου Αἰλούρου· Πέτρου τοῦ Κναφέως· Ιουλιανοῦ τοῦ Αλικαρνασέως, καὶ Αφθαρτοδοκητῶν, τῶν ἀσεβεστάτων καὶ χριστομάχων αἱρετικῶν.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ISAACI

MAGNÆ ARMENIÆ CATHOLICI,

Oratio invectiva adversus Armenios idem sapientes atque Eutyches ac Dioscorus; Timotheus item Ælurus; Petrus Fullo; Julianus Alicarnasseus, & Aphthartodocitæ, impiissimi ac Christi hostes hæretici.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Α΄.

Περὶ τῶν δύο φύσεων τῶν ἐν Χριστῷ.

Επειδήπερ Εὐτυχὴς καὶ Διόσκορος, Τιμόθεος ὁ Αἴλουρος, καὶ οἱ αὐτῶν ὁμόφρονες, τὴν σάρκωσιν Χριστοῦ ἐν φαντασίᾳ κηρύξαντες, καὶ διὰ τοῦτο, μίαν φύσιν ἐν αὐτῷ μανιχαϊκῶς βλασφημήσαντες, πάντας τοὺς ἁγίους πατέρας τολμηρῶς, καὶ ἀσεβῶς ἐν τῇ ἐν Εφέσῳ λῃστρικῇ δευτέρᾳ συνόδῳ ἀναθεματίσαντες, καὶ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν αὐτῶν ἀρνησάμενοι, καὶ διὰ τοῦτο ὑπὸ Λέοντος τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ρώμης, καὶ ὑπὸ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας καὶ οἰκουμενικῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, καθαιρεθέντες, τῷ ἀναθέματι καθυπεβλήθησαν, καὶ ὡς ἀσεβεῖς, B καὶ Μανιχαῖοι, καὶ χριστομάχοι, τῆς καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐδιώχθησαν, διὰ τὸν τῆς οἰκουμένης πάσης [1] ἀρχιερέα, καὶ ἐξορίᾳ παρεδόθησαν· τούτων τὰς ἀσεβείας, καὶ ἀρνήσεις, καὶ βλασφημίας, καὶ κακοδοξίας, καὶ χριστομαχίας, οἱ Αρμένιοι δεξάμενοι, μυριαπλασίως ταύτας ἐπηύξησαν. ὡσαύτως δὲ, καὶ τὴν μεγάλην ἄρνησιν καὶ φοβερὰν αἵρεσιν Ιουλιανοῦ τοῦ Αλικαρνασέως, καὶ τῶν Αφθαρτοδοκητῶν ἀνακαινίσαντες, καὶ τὴν σάρκωσιν τοῦ Χριστοῦ προφανῶς ἀθετοῦντες, λέγουσιν, ὅτι σῶμα ἡμῖν ὁμοούσιον, παχὺ καὶ θνητὸν καὶ χοϊκὸν, φθαρτόν τε καὶ κτιστὸν, ὁ Χριστὸς οὐκ ἀνέλαβεν ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας· ἀλλ' ἄφθαρτον σῶμα, λεπτὸν, ἀπαθὲς, ἀθάνατον, ἄκτιστον· καὶ ὤφθη, C φασὶν, ἄνθρωπος, ὡς ἠθέλησε· καὶ ἔφαγε, καὶ ἔπιεν.

Εἶτα πάλιν καὶ ταύτην τὴν ἀσώματον, καὶ ἄϋλον σάρκα παντελῶς ἀπαρνούμενοι, καὶ ἐκ τῆς ἑαυτῶν ἀκαθάρτου καὶ χριστομάχου καρδίας, μύθους ψευδεῖς ἀναπλάττοντες, λέγουσιν· ὅτι καὶ αὕτη ἡ ἀόρατη καὶ ἀθάνατος σὰρξ, εἰς φύσιν θεότητος γέγονε, καὶ οὐκ ἔχει ὁ Χριστὸς ἐν αὐτῷ σώαν τὴν κατέραν φύσιν· οὐ σῶμα ἡμῖν ὁμοούσιον· οὐ σάρκα καὶ ὀστᾶ· οὐ κεφαλήν· οὐ χεῖρας καὶ πόδας. οὐ σχῆμα ἀνθρώπου· ἀλλὰ γέγονεν ἁπλοῦς καὶ ἀσύνθετος, ὥσπερ ἦν καὶ πρὸ τῆς σαρκώσεως. καὶ ὥσπερ σταγὼν μέλιτος ἢ ὄξους συνανακραθεὶν, καὶ καταποντισθεὶν ἐν πελάγει τῆς θαλάσσης, οὐκέτι ὁρᾶται, οὔτε ὑφίσταται· οὕτως φασὶ καὶ τὸ σῶμα

CAPUT I.

De duabus in Christo naturis.

I. CUM sic habeat, ut Eutyches ac Dioscorus, Timotheus quoque Ælurus, ac eorum sectæ homines, incarnationem Christi specie tenus factam prædicantes, atque adeo unam in eo naturam Manichæorum insania prædicantes, sanctosque omnes Patres in prædatoria Ephesina secunda Synodo anathematizantes, ac eorum rectam fidem abnegantes, ideoque a Leone sanctissimo papa Romæ, sanctaque Ecclesia, ac œcumenica apud Chalcedonem Synodo, depositi, anathamati subdi- B ti fuerint, utque impii & Manichæi, Christique hostes, a Catholica ac Apostolica Ecclesia, per orbis universi Episcopos expulsi, atque exsilio relegati: eorum impia dogmata, negationes, blasphemias, errores, in Christum pugnam, suscipientes Armenii, sexcentis hæc partibus adauxerunt. Simili quoque ratione, magnam illam negationem ac terribilem Juliani Alicarnassei ac Aphthartodocitarum hæresim instaurantes, ac palam Christi incarnationem abolentes, negant Christum, consubstantiale nobis corpus, crassum ac mortale, terrenumque, nec non corruptibile ac creatum, ex Maria virgine assumsisse: quinimmo, corpus non obnoxium corruptioni; subtile, impassibile, im- C mortale, increatum: ac, inquiunt, visus est homo, ut voluit: manducavitque & bibit.

II. Tum rursus hanc quoque incorpoream, ac materiæ expertem carnem penitus negantes, exque immundo ac Christi hoste ipsorum corde falsas fabulas comminiscentes, eamdem ipsam, invisibilem, immortalem, ac incorruptam carnem, in naturam divinitatis demutatam ajunt, nec Christum, humanam naturam in ipso servare incolumem: non corpus ejusdem nobiscum substantiæ; non carnem ac ossa; non caput; non manus ac pedes; non hominis figuram: sed factum simplicem, ac expertem compositionis, quomodo habebat ante incarnationem. Atque ut mellis aut aceti gutta, maris pelago commixta, atque in eo media, non amplius oculis conspicua est, autve

1. Lege τὸν ἀρχιερέων.



SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.

ἐκεῖνο [1] ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς ἀνέλαβε, συνανακραθὲν καὶ καταποντισθὲν ἐν πελάγει τῆς Θεότητος, οὐκέτι ὁρᾶται ἐν Χριστῷ, οὔτε σῶον ἐν αὐτῷ ὑφίσταται, οὔτε σώζει τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, οὔτε φυλάττει τὴν ἑαυτοῦ ἰδιότητα· καὶ διὰ τοῦτό φασιν, οὐκ εἰσὶν ἐν Χριστῷ δύο φύσεις Θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος· ἀλλὰ μία φύσις ὅλη τῆς Θεότητος. ὅθεν καὶ τὰς παραδόσεις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν μυστηρίων τοῦ Χριστοῦ, κατὰ τὴν μίαν φύσιν, ἣν ἐν Χριστῷ βλασφημοῦσι, πάσας μεταστρέψαντες, παραπλησίως ταύτας ἐκαινοτόμησαν· καὶ τὴν κοινωνίαν δὲ τῶν μυστηρίων, ἤγουν τὴν θυσίαν τοῦ ἄρτου, τῆς σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ, οὐ σῶμα Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ λέγουσιν, ὡς αὐτὸς ὁ Χριστὸς εἴρηκεν· ἀλλὰ Θεότητα. καὶ ταύταις ταῖς μυθολογίαις καὶ βλασφημίαις ὑπερειδόμενοι· μᾶλλον δὲ καλαμίνην ῥάβδον ἑαυτοῖς ὑποστήσαντες, τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἣν τὰ τέσσαρα Εὐαγγέλια δεικνύουσι, καὶ πάντες οἱ ἀπόστολοι μετὰ τῶν θεοφόρων πατέρων κηρύττουσιν, ἤτοι παντελῶς ἀρνοῦνται καὶ ἀνατρέπουσιν.

A consistit: ita, inquiunt, & quod Christus assumsit corpus, confusum ac mersum deitatis pelago, haud deinceps in ipso cernitur, aut consistit incolume; nec servat naturam suam, aut proprietatem retinet: atque adeo, inquiunt, non duæ sunt in Christo naturæ deitatis ac humanitatis; sed una dumtaxat, tota deitatis. Quare etiam Ecclesiæ Catholicæ traditiones, ac Christi sacramentorum, pro unius illius naturæ ratione, quam blasphemant in Christo, mutantes, similiter novas moliti sunt; ac sacramentorum communionem, id est, panis sacrificium, qui est Christi caro, haudquaquam Christi Dei corpus appellant, uti Christus ipse dixit; B sed Deitatem: iisque fabulis ac blasphemiis nixi; quin potius ceu arundineum baculum sibi adhibentes, unigeniti Filii Dei incarnationem, quam quaterna Evangelia ostendunt, omnesque Apostoli cum deiferis patribus prædicant, ii penitus negant atque evertunt.

Ὅθεν ἡμεῖς, οὐχὶ διορθώσασθαι αὐτοὺς βουλόμενοι ταῦτα γράφομεν. διορθώσασθαι γὰρ αὐτοὺς ἀδύνατον καὶ τοῖς ἀγγέλοις. οἱ γὰρ αὐτῷ τῷ Χριστῷ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ τῷ σεσαρκωμένῳ Θεῷ, καὶ τοῖς εὐαγγελισταῖς καὶ ἀποστόλοις αὐτοῦ μὴ πειθόμενοι, μήτε πιστεύοντες, τινὶ ἑτέρῳ ἁγίῳ διδασκάλῳ ἐπιγείῳ, ἢ ἐπουρανίῳ ἀγγέλῳ πιστεύσουσιν ἢ πεισθήσονται; ἀλλ' ἵνα ἀσέβειαν καὶ χριστομαχίαν αὐτῶν, ἐξ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ εὐαγγελίου, καὶ τῶν αὐτοῦ ἀποστόλων ἐλέγξαντες, τοὺς ἐκ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὑπ' αὐτῶν διὰ παντὸς πλανωμένους, ἐκ τῆς αὐτῶν ἀσεβείας ἐλευθερώσωμεν. εἰ γὰρ οὔτε τῷ Χριστῷ πιστεύουσι περὶ ἑαυτοῦ λέγοντι, οὔτε τοῖς εὐαγγελισταῖς καὶ ἀποστόλοις πείθονται, τοῖς αὐτὸν σεσαρκωμένον καθ' ἡμᾶς κηρύττουσιν, οὔτε τοῖς ἁγίοις καὶ θεοφόροις πατράσι ἀρέσκονται, τοῖς συμφώνως τέλειον Θεὸν, καὶ τέλειον ἄνθρωπον, ἐν δύο τελείαις φύσεσι τὸν Χριστὸν ὁμολογοῦσιν· οὔτε δὲ ταῖς ἰδίαις ἑαυτῶν πανηγυρικαῖς βίβλοις πιστεύουσι, δύο φύσεις, καὶ δύο ἐνεργείας ἐπὶ Χριστοῦ διδασκούσαις, καθὼς μυριάκις ὑπεδείξαμεν αὐτοῖς ἐκ τῶν ἰδίων αὐτῶν βιβλίων, καὶ τῇ Ἀρμενίων διαλέκτῳ γεγραμμένων, πῶς οὐκ εἰσὶ προφανῶς χριστομάχοι, καὶ Μανιχαῖοι, μίαν φύσιν καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐν Χριστῷ βλασφημοῦντες [2] τὴν σάρκωσιν; εἰ γὰρ, ἄλλα μὲν ὁ Χριστὸς διδάσκει περὶ αὐτοῦ, καὶ οἱ εὐαγγελισταὶ, καὶ οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες· οὗτοι δὲ ἕτερα ἐναντία τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν εὐαγγελιστῶν καὶ ἀποστόλων λέγουσι καὶ κηρύττουσι, ἅπερ οὔτε ὁ Χριστὸς, οὔτε οἱ εὐαγγελισταὶ καὶ οἱ ἀπόστολοι εἰρήκασι· τί ἕτερον δεικνύουσιν, ἢ ὅτι προφανῶς ἀρνηταὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου, ἐχθροὶ δὲ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων πολέμιοι γεγόνασιν;

III. Quocirca nos, non tamquam corrigere velimus, ita scribimus: nam nec Angeli emendare possint. Qui enim nec ipsi Christo Dei filio incarnato, ejusque Evangelistis ac apostolis credunt, utique nec ulli alii terreno doctori, autve cælesti angelo credentes, fidem sint habituri, ac eis C morem gesturi: sed ut eorum impietatem ac in Christum hostiles animos, ex ipso Christo, ac Evangelio, ejusque apostolis coarguentes, quos illi de Orthodoxorum castris in errorem impellere non cessant, ab eorum impietate liberemus. Cum enim nec Christo de se loquenti credant, nec evangelistis ac Apostolis obsequantur, qui eum nobis similem incarnatum prædicant; nec sanctis ac deiferis patribus acquiescant, qui iis consone, perfectum Deum ac perfectum hominem, in duabus perfectis naturis Christum confitentur: ac nec propriis eorum * festivis libris habeant fidem, quibus duas naturas, ac duas operationes in Christo docentur, uti ex iisdem ipsis libris lingua Arme- D nica scriptis, millies illis probavimus; quomodo non perspicue Christi hostes sunt ac Manichæi, qui unam naturam unamque operationem in Christo post incarnationem blasphement? Siquidem enim, Christus quidem ipse alia de seipso, ac evangelistæ, ac apostoli, sanctique patres docent; hi autem alia, Christo, & evangelistis ac apstolis contraria loquuntur ac prædicant, quæ neque Christus, neque evangelistæ, neque apostoli dixerunt; quid aliud ostendunt, quam se liquido Christum negare, ac Evangelium, factosque apostolorum hostes, ac sanctorum patrum?

Εἰπάτωσαν οὖν ἡμῖν οἱ παμπόνηροι αἱρετικοὶ Ἀρμένιοι· οἱ σκοτεινοὶ περὶ τὸ φῶς· οἱ περὶ τὴν σοφίαν ἀπαίδευτοι· ὑπὲρ ὧν Χριστὸς δωρεὰν ἐσαρκώθη· τὰ ἀχάριστα κτίσματα· τὰ τοῦ πονηροῦ πλάσματα· πόθεν, ἢ ἐκ ποίων εὐαγγελιστῶν καὶ ἀποστόλων, ἢ θεοφόρων πατέρων ταύτην εὑρόντες τὴν ἄρνησιν, μήτε σάρκα καὶ ὀστᾶ, μήτε φύσιν ἀνθρωπίνην, μήτε θέλησιν, μήτε ἐνέργειαν ἔχειν τὸν Χριστὸν κηρύττουσι· Θεότητα δὲ μόνην ἁπλῆν καὶ ἀσύνθετον, καὶ μίαν φύσιν καὶ ἐνέργειαν, ὡς καὶ πρὸ τῆς σαρκώσεως ἐν Χριστῷ κηρύττοντες, οὐ φρίττουσιν; οἱ δὲ τὸν ἔλεγχον τῶν ἀσεβειῶν ὑφορώμενοι, ἐν ὑποκρίσει ἀποκρίνονται· ναὶ, φασιν, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον λέγομεν τὸν Χριστόν. πρὸς οὓς ῥητέον· ὅτι

E IV. Dicant itaque nobis pessimi hæretici Armenii, tenebrosi illi circa lumen, erga sapientiam insolentes, pro quibus Christus gratis incarnatus est, ingrata creata, Mali figmenta: unde, aut quibus ex evangelistis ac apostolis, vel deiferis patribus, inventam hanc negationem, ut Christus, neque carnem habeat, neque ossa, neque humanam naturam, neque voluntatem, neque operationem, prædicent: nec solam simplicem, ac omni nudam compositione Deitatem, unamque naturam ac operationem, uti etiam ante incarnationem, in Christo prædicantes, horreant? Ii enimvero impietatum redarguationem timentes, simulate respondent: Ita vero, Christum Deum ac hominem dicimus. Ad quos dicendum; Bene de vobis scripsit

1. Lege ὃ ὁ Χριστός. 2. Deest μετά.

* *Potius*, omnium manibus tritis.

καλῶς ἔγραψε περὶ ὑμῶν ὁ μέγας Γρηγόριος ὁ Θεολόγος· οὐχ ἁπλοῦν γένος εὑρίσκω τῶν Ἀρμενίων· ἀλλὰ λίαν κρυπτόν τε καὶ ὕφαλον· τουτέστιν, οὐκ ὀρθοὺς καὶ φανερούς. ἀλλὰ καὶ σφόδρα πονηροὺς καὶ κρυφίους. εἰ γὰρ μήτε σάρκα, καὶ ὀστᾶ ἐν Χριστῷ ὁμολογεῖτε· μήτε φύσιν ἀνθρώπου, μήτε ἐνέργειαν, μήτε δούλου μορφὴν, μήτε σῶμα παθητὸν καὶ θνητὸν, καὶ φθαρτὸν, καὶ ἡμῖν ὁμοούσιον· ἀλλὰ μίαν φύσιν, ὅλην θεότητα, ἁπλῆν καὶ ἀσύνθετον· πῶς Θεὸν καὶ ἄνθρωπον ἐν ὑποκρίσει πρὸς ἀπάτην τῶν ἀκουόντων λέγοντες, οὐκ αἰσχύνεσθε; ποταπὸς ἄνθρωπός ἐστιν ὁ Χριστὸς, μὴ ἔχων σάρκα καὶ ὀστᾶ καὶ μορφὴν δούλου· καὶ φύσιν ἀνθρώπου, καὶ θέλησιν, καὶ ἐνέργειαν, καὶ κεφαλὴν, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας; εἰ δὲ ταῦτα πάντα ὁμολογεῖτε ἔχειν τὸν Χριστὸν ἐν ἀληθείᾳ, καὶ οὐ δοκήσει· πῶς οὐκ ἔχει προφανῶς δύο φύσεις ὁ Χριστός· θεότητα καὶ ἀνθρωπότητα, ὥσπερ ἔχει δύο ὀνόματα, Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπου; ὅθεν πρόδηλον ὅτι δύο φύσεις ἐν Χριστῷ μὴ ὁμολογοῦντες, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν ἐν ὑποκρίσει πρὸς ἀπάτην τῶν ἀκουόντων λέγετε.

A magnus ille Gregorius Theologus: * *Non invenio simplicem Armeniorum nationem; sed valde tectam ac dolosam*. Hoc est; non rectos ac apertos, sed valde malignos ac occultos. Siquidem enim in Christo, neque carnem ac ossa confitemini, neque hominis naturam, neque operationem, nec servi formam, nec corpus passibile, ac mortale, obnoxiumque corruptioni, ac ejusdem nobiscum substantiæ; sed naturam unam, totam Deitatem, simplicem, ac expertem compositionis: quei vos Deum ac hominem simulate ad auditores decipiendos, Christum dicere non pudet? Quis quantusve homo Christus, qui nec carnem, nec ossa, nec servi habeat formam; nec naturam hominis, nec voluntatem, nec B operationem, nec caput, nec manus, nec pedes? Quod si omnia hæc Christum habere fatemini, atque id veritate, non apparentia; quomodo non perspicue duas habet naturas, divinam atque humanam, uti etiam duo nomina, Dei nimirum ac hominis obtinet? Quapropter liquet, cum non duas naturas in Christo fateamini, Deum vos ac hominem Christum dicere per simulationem, ut auditores decipiatis.

Εἰ οὖν σὰρξ τοῦ Χριστοῦ εἰς φύσιν θεότητος ἐτράπη, καὶ ὁμοούσιος τῇ θεότητι γέγονε, καὶ μία θεότης ἐστὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ, ὡς οἱ αἱρετικοὶ δογματίζουσι, καὶ διὰ τοῦτο μία φύσις ἐν Χριστῷ ὅλη θεότης· πρόδηλον ὅτι καὶ ἡ σὰρξ τοῦ Χριστοῦ, ἐν παντὶ καιρῷ καὶ χρόνῳ καὶ τόπῳ, τοῦ πατρὸς ἀχώριστος ἦν, ὥσπερ ἡ τοῦ Χριστοῦ θεότης. εἰ γοῦν ἡ σὰρξ τοῦ Χριστοῦ φύσει θεότητος γέγονε· πῶς ἐν τῷ καιρῷ τοῦ πάθους ἐν οὐρανοῖς οὐκ ἦν ἡ σὰρξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἀχώριστος, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ μετὰ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ παραδείσῳ μετὰ τοῦ λῃστοῦ, ἐν ἀμφοτέροις ἀνελλιπὴς καὶ ἀχώριστος, ὥσπερ καὶ ἡ θεότης ὑπάρχουσα· ἀλλ' ἐν τῷ τάφῳ ἔκειτο νεκρὸν, ἄψυχον καὶ ἀκίνητον τὸ σῶμα αὐτοῦ, καὶ περιγραπτὸν, εἰ καὶ ἀχώριστος ἦν ἐξ αὐτοῦ ἡ τοῦ Χριστοῦ θεότης; ἐὰν γὰρ ἀποδεῖξαι δυνήσονται οἱ αἱρετικοὶ Ἀρμένιοι, τὸ παναγίον σῶμα Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ πάθους ἐν οὐρανοῖς ἀχωρίστως τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ συγκαθεζόμενον μετὰ τῆς θεότητος, καὶ ἐν τῷ τάφῳ, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ μετὰ τῆς ψυχῆς, καὶ ἐν τῷ παραδείσῳ μετὰ τοῦ λῃστοῦ, πανταχοῦ ἀνελλιπῆ, καὶ ἀχώριστον καὶ ἀδιαίρετον, ὥσπερ καὶ [1] τῇ θεότητι αὐτοῦ· εὔδηλον ὅτι καὶ ἡ σὰρξ αὐτοῦ φύσει θεότητος γέγονε. εἰ δὲ ἐν τῷ τάφῳ ἔκειτο νεκρὸν καὶ ἄψυχον καὶ ἀκίνητον, καὶ οὔτε ἐν οὐρανοῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ ἀχώριστον συνεκαθέζετο, οὔτε ἐν τῷ ᾅδῃ μετὰ ψυχῆς ἦν, οὔτε ἐν παραδείσῳ μετὰ τοῦ λῃστοῦ· ἀλλ' ἐν τῷ τάφῳ μόνῳ περιγραπτὸν κατέκειτο· πῶς οὐκ εἰσὶν οὗτοι ψεῦσται καὶ αἱρετικοὶ καὶ χριστομάχοι;

V. Siquidem ergo Christi caro demutata est in Deitatis naturam, ac ejusdem cum Deitate substantiæ effecta est, estque una Deitas Patris, ac carnis Christi, sicut hæretici docent, ac idcirco una C est in Christo natura, tota Deitas; utique Christi quoque caro, omni tempore ac loco erat a Patre inseparabilis, uti & Christi Deitas. Siquidem ergo Christi caro, natura Deitatis effecta est; quomodo passionis tempore ejus caro non erat in cælis inseparabilis a Patre, inque inferno cum ejus anima, atque cum latrone in paradiso, nullo utriusque loci defectu ac inseparabilis exsistens, uti & Deitas fuit? sed ejus corpus in sepulcro mortuum jacebat, ac inanime, immotumque, ac circumscriptum, tametsi Christi Deitas ab eo inseparabilis erat. Dum enim hæretici Armenii probare possint, sanctissimum Christi Dei corpus tempore passionis, inseparabiliter Deo ac Patri una cum Deitate conD sedisse, atque in sepulcro, inque inferno cum anima, ac cum latrone in paradiso, nullo ubique defectu, ac inseparabile, individueque, uti & Deitas erat, fuisse: plane liquet, ejus quoque carnem, natura Deitatis factam esse. Sin autem illud in sepulcro mortuum jacebat, & inanime, atque immotum; ac neque in cælis Deo ac Patri indivulso nexu conjunctum considebat, neque in inferno cum anima, nec cum latrone in paradiso erat, sed dumtaxat circumscriptum in sepulcro jacebat: quomodo isti mendacium ac hæreticorum Christique hostium notam effugerint?

Εἰ οὖν σὰρξ τοῦ Χριστοῦ θεότητος γέγονε, πῶς αὐτὸς ὁ Κύριος ἐπὶ σταυροῦ ἔλεγε. Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες; ἐὰν γὰρ ἡ σὰρξ τοῦ Χριστοῦ θεότητος ἦν, καὶ ἐν οὐρανοῖς τοῦ πατρὸς ἀχώριστος, καὶ μία θεότης ἦν τοῦ πατρὸς καὶ τῆς σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ σὰρξ αὐτοῦ, θεότητος ἦν τοῦ πατρὸς ἀχώριστος· πῶς ἡ μία καὶ ἀδιαίρετος θεότης διαιρεθεῖσα ἑαυτὴν ἐγκατέλειπεν;

VI. Siquidem ergo caro Christi facta est Deita-E tis, quomodo Dominus ipse in cruce dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Siquidem enim Christi caro Deitatis erat, atque in cælis a Patre indivulsa exsistebat, unaque erat Deitas Patris ac carnis Christi, ejusque caro a Patris Deitate inseparabilis erat: quomodo una ac individua Deitas, ipsa se divisa derelinquit?

Ἀλλὰ τί φασι πρὸς ταῦτα οἱ ἀγνώμονες; ὅτι ταῦτα τὰ ῥήματα τὰ ταπεινὰ ὁ Χριστὸς διὰ τὸν διάβολον ἔλεγεν, ἵνα μὴ φύγῃ ἐξ αὐτοῦ. ὢ τῆς ἀτόπου καὶ ἀναισχύντου ἀποκρίσεως αὐτῶν. προφανῶς γὰρ τὸν Χριστὸν ὑποκριτὴν κηρύττουσιν. ἀλλὰ μὲν

VII. Enimvero, quid ad hæc improbi illi? Ajunt nimirum, Christum verba hæc humilia locutum esse propter diabolum, ut ne ab ipso effugeret. O absonam ac impudentem hominum responsionem! Perspicue enim Christum simulatorem prædicant,

1. ἡ θεότης.

* Greg. orat. xx.

ἔχειν ἐν τῇ καρδίᾳ, ἕτερα δὲ διὰ τῆς γλώττης φθέγγεσθαι. ὥσπερ γὰρ αὐτοὶ, μεστοὶ ὑποκρίσεως καὶ δολιότητος ὑπάρχοντες, τοιούτως καὶ τὸν Χριστὸν ὀνομάσαι οὐκ ἐφοβήθησαν οἱ παράνομοι. Θεὸς οὖν παντοδύναμος ὢν ὁ Χριστὸς, ὁ πανταχοῦ παρών· πῶς ἠδύνατο ὁ διάβολος ἐξ αὐτοῦ φυγεῖν; ὡς γὰρ ἐκ πάντων, οὕτω καὶ ἐκ τούτων, οἱ ἀσεβεῖς ἐλέγχονται, μηδὲν ἐκ τῆς διδασκαλίας τῶν ἁγίων μήτε φρονεῖν, μήτε διδάσκειν· ἀλλ᾽ ἐξ ἑαυτῶν μύθους ψευδεῖς ἀναπλάττειν, ἵνα δυνηθῶσι μόνον τὴν σάρκα τοῦ Χριστοῦ ἀρνήσασθαι. αὐτὰ γὰρ τὰ ταπεινὰ ῥήματα, καθὼς πάντες οἱ ἅγιοι καὶ θεοφόροι πατέρες, συμφώνως ἐξ ἁγίου πνεύματος ἑρμηνεύονται, ὁ Χριστὸς πρὸς βεβαίωσιν καὶ πίστωσιν τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς, καὶ ἀνθρωπίνης φύσεως, ἔλεγε καὶ ἐνήργει, καὶ οὐ καθ᾽ ὑπόκρισιν διὰ τὸν διάβολον, ἐπεὶ πῶς ἔλεγε πρότερον· Λάζαρος ἀπέθανε, καὶ χαίρω δι᾽ ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ.

A ut alia quidem haberet in corde, alia autem lingua eloqueretur. Quemadmodum enim, qui simulatione ac dolositate pleni exsistant, nec Christum sic appellare nequam homines veriti sunt. Siquidem ergo Christus, qui omnipotens esset, omni loco erat, quonam ab eo diabolus fugere potuit? Ut enim ex omnibus aliis, sic quoque ex his arguuntur impii, nihil sapere aut docere ex sanctorum doctrina; sed ex propriis, falsas fabulas comminisci, ut tantum Christi carnem negare possint. Siquidem verba hæc humilia, uti omnes sancti ac deiferi patres concinne a Spiritu sancto interpretantur, eo Christus & loquebatur & agebat, quo B carnem suam ac humanam naturam adstrueret; non ut per simulationem, diabolum falleret. Alioqui, quomodo prius dicebat: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi?*

Εἰ οὖν καὶ ἡ σὰρξ αὐτοῦ φύσει θεότητος ἦν, πανταχοῦ ἀνελλιπὴς καὶ ἀχώριστος καὶ ἀπερίγραπτος, (θεότης) ἦν καὶ ἡ σὰρξ τοῦ Χριστοῦ τοῦ πατρὸς ἀχώριστος, ὥσπερ καὶ ἡ θεότης αὐτοῦ, καθὼς αὐτὸς ὁ κύριος λέγει περὶ τῆς ἑαυτοῦ θεότητος· ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. καὶ πάλιν· ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν ἐμοί. πῶς λέγει μετὰ τὴν ἀνάστασιν τῇ Μαρίᾳ· μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς τοῖς ἀποστόλοις μετὰ τὴν ἀνάστασιν λέγει· ψηλαφήσατε καὶ εἴδετε, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα; ἐὰν γὰρ καὶ ἡ σὰρξ αὐτοῦ θεότητος γέγονε, εὔδηλον ὅτι οὐκ ἦν σὰρξ, ἀλλὰ πνεῦμα ἄϋλον καὶ πῦρ καταναλίσκον, καθὼς ὁ κύριος διδάσκει λέγων· πνεῦμα ὁ Θεός. εἰπὼν δὲ τοῖς ἀποστόλοις, σάρκα ἔχειν καὶ ὀστᾶ, καὶ μάλιστα μετὰ τὴν ἀνάστασιν, δείκνυσι τούτους ἀρνητὰς τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς καὶ χριστομάχους.

ἐφανέρωσα τὰς αὐτῶν αἱρέσεις, καὶ ἑκάστῃ λέξει διὰ τριῶν μαρτύρων, πύθω μετ' αὐτοὺς καὶ ὑπομιμνήσκω τοὺς ἁγίους καὶ θεοφόρους ἀκροατὰς, ὅπως ἐξ αὐτῶν ἀκριβέστερον μάθωσι, ποίας τιμῆς εἰσιν ἄξιοι οἱ ταῦτα φρονοῦντες· καὶ πῶς δεῖ ἐκφυγεῖν αὐτῶν τὰς βδελυρὰς αἱρέσεις. ἐπεὶ ὁ μέγας Μωϋσῆς γράφει· βλέπετε μή τις ῥίζα πικρίας [1] ἀναφυεῖσα, καὶ δι' αὐτῆς πολλοὺς καταῤῥυπῶσιν. ἐπεὶ καὶ ὁ Ἡσαῦ πόρνος καὶ βδελυρὸς ἐκλήθη, καὶ διεχωρίσθη ἐκ τῶν ιβ'. φυλῶν, ἃς ἐδέξατο ὁ Θεὸς εἰς κληρονομίαν ἑαυτοῦ· ὅτι διὰ μιᾶς βρώσεως παρέδωκε τὴν πρωτοτοκίαν αὐτοῦ· πόσῳ μᾶλλον βδελυκτότεροι τυγχάνουσιν, οἱ τῆς ἀποστολικῆς καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας ἀλλοτριωθέντες, καὶ ξένοι γενόμενοι τῆς ἀμωμήτου πίστεως, ἅμα τῶν ἁγίων καὶ ἀποστολικῶν θρόνων. καὶ Ἰωνάθαν [2] ἀγνοῶν παρέβη τὴν ἐντολὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Σαοὺλ ἐν καιρῷ παρατάξεως διὰ βραχυτάτης βρώσεως, ψῆφον θανάτου ἐδέξατο. τί ἂν εἴποιμι περὶ τῶν τοιούτων, οἱ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ τῶν θείων πατέρων ἐντολῶν παραβάται· καὶ τὰ τῶν Ἑβραίων φρονοῦντων. καὶ ὁ Δαβὶδ ὁ προφήτης διὰ τὸ ἀπογράψασθαι τοὺς ὑπ' αὐτοῦ βασιλείας, ὀργὴν Θεοῦ ἐπεσπάσατο, καὶ ἑβδομήκοντα χιλιάδας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀπέθανον· πολλῷ μᾶλλον θάνατον ψυχῶν εἰργάσαντο, οἱ τὰ ζιζάνια τῶν θεομάχων Ἑβραίων διασπείραντες, ἐπὶ τοσούτου λαοῦ καὶ δήμου· ἐπεὶ καὶ ὁ μέγας Παῦλος λέγει· ὅτι αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν, καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ. καὶ ὁ Ἡσαΐας φησίν· ἐξέλθετε καὶ διαμακρύνθητε διαμέσου αὐτῶν, καὶ ἀκαθάρτων μὴ ἅπτεσθε. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἠρξάμην κηρύττειν, ἐν ᾗ ἑκάστῃ λέξει.

α'. Αἵρεσις τῶν Ἀρμενίων.

Ὅτι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ὁμολογοῦσι, μίαν φύσιν, καὶ μίαν θέλησιν, καὶ μίαν ἐνέργειαν ἔχειν, ὅ ἐστι δόγμα Σεργίου, Πύῤῥου, καὶ Παύλου, οὓς ἡ ἁγία ϛ'. σύνοδος ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει γενομένη τῶν ρό. θεοφόρων πατέρων ἀνεθεμάτισεν ἐπὶ βασιλείας Κωνσταντίνου. ἐλέγχει δὲ τοὺς τοιούτους Γρηγόριος ὁ Θεολόγος, λέγων· πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐν δύο φύσεσι, πνεῦμα καὶ σάρκα· παθητὸν καὶ ἀπαθῆ· καὶ Κύριλλος λέγει· ὁ εἷς ἔπαθε καὶ τέθνηκε· καὶ ὁ εἷς ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος διέμεινε. λέγει δὲ Ἐφραίμ· αἱ μὲν δύο φύσεις εἰς ἓν συνῆλθον· ἀλλ' ἡ θεότης οὐκ ἐμετετράπη εἰς σάρκα· καὶ τὴν σάρκα λαβὼν οὐκ ἐγένετο προσθήκη εἰς τὴν θεότητα.

β'. Αἵρεσις.

Ὅτι εἰς τὴν δοξολογίαν σφάλλουσι, καὶ εἰς τὸ τρισάγιον βάλλουσι τὸν σταυρωθέντα, καὶ εἰσὶ θεοπασχῖται, ὃ ὁ δόλιος Πέτρος ἐδογμάτισε, καὶ ἔχει κατάραν ἐκ τῶν θεοπνεύστων γραφῶν. γράφουσι γὰρ, ὅτι ἀνάθεμα τὸν λέγοντα τὸν πατέρα σταυρωθέντα, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παθόντα. Εὐσέβιος λέγει· περὶ τῆς ἁγίας τριάδος οὕτω νοοῦμεν, καθότι καὶ τὰ σεραφὶμ δοξάζουσιν· ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος σαβαώθ. Γρηγόριος ὁ Θεολόγος λέγει οὕτω. καὶ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τὰ σεραφὶμ [3] ἀποκαλύπτουσιν εἰς τὴν τρισάγιον δοξολογίαν, ἐν μιᾷ θεότητι.

Καὶ ἂν προφασίζωνται [4] οὗτοι εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ προσηγορίαν ἀναφέρομεν· τὰ τοῦ Σαβελλίου φρονοῦσι, καὶ οὐ πιστεύουσι τρία πρόσωπα τὴν θεότητα· ἀλλοτρι-

A ejusmodi hæreses declaravi; singulis vocibus per tres testificans., rogo per eos, ac commoneo sanctos, ac a Deo afflatos auditores, ut ex iis accuratius perspiciant, quo digni sint honore qui ista sapiunt; utque exsecrandæ illorum hæreses fugiendæ sint: siquidem scribit magnus Moyses: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans, & per eam inquinent multos.* Nam & Esau fornicator ac profanus appellatus est, atque a duodecim tribuum, quas Deus ad hereditatem elegisset, sorte abdicatus, quod propter unam escam primitiva sua tradiderit; quanto magis profani ac odio prosequendi, qui ab apostolica atque catholica Ecclesia facti alieni, ac extranei ab inculpata fide, a sanctis & apostolicis
B thronis pariter defecerunt? Jonathas quoque, ignorantia transgressus patris præceptum sub ipsum prælii tempus gustato modico melle, mortis sententiam excepit. Quid vero de talibus dixerim, qui sanctorum apostolorum, ac divinorum patrum mandata transgrediantur, ac sapiant quæ sunt Hebræorum? David item propheta, subjectos imperio populos describens, Dei iram attraxit, unaque die septuaginta hominum millia morte sublata sunt: potiori jure animabus mortem consciverunt, qui adversantium Deo Hebræorum zizania, in tanto populo ac plebe seminarunt. Quando etiam magnus Paullus ait: *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita.* Isaias quoque dicit:
C *Exite, ac procul recedite de medio eorum, & immunda nolite tangere.* En vero unaquaque hac sententia prædicare cœpi.

I. Hæresis Armeniorum.

IV. Dei Filium confitentur unam naturam, & unam voluntatem, unamque habere operationem, quæ est doctrina Sergii, Pyrrhi, & Paulli, quos sancta sexta synodus Constantinopoli celebrata centum septuaginta a Deo afflatorum patrum, imperante Constantino devovit. Sic autem sapienter arguit Gregorius Theologus dicens: * *Credo Dei Filium in duabus naturis, spiritum & carnem;*
D *passibilem & impassibilem.* Cyrillus quoque ait: *Unus passus est atque mortuus, unusque idem impassibilis permansit, ac immortalis.* Sed & Ephræm ait: *Duæ quidem naturæ in unum convenerunt; verum Deitas haudquaquam mutata est in carnem; assumtaque carne, nulla Deitati facta accessio est.*

II. Hæresis.

V. Errant in divina laudatione, atque in hymno Trisagio adjiciunt: *Qui crucifixus es*, suntque Theopaschitæ, quam hæresim docuit versutus Petrus, ac exsecrantur a Deo inspiratæ scripturæ. Scribunt enim: ** *Anathema, si quis Patrem crucifixum, ac*
E *Spiritum sanctum passibilem dixerit.* Ait Eusebius: *De sancta Trinitate sic intelligimus, uti Seraphim glorificant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth.* Gregorius Theologus ita ait: *** *Sancta quoque sanctorum, quæ & Seraphim obtegunt in Trisagii laudatione, in una Deitate.*

VI. Sin autem prætendant, in Filii appellationem referre; Sabelliani sunt, nec tres personas credunt, Deitatem. Alienas enim hæreses sibi vendi-

1. Forte ἄνω φύουσα. 2. Deest ὅτι. 3. Leg. ex Greg. συγκαλύπτει. 4. Lege ὅτι.

* Orat. 41. ** S. Felix Epist. 44. & alii. *** Orat. 38.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.



φρονες γάρ εἰσι, καὶ τοι μὴ δοξάζωσι τὸν υἱὸν δοξάζειν μόνον· ἀγνοοῦσι γὰρ ὅτι ἡ ἀτιμία μείζων ἐστὶ τοῦτο, καὶ οὐχὶ τιμή. ἄλλοι δὲ προφασίζονται, ὅτι τὸν μὲν τρισάγιον εἰς τὴν Θεότητα λέγομεν· τὸν δὲ σταυρωθέντα, εἰς τὸν υἱὸν ἀναφέρομεν. οὗτοι τὰ τοῦ Νεστορίου φρονοῦσι, καὶ τὴν ἁγίαν τριάδα, τετράδα ὁμολογοῦσιν.

γ'. Αἵρεσις.

Ὅτι γ'. σταυροὺς συζάγνυουσι· καὶ τοὺς μὲν δύο ἰσότυπα, καὶ ἰσόμηκα ποιοῦσι· τὸν δὲ ἕτερον, ἔλαττον καὶ σμικρότερον· καὶ ὀνομάζουσι τούτους, ἁγίαν τριάδα. τοῦτο τὸ ἔργον ἔχει μεγάλας αἱρέσεις δύο· μία μέν, ὅτι τὴν ἁγίαν τριάδα, οὐ χρὴ εἰς ὑλικὴν χαρακτηρίζειν, καὶ φανερῶσιν ὑπόστασιν ἐπὶ γῆς· ἕτερον δὲ τῆς ἁγίας τριάδος ἔλαττον ὁμολογοῦσιν.

δ'. Αἵρεσις.

Ὅτι τῶν τεσσάρων ἁγίων καὶ ἀποστολικῶν θρόνων ἀλλότριοί εἰσι, καὶ χειροτονίαν οὐκ ἔχουσιν· ἐπεὶ παραβάται γεγόνασι [1] ταῖς τῶν ἁγίων πατέρων θεσμοθεσίαις, καὶ τὸν ἔλεγχον αὐτῶν ἐγγράφως ἔχουσι, καὶ ἐν ταῖς βίβλοις αὐτῶν καθεκάστην ἀναγινώσκουσι. Γρηγόριος ὁ τῆς μεγάλης Ἀρμενίας ἐδέξατο τὴν χειροτονίαν ἐν Καισαρείᾳ πόλει. εἰδὼς τοίνυν ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Λεόντιος τὴν κακότεχνον γνώμην αὐτῶν, διὰ γραφῆς ἐδήλωσε τῷ βασιλεῖ Τηριδάτῃ, ὅτι τὴν ἱερωσύνην ἐδέξασθε παρ᾽ ἐμοῦ. καὶ τοῦ θρόνου μου ἀπαρασάλευτος μενέτω ἡ χειροτονία εἰς τὴν καθ᾽ ἡμᾶς ἁγιωτάτην μητρόπολιν. καὶ ἰσχυρὰν καὶ βεβαίαν ἀντιγραφὴν ἐδέξατο περιέχουσαν οὕτως· ὅτι ἐγγυητὰς τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως παραθῶμεν τὴν δεξιὰν τοῦ ὑψίστου, καὶ τὸν τίμιον σταυρόν, ἐν ᾧ ἐτάθη Χριστός, καὶ βάπτισμα εἰς ὃ βεβαπτίσμεθα, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ τοῦ θανάτου πάντων τῶν ἁγίων διὰ Χριστὸν παθόντων, ὅτι ἀπαρασάλευτον ἐπιμένομεν καὶ φυλάξομεν τῇ σῇ προστάξει. καὶ αὐτοὶ καταφρονηταὶ, καὶ ὑβρισταὶ γεγόνασι, καὶ παραβάται τοῦ μυστηρίου τούτου.

ε'. Αἵρεσις.

Σφάλλουσιν ἐν τῇ λειτουργίᾳ αὐτῶν, καὶ οὐκ ἔχουσι τὴν μυστικὴν θυσίαν, ἣν εἶπεν ὁ Χριστός· ἐνέγκατε τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν θύσατε, καὶ φαγόντες εὐφρανθῶμεν. ὁ Χρυσόστομος λέγει· ἅγιος ὁ πατὴρ, ὁ θελητὴς τῆς μυστικῆς θυσίας· ἅγιος ὁ υἱὸς, ὁ ἀεὶ θυόμενος, καὶ μὴ δαπανώμενος· ἅγιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ τελεσιουργὸν τῆς θυσίας· καὶ Γρηγόριος ὁ Θεολόγος λέγει· διὰ τοῦτο ἀμνὸς προσαγορεύεται Ἰησοῦς Χριστὸς, διὰ τὸ πρᾶον, καὶ τὸ ἔνδυμα τῆς πρώτης γυμνώσεως. διὸ καὶ ἡ παροῦσα θυσία τῇ μυστικῇ τραπέζῃ, ἔνδυμα ἡμῖν ἐστιν ἀφθαρσίας, καὶ χιτὼν σωφροσύνης.

ς'. Αἵρεσις.

Τὸ ἄζυμον, τὴν νεκρὰν θυσίαν ἀναισχύντῳ προσώπῳ παριστῶσιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν Ἑβραίων· διὸ ὁ Παῦλος πολυτρόπως γράφει πρὸς Κορινθίους, οὕτω· μικρὰ ζύμη, ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. καὶ πάλιν λέγει· ἐὰν ἡ πρώτη ἄσπιλος ἦν, τὸ δεύτερον χῶρον οὐκ ἔσχεν. καὶ πρὸς Γαλάτας γράφει, ὅτι ἐκατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, ὅσοι ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, καὶ ἐξέπεσον τῆς χάριτος. καὶ πάλιν λέγει· ἐάν τις θελήσει ποιῆσαι ἐν

A cant. Atqui non laudant, qui laudent solum Filium. Ignorant enim majus hoc dehonestamentum esse, non honorem. Alii autem excusant, referre quidem trinam sanctitatem in Deitatem: at vocem, qui crucifixus est, referre in Filium. Hi porro in Nestorii errore versantur, ac sanctam Trinitatem, quaternitatem confitentur.

III. *Hæresis.*

VII. Tres illi cruces conjungunt; ac duas quidem æquali figura ac longitudine faciunt; tertiam vero, minorem ac exiliorem; easque, sanctam Trinitatem appellant. Ea porro res grandes duas
B hæreses continet: Una, quia sancta Trinitas non est figuranda in materia, ac rebus quæ in terra visibiles sunt: altera, quod sanctæ Trinitatis personam unam minorem confiteantur.

IV. *Hæresis.*

VIII. Alieni sunt a sanctis quatuor, ac apostolicis thronis, nec habent ordinationem; siquidem sanctorum patrum scita transgressi sunt, habentque scriptam eorum reprehensionem, ac quotidie legunt in ipsorum libris. Nam Gregorius magnæ Armeniæ episcopus, ordinationem accepit in Cæsarea
C urbe. Cum ergo magnus pontifex Leontius malignam Armeniorum mentem perspectam haberet, per literas significavit Tiridatæ regi, in hæc verba: *A me sacerdotium accepistis; maneat ergo meæ sedi incussum jus ordinationis in vestra metropoli.* Accepitque validum ac firmum rescriptum hujus tenoris: *bujus rei sponsores exhibemus dexteram Excelsi, ac pretiosam crucem, in qua Christus extensus fuit, nec non baptisma, in quo sumus baptizati, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac mortis omnium sanctorum, qui sunt mortui pro Christo, fore ut inconcussi perseveremus, ac servemus tuum mandatum.* Armenii nihilominus spretores facti sunt, violatoresque ac transgressores sa-
D cramenti hujus.

V. *Hæresis.*

IX. Errant in sua Missa, nec habent sacrificium mysticum, quod dixit Christus: *Afferte vitulum saginatum, occidite, & manducantes epulemur.* In quæ verba ait Chrysostomus: * *Sanctus Pater, qui vult mysticam hostiam: Sanctus Filius, qui semper occiditur, nec tamen consumitur: Sanctus Spiritus sanctus, qui sacrificium consummat ac perficit.* Gregorius quoque Theologus: ** *Idcirco, ait, agnus, Jesus Christus appellatur, propter lenitatem, vete-*
E *risque nuditatis indumentum. Quapropter etiam victima mysticæ mensæ apposita, indumentum nobis est incorruptionis, ac tunica castitatis.*

VI. *Hæresis.*

X. Azymum, mortuam hostiam impudenti facie in conspectu Dei juxta Hebræorum traditionem sistunt. Quamobrem Paulus multimode scribit ad Corinthios, in hunc modum: *Modicum fermentum, totam massam fermentat.* Ac rursum ait, *Si primum culpa vacasset, secundum locum non babuisset.* Ad Galatas quoque scribit: *Evacuatos esse a Christo omnes, qui in lege justificantur, ac excidisse a gratia.* Atque iterum: *Si quis unum quid de*

1. Forte τῆς θεσμοθεσίας.

* Homil. de Prodigo.   ** Orat. 42.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.



ἐκ τῦ νόμυ, ἐπικατάρατός ἐςιν ἐαὼ μὴ ποιήσῃ πάντα. A καὶ ὁ σωτὴρ ἐν τῷ ὑπερῴῳ τὸν μυςικὸν δεῖπνον ὅτε ἤθελε τοῖς μαθηταῖς αὐτῦ ἀποκαλύψαι, ἐκ ἐν ἀζύμῳ, ἀλλ' ἐν ἄρτῳ τελείῳ· ὅτι ἐκ ἦν καιρὸς ἀζύμων κατὰ τὸν νόμον τῶν Εβραίων· ἐπεὶ καὶ τὸ μυςήριον τῦτο πρὸ τῦ πάσχα ἦν, καθὼς καὶ ὁ μέγας Ιωάννης ὁ εὐαγγελιςὴς λέγει· πρὸ τῆς ἑορτῆς τῦ πάσχα. καὶ πάλιν λέγει· τῇ ἐπαύριον ἄγυσι τὸν Ιησοῦν ἀπὸ Καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον· ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα.

lege voluerit facere, maledictum esse, nisi omnia fecerit. Salvator quoque dum in cœnaculo cœnam mysticam vellet apostolis revelare, non in azymo fecit, sed in pane perfecto: siquidem non erat azymorum tempus juxta legem Hebræorum. Nam etiam mysterium hoc ante Pascha fuit, quemadmodum magnus quoque Joannes Evangelista ait: *Ante diem festum Paschæ*. Ac rursum ait: *In crastinum adducunt Jesum a Caipha ad prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha.*

ζ'. Αἵρεσις.

VII. Hæresis.

Οτι ὕδωρ εἰς τὸν οἶνον ἐ βάλλυσιν εἰς τὰ θεῖα B μυςήρια· καὶ περὶ τύτυ ὁ ἀπόςολος Ιωάννης ὁ θεολόγος γράφει· ὅτι ὗτός ἐςιν ὁ ἐλθὼν ἐν πνεύματι, καὶ αἵματι, καὶ ὕδατι. καὶ γὰρ ταῦτα τὰ τρία εἰς ἕν εἰσι. καὶ Γρηγόριος ὁ θεολόγος λέγει, ὅτι ἐξῆλθεν ἐκ τῆς πλευρᾶς τῦ κυρίυ αἷμα καὶ ὕδωρ· τὸ μὲν ὡς ἀνθρωπίνως· τὸ δὲ, ὑπὲρ ἄνθρωπον. καὶ Επιφάνιος λέγει· ἐξῆλθεν αἷμα, ὡς ἀπὸ τελείυ ἀνθρώπυ. [1] τῦ δὲ περισσεύματος τῦ ὕδατος, τὴν καθαρότητα [2] τῦ ὕδατος, ἐδήλωσεν, ἐπειδὴ ὁ ςαυρὸς τράπεζα ἐκλήθη· καὶ ἡ σὰρξ τῦ κυρίυ ἄρτος ζωῆς. ὁμοίως καὶ τὸ αἷμα, καὶ τὸ ὕδωρ τὸ ἐκχυθὲν, πόμα ζωῆς. καὶ ἰδὲ ἐαὼ τὸ ὕδωρ τὸ μυςήριον τῆς θεότητος ἔχει, λοιπὸν ἡ θεία λειτυργία ἄνευ ὕδατος, ψιλοῦ ἀνθρώπου σημαίνει σῶμα,

XI. Aquam in vinum in divinis mysteriis non mittunt. De hoc scribit apostolus Joannes Theologus: [a] *Ipse est, qui venit in spiritu, & sanguine, & aqua. Nam hæc tria ad unum sunt.* Gregorius quoque Theologus ait, exisse e latere Domini sanguinem & aquam: * *Alterum quidem, tamquam hominis; alterum, ut humana conditione majoris.* Epiphanius item sic ait: *Exivit sanguis, ut a perfecto homine: aquæ autem ex abundanti adjectio, propter ejus elementi puritatem, divinitatem significavit. Crux quippe mensa appellata est; ac Christi caro, panis vitæ: simili quoque ratione, sanguis & aqua, quæ effusa est, potus vitæ.* En ergo, siquidem aqua divinitatis mysterium habet, plane C jam divinum sacrificium sine aqua, puri hominis corpus ostendit.

η'. Αἵρεσις.

VIII. Hæresis.

Οτι ἄνευ ἅλατος ἔχυσι τὸν ἄρτον· καὶ ἐκ ἀκύεις τῦ σωτῆρος λέγοντος τοῖς μαθηταῖς, ὅτι ὑμεῖς ἐςε τὸ ἅλας τῦ κόσμυ· καὶ πάλιν λέγει· ὅτι πᾶν εἶδος τὸ ἅλας ἀρτύει. ὁ δὲ μακάριος Ιὼβ λέγει. μή ποτε βρωθήσεται ἄρτος ἄνευ ἅλατος; πᾶσαν ἀρρωςίαν ἐπιφέρει τοῖς βεβρωκόσι. καὶ ὁ Ιωάννης ὁ Χρυσόςτομος λέγει· ὅτι εἰς πᾶσαν ὑμῶν λειτυργίαν ἅλας ἐπιβάλετε.

XII. Panem ** absque sale habent: nec audis Dominum dicentem discipulis: *Vos estis sal mundi.* Et iterum ait: *Omnis victima sale salietur.* Beatus quoque Job ait: *Numquid comedi potest panis sine sale?* Plane morbi omne genus edentibus facit. Joannes item Chrysostomus dicit: *In omni sacrificio vestro sal immittite.*

D

θ'. Αἵρεσις.

IX. Hæresis.

Οτι [3] ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐ γινώσκυσι, τὴν πρώτην ἑορτὴν, καὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν τὸ κεφάλαιον καὶ Γρηγόριος ὁ θαυματυργὸς λέγει, ὅτι πᾶσαν ἑορτὴν, καὶ δοξολογίαν, ὡς θυσίας καὶ ὁλοκαυτώσεις προσφέρετε τῷ Θεῷ· ἐξαιρέτως δὲ παρὰ πάντα, τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς Θεοτόκυ, τῆς κεχαριτωμένης, καὶ ἀειπαρθένυ Μαρίας. καὶ πάλιν λέγει· ἐαὼ τις ταύτην τὴν σωτήριον ἑορτὴν ἐπιτελῇ, πλείονα παρὰ πάντας ἔχει τὴν ἀμοιβὴν, καὶ τὴν χάριν παρὰ Θεῷ. ὁ Χρυσόςτομος ἐγκωμιάζων τὴν τοιαύτην ἑορτὴν γράφει· πάλιν χαρᾶς εὐαγγέλια. πάλιν ἐλευθερίας μηνύματα, καὶ τὰ ἑξ'. E καὶ ἐν διαφόροις βίβλοις καθαρὰν τὴν αὐτὴν ἡμέραν δεικνύυσι τῇ Εβραΐδι διαλέξει, Νισὰν [4] ἡ πέμπτη· ἤγουν μαρτίυ εἰκαςπέντη.

XIII. Annunciationem sanctissimæ Dei genitricis non noverunt, primam illam solemnitatem, ac nostræ salutis caput. Ait vero Gregorius Thaumaturgus: *** *Cunctas quidem festorum celebritates ac laudationes, tamquam victimas ac holocausta offerte Deo: præcipue autem ac præ omnibus, sanctissimæ Dei genitricis; illius, inquam, gratia plenæ, ac semper virginis Mariæ, annunciationem.* Ac rursum ait: *Si quis salutare festum hoc celebret, majorem omnibus retributionem ac gratiam apud Deum esse percepturum.* Chrysostomus eam laudans solemnitatem, scribit: **** *Rursus læta gaudii nuncia: rursus libertatis indicia, &c.* In diversis quoque libris liquido festum hoc Hebraica lingua, quinta mensis Nisan, id est, vigesima quinta Martii, indicant.

ι'. Αἵρεσις.

X. Hæresis.

Οτι ἀγνώμονές εἰσι καὶ ἀνόητοι περὶ τῆς τῦ κυρίυ ἡμῶν γεννήσεως· καὶ ἐδὲ κἂν τῦ θεολόγυ Γρη-

XIV. Ingrati sunt ac stulti, quod spectat ad Natale Domini. Ac neque Gregorium Theologum at-

a I. Joan. V. 6.

1. Forte τὸ δὲ περίσσευμα.
2. Lege ὡς θεότητος, ἢ· διὰ τὴν καθαρότητα τῦ ὕδατος, τὴν θεότητα.
3. τὸν εὐαγγελισμόν.
4. Forte τῇ πέμπτῃ.

* Orat. 42.
** Eucharisticum nempe. Consule Humbertum.
*** Orat. 2. in Annunc.
**** Orat. in Annunc. quæ etiam tribuitur Gregor. Thaumat.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.

γορίου προσέχουσι λέγοντος· Χριστὸς γεννᾶται, δοξάσατε. καὶ πάλιν λέγει· ἐφάνη γὰρ Χριστὸς διὰ γεννήσεως· καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ πάλιν λέγει· μικρὸν μετὰ ὕστερον, ὄψει καὶ καθαιρόμενον ἐν τῷ Ἰορδάνῃ τὴν ἐμὴν κάθαρσιν, καὶ τὰ ἑξ· καὶ ἐν τούτῳ δεικνύει, τὴν τοῦ κυρίου βάπτισιν μέλλουσαν εἰσέρχεσθαι· καὶ αὐτοὶ ἔχουσι παραδόσεις, δηλοῦσας· ἐάν τις διαχωρίζῃ τὰ Χριστοῦ γέννα καὶ τὰ φῶτα, ἐπικατάρατός ἐστι. καὶ πάλιν εἰς αὐτὸ μυστήριον γράφει. νῦν δέ μοι δέξαι τὴν κύησιν, καὶ προσκίρτησον, εἴ τοι μὴ ὡς Ἰωάννης ἀπὸ γαστρός· καὶ τὰ ἑξ. καὶ μετὰ μικρὸν γράφει· ἔστω κοινὴ πανήγυρις οὐρανίων, καὶ ἐπιγείων δυνάμεων. πείθομαι γὰρ κἀκείνας συναγάλλεσθαι, καὶ συμπανηγυρίζειν.

A tendunt, cum ait: * *Christus nascitur, glorificate*. Et iterum ait: *Apparuit enim Christus per nativitatem, &c.* Ac rursum ait: *Ac quidem paullo post, etiam purgatione mea in Jordane purgari videbis, &c.* Quibus verbis ostendit, Domini baptismum postmodum venturum esse. Hi autem traditiones habent, quibus statuatur: *Si quis Christi natalitia, ac festum luminum separaverit, maledictus est*. Scribitque iterum in idem mysterium: *Nunc autem partum accipe, ac præsulta: sin minus at Joannes ex utero, &c.* Et post pauca scribit: *Sit cælestium & terrenarum virtutum communis celebritas. Nam & illas simul festum agere, ac pari lætitia gestire confido*.

B

ιά. Αἵρεσις.

XI. Hæresis.

Ὅτι Ἰανουαρίου εἰς τὴν έ. ἔχουσι τὸν εὐαγγελισμόν· καὶ τοῦτο, οὐχ ὅτι περὶ τιμὴν ἁγίαν ἔχουσι τὴν Θεοτόκον· ἀλλὰ περὶ μεγάλην ἀτιμίαν· ἐπειδὴ τὰ μυστήρια τῆς τοῦ κυρίου ἐνανθρωπήσεως, κατὰ τάξιν ἐστὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ· ἀπὸ μὲν τοῦ εὐαγγελισμοῦ, καὶ τῆς συλλήψεως μέχρι τῶν Χριστοῦ γεννῶν, μῆνες θ'. καὶ μετὰ ἡμέρας η. ἡ περιτομὴ τοῦ κυρίου· μετὰ δὲ τεσσαράκοντα ἡμέρας, ἡ ὑπαπαντή· τὸ δὲ βάπτισμα τοῦ κυρίου, καθὼς καὶ αἱ θεόπνευστοι γραφαὶ λέγουσιν, Ἰανουαρίου ς'. οἱ δὲ αἱρετικοὶ ἐν τῇ παραμονῇ τῶν φώτων, ψάλλουσι τάξιν εὐαγγελισμοῦ καὶ λέγουσιν· ὅτι σήμερον σεσάρκωται ἐκ σοῦ ὁ κύριος, καὶ Θεὸς ἡμῶν· καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁμολογοῦσι τὸν Χριστὸν γεννηθέντα, καὶ ψάλλουσι τὴν γέννησιν τοῦ Χριστοῦ· καὶ ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἡ τοιαύτη αἵρεσις δικαιοῖ τὴν αἵρεσιν Εὐτυχοῦς καὶ Σευηριανοῦ τοὺς λέγοντας, ὅτι ὥσπερ [διὰ] σωλῆνος διῆλθεν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου· οὓς καὶ ἀνεθεμάτισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Χαλκηδόνι.

XV. Quinta januarii annunciationem habent: atque id, non quia sanctam Dei genitricem honore prosequantur: sed quia potius dedecore afficiant. Nam dominicæ incarnationis mysteria, certo per annum ordine distributa sunt. Ab annunciatione ac conceptione ad usque Christi diem natalem, novem menses sunt: ac post octo dies agitur dominica circumcisio: post dies autem quadraginta festum Occursus. Domini autem baptisma, quemadmodum etiam a Deo inspiratæ scripturæ loquuntur, VI. die januarii. Hæretici vero pridie Luminum, annuncia- C tionis officium psallunt, ac dicunt: *Hodie ex te incarnatus est Dominus ac Deus noster*: eademque die confitentur Christum natum esse, ac Christi nativitatem psallunt: atque ut videtur, ejusmodi hæresis, Eutychetis ac Severiani hæresi suffragatur, qui dicunt Christum, ceu per canalem, per sanctam virginem pertransisse, quos etiam devovit synodus Chalcedonensis.

ιβ'. Αἵρεσις.

XII. Hæresis.

Ὅτι Ἰανουαρίου εἰς τὴν ς'. οὐ γινώσκουσιν ἑορτάζειν τὰ φῶτα, οὐδὲ ἔχουσιν ἀκολουθίαν βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ· εἰ μὴ μόνον ἀπέρχονται ἐν τῷ ποταμῷ. καταισχύνει δὲ αὐτοὺς Γρηγόριος ὁ θεολόγος, εἰς τὸ ** πάλιν Ἰησοῦς ὁ ἐμὸς, καὶ πάλιν μυστήριον. καὶ μετ' ὀλίγα λέγει· ἀρχὴν μὲν τὸ τοῦ Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει· καὶ πάλιν λέγει· τὴν μὲν οὖν γέννησιν, τὰ εἰκότα προεορτάσαμεν· ἐγὼ μὲν ὁ τῆς ἑορτῆς ἔξαρχος, καὶ ὑμεῖς· διὰ τούτου, πάλιν διαχωρίζει τὰ Χριστοῦ γέννα ἀπὸ τῶν φώτων, καθὼς καὶ πάλιν λέγει· ἐπεὶ δὲ βαπτίσματος ἡ πανήγυρις, καὶ δεῖ μικρότερον προσκακοπαθῆσαι τῷ δι' ἡμᾶς μορφωθέντι καὶ βαπτισθέντι. ἡμεῖς δὲ τιμήσωμεν τὸ τοῦ Χριστοῦ βάπτισμα σήμερον, καὶ καλῶς ἑορτάσωμεν.

XVI. Non norunt sexta januarii celebrare festum Luminum, nec habent officium baptismi Christi; sed tantum abeunt ad flumen. Confundit autem eos D Gregorius Theologus, Orat. quæ incipit: ** *Rursum Jesus meus, & rursum mysterium*. Et post pauca ait: *Initium quidem Christi baptisma habet*. Rursumque ait: *Ac Christi quidem Nativitatem apta solemnitate prius celebravimus, tum ego festi dux & auspex, tum vos*. Per hoc autem rursum separat Christi natalem diem a festo Luminum, quemadmodum etiam postea ait: *Quoniam baptismi festum est, par est, ut ei qui nostri caussa formatus est, ac baptizatus, abunde dicendo adlaboremus; Nos autem hodie Christi baptisma honore prosequamur, ac festum honeste celebremus*.

ιγ'. Αἵρεσις.

XIII. Hæresis.

E

Τοῦτο ἐστι μεγάλη αἵρεσις· ὅτι ἑορτάζουσιν Ἰανουαρίου θ'. ἄλλον εὐαγγελισμὸν, καὶ ψάλλουσι εὐαγγελισμοῦ ἀκολουθίαν, καὶ λέγουσι τὸ εὐαγγέλιον· τῷ ἕκτῳ μηνὶ ἀπεστάλη ὁ ἀρχάγγελος Γαβριὴλ πρὸς παρθένον. καὶ ἂν θέλῃ τις ἀκριβῶς μανθάνειν, ἐστιν ὑπὲρ ἀνθρωπίνην φύσιν· δώδεκα γὰρ μῆνες πληροῦνται ἀπὸ τῶν εὐαγγελισμῶν αὐτῶν, ἕως τὰ Χριστοῦ γέννα αὐτῶν.

XVII. Hæc magna hæresis est: nam IX. Januarii celebrant aliam annunciationem, ac psallunt annunciationis officium, dicuntque Evangelium: *Sexto mense missus est archangelus Gabriel*. Atque ut quis velit intelligere, superat humanæ naturæ rationem. Ab eorum enim annunciationibus, ad tempus quo Domini natale colunt, implentur 12. menses.

ιδ'. Αἵρεσις.

XIV. Hæresis.

Ὅπερ ἐστι μεγάλη στρεβλότης καὶ ἀπωλυμένη αἵρεσις. ἑορτάζουσι γὰρ Ἰανουαρίου εἰς τὴν ιβ'. εἰς τὸν ὄρ-

XVIII. Quæ est magna perversitas ac perdita hæresis. Celebrant enim XII. Januarii in matutinis,

* Orat. 38.

** Orat. 39.

θρον, καὶ ψάλλουσι τὸ βάπτισμα τοῦ κυρίου, καὶ πᾶσαν ἀκολουθίαν τῶν φώτων· καὶ εἰς τὴν αὐτὴν ἡμέραν εἰς τὴν λειτουργίαν λέγουσιν ἀπόστολον καὶ εὐαγγέλιον, καὶ πᾶσαν ἀκολουθίαν τῆς περιτομῆς.

ιε. Αἵρεσις.

Ὅτι μύρον οὐκ ἔχουσι, καὶ τὴν ὕλην τοῦ μύρου οὐ γινώσκουσι πόθεν γίνεται. ἀγνοοῦσι γὰρ τὸν λέγοντα τῷ Μωϋσεῖ· ὅτι λάβε ἐλαίαν ἐκ τῶν ἐλαιῶν, καὶ ποιεῖσαι ἔλαιον ἐξ αὐτοῦ. χρίονται γὰρ ἱερεῖς, καὶ βασιλεῖς, καὶ προφῆται· ὅπερ καὶ ἐπὶ τοῦ Νῶε πρώην τῇ συνεργείᾳ τοῦ πνεύματος ἔδειξε περιστερὰ ἔχουσα κάρφος ἐλαίας ἐν τῷ στόματι αὐτῆς· σημαῖνον τῷ Νῶε τὴν τοῦ Θεοῦ πολλὴν χρηστότητα. ἔλαιον μὲν ἀπὸ παντὸς εἴδους γίνεται. ἀλλὰ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως τοῦτο ἔστιν, ὅπερ ἔδωκεν ἐκ τοῦ ἁγίου πνεύματος. αὐτοὶ δὲ ἐναντιούμενοι τῷ νόμῳ, καὶ θεσμοθεσίᾳ τῶν ἁγίων πατέρων, ποιοῦσιν ἔλαιον σισάμινον, καὶ χρίονται αὐτὶ μύρου, καὶ βαρὺ πωλοῦσιν αὐτό.

ιϛ'. Αἵρεσις.

Ὅτι εἰς τὸ βάπτισμα οὐ χρίουσιν ἔλαιον τοὺς νεοφωτίστους. λέγει γὰρ ὁ ἅγιος Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης παραβολικῶς, ὅτι ἐν καιρῷ ἱπποδρομίου ἐνώπιον τοῦ βασιλέως, οἱ ἐν τῷ σταδίῳ ἄνδρες, ἔνθα οἱ δόκιμοι δρομεῖς φαίνονται, πρῶτον μὲν χρίουσιν αὐτοὺς ἔλαιον, ἵνα μὴ εὐκαίρως κρατηθῶσι παρὰ τῶν ἀντιδίκων αὐτῶν. καὶ τῇ χρίσει τοῦ ἐλαίου δυνῶνται ἐκφυγεῖν τοὺς μέλλοντας αὐτοὺς κρατῆσαι· οὕτω καὶ οἱ μέλλοντες ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ ἅγιον βάπτισμα, πρῶτον μὲν χρίονται ἐλαίῳ, πρὸς τὸ ἐκφυγεῖν τοὺς πολεμίους· ἐπεὶ μέγας ἀντίδικός ἐστι τῶν φωτιζομένων ὁ διάβολος, καὶ δυνήσονται διὰ τῆς χρίσεως τοῦ ἐλαίου καὶ τοῦ βαπτίσματος, τῇ συνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκφυγεῖν τὸν τοιοῦτον θηρευτὴν τὸν διάβολον. καὶ ὁ ἅγιος Γρηγόριος τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, ὅτι ἐβάπτισε τὰς ιθ'. μυριάδας, καὶ τὰς ιβ'. μυριάδας ἐν τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ, [1] ἐγράφει ἐν ταῖς βίβλοις αὐτῶν, ὅτι ὁ μέγας Γρηγόριος τοσοῦτον ἐπέχεε τὸ ἔλαιον εἰς τὸν τοιοῦτον λαόν, ὥστε περιεκύκλωσε τὸν λαὸν τὸ ἔλαιον ἐν τῷ ποταμῷ. ἔχουσι δὲ καὶ τὸν ἅγιον Σίλβεστρον ἐγγράφως, ὅτε ἔμελλε βαπτίσαι τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον, λέγει, ὅτι καὶ χρίσας αὐτὸν ἐλαίῳ, ἐβάπτισεν αὐτόν. καὶ αὐτοὶ οἱ Ἀρμένιοι χρίσμα οὐκ ἔχουσι.

ιζ'. Αἵρεσις.

Ὅτι παραβάται πάντων τῶν ἐντολῶν τοῦ Θεοῦ γενόμενοι, σφάλλουσι καὶ ἐν τῇ εὐχῇ αὐτῶν. εἶπε γὰρ ὁ Χριστὸς τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, οὕτως προσεύχεσθαι· πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ αὐτοὶ ἐδογμάτισαν· μηδεὶς τολμήσῃ εἰπεῖν τό, πάτερ ἡμῶν, εἰς οὐδεμίαν προσευχήν, οὐδὲ ἱερεὺς, οὐδὲ λαϊκός, εἰ μὴ μόνον ὁ λειτουργῶν. καὶ τοῦτο οὐδὲν θαυμαστόν, οὐδὲ ξένον. ἐπεὶ καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραάμ· ὅτι ἔκβαλε τὴν παιδίσκην, καὶ τὸν παῖδα αὐτῆς· οὐ γὰρ οὐ μὴ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης, μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας. οὕτω καὶ ἡ θεία χάρις, οὐκ εὐδόκησε τοὺς ἑτεροδόξους, καὶ ἀλλοτριόφρονας ἐπικαλεῖσθαι τὸν Θεὸν πατέρα, καὶ εἰς υἱοθεσίαν Θεοῦ ἐλθεῖν, μετὰ τῶν ὀρθοδόξων.

ιη'. Αἵρεσις.

Ὅτι εἰς τὸ βάπτισμα οὐκ ἐμφυσῶσι τοὺς βαπτιζομένους, ὅπερ εἰς διαφόρους τόπους εὑρίσκομεν παλαιᾶς τ

A ac psallunt Domini baptisma: totumque officium Luminum, eademque die in Missa dicunt epistolam & evangelium, ac officium totum de circumcisione.

XV. Hæresis.

XIX. Carent unguento, nec sciunt unde fiat unguenti materia. Ignorant enim quis dicat Moysi: *Sume oleum de olivis, & fac oleum ex eo.* Unguntur enim sacerdotes, & reges, & prophetæ: quod & olim temporibus Noe Spiritus sancti auxilio ostendit columba, habens in ore suo ramum olivæ, quo
B Noe symbolo multa Dei benignitas ac clementia inotesceret. Equidem conficitur oleum ex omni specie: oleum tamen unctionis, istud est, quod ex Spiritu sancto traditum est. At illi, adversantes legi ac sanctioni sanctorum patrum, oleum ex sesamo conficiunt, eoque unguntur loco unguenti, ac gravi ære vendunt.

XVI. Hæresis.

XX. In baptismo non ungunt oleo recens baptizatos. Ait enim sanctus Dionysius Areopagita per parabolam; * *Curruli certamine coram rege proposito, qui in stadio positi sunt ubi cursores virtutis*
C *specimen exhibent, primum quidem oleo ungunt corpus, ut ne facile ab adversariis teneantur; possuntque eo delibuti ab iis se tueri, a quibus tenendi erant. Sic & ii, qui ad sacrum baptisma venturi sunt, primum quidem ungendi sunt oleo ut hostes effugiant: Diabolus siquidem magnus adversarius est eorum, qui baptizantur: poteruntque olei unctione ac baptismate, Spiritus sancti opitulante gratia, venatorem ejusmodi, diabolum inquam, effugere.* Sanctum quoque Gregorium magnæ Armeniæ episcopum, quando CXCM. hominum baptizavit, ac cum CXXM. in Euphrate flumine; scripto traditum habent in libris suis, tanta oleum copia infudisse, ut totum circumquaque populum in flumi-
D ne cingeret. Sed & de sancto Silvestro in scriptis habent, cum baptizaturus esset magnum Constantinum, unxisse oleo ac baptizasse; nihilominus Armenii unguentum non habent.

XVII. Hæresis.

XXI. Omnium mandatorum Dei transgressores effecti, in sua quoque errant oratione. Christus enim sanctis suis discipulis ac apostolis, ita dixit orare: *Pater noster qui es in cælis.* Illi vero ita
E sanxerunt: ** Ne quis audeat dicere, *Pater noster*, in ulla oratione, sive sacerdos, sive laicus, excepto dumtaxat peragente rem sacram. Nec hoc mirum aut novum videri debet. Sicut enim Deus Abrahæ dixit: *Ejice ancillam & filium ejus: non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ:* sic nec gratiæ divinæ placuit, ut hæretici ac aliena a fide sentientes, Deum patrem invocarent, atque ad Dei adoptionem una cum orthodoxis venirent.

XVIII. Hæresis.

XXII. In baptismo non insufflant baptizandos: quem ritum invenimus in diversis locis veteris ac

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.

1. Forte ἐγγράφως.

* Cap. I. Hierar. Eccles.

** Confer Conc. Tolet. VI. cap. 10.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.



καὶ νέας. ὁ μὲν Γρηγόριος ὁ Θεολόγος λέγει εἰς τὴν χθὲς * τῇ λάμπρᾳ τῶν φώτων· ἔχω τρεῖς ἐμφυσισμοὺς κατὰ ** τὸν υἱὸν τῆς Σαραφθείας, ὥστε καὶ νεκροὺς ἀνιστᾷν. καὶ ἀλλαχοῦ γράφει ἐν ταῖς βίβλοις, ὅτι ὁ μὲν ἐμφυσισμός, πρῶτον τὴν ψυχὴν ζωοποιεῖ, καὶ θάπτων ἐν τοῖς ὕδασι, τὸν Χριστὸν ἐνδύεται.

ιθʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι τὰς σεπτὰς καὶ ἁγίας εἰκόνας τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς Θεοτόκου, καὶ τῶν ἁγίων οὐ προσκυνοῦσι καὶ ἔχουσιν ἐν ταῖς βίβλοις αὐτῶν τοῦ ἁγίου Σιλβέστρου τὸν βίον· ὅτι ὁ μέγας Κωνσταντῖνος διὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων Πέτρου καὶ Παύλου, ἐπέγνω τὴν ἀλήθειαν καὶ τὴν σωτηρίαν αὐτοῦ. καὶ πάλιν Γρηγόριος τῆς μεγάλης Αρμενίας γράφει, ὅτι εἰδὼς ὁ Θεὸς τοὺς ἀνθρώπους εἰκονολάτρας, οὐκ ἠθέλησεν αὐτοὺς [ἐκ] τὴν συνήθειαν αὐτῶν ἀποκόψαι· ἀλλ᾽ ἀντὶ τῶν εἰκόνων ἐκείνων, ἔδωκε τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα καὶ μορφὴν, καὶ τῆς Θεοτόκου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων· καὶ ἀντὶ τῶν εἰδώλων τὸν τίμιον καὶ ζωοποιὸν σταυρόν.

κʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν εἰς ἐκκλησίαν οὐκ εἰσέρχονται, καὶ σταυρὸν οὐ προσκυνοῦσιν.

καʹ. Αἵρεσις.

Ἔθηκαν θεσμοθεσίαν, ὅτι εἴ τις σάββατον καὶ κυριακὴν, συναριθμήσει εἰς νηστείαν ἐκτὸς τῶν φώτων, ἀνάθεμα ἔστω. καὶ φοβούμενοι τὴν τοιαύτην κατάραν τρώγουσι τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν, σάββατον καὶ κυριακὴν, τύρον· ἄλλοι φανερῶς καὶ ἄλλοι λαθραίως.

κβʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι τὰς μνείας τῶν ἁγίων οὐκ ἔχουσι, καὶ ἀλλότριοί εἰσι, καὶ ἀγνώμονες ἀπὸ πάντων τῶν ἁγίων· καὶ οὐ προσέχουσι τὸν Χρυσόστομον λέγοντα· ὅτι ἐν πολλῇ παῤῥησίᾳ ὁρῶσι τὸν Θεὸν, ὅσοι φιλεόρτῃ καὶ ζεούσῃ ψυχῇ ἐπιτελοῦσι τὰς μνείας τῶν ἁγίων. καὶ ὁ ἅγιος Βασίλειος γράφει· μαρτύρων μνήμης τίς ἂν γένοιτο κόρος τῷ φιλομάρτυρι; καὶ αὐτοὶ ἐγγράφως ἔχουσιν· ὅτι ἱερεὺς ὁ μὴ κατέχων τὰς ἑορτὰς ἐν ἀκριβείᾳ, καθαιρείσθω. ὅτι τὴν κοίμησιν τῆς Θεοτόκου, καὶ τὴν ὕψωσιν τοῦ τιμίου σταυροῦ, εἰ τάχα καὶ ἑορτάζουσιν· ἀλλ᾽ ὡς κλέπται ἀποδιαβάζουσιν, ἄλλοτε ἔμπροσθεν τῶν ἑορτῶν, ἄλλοτε ὄπισθεν, καὶ οὐ διανοίγεται αὐτῶν ὁ νοῦς, προσέχειν τοῦ Θεολόγου λέγοντος εἰς τὸν ἅγιον Κυπριανόν· μικροῦ Κυπριανὸς διέφυγεν ἡμῖν. ὢ τῆς ζημίας· καὶ τὰ ἑξῆς.

Περὶ τῆς ἐσκοτισμένης νηστείας τοῦ Αρτζιβουρίου.

κγʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι νηστείαν τὴν λεγομένην προφωνήσιμον, ἣν παρέλαβον ἐκ τῶν ἀθέων καὶ βεβήλων αἱρετικῶν, τῶν συναχθέντων ἐν τῷ Ματζηκέρτ, ἤγουν τῇ Θεοδοσιουπόλει, καὶ γεγόνασιν ἀποσχισταὶ τῆς τῶν Χριστια-

A novi teftamenti. Sane ait Gregorius Theologus, Oratione in craftinum præclari diei fefti Luminum: [1] *Tres adverfus Sarephthanæ filium inhalationes habeo, ut & mortuos fufcitem.* Alibi quoque in libris fcribit: *Inhalationem, primum quidem vivificare animam, ac in aquis fepelientem, Chriftum induere.*

XIX. Hærefis.

XXIII. Venerabiles ac facras imagines, Chrifti, & Deiparæ, ac fanctorum non adorant: cum tamen habeant in fuis libris fancti Silveftri vitam, qua habetur, ut magnus Conftantinus per fancto- B rum Petri & Paulli imagines, veritatis cognitionem ac falutem adeptus fit. Rurfum quoque fcribit Gregorius magnæ Armeniæ: Quod fciret Deus effe homines adoratores imaginum, noluiffe ab hac illos confuetudine prohibere; fed pro illis imaginibus, fuam, ac genitricis, omniumque fanctorum dediffe imagines: ac loco idolorum, pretiofam ac vivificam crucem.

XX. Hærefis.

XXIV. Per fanctam Quadragefimam non ingrediuntur ecclefiam, nec crucem adorant.

C

XXI. Hærefis.

XXV. Scitum fanxerunt, ut fi quis Sabbatum ac Dominicam, diebus jejunii connumeret, excepta die Luminum, anathema fit: eamque illi maledictionem timentes, per Quadragefimæ Sabbata ac Dominicas, vefcuntur cafeo, alii quidem palam, alii vero occulte.

XXII. Hærefis.

XXVI. Non habent fanctorum memorias, funtque alieni ab omnibus fanctis, ac improbi: nec animum adhibent Chryfoftomo dicenti: *Multa cum fiducia vifuros Deum omnes, qui feftorum amante* D *ac ferventi animo, fanctorum memorias celebrant.* Sanctus quoque Bafilius fcribit: [2] *Memoriæ martyrum, quænam martyrum amanti fatietas fit?* Sed & ipfi fcripto confignatum habent: *Si quis facerdos non exacte dies feftos tenet, deponatur.* Sanctæ Dei genitricis dormitionem, & exaltationem pretiofæ crucis, tametfi forfitan celebrent; nihilominus tamen furum more transferunt, modo ante, modo poft fefta, celebrantes: nec eorum mens aperitur, ut attendant quid dicat Gregorius Oratione in fanctum Cyprianum [3]: *Cyprianus fere nos effugit: O ingens damnum! &c.*

E

De obfcuro Artzeburii jejunio. [4]

XXIII. Hærefis.

XXVII. Jejunium obfervant dictum Prophonefimum, quod ab impiis ac profanis hæreticis traditum acceperunt, congregatis in Matzecert, five Theodofiopoli: quando fciffi funt a Chriftianorum

* Lege τῆς λαμπρᾶς.

** Apud Greg. τοῦ υἱοῦ.

1. Orat. 40.
2. In XL. Martyres.
3. Orat. 18.
4. Balfamon in Refp. *Excipe quartas & fextas ferias* τῆς ἀπόκρεω πρὸ τῆς τυροφάγου, τῆς διακαινισίμου, καὶ τοῦ δωδεκαημέρου, *carnifprivii hebdomadæ laticiniorum ante quadragefimam, & hebdomadam Pentecoftes, & duodecim dierum a nativitate. In illis enim etiam efu carnium fecure jejunium folvimus: quia per duodecim dies jejunant Armenii propter Artziburium.* Igitur conveniunt hebdomada lacticiniorum & Artziburii, & Prophonefimi.

τῶν ὀρθοδόξων πίστεως, καὶ ἐκύρωσαν τὴν τοιαύτην A ἄθεσμον νηστείαν Ιεζάβελ. ἐκείνη γὰρ ἐκήρυξε νηστείαν, καὶ οὐ διὰ δικαιοσύνην, καὶ ἁγιασμόν· ἀλλὰ διὰ τὸ ἐκχέειν αἷμα, καὶ διὰ τὴν μέθοδον τῆς νηστείας, ἀπέκτεινε τὸν Ναβουθέ· ὥσπερ καὶ ὁ Χρυσόστομος ἐν διαφόροις λόγοις στηλιτεύει αὐτὴν, ὡς νηστείαν δόλου, μητέρα πλεονεξίας, οἶκον αἱματοχυσίας ὅλον, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ὀργῆς ἀποκύησιν. οὕτω καὶ οἱ αἱρετικοὶ αὐτοὶ ἐκήρυξαν τὴν τοιαύτην νηστείαν, οὐ διὰ ἁγιασμὸν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀποσχίσαι τῆς τῶν ὀρθοδόξων πίστεως· καὶ τοσοῦτον ἐκύρωσαν καὶ ἐβεβαίωσαν, ὥστε φοβεῖσθαι αὐτοὺς τὴν τοιαύτην νηστείαν καὶ τὸν ὅρκον, ἄλλως ὀργὴν Θεοῦ, καὶ ἀκέφαλον, καὶ ἀνέορτον, ὥσπερ σκηνὴ ἐν ἐρήμῳ, καὶ ὥσπερ σῶμα ἄψυχον, καὶ ψεύδους σκεῦος, καὶ ὥσπερ B χώρα ἄκαρπος. ἐπεὶ δὲ συναντήσῃς τινὶ αὐτῶν, καὶ συζητήσῃς περὶ ταύτης, τί ἂν εἴη ἡ τοιαύτη νηστεία; ἀποκρίνεται ψευδεῖς, καὶ βδελυροὺς λόγους. ἐὰν δὲ ἕτερόν τινα ἐρωτήσῃς· τὸν πρῶτον ψεύστην, καὶ ἀπόβλητον ποιεῖ, καὶ λέγει ἄλλα ἀσύστατα· καὶ βλαβερωτάτην, καὶ οὕτως ἀσύμφωνον ἔχουσι τὴν τοιαύτην νηστείαν. ἐγράφη γὰρ ἐν ταῖς παροιμίαις, ὅτι ὁ ἐλπίζων ἐπὶ τὸ ψεῦδος, ἀνέμους ἐπινέμεται· πορεύεται ἐν γῇ ἀνύδρῳ καὶ ἀκάρπῳ, καὶ συνάγει ἀκαρπίαν.

A orthodoxa fide, ac scelefte illud jejunium Jezabel sanxerunt. Nam illa jejunium prædicavit, non propter justitiam ac sanctitatem; sed ut effunderet sanguinem, ac jejunii arte interfecit Nabuthe: quod & Chrysostomus in diversis sermonibus exagitat, ut dolosum jejunium, ut injuriæ matrem, ut fusi inique sanguinis ingurgitatam domum, iræ Dei parentem. Ita & hæretici isti, ejusmodi prædicaverunt jejunium, non sanctificationis caussa, sed ut se ab orthodoxorum fide abscinderent: sicque illud confirmarunt ac ratum voluerunt, ut ipsum timeant, ac quod emiserunt sacramentum, cum alioqui sit ira Dei, ac acephalum, nec solemne, tamquam tabernaculum in deserto, ac sicut corpus inanime, B ac mendacii organum, ac sicut infrugifera regio. Ubi porro eorum aliquem habueris obvium, atque ab eo fueris percontatus, quidnam jejunium ejusmodi velit: respondebit falsa quædam ac exsecranda. Ubi autem alium quempiam interrogaveris, priorem illum mendacem faciet, ac rejiciet, dicetque alia absona: sicque exitiosissimum ac inconsonum habent tale jejunium. Quippe scriptum est in Proverbiis: [a] *Qui sperat in mendacio, pascit ventos: ambulat in terra inaquosa ac sterili, congregabitque sterilitatem.*

κδʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι τὴν τυρινὴν, ἣν παρέλαβεν ἡ τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησία παρὰ τοῦ ἁγίου Σιλβέστρου, καὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, καὶ καθεξῆς πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες· ἣν καὶ ὁ μέγας Βασίλειος ἐκύρωσεν καὶ ἐβεβαίωσεν· αὐτοὶ δὲ δεξάμενοι δόγματα παρὰ τῶν ἀθέων αἱρεσιαρχῶν, ἐβεβήλωσαν τὴν τοιαύτην νηστείαν, καὶ ἐσθίουσι τὰ κρέας.

XXIV. Hæresis.

C XXVIII. Lacticiniorum jejunium, quod Ecclesia Christiana a Silvestro ac Constantio Magno traditum accepit, ac deinceps receperunt omnes sancti patres; quod & magnus ille imperator confirmavit, susceptis illi impiorum hæresiarcharum doctrinis, polluerunt, inque eo carnes comedunt.

κεʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι καταφρονοῦσι τὴν θείαν λειτουργίαν, καὶ οὔτε ἀλλάττουσιν, οὔτε ἔχουσιν ἀλλαξήματα τῆς θείας λειτουργίας, τὰ ἅπερ ἐκανόνησεν ὁ μέγας Σίλβεστρος· ἐδήλωσε τὸ μυστήριον· ὅτι τὸ φελώνιον τὸ κυκλοῦν ὥσπερ τεῖχος, πάντα τὰ μέλη ἔνδοθεν ἀποκλείει, D καὶ εἰκονίζει μετὰ φόβου Θεοῦ εἰσελθεῖν εἰς τὸ ἔνδοθεν τοῦ νοὸς οἰκητήριον, καὶ ἐκεῖσε προσομιλῆσαι Θεῷ· αὐτοὶ δὲ ἕκαστος, εἴ τις ἐνδύεται καὶ πολιτεύεται εἰς διαφόρους τόπους, οὕτως εἰσέρχεται εἰς τὸ θυσιαστήριον. καὶ οἱ ἐπίσκοποι αὐτῶν καὶ ἡγούμενοι, οὐ μόνον ὅτι σκεπαζόμενοι λειτουργοῦσιν· ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ καιρῷ τῆς λειτουργίας, καὶ ἕτερα καμελαύκια βάλλουσι· καὶ μετὰ δύο καμελαύκια λειτουργοῦσιν.

XXV. Hæresis.

XXIX. Rem sacram contemnunt, neque ornatum mutant, aut habent sacrarum vestium varietatem pro sacro ministerio, quas magnus Silvester lege sanxit: ac quarum sacramentum declaravit. Nempe D phelonium, quod muri instar, dum membra omnia in circuitu claudit, cum Dei timore in interius mentis domicilium ingrediendum innuit, ac illic cum Deo fabulandum. Eorum autem quilibet, iis vestibus indutus, quarum usus communis est, quasque nullo passim discrimine adhibere solemus, ita ad altare ingreditur. Eorum item episcopi ac præpositi, nedum sacris operando caput tectum habent; sed & inter celebrandum duplex capitis operimentum assumunt; sicque duplici pileo rem sacram peragunt.

κϛʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι τὴν μεγάλην ε. τῶν μυστικῶν δείπνων τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ἀπαρχὴν τῆς νέας διαθήκης, ἐν ᾗ πάντες οἱ Χριστιανοὶ μεταλαμβάνουσιν, οὔτε τοῦ μυστικοῦ δείπνου [1] προσέχουσιν.

XXVI. Hæresis.

E XXX. Magna quinta feria mysticæ Cœnæ Domini nostri Jesu Christi, primitiis illis novi testamenti, quando Christiani omnes communicant, nec quidem mysticam Cœnam percipiunt.

κζʹ. Αἵρεσις.

Ὅτι τὰ τῶν Ἑβραίων φρονοῦσι, καὶ ποιοῦσι τὸ πάσχα μετ᾽ ἀμνοῦ ἐνιαυσιαίου, καὶ χρίουσι τὸ αἷμα τοῦ ἀμνοῦ τὰς φλιὰς, καὶ φυλάττουσιν ἐκ τοῦ τοιούτου αἵματος εἰς ἁγιασμὸν αὐτῶν. καὶ ἐλέγχει αὐτοὺς Γρηγόριος ὁ θεολόγος εἰς τὸν λόγον εἰς ὃν γράφει· ἐπὶ τῆς

XXVII. Hæresis.


XXXI. Sectantur Hebræos, ac pascha faciunt cum agno anniculo, agnique sanguine postes linunt, atque ejus sanguinis reliquias servant pro sanctificatione. Eos porro arguit Gregorius Theologus in ea Oratione in qua scribit: [b] *Super custo-*

[a] Prov. X. 4.

1. Lege μετέχουσι.

[b] Orat. 42.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1145.



φυλακῆς μου στήσομαι φησιν ὁ θαυμάσιος Ἀμβακούμ. καὶ μετὰ πολλὰ λέγει· δεῦτε ἐξέλθωμεν ἐκ τοῦ νόμου. καὶ πάλιν λέγει· θύσατε μὴ μόσχους· μὴ ἀρνοὺς κέρατα ἐκφέροντας καὶ ὁπλάς· καὶ τὰ ἑξῆς· ἀλλὰ θύσατε θυσίαν αἰνέσεως, ἐπὶ τῇ ἄνω τραπέζῃ, μετὰ τῶν ἄνω τάξεων. καὶ ὁ Χρυσόστομος εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἑρμηνεύει· λαβὼν τὸν ἄρτον ηὐλόγησε· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. καὶ ἴδε πῶς πολυτρόπως χωρίζει τὴν νέαν διαθήκην ἐκ τῆς παλαιᾶς τῶν Ἑβραίων, καὶ λέγει· ὅτι τὸ μὲν ἐδόθη παρὰ Μωσέως τῶν πρωτοτόκων Ἰσραὴλ εἰς σωτηρίαν· τὸ δέ, παρὰ τοῦ σωτῆρος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. εἰσί τινες οἱ λέγοντες, ὅτι χρὴ καὶ τὸν ἀμνὸν ποιῆσαι· καὶ γράφει ὁ Χρυσόστομος ὅτι οὐχί· ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἐποίησεν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τὴν (B) νέαν διαθήκην, ἵνα ἡ παλαιὰ ἀργήσῃ.

(A) diam stabo, *inquit admirabilis Habbacuc*: postque multa ait: *Age vero, a lege recedamus*. Rursusque dicit: *Mactate non vitulos novellos, nec agnos cornua producentes, & ungulas, &c. verum Deo in superno altari cum cælestibus choris sacrificium laudis immolate.* Chrysostomus quoque in Evangelium Matthæi exponit: [1] *Accipiens panem, benedixit: Hoc facite in meam commemorationem*. Vide ut multis modis novum testamentum, a veteri Hebræorum dirimat: aitque illud datum a Mose in salutem primogenitorum; istud vero a Christo salvatore in remissionem peccatorum. Sunt qui dicant, oportere agnum quoque immolare: negat vero Chrysostomus, scribens, ideo Dominum nostrum Jesum (B) Christum novum testamentum condidisse, ut vetus aboleretur.

κή. Αἵρεσις.

Ἡ βδελυκτὴ θυσία ἡ κατὰ τῶν Ἑβραίων. φέρουσι βοῦν ἢ κριόν, καὶ γραμμάζουσι μετὰ βαμμάτων κοκκίνων, καὶ εἰς τὰ κέρατα αὐτῶν ὀπώρας παντοίας, καὶ φέρουσιν αὐτὸν εἰς τὴν θύραν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἀλείφουσι μετὰ βουτύρου τὰ μέλη τοῦ βοός, εἴτε τοῦ κριοῦ. καὶ θύουσιν αὐτὰ εἰς τὴν θύραν τῆς ἐκκλησίας· καὶ λέγουσιν αὐτὸ δεσποτικὴν θυσίαν.

XXVIII. Hæresis.

XXXII. Exsecrabilis Judæorum victima. Adducunt bovem, aut arietem, in quorum cornibus, fructus varios coccino depingunt, tumque ad ecclesiæ fores statuentes, ac butyro membra bovis, seu arietis inungentes, pro ecclesiæ foribus immolant: remque, Dominicam victimam appellant.

κθ'. Αἵρεσις.

(C) Ὅτι εἰσὶν ἀνόητοι καὶ ἀγνώμονες, καὶ οὐ πιστεύουσιν ὅτι τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ ἐκχυθὲν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας· ἀλλ' ὅτε ποιήσουσι λειτουργίαν τῶν προαπελθόντων, λέγουσιν ὅτι ἐὰν μὴ γίνεται σφαγμονή, καὶ χυσία αἵματος προβάτων, ἢ βοῶν ὑπὲρ τῶν τεθνεώτων, οὐ γίνεται ἀνάπαυσις τῶν ψυχῶν ἡμῶν, οὐδὲ ἐνεργεῖ ἡ ἀναίμακτος θυσία, ἐὰν μὴ γίνονται σφαγμοναί. ταῦτα συντόμως διήλθομεν, διὰ τὴν πολυλογίαν τὰ πλείονα καταλειπόμενοι.

XXIX. Hæresis.

XXXIII. Stulti sunt ac improbi, nec credunt Christi sanguinem pro mundi salute effusum: quinimmo eum pro defunctis rem sacram faciunt, negant fieri animabus requiem, nisi jugulentur oves aut boves, eorumque sanguis effundatur, pro iis qui obierunt: alioqui inefficax esse incruentum sacrificium. Hæc quæ compendio percurrimus, pluribus omissis caussa brevitatis.

1. Homil. LXXXIII. in 26. Matth.

E X P L I C I T.

E C K B E R T I

PRESBYTERI ET MONACHI SCHONAUGIENSIS


S E R M O N E S

adversus pestiferos fœdissimosque Catharorum, (qui Manichæorum hæresim innovarunt) damnatos errores ac hæreses.



ACCEDIT

breve ex Augustino de Manichæis Excerptum per eumdem Eckbertum.



ILLUSTRISSIMO RECTORI

PONTIFICALIS CATHEDRÆ IN COLONIA DOMINO REGINOLDO, FRATER ECKBERTUS SCHONAUGIENSIS CŒNOBII MONACHUS,

hoc munusculum ex meditationibus suis.


IN vestra diœcesi frequenter contigit deprehendi quosdam hæreticos, qui diebus istis plurimum notabiles sunt in erroribus suis. Hi sunt quos vulgo Catharos vocant: gens perniciosa nimis Catholicæ fidei, quam velut tineæ demoliuntur & corrumpunt, ambulantes in astutia multa. Muniti sunt verbis sacræ scripturæ, quæ aliquo modo sectis eorum concordare videntur, & ex eis sciunt defendere errores suos, & oblatrare Catholicæ veritati: rectæ autem intelligentiæ, quæ in sacris verbis latet, & non sine magna discretione agnoscitur, nimis expertes sunt. Ego itaque operæpretium duxi errores eorum describere, & annotare auctoritates scripturarum, ex quibus se defendunt, ac demonstrare quomodo sane intelligi debeant: simulque eas partes fidei nostræ, quibus se opponunt, proponere: & quibus scripturæ auctoritatibus, quibus vexationibus defendi possint, cum superno adjutorio demonstrare: ut qui ista legere & in memoria habere curaverint, aliquanto promtiores sint ad disceptandum cum illis, si quando, ut assolet, in populo fuerint deprehensi. Valde enim linguosi sunt, ac semper in promtu illis est quod adversum nos dicere possint. Et est non parva verecundia nostris, qui litteras sciunt, ut sint muti & elingues in conspectu illorum. Cum essem Canonicus in Ecclesia Bunnensi, sæpe ego & unanimis meus Bertolphus, cum talibus altercati sumus: & diligenter attendi errores eorum ac defensiones. Multa quoque de illis innotuerunt per eos qui exierant de conventiculis eorum, & resipuerant a laqueis diaboli. Propterea & abundantius ea quæ de illis sunt, & quæ contra illos dici possunt, in hunc librum cum Abbatis mei domini Hildelini exhortatione congessi, vestræque celsitudini antiquæ familiaritatis caussa transmisi: quatenus si forte coram vobis tales examinari contigerit, munita sit ex his sermonibus prudentia vestra, ad obstruenda ora loquentium iniqua, & ad confirmandum vacillantes animos seducibilium hominum, qui dolosis sermonibus illorum decepti, ambulare eos secundum veritatem existimant. Rogo autem, ut si rationabilem forte judi- A caveritis hujus libri compositionem, & in aliquo utilem Christianæ religioni fore perspexeritis, in commune eum venire faciatis, ut sit in scandalum generationi illi pessimæ cunctis diebus.

S E R M O I.

De hæresibus, adversus quas disceptatio assumitur.

I. UNam pretiosam margaritam a sponso suo Christo Jesu in dotem accepit virgo Ecclesia, fidem Catholicam: & hæc, quod dolendum B est, insidiatores multos patitur his diebus, qui moliuntur conterere eam. Pericula novissimorum temporum, ut æstimo, venire cœperunt, de quibus in Evangelio salvator prophetavit, quando de signis quæ diem judicii essent præcessura, loquens ad discipulos, sicut scribit Matthæus, hæc inter cetera dicebat: *Tunc si quis vobis dixerit, ecce heic Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce heic est in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus est, nolite credere.* Et C quidem si tam insanæ mentis adhuc quispiam venerit, qui se dicat esse Christum, nondum audivimus: sed de psaudoprophetis, qui dicunt esse in penetralibus Christum, jam multa percipimus. Ecce enim quidam latibulosi homines perversi & perversores, qui per multa tempora latuerunt, & occulte fidem Christianam in multis stultæ simplicitatis hominibus corruperunt, ita per omnes terras multiplicati sunt, ut grande periculum patiatur Ecclesia Dei a veneno pessimo, quod undique adversus eam effundunt: nam sermo eorum serpit ut cancer, & quasi lepra volatilis longe lateque discurrit, pretiosa membra Christi contaminans. Hos nostra Germania, *Catharos*: Flandria, *Piphles*: Gallia, *Texerant*, ab usu texendi appellat. Sicut de eis prædixit Dominus, dicunt in penetra-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



libus esse Christum: quia veram fidem Christi, & verum cultum Christi, non alibi esse dicunt, nisi in conventiculis suis, quæ habent in cellariis & in textrinis, & in hujusmodi subterraneis domibus. Apostolorum vitam agere se dicunt: sed contrarii sunt fidei sanctæ, & sanæ doctrinæ, quæ a sanctis Apostolis, & ab ipso domino salvatore nobis tradita est. Ipsi etenim sunt de quibus apostolus Paullus epistola ad Timotheum ita locutus est: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium & probibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.*

De conjugio. Hæresis prima.

I. Et quidem vere hi sunt ad quos pertinet hic sermo, quoniam nuptias reprobant & condemnant, ita quod non aliud quam æternam damnationem promittunt eis, qui in conjugali vita permanent usque in finem. Approbare quidem se dicunt quidam ex eis, illorum conjugium, qui virgines conveniunt, sed nec illos salvari posse dicunt, nisi ante finem vitæ suæ abinvicem separentur: ac per hoc tale quoque conjugium prohibent.

Secunda, de usu carnium vitando.

Carnem omnem vitant, qui perfecte sectam illorum ingressi sunt: non ea caussa qua monachi, aut alii spiritualiter viventes ab ea abstinent, sed idcirco vitandum esse esum carnis dicunt, quia de concubitu nata sit omnis caro: & ex hoc immundam esse arbitrantur.

Tertia, de creatione carnium.

Et hanc quidem rationem manifestius dicunt, sed in occultis suis, quod pejus est dicunt, videlicet omnem carnem facturam diaboli esse: ideoque neque in summis necessitatibus eam ullatenus gustant.

Quarta, de baptismo parvulorum.

De baptismo varie loquuntur. Baptismum nihil prodesse dicunt parvulis qui baptizantur: quia per seipsos baptismum petere non possunt: quia nullam fidem possunt profiteri.

Quinta, de baptismo aquæ.

Est autem aliud quod inde communius sed occultius loquuntur, videlicet quod nullus baptismus in aqua prosit ad salutem. Inde & eos qui ad sectam illorum transeunt, suo quodam occulto modo rebaptizant, quem baptismum in Spiritu sancto & igne fieri dicunt.

Sexta, de animabus mortuorum.

De animabus mortuorum talem sententiam habent, quod in ipsa hora exitus sui, vel transeunt ad æternam beatitudinem, vel ad æternam damnationem. Non enim recipiunt quod credit universalis Ecclesia, videlicet esse quasdam purgatorias pœnas, in quibus animæ quorumdam electorum ad tempus examinentur pro peccatis suis, de quibus in hac vita per condignam satisfactionem ad plenum purgatæ non sunt. Propterea ergo arbitrantur A superfluum & vanum esse orare pro mortuis, eleemosynas dare, missas celebrare, & irrident pulsationes campanarum quas facimus, quæ tamen pia ratione in Ecclesiis fiunt, ut videlicet vivi ad orandum pro mortuis commoveantur, & ad memoriam propriæ mortis excitentur.

Septima, de Missæ contemtu.

Missas quæ in Ecclesiis celebrantur omnino spernunt & pro nihilo ducunt. Nam si forte cum populo in quo habitant, ad audiendum missas, sive etiam ad percipiendam Eucharistiam accedunt, omnino hoc simulatorie faciunt, ne infidelitas eorum B possit notari. Ordinem quippe sacerdotii in Romana Ecclesia, & in cunctis Ecclesiis Catholicæ fidei omnino perisse dicunt, nec usquam nisi in secta eorum veros sacerdotes inveniri.

Octava, de corpore & sanguine Domini.

Corpus Domini & sanguinem nullo modo nostra consecratione fieri, aut a nobis per communicationem percipi posse credunt: se autem solos in mensis suis corpus Domini facere dicunt. Sed in verbis illis dolum habent: non enim verum illud corpus Christi significant, quod de virgine natum fuisse credimus, & quod passum est in cruce: sed sui ipsius C carnem corpus Domini vocant: & in eo quod sua corpora nutriunt cibis mensæ suæ, corpus Domini se facere dicunt. Nec intactum præteribo quod audivi a quodam viro fideli, qui agnita eorum perfidia & secretis quibusdam turpitudinibus, de societate eorum exivit.

Nona, de humanitate Salvatoris.

Nam in Domino Salvatore ita errare eos affirmabat, ut dicerent eum non vere natum ex virgine, nec vere humanam carnem eum habuisse, sed simulatam carnis speciem: nec ex mortuis eum resurrexisse, sed mortem & resurrectionem simu-D lasse. Propter quod & Christianis pascha celebrantibus, vel negligenter hoc celebrant si inter ipsos sunt, vel occasiones quærunt discedendi de medio eorum quibus cohabitant, ne cum eis solemnizare cogantur. Celebrant pro eo aliud quoddam festum, in quo occisus est hæresiarcha eorum Manichæus, cujus proculdubio hæresim sectantur, quod beatus Augustinus contra Manichæos Beina [1] appellari dixit. Meus autem recitator ab eis quibus ipse fuerat commoratus, Malilosa dixit vocari, & autumnali tempore celebrari. Præter hæc & novam quamdam, & hactenus inauditam insaniam de eis compertam habemus, quam manifeste confessi sunt quidam eorum, cum examinarentur a clero in ci-E vitate Colonia, ubi & a populo ferventis zeli combusti sunt.

Decima, de humanis animabus.

Dicebant enim animas humanas non aliud esse, nisi illos apostatas spiritus, qui in principio mundi de regno cælorum ejecti sunt: & eos in humanis corporibus posse per bona opera promereri salutem: sed hoc non nisi inter eos, qui ad eorum pertinent sectam.

Talia jam longo tempore latenter susurraverunt, lustrantes ubique domos seductibilium hominum, & multas in his temporibus infelices animas, ut audivimus, captivas ducunt retinaculis susurri pes-

1. Bema.

dat, tum quia id quod dicitis nec ratione, nec aliqua auctoritate sanctæ scripturæ potestis confirmare. Non sibi ipsi concordat error vere [1], quia si primo homini mulierem, ut dicitis, interdixit, & adhuc eadem interdictio manet: tunc nec conjugium virginum, nec eorum qui post violatam virginitatem conjuncti sunt, licitum aut justum est. Item ex eo vos stultos judico, quia manifestis scripturæ sanctæ testimoniis contraitis. Nam Paullus Apostolus ait: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, libera est a lege viri, ut jam non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Cui vult*, inquit, *nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum consilium meum.* Item ait: *Volo adolescentulas viduas filios procreare, matresfamilias esse*. Quod de mulieribus ait, idem & de viris intelligendum est. Si ergo licitum est, ut Apostolus ait, ut mulieres viduatæ viris, iterum aliis nubant, & viri viduati uxoribus alias ducant; constat plane, quoniam non solum conjugia virginum licita & justa sunt, sed eorum quoque, qui ante conjugium suum virgines non fuerunt.

XII. Scio autem quoniam & in hac parte nobis contraitis, & objicitis nobis quædam verba Joannis Chrysostomi, quæ in expositione Matthæi scribit dicens: *Secundam quidem uxorem accipere, secundum consilium Apostoli est: secundum veritatis rationem, vera fornicatio est.* Si secundum permittentem Deum publice & licenter committitur, honesta fornicatio est: & ego vobis dico, si credendum est doctrinæ Joannis Chrysostomi, certe credendum est & doctrinæ sancti Augustini, & Hieronymi, & aliorum sanctorum patrum, quorum vita sancta erat, & quorum doctrina cum sanctis Evangeliis & scriptis apostolorum concordabat, & in Romana Ecclesia, ad quam religionis Christianæ respectum habemus, auctoritatem firmissimam habet. Audite quid & isti de secundis nuptiis dicant. Augustinus in libro de viduitate scribit hoc modo: *Secundas nuptias omnino licitas concedit Apostolus. De tertiis autem, de quartis, & de ultra pluribus nuptiis, solent homines movere quæstionem. Sed quis audeat diffinire, quod nec Apostolum audio diffinisse? Ait enim: Si dormierit vir ejus; cui vult nubat, tantum in Domino. Non dicit primus, non secundus, vel tertius, vel quotuslibet; nec nobis definiendum est. Unde, ut breviter respondeam: nec ullas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.* Idem & Hieronymus testatur dicens: *Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia digamiam, immo nec trigamiam; & ita licere quinto & sexto, quemadmodum secundo marito nubere.* Sufficiant nunc testimonia istorum duorum, qui affirmant secundas nuptias licitas esse, quod certe nequaquam facerent, si scirent in eis esse turpitudinem fornicationis. Et quia isti in verbis quæ inducta sunt concordant cum verbis apostolicæ doctrinæ magis quam illa Chrysostomi Græci doctoris, ista quidem recipiuntur, illa vero non approbantur, neque recipiuntur in auctoritate. Ipsi animadvertite. Numquid vobis rationabile videtur, quod dicit secundum conjugium esse fornicationem, & ipsum esse secundum consilium Apostoli? Certe omnem fornicationem diffuadet Apostolus, & absterret homines A ab ea, cum dicit: *Fornicatores & adulteros judicabit Dominus.*

XIII. Quomodo ergo convenit, ut dicatur aliqua fornicatio esse secundum consilium ejus? Laudamus certe Chrysostomum illum & aureum os ejus, sed non in his verbis eum laudamus. Æstimo tamen quod non in verbis illis hæresim sapiebat Joannes, quam vos tenetis, ut videlicet secunda conjugia omnino illicita esse judicaret, quemadmodum fornicationem. Sed ob hoc fortasse dicebat hoc quod nobis objicitis, quoniam in secundis nuptiis disceditur a sacramento unitatis, quæ debet esse inter Deum & animam hominis, cujus B significatio in monogamia est: & forte ob hoc quoque quod secunda conjugia magis extra pudicitiam sunt, quam prima, & nimis vehementer hanc persuadere cupiebat eis, quibus prædicabat.

XIV. Ad hoc iterum redeo, quod dicitis unam tantum prolem debere generare conjuges, qui virgines convenerunt. Unde hoc habetis? Quæ vobis scriptura hoc determinavit? Nonne ex verbis Apostoli, quæ nunc induxi, patet, quoniam non solos monogamos, sed etiam bigamos licet plures filios procreare; & debent, ut dicitis statim ab invicem separari, post quam unam habuerint pro- C lem? Interrogo quare? Si ut dicitis, hoc conjugium justum est solum, quare solvendum est? aut si solvi necesse est, ut salutem consequi possint homines illi, quomodo justum est conjugium eorum? Si ergo omne conjugium, ut dicitis, solvi debet; qui sunt qui debent observare illud mandatum Apostoli: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* O insensati Cathari! quis vos fascinavit non credere veritati tot testimoniorum divini eloquii, ut destruere velitis omnia legitima conjugia, quæ a principio mundi usque in hodiernum diem in honore fuerunt per universum mundum, in omni genere hominum, & fidelium & infidelium? D Puto quod ex amore castitatis hæc omnia dicitis. Puto quod ex amore castitatis hanc consuetudinem inter vos habetis, ut in conventiculis vestris, sicut ab uno hæresiarcha vestro audivi, pariter dormiant duo viri in lecto uno: itemque duæ mulieres in lecto uno, quatenus se vicissim custodiant, & unusquisque testimonia suæ castitatis ab alio habeat. Magnæ religioni deputabat consuetudinem hanc qui narrabat hoc mihi. Sed indubitanter a consilio maligni est religio hæc, & non adeo frenatum est os meum pudore, ut loqui non possim ea quæ de vestra misera castitate dicuntur ab eis, qui experti sunt eam. Vos conjugalem copulam reprobatis, quam instituit Deus, & quæ cum lege na- E turæ concordat. Attendite vobis ne forte ob hanc temeritatem justo Dei judicio traditi sitis in ignominiam, quæ a lege naturæ discordat. Hactenus de conjugio nos disputasse sufficiat, nunc autem de ea sanctitate vestra colloquimur, qua ab esu carnium abstinetis.

SERMON VI.

Contra secundam hæresim de esu carnium.

I. Vobis loquor quos, sicut dixi, non homines, sed dæmones Apostolus vocat, cum dicit: *Attendentes doctrinis dæmoniorum, loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere: &* subauditur, docentium *abstinere a cibis, quos Deus*

1. Leg. *vester*.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui noverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Dicite mihi de quo genere ciborum locutus est Apostolus hoc loco? Si ignoratis, dicam vobis. Carnes significavit, & de vobis locutus est, qui in hypocrisi loquimini mendacium, videlicet non esse licitum hominibus ut nubant, & ut carnes manducent. Hoc in hypocrisi loquimini, quia in hoc casti & sancti coram hominibus vultis apparere, sed est mendax hæc vestra doctrina. Nam & nubere licet, sicut Apostolus in hoc ipso demonstrat, quod eos abominatur, & dæmones vocat, qui hæc prohibent. Et carnes edere licet eis, qui votum non habent abstinendi ab eis. Ratio vestra est, quare edendæ non sint carnes, quia de coitu nascitur omnis caro, & ideo immunda est, & coinquinat manducantem.

II. Miror si Dominus creator omnium rerum, quando hominibus concessit ut ederent carnes, ignorabat hanc vestram sanctam rationem, videlicet immundos fieri omnes qui ederent carnes, pro eo quod omnis caro ex concubitu nasceretur. Heu! quod non habebat Catharum unum, qui ei hanc sapientiam in aurem susurrasset, in illa hora quando dedit potestatem edendi carnes Noe & filiis ejus dicens: *Crescite & multiplicamini, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum universis qui moventur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradita vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Nonne ecce patet ex his verbis, quod Deus fecit homini licitum manducare carnes? Et qua fronte, qua audacia vos dicitis esse illicitum? Certe si sciebat omnem carnem ita pollutam, ut non posset quisquam ex ea gustare quin pollueretur, non satis fidelis erat Deus, quando concessit homini talem cibum, quem sine pollutione sua non potuit manducare. Si vero hæc Deus nesciebat, & vos scitis: puto vos sapientiores esse Deo, & magnos amatores munditiæ. Sed quam falsum hoc sit vos ipsi scitis. Num quid & sapientiores & sanctiores estis sanctis patriarchis, qui licitum æstimabant esum carnium, & ipsi ex eis vescebantur? Sanctus patriarcha Abraham qui dignus habitus est, ut familiariter loqueretur cum Deo, legitur suscepisse hospitio angelos Dei, in forma trium virorum, quibus & prandium fecit, & vitulum tenerrimum & optimum, quem coxerat, eis apposuit ad manducandum. Quod utique non fecisset vir sanctus & sapientissimus, si sciret in tali cibo immunditiam esse. Sed & filius ejus Isaac pulmentum de venatione, a filio suo Esau petiit, & edulium de hædis oblatum ab Jacob manducavit. Sacerdotes quoque populi Israel, & omnes qui de genere sacerdotum erant, carnes legalium hostiarum in loco sancto manducare a Domino jussi sunt. Quia si ita immunda esset omnis caro, ut vos arbitramini, numquam tot sacrificia de carnibus animalium Deus sibi super altare suum offerri præcepisset. Numquam in sancta lege sua de comestione earum sacerdotibus suis aliquid mandasset, neque per eas sanctitatem eorum pollui permisisset.

III. Ad hæc forsitan respondetis, quoniam multa in tempore veteris legis licita erant, quæ licita non sunt in tempore hoc evangelicæ legis: & majorem munditiem exigit Deus a populo novi testamenti, quam a populo qui erat sub priore testamento. Et idcirco istis vitandæ sunt carnes, quamvis illi ab eis non abstinerent. Ego vero ad hoc dico, quoniam si ut dicitis, aliqua naturalis immuditia est in carnibus animalium, quæ coinquinet manducantem, eadem & tunc erat, quia ejusdem creationis & conditionis erant tunc, cujus sunt & nunc. Item si licitus non est esus carnium; ostendite nobis aliqua mandata evangelicæ aut apostolicæ scripturæ, aut aliquorum orthodoxorum patrum traditiones, in quibus generaliter præceptum sit ut abstineatur ab eis, & credemus vobis. Dominus salvator quando ad prædicandum discipulos suos misit, inter cetera dicebat hæc ad eos: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra. In eadam autem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Videtis quod non exclusit a cibis eorum usum carnium, ita ut diceret: Quod si vobis apposuerint carnes, nolite manducare. Quod utique dixisset, si esum carnium sanctitati eorum periculosum fore existimasset. Dicite mihi: Si immunda est omnis caro, & coinquinat manducantem, quomodo verum erit quod salvator dixit: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Ergo, o Cathari, non carnes vos coinquinant, si manducaveritis eas, sed mendacia vestra, quibus creaturam Dei bonam dicitis esse immundam.

IV. Non tamen hoc dico, quasi mihi sit curæ, ut umquam aliquid boni manducetis aut bibatis, qui populo Dei tam perversæ doctrinæ mortiferum poculum ubique propinatis. Audite nunc quid Apostolus noster scribens ad Corinthios dicat. [a] *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo ejus. An nescitis quod in macello carnes venumdari solent?* Si ergo omne quod in macello venit, id est, venumdatur, manducari licet, tunc secundum Apostoli verbum, & carnes manducari possunt a Christianis. Quod autem adjunxit: *Nihil interrogantes propter conscientiam*, ideo dixit, quia in tempore illo, etiam carnes immolatæ idolis, vendebantur in macello, & nolebat Apostolus ut Christiani eas ementes interrogarent, utrum immolatæ fuissent idolis, an non, ne forte alius Christianus adhuc infirmus in fide, sciens eos scienter manducare idolothyta, putaret eos manducare ea sub veneratione idoli, cui fuissent immolata. Et sic ipse quoque inciperet idola venerari. Simile est & illud, quod subjungit: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatitium est, nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius*, subaudi infirmi, sicut prædictum est. Si ergo carnes illæ, quæ fuerant dæmonibus immolatæ, non poterant contaminare manducantem illas, eum videlicet cui non fuisset indicatum de eis, quod essent immo-

[a] I. Cor. X. 25. seqq.

lætitiæ; multo minus illæ, quæ numquam talibus sacrilegiis adhibitæ sunt.

V. Illud forte objicitis mihi, quod Apostolus ad Romanos scribens ait: [a] *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum*. Et ego quidem idipsum concedo, quoniam hoc homini bonum est. Quare bonum? quia qui abstinet ab esu carnium, & potu vini, longius est ab eo peccato, quod contrahitur per concupiscentiam gulæ, quam qui utitur istis. Suavia enim sunt hæc ad gustandum, & facile provocant concupiscentiam gulæ, ut supra quam oporteat delectetur, in his qui gustat ea, quod quidem peccatum est. Item idcirco bonum est, ut per abstinentiam istorum corpus affligatur, & per afflictionem corporis major a Domino merces acquiratur. Et hæ quidem sunt caussæ quibus monachi, & fideles viri pœnitentes ab illis se abstinent. Attamen quamvis concedatur, quoniam sicut ait Apostolus: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum*; non ex hoc concedi oportebit, ut vobis videtur, quoniam malum est comedere carnes & bibere vinum: quia possibile est ita temperate hominem istis uti, ut non peccet. Nam & salvator bibit de genimine vitis cum discipulis suis, & tamen numquam peccavit. Quod autem non necessaria sit contentio ista: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum*, ergo malum est homini manducare carnem, & bibere vinum, in simili sermone demonstrabo. Scimus quoniam bonum est silentium, & multum a spiritualibus viris commendatur, quoniam qui silet, longius est a peccato linguæ, quam qui loquitur. Nam qui non peccat in verbo, hic perfectus est vir. Si ergo bonum est silere, malum est loqui. Numquid hoc necessario sequitur? Nequaquam. Quoniam simul hæc vera sunt, videlicet bonum est silere, & bonum est loqui. Itaque non manducare carnem, & non bibere vinum, cum dicatur bonum quasi cautum, non quasi virtus; non oportet ut ob hoc dicatur malum esse comedere carnes, & bibere vinum, quia in hoc continuo intelligeretur, quod esset vitium & peccatum.

VI. Verumtamen non multum est necessarium assumere nos hanc disputationem hoc loco: quia si recte animadvertimus tenorem scripturæ, unde sumta sunt hæc verba, patet, quia non simpliciter dictum est: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum*. Nam cum dixisset in præcedentibus loquens de escis: *Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat*, protinus addidit: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum*, continuoque subjunxit: *Neque in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur*. Et est sensus: quandoquidem malum est homini aliquid manducare per offendiculum, ita ut alium suo cibo scandalizet; *bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum*: nempe, subaudis aliquid tale, *in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur*. Est ergo generalis quædam comprehensio quorumlibet ciborum in his verbis, ut intelligi possit & de faba, & legumine idipsum. Nam si quis ista comedendo fratrem suum scandalizaret, bonum esset illi non comedere ista. Suaviores autem cibos nominatim expressit, a quibus difficilius abstinetur, ut suaderet dimitti etiam concupiscibiles cibos, caussa fraternæ caritatis. Id autem in tempo-

A re illo necessarium existimabat suaderi, quia erant quidam ita perfectæ fidei, ut nullum cibum æstimarent immundum, sicut & Apostolus dicebat: *Omnia quidem munda sunt*: & erant quidam adhuc ita infirmi in fide, ut æstimarent a quibusdam esse abstinendum: veluti Judæi noviter conversi, quia abominabantur eos, qui porcinam, vel idolothyta coram eis manducabant, & ex hoc scandalizabantur. Propter hujusmodi ergo dicebat: *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas*. Et de se ipso dicebat: *Quia si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Itaque si quod objectionis in his verbis Apostoli, B quæ inducta sunt, habebatis, exinanitum est.

VII. Adhuc dicite mihi: Carnes non manducatis, quia ex coitu veniunt. Et quare pisces manducatis, qui similiter ex coitu veniunt? Nihil heic rationis habetis. Puto peccatum est coitus gressibilium, & volatilium, & non natatilium; & in peccatis concipitur & nascitur omne animal; & ideo sine peccato non possunt manducari carnes eorum. Falsum est hoc totum, o Cathari, falsum est: quia nullum umquam mandatum susceperunt aut suscipere potuerunt de vitando coitu. Et ideo nihil magis rationabile est quod dicitis, non comedimus vaccam, quia de coitu nata est, quam si diceretis, C non comedimus vaccam, quia cornuta est. Non esse de coitu natam, nihil magis peccatum est, quam esse cornutam.


Contra tertiam hæresim, de creatione carnium.

VIII. Scimus autem quia princeps erroris vestri Manes talem habebat vitandarum carnium rationem, quod dicebat omnem carnem creatam esse a diabolo, & humani quoque corporis conditionem ei attribuebat. Animam vero a Deo creatam affirmabat. Et sicut compertum habeo, vos quoque in occultis vestris eamdem rationem vitandarum carnium susurratis. Sed hoc quoque mendacium men- D dacissimum est, nisi, quod absit! mentiatur scriptura veritatis, quæ dicit: *Dixit quoque Deus; Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ juxta species suas, & jumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum*. Quod si non sufficit scriptura veteris testamenti ad comprobandum vobis, quod omnem carnem fecerit Deus, audite scripturam evangelicam, quæ dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Si ergo omnia per Verbum Dei facta sunt, ergo & omnis caro per ipsum facta est. O E maniatice Manes cum insanis sequacibus tuis! ille vos adjuvet sicut ipsum decet, quem Deo adjutorem in creatione rerum constituistis. Gens maledicta! quid indiguit Deus adjutorio diaboli, ut non posset perficere conditionem universitatis, nisi eum diabolus adjuvisset? An nescitis quoniam tantæ malitiæ est, ut si possit, uno momento omne quod ad laudem Dei est in mundo destrueret, & ad nihilum redigeret potius quam crearet?

IX. Taceo nunc de corporibus irrationabilium, de corpore hominis loquor, qui specialiter est conditus ad serviendum Deo viventi, & ad resistendum per omnia diabolicæ voluntati. Certe si creaſ-

[a] Rom. XIV. 21.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1154.



set corpus ejus diabolus, numquam tam honeste, tam ordinate, aut commodè mambra ejus disposuisset, sicut sunt. Quoniam si rectè animadvertuntur, secundum mirabilem sapientiam & benignitatem cuncta ordinata sunt, sicut omnibus patet. Cetera animalia sic condita sunt, ut prono ad terram corpore, & vultu demisso incedant, solus vero homo ita dispositus est in corpore, ut incedat rectus & aptum habeat vultum ad suspiciendos cælos, ad quos totam mentis intentionem dirigere debet. Et numquid putatis, si disposita fuissent membra humana secundum arbitrium diaboli, qui interminabile odium adversum omnes nos gerit, & cunctis bonis nostris invidet, talem nobis honorem præ ceteris animantibus præstitisset? Nequaquam: immo nos tales maluisset condidisse, ut toto corpore serperemus per terram, aut erectis sursum pedibus, & converso in terram capite manuum officio sicut fieri posset incederemus. Quomodo enim amet honorem & commodum humani corporis sæpius ostendit in illis, quos pro aliquibus delictis Deus ab illo flagellari permittit, sicut & in muliere illa quam illigavit Satanas XVIII. annis, ita ut non posset sursum aspicere, & in eo quem frequenter in ignem & in aquam misit, ut eum perderet, & in aliis quam pluribus. Patet ergo ex his quæ dicta sunt, quoniam si idcirco carnibus abstinetis, quia nascuntur ex coitu, fatui estis. Si vero idcirco, quod opificium sint diaboli, sicut mentitus est princeps vester Manes, constat quoniam insani estis cum illo. Et nunc ad alia transeamus.

SERMO VII.

Contra quartam hæresim de baptismo parvulorum.

I. De Baptismo parvulorum, dicitis quoniam inanis est, quod neque illis prodest ad salutem, neque aliquibus qui non sunt ejus discretionis ut possint credere, aut per seipsos gratiam baptismi postulare. Confirmatis autem, ut æstimo, errorem istum auctoritate evangelici sermonis, quem locutus est Dominus, quando ad baptizandum misit discipulos suos dicens: [a] *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* [b] *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabit.* Hinc, ni fallor, hujusmodi argumentationem sumitis ut dicatis: Nemo credere potest, nisi discretionem habeat boni & mali; parvuli autem cum baptizantur, discretionem boni & mali non habent; ergo non credunt; condemnantur ergo cum ante annos discretionis moriuntur. Si hoc dicitis scire debetis, quia non rectum in verbis veritatis intellectum habetis. Quod enim Dominus ait: *Qui non crediderit condemnabitur*, non ita accipiendum est, quasi dictum sit de omnibus qui non credunt, sed tantum de his qui credere possunt, & nolunt. Parvulos enim quia baptizantur, & necdum credere possunt, imbecillitas sensus sui excusat, ut non comprehendantur in sententia illa, qua condemnantur non credentes. Sic autem pluribus in locis sancta scriptura loquitur, quasi universitatem quamdam comprehendat, ubi tamen universitas intelligenda non est, sed de universitate aliquid excipiendum est, ut patet in priori parte ejusdem sermonis, quem de Evangelio induxi, ubi ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ecce enim hoc videtur dictum de omnibus qui credunt & baptizantur, quod salvandi sint; sed non est ita. Nam multi credunt & baptizantur, nec tamen salvabuntur, quoniam ad tempus credunt & in tempore tentationis a fide recedunt, vel per malam vitam fidem suam inutilem reddunt. Propterea ergo, ut dixi, de universitate credentium, quæ ibi videtur comprehensa, aliquid excipiendum est, ita ut dicatur hoc dictum esse non de omnibus credentibus, sed de illis qui habent fidem, quæ per dilectionem operetur, & in ea perseverant, ita ut non refrigescat caritas eorum in tentatione, & non recedant corda eorum a Deo. Si ergo prior particula illa sermonis, quæ communiter dicta videtur, stare non potest nisi aliquid de universitate excipiatur; non debet videri incongruum, si etiam posteriorem partem ejus ita exponimus, ut eam non universaliter intelligendam esse dicamus.

II. Tale est & illud, quod idem salvator in Evangelio de sacramento corporis & sanguinis sui pronunciavit dicens: [c] *Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* Hoc enim videtur dictum de omnibus, qui manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini: sed non est intelligendum nisi de illis, qui digne manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini. Multi enim manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini indigne, & non ex hoc habent vitam æternam, sed ut dicit Apostolus, *judicium sibi manducant & bibunt, non dijudicantes corpus Domini.* Itaque, ut dixi, illa sententia qua dictum est: *Qui non crediderit, condemnabitur*, non ad omnes non credentes pertinet, sed ad eos qui cum habeant possibilitatem credendi, non credunt. Excipiuntur enim parvuli qui baptizantur, & necdum credere possunt.

III. Forte adhuc vobis videtur, quia injuriam faciamus litteræ evangelicæ, quæ videtur pertinere tantum ad eos qui possibilitatem habent credendi. Sed quæso respondete mihi de simili littera, quæ in sancta scriptura invenitur. Jacobus Apostolus in epistola canonica scribit, dicens: [d] *Qui non peccat in lingua, hic perfectus est vir.* Numquid hoc pertinet ad omnes communiter, qui non peccant in lingua? Certe si omnes qui peccatum linguæ non committunt, perfectæ sunt sanctitatis, omnes infantes, & omnes muti, sancti & perfecti judicandi sunt: quod falsum esse nulli dubium est. Itaque quod dictum est, *Qui non peccat in lingua, hic vir perfectus est*; ita intelligi necesse est, ut dicatur, esse perfectus qui cum possit & sciat peccare in lingua, abstinet per Dei timorem, ut non peccet in ea. Tale est & illud quod Apostolus ait: *Qui non laborat, non manducet.* Nam universaliter pronuntiari videtur de omnibus non laborantibus, sed non est ita. Nam si de illa sententia nullus qui non laborat excipiendus est; tunc neque pueri, neque senes, neque infirmi manducare debent, qui non laborant. Ad eos ergo pertinet verbum hoc, qui cum possint laborare, non laborant, sed otio vacant. Simile est & illud: *Qui vero male egerunt, in resurrectionem judicii.* Hoc quoque generaliter dici videtur de omnibus qui male agunt, sed excipiuntur ab hac sententia qui mala agunt & postea pœnitent, & in bono perseverant. Multa in scripturis sanctis similiter dicta inveniuntur, sed non est necesse plura ad præsens negotium exempla induci. Et nunc si a-

a Matth. XXVIII. 19. b Marc. XVI. 15. 16. c Joan. VI. 55. d Jacob. III. 2.

liam habetis defensionem erroris vestri, proferte A eam; quoniam hæc de qua nunc locuti sumus, non proderit vobis.

IV. Popule stulte & insipiens! numquid non cognoscitis tempus? An nescitis quoniam scripturæ sanctæ vocant tempus gratiæ omne hoc tempus, quod a Christi nativitate usque ad finem sæculi decurrit? Iccirco autem gratiæ tempus vocatur, quia in eo dilatata est misericordia Domini super genus humanum, & apertus est sinus Dei ad suscipiendas animas hominum, magis quam in omnibus sæculis, quæ fuerunt ante Christi adventum. At si ita est, ut prædicat impietas vestra, videlicet quod omnes qui ante annos discretionis B moriuntur, condemnantur, & nullum eis remedium constitutum est a Deo, quo possint adjuvari ab Ecclesia Dei, ut oporteat eos ex necessitate effluere in perditionem æternam; durus certe & immisericors est Deus magis quam fuisset in temporibus, quæ adventum Christi præcesserunt, & minus curans de hominum salute. A tempore enim Abrahæ usque ad Christum, constitutum erat a Deo in populo Judaico, qui erat ex Abraham, ut omnis infans masculus die octava a nativitate sua circumcideretur in carne sua ad generationem pertinente, ut sic liberaretur a peccato originali, cum quo nascitur omnis homo, & pro quo damnatur omnis C anima, quæ non fuerit aliquo remedio ab eo purgata.


V. Quia autem pro animarum salvatione datum fuerit illud mandatum, aperte cognosci potest ex verbis Domini, quæ ad Abraham locutus est, quando ei circumcisionis præceptum dabat, dicens: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emtitius circumcidetur. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ecce in hac commixtione evidenter cognosci potest, quod propter conservationem animarum eorum, ipsos jussit circumcidi. D Et hoc animadvertite, quod non dixit exspectandum esse usque dum pervenisset homo ad annos discretionis, & tunc esse circumcidendum, cum per seipsum postulare posset circumcisionem: sed die octavo jussit circumcidi infantem, quia sciebat fragilitatem corporis humani: & quod levi infortunio contingere potest, ut exstinguatur homo, antequam ad annos maturitatis perveniat. Quia ergo ita festinari voluit circumcisionem, iccirco fecit, ut salvæ fierent animæ, & non inciderent in damnationem æternam per maculam originalis peccati, quod a primis parentibus contraximus omnes. Potuit etiam nimirum eadem circumcisio fieri ante diem octavum, si periculum mortis parvulis im- E minere videbatur. Sicut & nos pro eadem caussa ante tempus nonnumquam parvulos baptizamus, cum tamen sit constitutum ab Apostolicis patribus, ut vel in Pascha, vel in Pentecoste baptizemus. Sicut autem parvuli masculini sexus ab originali culpa, per circumcisionem expiabantur, ita & feminei sexus infantes per legales oblationes ab ea purgabantur, ut & ipsarum animæ non perirent a populo suo.

VI. Ante tempus autem circumcisionis ab Adam usque ab Abraham, qui primus suscepit circumcisionis mandatum, fieri solebant oblationes Deo, ab his qui Dei cultum habebant, per quas deleri potuit originale peccatum, atque alia peccata fragilitatis humanæ in electis Dei tam pusillis quam magnis, ut salvæ fierent animæ eorum, quoniam numquam misericordia Dei humanum genus omnino dereliquit. Ecce talis erat Deo de infantibus cura prioribus sæculis ut conservarentur animæ eorum a perditione; & numquid æstimatis, impia gens, quod oblitus sit ejusdem misericordiæ suæ Deus in tempore isto, quod gratiæ tempus & annus benignitatis vocatur? An putatis quoniam minus amet filios & filias Christianorum, quam infantes Judæorum, quibus constituit circumcisionem, ut non perirent animæ eorum a populo suo?

VII. Jussit autem cessare circumcisionem post ascensionem Christi per doctrinam apostolorum, quorum unus dicebat: *Si circumcidamini Christus nihil vobis prodest.* Circumcisionis autem loco esse voluit baptismum aquæ, ut eo purificaretur a peccatis omnis homo tam pusillus quam magnus, quicumque fuisset mersus eo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Et quidem si est, ut vos dicitis, videlicet quod tantum adultis & non etiam parvulis prosit baptismus ad salutem; non habet tantam virtutem baptismus nunc, quantam habuit circumcisio in tempore suo observata. Super hoc ergo mihi respondete: Quando constituit Dominus ut baptismus fieret in Ecclesia, & cessaret circumcisio; tunc vel voluit & non potuit dare baptismo eam virtutem, quam habuerat circumcisio, videlicet ut per ipsum conservarentur animæ infantium: vel potuit hoc & noluit: vel nec voluit hoc nec potuit. Si voluit, & non potuit; non erat tantæ potentiæ, quantæ fuerat olim, quando constituit fieri circumcisionem, & per eam animas parvulorum conservavit a damnatione. Quomodo ergo verum erit quod dicit scriptura: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra?* Si autem potuit & noluit; non est in hoc tempore gratiæ tam large benignus, neque tam fidelis erga populum Christianum, ut fuerat erga populum Judaicum, & in eo quod abstulit circumcisionem, in qua poterant conservari animæ infantium, & nihil in loco ejus fieri ordinavit per quod possent adjuvari. Si autem nec voluit nec potuit Deus facere per baptismum eam misericordiam parvulis, quam fecerat per circumcisionem; consequens est, ut neque tam potens neque tam benignus sit in tempore hoc, ut fuerat in diebus antiquis. Quod quidem tam alienum est a veritate, quam Catharus a salute. Et si verus est sermo vester, melius certe atque felicius fuisset mundo, ut Judaica lex quæ adjuvare potuit tam pusillos quam magnos in statu suo permansisset, & ut ad eam omnes gentes confluxissent, quam ut lex Christiana mundum intrasset, quæ ut susurratis, prodesse non potest, nisi his qui ad annos discretionis perveniunt. Vix certe media pars hominum vivendo pervenit ad dies suos, in quibus scire possint quid credere debeant, aut quid non. Si ergo omnes tales necesse est perire, merito debet intolerabilis esse tristitia toti Ecclesiæ, pro ea mutatione, quam in ea fecit Deus, in hoc quod interdixit circumcisionem, & pro ea baptismum constituit, & tanta millia animarum in perditionem ire permittit, quibus putatur prodesse baptismus, & non eis prodest, ut docet hæresis vestra.

VIII. Quid ergo aliud faciet Rachel, nisi ut sine intermissione ploret filios suos, & non velit consolari, quia non sunt? Quomodo ergo tempus istud recte dici potest tempus gratiæ, & non magis tempus iræ? Immo o fili iræ, o Cathari semen nequam, filii scelerati; nunc est tempus gra-

SECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



tiæ, & non iræ: *Nunc tempus acceptabile, nunc* A *dies salutis*: quia, sicut prædixi, dilatata est misericordia Dei super hunc mundum magis quam in prioribus sæculis. Nam ante salvatoris adventum regnavit mors & perditio in humano genere, & premebat ira Dei totum mundum, & paucissimæ animæ in illo tempore salvæ fiebant a morte æterna. Omnes enim gentes creatorem suum ignorabant, & idololatriæ deserviebant, præter Judaicam gentem, in qua notus erat Deus, & quæ legibus & obsequiis veri Dei erat mancipata. In hoc autem tempore ostendit Deus misericordiam suam in universo mundo, & notus fieri voluit in cunctis finibus terræ, & constituit baptismi gratiam, non uni genti, ut circumcisionem Judæis, sed omni B generi hominum; ita ut quicumque baptizatus fuerit in nomine ejus, sive Judæus, sive Græcus, sive Latinus, sive barbarus, pusillus aut magnus, mas sive femina, servus sive liber, remissionem omnium peccatorum in eo consequatur tam plenarie, ut si mox per baptismum de hac migret vita, aperta sit ei janua regni cælestis. Tantam vero virtutem salvationis non habebat circumcisio in veteri populo. Nemini quippe pusillo & magno quamtumcumque innocens aut sanctus esset, introitus regni Dei aperiebatur per circumcisionem, aut per aliquas observationes legis antiquæ. Sed quicumque electi erant ad regnum Dei in populo illo, detinebantur animæ eorum in locis sibi desti- C natis a Deo, exspectantes donec per virtutem Christi patefieret eis accessus ad perfectæ beatitudinis gloriam.

IX. Propter hæc ergo quæ nunc dixi, merito hoc tempus Christianitatis, tempus gratiæ, & tempus acceptabile dicitur, & dies salutis dies isti vocantur, qui magis dies perditionis dici possent, si ita esset, sicut vos impie susurratis. Non autem id me dicere æstimetis, quod omnes qui in Ecclesia secundum quod constitutum est a Domino baptizantur, ita remissionem peccatorum suscipiant, ut qualitercumque postea vixerint, tamen ad regnum D Dei perveniant. Sed hoc dico, & fides nostra inconcusse hoc tenet: Quicumque parvuli, sive a bono homine, sive a malo, etsi sit hæreticus, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizantur, & morte præveniuntur antequam maturescant, salvantur per baptismum & per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia Catholica, quæ invocat nomen Domini pro salute eorum, qui baptizantur in ea, sicut olim salvabantur per circumcisionem & per fidem patrum. Qui vero ad annos maturitatis perveniunt, si gratiæ in baptismo acceptæ, vita eorum consors fuerit; hos & baptismus, & fides Catholica, & operum rectitudo perducunt ad salutem. Qui vero pravis operi- E bus vitam suam commaculant, & contra mandata Dei pompis diaboli deserviunt; hi profecto gratiam Spiritus sancti in baptismo acceptam, in se ipsis exstinguunt, & nihil his prodest baptismus ad salutem, sicut & circumcisio multis Judæorum perverse gradientibus, nihil profuit ad salutem consequendam. Hæc est nostra Catholica fides, de his qui baptizantur, quæ palam in Ecclesia Dei semper prædicata est temporibus apostolorum & sanctorum patrum, qui eis in Romana Ecclesia, aliisque Ecclesiis, usque ad hæc tempora nostra successerunt, & qui leguntur prædicasse in manifesto & baptizasse in Christo, senes & juvenes, mulieres & parvulos.

X. Ad illud vero redeo quod dixi, salvari parvulos per baptisma, & per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia, quæ invocat nomen Domini pro salute eorum qui baptizantur in ea. Hoc vobis incredibile esse dicitis quod alicui homini prodesse possit alterius fides apud Deum. Et quare vobis est incredibile? Si scitis Evangelia, revolvite ea, & invenietis, quoniam Dominus salvator cum inter homines conversaretur, & miracula divina operaretur, multis qui male habebant, misericordiam suam exhibuit; non propter ipsorum merita, sed propter fidem aliorum, qui ipsum deprecabantur pro eis. Legimus siquidem de muliere Chananæa, quod rogabat Dominum pro filia sua, quæ male a dæmonio vexabatur, & ipse auditis miserandis clamoribus matris, tandem misertus est super eam & dixit: [a] *O mulier! magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora*. Ecce in eo quod ait, *Magna est fides tua*, aperte declaravit, quoniam per fidem, quam in ipsum mater habebat, meruit ut sanaretur filia ejus, quæ nec fidem, nec sanam mentem habebat. Et de Centurione legimus, quod pro sanitate paraclytici servi sui Dominum deprecatus est. Cui cum dixisset Dominus, *Ego veniam & curabo eum*, atque ille respondisset: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus*; admiratus est Dominus super fide ejus dicens: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel*: moxque illi dixit; [b] *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora*. Nonne & his verbis patet, quoniam fides viri postulantis, ei pro quo postulabat profuit ut sanaretur?

XI. Respondebitis forte, quod de his de quibus nunc dictum est, videlicet puella obsessa, & puero paralytico, fides postulantium pro eis profuit quidem ad corpus, sed non ad animarum sanitatem: & dicitis, quod ad salutem animæ consequendam, unumquemque tantum propria fides adjuvare possit, & non fides aliorum quantumcumque clament pro eo. Et nunc aliud exemplum vobis adducam, quod in hac parte contra vos est. Scriptum est in Evangelio Lucæ, quia *factum est in una dierum, & Jesus sedebat docens, & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Judææ, & Jerusalem; & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre & ponere ante eum, & non invenientes qua parte inferrent eum præ turba, ascenderunt super tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto in medio ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua*. Ecce in eo quod dicit Evangelista: [c] *Quorum fidem ut vidit*, manifeste dat intelligi, quoniam fides illorum quam habebant de potentia ejus, beneplacita erat Domino: & quod specialiter propter ipsam illi data est, primum quidem remissio peccatorum, quæ ad salutem animæ illius pertinebat; & postmodum sanitas corporalis, quando eidem paralytico dicebat: *Tibi dico surge; tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Si enim hanc misericordiam Dominus eidem paralytico fecisset ob meritum fidei ipsius, & non propter illorum fidem, nequaquam dixisset Evangelista, *quorum fidem ut vidit*; sed magis, cujus fidem ut vidit. Hæc nos animadvertentes confidimus, quod nostram quoque fidem respiciat Dominus Jesus, quan-

a Matth. xv. 28. *b* Matth. VIII, 13. *c* Luc. V. 20.

do infirmum nostrum ipsi offerimus curandum. A Portamus siquidem & nos paralyticum in lecto, & ponimus ante Jesum, quando parvulum bajulamus ad baptisma, petentes ut baptizet eum & salvet. Anima quippe rationalis adhuc originali peccato constricta, & nihil adhuc naturalium virium exercere valens in corpore puerili; cui melius comparatur quam homini intus per peccatum constricto, & foris per paralysim in membris dissoluto jacentique in lecto? Et pro illo quidem nihil aliud postulabant amici ejus, nisi ut corpore sanaretur: ipse vero ex gratuita bonitate prius quod majus erat, præstitit, sanando a peccatis eum in anima, & postmodum etiam quod petebatur, adjecit, corporalem ei sanitatem restituendo: & approbata est B fides illorum, qui hoc quod minus erat eum posse credebant. Est autem indubitanter major fide illorum nostra fides, cum qua paralyticum nostrum Domino præsentamus, ac magis spiritualis petitio nostra, petitione illorum. Credimus quippe, quod quemadmodum potest per baptismum purificare majorum animas ab omni peccato, tam actuali quam originali: ita potest & parvulorum animas liberare ab originali peccato sine meritis ipsorum, sicut & sine meritis suis. Præfatus ille paralyticus, & in anima & in corpore sanatus est. Credimus inquam hoc, & fideliter ab ipso postulamus, si quando ei parvulos baptizandos offerimus: ipse enim invisibiliter illis præsens est illic, & ipse invisibiliter baptizat omnes, qui cum invocatione sanctæ Trinitatis aquis immerguntur.


XII. Nolite mirari super hoc quod dixi, quoniam ipse invisibiliter baptizat eos qui baptizantur. Scriptum quippe est, quod Joannes Baptista tale de ipso testimonium pronuntiavit dicens: *Qui misit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat: & vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Idem quoque dicebat ad turbas de Christo: *Qui post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Ex his verbis securi sumus ipsum Dominum Jesum Christum esse communem baptistam omnium, qui in Catholica Ecclesia baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis, ita videlicet quod ipse invisibiliter spiritum eorum sanctificat in Spiritu sancto, & ab omni peccato emundat: inde est quod dicimus, quia sive bonus, sive malus sit ille, per cujus manus corpus hominis, qui baptizatur, aquis visibiliter immergitur; non ex hoc plus vel minus operatur virtus baptismi remissionem peccatorum, & invisibilem sanctificationem in anima ejus, qui regeneratur. Propterea Paullus apostolus scribens Corinthiis, qui de baptistis suis se jactabant, redarguit eos dicens: *Significatum est mihi ab his qui sunt Cloes, quoniam contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem Paulli, ego vero Cephæ, ego autem Apollo, ego vero Christi.* Æstimabat enim quisque eo se esse sanctiorem, quo erat sanctior ille a quo fuerat baptizatus. Hoc vero nequaquam ita est, quoniam nihil sanctitatis ei qui baptizatur præstat ille qui visibiliter baptizat, sed omnem spiritualem gratiam, quæ in baptismo confertur, ipse summus sacerdos Dominus Jesus Christus præstat illic per virtutem Spiritus sancti, & ad illam quidem omne genus hominum, qui ad ipsum converti volunt, admittit quantumlibet sint onerati peccatis: solos autem parvulos, sicut dicitis, qui minimum peccati habent, inde repellit. Nequissima gens cur hoc dicitis? Nonne ipse communiter omnes vocavit, cum dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos?* Certe cum hoc dicebat piissimus ille procurator salutis humanæ, videbat omnem hominem laborare sub pœnalitate, quam induxerat mundo culpa originalis: videbat simul, quoniam præter ipsum nemo vivebat hominum in tempore illo, vel victurus erat super terram, cujus non esset onerata anima peccatorum gravamine, ita ut nec infans unius diei expers esset peccati.

XIII. Quod intelligens Paullus Apostolus dicebat: [a] *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur. Omnia*, inquit, id est, omnis generis homines, omnis ætatis homines: *conclusit*, id est, concludi permisit sub peccato, *ut omnium misereretur*, tribuendo omnibus remissionem peccatorum. Si ergo conceditis & parvulos omnes conclusos esse sub peccato, necesse est ut concedatis ad eos pertinere misericordiam Dei, & ipsos quoque ad latum gremium benignitatis ejus cum ceteris invitare, vocatione ipsius qua dicit: *Venite ad me omnes, qui* C *laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Reficiam* inquit. Refectio ista quam promisit præstatur in hac vita spiritui nostro, in eo quod per Spiritum sanctum a peccatorum gravamine exoneratur, atque in eo quod cum superaddita gratia adjuvatur ad resistendum fomiti peccati, & ad insistendum bonæ operationi. Præstatur & post hanc vitam, quando datur ut requiescat homo a cunctis laboribus. Omnem hanc refectionem promisit omnibus venientibus ad se. Et qua ratione putatis quod eam recuset parvulis venientibus ad se? Putatis quod dicat Dominus: Omnes veniant ad me quantumlibet sint peccatores, soli parvuli qui nondum satis habent peccati, maneant foris? Non veniunt, dicitis, sed adsportantur ab aliis, & iccirco D non dat eis gratiam, quam aliis peccatoribus. Et nonne paralyticus ille, de quo supra dictum est, ab aliis adportatus est: non per seipsum venit, neque iccirco minus gratiæ ab ipso accepit? Similiter non per seipsos veniunt, neque per se ipsos benedictionem ab Jesu petierunt parvuli illi, de quibus Matthæus refert dicens: *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset illis manus, abiit inde.*

XIV. Ecce talis in illo tempore benignitatis erat E Dominus, ut rudes pueros non per seipsos quidem venientes, aut gratiæ aliquid postulare scientes, sed aliis ipsos ei offerentibus, ac pro eis postulantibus dignaretur suscipere, dignaretur & benedictam manum suam eis cum oratione imponere. Et quomodo accidit hoc, ut in istis temporibus non eamdem habeat benignitatem erga parvulos, quos solet ei offerre Ecclesia, rogans ut manus eis imponat, id est, virtutem sancti Spiritus sui, per quam eis peccata remittantur, & spiritalibus donis impleantur? Quomodo dulcem illam vocem, qua dixit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum*, mutavit in amaram vocem, ut dicat; auferte parvulos a me, talium enim non est regnum cælorum? Nam secundum tenorem disciplinæ vestræ, hoc & si non manifesta voce, ipso tamen opere dicit; si omnes, qui ante annos discretionis

a Gal. III. 22.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



moriuntur, perire permittit in originali peccato A cum quo nati sunt. Scimus quidem in eo verbo, quod dixit: [a] *Talium est regnum cælorum*, etiam comprehendi eos qui maturæ ætatis sunt, & similes sunt pueris innocentia & simplicitate. Verumtamen hi qui in innocentia & simplicitate atque insuper ætate pueri sunt, & ab Ecclesia Domino offeruntur, ut parvuli illi, quibus olim manum imposuit; non possunt justa ratione ab eadem sententia excludi, nisi forte cum ad maturitatem pervenerint, acceptam in baptismo gratiam, per malam conversationem amittant.

XV. Numquid adhuc sine intellectu estis, & non percipitis ex his verbis, quæ dicta sunt, falsum B & hæreticum esse, quod de baptismo parvulorum affirmatis? Dicite mihi: Quæ vobis est caussa hujusmodi sermonis, cum nec firmam rationem, nec aliquod evidens restimonium ex scripturis sanctis habeatis ad confirmandum hunc errorem? Si erubescitis dicere, ego pro vobis dicam. Superbia cordis vestri, & invidia diaboli in ore vestro posuerunt verbum hoc. Nam ut quasi singulares præ ceteris habeamini, ac multa scire videamini, quæ non sunt in communi hominum cognitione, idcirco talia susurratis in auribus simplicium ac seductibilium hominum, quibus aquæ furtivæ dulciores sunt. Idcirco dixi quod superbia cordis vestri, C quæ vanæ gloriæ mater est, hunc errorem sicut & alios multos seminare vos fecit. Invidia quoque diaboli hoc verbum vobis inspiravit. Quia enim vidit innumera millia animarum per baptismum salvari in infantilibus annis, & nihil voluntatis suæ fieri in eis, quos ita innocentes & puros ab omni macula post regenerationem suam festinat Deus ad regnum suum transferre; quia, inquam, hoc vidit, invidet innocentiæ eorum; invidet quod ita festinaretur beatitudo eorum; invidet, quod etiam ex ore hujusmodi infantium & lactentium perfecturus esset laudem suam, propter inimicos suos apostatas spiritus, qui per propriam malitiam a curia ejus ceciderant, & imminuerant numerum laudantium D eum. Quæsivit igitur artem qua impediret omnes infantium animas, ne gratiæ, quæ in baptismo tribuitur a Deo, participes fierent, & invenit sibi aptissima instrumenta ad officium hoc, videlicet linguas Catharorum, quæ sunt pharetræ pessimarum sagittarum ejus, quibus *sagittant in obscuro rectos corde*. In quibus posuit & hoc verbum iniquum, quod dicunt, nihil prodesse parvulis ad salutem lavacrum baptismi, & debere eos reservari usque dum perveniant ad annos discretionis, & tunc primum eos esse baptizandos, cum possint proprio ore fidem suam profiteri. Hæc ita excogitavit diabolus, quatenus hunc morem induceret E mundo, ut non ad baptismum afferrent homines parvulos suos, sicque in partem suam attraheret omnes animas, quæ in infantilibus annis ab hac vita migrant, atque a regno Dei eas elongaret. Sed gratia Dei nondum ita creditum est huic verbo, ut receptus sit mos iste in populo Dei: adhuc offeruntur parvuli Domino ad baptismum, & imponit eis manum suam, & recipit eos. O Cathari! o Piphles! Nescio quam laudem vobis rectius dicam, quam quod diffusa est diabolica malitia in labiis vestris, propterea maledixit vos Deus in æternum.

SERMO VIII.

Contra quintam hæresim de baptismo aquæ.

I. NON autem me latet, quod de eis quoque qui in provectiori ætate baptizantur, non minorem hæresim tenetis, quam est ea quæ de baptismo parvulorum nunc pertractata est. Nam baptizandum quidem esse hominem dicitis, cum ad annos discretionis pervenerit; non autem in aqua, sed in igne, & nihil prodesse cuiquam baptismum aquæ. Hujus autem erroris defensionem sumitis ex verbis Joannis, quæ de Domino salvatore pronunciavit dicens: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*. Hinc est quod eos quos assumitis in societatem Catharie vestræ, sicut audivi a quodam, qui expertus fuerat secreta vestra, tali modo rebaptizatis.

II. Convenientibus vobis in unum in obscuro aliquo penetrali, primum hoc diligentissime procuratur, ne forte per aliquam fenestram, aut per ostium quisquam eorum qui foris sunt, visu vel auditu percipiat, quod intus geritur, quoniam scriptum est: *Qui male agit, odit lucem*. Locantur luminaria copiose in parietibus cunctis: statur per ordinem in circuitu cum reverentia magna, quoniam sancta res agitur, quæ tamen magis complaceat diabolo quam Deo. Statuitur in medio infelix ille qui baptizandus sive catharizandus est, & assistit ei archicatharus, tenens in manu libelli deputatum ad officium hoc. Quem imponens vertici ejus dicit benedictiones, quæ potius maledictiones vocandæ sunt, orantibus ceteris qui circumstant, & faciunt filium gehennæ, non regni Dei, sicque perficitur ille baptismus. Dicitur autem hic baptismus fieri in igne, propter ignem luminum, quæ in circuitu ardent. Non sic impii, non sic debetis sequi verba sancti Evangelii, in quibus dicitur: *Ille vos baptizabit in spiritu & igne*. Melius ipsa verba attendite: *Baptizabit*, inquit, *in igne*: non juxta ignem, ut vos facitis. Auscultate ad me, & docebo vos, quomodo rectius eadem verba impleatis. Loquar stultis juxta stultitiam suam, ut non sibi videantur sapientes.

III. Struite ignem copiosum in medio synagogæ vestræ, & tollite illum vestrum novitium, quem vultis catharizare, & in medio ignis eum locate, & tu archicathare, pone super verticem ejus manum tuam, ut soles, & sic benedicito illum. Et tunc si non adusseris tu ungulas tuas, & ille si illæsus evaserit, fatebor certe, quia bene baptizatus est Catharus tuus: si vero non evadit, nonne mox ita calens ad cælum vadit? Nonne sic nuper baptizavit Colonia archicatharum vestrum Arnoldum, & complices ejus, & similiter Bunna Theodericum & socios ejus, & continuo, ut dicitis, avolaverunt in cælum? Immo ut verius dicatur, descenderunt in profundum inferni, ab igne temporali, ad ardorem ignis æterni, & merito quidem. Ut enim exinanirent baptismum aquæ, constitutum ab ipso Domino salvatore, baptizandum esse in igne docuerunt. Ideoque justissimo Dei judicio factum est, ut sic in igne baptizarentur, ut ab eo irrevocabiliter devorarentur. O stultissimi hominum, unde vobis ista præsumtio, qua erigimini adversus omne quod Evangelicum est & Catholicum? Vere singularis ille ferus pastum sibi gratissimum in vobis

a Matth. xix. 14.

simi. Circumeunt (ut ita dicam) mare & aridam, ut faciant Catharum unum: & omnem religiosam conversationem impia detractione commaculant: nec quemquam salvari posse, nisi ad eorum transierit sectam affirmant. Itaque cum omni diligentia evigilare necesse est omnes qui zelum Dei habent, & exercitatos habent sensus in scripturis sanctis, ad capiendas vulpeculas has pessimas, quæ demoliuntur vineam Domini sabaoth. Multi quidem sunt errores illorum, ita ut nemo omnes enumerando prosequi valeat: sed eos qui maxime periculosi mihi visi sunt, distinxi, & in una serie disposui: quoniam annuente Deo specialiter adversus eos loqui mihi propositum est.

De origine sectæ Catharorum.

III. Sciendum vero est, & non celandum ab auribus vulgi, quoniam indubitanter secta eorum, de quibus agimus, originem accepit a Manichæo hæresiarcha: cujus doctrina maledicta erat, & tota venenosa, & radicata est in populo isto perverso. Multa tamen permixta habent doctrinæ magistri sui, quæ inter hæreses illius non inveniuntur. Divisi sunt etiam contra semetipsos, quia nonnulla quæ ab aliquibus eorum dicuntur, ab aliis negantur.

Manichæus autem iste (ut nunc pauca de illo loquar) a Persia oriundus [1] erat, & primo quidem Manes dicebatur, postea vero a discipulis suis Manichæus appellatus est, ne insanus videretur, & dictus Manes a mania, quod est insaniæ nomen. Sic autem insanus erat, ut diceret seipsum Spiritum sanctum, & se missum fuisse à Christo in mundum, sicut promiserat cum ascensurus esset in cælum. Ideoque & Christi se Apostolum dicebat, quasi missum ab ipso. Unde & discipuli ejus ex hoc gloriabantur, quod in magistro ipsorum completa esset promissio Christi de Spiritu paracleto. Ex numero discipulorum suorum duodecim elegit, quos quasi apostolos suos habebat, ut in hoc haberet formam Christi, qui ex discipulis suis duodecim sibi elegit apostolos: quem numerum imitatores ejus & hodierna die observant: quia ex electis suis habent duodecim quos appellant magistros, & tertium decimum principem ipsorum: episcopos autem septuagintaduos, qui ordinantur a magistris: & presbyteros & diaconos, qui ab episcopis ordinantur: & hi electi inter eos vocantur. Mittuntur autem ex omnibus qui idonei videntur ad eorum errorem, vel ubi est, sustentandum & augendum, vel ubi non est, seminandum. Manichæi doctrina & sequacium ejus Christianæ fidei in ipsa radice sua se opponit, sicut nunc demonstrabo.

IV. Credimus enim & confitemur unum solum esse Deum, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt; & hæc radix fidei nostræ. Illi vero duos creatores esse docent, unum bonum, & alterum malum: videlicet Deum & quemdam immanem principem tenebrarum, quem nescio quomodo rectius vocare possumus diabolum. Duas naturas fuisse dicunt ab æterno contrarias sibi invicem unam bonam, & alteram malam: & ex eis dicunt creata esse universa. Animas hominum, & vitalem spiritum quorumlibet animantium, & virtutem quæ vivificat arbores & herbas, & quælibet semina, a Deo originem habere dicunt, & condita ex illa bona natura: immo & quamdam partem Dei, unumquodque talium esse volunt. Carnem vero omnium quæ vivunt super terram, tam hominum quam aliorum animantium, ab illo immani principe tenebrarum, id est diabolo, originem dicunt habere, & condita ex mala natura; & ob hoc, ut supra dictum est, esum carnium vitant. Horrendus est sermo, & omnino alienus ab humano sensu, quem de talibus rebus filii diaboli confinxerunt ad perditionem omnium eorum qui illis credunt, & a casta veritate quæ est in scripturis sanctis, mentem avertunt.

V. Hoc quoque manifestum inter errores Manichæi & discipulorum ejus legitur: quod dicebant filium Dei numquam vere humanum corpus suscepisse in virgine, sed similitudinem tantum humani corporis habuisse: & numquam vere passum aut mortuum fuisse, aut resurrexisse, sed tantum in his omnibus fefelisse humanos sensus, ita ut hominibus vera viderentur cuncta quæ dicuntur de humanitate ejus, & quod nulla tamen veritas fuisset in his omnibus. Idipsum autem ante Manichæum in Persia docuerant duo magi, Zaroe & Arphaxat. Et sicut diximus, hæc omnia nobis veraciter comperta sunt de omnibus istis quos nunc Catharos vocant: & ipsi originem habuerunt a quibusdem discipulis Manichæi, qui olim Catharistæ dicebantur. Nam Manichæus ille de quo totus hic error processit, multos quidem discipulos habebat & sub una secta erant, dum adhuc viveret: mortuo autem eo, dissenserunt ab invicem & divisi sunt in tres partes: & vocati sunt quidam eorum Mattharii, quidam vero Catharistæ, quidam autem singulariter Manichæi dicebantur, quia singularius ceteris magistrum suum secuti sunt; omnes tamen commune habebant hoc nomen, ut dicerentur Manichæi: quia omnium error a Manichæo originem habuit. Ipsi vero qui Catharistæ dicebantur, omnibus ceteris turpiores habebantur, propter quasdam secretas spurcitias, quas specialiter ipsi exercebant. Quorum doctrinam & vitam indubitanter sectantur isti, de quibus nunc sermo est nobis. Unde autem Catharistæ, id est, *purgatores*, primo vocati sint, alio loco dicere statui: ne principium libri hujus aliquis abominetur, si statim omnes pravitates eorum narrarem. Nam quæ de Manichæis a beato Augustino conscripta sunt, summatim & breviter collegi ex tribus libris ejus, videlicet ex eo qui inscribitur *contra Manichæos*, & eo qui intitulatur *de moribus Manichæorum*, & ex libro *de hæresibus*; & eamdem collectionem in fine libri hujus annectere dispono: ut qui legerint, possint quasi a fundamento totam hanc hæresim plenius agnoscere, & intelligant, quoniam hæc hæresis omnium hæresum sentina est. Produnt autem semetipsos quod sint de errore Manichæi, in eo quod dicere solent, & quod beatus Augustinus prodiderit secreta eorum: & constat quod ipse ante perceptionem baptismi disciplinæ Manichæorum aliquamdiu interfuit, & postea errores eorum, & secreta manifeste in libris quos nominavi, descripsit & confutavit.

1. Confer Photium in superiore tomo nostræ Biblioth.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1154.

SERMO II.

De eo quod Doctrina Christiana occultanda non sit.

I. AD vos ergo nunc mihi sermo est, o Cathari plebs angulosa, qui non alibi nisi in vestris penetralibus Christum esse quærendum æstimatis. Dicite mihi, quando iniit hoc consilium Dominus, ut vellet esse absconditus in angulis vestris? Dicitis quoniam veritas Christianæ fidei vobis solis sit nota, & apud vos solos abscondita. Sed scimus quoniam Dominus salvator ipse eam non abscondit, ut patet in verbis ipsius, quæ imminente sua passione coram pontifice Judæorum locutus est, dicens: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis, ubi omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil*. Non enim ita aliquid locutus est, ut hoc vellet occultum permanere. Nam etsi aliquando discipulis seorsum a turbis aliqua loquebatur, quæ non illo tempore conveniebat fieri manifesta, dicebat tamen illis: *Quod dico in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Quibus & post resurrectionem suam præcepit dicens: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. De quibus & Evangelista subdit, dicens: *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante sequentibus signis*. Prædicaverunt non in angulis, non in cellariis, aut textrinis, sed sicut scriptura dicit: *Prædicaverunt ubique*, non solum coram plebe, sed & coram regibus & principibus omnium terrarum, sicut scriptum est de eis: *In omnem terram exivit sonus eorum*. Noluit doctrinam suam a Paullo celari Dominus, cum dicebat: *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus & principibus & filiis Israel*. Ipse quoque Paullus a nullo genere hominum celandam esse veritatem evangelii æstimabat, quando dixit: *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promtum est vobis qui Romæ estis evangelizare*. Sicut dixi, prædicaverunt sancti apostoli in manifesto doctrinam salutis, & signa fecerunt mortuos suscitando, cæcos illuminando, & omnem languorem pellendo in nomine Christi, & sustinuerunt crucifigi, gladioque necari, ac diversis passionibus deduci ad mortem, pro testimonio veritatis.

II. Vos autem si estis, sicut dicitis, apostoli Christi, quare tanto tempore latuistis? Si vos estis Ecclesia Dei, ut dicitis, quare usque ad hæc tempora semper in abscondito ambulastis? Dominus dicit in evangelio de ecclesia sua: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*. Mons ipse Christus est: civitas supra montem posita, Ecclesia est, cujus fundamentum est Christus. De ea dicit Dominus, quod non potest abscondi. Vos autem semper absconditi fuistis, & doctrinam vestram occultastis, & ita lucernam vestram sub modio timoris positam habetis, nec umquam eam alicui manifestastis, de quo timetis, quod vos faciat manifestos. Nam ab ipsis quoque qui veniunt ad vos, fidem vestram, ex qua salvandos vos esse speratis, & occulta opera vestra longo tempore, ut dicunt, quindecim annis occultatis, donec diu eos probaveritis, ita ut sperare possitis, de eis quod non prodant vos. Non hoc sancti apostoli fecerunt, & successores eorum, A qui nobis sunt noti. Non absconderunt lucernam sub modio, quia nec caussa timoris, nec caussa commodi temporalis luce evangelicæ veritatis, quam a Christo acceperant, celaverunt, sed super candelabrum, id est, super Ecclesiam, ita manifeste eam constituerunt, ut luceret omnibus, qui in domo, id est, in mundo erant. Omnibus etenim tam bonis, quam malis, electis & reprobis innotescere voluit Dominus, qualis esset fides, & religio Christianorum, ut nemo per ignorantiam posset se excusare.

III. Forsitan ad verbum illud confugitis, quod B Dominus ad discipulos suos locutus est dicens: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*. Rustici viles nolite assumere verba hæc in defensionem vestram, quia non recte discernitis ea. Omnibus hominibus manifeste dicenda sunt verba salutis, sine quorum agnitione salvari nemo potest, nec aliquis ita canis aut porcus judicandus est, ut occultari debeant ab eo. Nam ut ait Apostolus: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Quod si quis audita & agnita veritate pertinaciter & incorrigibiliter ei contradicit, & nititur commaculare veritatem fœda detractione & irrisione, debet justa ratione a tali suspendi prædi- C catio veritatis, quod est subtrahi sanctum, & margaritas a porcis & canibus. Tales esse persenserant sancti apostoli Judæos, in quibus satis laboraverant verbo prædicationis, cum novissime eis dicebant: *Quoniam repulistis a vobis verbum Dei, & indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*. Conversi sunt ad gentes, & eis manifeste prædicaverunt doctrinam salutis, quos sciebant esse idololatras, & pollutos omni genere immunditiarum: & vos ita canes, & porcos vos judicatis, ut numquam manifeste inter vos prædicetis doctrinam vestram, sine qua neminem salvari posse arbitramini, cum Dominus dicat: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum* D *coram patre meo, qui in cælis est*.

IV. Si forte acciderit, ut aliquis vestrum pro errore suo deprehensus fuerit, & deductus ante judices Ecclesiæ; aut omnino negatis fidem vestram, aut tunc primum aliquos errores vestros confitemini, cum de vita amplius non speratis. Sed illa confessio non est ad gloriam vobis, & est quasi confessio furis, qui cum de vita sua desperat, latrocinia sua impudenter confitetur sub laqueo, & sunt interemtiones, quas aliquando a populo zelante pro lege Dei sui aliqui vestri patiuntur, non quasi passiones apostolorum, sed quasi judicia furum & latronum. Vos quippe estis, de quibus Do- E minus in Evangelio dicit: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones*. Non enim nisi furtive, & quasi per latrocinium acquiritis in partem animas miserorum, quos trahitis post vos, & omne negotium vestrum est perambulans in tenebris, quoniam sicut ait Salvator: *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. O quales apostoli! o quales Evangelistæ! quoniam bene impletis illud, quod mandavit Dominus prædicatoribus verbi sui per Prophetam dicens: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion; exalta vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem, exalta, noli timere*. Non hoc certe impletis, sed illud mandatum Priscilliani observatis: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Dicitis, modo, nondum venit tempus nostrum ut manifestari debeamus; sed jam nunc incipimus



palam loqui mundo, & erit adhuc tempus quando Deus Ecclesiam suam, id est, nos exaltet, & impleatur in nobis illud quod Dominus dicit de Ecclesia sua: *Non potest abscondi civitas supra montem posita*. Sed dicite mihi; si semper supra montem, id est Christum, posita fuit civitas ista, hoc est societas vestra, quomodo potuit fieri, ut tanto tempore esset abscondita? Jam enim a tempore dominicæ ascensionis transierunt mille & centum anni, & amplius, & numquam sublimata est religio vestra, aut si sublimata est, dicite si scitis, in quibus temporibus, & sub quibus regibus terræ factum est hoc, ut ubique in mundo audiretur prædicari fides Catharorum? Quando factum est hoc, ut omnes principes & domini terrarum, qui non essent vel pagani vel Judæi, essent Cathari & gubernarent subditos suos secundum legem Catharorum? Certe si hoc nobis demonstrare possetis, crederemus vobis, quod aliquando civitas vestra posita fuisset in manifesto; sed hoc gratia Dei numquam factum est.

SERMO III.

De incremento & manifestatione Catholicæ fidei.

I. Audite nunc de fide, & gratia, quam profitemur, & quam in manifesto prædicamus, quomodo pervenerit in nos, & quomodo Ecclesia Dei, cujus nos per ipsius gratiam membra sumus, exaltata est, & posita in manifesto. Fidem beati Petri Apostoli quam ipse habuit & prædicavit, suscepit post ascensionem Domini civitas magna Antiochia, & ipse erat in ea docens annis septem non occulte, non in subterraneis domibus, sed episcopus erat totius civitatis, & ipsius caussa regalis aula, quæ erat in civitate per devotionem populi commutata est in Ecclesiam, in qua communiter populum docuit, & missas celebravit, & ordinabat ea quæ ad Christianam religionem pertinebant. Ibi primum eis, qui fidem Christi susceperunt, impositum est nomen hoc ut vocarentur Christiani. Cum autem ibi firmasset fidem Christianam, & legem divinam beatus Petrus ordinavit in suo loco episcopum civitati, beatum Evodium, cujus & successor fuit Ignatius clarissimus martyr, discipulus sancti Joannis evangelistæ, & ipse inde profectus est Romam, itemque in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partem civitatis ad Christum convertit, & per xxv. annos ecclesiam Christi ibi gubernavit. Ibi manifeste confessus est coram Nerone Imperatore fidem Christi, & uxorem ejus Libyam, & uxorem Agrippæ præfecti Agrippinam, ad fidem convertit, & ob ejusdem fidei prædicationem, Nero eum crucifigi præcepit, & Paullum simul cum ipso ibidem prædicantem, gladio necari jussit.

II. Ex illo igitur tempore semper fides Christiana crevit in urbe Roma, nec umquam defecit in Romana Ecclesia fides quam habuerat, & quam prædicaverat Petrus, sicut & ei promiserat Dominus, quando imminente passione sua dixit ad eum: [a] *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, hoc est, fides Ecclesiæ quam sibi commisi. Beatus autem Petrus cum sciret adpropinquare sibi passionem suam, sanctum Clementem, quem ad fidem converterat & baptizaverat, ordinavit in episco-

A pum, ejusque gubernationi sedem suam & Ecclesiam, quam ipse rexerat, commisit. Et ita successor beati Petri factus est in sede illa, & ad ultimum ipse quoque pro testimonio fidei Christianæ martyrium passus est. Nam quod Linus & Cletus successores Petri fuisse leguntur, ita intelligendum est, quod adhuc ipso vivente, coadjutores ejus exstiterunt in gubernando populum Dei Romæ, & ad hoc ab ipso erant in episcopos ordinati, ut scribit quidam Apostolicorum patrum episcopis Germaniæ & Galliæ. Qualem autem fidem a beato Petro Clemens susceperat, talem & successores ejus habuerunt, & prædicaverunt in Romana urbe, & eam prædicari fecerunt in aliis terris per eos, B quos ad prædicandum miserunt; & paullatim quidem crevit Ecclesia in ea fide, & magis de die in diem promovebatur, quamvis multi reges & principes gravibus eam persecutionibus opprimere niterentur usque ad tempus beati Silvestri Papæ, sub quo pax magna, & libertas data est Ecclesiæ, & exaltari cœpit, & ad summos honores promoveri fides & religio Christiana.

III. Ipse etenim sicut antiqua nobis scripta commemorant, prædicatione verbi Dei, & magnorum C ostensione miraculorum Constantinum Imperatorem filium Helenæ reginæ (quæ crucem dominicam invenit) convertit ad fidem, ita ut Imperator de regali solio suo descendens in eo collocaret beatum Silvestrum, & ad pedes ejus se humiliaret. Ipse quoque in equo suo consedere eum fecit, & ad modum servi ei ministravit pedester incedens ante eum, & freno eum deducens, & consignans ei dominium urbis. Insuper & regale palatium illic ei construxit, & omnem regium honorem & potestatem quam habebat Romæ, & in partibus occidentis, ipsi ac successoribus ejus concessit, & totius senatus honorem clero, qui cum ipso erat tradidit, & ipse cum senatoribus omnibus de urbe egre- D diens, Byzantium transmigravit, & urbem nominis sui Constantinopolim ædificavit: solum autem nomen imperatoris sibi ac successoribus suis retinuit. In hunc modum crevit, & confortata est, & usque ad summos honores promota est in Romana potestate Ecclesia Dei, & fides quam beatus Petrus docuit, & quam successores ejus ab eo tenuerunt, & usque ad ista tempora perduxerunt.

IV. Simili modo & per alios apostolos in aliis regnis per totum mundum fides Christi dilatata & sublimata est. Ad has autem Cisalpinas partes hoc ordine pervenit. Beatus Petrus dum Ecclesiam Dei Romæ gubernaret, misit tres ex discipulis suis, vi- E delicet Eucharium, Valerium, & Maternum prædicare Teutonicæ genti Evangelium Christi. Qui venientes in civitate Treverim, prædicaverunt in ea, & cum Dei adjutorio converterunt eam ad fidem Christi, & baptizaverunt omnem populum in flumine civitatis quod dicitur Olevia. Primus eorum episcopus urbis erat Eucharius, quo defuncto Valerius in episcopatum successit, quo etiam defuncto Maternus, qui de morte per baculum Petri suscitatus fuerat, episcopus factus est, non solum in Treveri, sed & in Colonia, quæ antiquitus Agrippina vocabatur, simulque in civitate Tungerensi, quæ Hunorum persecutione delata est. Ipsa est ergo fides beati Petri, quam hi sancti prædicaverunt Ecclesiis, quas ipsi gubernaverunt, ipsorumque successores tenuerunt & prædicaverunt us-

[a] Luc. xxii. 32.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



que in hodiernum diem. Tandem quoque fidem A prædicavit in civitate Moguntia Crescens discipulus Paulli apostoli. Beatus quoque Bonifacius vir eximiæ sanctitatis, qui primus in ea archiepiscopus fuit, & martyrium pro Christo suscepit, & successores ejus usque in hodiernum diem hanc fidem tenuerunt & docuerunt in Ecclesia Moguntinensi, & ipsa in omnibus Ecclesiis ei subditis usque nunc tenetur & prædicatur.

V. Ecclesiæ Metensi primus episcopus fuit sanctus Patiens, discipulus sancti Joannis evangelistæ, & ipse in ea fidem nostram docuit & firmavit, & permanet in ea usque in præsentem diem. Sanctus B Clemens successor apostoli Petri, beatum Dionysium virum clarissimæ sanctitatis, qui prædicatione apostoli Paulli Athenis conversus fuerat, in Galliam misit prædicare verbum Dei, & cum eo tres illustres viros, Marcellum, Saturninum, & Lucianum. Qui cum ad portum Arelati pervenissent, beatus Dionysius sanctum Marcellum in Hispaniam direxit, sanctum Saturninum in Aquitaniam, sanctum vero Lucianum ad Belvacensem civitatem, quorum singuli regiones & civitates sibi destinatas repleverunt doctrinis fidei, quæ usque in præsens tempus ibidem tenetur & prædicatur. Ipse vero Sanctus Dionysius cum duobus sociis, Rustico & Eleutherio Parisios adiit, ibique fidem quam per C beatum Paullum didicerat, prædicavit, & per totam Franciam dispersit, & pro eadem fide martyrium pertulit, simulque socii ejus, Rusticus & Eleutherius cum eo. Martyrium vero ipsius singulari & inaudito miraculo Deus honoravit, in eo quod post decollationem suam ipse propriis manibus caput suum a loco martyrii per spatium milliarii usque ad locum in quo humatum est corpus ejus, deportavit. Testimonium hoc grande erat perfectissimæ sanctitatis ejus & rectæ fidei, ac sanctæ religionis, quam ibi docuerat atque fundaverat.

VI. Ipsam fidem quam beatus Dionysius in Gal- D lia reliquit, sanctus Hilarius Pictaviensis episcopus egregius doctor, & nobilissima lucerna Ecclesiæ Dei, tenuit & docuit verbis & scriptis & exemplis. Ita fidem tenuit & docuit, & omnibus modis promovit beatus Martinus Turonensis episcopus, cujus sanctitas per omnes fines mundi usque in præsentem diem clarissime splendet, & in summa veneratione habetur. Cujus fidei & doctrinæ testimonium perhibuit divina virtus, in trium mortuorum suscitatione, aliorumque valde mirabilium operum exhibitione. Eamdem quoque fidem beatus Remigius Remensis civitatis archiepiscopus tenuit & docuit, & insignibus miraculis confirmavit. Hic Clodoveum inclitum regem Franciæ, & E cum eo copiosam multitudinem gentis Francorum convertit ad fidem Christi, & baptizavit in Remensi civitate, misso ei chrismate de cælo. Ex illo ergo tempore reges Francorum, & principes Galliæ cœperunt esse Christiani, & cœpit communiter per totam Franciam publice coli religio Christiana, & per omnes civitates in veneratione haberi fides Christiana, eademque usque in præsentem diem in tota Gallicana Ecclesia prædicatur.

VII. De genere Clodovei processit Carolus Magnus, qui inter Francorum reges summus atque gloriosissimus erat. Hic in eadem fide baptizatus est, quam a beato Remigio rex Clodoveus acceperat, & quam ceteri reges tenuerunt, qui a Clodoveo processerunt. Hic a beato Leone papa Romam vocatus est, & consecratus in Imperatorem, & factus est advocatus Romanæ Ecclesiæ, & fidelissimus defensor totius Christiani populi, & vehementer per eum aucta religio Christiana, & dilatata est atque confortata, & per ipsius diligentiam fides Romanæ Ecclesiæ per multas terras, quæ ignorabant Dominum, dispersa est. Ipsam fidem quam professus est Carolus imperator Romanus, tenuerunt & confessi sunt omnes Imperatores, sive reges Romani, & omnes reges Francorum, qui fuerunt post eum, & principes eorum usque in præsens tempus Frederici Imperatoris Romani & Ludovici regis Francorum.

Ipsam ergo fidem, quam primo beatus Petrus Romæ plantavit, & quam tenuerunt successores ejus in Romana urbe, & quam docuerunt in omnibus terris sancti episcopi aliique sancti patres qui obedientes erant Romanæ Ecclesiæ, & quam ab illis acceperunt Imperatores, & reges & principes terrarum, cum populis sibi subjectis, tenemus atque confitemur, nos videlicet clerici, & monachi, & laici, qui in Ecclesia Christi baptizati sumus, & in Ecclesiis Deo sacratis convenimus ad orandum & laudandum Deum, & ad communicandum corpori & sanguini Domini nostri Jesu Christi cum fide non ficta, & spe salutis animarum nostrarum. In eo autem certi sumus nos habere eamdem fidem, quam habuerunt sancti patres ante nos, quoniam eadem Evangelia Christi, eamdem scripturam Apostolicam, quam & illi habuerunt, & publice in Ecclesia docuerunt habemus, & nos credimus eis. Ipsorum quoque sancta scripta habemus, in quibus declaraverunt qualis esset fides eorum, & qualem intellectum haberent in libris veteris legis & prophetarum, & in Evangeliis & in apostolicis scriptis, & in eadem intelligentia sequimur eos. Manifestum est itaque ex his quæ dicta sunt, quoniam fidei nostræ fundamentum est doctrina Petri, qui fuit Christi, qui fuit Dei, immo & Deus. Vestri autem erroris fundamentum doctrina Manichæi, qui non fuit Dei, sed diaboli, non Christi, sed Antichristi: & hoc scire potest quisque sensatus, obediendum esse nostræ Catholicæ fidei potius quam vestræ absconditæ infidelitati, quæ cum suo fundamento a cunctis qui amant veritatem, maledicatur, & sub æterna clausura damnetur.

SERMO IV.

De eo quod scriptum, est: fides sine operibus mortua est.

I. Fortassis, o sancti Cathari, qui peccare non potestis, improperatis nobis peccata nostra & dicitis sicut legimus: [a] *Fides sine operibus mortua est*. Vos autem opera ad fidem pertinentia non habetis. Et idcirco fides vestra mortua est, & quoniam fides vestra mortua est, nulla est. Et idcirco sacramenta vestra nullum effectum habent, & non potestis baptizare, & corpus Domini consecrare, nec aliquid hujusmodi in Ecclesia facere, quod vobis aut aliis prosit. Hæc est objectio vestra adversum nos. Ite primum & interrogantes discite, qua de caussa Deus interfecit Ozam, qui extendit manum suam, ut sustentaret arcam Dei, quando nutabat ita ut casura putaretur, in tempore illo, quo eam reducere volebat David de Bethsames in

a Jacob. II, 20.

Jerusalem. Et cum hæc didiceritis, struite reprehensiones vestras adversum Ecclesiam Dei. Non oportebat nos respondere vobis adversus ea, quæ nobis objicitis de fide nostra, quoniam extra fidem Catholicam estis, sicut Domino volente comprobabimus. Non oportet nos respondere vobis de operibus nostris malis quæ objicitis nobis, quoniam pejora & sceleratiora sunt opera vestra, sed alius erit locus dicendi de eis. Respondemus tamen vobis hoc loco, ne propter ignorantiam dimittere videamur.

Fatemur quidem, quod peccatores sumus, quoniam ut ait Jacobus apostolus: *In multis delinquimus omnes.* Verumtamen est differentia inter delinquentes. Multi quidem in minoribus peccatis venialiter quotidie delinquunt, & quotidiana satisfactione Dominum placant, & agunt opera laudabilia, quæ pertinent ad fidem, quam profitemur. De talibus ut spero non potestis aliquid rationabili caussa dicere, quod fides eorum mortua sit, & quod sacramenta talium presbyterorum inania sint, & tales per gratiam Dei, nec desunt in Ecclesia, nec unquam a principio in ea esse desierunt. Sunt vero, quod ingemiscimus, nonnulli qui in majoribus peccatis, quæ capitalia vocantur delinquunt, & super his non condigna pœnitentia satisfaciunt Deo. De talibus fatemur, quod fides quam habent, mortua est, quia sine operibus justificationis est apud ipsos. Mortua inquam est, non ita quod id quod credunt annihilatum sit propter ipsos, aut nullius utilitatis; sed ipsis fides eorum mortua est, & eis non prodest ad salutem, nisi resipiscant ab operibus malis quæ in ipsis mortificant fidem.

III. Quod autem dicitis de presbyteris nostris, qui tam malæ conversationis sunt, ut fides eorum mortua dici possit, quod sacramenta eorum nullius utilitatis sunt; huic omnino contradicimus, quod plane falsum est. Fides eorum, dicitis, mortua est, & ideo nec ipsis prodesse potest, nec aliis. Falsum est hoc, quia aliis prodest. Fides quam ipsi manifeste profitentur per ipsorum ministerium aliis prodesse potest, & effectum bonum in aliis habere potest, quamvis non in ipsis. Per similitudinem hæc vobis demonstro. Contigit aliquoties, quod medicus sapiens in infirmitatem gravissimam cadit, & habet sapientiam, quia scit curare seipsum, habet medicinam quæ valet contra morbum suum; sed ita est delicatus, quod non potest gustare de antidotis suis, & præbet ea alii eamdem infirmitatem habenti, & ille curatur. Ipse autem in sua infirmitate permanet usque ad mortem. Vere de tali medico dicere possumus, quod ipsi mortua est sapientia sua, alii autem vivit. Ita dico vobis de presbyteris Ecclesiæ, qui male vivunt; credunt quidem, sed eis credere non prodest ad salutem, si permanserint in iniquitatibus suis. Nam *& dæmones credunt, & contremiscunt*, ut dicit scriptura. Credebant nimirum dæmones, qui, ut ait Evangelista, dicebant Domino Jesu: *Quid tibi & nobis fili Dei? venisti ante tempus torquere nos*. Credunt, inquam, & fidem habent presbyteri enormes; sed sicut dixi de sapientia ægri medici, sibi ipsis mortua est eorum fides, aliis autem vivit, dum in nomine Christi baptizant, & alia sacramenta exsequuntur, secundum quod a sanctis patribus statutum est. Talis erat ille, de quo Lucas Evangelista refert dicens: *Respondens autem Joannes dixit: Magister vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia & probibuimus eum, quia non sequitur nos. Et ait ad illum Jesus: Nolite*

A *probibere eum. Nemo est, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.* Certe quisquis erat ille, mortuam quidem sibiipsi fidem habebat, cum non sequeretur Jesum, sed aliis vivebat fides ejus, a quibus ejiciebat dæmonia in nomine Jesu. Quod quidem nequaquam facere potuisset, si nullam omnino fidem in nomine ejus habuisset. Ita proculdubio etiam presbyteri mali; dæmonia in nomine Christi ejiciunt, quando in nomine ipsius, id est secundum hoc quod ipse instituit, baptizant: & prodest baptizatis fides, quam verbis quidem, sed non operibus, profitentur. Sed alio loco latius de hac re differendum est, & nunc

B ad loquendum de vestra abscondita fide, & de angulosa doctrina vestra sermonem converto.

SERMO. V.

Circa primam hæresim de conjugio.

I. Vobis loquor doctoribus & præfectis, non in sanctitate quidem, sed in errore, & perversitate. Animadvertite & videte quod non homines, sed dæmones vos appellat Apostolus in eo testimonio quod in principio sermonis induxit: *In novissimis inquit temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmo-*

C *niorum, loquentium in bypocrisi mendacium, probibentium nubere, & cetera.* Vos estis dæmonia hæc de quibus loquitur, & qui vobis attendunt, a fide recta discedunt. Nam doctrina vestra prohibet nubere, in eo quod dicitis, neminem posse salvari, qui cum conjuge sua permaneat usque in finem. O dæmones! unde vobis ista doctrina? Ex Evangeliis Christi non est, ex scriptis apostolorum non est, sed plane ex spiritibus erroris est. Intuemini Evangelium Matthæi apostoli, quod per universum orbem in Ecclesiis legitur, & si non creditis Græcis & Latinis codicibus, ite ad inimicos vestros Judæos, & inspicite Hebraicam scripturam, in qua Evangelium Matthæi scriptum habent, &

D invenietis in eo scriptum hoc modo: *Accesserunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem, quacumque ex caussa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Dicunt ei: Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Certe si quid rectæ intelligentiæ habetis, heic animadvertere potestis in hac responsione, quod non approbat Do-

E minus, ut omnes viri ab uxoribus suis discedant, sicut vos docetis esse faciendum. Si non posset salvari quisquam cum conjuge sua manens, suffecisset ei brevis responsio, ita ut interrogantibus illis: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex caussa?* dixisset, Licet, & bonum est, & aliter salvari non possunt.

II. At non hoc dixit, sed comprobavit potius divina auctoritate stabilius esse debere vinculum societatis, quod est per legem Dei inter virum & conjugem suam, quam illud quod a natura est, inter virum & parentes suos. Vos autem abinvicem separandos esse virum & mulierem dicitis, & aliter eos non posse salvari. Et ipse contra ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Virum & mu-

lierem conjunxit Deus, qui secundum institutiones divinarum legum coram Ecclesia ineunt fœdus conjugale, & tales per hominem separandi non sunt. Fit quidem nonnumquam ut tales migrent pariter ad monasticam vitam, & separatas abinvicem mansiones eligant, quatenus Deo liberius servire possint: sed talem separationem Deus operatur non homo, & quidem tales non omnino abinvicem discedunt, neque rumpitur inter eos vinculum conjugale, quia indivisa in eis manet unitas mentium. Nam quanto liberius divinæ dilectioni vacant, tanto purius atque firmius se invicem diligere possunt. Nos vero hujusmodi separationem, nullis, ut vos facitis, conjugibus suademus ea ratione, quod non possint salvari simul permanentes in sæculo, & in vita conjugali. Unam separationis caussam qua potest vir, si vult, ab uxore discedere, & rumpere [1] vinculum conjugale quo alligatus est, ei determinavit Dominus, quando post responsionem supra memoratam, ita subjunxit dicens: [a] *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ubi ergo adjunxit, *nisi ob fornicationem*; dedit intelligi, quoniam sola fornicationis caussa divortium fieri potest. Quod si non recte nos intellexisse verba Domini quæ prædicta sunt arbitramini, audite apostolum Paullum, quomodo concordat nobiscum in intelligentia eorumdem verborum, ubi ad Corinthios loquitur dicens: *His jam qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Et subjungens auctoritate propria, ait: *Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat.* In tempore primitivæ Ecclesiæ frequenter hoc accidit, ut vir esset fidelis, & mulier infidelis: & e contra, ut vir esset infidelis, & mulier fidelis. Et suadebat Apostolus ut & tales abinvicem non discederent; quod utique non fecisset, si sciret utrosque simul in tali conjugio perituros. Multum ergo a doctrina sua, doctrina vestra dissentit, quæ eos qui utique legibus divinis subditi sunt discedere abinvicem cogit, dum eos salvari non posse prædicatis si permaneant simul. Audite & Petrum apostolum similia ad conjugatos loquentem in epistola sua: *Mulieres*, inquit, *subditæ viris suis sint, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore Dei castam conversationem vestram.* Item subjungit: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam coheredibus gratiæ.*

III. Dicitis forte: Possunt quidem aliquo modo salvari, vir & mulier simul manentes, sed non aliter nisi abstineant ab opere conjugali. Hypocritæ! quid est quod vos dicitis? Si sciebat Dominus salvator, & si sciebant sancti apostoli, nequaquam posse salvari virum & mulierem, qui exsequerentur opus quod ad conjugium pertinet; nonne plena perfidiæ & fallaciæ erant verba eorum, quibus tam diligenter suaserunt conjugatis, ut non separentur ab invicem? Absit autem hoc. Nota certe erat illis humana fragilitas, & sciebant non omnes viros & mulieres tam ferreos esse, ut non possent cohabitare simul & continentiam observare. Unde non illos, sed vos in hac quoque parte fallaciæ pessimæ arguendos esse noveritis. Illud mihi forte objicis, o Cathare, quod apostolus ait: [b] *Bonum est homini mulierem non tangere.* Concedo quod bonum est homini mulierem non tangere. Non tamen idcirco necesse est me concedere, quoniam malum est & illicitum homini mulierem tangere. Nam similiter propter cavendas tentationes, bonum est homini mulierem non videre: numquid ergo necessarium contendendum est, quoniam malum est homini mulierem videre? Si concedis quod malum est tangere mulierem, pro eo quod bonum est mulierem non tangere; concede etiam quia malum est mulierem videre, pro eo quod bonum est mulierem non videre. Et si concedis, quoniam malum est mulierem videre; erue oculos tuos, ut numquam videas mulierem. Hypocrita! licitum est homini tangere mulierem suam, quia licitum est, ut unusquisque habeat suam secundum verba ejusdem apostoli. Et quia licitum est, malum non est. Bonum autem magis homini est, & magis expediens ad salutem, mulierem omnino non habere, nec tangere.

IV. Ad illud item fortasse confugies, quod ibidem apostolus ait: *Tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Ecce, inquis, dicit, ut & si maneant simul, abstineant tamen ab opere conjugali. Et ego dico, quod si hoc facere possunt, bonum est illis: non tamen hoc quisquam sensatus eis præcepit, sed suadet. Potest tamen fieri ut vir cum uxore habitet, & opus conjugale operetur, ita ut sit quasi non habens uxorem. Hoc fit si sobrie & temperanter cum illa est, & per omnia Dei reverentiam in ipsa custodit. Quod qualiter fieri debeat, sensati homines sciunt. Si autem opus conjugale ad damnationem esset omnibus conjugatis, nequaquam apostolus dixisset: *Uxori vir debitum reddat. Similiter autem & uxor viro. Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ut non tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Scio autem quoniam & in hoc verbo hæres quod dicit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Dicis enim si indulgentia, id est, venia pertinet ad hoc quod sibi invicem debitum reddant; ergo opus conjugale malum est. Si enim non esset malum, non ei venia necessaria esset. Si hoc dicis, jam in hoc ipso aliquid lucratus sum, quod opere conjugali veniam ab apostolo dari confiteris. Nam si veniam ei dat apostolus, veniale est, & si veniale est, non pro eo damnantur omnes qui in conjugio permanent, sicut vos prædicatis. Distinctius tamen considerandum est, quod dicit apostolus: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.*

V. Et sciendum est quoniam in tribus significa-

a Matth. V. 32. b I. Cor. VIII. 1. seqq.

1. Hæc de græco furfure sunt. Solutio enim vinculi ob fornicationem & quidem solam a lege Moysis Judæis permittebatur, non autem de matrimonio christiano loquitur Evangelium.

tionibus hoc nomen indulgentia poni solet. Nam A significat absolutionem, qua peccatori debita pœna relaxatur; & secundum hoc veniæ nomen ei adaptatur. Significat & concessionem, qua minora conceduntur bona his, qui exsequi majora non possunt, & secundum hoc ad ea non pertinet veniæ nomen. Significat & permissionem, qua minora fieri sinuntur, ut majora fieri vitentur, & secundum hoc quoque venia dici potest. De majoribus bonis est continentia, quam quia omnes servare non possunt, conceditur quod minus bonum est, videlicet conjugium. Conceditur inquam, non præcipitur, quia si præciperetur, transgressor haberetur quicumque in conjugio non esset. De majoribus malis est homicidium, quod ut evitaretur, permissum B est olim Judæis minus malum, videlicet redditio talionis, & repudiatio mulierum, ut ab homicidii se flagitio temperarent. Nunc & opus conjugale nobis distinguendum est, ut evidentius fiat ad qualem concubitum qualis indulgentia pertineat. Conjugalis concubitus, qui fit simpliciter intentione generandæ ac Deo educandæ prolis, per se peccatum non est, quia ut peccatum non sit, defendunt nuptialia bona, quæ sunt spes prolis & fides, & sacramentum. Et est de minoribus bonis, quæ indulgentiam habent, quæ concessio dicitur. Quod autem possit fieri sine peccato, intelligi potest ex eo quod apostolus ait: *Et si nupserit virgo, non peccat*. Per se dixi, peccatum non est, quia accidere C potest nonnumquam propter bonam illam intentionem aliquid pecccati suboriatur excedente rationabilem modum carnali delectatione, quæ tunc quidem peccatum est, sed leve, & excusatur per prædicta bona conjugii. Quod si ob hujusmodi peccatum fugiendum evitari deberet officium conjugii, sicut vos susurrare soletis: tunc ob eamdem caussam & officium comedendi ac bibendi omnino vitari deberet, in quo simile peccatum aliquando etiam sapientibus surrepere solet. Ille vero conjugalis concubitus, qui fit non cum intentione generandæ prolis, sed tantum caussa explendæ libidinis, per se quidem peccatum est, sed veniale, quia per cetera bona conjugii excusatur, & habet indulgen- D tiam, quæ permissio dicitur, quoniam permittitur hoc malum, ut evitetur majus malum, id est, fornicatio. De tali igitur concubitu intelligatur dictum illud apostoli: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*.

VI. Scio unum ex susurris vestris, novi verbum occultæ sapientiæ vestræ, quod est fundamentum hæresis vestræ, quam de conjugio habetis. Innotuit autem mihi per quosdam viros, qui exierunt de societate vestra, & resipuerunt a verbis mendacii per verbum Dei, & per ministerium servi ejus. Dicitis enim quod fructus ille, de quo præcepit Deus primo homini in paradiso, ne gustaret ex eo, E nihil aliud fuit nisi mulier, quam creaverat. De ipsa dicitis, Adæ præcepit Dominus, ut non commisceretur ei, & commixtus est ei contra præceptum Domini, quod erat gustare de vetito ligno. Ex hoc ergo probatis omne genus humanum, quod de eis propagatum est, natum esse ex fornicatione, & neminem salvari posse, nisi purgatus fuerit per orationes & sanctificationes eorum, qui inter vos perfecti vocantur. Hæc autem caussa est, pro qua soletis culpare conjugium, & dicitis quod omnes qui in conjugio sunt, & conjugale opus exercent, fornicantur, & rei sunt ejusdem inobedientiæ, per quam cecidit Adam. Et idcirco omnes damnantur, nisi discedant abinvicem, & vobis jungantur, & purgentur per vos. Hinc & hoc nomen sibi assumserunt primi magistri vestri, ut se vocarent Catharistas, id est purgatores, & Catharos, id est mundos: & ecce justo judicio Dei hoc ipsum nomen quod vobis assumsistis ad gloriam vestram, versum est in ignominiam vobis in populari sermone: & nunc domini mei purgatores & mundi, tamquam sepulcra dealbata pergo respondere ad occultam sapientiam vestram.

VII. Dicite mihi, ubi nam legistis, quod Dominus vetuerit primum hominem comedere de ligno scientiæ boni ac mali? Puto in libro Geneseos. Rustici redite ad eumdem librum, aperite oculos vestros, si legere scitis, inspicite recapitulationem operis sexti diei, & legite quod dicit: [a] *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. Post hæc subjungit de eo quod factum fuerat ante formationem hominis, & dicit: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat*. Post hæc subjungit descriptionem paradisi, & qualem eum fecisset Deus ostendit dicens: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni ac mali*. Posthæc descriptis etiam quatuor fluminibus paradisi, novissime addit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*. Nonne ecce ex his verbis intelligitis, quoniam & antequam creatus esset Adam, plantatus fuerat paradisus voluptatis cum omni ornatu suo, & duo ligna in ipso, videlicet lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali? Si ergo lignum scientiæ boni & mali creatum, antequam Adam Deus formasset & in paradiso collocasset; manifestum est, quoniam & antequam Evam creasset Deus, creatum fuit lignum scientiæ boni & mali, quod Deus prohibuit Adæ: & si illud fuit ante creationem Evæ, consequens est, quod illud non fuit Eva. Illud etiam attendite, quo ordine loquatur scriptura de ligni prohibitione, & de mulieris formatione. *Præcepit*, inquit, *ei*, id est Adæ, *dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque autem die comederis ex eo, morte morieris*. Et subjungit: *Dixit quoque Deus: Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adjutorium simile sibi*. Et posthæc addit qualiter formavit illam de costa ejus. Ex hoc quoque ordine locutionis datur nobis intelligi, prohibitum fuisse Adæ lignum scientiæ boni & mali, antequam Evam Deus formasset. Et quomodo tam præceps in mandato suo erat Deus, ut non exspectare potuerit, quoadusque mulierem formatam adduxisset ad Adam, & tunc ei interdixisset concubitum ejus? Dicite mihi, & si illud lignum, quod Adam contra præceptum Domini gustavit, nihil aliud fuit quam mulier; quod lignum fuit quod mulier comedit & dedit viro?

VIII. Dicitis forte, mulier comedit de ligno vetito, in eo quod virum concupivit: & vultis quod sicut viro mulierem prohibuerat, ita & mulieri Deus prohibuerat virum. Sed adhuc interrogo vos: Quid fuit quod mulier prius ex parte comedit, &

a Gen. II. 6. seqq.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1151.


postea viro dedit comedendum, sicut dicit scriptura? Non habetis, ni fallor, quid respondeatis, nisi absurdam aliquam stultitiam respondere velitis. Et nunc quandoquidem ex scriptura Geneseos firmastis aciem vestram contra nos, respondere etiam de ea nobis debetis. Dicite mihi: Quale adjutorium voluit Deus exhiberi Adæ per mulierem quando dixit: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi?* Ad quam rem indigebat adjutorio ejus? Numquid indigebat, ut caput ejus lavaret & pecteret? Numquid indigebat ut servili more alimenta ei præpararet, & administraret? Numquid esse [1] habebat, ut vestimenta ei procuraret, nendo, texendo, formando, consuendo, lavando, resarciendo? Nihil certe horum aut talium dicere potestis, si aliquid sanæ mentis habetis, quia nullum tale adminiculum homini in paradiso necessarium erat, ubi nullum patiebatur defectum. Forsitan ut adjuvaret eum laudare creatorem suum, fecit ei mulierem in adjutorium? Poterat certe Adam sine Eva satis alta voce cantare laudes Domino, ita ut numquam fieret lassus aut raucus. Aut si nolebat Deus, ut solus ille homo Deum laudaret, sed alius aliquis cum eo, non oportebat ut propter laudes ei decantandas fecisset mulierem, quia poterat alios viros sufficienter creasse, qui cum ipso Deum laudarent. Dicitis forte: Sciebat Deus quod Adam in peccatum erat casurus, & corporales defectus passurus, & ideo mulierem fecit ei in adjutorium, ut post lapsum suum talia ei exhiberet adminicula, qualia nunc dicta sunt. Sed dico quod in eisdem rebus potuisset ei homo sui sexus, si opus haberet, adjutorium ferre. Cur igitur fecit ei mulierem in adjutorium, & non alium virum, qui ministraret ei? Oportet nunc, si vultis videri sapientes & intellectores scripturæ sanctæ, ut aliquod tale officium nominetis, in quo indiguisset Adam adjutorio mulieris, & in quo eum adjuvare non posset alius vir. Certe non invenitis quid rationabiliter heic dicere possitis, nisi idipsum quod dicturus sum, mecum sentiatis. Volebat Deus creare humanum genus ad laudem & gloriam nominis sui, sed non ita ut angelicam fecerat creaturam. Omnes enim angelicos spiritus creaverat simul, ita ut nullus angelus ex alio nasceretur. Humanum vero genus ita creare disponebat, ut sibi invicem succederent homines, & nascerentur alii ab aliis, quatenus caussa consanguinitatis firmior inter eos esset connexio caritatis. Omnes autem unum caput, & unam originem habere voluit primum hominem, ut videlicet ab ipso omne genus humanum propagaretur, essetque ei in hoc quædam similitudo cum Deo, qui est caput & principium omnis creaturæ.

IX. Non autem talem fecerat Adam, ut ab ipso solo posset generatio humana provenire: non enim ei dederat Deus aptitudinem talem, ut posset parere, aut lactare. Fecit itaque ei mulierem, ut ex ea haberet adjutorium, augendi & multiplicandi genus humanum, ut videlicet ipse generaret ex ea filios ut pater, ipsa ei pareret & lactaret filios, ut mater. Adhuc mihi dicite, popule stulte, & insipiens; si, sicut docti estis, viro prohibuit Deus mulierem, & mulieri virum; quomodo fieri potuit illud quod dixit ad eos: *Crescite & multiplicamini, & replete terram?* Quid debuerunt aut potuerunt facere, ut crescerent & multiplicarentur, si debebant omnino ab invicem abstinere? Si voluit Deus, ut Adam filios ex Eva generaret, & sic per eos multiplicaretur genus eorum, & replerent terram, & juxta hoc ei prohibuit tangere mulierem; contrarius erat sibi ipsi in sua voluntate, & in præceptis suis, & argui potuit insipientiæ, quod dicere nefas est. Si ego agricolæ meo omnino interdicerem officium seminandi, & tamen ei dicerem, vide ut bene fructificet ager meus, & per te multas fruges habeam: nonne mihi ipsi contrarius essem, & insipientiæ argui possem? Utique possem. Item de Noe, qui tempore diluvii per arcam salvatus est, similia dicere possum. Si ita, ut vos dicitis, Deus abominatur conjugium, & opus conjugale, quare cum vellet salvare Noe & filios ejus ne perirent in diluvio, simul cum ipsis salvavit & uxores eorum? Nam cum præcepisset Noe ut faceret arcam, dixit ad eum: *Ingredieris arcam tu & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum.* Et rursum cum condidisset arcam dixit ei: *Ingredere tu & domus tua, te enim vidi justum coram me in generatione ista.* Ecce testimonium perhibet Deus viro habenti uxorem, & filios tres, quoniam justus sit coram eo. Et qua audacia condemnatis omnes viros habentes uxores? Et quare, ut dixi, servavit pariter cum viris etiam uxores eorum? Si molestum erat Deo omne conjugium, melius solos viros salvasset, & omnes mulieres in aqua submersisset, aut solas mulieres servasset, & omnes viros perdidisset. Et si erat contra voluntatem Dei, ut viri miscerentur uxoribus suis, quare hoc celavit a Noe quem diligebat, & a filiis ejus, cum eos eduxisset de arca? Quare si eos diligebat, non dixit; Peccavit in me Adam, in eo quod concubuit cum muliere quam interdixeram ei: Peccavit in me filius ejus Seth, quia habuit uxorem & genuit filios & filias: Peccaverunt in me omnes, qui post illos duxerunt uxores, & filios genuerunt, & ideo perdidi eos. Vos autem nolite facere malum hoc, neque misceamini uxoribus vestris, ut similiter non deleam vos. Nihil autem tale dixit ad eos, sed ait: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quod qualiter fieri posset nescio, nisi cum uxoribus suis miscerentur. Aut si vos scitis quomodo aliter possent crescere & multiplicari, & replere terram, dicite nobis.

X. Item & hoc miror, quomodo Deus, si ita abominatur conjugium, ut dicitis, potuerit se tam familiarem exhibere sanctis patriarchis, videlicet Abraham & Isaac & Jacob, ut ipse loqueretur cum eis, & mitteret ad eos sanctos angelos, & tanta eis promitteret in futurum de propagatione generis eorum, qualiter illud vellet multiplicare & dilatare, & benedictionibus replere. Scimus ex scriptura, quod primus illorum erat trigamus, secundus monogamus, tertius tetragamus, & tamen Deus non hoc abominatus est in eis, sed servos suos dilectos eos frequentissime appellavit, & propter merita eorum multas ac magnas benedictiones contulit generationi eorum, & imitatoribus fidei sanctæ, quam haberent ad Dominum.

XI. Veniam & ad illud quod mussitant quidam vestrum, videlicet sequaces Hartuvini: quod illud conjugium solum justum est, in quo virgines conjunguntur, & quod unam tantum prolem gignere debent, & postea statim ab invicem discedere, nec umquam deinceps ad conjugalem thorum convenire. Per omnia stultos & indiscretos vos esse video, tum quia error vester non sibi ipsi concor-

1. Forte *necesse*.



habet, qui tantam singularitatem in cunctis partibus Catholicæ fidei habere quæritis, ut singularem quamdam in vobis sanctitatem venerentur miseri illi, quos seducitis. Differo usque in alium locum exponere, qualiter intelligendum sit illud, quod de salvatore dictum est, quoniam baptizabit in spiritu & igne. De aquæ baptismo, cui contradicitis, nunc loquor ad vos.

IV. Dicite mihi, qua audacia contradicitis ei, cum ipse Dominus eum instituerit, & servandum esse docuerit? Ipse etenim, sicut sancti quatuor Evangelistæ singuli in scripturis suis testantur, venit ad Jordanem, ubi erat Joannes baptizans, ibique ab eo baptizatus est; non quia ipse baptismi sanctificatione indigeret, qui ab omni peccato erat immunis, sed ut nobis ad abluenda peccata aquas sanctificaret, & in seipso nobis exemptum præberet suscipiendi baptismum aquæ, quem constituere volebat Ecclesiæ suæ in remissionem peccatorum. Ibi & Spiritus sanctus in specie columbæ se manifestavit super eum, sicut de ipso testimonium perhibuit Joannes dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & manentem super eum.* Quod nostræ quoque eruditionis & consolationis caussa factum est; ut videlicet tanto certius credere possemus ad omnes eos pervenire gratiam Spiritus sancti, qui Christi baptismum suscipiunt, ut illius capitis quod Christus est, membra efficiantur. Baptismum nostrum Christi baptismum vocamus, quia ipse principaliter in eo, ut supra diximus, baptizat, dans remissionem peccatorum per Spiritum sanctum. Et quia, ut dictum est, exemplo suo eum nobis initiavit, & quoniam in verbis sanctæ doctrinæ suæ observari eum constituit, determinans in qua materia, & secundum quam formam fieri deberet. In qua materia baptizandum esset determinavit, quando in aqua hominem regenerari debere monstravit dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest videre regnum Dei.* Propter duas substantias quæ sunt in omni homine, videlicet corpus & animam, dixit duo pertinere ad baptismum nostrum, videlicet aquam & Spiritum sanctum: & nos indubitanter credimus ex verbis ipsius, quod ea hora qua visibile corpus nostrum lavatur in aqua visibili, tunc & invisibilis substantia nostra, quæ est anima, lavatur invisibili lavacro, videlicet in Spiritu sancto, & emundatur ab omni delicto. In quali etiam forma verborum baptizari nos vellet, determinavit, cum dixit ad discipulos suos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

V. Hæc ergo verba sunt dominica, ex quibus Ecclesia Dei testimonium habet ejus baptismi, qui pervenit usque in nos. Habet & testimonium ab eo signo, quod accidit in passione salvatoris, quando ex latere ipsius jam mortui simul profluxerunt sanguis & aqua. Ita enim scribit Joannes dominicæ passionis testis fidelissimus de crucifixoribus ejus dicens: *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui cum eo crucifixus est. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* Quod si non ad magnam pertineret admirationem, si non magnæ rei esset sacramentum, non ita diligenter hoc affirmasset Evangelista, cum subjunxit dicens: *Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus,* A *& scit ille, quia dicit vera, ut & vos credatis.* Prudenter itaque heic animadvertendum est, videlicet & quod ante exitum mortis, in cruce Dominus purum sanguinem sine aqua de vulneribus suis emisit: & quod post emissionem spiritus, mixtum aqua cruorem de latere suo produxit. In quibus rebus aptam & rationabilem nobis significationem dedit, videlicet quod sanguine suo redimeret, non solum illos, qui ante mortem ipsius per multa sæcula gratiam redemtionis ejus fideliter exspectaverant, & sine aqua baptismi, qui nondum fuerat constitutus, ab hac vita decesserant: sed eos quoque, quos per aquam baptismi volebat regenerari, & usque in finem sæculi mortem ejus erant devote B adoraturi. Illa ergo sanguinis & aquæ mixtura de latere Christi producta nobis erat & pretium redemtionis, & sacra significatio nostræ regenerationis, qua per aquam & fidem dominici sanguinis renascimur. Neque enim aqua sine fide passionis, neque fides sine aqua ad regenerationem sufficiens est.

VI. Dupliciter itaque illud beatum Christi latus Ecclesiam Dei ædificavit, & pretium redemtionis effundendo, & formam regenerationis nobis ostendendo. Propter quod apostolus ad Romanos scribens dixit: *Quoniam vetus Adam erat forma futuri Adæ,* id est Christi. Nam sicut ex illius dormietis latere fabricata est Eva, ita ex latere istius C in morte sopiti, ædificata est sponsa ejus Ecclesia. Quod si non in hac re; dic nobis o Cathare, in qua re ille antiquus Adam exstiterit forma futuri? Velim super hoc audire occultam sapientiam tuam. Puto quod ad solitum finem deveniet responsio tua, ut dicas, nescio. Si nescis, sede, sile, age opus consuetudinis tuæ; fac discurrere panuliam cum trama per medium staminis, & sine illos tractare de mysteriis Dei, quibus divina ordinatio doctrinam scripturarum sanctarum commisit.

VII. Sicut prædictum est, ad baptismum aquæ Dominus Jesus Christus & vivus & mortuus nos invitavit. Quod ergo aliud baptisma requiris, o in- D fidelis Cathare? Si uno Deo potes esse contentus, unum quoque tibi baptisma sufficiat, cum scriptum sit: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Tale tibi baptisma sufficiat, quale sancti apostoli administraverunt his qui baptizati sunt ab eis. Si ignoras quali baptismate baptizaverint, lege scripturam Lucæ evangelistæ, quæ intitulatur Actus apostolorum, cui non minus creditur quam Evangelio quod scriptum est ab eo. Lege inquam in eo loco, ubi de conversione Cornelii & amicorum ejus scribit hoc modo: *Aduc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, & obstupuerunt qui erant ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia* E *Spiritus sancti diffusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Num quis prohibere potest quo minus aqua baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? & jussit eos in nomine Jesu Christi baptizari.* Audi insensate, quoniam princeps apostolorum non ignem, sed aquam ad baptizandum homines illos fecit exhiberi. Item refert eadem scriptura de Philippo, qui erat unus ex discipulis Christi, quoniam cum evangelizaret Jesum eunucho Candacis reginæ Æthiopum, sedens cum illo in curru, sicut ordinaverat angelus Domini, venerunt ad quamdam aquam, & ait eunuchus: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens dixit: Cre-*

SÆCUL. XII CIRCA ANN. CHR. 1154.



do Dei filium esse Jesum. Et *jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam Philippus & eunuchus, & baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum eunuchus.* De hoc quoque quid tibi videtur? Puto & Philippus erravit, quando in aqua hominem baptizavit. Certe si tuam habuisset sapientiam, cum ab eo petebat eunuchus ut in aqua eum baptizaret, respondisse debuerat ei; non, non: immo differendum est nobis usque dum ad diversorium veniamus, & introibimus in obscuram cameram, accendemus luminaria multa, & ibi te baptizabo in medio ignis. O fili erroris! utinam non pejus errares quam Philippus! Utinam non te pejor angelus duceret, quam erat ille angelus, qui Philippum ad hoc opus dixerit!

VIII. Quid ergo, inquis, est, quod Joannes Baptista dicebat, baptizandos nos esse in Spiritu & igne? Ego de hoc in sequenti capitulo, loqui dispono, ita ut sit tibi in scandalum, & appareat magis esse contra te, quam pro te. Qualitercumque autem hoc intelligendum sit, certum est & manifestum ex his quæ jam dicta sunt, quoniam unum & unicum baptisma constitutum est a Deo, ad emundationem & sanctificationem totius Ecclesiæ, videlisset baptisma aquæ cum invocatione sanctæ Trinitatis. Quod brevi sermone apostolus comprehendit, ubi ad Ephesios scribens ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Deus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Da gloriam Deo tandem o Cathare, & in hac quoque parte victum te esse confitere. Et nunc transeamus hinc ad aliud certamen.

SERMO IX.

Contra sextam hæresim de animabus mortuorum.

I. De cura, quæ pro mortuis agitur in Ecclesia, dicitis quoniam vana & superflua est; asserentes quod animæ defunctorum singulæ in ipsa hora emigrationis suæ de hac vita pro meritis suis, vel in æterna beatitudine collocentur, vel æternis suppliciis tradantur: atque hac ratione probatis, nec malis prodesse, nec bonis necessarium esse ut pro eis orationes fiant, aut missæ celebrentur, aut eleemosynæ dentur. Non enim in fide vestra hoc admittere vultis, quod præter illum æternum ignem, qui præparatus est diabolo, & his qui cum ipso in perpetuum damnandi sunt, aliquæ purgatoriæ pœnæ sint, in quibus animæ fidelium, quæ in hac vita a peccatis suis per condignam satisfactionem ad plenum purgatæ non sunt, ad tempus examinentur, atque ex eisdem per illa remedia, quæ nunc descripsimus, liberentur & ad requiem transferantur. Et nunc quoque differamus, secundum scripturas veritatis, quia magnam earum notitiam vos habere gloriamini.

II. Primum autem dicite mihi: An creditis quia Dominus Jesus Christus in passione crucis emisit spiritum, & secundum corpus quidem sepultus est, secundum animam vero descendit ad inferna, & spoliavit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legem, vel sub lege Moysi, quæ salvare neminem poterat, ab hac vita migraverant, & promissam a prioribus sæculis redemtionis suæ gratiam, quæ per Christum facta est, fideliter exspectaverant? Si vero hoc credendum est, quod animæ illæ, a pœnis illis in quibus detentæ erant, per Christum liberatæ sunt; certum est quoniam mendacii prædicatores estis, qui dicitis nullas esse pœnas animarum præter æterna supplicia damnandorum, & neminem posse liberari a pœnis, qui non statim post mortem in æterna fuerit beatitudine assumtus. At si non creditis Christum ad inferos descendisse post passionem suam, neque illud Athanasii symbolum recipitis, in quo hoc continetur, pariterque illud Catholicum symbolum, quod publice in servitio Dei decantatur rejicitis, in quo similiter hoc confitetur Ecclesia, scripturarum testimonia super hoc inducenda vobis sunt tam de veteri, quem de novo testamento.

III. David in psalmo vocem depromit angelorum præeuntium ad inferos Christum, & imperantium principibus tartari hoc modo: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Et rursum idem David victoriæ Christi congratulans, qua ereptas ab inferno secum animas eduxit ad cælos, alibi dicit ad eum: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Item per Osee prophetam ipsa filii Dei persona ait: [a] *O mors! ero mors tua; morsus tuus ero, inferne.* Morsus iste inferni tunc impletus est, quando salvator ad infernos descendens, electos suos sua invincibili potestate & justitia inde abscidit, reprobos autem illic reliquit; sicut qui rem aliquam mordet, partem ejus in ore comprehendit, partem foris relinquit. Et apostolus Paullus scribens ad Colossenses ait; *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter triumphans in semetipso.* Sufficiant nunc ista ad assertionem fidei nostræ in hac parte.

IV. Ad eam ni fallor, responsionem nunc confugietis, ut dicatis: Concedimus quidem quod ante redemtoris adventum animæ ad vitam præordinatæ in locis pœnalibus a venturis gaudiis differebantur: sed postquam per Christum vitæ patefactus est aditus, hoc communiter omnibus salvandis collatum est, ut peracto vitæ hujus cursu nullatenus ultra ab introitu regni differrentur post mortem. Sicut manifestatum est ex eo, quod latroni in cruce pœnitenti a salvatore olim dictum est: [b] *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Hoc enim communiter de omni peccatore sentiendum esse censetis. Quod si in Christo ipso vitæ suæ termino pœnituerit ex corde, quantumlibet flagitiosus per totam vitam suam exstiterit, ita perfecte ei cuncta peccata remittuntur, ut continuo ab hac vita sine omni examinatione transmigret ad cætestia regna. Ad confirmandum vero hunc errorem quarumdam scripturarum testimonia inducitis, quæ adversari nobis videntur, ex quibus est illud Ezechielis: [c] *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit: & impietas impii non nocebit ei, quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et rursum quod sequitur ibidem, simile est huic: *Si dixero impio, morte morieris; & conversus egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium & justitiam, pignus debitoris restituerit, rapinamque reddiderit, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei.* His ergo captos nos retiaculis scripturæ judicatis, & dicitis nobis insultantes: Ecce scriptura nobiscum est, quæ affirmat, quoniam pecca-

a Osee XIII. 14. b Luc. XXIII. 43. c Ezech. XXXIII. 12. seqq.

tori converſo ab impietate ſua, non nocebit impietas ſua. Iterumque idipſum inculcat dicens: *Quoniam omnia peccata quæ fecit, non imputabuntur ei.* Falſum itaque eſt quod poſt pœnitentiam & contritionem cordis, in qua peccatori remiſſa ſunt peccata ſua, de cetero aliquibus pœnis tradatur cruciandus & purgandus poſt mortem. Nam ſi hoc futurum eſt ei poſt converſionem ſuam, profecto nocebit adhuc ei impietas ſua, & imputabuntur ei peccata ſua. Talis eſt, o Piphles, objectio veſtra contra nos. Audite nunc quid reſpondeamus ad hoc, antequam de aliis objectionibus veſtris aliquid dicamus.

V. Verba ſanctæ ſcripturæ cum magna diſcretione animadvertenda ſunt: alioqui in multis locis perturbare nimium poſſunt lectorem, ſuntque ei vaſa mortis: quoniam ſæpe in uno eodemque dicto diverſæ ſignificationes intelligi poſſunt, quarum una ad veritatem, alia pertineat ad falſitatem. Itaque & illa verba prophetæ de quibus nunc tractamus, ne in errorem nos mittant, quemadmodum & vos, cum tali determinatione accipimus, ut dicamus, quoniam impio quacumque die converſus fuerit, de cetero non nocebit impietas ſua, tali videlicet nocumento, ut pro eo æternaliter condemnetur, neque imputabuntur peccata ad perditionem ipſius. Quamvis enim peccator poſt converſionem ſuam aliquid moleſtiæ patiatur in anima a purgatorio igne pro peccatis ſuis, de quibus non ſufficienter correctionem in hac vita ſuſtinuit: illa tamen moleſtia, quia temporalis & tranſitoria eſt, quaſi nullum nocumentum reputanda eſt comparatione illius æternæ pœnæ, quam in inferno pati debuiſſet, ſi converſus ab impietate ſua ante mortem non fuiſſet. Oſtendam autem vobis ſimilem ſcripturam, quæ ſimili indiget determinatione.

VI. Beatus Petrus in epiſtola ſua, quibuſdam noviter ad fidem Chriſti controverſis dicebat: [a] *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Hæc autem interrogatio idem ſignificabat, ac ſi ita affirmando dixiſſet: Nemo eſt qui vobis nocere poſſit, ſi boni, id eſt bonitatis æmulatores fueritis. Dominus autem Jeſus Chriſtus in Evangelio diſcipulis ſuis, ſimulque ceteris boni æmulatoribus hæc annunciat dicens: *Tradent vos in tribulatione, & occident vos, & eritis odio omnibus propter nomen meum.* Item: *In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem.* Ecce ſimiliter heic, ut ſupra, poteſtis ratiocinari adverſus nos, ita ut dicatis: Si boni æmulatores traduntur in tribulationem, occiduntur, odio habentur ab omnibus, & multa hujuſmodi propter juſtitiam patiuntur; certum eſt multos illis nocere, pro eo quod boni æmulatores ſunt. Non ergo verum dicit Petrus, qui nullum illis nociturum eſſe promiſit, ſi boni æmulatores exſiſtant. Puto autem quod non tam inſani capitis ſitis, ut in manifeſto dicere audeatis, aut Petrum aut Chriſtum fuiſſe mentitum, aut contraria ſibi invicem eos dixiſſe. Scitote quoniam verba Petri, quæ induximus, ita intelligimus, ut non promiſerit ſervis Dei, qui bona æmulantur, quoniam nihil omnino moleſtiæ pati deberent in via juſtitiæ. Nam & ipſe continuo poſt illa verba ſubjecit: *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati.* Heic autem in verbis illis ſignificare voluit, quoniam nemo eis ita nociturus eſſet, ut ab æterna beatitudine eos abſtrahere poſſet. Certus quippe erat quoniam neque mors, neque vita, neque gladius, neque fames, neque ulla adverſitas, nulla denique creatura veros æmulatores boni ſeparare poſſet a caritate Chriſti. Neque enim temporales incommoditates nocumentum eſſe, ſed potius juvamentum ad adipiſcendum beatitudinem electis Dei eſſe arbitratus eſt. Sicut enim auro non nocet is, qui illud in igne examinat, ſed potius juvat, ut magis reſplendeat: ita fidelium perſecutores dum eos tribulant, nos eis nocent ut putant, ſed potius eis cooperantur ut in beatitudine æterna reſplendeant. Juxta hæc ergo quæ nunc dicta ſunt, conſiderate & illud, quoniam impio ab impietate converſo non nocebit impietas ſua, & non faciet vos deviare ſermo ille a via veritatis.


VII. Aliud quoque ex Eccleſiaſte contra nos inducitis, quod tale eſt: [b] *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quod ſimiliter in partem erroris veſtri inclinatis, dicentes ita intelligi debere: Anima de corpore migrans, ſi declinaverit ad quietem, ibi perpetuo erit: ſi ad pœnam, ibi quoque perpetuo erit. Dico autem, quia ſi nihil aliud quam hoc quod dicitis, ſignificare voluit Eccleſiaſtes in verbis illis, ſuperflue interpoſitum eſt, in quocumque loco ceciderit. Nam ad ſignificandam ſententiam veſtram ſuffeciſſet ei dixiſſe: Si ceciderit lignum ad auſtrum, ſive ad aquilonem, ibi erit. Nunc autem attendite ſermonem meum, & apparebit quam vim habeat, quod additum eſt, *In quocumque loco ceciderit.* Conſiderate præcedentem literam, & invenietis quod ad dandam eleemoſynam hortatur auditorem ſuum, dicens: *Mitte panem tuum ſuper aqua, quia poſt multa tempora invenies illum.* Et iterum: *Da partes ſeptem, nec non & octo, quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.* Et in ſequentibus ad perſeverantiam boni operis hortatur dicens: *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* Quibus congrue illud interponit dicens: *Si ceciderit lignum ad auſtrum, ſive ad aquilonem, quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ac ſi dicat: Diligenter inſiſte dum vivis augere merita tua eleemoſynis & bonis operibus; quia poſt mortem, ſive devenerit homo in eum ſtatum qui pertinet ad eos, qui ſalvandi ſunt, quod eſt cadere ad auſtrum: ſive devenerit ad eum ſtatum, qui pertinet ad damnandos, quod eſt cadere ad aquilonem; *In quocumque loco ceciderit,* id eſt, in quocumque gradu meritorum tunc fuerit quando cadet, ſive ſint bona, ſive mala; *ibi erit,* id eſt, inde neque aſcendet promerendo meliora, neque deſcendet promerendo pejora. Ex tunc enim neque bono, neque reprobo locus dabitur promerendi bona vel mala: ſed de cetero tempus erit ſuſcipiendi retributiones bonas, vel malas.

VIII. Dupliciter autem cadit lignum ad auſtrum: ſive quando ſtatim poſt mortem vir juſtus in beatitudine collocatur, quod tantum eſt perfectiſſimorum, qui cum Deo mundum judicabunt: ſive quando in eam viam incidit per quam tranſire habent quidam ſalvandorum, quibus per purgatorias pœnas eumdum eſt ad refrigerium, videlicet hi qui judicandi erunt ad vitam. Similiter ad aquilonem dupliciter cadunt mali, cum vel ſtatim poſt mortem ad ſumma ſupplicia rapiuntur; ut hi de qualibus dicitur, quod jam judicati ſunt, videlicet infideles,

[a] I. Petr. III. 13.

[b] Eccl. XI. 3. ſeqq.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



& summe mali: vel illis pœnis [1] traduntur in quibus usque ad novissimum judicium reservandi sunt; ut illi reprobi, qui judicandi sunt ad mortem. Est aut frequens hic modus loquendi in scriptura sacra, ut Auster vocetur cælestis beatitudo propter divinam claritatem, quæ est in ipsa: Aquilo autem mansio reproborum tenebrosa & operta mortis caligne.

IX. Aliud quoque capitulum simile ei quod nunc tractatum est, quasi ex persona Domini dictum nobis objicitis, quod hujusmodi est: *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* Quod & ita dictum arbitramini, ac si diceret: In fine tuo cum a te repetam animam tuam, in quali vita te invenero, in tali te statim judicabo, vel ad perpetuam requiem, vel ad æternam damnationem. Nos vero aliter ista discernimus. Breviter comprehensum est in his verbis quod diffusius per Ezechielem loquitur dicens: *Cum averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem; in injustitia sua quam operatus est, morietur: & cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam: ipse animam suam vivificabit, vita vivet, & non morietur,* subauditur, morte æterna. Totius hujus capituli brevis sententia est illud: [a] *Ubi te invenero, ibi te judicabo:* sive qualem te invenero ([2] quod idem est,) talem te judicabo. Hoc est dicere: Si invenero te aversum ab injustitia & conversum ad justitiam, non est desperandum tibi propter retroacta mala, quia ibi, id est, in eo statu conversionis tuæ te judicabo, id est, discernam ab eis qui damnandi sunt. Si vero invenero te aversum a justitia, non est confidendum tibi in retroacta justitia, quia ibi, id est, in eo statu te judicabo, id est, discernam ab eis qui salvandi sunt. Discernit autem Deus bonos a malis, cum vel statim post mortem ad beatitudinem eos inducit, vel in ea purgatione eos locat, in qua ad futuram gloriam eos aptificat.

X. Est autem ex abundanti quod vobis respondemus ad ea testimonia, quæ ex veteri scriptura inducitis, ad confirmandum errorem vestrum, quem de animabus mortuorum habetis. Nam si fatemini, quod necessario fateri debetis, videlicet quod animæ antiquorum, qui ante tempus gratiæ exstiterunt usque ad tempus redemtionis, ab introitu regni cælestis dilatæ sunt, contrarii estis vobismetipsis, qui antiquorum patrum scripta hoc attestari æstimatis, quod quælibet anima, cum a corpore migrat, statim vel ad æternam beatitudinem transeat, vel ad æternam damnationem. Nam ea testimonia, quæ ab illis assumitis, non solum pertinent ad homines temporum istorum, sed ad homines antiquæ legis, sub qua adhuc clausus erat introitus regni cælorum.

XI. Non autem me latet quod ex novo quoque testamento errorem vestrum confirmatis, objicientes nobis evangelicum illum sermonem, quem locutus est salvator dicens: [b] *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transibit a morte in vitam.* In his verbis dicitis promittere salvationem omni credenti in Deum, quod mox post mortem corporis transibit quisque ad vitam æternam, ita ut non aliud judicium veniat post mortem, quam quod in ipsa morte experitur, atque indubitanter hoc Dominum significasse vultis hoc sermone, quod nullæ sint pœnæ in quibus animæ fidelium post mortem judicium Dei sustineant. Animalibus immundis quæ non ruminant quidem & ungulam non findunt, comparari jure debetis, qui in ore quidem versatis doctrinam Dei, & nullam rectæ intelligentiæ in ea discretionem habetis: ideoque verba vitæ non sunt vobis ad vitam, sed ad mortem. Cæci fuerunt doctores vestri, & cæcorum duces facti sunt, & in foveam mendacii & perditionis secum cadere vos fecerunt. Audite ergo rebelles & increduli, quomodo rectius animadvertere possitis verba Domini, quæ pervertere nitimini: quia nisi aliter exponantur, quam vos ea intelligatis, contraria sunt aliis sacræ Scripturæ verbis, quæ in suo loco inducemus.

XII. *Amen dico vobis,* inquit, *quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me,* videlicet Deo patri; siquidem audire verbum Dei & non credere, inutile est: *Hic,* inquam *habet vitam æternam.* Habent sancti qui cum Deo regnant vitam æternam, ita quod ejus beatitudine jam perfruuntur. Habent & fideles in hoc mundo positi vitam æternam, non ut rem, qua jam secundum desiderium suum perfruantur: sed ut rem, quæ illis certissime præparata & conservata est a Deo, & danda in tempore suo; *& in judicium non veniet, sed transiet a morte ad vitam.* Nomen judicii tales significationes in scriptura sancta habere dinoscitur. Significat enim flagellationem, qua homines flagellantur a Domino: significat ultimam discriminationionem bonorum & malorum, quæ fit in novissimo die: significat etiam damnationem, quæ specialiter ad reprobos pertinet. Quia autem afflictionem significet ex eo intelligi potest, quod Apostolus ait: [c] *Dum judicamur autem, a Domino corripimur,* id est, dum flagellamur, *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Quæ autem sint ista flagella determinat ubi ait: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Quod si secundum hanc significationem dicitis accipiendum judicii nomen, cum dicitur, quod *qui credit non veniet in judicium,* non potest stare sermo: quia & credentes flagellantur sæpe a Domino, sicut non credentes: *Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit.* At si dicitis, ita debere accipi, quod credentes non sint venturi post mortem ad aliam castigationem, præter eam, quam in ista vita patiuntur; injuriam facitis literæ, quæ hoc non dicit, sed simpliciter dicit, quod qui credit, in judicium non veniet. Ultimam vero discriminationem bonorum & malorum significat nomen judicii, ubi salvator de seipso dicit: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Secundum hanc quoque significationem non potest accipi hoc loco, quia tam boni quam mali, ad judicium venient, secundum illud: *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Dei, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit in corpore, sive bonum sive malum.* Significat autem damnationem judicii nomen, ut statim in sequentibus cum dicitur:

a Ezech. XXXIII. 18. 19. *b* Joan. V. 24. *c* I. Cor. XI. 32.

1. Hæc commode intelligas de pœnis ac miseriis hujus vitæ, in quas ex divina justitia incidunt plures impii mox æternis suppliciis addicendi; nec ab iis pœnis emergunt, sed quasi quodam præludio gehennæ utuntur, ad diem usque mortis, sive novissimi judicii. Confer & infra num. XV.

2. Hæc videntur redundare.

Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Et in apostolo ubi ait: *Qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Hoc autem modo indubitanter accipi debet judicium in præsenti sermone, ubi a Domino dicitur: *Qui audit verbum meum, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet*, id est, in damnationem. Sequitur: *Sed transiet a morte in vitam*, ab ea videlicet morte, quæ ei damnationis caussa exstiterat, & per quam ad perditionem transiisset, si in ipsa permansisset. Quænam fuit mors illa? sine dubio mors animæ, quam in ea effecerat infidelitas. In quali morte exstiterant illi, de quibus Petrus in epistola ait: *Propter quod mortuis* [a] *evangelizatum est.* Similiter & illi quibus Paullus scripsit dicens: *Consepulti estis cum Christo in baptismo, in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum essetis mortui in delictis convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.*

XIII. Palam ergo est, quoniam per fidem transitur ad vitam, ut non ad judicium, id est, damnationem veniatur. Id autem duobus modis fit: uno enim modo quisque ad vitam animæ per fidem a morte transit, quando qui infidelis fuerat, per fidem justificatur in anima. Ad hoc enim pertinet sermo quo dicitur: *Justus autem ex fide vivit.* Hanc vero vitam in tempore hujus mortalitatis electi Dei adipiscuntur. Alio autem modo per fidem ad vitam electis transeundum est, quando propter meritum fidei, & earum virtutum, quæ ex fide originem habent, vita æterna eis pariter in corpore & in anima tribuenda est: quod erit in die novissimæ resurrectionis, cum ab omni potestate mortis liberabuntur, & ad beatam immortalitatem transferentur. Hos autem duos modos transeundi a morte ad vitam in electis suis futuros Dominus demonstravit, continuo post verba de quibus nunc tractatum est. Primum enim modum transeundi ad vitam pronunciavit cum dixit; *Amen dico vobis, quia veniet hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent.* Secundum vero modum transeundi ad vitam, pronuntiavit, cum postea subdidit dicens: *Nolite mirari hoc, quia omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Jam si quid incorruptæ intelligentiæ est vobis, satis directe me ad veritatem vos duxisse percipitis. Quia si sine intellectu estis, frustra asinis canit lyra.

XIV. Unam adhuc objectionem vestram in medium adducam, qua nobis obviare soletis. Scriptum est: *Quoniam unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Item: *Unusquisque onus suum portabit.* Item: *Unumquemque secundum vias suas judicabo, dicit Dominus:* hoc est, unicuique retribuam secundum opera sua bona vel mala. Ex his ergo sumitis occasionem, ut dicatis non posse fieri, quod per bona opera vivorum adjuventur animæ defunctorum, ut a pœnis suis liberentur, & ad requiem transferantur. Dicitis enim quod si Deus illis miseretur propter bona opera, quæ alii pro aliis fecerunt, tunc eis non retribuitur secundum opera sua, sed secundum opera aliorum, & non ipsi onus suum portant, id est, pœnam quam ipsi meruerunt peccatis suis, si pro laboribus aliorum ab oneribus suis liberantur. Ad hæc ita respondemus.

XV. Si fideles pro defunctis suis orant, jejunant, eleemosynas largiuntur, missas celebrant, aut celebrari faciunt, bona opera operantur, & ipsimet in tempore suo mercedem pro istis recipient secundum suum laborem. Illi vero pro quibus ista faciunt, si in criminalibus peccatis in vita sua fuerunt, & de ipsis nec pœnituerunt, nec confessionem suam facere curaverunt, nihil illis bona opera hæc prodesse poterunt ad salutem. Si vero in peccata aliqua lapsi fuerunt in vita sua, & de his ante finem pœnituerunt, & in fide Catholica de hoc sæculo migraverunt, & morte præventi, non potuerunt omnem satisfactionem implere, quam pro peccatis suis debebant; dicimus quia *onus suum portabunt*, id est, pœnam pro peccatis suis sustinebunt quamdiu permiserit Deus. Pro pœnitentia autem sua, quam in fine habuerunt, & pro fide Catholica in qua usque ad mortem permanserunt, ac pro ceteris bonis, quæ in hac vita fecerunt, hanc mercedem recipient, ut eis detur vita æterna in novissimo die, & in anima & in corpore. Plurimi vero istorum etiam hoc in mercede recipient, ut ante novissimum diem liberentur a pœnis suis per bona opera viventium fidelium, quæ supra memorata sunt: alii quidem citius, alii autem tardius, secundum quod merita eorum majora vel minora fuerunt in hoc mundo. De his itaque vere dicere possumus utrumque, & quod *onus suum portabunt*, quia sustinent pœnam pro peccatis suis secundum tempus quod constituit illis Deus: & quod ipsis retribuitur secundum bona opera ipsorum, quibus meruerunt, ut possit eis subveniri ab Ecclesia Dei. Possibile quidem esset Deo sine alicujus interventu quorumlibet hominum animas liberare a pœnis suis. Vult autem hoc ordine eas liberari, ut a vivis ei serviatur pro eis, quatenus in hoc ipso magis commoneantur vivi Deum revereri, & offensam ejus cavere, pariterque augeantur & merita eorum per opera pietatis, quæ faciunt pro dilectione proximorum. In nullo ergo nobis contrariæ sunt scripturæ quæ supra memoratæ sunt, sed potius nobiscum sunt. Si verba divina vobis, o insulsi sapientes, cum diligenti consideratione decoxissent hi, qui ea tam cruda in ore vestro posuerunt, magis salubriter vos pavissent, & non tanta ventositate superbiæ corda vestra inaniter distendissent.

XVI. Equidem objectionibus vestris quibus [illegible] me fidebatis, satis, ut æstimo, responsum [illegible] complosæ sunt quasi vesicæ turgentes, & [illegible] ventum est veritatis in eis. Nunc aute[illegible] mus scripturas, quæ nobiscum sunt pro parte [illegible]ritatis, ad cujus defensionem accincti sumus. [illegible] ut a Paullo incipiamus, intueamur primum ver[illegible] quæ ad Corinthios scripsit dicens: [b] *Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus arserit detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non propter nostros quidem, quibus sanctorum nota sunt scripta patrum, sed vestri erroris occasione, necesse est nunc me sermonis hujus sensum aperire. Fundamentum spiritualis ædificii quod intus in anima construimus, fides Christi est; quam qui vere habet, Christum in mente gerit, qui est

a I. Petr. IV. 6. b I. Cor. III. 12. 13. 14. 15.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.

initium & consummatio omnis boni in electis suis ideoque & ipse fundamentum vocatur. Fundamentum nostrum dicitur fides, quia a fide bonam vitam inchoamus. Nam si non sit in nobis recta fides, nihil in nobis potest Deo placitum esse, quicquid faciamus sive bonum sive malum. Ex quo autem in nobis esse cœperit fides, placere incipimus Deo, jamque secure possumus operari bona opera, quia de cetero mercedem suam accipient. Lapides pretiosos super fundamentum ædificamus, quando hoc fidei rectæ adjicimus ut bonis moribus simus ornati, videlicet humanitate, patientia, temperantia, justitia, misericordia, & ceteris hujusmodi moribus, quos virtutes animi vocamus. Quotiescumque etiam opera facimus, quæ ex hujusmodi virtutibus procedunt, lapides pretiosos fundamento superædificamus. Lapidibus autem pretiosis talia digne comparantur, quia sicut lapides pretiosi, aurum, & alias res quæ in se pulcræ sunt, ornare solent; ita virtutes & bona opera decorem magnum præstant animæ rationali, quæ secundum Deum formata est, & est pretiosior omni auro. Decor autem iste non potest in anima dissolvi, etiam si in ignem purgatorium pro aliquibus levioribus culpis fuerit missa: sicut & lapides pretiosi liquefieri non possunt, si in ignem mittantur. Argentum quoque fundamento superædificant, quibus hoc studium est ut divinas Scripturas intelligant, & sermonibus sapientiæ alios instruant. Argento autem quod habet dulcem & acutam sonoritatem comparari solet Scriptura sacra, ut ibi: ***Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum***. Quid enim dulcius sonat quam sacra Scriptura, in qua vitæ æternæ gaudia promittuntur? Quid acutius divino sermone, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingente usque ad divisionem animæ & spiritus? Item & aurum in ædificio suo collocat, qui tam perfectæ contemplationi cor suum tradit, ut possit jugiter de Deo meditari, & trahere de occultis sapientiam, qua gustatur suavitas ejus, ipsumque sine intermissione orare, ipsum incessabili caritatis ardore circuire. Talis contemplatio recte auro comparatur, quia cunctis virtutibus excellentior est, sicut ceteris metallis pretiosius est aurum; estque effectrix operum summæ perfectionis, quæ & ipsa quasi aurum sunt in ædificio animæ comparata ceteris operibus bonis. Facit enim abstinere propter Deum etiam ab his quorum usus licitus est: facit contemnere mundum & omnem gloriam ejus, castitatem immaculatam custodire, animam pro Deo & fratribus ponere, ac cetera hujusmodi.

XVII. Ligna vero, fœnum & stipulam super fundamentum suum coacervant, qui cum rectam fidem habeant, nimis occupant corda sua curis & cogitationibus, quæ pertinent in hunc mundum, quique majorem quam oportet amorem habent ad ea, quæ prohibita ipsis non sunt, velut uxores, filios & filias, sæculares amicos, domos & possessiones, & dignitates, & hujusmodi. Hi, inquam, in anima sua ædificare dicuntur super fundamentum ligna, fœnum & stipulam, quia talibus rebus mentem occupant, quæ cremabiles sunt, sicut ligna, fœnum & stipula. Nam hæc quæ dicta sunt, obscuram & gravem faciunt animam, ne possit libere cogitare ea quæ Dei sunt, ipsumque amare sicut oportet. Sed omnis ista obscuritas & gravitas in purgatorio igne exurenda est, ita ut ipsum fundamentum nihil destructionis patiatur, si tamen inter hæc omnia præ cunctis rebus habeatur Deus, ita ut si necesse sit, potius ista relinquantur quam Deus abnegetur. Coacervant etiam in anima sua res cremabiles qui se non custodiunt a levioribus culpis, velut est otiosus sermo, risus & joci, ira, vana lætitia, excessus in cibo & potu qui non est frequens nimis, & hujusmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi, inquam, ligna, fœnum, stipulam aggregant super fundamentum suum, & hæc quoque excoquenda sunt per ignem. De levioribus dixi peccatis: nam criminalia peccata si admissa fuerint, non potest dici, quod super fundamentum aliquo modo collocentur. Siquidem ipsa destruunt fundamentum & fidem, quia enecant eam, & pro his dicitur mortua fides. At si pro his pœnituerit homo, & non satisfecerit Deo pro his in hac vita, reputabuntur quasi illa quæ comparata sunt ligno, fœno & stipulæ, & annihilabuntur per ignem in die Domini, sicut & leviora quæ prædicta sunt.

XVIII. Dies hominis dicitur tempus istud, in quo unicuique homini permittit Deus facere secundum arbitrium suum quod vult, & quo potest promereri bona sive mala secundum opera sua. Dies autem Domini, tempus illud quod instat unicuique quando separatur a corpore anima ejus, & de cetero non potest incedere secundum arbitrium suum, sed secundum judicium Dei ducitur vel ad requiem vel ad pœnam, ad accipiendam mercedem quam promeruit, fiuntque manifesta, quæ prius in eo erant occulta, sive bona sive mala. Unde & dicitur: *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, & uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*. Ignis autem dicitur pœnalitas illa, quam ad hoc Deus ordinavit, ut in ea affligantur, & purgentur electorum animæ a maculis quas in hac vita contraxerunt. Quæ nullum quidem detrimentum inferre poterit ædificationi eorum, qui fundamento superædificaverunt aurum & argentum, & lapides pretiosos, etiamsi per medium illius eis transire contingat. Propter hos ergo ait: *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet*; eam videlicet, quam sua superædificatione promeruit. Propter eos autem qui superædificaverunt ligna, fœnum, stipulam, dicit: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur*: ita videlicet quod nullum pro sua ædificatione præmium habebit, immo amaram afflictionem; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, id est, non aliter nisi per examinationem ignis. Diversis autem nominibus ligni & fœni, & stipulæ designavit ea, quæ in quolibet exurenda sunt propter diversitatem ipsorum, secundum quam quædam diutius aliis ignem sustinebunt, velut lignum diutius fœno ardet, fœnum diutius stipula. Est autem ignis iste idem quod Psalmista iram appellat cum dicit: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, vel *emendes me*, ut habet alia translatio. In furore arguentur, & non emendabuntur, quibus dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum*. In ira autem corripientur & emedabuntur, qui per ignem salvi erunt. Utrumque autem formidans deprecatur dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me*, ac si diceret: Non sim inter eos, quibus dicturus es: *Ite maledicti in ignem æternum*: *neque in ira tua emendes me*, sed in hac vita me ure & seca, & talem me redde, cui emendatorius ignis necessarius non sit.

XIX. Iste ignis est, o Cathari, quem Joannes Baptista significavit, quando de Domino salvatore prædicabat dicens: [a] *Ille vos baptizabit in Spiritu*

[a] Matth. III, 11.

ſancto & igne. Nam in hac vita baptizat in Spiritu ſancto, quando in baptiſmo foris quidem per viſibiles miniſtros baptizat nos in aqua, intus autem animas noſtras propria operatione baptizat in Spiritu ſancto, donans nobis remiſſionem omnium peccatorum. In igne autem nos baptizat, quando poſt hanc vitam in purgatoriis pœnis animas noſtras purificat a maculis peccatorum, quas in habitaculo corruptibilis corporis contraxerunt: quia nihil in illa ſua puriſſima civitate recipere vult, quod non ſit ab omni ſorde defæcatum.

XX. Poſſumus & ex verbis Domini teſtimonium ſumere ad confirmationem ſententiæ, de qua nunc ſermo nobis eſt. Legimus in Evangelio, quoniam ad Phariſæos blaſphemantes opera ejus inter cetera dicebat ſic; [a] *Qui dixit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Quale ſit illud peccatum, quo dicitur peccare quis in Spiritum ſanctum, non me determinare hoc loco neceſſe eſt, quia ad præſens negotium non pertinet hoc. Id vero præſentis negotii eſt, ut conſideremus hoc, quod aliquod peccatum eſſe inſinuat, quod non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Si verus eſt ſermo, nulli aliquod peccatum in futuro ſæculo contigit remitti. Nam ſicut dicitis, quælibet anima, mox cum de præſenti ſæculo migraverit, aut in æterna beatitudine conſtituitur, quo nemo cum peccati macula accedet, & ubi nemo peccati maculam contrahit: aut æternis pœnis deputatur, ubi nulla remiſſio, nulla miſericordiæ exhibitio eſt. Ergo ſuperflue a ſalvatore talis diſtinctio facta eſt, ut diceret peccatum illud, quod eſt in Spiritum ſanctum, non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Nam ſi nullum in futuro ſæculo peccatum remitteretur, non tam ſpecialiter de illo peccato dixiſſet, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittetur, ſed ſuffeciſſet ſimpliciter dixiſſe, quoniam non remittetur ei. Sicut autem nefas eſt dicere, aliquam falſitatem in verbis ſalvatoris inveniri; ita procul dubio nefas eſt dicere, aliquam in eis eſſe ſuperfluitatem, aut inutilitatem. Scriptum quippe eſt de eo in pſalmo: *Et folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur*. Deflueret autem folium ejus, ſi in verbis ejus aliquid ſuperflueret: & non proſperarentur quæcumque fecit, ſi aliquid ſine utilitate dixiſſet. Ergo neceſſario concedendum eſt, quoniam in futuro ſæculo aliqua peccatorum remiſſio ſit: quam quia non poſſumus dicere exhiberi eis, qui æternaliter damnati ſunt, neque eis qui ſalvati ſunt; neceſſe eſt ut dicamus aliquibus remitti peccata in alio ſæculo, qui neque ſint in æterna damnatione, neque in æterna beatitudine collocati. Nulli autem medii ſunt inter æternam beatitudinem, & inter æternam damnationem, niſi illi de quibus dicimus, quod in purgatoriis pœnis ſint.


XXI. Videte nunc quali modo eis peccata remitti dicamus. Remittit Deus peccatori homini peccata duobus modis in hac vita: videlicet, duritiam cordis ejus per interiorem gratiam ad converſionem emolliendo, & converſum ad ſe a debito gehennalis pœnæ, quæ ei pro peccatis debebatur, abſolutum faciendo. Quibus autem in hac vita his modis peccata remittit, ſi ita tranſeunt de hac vita, quod de peccatis ſuis non ad plenum ſatisfaciunt Deo, permittit eos ad tempus puniri in quibuſdam pœnis, quas conſtituit ad hoc, ut electi ſui in his A purificentur. Quando autem eis illas pœnas remittit, & eos ad refrigerium educit, tunc eis peccata remittere dicitur: quia & pœnæ peccatorum peccata vocantur, ſecundum illud Apoſtoli: *Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*. Non autem aliter peccata noſtra ipſe portavit, niſi quod pœnas quæ nobis debebantur pro reatibus noſtris, ipſe ſuſtinuit. Unum adhuc ſatis evidens teſtimonium ad confirmationem partis noſtræ inducere poſſumus, ex hiſtoria Machabæorum, cujus talis eſt auctoritas in Eccleſia, ut publice in divino ſervitio lectitetur. Scriptum eſt in libro ſecundo ejuſdem hiſtoriæ, quod Juda Machabæo dimicante B adverſus Gorgiam præpoſitum Idumææ, contigit paucos Judæorum ruere. Fugato autem Gorgia, per Dei auxilium, Judas collecto exercitu venit in civitatem Odolla, & cum ſeptimus dies ſuperveniret, ſecundum conſuetudinem in eodem loco ſabbatum egerunt, & ſequenti die venit Judas cum ſuis, ut corpora proſtratorum tolleret ac ſepeliret. Invenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibebat Judæos. Omnibus ergo manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſſam eos corruiſſe: atque ita ad preces converſi, rogaverunt Deum, ut id delictum oblivioni traderetur. Poſt hæc proſequitur ſcriptura ita dicens: [b] *Et facta collatione Judas,* C *duodecim millia dragmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri ea pro peccatis mortuorum, juſte & religioſe de reſurrectione cogitans*, & cetera. Et ad ultimum ita concluſit dicens: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*.

XXII. Quid nunc ad hæc dicitis o Piphles? Evangelica ſcriptura ut auditis, pro nobis eſt, & quis contra nos? Apoſtolica ſcriptura in defenſione noſtræ partis eſt, & quis eſt qui condemnet nos? Exemplum Machabæi dominici bellatoris in acie noſtra eſt, & quis dimicabit adverſus nos? Adhuc pauca de præſenti negotio habeo conferre vobiſcum.

D XXIII. Si præoccupatus fuerit homo gravioribus peccatis, & converſus fuerit ab iniquitate ſua, & pœnituerit ex corde de perpetratis malis; numquid indiget, ut præter illam interiorem pœnitentiam cordis, aliquam exteriorem ſatisfactionem de peccatis ſuis Deo exhibeat, videlicet eleemoſynas dando, jejunando, & aliis modis corpus ſuum propter Deum affligendo? Si ita eſt, ut per quoſdam comperi, quibus noti erant ſermones veſtri, dicitis quia poſtquam ex corde pœnituerit homo de peccatis ſuis, & ceſſaverit ab iniquitate, non opus eſt ei illa exteriore ſatisfactione, de qua dixi: eo quod jam omne peccatum ei ſit remiſſum in pœnitentia E cordis. Sed hoc non ita eſſe evidentibus Scripturæ ſanctæ teſtimoniis declaratur. Dicit enim Dominus per prophetam Joel: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*. Ecce evidenter præter interiorem converſionem cordis, exteriorem quoque ſatisfactionem expoſcit, Joannes quoque Baptiſta ut in Evangelio legimus, ad utrumque hortatus eſt dicens: *Pœnitentiam agite*. Et poſt pauca ſubjungit: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Fructus autem pœnitentiæ ſunt opera bona, quibus Deus placatur pro peccatis, & variæ caſtigationes carnis. Quæ qualem effectum habeant ad placandum Deum patet ex hiſtoria, quæ narrat pœnitentiam Ninivitarum; & ex ſcriptura quæ dicit, quomodo Achab rex Iſrael cum argue-

a Matth. XII. 32. b II. Machab. XII. 43. ſeqq.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.



retur per Heliam de occisione Naboth, scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. Factusque est sermo domini ad Heliam dicens: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei caussa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii ejus inferam malum domui ejus*. Ex his ergo palam est, Deum non solum internam cordis compunctionem, sed etiam exteriorem satisfactionem peccatis congruentem exigere, eaque exhibita placari, neglecta autem ad vindictam commoveri.

XXIV. Si ergo conceditis hoc ita esse, quid dicetis de illo qui in omni genere criminum consenuit, & primum in ipso articulo mortis compungitur, & convertitur ad justitiam? Numquid debitor alicujus satisfactionis est Deo pro peccatis suis? Utpote debitor quidem est: sed quia propter brevitatem temporis non potest eam implere, dimittitur ei satisfactio simul cum peccatis, statim post mortem rapitur ad æternam beatitudinem. Dicitis ita? Bona est sententia ista, & ad multorum proficit correctionem. Qualem correctionem? Quod si hoc verbum publice coram vanis & pravis hominibus prædicetur, differet unusquisque conversionem suam quanto diutius poterit, dicens apud se: Faciam omnem voluntatem cordis mei, & in fine vitæ meæ convertar & pœnitebo, & statim sine omni labore ad regnum cælorum transibo. Videtis ne quomodo sententia vestra, si credita & recepta fuerit, occasio erit omnis vanitatis & omnis pravitatis? Stultissimi hominum! quæ ratio, aut quæ utilitas est in hoc sermone quem dicitis? Omnino nulla, nisi ut singulariter videri possitis sapientes præ aliis hominibus, si aliquid singulare dicatis, quod non sit in opinione ceterorum. In nostro autem sermone quem de animabus mortuorum diximus, indubitanter fructus multus est, quoniam multa opera misericordiæ quotidie fiunt in pauperes, quæ nullatenus fierent, si non hoc crederent homines, ut per talia possent adjuvare animas carorum suorum.

XXV. Manifestum est itaque, per omnia necessarium esse purgatorium illum ignem, de quo diximus, in quo animæ eorum qui in hac vita non plenariam satisfactionem Deo pro peccatis suis exhibuerunt, tamdiu examinentur, donec idoneæ fiant intromitti ad illam supernam civitatem Dei, quæ nihil recipit quod perfectum & plene examinatum non sit. Quid enim absurdius, quam ut credatur animam a sentina turpitudinum recenter extractam, & earum memoria adhuc quodammodo f.tentem, in illud tam limpidissimum lumen tam repente irrumpere, & purissimorum spirituum cœtibus admisceri, ita ut fit uno eodemque die, mane quidem in peccatorum turpissimo cœno, & vespere in Angelorum purissimo cælo? Nonne debuerat vel septem dierum rubore suffundi pro multis criminosis excessibus, cum pro solo verbo jurgii Maria soror Moysi lepra pessima correpta sit a Domino, ac septem diebus sequestrata a castris filiorum Israel? Ex auro purissimo omnia vasa sanctuarii, quibus administrandum erat corruptibile sacrificium in deserto fieri jussa sunt. Quanto magis vasa quibus incorruptibilis gloria purissimæ divinitatis seipsam dignabitur infundere, omnimoda examinatione antequam ad sancta sanctorum inferantur, probata esse convenit?

XXVI. De latrone mihi forsitan objicitis, quod eadem die qua confessus est, in paradiso fuerit cum A Domino Jesu. Ad quod ita respondemus: quia hoc ei specialiter concessum est præ aliis pœnitentibus, propter admirabilem fidei ejus virtutem, qua hominem quem vidit non habentem speciem neque decorem, & quasi novissimum virorum ignominiosæ morti traditum, credere potuit Deum esse, dicens: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum*. Quæ fides, ut arbitror, coram divino examine majoris meriti habita est, quam multorum annorum gravis pœnitentia. Date jam gloriam Deo, & accedite ad veritatem qua expugnati estis: aut si non acceditis, fugite partes adversæ cum doctore vestro; qui ab initio mendax est, & mendacii pater.

SERMO X.

Contra septimam hæresim de sacerdotio.

I. Accedamus & ad illud discutiendum, quod dicitis ordinem sacerdotii defecisse apud nos, & nusquam inveniri veros sacerdotes, nisi inter vos. Loquor nunc pro nobis, qui in his quæ ad Christianam religionem pertinent, ad Romanam Ecclesiam respectum habemus. Sacerdotalem ordinem nos accepimus a Romana Ecclesia. Romana autem Ecclesia ab apostolo Petro, Petrus a Christo, Christus a Deo patre, qui unxit eum oleo C lætitiæ, hoc est Spiritu sancto, præ participibus suis, & juravit dicens ad eum: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Verus sacerdos erat Dominus Jesus Christus, qui sacrosanctum corpus & sanguinem suum palam obtulit Deo patri super aram crucis, ut statueret pacem & reconciliationem inter ipsum, & genus humanum quod perditum fuerat. Si a donatione sacræ rei sacerdos dicitur, nulli unquam melius competebat hoc nomen, quam ei qui sacrum sacratissimum, hoc est, seipsum dedit, ut salvaremur per ipsum. Ipse etiam invisibiliter dedit corpus & sanguinem suum, quando coram discipulis panem & vinum in cœna benedixit benedictione cælesti, & fecit sua admirabi- D li potestate, ut sub specie ejusdem panis & vini sumerent de manibus ipsius corpus & sanguinem ejus. Ipse quoque sicut pollicitus est, cum Ecclesia sua, est usque ad consummationem sæculi, & quotidie invisibiliter offert per manus Ecclesiæ Deo patri pro salute mundi corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini. Propterea dictus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui erat rex Salem & sacerdos Dei summi, & oblationem fecit Deo ex pane & vino.

II. Dominus Jesus Christus discipulos suos fecit veros sacerdotes, in eo quod unxit eos Spiritu sancto, & dedit eis potestatem prædicandi verbum E divinum, & baptizandi, cum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Dedit eis potestatem ligandi atque solvendi, cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt*. Dedit eis potestatem conficiendi corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini, quando dixit ad eos: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem*. Omnem denique potestatem, quæ ad sacerdotii officium & ad episcopalem dignitatem spectat ab ipso acceperunt. Eamdem autem potestatem singuli successoribus reliquerunt in illis terris, & in illis Ecclesiis, quas eis Dominus convertendas & gubernandas de-

legavit. Et ut nunc de aliis taceam, beatus Petrus princeps apostolorum in Romana urbe presbyteros & episcopos ordinavit, & omnem potestatem quæ ad officia eorum pertinebat eis dedit, sicut ipse a Domino Jesu Christo acceperat. Et puto non potestis contradicere, quin hoc facere posset. Beatum vero Clementem discipulum suum, cum sciret sibi imminere terminum vitæ suæ, in loco suo Ecclesiæ præesse constituit, & eam potestatem, quam ipse habuit in principatu apostolatus ei tradidit. Ipsa autem consecratione, qua per beatum Petrum Clemens ordinatus est in presbyterum & episcopum, ordinati sunt & a Clemente alii episcopi & presbyteri Romæ, & ipsa ordinatus est successor Clementis, ea & ille alios ordinavit episcopos & presbyteros, & ita a successoribus ad successores per ordinem descendit sacerdotale officium, & episcopalis dignitas, usque ad eum, qui hodierna die summus pontifex Ecclesiæ est.


III. Si nunc dicitis quod sacerdotalis ordo defecerit in Romana Ecclesia, oportet ut nobis hoc demonstretis, sub quo papa acciderit iste defectus, & quam ob caussam acciderit. Quod si dicere nescitis, magnæ stultitiæ & temeritatis argui potestis, pro eo quod rem tam magnam diffamare ausi estis, quam non veraciter comperistis, sed tamen in opinione habetis. Dicitis forte: Nescimus sub quo papa acciderit iste defectus, sed hoc scimus, quod ex multis temporibus omnes, qui dicebantur Romani pontifices, & cardinales, semper avari fuerunt & superbi, & multis ex causis indigni sacerdotio Christi, & ex hoc certi sumus, quoniam verum sacerdotium apud ipsos non est. Esto indigni sint: numquid impossibile est ut aliquis sit indignus sacerdotio, & tamen vere sacerdotii ordinem habeat? Nequaquam hoc impossibile est. Scimus quippe quoniam sacerdotium, quod erat in veteri lege, institutum erat a Deo. Et quoniam Aaron & Eleazarus & Phinees primi sacerdotes Dei viri sancti, moltos habuerunt successores in sacerdotio, qui non erant beneplaciti Deo, & indigni sacerdotali dignitate, & tamen eos Deus toleravit in officiis suis, & ratam permisit esse benedictionem sacerdotalem in eis. Sacerdotes Judæorum in adventu salvatoris hypocritæ erant & avari, ac superbi, & venditores & emtores spiritualium rerum, sicut ex verbis Domini apparet, quibus sæpe eos reprehendebat, & tamen ipse de eis dicebat ad plebem: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Ecce cum ipse nosset vitia eorum ab intrinsecus, non tamen abducebat populum ab eis, sed honorem debitum sacerdotibus, & spiritualibus magistris, voluit ab illis exhiberi. Item cum venissent ad eum decem leprosi volentes mundari ab eo, dicebat eis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Et uni cum esset mundatus a lepra, ait: *Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Ecce quomodo honorabat eos, quos sciebat esse iniquos. Quid quæso honorabat in eis? Non personas eorum, sed officium eorum quod sanctum erat & institutum a Deo. Quod certe si defecisset in eis propterea quia eo erant indigni, non eos sacerdotes appellasset, neque præcepisset eis offerri munus, quod sacerdotibus Dei erat divino jure offerendum.

IV. Scriptum est de Caipha summo pontifice Judæorum, qui erat unus ex præcipuis crucifixoribus Christi, quod cum collegissent pontifices & Pharisæi concilium adversus Jesum quomodo eum perderent, dicebat; *Expedit vobis ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Quibus verbis evangelista ita subjungens ait: *Hoc autem non a semet ipso dicebat; sed cum esset pontifex anni illius, prophetebat, quod Jesus moriturus esset pro gente, & non pro gente tantum, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Ex quo sermone evangelistæ percipitur, quod Caiphas licet sanctus non esset, propter sanctitatem tamen pontificalis officii sui, aliquam singularem gratiam habebat a Deo, per quam prophetabat redemtionem, quæ per Christum erat futura. Erat tamen indignus dignitate officii illius, non solum ob illam nequitiam qua salvatori resistebat, sed propter avaritiam & superbiam ac cetera vitia, quibus irretiti erant cuncti sacerdotes temporis illius, sicut ex verbis Joannis Baptistæ manifestum est, qui frequenter eos arguebat. Ita enim erant avari & cupidi honoris, sicut in historiis legitur, ut singulis annis mutarent summos pontifices, & festinaret unusquisque ante alium ingredi ad dignitatem pontificatus per pecunias quas dabant gentilibus, qui eis præpositi erant illis temporibus, cum secundum legem unusquisque pontifex usque ad finem vitæ suæ stare debuisset in officio suo. Quæ mutatio pontificum intelligi potest etiam ex eo quod evangelista dicit de Caipha, quod esset *pontifex anni illius*: erat autem pontifex anni prioris Annas socer ejus, sicut ex historiis habetur. Hæc idcirco dicta sunt, quia dicitis non posse sacerdotale officium ratum esse apud illos, qui sacerdotio indigni sunt.

V. Quis sceleratior, quis indignior fuit dispensatione mysteriorum Dei, quam Judas Scariothis, qui & fur erat dominicæ gazæ, & mortem salvatoris diu in mente gerebat, & voluntate eum occidebat? Dominus tamen eum, sicut & ceteros apostolos mittebat ad dispensandum gratiam suam spiritalem, prædicando, baptizando & exsequendo cuncta quæ ad apostolatum pertinebant: & rata esse permisit ea quæ ab illo gerebantur, sicut & ea quæ ceteri apostoli faciebant in ministeriis suis. Legimus de pluribus qui baptizati sunt a Joanne Baptista viro sancto & perfecto, quod rebaptizati sunt per apostolos: eorum vero qui baptizati sunt a Juda nullum legimus fuisset rebaptizatum. Fuisset autem necessarium eos rebaptizari, si vim suam non potuisset habere sacramentum illud sub manibus ejus, ob eam caussam quia ipse fuisset indignus administratione baptismi. Ad nostram eruditionem hoc fieri permisit Dominus, ut ille qui indignus erat computari inter ministros Dei, gratiam suam hominibus, sicut & ceteri apostoli dispensaret: ut cum videmus indignos sacerdotes spiritualia tractare & distribuere, ne propter eorum malitiam diffideremus gratiæ Dei, neque æstimaremus quod nullam virtutem haberent res spiritales, quæ ad salutem gratiæ Dei constitutæ sunt, pro eo quod mali sunt, qui officium habent super ea. Nolite itaque temere hoc affirmare, quod in Romana Ecclesia defecerit ordo sacerdotalis, pro eo quod qui regnant in ea, indigni sunt eo.

VI. Certe hoc quod dicitis, verum esse fateremur, si defecisse in ea fidem Catholicam probare possetis. Nam si exinanita esset fides, inania procul dubio essent & fidei sacramenta. Quod si inania essent sacramenta, inane & nullius utilitatis esset officium sacerdotum dispensantium ea. De aliis quidem vitiis, pro quibus Romanam Ecclesiam

Saecul. XII circa Ann. Chr. 1154



culpatis, non eam fortassis sufficienter possumus excusare: sed quod adhuc in ea defecerit fides Catholica, nulla certe potestis ratione probare. Nam eadem fides quae ab initio per beatum Petrum in ea plantata est, & quae praedicata est a successoribus ejus, qui pro Catholicae fidei confessione martyrium pertulerunt, ut Clemens, ut Sixtus, ut Marcellus, & multi alii, quos longum esset enumerare, & qui sanctitate conversationis, & coelestibus doctrinis Ecclesiam vehementer illustraverunt, ut Silvester, ut Gregorius, ut Leo, & quam plures alii: eadem inquam fides usque in hodiernum diem in ea praedicatur & tenetur, adjuvante apud patrem illa Domini nostri Jesu Christi interpellatione, de qua ipse dixit ad Petrum: [a] *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Quod utique non dicebat spiritualiter pro illa fide, quae in mente Petri erat, sed de fide Ecclesiae, quam voluit gubernari a Petro. Unde & si quando contigit aliquem apostolicorum patrum a fide Catholica errare, non diu eum stare permisit Dominus, ne forte per ipsum Ecclesia corrumperetur. Nam in tempore Arianae haeresis quidam papa dictus Leo, sicut legitur in vita beati Hilarii, Arianis consensit in haeresi, & subitanea morte percussus est. Sed & de alio quodam legitur, quod a vera fide exorbitaverit, & ob hanc caussam depositus sit.

VII. Quod si adhuc in eo verbo haeretis, ut dicatis Romanam Ecclesiam ita corruptam esse, ut nunc credatur in ea & doceatur aliud quam quod credidit, & in ea docuit beatus Petrus, & illi ejus successores, de quibus dubium non est, quin sancti sint; ostendere debetis nobis rationabili sermone quid sit illud, in quo discordet ab illorum fide, & praedicatione: & quid sit illud, quod illi crediderunt, & quod nunc in fide non suscipiatur a successoribus illorum. Certi autem sumus, quoniam ad hoc demonstrandum, & ratio vobis deest & sermo. Sicut dixi, Dominus noster Jesus ob dilectionem principis apostolorum inter multas procellas persecutionum, & oblatrationes haereticorum; incorruptam adhuc conservavit fidem Catholicam in sede illa apostolica, simulque sacerdotalis ordinis in ea conservavit dignitatem, magis propter fidei stabilitatem quam propter merita sacerdotum regentium eam. Propter fidei dico stabilitatem, quia indubitanter ipsa in negligentiam & defectum jam devenisset, si evacuatum esset officium praedicandi, baptizandi, confirmandi, ligandi atque solvendi, offerendi sacrificium salutare, & orationem faciendi pro populo Dei, Ecclesias quoque consecrandi, & ordines faciendi, ac cetera hujusmodi exsequendi, quae ad episcopos ac sacerdotes pertinent. A Romanis autem patribus, sicut notitia sacrae fidei, ita & ordo sacerdotii ad nos usque pervenit per sanctos viros, qui inde ad has occidentales partes Christianae religionis caussa missi sunt.

VIII. Nam apostolus Petrus quando tres discipulos suos Eucharium, & Valerium, & Maternum ad praedicandum in Gallia atque Germania verbum Dei transmisit; patrum quidem illorum, videlicet beatum Eucharium in presbyterum ordinavit, & ad episcopalem eum dignitatem sublimavit. Valerium autem ad gradum diaconatus promovit. Maternum subdiaconum consecravit. Beatus autem Eucharius cum esset episcopus in Treverensi urbe, sanctum Valerium ad sacerdotii gradum promovit, eique cum esset moriturus, Ecclesiam vice sua gubernandam commisit. Similiter & ille, cum esset ab hac vita migraturus, beatum Maternum in sacerdotem ordinavit, & episcopalem ei administrationem commisit. Ab his ergo tribus pontificibus patrum sacri ordines simul, cum fide Catholica plantati & radicati sunt in Treverensi & Coloniensi provinciis, quas utrasque rexisse dinoscitur sanctus Maternus, simulque Tumgrensem, cum adhuc episcopalis esset sedes in ea. Qua enim potestate & qua gratia Dei ipsi ordinaverunt episcopos & presbyteros, aliosque ordines dederunt, eadem potestate, eadem gratia & cuncti qui eorum successores fuerunt in episcopali dignitate, & in eadem fide exstiterunt, quam illi docuerant, & obedientes fuerunt apostolicae sedis magistro, ipsi quoque ordinaverunt episcopos & presbyteros, aliosque Dei altaris ministros usque in hodiernum diem.

IX. De Moguntinensi provincia similia dico. Qua potestate ordinatus fuit in presbyterum & episcopum sanctus Bonifacius, qui cum esset Romanae sedis Ecclesiae cardinalis, missus est Zacharia summo pontifice Moguntiam, & primus in ea archiepiscopus factus est: qua, inquam, potestate ipse consecratus fuit, ea & ipse episcopos, & presbyteros aliosque ministros Dei ordinavit; eadem & successores ejus, eorumque suffraganei usque in praesens tempus singuli suis civitatibus ordinationes fecerunt ministrorum Dei. Ex his ergo quae nunc dicta sunt, scitote quoniam in his tribus archiepiscopatibus, qui principales sunt apud Teuthonicam gentem, & episcopatibus, qui eis subditi sunt, officium sacerdotale, radicem, & firmamentum habet a capite sanctae Catholicae Ecclesiae, id est, a sede beati Petri apostoli, quae in Romana urbe est. Sed & cunctae metropolitanae civitates Romani imperii in eo, quod pallia pontificalia a Romanis patribus requirunt, eisque obediunt, & decreta Romanorum pontificum recipiunt & observant, & secundum instituta illorum divinum servitium agunt, plane demonstrant, officium episcopale ac sacerdotale, ceterosque ordines divini ministerii a Romana Ecclesia se habere.

X. Idem & de civitatibus ceterorum occidentalium regnorum dicere possumus. Regno Francorum beatus Dionysius Areopagita a sancto Clemente successore Petri apostoli in episcopum ordinatus, sacerdotale officium intulit, qui primus gentem Gallorum in Parisiensi urbe, & in finibus ejus praedicatione verbi Dei ad fidem convertit, Ecclesias construxit, & consecravit presbyteros atque alios altaris Dei ministros ex probatis personis, sicut legitur, ordinavit. Atque ad eadem facienda tres illustres viros a se ad Hispaniam, ad Aquitaniam, & ad Beluacensem regionem transmisit, videlicet sanctum Marcellum, Saturninum & Lucianum, quos ei sanctus Clemens papa socios itineris dederat. Sic & in regno Anglorum beatus Augustinus episcopus a venerabili papa sancto Gregorio missus, sicut Christianae religionis cultum, ita & sacerdotale officium dilatavit. Sicut ergo eadem fides quae a Romana sede per sanctos viros, qui inde missi sunt, disseminata est, adhuc hodie permanet in cunctis civitatibus occidentalium regnorum, quae praedicta sunt: ita & officium sacerdotale, quod per illos plantatum est, ibidem permanet usque in diem hanc.

XI. Forte ad haec respondetis. Fatemur quidem

[a] Luc. XXII. 32.

quod illi primi prædicatores fidei Christianæ, de A quibus dictum est, vere sacerdotes Dei fuerunt, & alius ad sacerdotium ordinare potuerunt. Sed multos successores in episcopalibus cathedris habuerunt, quorum vita tam prava & tam abominabilis exstitit, ut nec ipsi possent sacerdotale officium habere, nec alios ad hoc possent ordinare, ac per eos sacerdotium omnino interiit. Pro quibus respondeo idipsum, quod supra de Romanis pontificibus dictum est; non esse hoc impossibile, ut magistratus Ecclesiarum habeant aliqua dona spiritualia pertinentia ad utilitatem eorum, quos regere habent, qui tamen ipsi eisdem donis coram Deo indigni sint, & non ipsimet proficiant ad salutem. Sic & propheticus spiritus Balaam & Caiphæ, de quo & B supra locuti sumus, & apostolica potestas Judæ non ipsis provenit ad utilitatem, sed aliis. Quapropter ex hoc, quod dicitis pontifices successores sanctorum virorum, de quibus supra dictum est, male & irrationabiliter vixisse, non inquam ex hoc necessario probare potestis, quod ipsi habere non potuerunt potestatem exsequendi officium sacerdotum, & ordinandi sacerdotes; quæ potestas sine dubio sancta est, & spirituale donum Dei est. Multi in primitiva Ecclesia hoc donum Spiritus sancti habebant, ut loquerentur variis linguis, quas numquam ab aliquo didicerant, & tamen caritatem Dei non habebant, quia non ad meritum, sed ad honorem Dei dabatur hoc donum. Multi hoc donum C Spiritus sancti habebant, ut in nomine Christi prophetarent, & dæmonia ab obsessis corporibus ejicerent, & signa alia facerent, & tamen non vere Christum sequebantur, sicut perpenditur ex verbis ipsius salvatoris qui dicebat: *Amen dico vobis, multi venient in die illo dicentes: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: Discedite a me operarii iniquitatis*. Si talia dicere animadvertere sciretis, profecto non tam temere judicaretis quod officium sacerdotis aut episcopi non posset apud illos esse, quorum vita coram laudabilis non est.

XII. Iterum forte ad talem objectionem confugietis ut dicatis: Si non per malam conversationem episcoporum; tamen per infidelitatem ipsorum accidere potuit, ut sacerdotalis dignitas evacuaretur. Fuerunt enim quædam tempora, in quibus hæreses ita in Ecclesia multiplicatæ sunt & excreverunt, ut etiam episcopi multarum civitatum in errorem ducerentur, maxime in diebus Arianæ perfidiæ, cui multi episcoporum consensisse leguntur. In illis ergo temporibus per hæreticos episcopos multi ad ordinem sacerdotii, multi etiam ad Episcopalem dignitatem ordinati sunt. Hæreticorum autem ordinationes nullam vim habere potuerunt, ita ut aliquis ab eis ordinatus, vere officium episcopi aut presbyteri exsequi posset, aut ad hoc alium promovere. Hi autem qui ab hæreticis ordinati sunt, putantes se esse episcopos, cum non essent, alios ordinaverunt episcopos & presbyteros, & nec illi ab eis ordinati, vere officium, quod se putabant suscepisse, habuerunt; & illi quoque alios ordinaverunt, & ita usque ad hæc tempora devoluti sunt ordines ecclesiastici, qui ab illis hæreticis episcopis primum corrupti sunt, & ita annihilati sunt, ut ubi esse putantur, ibi vere non sint. Si talem objectionem concinnatis adversum nos, scitote quoniam absque responsione non fumus. Ita quidem sæpe accidisse legimus, ut etiam episcopi diversarum civitatum in errorem ducerentur & consentirent hæreticis, qui fidem Catholicam subvertere conati sunt. Et quidem si ita aliqui hæresibus consenserunt, ut tamen ipsi non manifesta contradictione Ecclesiam impugnarent, neque excommunicatione Orthodoxorum patrum ab Ecclesia præciderentur, & ita adhuc specie tenus intra Ecclesiam manserunt: de talibus non negamus, quin habuerint vere sacros ordines, & si non ad suam utilitatem, & potuerint vere eos aliis dare: quia non impossibile est, ut Ecclesiæ sacramenta aliquando etiam per hæreticos dispensentur, sicut & testantur verba Augustini, qui ait: *Non ideo non sunt sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicite utantur, non modo hæretici, sed & omnes impii: illi corrigendi sunt & puniendi: illa vero agnoscenda & veneranda*. At si qui ita hæresibus corrupti sunt, ut manifeste eas auderent defendere & impugnare Catholicam fidem, hos Romani magistratus & Orthodoxi patres, qui sub illis fidem Catholicam tuebantur, ab episcopalibus sedibus quantum fieri potuit, ejicere, & ab Ecclesia Dei præcidere per excommunicationem studuerunt.

XIII. Si quos autem ordines facere præsumserunt, interim dum ab Ecclesia Dei erant præcisi, illi ordines simul cum hæresibus sub excommunicatione fuerunt, ita ut nullam salutarem vim haberent, quamdiu hæreses permanserunt in illis, qui ordinatoribus suis in hæresi consenserunt. Unde dicit Cyprianus martyr in epistola sua, quod omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia & inania & sacrilega sint, & eorum altaria falsa, & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega, qui more simiarum, quæ cum homines non sunt, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiæ Catholicæ & auctoritatem sibi vendicant, cum ipsi Ecclesia non sint. Postquam vero cum Dei auxilio hæreses deficere cœperunt, ita ut hi, qui excommunicati fuerunt propter eas, vel morerentur, vel paullatim redirent ad Catholicam Ecclesiam, eique reconciliarentur. Tunc si qui ab hæreticis episcopis extra Ecclesiam ordinati fuerant, recipiebantur quidem D in communionem Ecclesiæ, sed non omnes uno eodemque modo. Quidam enim sic recepti sunt, ut per manus impositionem tantum laicam haberent communionem, & omnino sine clericatus ordine in Ecclesia essent, sicut intelligimus ex verbis Innocentii papæ. Legitur enim quod dicit, Arianorum clericos non suscipiendos cum sacerdotii, vel alicujus ministeri dignitate, quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine patris & filii & Spiritus sancti percipitur. Tradit etiam laicam tantum communionem talibus esse tribuendam per manus impositionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogandum. Et hoc quidem primum generaliter de hæreticis fuerat E constitutum; sed postea variis occasionibus intervenientibus, temperatus est iste rigor consilio Orthodoxorum patrum, quibus decernentibus nonnulli ordinatorum ab hæretis ita recepti sunt dispensationis caussa, ut remanerent in ordinibus suis, quos ab hæreticis susceperant extra Ecclesiam. Hoc ex decreto Innocentii patet, in quo ista dicit: *Summa sacerdotum deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, & fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Sed necessitas*, inquit, *temporis id fieri magnopere postulabat*. Talibus ergo si quid gratiæ spiritualis defuit quod in sua ordinatione recipere debuerunt, hoc eis collatum esse constat, in eo quod a Catholicis patribus licentiam ministrandi in Ecclesia ac-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154



ceperunt. Item ordinatorum ab hæretis quidam ita recepti sunt, ut accipientes manus impositionem ordinarentur, & sic remanerent in clero: forsitan quia non secundum formam Ecclesiæ fuerant ordinati, quod de Novatianis tantum statutum legitur in Canonibus Nicæni concilii.

XIV. Quidam arbitrati sunt omnes qui ab hæreticis extra Ecclesiam fuissent ordinati, secundo ordinandos esse, cum ad Catholicam Ecclesiam redissent. Sed hoc non esse faciendum, Gregorius papa demonstrat in epistola, in qua Joanni Ravennati episcopo ita scribit dicens: *Quod dicitis, ut qui ordinati sunt, iterum ordinentur, valde ridiculosum est. Ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari*. Item & quidam venientes ab hæreticis, ita recepti sunt mixto rigore quodam cum misericordia, ut quosque ordines tunc haberent, in illis ministrarent, & numquam ad alios aliquos promoverentur. De qua re Urbanus papa legitur mandasse Geberhardo Constantiensi episcopo sic: *Ut ab excommuncatis quondam, tamen Catholicis episcopis ordinatos, si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis quos acceperunt ordinibus permanere permittas. Ad superiores vero ascendere non concedimus, nisi necessitas & utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum conversatio sancta promeruerit. Hoc tamen ipsum rarius, & cum cautela præcipua est concedendum*. Idem & alii quidam mandasse leguntur absque omni exceptione.

XV. Hæc me ita commemorasse sciatis, quatenus ex his perpendatis quali diligentia patrum, qui Ecclesiæ Dei gubernaculum possederunt, provisum & cautum est, ne hoc quod dicitis, eveniret; videlicet ut per hæreticos ecclesiastici ordines evacuarentur. Nam per eos, qui ad communionem Ecclesiæ recepti sunt, non perierunt, sed nec per eos, qui extra communionem permanserunt evacuati sunt. Quia ex quo eis Catholica Ecclesia prævaluit non manifeste in Ecclesia ministraverunt, neque ordines palam fecerunt: & si in occulto eos fecerunt, & aliquis Catholicorum sciens eos hæreticos esse, ordinationem ab eis accepit, non est receptus in Ecclesia. Sic namque legitur in actione septimæ synodi, quæ apud Nicæam celebrata est: *Si quis sponte ad hæreticum vadit, & accipit ordinationem, non recipiatur*. Et de hæreticis quid amplius dicam? Scimus certe quoniam Dominus salvator cum de ædificatione Ecclesiæ sanctæ ad principem Apostolorum loqueretur, ita inter cetera ajebat: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Portas autem inferi dicebat hæreticos, qui ingressum inferi patefaciunt his qui sequuntur eos. Hi autem secundum promissionem Domini nondum prævaluerunt Ecclesiæ, quoniam principi Apostolorum commisit, ut fidem Catholicam numquam in ea destruere possent. Quod si ita prævaluissent adversus eam, ut omnes ordines ecclesiastici in ea per ipsos exinaniti jam essent, atque ita infirmata jam essent cuncta sacramenta Ecclesiæ: nimis certe prævaluissent aversus eam, & non bene impleta esset promissio salvatoris, quæ evacuari non potest.

XVI. De simoniacis episcopis forsitan eamdem objectionem nobis facitis, quæ supra de hæreticis inducta est. Nos vero de eis ita respondemus: Quamdiu ita non manifesta est simonia alicujus episcopi, ut pro ea coram magistratibus suis accusetur, convincatur, & canonica sententia feriatur; tamdiu officium ejus vim suam credimus habere in ecclesiasticis sacramentis, quæ ab ipso administrantur, sicut ex verbis beati Gregorii colligimus, qui de sacramento dominici corporis loquens ait: *Et quid melius corpore & sanguine Christi? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacrum tamen est, & Spiritus sanctus vivificat: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur*. Sunt autem ad intra Ecclesiam simoniaci, qui nondum sunt ab ea damnati. Cum ergo utrumque ad officium eorum pertineat, & corpus Domini consecrare, & ministros Dei ordinare; si in majori sacramento irritum non est officium eorum, propter peccata eorum, probabile est, quod etiam in minori irritum non sit. Nam licet reproba sit vita eorum, & orationes eorum Deo sint ingratæ, credimus tamen, quod per merita & orationes Ecclesiæ, cui adhuc utcumque adhærent, adjuvantur, ut rata sint officia eorum in sacramentis, quæ ad usum Ecclesiæ pertinent. Nemo enim in consecratione Eucharistiæ dicit, *offero*, sed *offerimus*: quod quidem pro tota Ecclesia dicitur. Nemo etiam episcoporum in officio suo explendo dicit, oro ut hoc vel hoc fiat, sed oremus unusquisque dicit: in quo se toti Ecclesiæ connumerat, cujus meritis & precibus adjuvatur ad impetrandum ea, de quibus postulat a Deo, quæ forte per se indignus esset impetrare.

XVII. Fortasse iterum objicitis mihi dicentes: Et quid est, quod Dominus sacerdotibus sive episcopis sibi displicentibus comminatur dicens: *Maledicam benedictionibus vestris?* Hoc ita intelligite, ac si diceret: Benedictiones vestras faciam vobismetipsis provenire in maledictionem. Potest enim esse quod benedictio alicujus, ei qui benedicitur in bonum cedat: ipsi vero qui benedicit, eadem benedictio in malum proveniat, quemadmodum illis, qui cum non sequerentur Christum, in nomine tamen ipsius benedicebant obsessos a dæmonibus: & illi quidem liberabantur, illi vero qui benedictionibus suis alios liberabant, & ex hoc gloriam & lucrum apud homines quærebant, reprobati sunt a Deo, sicut patet ex evangelicis verbis, quæ superius inducta sunt. Ad hoc quod de simoniacis ordinatoribus jam supra dixi, ut æstimo dicitis: Quomodo possunt dare Spiritum sanctum, qui non habent Spiritum sanctum? Videte quid dicatis, & quid interrogetis. Dico vobis quod præter Christum, qui & verus homo est, & verus Deus, non potest ullus hominum dare Spiritum sanctum alii, sicut & testatur beatus Augustinus ita de Christo loquens: *Accepit Spiritum sanctum, ut homo, & effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere vero super alios non utique possumus: sed ut hoc fiat Deum super eos, a quo id efficitur, invocamus*. Item dicit: *Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant*: quem morem in suis præpositis, etiam nunc servat Ecclesia. Denique & Simon magus offerens Apostolis pecuniam, non ait: *Date & mihi hanc potestatem, ut dem Spiritum sanctum: sed, cuicumque inquit imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Quia nec scriptura superius dixerat: Videns autem Simon, quia Apostoli darent Spiritum sanctum; sed dixerat, Videns autem Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus*. Si quis

vero Catholicorum patrum, hoc in scripto posuisse inveniatur, videlicet apostolos dedisse Spiritum sanctum, sive eos qui ordinant ministros Dei Spiritum sanctum dare; sciendum est, non alium eos sensum in tali dicto habuisse quam qui in verbis Augustini, quæ nunc inducta sunt, expressus est. Frustra ergo interrogatis quomodo possint dare Spiritum sanctum, qui eum non habent. Quod ergo eis possibile est faciunt tam mali, quam boni episcopi: orant videlicet, & secundum officium suum benedictiones statutas dicunt super eos quos ordinant, & Deus non pro ipsorum meritis, sed pro dilectione Ecclesiæ suæ, cujus adhuc qualiacumque membra sunt, præstat hoc donum Spiritus sancti unicuique eorum qui ordinantur, ut habeat eam B gratiam, quæ pertinet ad ordinem suum, qua tamen gratia potest unusquisque uti sive in bonum, sive in malum. Et non mirum si ad invocationem Dei, quam facit malus, aliquam Spiritus sancti gratiam præstat ei qui ordinatur, cum ad invocationem sanctæ Trinitatis, quam interdum facit quilibet flagitiosus Christianus, sive etiam infidelis, super eum qui baptizatur in nomine patris & filii & Spiritus sancti, detur baptizato ea gratia Spiritus sancti, per quem omnia peccata remittuntur, & per quam Christi membrum efficitur.

XVIII. Illud quoque nunc mihi objicite, quod Petrus apostolus ad Simonem magum, cum offer- C -ret ei pecuniam pro ea potestate, ut cuicumque imponeret manus, acciperet Spiritum sanctum, dicebat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri*. Ex hoc ergo inducite adversum me hunc sermonem, & dicite: quia existimavit obtinere donum Dei per pecuniam, maledictus est, & repulsus ab eo, & non est illud consecutus. Ita ergo & imitatores simoniaci, qui pro officio episcopali, quod est spirituale donum Dei, offerunt & dant pecuniam, maledicuntur a Deo, & non consequuntur quod quærunt: & si non consequuntur, non vere episcopi sunt, & non possunt implere, quod ad officium episcopale pertinet. Est ne talis objectio vestra? D Non me adhuc sine responsione invenietis. Vere quod Simon repulsatus est ab illo spirituali dono, pro quo male negotiatus est, nec consecutus est illud, & hoc erat judicium irascentis Dei. Isti vero consequuntur donum spirituale, pro quo & ipsi male negotiantur, videlicet officium episcopale, & hoc est beneficium ex parte irascentis Dei, & ex parte miserentis Dei. Beneficium irascentis Dei est, quia hoc illis præstat ratus, ut tanto damnabiliores fiant, quia male pro eo negotiati sunt, ac si dicat verbis Saulis, qui cum daturus esset filiam suam David, cujus mortem disponebar, ait, *Dabo ei filiam meam uxorem, ut sit ei in scandalum*. Beneficium irascentis Dei susceperant E illi de quibus Apostolus ait: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evacuarunt* &c. & illi de quibus Psalmista ait: *Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur*. Ex parte inquam est beneficium miserentis Dei, quia ad usum Ecclesiæ suæ eis præstat eam spiritualem gratiam, qua utuntur in officiis suis, ne occasione illorum pereant sacramenta Ecclesiæ, quibus carere ipsa non potest.

XIX. Verumtamen inter peccatum istorum, & peccatum Simonis videtur differentia esse. Non ille videbat apostolos per illam potestatem, quam a Deo habent & quam ipse desiderabat habere, consecutos fuisse aliquas divitias, aut aliquod sæculare dominium, & ideo non eis obtulit pecuniam, quatenus ad talia consequenda eum adjuvarent; sed principaliter ad ipsum spirituale donum Dei, quod eos videbat habere, intendit venire, ut videlicet cuicumque imponeret manum, reciperet Spiritum sanctum cum aliquo visibili miraculo, ita quod loqueretur variis linguis, vel aliquid tale in eo contingeret, in quo manifeste notari posset Spiritus sanctus, & in eo affectabat similis fieri sanctis Apostolis, quibus invidebat, quod in tam excelenti dono ei præferrentur. Quæ invidentia ejus significata est, nimirum in eo verbo, quod dixit Petrus ad eum: *in felle amaritudinis video te esse*. Adipisci autem hoc volebat, non ut in bonum eo uteretur, sed in malum, videlicet ad gloriam sibi coram hominibus comparandam: sicut Judæi Christum emerunt, non ut eo fruerentur in bonum, sed ut suam pravam voluntatem in eo perficerent. Et cum non esset cor ejus rectum cum Deo, nihil de reconcilianda sibi gratia ejus tractabat, quatenus adipisci donum ejus posset: sed quasi eo invito hoc obtinere posset, irreverenter & manifeste sibi venundari postulabat impretiabilem gratiam ab hominibus, quam solus dare poterat Deus. Talis ergo erat temeritas ejus, quasi si servus alicujus potentis despectus, odibilis domino suo, & nullam habens curam adipiscendi gratiam ejus, manifeste offerat pecuniam consiliariis domini sui, quatenus faciant eum habere filiam ejus, ut fornicarie ea abutatur. Nunc vero si quis ita salutis suæ obliviosus efficitur, ut non secundum Deum honorem cathedræ appetat: primum considerat divitias & honores, & hujusmodi temporalia commoda, quæ concupiscibilia sunt, adjuncta esse prælationi illi, & ea principaliter concupiscit, & secum de adipiscendis illis tractat. Juxta hæc autem considerat spiritualia, sine quibus illa possidere non potest, videlicet officium sacerdotale, quod exigit ut divinæ contemplationi insistat orando pro aliis, & meditando quæ Dei sunt, ut sit doctus, & alios doceat, ut sit castus, sobrius & modestus & gravis, in moribus omnino irreprehensibilis: & hæc cogitans pertimescit, & indignum se reputat dignitate ad quam aspirat. Positus itaque inter concupiscentiam & timorem, vincitur tum a concupiscentia; incipit negotiari precibus & muneribus, & promissis, tum per se, tum per amicos, modo occulte, modo manifeste negotium tractans. Et quidem omnia facit principaliter pro sæcularibus quæ concupiscit: secundario autem pro spiritualibus, non quia amet ea, aut eis dignum se esse arbitretur; sed quia scit sine his sæcularia illa se non posse obtinere: perficit negotium, dat quod exigitur, suscipit sub manu ecclesiastici patris, a quo ordinatur, spiritualem potestatem pertinentem ad dignitatem, ad quam ordinatur. Hanc vero illi confert Deus, non quia amet eum, aut quia dignus sit ea, sed ut supra dixi, ex parte, propter misericordiam suam, ut electis Dei, qui in populo pertinente ad regnum ejus, non desint propter peccatum illius sacramenta Ecclesiastica pertinentia ad salutem animarum eorum. Ex parte etiam in ira sua hanc illi præstat, ut tanto majorem occasionem habeat damnandi eum in futuro, si non pœniteat, qui per pecuniam se ingessit ad fruendum secundum voluntatem eleemosynis fidelium, quæ illi ad honorem Christi, & ad usus pauperum ejus Ecclesiis contulerunt. Ex parte etiam tales hoc modo sinit Deus habere ecclesiasticas dignitates, propter peccata quorumdam qui sunt in populo, & non sunt

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.

digni habere bonos prælatos, ut testatur scriptura quæ dicit: *Propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam*.

XX. Sæpe autem qui sic in Ecclesia negotiantur, quoniam in mente non habent principalem intentionem ad emenda spiritualia, sed ad temporalia, quæ magis amant, & de eis totus sermo est, apud vendentes & ementes, dicunt se non emere spiritualia, sed temporalia. Sed hoc dicendo semetipsos fallunt. Hoc eis quasi pro emtione reputatur, quod ad ea accedunt mediante pecunia, quam propter concupiscentiam temporalium dant pro eis quæ statuta sunt, ut simul cum illis spiritualibus possideantur. De hujusmodi negotiatoribus papa dicit hoc modo: *Si aliqui objecerint se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere omisit*. Similitudinem autem hujus negotii considero in eo quod dicam: Si tutor pupilli fraudulenter vendat molentem, quæ sit hereditas illius, viro conscio fraudis suæ; iniquus est emtor, sicut & venditor. Et quamvis nullam in conventione sua fecerit mentionem de aqua alvei pertinente ad molentem, eadem nihilominus emtione possideri illam dicitur: & tamen solus Deus, ut pote gubernator naturæ, hanc administrat molenti, tum ut satisfaciat necessitati utentium ea, tum etiam ut iniquum possessorem ejus tanto amplius culpabilem habeat, quanto largius fruitur beneficiis ejus ad quæ accessit inique. Dicuntur autem hi, de quibus supra dictum est, simoniaci, quia in eo quod per pecuniam negotiantur de prælationibus Ecclesiasticis, quæ simul juncta habent spiritualia Dei dona cum temporalibus bonis, imitatores sunt Simonis, qui existimabat donum Dei pecunia possideri, & ob hoc maledictionis ejus participes erunt, qua ille maledictus est a Petro, qui dicebat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri*.

XXI. Sicut autem ex his, quæ dicta sunt animadverti potest, nequior & magis temeraria fuit negotiatio illius, quam istorum. Nequior, quia apostolis quibus parificari voluit, invidebat gratiam Dei, *& in felle amaritudinis suæ*, sicut & postea factis demonstrabat: sed isti nullam hujusmodi paritatem cum sanctis habere affectant, neque invident sanctitati eorum, sed potius eos venerantur. Temerarie magis, quam impudenter & manifeste pro gratia Dei pecuniam obtulit, quasi esset res venalis ad forum. Isti vero non directe munus intendunt ad donum spirituale, sed ad commodum sæculare, quamvis tamen in hoc culpabiles sint, quod sciunt ad neutrum accedendum esse per pecuniam, ipsi vero ad utrumque accedunt per eam. Quod ergo Simon principaliter existimabat possidere, isti secundario existimant in sua negotiatione. Existimabat inquam, id est, in mente tractabat. Nam verbum existimationis non hoc loco pro incerta opinione accipiendum est, sicut nec in illo loco, ubi Apostolus dicit: *Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. De simoniacis non manifestis & non convictis, hæc diximus, ad ostendendum quod ordines ecclesiasticos possint dare, & quod ratæ habentur ordinationes eorum: qui & si convicti fuerint aliquando de simonia, manent tamen in ordinibus

A suis, hi qui ab eis fuerunt ordinati, antequam manifestum fieret eis illos simoniacos esse: quod utique non permitteretur, si nullos ordines dare potuissent. Dicit enim de talibus Papa Urbanus sic: *Qui ordinantur a simoniacis, quos cum ordinantur nesciunt simoniacos esse, qui & tunc pro Catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur*. Misericorditer, inquit, quia secundum rigorem justitiæ deponi possent, non quia ordines non habeant, sed ad majorem confusionem eorum a quibus ordinati sunt, & ad terrorem aliorum, qui simoniace negotiari non timent, quibus eadem misericordia annumeratur, & illi qui cum sciant ex aliquorum relatione ordinatores suos simoniacos esse, probare

B tamen hoc non possunt, nec debent, & ab ordinatione subtrahere se non audent.

XXII. At si qui ordinati sunt a simoniacis convictis & damnatis, horum ordinationes cassatæ sunt a patribus, & cessare jussi sunt a ministeriis suis. O Cathari, hoc vos scire volo, quod ea quæ varie dixi, de his quæ in ecclesia gesta sunt, & quæ a patribus statuta & dicta sunt in ea, non propter vos tantum dixi, sed magis propter nostros indoctos populos, qui pariter nostros & vestros aliquando percipiunt sermones, ut sciant rationabiles nobis sermones non deesse, sed reddendam rationem de his quæ credimus & agimus in ecclesia Dei. De vo-

C bis autem scio quod quicquid loquimur, quantumcumque sit rationabile, vos vestros garrietis errores, sicut vulgo dicitur: *Ovem, ovem clamat lupus, quidquid dixeris ei*.

SERMO XI.

Contra octavam hæresim de corpore & sanguine Domini.

I. Adhuc os meum patet ad vos, o antichristi, & sermo mihi non parvus adversus in-

D credulitatem vestram. Infamati estis & de hoc, quod de corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi non eam fidem habeatis, quam ecclesia Catholica confitetur. Ipsa autem hujusmodi est: Credit & confitetur populus Dei in cunctis partibus mundi, ad quas dilatata est religio Christiana, quod dum sacerdotes ecclesiæ sive sint bonæ conversationis sive malæ, ad altare Dei divinum agunt officium, & super oblationem panis & vini sacra pronuntiant verba, quæ nobis summus sacerdos, id est, Christus, & sancti patres nostri illic dicenda reliquerunt, indubitanter ibi fiat mutatio talis, ut fit ibi sub specie panis & vini caro Christi, quæ inviolata fuit in cruce, & vivus sanguis qui fluxit

E de vulneribus ejus; & quod eamdem carnem sumit ipse sacerdos, & omnes qui accedunt ad communicandum cum ipso. Nostra fides hæc est: & sicut ajunt, vos omnino renuitis credere, quod ab aliquo sacerdote sive bono sive malo possit ulla consecratione fieri corpus Domini; & quod ab aliquo homine sumi possit ad manducandum. Ego autem non diffido, & jam in hoc errore vos esse: quandoquidem cunctos sacerdotes Ecclesiæ, qui sacramenta dominica tractant, in contemtu habetis, & nihil penditis omne officium eorum. Memini vidisse aliquando in præsentia Coloniensis archiepiscopi Arnoldi, quemdam non parvi nominis virum, qui de schola Catharorum reversus fuerat ad suos, a quo dum inquireremus diligenter, quæ essent hæreses illorum,

ita respondit : Brevi sermone ea de quibus interrogatis, concludam : *Omnia quæ creditis, omnia quæ agitis in Ecclesia, illi falsa & inania judicant*. Hæc ergo cum dixisset, sufficit responsio archiepiscopo, & nil amplius ab eo requirendum esse judicavit. Hinc credibile est mihi & illam incredulitatem, de qua dixi, non deesse malitiæ vestræ. Sive autem quod credimus credatis, sive non, ut in hac quoque parte fidem nostram rationabile fundamentum habere cognoscatis, verba evangelicæ & Apostolicæ scripturæ, quæ manifestum testimonium ei perhibent, inducenda nobis sunt.

II. Sancti Evangelistæ ubi loquuntur de cœna Domini, quam habuit cum discipulis suis ante passionem suam, dicunt quod vespere facto, discumbebat Dominus cum discipulis suis, & [a] *manducantibus illis, accepit Jesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait : Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens : Accipite & bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Recte animadvertite omnia hæc verba. Benedixit panem & dedit eis, & dixit : *Hoc est corpus meum*. Et ut certius eis & nobis fieret, quod vel quale corpus illis verbis significaretur, determinavit, cum addidit dicens : *Quod pro vobis tradetur*. Similiter & de sanguine determinavit cum dixit : *Hic est sanguis meus qui pro vobis & multis effundetur*. Ex his ergo verbis credimus indubitanter, quod idem corpus, in quo tunc præsens coram illis apparuit, cum heic loquebatur, & quod postea in cruce pependit, & mortem ibi sustinuit, eis dedit comedendum : & eumdem sanguinem, qui de vulneribus ejus profluxit dedit eis bibendum. Humano sensui impossibile quidem est, ut intelligat qualiter id fieri posset; habet tamen rectam & firmam rationem, quare hoc indubitanter credere debeat. Quæ est illa ratio, qua credi debeat illud quod foris videbatur esse panis, fuisse ipsum corpus Domini? quod Dominus Jesus Christus filius Dei hoc dixit, qui mentiri non potuit. Vere mentiri non potuit, quia Deus fuit, quia veritas fuit, sicut ipse de se testatur dicens : *Ego sum via, veritas, & vita*.


III. Ego indubitanter credo, quod de corpore suo potuit facere quicquid voluit, quia de ipso scriptum est : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra*. Dominus totius naturæ fuit, & ideo credo quod hoc facere potuit sua cælesti benedictione, ut panis ille quem benedixit; transiret in substantiam corporis sui, & ut invisibili & inexcogitabili modo veniret in os Petri, & transiret in intima spiritus ejus, ceterorumque discipulorum, quibus illud porrexit : quia spiritualis cibus ille erat, proprie ad animam pertinebat. Credo quod potuit facere de corpore suo sicut & potuit alia multa facere de eo, quæ videntur impossibilia ei qui non credit, & qui non hoc considerat : quoniam Dominus erat qui in corpore illo habitabat. Sumsit corpus illud de virginis utero, & produxit illud in mundum, clauso utero matris. Ipse corpus illud tulit super aquas maris, ita ut non mergeretur ubi mergebatur Petrus, sed non submergebatur, quia ab ipso adjuvabatur. Ipse cælestem claritatem ostendit in corpore suo, dum adhuc futurum ei erat ut pateretur & moreretur : tunc videlicet quando se coram discipulis suis transfiguravit in monte, & quando resplenduit facies ejus ut sol. Ipse corpus illud propria virtute suscitavit a morte, & clauso sepulcro eduxit illud foras, & ubi erant discipuli congregati in domo, clausis januis cum eodem corpore introivit, & stetit in medio eorum. Ipse quoque idem corpus de terra potenter sublevavit, & in summo cæli super omnes choros angelorum collocavit. Hæc omnia in evangeliis scripta sunt, & credimus ea, quamvis incredibilia videantur secundum communem rerum naturam, & quamvis considerare & invenire nesciamus, quali modo hæc fieri potuissent. Credimus autem quod vere potuit Dominus facere, & fecit omnia hæc : quia Deus erat, cui nihil impossibile est. Et eadem ratione credere hoc debemus, quod & illud potuit facere de corpore suo, quod supra diximus : videlicet quod dedit illud manducandum discipulis suis, quando dicebat : *Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*.

IV. Ubi dicit Evangelista, quod fregit Dominus panem, quem discipulis porrigebat : & quo dixit eis ut manducarent. In illa fractione & illa comestione non hoc intelligendum est quod intelligitur, cum dicitur de alio communi pane quod frangatur, & quod manducetur. Nam in illa fractione & comestione panis pars una omnino ab alia separatur ita, ut non maneat aliqua integritas in pane qui frangitur & manducatur. At postquam panem illum Dominus benedixit, non erat ibi vera substantia panis, sed species panis, & sub illa specie verum corpus Christi; & non erat illa fractio in substantia corporis Domini, sed in illa visibili specie panis, quæ adhuc immutata permanebat, sicque manducabat corpus Christi, ut tamen integrum permaneret & inconsumtum. Illa ergo manducatio qua corpus Christi manducabant, non erat similis comestioni qua alios communes cibos manducabant. Quod enim ore sumebant, fide & dilectione intus in anima manducabant, & ibi virtute illius panis sanctificati sunt. Similitudinem quamdam hujus rei attendite. Cum docet spiritualis magister in Ecclesia populum, unam dicit aliquando sententiam quam suscipit unusquisque corporali aure, & transit ad corda singulorum tota, & ita quodammodo dividitur inter eos, & tamen integra manet apud eum qui docet. Ita etiam discipuli Domini sanctum cibum corporali quidem ore suscipiebant, & ita transiit totus ad singulorum corda, & hoc modo dividebatur inter eos, ut tamen integer maneret, apud eum qui dabat.

V. Animadvertite nunc & illud : quod Dominus cum dedisset discipulis suis corpus suum, ac dixisset : *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, subjunxit dicens : *Hoc facite in meam commemorationem*. Si estis eruditi de scripturis sanctis, ut vobis videtur, & vos jactitare soletis, dicite quidnam verbis istis Dominus significare voluerit, & quid discipulos suos jusserit facere in suam memoriam dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem*. Negare, ut puto, non potestis, quin illud quod ei manu porrigebat, & quod formam panis habebat, significaret dicendo : *hoc facite*. Si autem illud nihil aliud erat nisi panis, numquid dicitis quod eos jusserit facere panem in memoriam sui? Sed hoc dicere stultum est. Erat autem aliud

a Matth. xxvi. 26. seqq.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154



quam panis quod sub specie panis ibi erat, id est, corpus ejus, sicut patet ex eo quod dicebat: *Hoc est corpus meum*: & illud jussit eos facere in commemorationem passionis & mortis suæ. Itaque in eo quod dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, dedit tam eis quam omnibus ad quos perventurum erat sacerdotale officium ab ipsis, potestatem faciendi cum oratione & benedictione corpus & sanguinem suum. Quod dicuntur sacerdotes corpus Domini facere sive conficere; quod idem sonat in laico sermone; non ita intelligimus, quod ipsi corpus Domini quasi de novo creent & ei essentiam dent: sed eorum facere nihil aliud ibi est, nisi quod super illud visibile sacrificium quod in altari est, faciunt officium suum, & dicunt orationes & benedictiones, & statuta signa faciunt, & tunc virtute divina præstatur, ut fit ibi verum corpus Domini, & verum sanguis ejus, ubi prius nihil aliud erat nisi panis & vinum.

VI. Illud ergo opus sacerdotum quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, ut ipsi dicantur facere corpus Domini. Et est fortasse sumtus hic modus loquendi ex eo, quod Dominus tunc dicebat: *Hoc facite in meam commemorationem*. Aut si cui videtur id quod dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita intelligendum, ac si diceretur: manducate corpus meum in meam commemorationem, ut per hoc secundo repetatur quod supra dixerat, *accipite & manducate*: non adversabor, licet non ita apte conveniat hic sensus literæ constanti, ut id quod supra dictum est. Nihilominus tamen in eo ipso quod eos jussit manducare corpus suum, & sanguinem bibere, & etiam post passionem suam in commemorationem mortis suæ, potestatem eis dedit conficiendi corpus suum & sanguinem per benedictionem, quam ipse eos suo exemplo docuit, & qua ipsi postea usi sunt in confecratione Eucharistiæ, & aliis eam reliquerunt, in quos sacerdotale officium ab ipsis pervenit. Nisi enim hanc potestatem eis dedisset, unde possent habere corpus Domini ad manducandum, & sanguinem ejus ad bibendum, etiam post resurrectionem ipsius?

VII. Dicetis forte insaniam hanc: potuit quidem aliquo modo fieri, ut Dominus ante passionem suam daret discipulis corpus suum ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum in sui commemorationem, id est, ut postea sui memores essent: sed nullo modo fieri potuit post passionem & resurrectionem suam, ut per aliquam benedictionem habere possent corpus ejus ad manducandum, sive sanguinem ejus ad bibendum. Ad quod primum dico: quod si illam commemorationem ita exponitis, non recte intelligitis scripturam. Quomodo enim intelligenda sit, ex verbis Apostoli patet, ubi illud verbum commemorationis Corinthiis exponens ait: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Ex quibus verbis intelligitur, quod manducatio illa corporis Domini, quæ est sub specie panis, & bibitio calicis, id est, sanguinis Domini, annuntiatio, id est testificatio mortis Domini est, quam in cruce sustinuit. In eo autem quod addidit, *donec veniat*: subintelligendum est, Dominus ad judicium: & in hoc significavit, quod hæc annuntiatio mortis Christi per communicationem corporis & sanguinis ejus non deerit in Ecclesia usque in diem judicii. Patet itaque ex verbis Apostoli, quod etiam post passionem dominicam fideles Christi manducare potuerunt corpus Domini, & sanguinem ejus bibere. Manifestum est etiam verbis Paulli, quod sancti Apostoli, & eorum sequaces, benedictiones fecerunt super sacrificium Domini ad implendum sermonem Domini, quem eis mandaverat de corpore & sanguine suo conficiendo, sumendo in memoriam ejus. Dicit enim in epistola ad Corinthios sic: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* Id est, nonne corpus Christi est, quo participamur? In eo autem quod dixit *benedicimus*, non solum significavit, se & alios Apostolos habere potestatem faciendi benedictiones super sacrificium altaris, sed & Corinthiorum presbyteros quibus scribebat, & quibus multa mandabat de sacramento corporis & sanguinis Domini, quomodo digne illud tractare deberent. Hoc vero superflue eis mandasset, si nullo modo fieri posset, ut manducaretur corpus Domini, aut biberetur sanguis ejus in Ecclesia.

VIII. Fuit mihi concertatio de his rebus quadam vice in domo mea Bunnæ, cum quodam viro qui suspectus erat nobis quod esset de secta Catharorum: & contigit ut incideremus ad loquendum de sacerdotibus malis, & dicebat ita de eis: Quomodo fieri potest, ut qui tam irrationabiliter vivunt, distribuant in Ecclesia corpus Domini? Et dixi ei: Nonne legimus quod Pilatus qui salvatorem crucifixit, & infidelis erat, in potestate habuit dare corpus ejus cui vellet, & dedit hoc Joseph viro justo? In eadem patientia Dominus est etiam nunc, & tolerat malos sacerdotes, & sinit eos potestatem habere in ecclesia, & distribuere corpus & sanguinem suum tam bonis quam malis: & continuo ille subjecit dicens: Post illud tempus passionis suæ, ipse non venit in manus eorum. Ex his verbis satis intellexi incredulitatem ejus, quam suspicatus fueram de eo, videlicet quod non credebat ab aliquo homine posse tractari, aut sumi in ecclesia corpus & sanguinem Domini. Dixi ergo ei cum indignatione: O Cathare, nunc te manifeste convincam: & revolvi epistolas Paulli, quas præsentes habebam, & demonstravi ei locum illum ubi ad Corinthios scribens dicit: *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quicumque enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Hæc verba cum illi exposuissem, comprehendi eum sermone hoc: Si ita est, inquam, ut dicis, videlicet quod ex eo tempore quo Dominus transiit ex hoc mundo, non venit corpus ejus in manus cujusquam, consequens est, quod ex illo tempore neque digne neque indigne potuit aliquis manducare corpus ejus, aut sanguinem ejus potare: & si non potest ab aliquo sumi indigne, nemo potest in eo sumere sibi judicium. Frustra sermonem illum dixit Apostolus, quod qui indigne sumit corpus & sanguinem Domini, judicium sibi manducat & bibit. Hæc cum dixissem, conticuit & neque incredulitatem quam in eo redarguebam, negavit: neque veritati qua convictus erat, consensit.

IX. Et nunc de eadem scriptura alloquor & vos adversarios meos: Si non est ita ut credimus, quod sacerdotes Ecclesiæ consecrent corpus & sanguinem Domini; & si non potest fieri ut ab aliquo homi-

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1154.

ne ſumatur, numquid poteſtis dicere nobis, quis A ſit ille panis aut calix Domini, in quo ſibi judicium manducat & bibit qui indigne illud manducat & bibit, & ex quo multos etiam contigit corporaliter infirmari, & mori dum indigne communicant? Quod eſt illud corpus Domini quod dijudicandum eſſe Apoſtolus demonſtrat; & quid eſt dijudicare corpus Domini? Omnia certe hæc ſuperflue & vane dicuntur, ſi ipſum verum corpus Chriſti communicabile hominibus non eſt. Ego vobis ſenſum ſcripturæ, de qua nunc ſermo eſt, explanabo, licet indignos vos eſſe cognoſcam, ſed hoc magis facio propter noſtros ſimplices populos. Panem & calicem Domini appellat Apoſtolus corpus & ſanguinem Domini, quia ſub ſpecie panis & vi- B ni iſta ſunt in altari: & quamvis ibi non ſit vera ſubſtantia panis & vini, poſtquam conſecratio facta eſt, tamen eſt ibi ſapor, & color, & forma panis & vini. Et quidem ſi non eſſet in illo ſacrificio alia ſubſtantia niſi ipſe panis & vinum, non in illo cibo aliquis manducaret judicium, id eſt damnationem ſuam, magis quam in aliquo alio cibo: neque propter illam manducationem contingeret aliquos infirmari aut mori, cum non ſit periculoſus cibus, ſimplex panis & vinum. Forſitan quia panis eſt benedictus, & vinum eſt benedictum; ideo qui indigne manducat panem illum, & vinum illud bibit, judicium ſibi manducat & bibit: & forte infirmatur aut moritur, quia benedictionem ſan- C ctam non bene honoravit. Si hoc dicitis, interrogo quare dixit: *Reus erit corporis & ſanguinis Domini qui indigne manducat panem illum, & calicem bibit?* Si non eſt ibi niſi ſimplex panis benedictus, & ſimplex vinum benedictum, rectius dixiſſet, reus erit benedicti panis, & benedicti vini indigne accepti: ſed dixit, *Reus erit corporis & ſanguinis Domini*, ſubintelligimus, indigne accepti, & quodammodo perditi, quantum in ipſo eſt.

X. Animadvertite nunc & hoc; quod dicit eum non dijudicare corpus Domini, qui de pane illo dominico indigne edit aut de calice bibit. Si quis prave & ſordide vivit, & ſine timore peccatorum D ſuorum audacter accedit ad communicandum corpori & ſanguini Domini, quaſi ſit alius cibus, hic indigne communicat, & hic non dijudicat, id eſt, non diſcernit corpus Domini ab aliis cibis per timorem & reverentiam Dei. Item & ſi ſit homo caſte & ſobrie vivens, & tamen non credat vere eſſe corpus Domini illud, quod a ſacerdotibus Eccleſiæ in altari conſecratur per orationem & benedictionem; hic ſi propter aliquam ſimulationem accedit ad ſanctam communionem, edit indigne corpus Domini, & non diſcernit illud ab aliis cibis per fidem Catholicam, & manducat ac bibit ſibi judicium, id eſt, damnationem. Hoc tu, infelix Cathare, facis, qui in occulto negas verum corpus E Chriſti eſſe in altari: & omnia quæ a ſacerdotibus noſtris in Eccleſia aguntur, in textrina tua irrides, & nihilominus adveniente paſchali die, cum populo ad Eccleſiam properas, barbam reverenter complanas, & multo humilius ceteris genua tua ad altare incurvas, atque hiantius buccam aperis ad accipiendum ſanctam communionem, videlicet tuam æternam damnationem, quatenus videaris hominibus bene Catholicus ac religioſus, & ut hi quos per pecuniam conducitis ad tuendum vos dicere poſſint in defenſione veſtra: Quid requirimus ab hominibus iſtis? Boni & juſti ſunt; & omnia agunt quæ pertinent ad Chriſtianos: utinam nos tales ſimus!

XI. Ab uno viro qui de angulis veſtris exierat unam talem ſapientiam veſtram audivi: Corpus veſtrum Domini eſt, & corpus Domini facitis quando panem veſtrum benedicitis, atque ex eo corpus veſtrum reficitis. Hunc ſermonem doloſe ſignificatis, quando inquiritur a vobis, utrum vere fidem habeatis de corpore Domini, & reſpondetis inquirentibus, bonam vos de corpore Domini fidem habere. Si ergo hæc ita ſe habent, & ſi hoc eſt verbum occultæ ſapientiæ veſtræ, ſcitote quia non eſt hæc ſapientia a Domino Deo, ſed adinvenit eam princeps veſter diabolus, ut per talem ſermonem daret infidelitati veſtræ aliquem colorem, in quo ſimilis eſſet fidei Catholicæ, quo minus abhorreret eam populus ſtultus, quem trahitis poſt vos. Nolite miſera gens fallere voſmetipſos inanibus verbis! Verum quidem eſſe fatemur, quod omne corpus, omnis caro, Domini eſt; cujus eſt terra & plenitudo ejus, & juſtorum hominum non ſolum animæ, ſed & corpora membra Chriſti dicuntur, ut apud Paullum, qui dicit: *An neſcitis quia corpora vera membra Chriſti ſunt?* Nuſquam tamen hic modus loquendi in ſcripturis invenitur, ut corpus alicujus hominis, quantumlibet ſancti, vocetur corpus Domini, vel alicujus caro vocetur caro Chriſti, præter illud unicum corpus, quod unitum eſt divinitati in Domino ſalvatore. Hoc ſingulariter vocatur corpus Domini, & caro Chriſti in ſcripturis: & ubicumque loquitur ſcriptura aliquid hujuſmodi, quod corpus Domini manducandum ſit a fidelibus, ita hoc dicit, ut non poſſit ſermo ille intelligi de aliquo alio, niſi de illo ſingulari corpore perſonæ Chriſti. Videte quod Dominus in Evangelio ſic ait: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Numquid putatis quod hoc de aliquo hominis filio poſſit veraciter intelligi, præter illum unicum filium hominis, Chriſtum virginis filium? Numquid putatis quod mactandus ſit aliquis homo, & coquendus aut aſſandus, & ſic manducandus, ut vita æterna habeatur? Non hoc certe præcepit Deus in lege ſua, qui dixit: *Non occides*. Etiam ſi ſine peccato occidi poſſit homo & manducari, non habet tamen tantam vim humana caro, ut ſuo guſtu poſſit alicui præſtare vitam æternam. Ex hoc ergo ſcitote, quod Dominus ſingulariter de ſuo corpore, quod divinitati erat unitum, loquebatur cum dicebat: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c.* Filium hominis ſe ſolebat appellare ſalvator, nec uſquam in Evangeliis hac appellatione ſignificatus eſt alius aliquis, præter ipſum. Hinc ſcimus quoniam & hoc loco ubi dixit de carne filii hominis, ſe ſingulariter ſignificavit.

XII. Ut autem certius fieret, de quo filio hominis heic loqueretur, & qualem vitam promitteret his, qui manducarent carnem ipſius, & ſanguinem biberent, poſtea & alio loco ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Vera quidem caro eſt caro Chriſti, ſed in multis ab omni alia carne ſingularis eſt, & tali modo manducatur, quo nullus alius cibus manducatur, ſicut & ſupra oſtenſum eſt. Unita eſt divinitati, & ea hanc habet virtutem, ut qui eam digne manducat, vitam eternam in ea manducet, quia ſanctificatur per virtutem deifici Spiritus, qui carni adjunctus eſt. Qui vero indigne manducat; huic ipſa caro non prodeſt aliquid, ſicut & ipſe Dominus teſtatus eſt dicens: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Non ſolum autem

SAECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154

non prodest caro illa indigne manducanti, sed & nocet, quia *judicium sibi manducat in ea*. Disperdit enim illum Deus inhabitans carnem sanctam, & ulciscitur injuriam habitaculi sui. Sicut autem singularis est illa caro ab omni alia carne, ita & de ea ordinavit Deus, ut singulariter manducetur, & aliter quam aliquis alius cibus. Nam sub specie panis in altari nobis virtute divina præsentatur, & videtur & tangitur: in sapore panis gustatur & manducatur, sicut & sanguis dominicus in specie vini nobis præsentatur, & in sapore vini gustatur & hauritur. Fractio ibi videtur, sed ea in sacramento est tantum, id est forma visibilis panis. Communio partium in manducando sentitur, sed item in solo sacramento est: ipsa autem substantia dominici corporis, quæ in sacramento latet, integra manet & incorrupta. Manducatur hic cibus, sed non consumitur ut alius cibus: ad animam transit, animam confortat & illuminat, eamque conducit ad vitam æternam. Singularitas ista in illa sancta carne est, quam de virginis utero filius Dei assumsit, sibique eam segregavit ex omni carne quæ sub cælo est, ut hæc mirabilia operetur in ipsa ad salutem electorum suorum. Propterea non vobis durum videatur credere specialiter de hac carne dictum esse illud, quod supra ex Evangelio inductum est: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* & illud: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus:* aliaque similia his.

XIII. Quidam discipulorum Christi qui talia ipsum dicentem audierant, murmurabant dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et conversi retro discesserunt ab eo*, & ultra non ambulaverunt cum ipso. Æstimabant enim quod diceret eis se manducandum ab eis in ea specie qua apparebat inter eos, ita ut per frusta concideretur, & dentibus eorum dilaniaretur: & ut sanguis ejus specie sanguinis hauriretur ab eis. Ipse vero non hunc modum manducandi eis significabat, sed illum manducationis modum, quo vere quidem caro Christi manducatur, ita tamen ut manducanti videatur non se manducare carnem, sed panem: & ut bibenti sanguinem ejus videatur non se sanguinem potare, sed vinum. Hoc vere idcirco ita fieri ordinavit Deus, ut tanto majus sit meritum ejus, qui cum tali fide utrumque sumit, ut credat potentiam Dei tantam esse ut hoc facere possit: & bonitatem ejus tantam esse, ut hoc dignetur facere pro hominis dilectione. Item & propter hoc voluit Dominus carnem suam manducari, & sanguinem suum potari in alia specie quam est, ne nimium expavesceret quisquam manducare carnem illam & sanguinem illum potare, si videret utrumque in propria specie: & ut tanto minorem occasionem haberent Judæi sive pagani irridendi Christianos, ac dicendi quod manducarent Dominum suum, & biberent sanguinem hominis occisi.

XIV. Vir quidam nostri temporis qui infamatus erat, quod de Cathara vestra gustasset, cum interrogaretur in extremis suis, an vellet dari sibi corpus Domini, dixisse memoratur: Si esset illud corpus Domini tantæ quantitatis, ut est petra [1] Ermberti, jamdudum esset consumtum, ex quo primum cœpit manducari. Verbum irrisionis erat hoc, & ex infidelitate processit, in qua, ut dicunt, & vos estis absorpti: unde & vos eodem verbo convenio. Numquid creditis verum esse quod Dominus Jesus Christus de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, & quod saturatis superfuerunt duodecim cophini fragmentorum? Negare hoc non potestis, nisi Evangeliis contradicere velitis, in quibus manifeste hoc legitur. Et numquid non creditis, quin & per eamdem virtutem qua hoc miraculum fecit, potuisset & alios plures illis quinque millibus satiare ex eisdem panibus? Dubium non est quin potuisset. Plus enim panis erat in duodecim cophinis fragmentorum, quæ superaverant manducantibus, quam fuisset primo in illis quinque panibus antequam eos distribuere cœpisset in turbas. Nam forte in uno duodecim cophinorum aut duobus potuissent fuisse contenti panes illi, qui ab uno puero illic bajulabantur. Idcirco autem plus superesse voluit Dominus, quam distributum fuisset, ut intelligeretur nondum ita coartatam fuisse potentiam ejus, quin adhuc ex eisdem panibus multo plura millia satiare potuisset. Idipsum autem miraculum quod fecit de quinque panibus, poterat sine dubio fecisse de uno, & non solum de uno integro pane, sed & de buccella panis hoc facere potuit. Omni dubitatione remota credere possumus, quod eadem virtute qua potuit de nihilo facere omnia, posset & micam panis ita multiplicare, ut inde satiaret infinita millia hominum. Qua ergo ratione diffidere possumus, quod eadem virtute possit hoc miraculum facere de corpore suo, ut quotidie in sacramento manducetur a multis in Ecclesia sua, & tamen numquam manducando consumatur? Certe sicut olim Christus in cœna sua inconsumto & integro corpore coram discipulis sedebat ea hora, qua manducabant corpus ejus, ipso dicente: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur:* sic & nunc eisdem horis eisdemque momentis, quibus per diversos fines mundi in Ecclesiis manducatur corpus ejus, sedet inconsumto corpore ad dexteram patris in cælo. Non ex hoc nostro humano sensu hanc fidem habemus, sed ex scripturis veritatis, quæ sunt a Spiritu sancto, & in quibus totius Catholicæ fidei fundamentum universa Christi Ecclesia habet.

XV. Tu vero, o Cathare, hanc fidem in absconditis tuis irrides quasi stultitiam magnam. Infelix! quomodo audes stultitiæ deputare hoc, quod facit sapientia Dei? An impossibile est, an non licet Christo, qui est Dei virtus & Dei sapientia, de corpore suo facere quod vult? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Vere bonus est, quia electorum suorum caussa multa fecit, & adhuc facit, quæ ei ab inimicis suis, videlicet Judæis & Paganis, & similibus tui, reputantur ad stultitiam & ad infirmitatem. Sed sicut dicit apostolus: *Quod stultum est Dei, sapiens est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Non possum, inquis, credere hoc, quod dicitur de corpore Christi, quia nullatenus intelligo qualiter esse possit. Insipiens homo! numquid putas Deum nihil posse facere, quod tu non possis intelligere? Et quid est in omnibus quæ credere nos oportet, quod homo super terram vivens suo sensu valeat omnino penetrare aut intelligere quomodo sit, aut quomodo fuerit? Jam tandem pone pertinaciam, inimice veritatis; & crede securus ea, quæ dixi, quia nihil periculi ex hac fide patieris, immo & multum fructum ex ea invenies. Si vero non credideris, in infidelitate tua æternaliter peribis. Secure dico,

1. *Hermelstein* e regione Confluentiæ.

quia quod nihil ex ea fide quam prædico, periculi patieris, quia sancti viri, qui fuerunt ante nos, quorum sanctitas prædicatur, & glorificatur in universo mundo, in hac fide salvati sunt. Sancti apostoli & apostolici patres missas celebrasse leguntur, in ea fide qua crediderunt, se corpus & sanguinem Domini conficere & accipere, & aliis dare.

XVI. Legitur quod accidit aliquando, ut hæc infidelitas de corpore Christi qua vos irretiti estis, etiam in populo Romano increvisset, & magnam partem civitatis occupasset tempore Gregorii Papæ: qui cum oraret pro infidelitate populi & inter missarum solemnia secundum consuetudinem obtulisset super altare Dei panem & vinum, & solitas benedictiones fecisset, hoc precibus a Deo obtinuit, ut appareret ibi caro dominica sicuti erat, & ostenderetur his qui aderant in specie carnis, quæ prius illic fuerat in specie panis: sicque liberatus est populus ab infidelitate hac. Legimus de sancto Martino Turonensi episcopo, qui non minor sanctis apostolis habebatur, quod dum sacramenta corporis & sanguinis Domini in Ecclesia offerret, globus igneus apparuit super caput ejus. Signum hoc indubitanter a Deo erat, & demonstravit Deus in hoc meritum sancti viri, & officii ejus sanctitatem honoravit. Quod nequaquam fecisset, si falsa & inanis esset fides ejus, cum qua astabat altari divino, & qua credebat adesse in manibus suis corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Tales itaque viros confidenter sequi potes in ea fide, qua ipsi nos præcesserunt, & quam a talibus scriptam habemus in libris quos reliquerunt post se. Manes tuus manet in inferno, isti vero manent in cælo. Tu fuge Manem & infernum: hos nobiscum sequere, ut cum eis pariter maneamus in æternum. Quod præstare dignetur Jesus Christus, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

SERMO XII.

Contra nonam hæresim de humanitate salvatoris.

I. ÆDificium sine fundamento, ut opinor, construxi. Nam qui bene vos noscunt, salvatoris humanitatem negare vos dicunt. Quod si ita est, vane operam consumsi disputans vobiscum de corpore & sanguine Domini. Non est autem incredibile mihi, insani magistri insanos esse discipulos. Nam princeps erroris vestri Manes, salvatorem nostrum ita in humanitate apparuisse docebat, ut videretur quidem homo esse, & non esse vere homo: & quod nec vere natus fuisset de virgine, neque vere passus, neque vere mortuus, nec vere a morte suscitatus, sicut & duo magi Zoroe & Arphaxat ante ipsum a Persia docuisse leguntur. Quod si in hoc errore illum sequimini magis quam sancta Evangelia, de quibus vos jactatis, quod vos soli ea sciatis & observetis, proculdubio aut cæci estis aut insani. Cæci estis, si in eis humanitatem Christi non intelligitis, quæ ibi manifeste prædicatur: insani autem, si vere intelligitis, & tamen obstinata mente evangelistis contradicere audetis. Si essetis Judæi, forsitan longam disputationem ex lege & prophetis de hac re vobiscum aggrederer. Nunc autem cum vos profiteamini esse Christianos, & Evangelia legatis & sciatis, sicut dicitis, non

A me finit indignatio de hoc adversum vos longo sermone laborare. Legitis enim ibi manifeste, quod easdem humanæ naturæ infirmitates in carne sua sustinuit, quas naturaliter pati & alii homines solent. Esurivit & sitivit, lassatus est ex itinere, dormivit, flevit, tristatus est, sicut evangelistæ testantur, quos, ut puto, non audetis dicere fuisse mentitos. Quod si vere non fuit in eo substantia carnis, sed umbratilis quædam similitudo corporis humani, nullo modo ista vera potuerunt esse de eo.

II. Dicitis forte, quod quia assimilavit se esurire, sitire, & cetera omnia quæ diximus, ideo evan-
B gelistæ ita de eo locuti sunt, ut illos gestus simulationis ejus talibus exprimerent verbis. Filii Belial! qua vos audacia imponitis simplici agno simulationis duplicitatem, veritati, quæ Deus est, falsitatem? Ipse verum corpus & animam se habuisse testatus est: & qua temeritate vos dicitis neutrum in ipso fuisse, & magis credendum in hoc arbitramini fallaci Manichæo, quam veraci Deo? Verum corpus habere se testabatur, quando ad discipulos suos dicebat: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus &*
C *pedes*. Et post hæc cum obtulissent ei ad manducandum partem piscis assi & favum mellis, manducavit coram illis. Animam quoque se habere ostendit in eo, quod imminente sibi passione sua dicebat: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Similiter & in eo quod dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*. Quid ergo dubitas, infelix Cathare, veram humanitatem eum habuisse; quem ex verbis ipsius intelligere potes verum corpus humanum & animam habuisse? Si dubitas eum de virginis utero corpus assumsisse; curre miser ad Evangelium Lucæ, in quo leguntur verba angeli ad Mariam loquentis hoc modo: *Ecce concipies in utero, & paries filium*.
D *In utero*, inquit, *concipies*, ut intelligas de ipsa carne virginalis uteri, & non aliunde eum carnem assumsisse. Item idipsum intelligere potes ex verbis angeli, quæ ut Matthæus scribit, ad Joseph locutus est hoc modo: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. In ea*, inquit, *natum est*, ne putares umbratile aliquid, & non veram carnem eum eduxisse de utero matris, vel aliunde quam ab ipsa, corpus eum assumsisse, ut infelix Valentinianus dicebat, Christum de cælo corpus attulisse in uterum matris, ac per eam quasi per fistulam eum transisse in hunc mundum: vel sicut Apelles hæreticus dicebat, non de cælo,
E sed ex aere eum corpus assumsisse, quod produxit de virgine. Item ad hoc ipsum pertinet quod Apostolus dicit: *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Factum*, inquit, *ex muliere*, ut intelligas substantiam corporis ejus de substantia virgineæ carnis fabricatam fuisse.

III. Cum vera carne natum fuisse Christum, ex prædictis testimoniis, si quid sanæ mentis habes, intelligere potes: & in vera carne eum fuisse passum & mortuum, ex multis scripturæ testimoniis evidentissimum est, & nunc unum pro multis inductum sufficiat ex Joannis evangelio, qui in fine passionis dominicæ ita ait: *Unus militum lancea latus ejus perforavit, & continuo exivit sanguis & aqua: & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, & scit ille quia dicit*

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1154.

vera, ut & vos creditis. Facta sunt enim hæc ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Attende quid ait, quia exivit sanguis & aqua: & quod hoc se vidisse testatur, & scire se rei veritatem dicere, diligenter affirmat, ut nullo modo dubitetur, veritatem carneæ substantiæ in Christo fuisse. Nam si phantasticum corpus habuisset, ita ut non fuisset in eo vera caro, sed inanis & umbratilis quædam carnis similitudo, ut mentitus est vester Manichæus, non magis de corpore ejus lancea perforato, quam de vento percusso potuissent profluere sanguis & aqua. Quod vero in eadem carne, in qua natus est, & passus etiam resurrexit, ex verbis quæ supra induxi, patet, quæ post resurrectionem suam dixit, ostendens discipulis suis manus suas & pedes: & ex eis quæ dixit Thomæ dubitanti. Si sufficere possunt hæc quæ dixi ad comprobandum vobis veritatem humanæ naturæ, quæ in Christo Jesu, sufficiant: sin autem; maneat infelix Catharus cum suo Mane in mendaciis suis: *& qui in sordibus est, sordescat adhuc*, & pereffluat in perditionem loquentium mendacium.

SERMO XIII.

Contra hæresim decimam de humanis animabus.

I. DE hæresi quam supra inter ceteras decimo loco ordinavi, nescio an sit generalis hominibus sectæ hujus: quia in plerisque rebus dissident a seipsis, ita ut quod a quibusdam eorum asseritur, ab aliis negetur. De ea hæresi loquor, qua dicunt nihil aliud esse animas humanas, nisi illos apostatas spiritus, qui in principio mundi ceciderunt a regno Dei; & hos posse in corporibus humanis promereri salutem: non autem nisi inter eos qui sunt de secta eorum. Hoc autem non legitur inter errores Manichæi, sed alia non minor de animabus ibi invenitur, idcirco dubium mihi est, ut dixi, utrum hi homines hunc errorem generaliter teneant, an non. Quod sive ita sit, sive non, quamvis ad magnam clementiam pertineat hic sermo, & juste non ab aliis argumentis compesci deberet, nisi virga & baculo; rationabilia tamen responsa dare nos decet etiam insanis. Est autem hic error ita abominabilis, & humanæ rationi contrarius, ut non sit mihi grandis metus de simpliciori populo quod facile in eum posset induci: propterea non multum laboris in hac parte assumere propono, sed brevem contradictionem adversus insensatos adduco.

II. Ex antiquo hoc in communi fide est, & sacra scripta attestantur, quod ad hoc creavit Deus humanum genus, ut ex eo restauraret cælesti curiæ numerum angelorum, qui ex ea ceciderunt in exordio mundi. Postquam autem per invidiam diaboli etiam humanum genus lapsum est in peccatum, & de paradiso expulsum est in primis parentibus; filius Dei in his novissimis temporibus factus est homo, ut humanum genus a peccatis suis, & a potestate diaboli liberaret, quatenus adhuc in eo perficeret quod proposuerat, videlicet ut ex eo cælestem curiam restauraret, & impleret numerum angelorum suorum, qui fuerat imminutus per ruinam illorum, qui projecti fuerant de cælo propter superbiam suam. Creditis hoc vos qui ex paradiso estis? Si non creditis, ecce inducam vobis verba apostoli Paulli, ex quibus intelligere potestis ita esse ut dixi. Hic in epistola quam scripsit ad Ephesios de Deo patre dicit quodam loco sic: *Gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, & remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ suæ, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia, ut notum nobis faceret sacramentum voluntatis suæ secundum bonum placitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt in ipso.* Hoc ergo animadvertite in hoc sermone, quod dicit proposuisse Deum patrem instaurare in Christo omnia *quæ in cælis & quæ in terris sunt. Omnia quæ in terris sunt in ipso*, id est, in prædestinatione & electione ipsius, id est, omnes electos homines, proposuit Deus instaurare in Christo, id est, per Christum. Item *omnia quæ in cælis sunt*, id est, totum numerum angelorum, qui fuerat imminutus per ruinam lapsorum spirituum, proposuit instaurare per Christum, ita ut redimeretur humanum genus per ipsum, & loco angelorum collocaretur electorum hominum numerus, atque cælestis curia ita ad integritatem plenitudinis suæ rediret, in quo primo condita fuerat. Nam si ille numerus ministrorum Dei, quem in principio ad laudem nominis sui creavit, per Christum redintegratus non fuerit, non omnia in cælis per Christum instaurantur: si vero per ipsum impletus fuerit ille numerus, ita ut tot homines salventur, quot angeli ceciderunt, aut plures, sicut asserunt quidam; & si nihil aliud sunt animæ, quam illi spiritus qui ceciderunt, necessario concedendum est, quod & omnes angeli qui ceciderunt, & omnes homines salvandi sint. Qui erunt ergo angeli de quibus Dominus in novissimo dicturus est, & qui erunt homines quibus dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus?* Numquid non cognoscitis heic quoque vos esse mendaces?

III. Intelligite nunc insipientes insipientiam vestram, & *stulti aliquando sapite*, & agnoscite quod non descendit filius Dei de cælo, ut redimeret a morte æterna dæmones, sed homines qui non sunt dæmones, sed quibus est colluctatio contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, id est, adversus malignos spiritus, qui non regunt, ut dicitis corpora nostra, sed potius destruere nos & in corpore, & in anima incessabiliter student. Non venit salvare malignos spiritus, sed torquere eos, sicut ipsi confessi sunt quando ex obsessis hominum corporibus clamabant ad eum dicentes: *Quid nobis & tibi fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.*

IV. Hactenus me de his disputasse sufficiat: & si quid minus sufficienter dixi, addat ad hæc prudens defensor veritatis quæcumque ei competentia videntur, ad munimentum Catholicæ fidei, ut arceantur a vinea Domini vulpeculæ pessimæ, quæ demoliuntur eam. Si quid etiam simpliciter & quodammodo grosse videbor dixisse, non ex hoc me despiciet lector, quia ea consideratione feci, ut ubique esset sermo interpretabilis simplici populo, cujus ædificationi præcipue intendi ista scribendo ad laudem & honorem Jesu Christi Dei & Domini nostri, cui est gloria & potestas in cælo & in terra permanens in sæcula sæculorum. Amen.

Quicumque ad munimentum Catholicæ fidei hunc librum transscripserit, & scriptum diligenter correxerit, scribat nomen ejus Deus in libro vitæ. Rogo scriptorem ut hæc quoque verba adscribat textui suo, & excerptum quod sequitur, non negligat in fine libri sui apponere.

EXCERPTUM DE MANICHÆIS[1] EX S. AUGUSTINO.

I. MAnes, qui & Manichæus a discipulis suis vocatus est, ut vitaretur nomen insaniæ, natione Persa, veniens in partes Græciæ, Spiritum paracletum se esse affirmavit, quem Dominus Jesus Apostolis se missurum promiserat. Hic ex discipulis suis duodecim elegit, eosque apostolos nominavit, ad imitationem Domini Jesu. Quem numerum Manichæi adhuc hodie custodiunt. Nam ex electis suis habent duodecim, quos appellant magistros & tertium decimum principem ipsorum. Episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris: & presbyteros qui ordinantur ab episcopis: habent diaconos suos, & hi omnes *Electi* vocantur inter eos. Ceteri vero qui nondum ad hos gradus ascenderunt, *Auditores* tantum. Mittuntur autem ex omnibus qui videntur idonei ad eorum errorem, vel ubi est, sustentandum & augendum: vel ubi non est, seminandum.

II. Est autem dogma quod a suo hæresiarcha acceperunt, hujusmodi: Creatorem omnium rerum Deum esse negant, sed duo rerum principia esse affirmant, unum bonum, & alterum malum: & hæc sibi coæterna esse & contraria: & bonum quidem principium esse affirmant: malum vero quemdam immanem principem tenebrarum, a quo omne corpus originem ducere censent. Animas autem hominum & vitalem spiritum quorumlibet animantium, & virtutem quæ vivificat arbores, & herbas, & semina, a Deo originem habere dicunt, immo & partem Dei unumquodque talium esse volunt. Nam divinam substantiam omnibus generibus corporum admixtam esse credunt. Hanc autem commixtionem hac ratione factam esse asserunt.

III. Fuerunt, ut ait Manichæus, ab exodio duæ substantiæ a se divisæ: duo scilicet regna diversa & contraria atque coæterna, videlicet regnum lucis & regnum tenebrarum. Et regnum quidem lucis Deus pater obtinebat. Hoc quoque substantiam bonam Manichæus appellavit, sive naturam bonam & incommutabilem, & omnino inviolabilem: & hoc non aliud quam Deum esse confessus est. Erat autem, ut ait, juxta unum latus illius illustris ac sanctæ terræ, tenebrarum immensa magnitudo, hancque substantiam malam appellavit, sive fumum malum, sive malam naturam. Distinxit autem eam in quinque elementa, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum: & hæc quinque, malas naturas appellavit. In singulis autem monstra pestifera ac pessima nata fuisse dicebat: in fumo bipedia: unde & ex habitatoribus fumi homines originem habere dixit: in tenebris, serpentia: in igne, quadrupedia: in aquis, natatilia: in vento, volatilia. Unumquodque autem genus in suo elemento manere dixit, omniaque hæc gentem tenebrarum appellavit.

IV. In hac ergo terra morabatur, inquit, immanis quidam princeps, habens circa se innumerabiles principes, eratque ipse omnium horum dux A & origo. Ponit autem sedem ejus in elemento fumi. Quoniam ergo terra ista cum suis habitatoribus valde erat pestifera, ac regno Dei contraria: ne forte ipsa regno Dei aliquod inferret nocumentum, placuit Deo expugnare eam, ejusque malitiam aliquo temperamento refrenare. Misit itaque de regno suo alia quinque elementa, quæ de sua ipsius substantia fabricaverat, & hæc quinque illis malis immiscuit, singula singulis, fumo aerea, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ, aquam bonam, vento malo ventum bonum.

V. Facta ergo hac commixtione bonæ naturæ cum mala, orta sunt ex illis quinque generibus B animantium, quæ supra distincta sunt, omnia hæc genera animantium quæ videmus in terris, ita ut ex singulis singula provenirent: atque ex illo tempore omnia animalia partem bonæ naturæ & partem malæ habere dicunt, eo quod post commixtionem boni & mali nata sunt. Hac ergo ratione Adam & Evam ex principibus fumi natos asserunt, quorum pater nomine Saclas, ut dicunt, omnium sociorum suorum fetus devoravit. Et quia magna pars divinæ substantiæ admixta erat fetibus illis, ideo maximam partem bonæ naturæ dicunt eum habuisse, & exiguam malæ. Qui cum sancte viveret propter exuberantem copiam boni, commotam tamen fuisse in eo adversam partem mali, C ut ad concubitum declinaret, atque ita eum lapsum esse, peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Dicunt autem quasdam cælestes virtutes ad hoc a Deo ordinatas, ut per totum mundum euntes, bonam illam naturam paullatim purgarent a mala cui immixta est, & purgatam duabus navibus imponant, & ad regna sua transmittant. Naves autem illas dicunt fabricatas esse ex pura Dei substantia, & hæ sunt, ut dicunt, sol & luna. Et lunam quidem dicunt factam ex aqua bona, solem vero ex igne bono. Ideoque orationes faciunt ad solem per diem, quacumque circuit: ad lunam vero per noctem, si apparet: si non apparet, ad aquilonem, quia sol cum occiderit ad orientem re- D vertitur.

VI. Ad imitationem itaque cælestium spirituum etiam electi eorum dicunt se purgare bonam illam naturam a mala, dum comedunt vel bibunt. Quod enim bonæ naturæ immixtum est cibis & potibus in ventre eorum, ut ajunt, liberatur, & ipsi illud cum ordinationibus transmittunt ad cælestia. Quod autem malæ naturæ ibi est, ad secessum vadit. Hoc autem faciunt in omnibus frugibus, & fructibus & seminibus. Dicunt enim partem illius bonæ naturæ etiam terræ admixtam esse: unde cum exhalet ac sursum ad sedes proprias redire conatur, in herbas & arbores per radices earum in- E currit, sicque in his eam detineri contingit, & impediri ne ascendat. Hæc ergo est caussa quare agriculturam non exercent, quoniam quasi homicidium reputant herbas aut arbores eradicare aut truncare. Sed & folia aut fructus decerpere nefas

1. Confer Photium in tom. superiore nostræ Biblioth.

SÆCUL. XII CIRCA ANN. CHR. 1154.

habent. His enim inesse sanctas quasdam animas, intellectum habentes perhibent, easque vehementer dolere cum ista læduntur, & expelli cum amputantur. Animas auditorum suorum in electos transire aut in arbores opinantur: ideoque omnes arbores ita venerantur, ut & spinas de agris evellere non audeant. Permittunt autem auditoribus suis hæc facere, ut per eos victum habere possint: fœnerari vero mulso licentius putant, quam agros colere.

VII. Adeo autem, ut dictum est, diligentius volunt purgare illam bonam naturam in omnibus seminibus per comestionem, ut & sperma humanum farinæ panis sui admixtum gustare non abhorreant: sed hoc vehementer occultant: detecta est tamen hæc illorum turpitudo apud Carthaginem, cogente Urso tribuno per duas puellas in diversis locis, ita ut neutra alteram hoc prodidisse sciret. Quarum altera nomine Margareta, cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc quasi cæleste mysterium corruptam se esse confessa est: altera vero nomine Eusebia Manichæa, quasi sanctimonialis, primo negans, tandem vix compulsa est id ipsum de se fateri, & totum turpissimum illud scelus exponere. Non autem omnes hoc facere dicuntur, sed quidam eorum, qui dicuntur Catharistæ, id est, purgatores. Est enim secta illa divisa in tres partes, in Catharistas, & Mattharios, & eos qui specialiter Manichæi dicuntur: cum tamen omnes disciplinam Manichæi observent. Carnes omnes immundas judicant, nec eis vescuntur. Dicunt enim, quia cum occiditur quodlibet animal, statim pars illa divinæ substantiæ, quæ inerat corpori, evolat, & quod remanet totum immundum est, quia ex concubitu venit, & opificium est gentis tenebrarum, & coinquinat manducantem. Auditoribus suis tamen eas comedere permittunt, sed omnino prohibent, ne animalia occidant: ajunt enim, quia principes gentis tenebrarum sua singuli in terris animalia possident, de suo genere ac stirpe venientia: qui peremtores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, quin antea pœnis, quibus possunt eos atterant. Nec ova saltem sumunt, quasi & ipsa cum frangantur, exspirent: sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore vivi animalis mulgeatur.

VIII. Vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum: bibunt tamen carœnum, quod non est aliud nisi vinum coactum. Uvas comedunt, & mustum abominantur, dicentes divinam substantiam fugari in attritione uvarum, quam multis modis a rebus fugere dicunt. Fugit enim, ut ajunt, dum fruges & poma carpuntur: fugit cum affliguntur terendo, molendo, coquendo, manducando: fugit in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel laborant: fugit etiam in ipsa digestione: multaque circa hæc turpissime confingunt. Eleemosynam ex omnibus quæ ipsi comedunt, dare alicui non Manichæo mendicanti prohibent: ita ut nec aquam in summa necessitate posito velint porrigere, ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, in illum transeat, ejusque peccatis sordidatum impediatur a reditu: ideo sæpe coarrantur ultra modum comedere, & parvulos suos nimia ingluvie interficere, ne vel aliis dentur, vel apud ipsos pereant cibaria eorum, quorum utrumque nefas habent.

IX. Uxores electis suis prohibentur, auditoribus conceduntur: monentur tamen auditores diligentissime, ut si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque arte qua possint devitent, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole: per escas etenim & potus parentum in omnem fætum animam credunt descendere. Itaque nuptias sine dubio condemnant, quando quidem generare prohibent propter quod conjugia copulanda sunt. Dominum Jesum in terras venisse, ad animas, non ad corpora liberanda: eumque nec de virgine natum credunt, nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur. Unde pascha nostrum vel negligenter, vel omnino non celebrant. Celebrant autem pro eo quoddam festum, quod vocant Bema, id est, diem quo Manichæus eorum occisus est. Deum, qui legem dedit per Moysen & per prophetas locutus est, non verum Deum fuisse dicunt, sed unum ex principibus tenebrarum. Promissionem Domini nostri Jesu Christi de paracleto Spiritu sancto in suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam, ita videlicet ut ipse esset Spiritus paracletus: unde se in suis literis Jesu Christi apostolum dicit. Baptismum in aqua nemini prodesse ad salutem dicunt. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis attribunt, sed substantiæ gentis adversæ, quam hominibus mixtam esse dicunt. Duas animas in uno homine esse dicunt, bonam & malam, easque inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Afferunt etiam finito isto sæculo, animas quidem natura bonas, sed quæ non potuerunt a naturæ malæ contagione mundari, quasi in unum globum accessuras, & cum mala natura in æternum damnandas.

Finiuntur verba Augustini collecta de libris ejus, quæ in principio libri hujus me huic operi appositurum spopondi.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1162.



ERNALDI
ABBATIS BONÆ VALLIS
ORDINIS S. BENEDICTI
OPUSCULA DUO [1]
QUORUM PRIMUM
COMMENTARIUS IN PSALMUM CXXXII.
Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum, &c.

ALTERUM
DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

HOMILIA I.
In Versum I. *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum.*

I. Ecce quam bonum, &c. *Ecce*, vox intuentis & demonstrantis: *Quam*, ammirantis & exclamantis. Quatuor sunt proposita, quæ ita congruo ordine colliguntur, intuitio, ammiratio, demonstratio, exclamatio. Intuitio, mundi cordis indicat puritatem: ammiratio, inspectæ rei magnitudinem: demonstratio, socialis animi caritatem: exclamatio, ipsius caritatis amplitudinem. Vide ergo qua laude extulit, quod tam abrupto principio de repente protulit: ammirando, exclamando, & amicos tamquam ipso digito ad spectaculum invitando.

II. *Bonum est* inquit, *& jocundum* quod vobis offero: utile est & delectabile, quod ostendo. Nonne ut verbis utar poetæ, *omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci?* Multa sunt bona & non jocunda, ut jejunia, quæ carnem affligunt: multa jucunda, sed nequaquam bona, ut carnis vitia, quæ Deum offendunt. Iste miscuit nobis vinum ad mensam sapientiæ, & proposuit bonitatem simul & jocunditatem, utilitatem & dulcedinem, in cratera divinæ clementiæ. Accedamus & bibamus, quia nec inhonestum est, quod bonum dicitur: nec onerosum est, quod jocundum describitur. Et quid est illud quæso, quod ita animum afficit propter jocunditatem, & affectum allicit propter commoditatem? *Habitare fratres in unum:* brevis descriptio, & quanto brevior, tanto obscurior. *Fratres* in Scripturis invenio quadrupliciter nuncupari, secundum naturam, ut Jacob & Esau: secundum cognationem, ut Abraham & Loth: secundum gentem, ut totam domum Jacob: secundum fidem, ut omnes Christianos. Primi certant propter hereditatem, & ab invicem separantur: secundi multo levius, in Genesi ab alterutrum dividuntur: tertii *Divisi sunt ab ira vultus ejus*, & populus stultus & insipiens prædicantur. In quarto quoque gradu multi falsi fratres, multi schismatici inveniuntur. Qui sunt ergo isti tam beati fratres, germani tam laudabiles, quos nec invidia cujusquam, ut primos dividit: nec pecunia, ut secundos secernit: nec vecordia, ut tertios a Deo secludit: nec multitudo, in hæreses & sectas disjungit? *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Multi vocati faciunt hæreses, pauci electi manent ut fratres. Isti pauci isti electi, hi sunt fratres Jesu, qui servant unitatem Spiritus contra invidiam; voluntariam paupertatem contra pecuniam; dilectionem quæ fortis est ut mors, contra vecordiam; fraternam caritatem, contra Schismaticorum malitiam. Igitur præter illos paucos quos elegit Deus, conformes fieri imaginis filii sui, ut sint isti unum, sicut & ipsi unum sunt: in toto orbe vix, immo nullatenus reperies, qui possit *habitare in unum*. Nota ergo ipsum verbum *habitare*, quod est immobiliter in unitatem consistere. Habitant autem & ipsi cum habitantibus Cedar, sed carne, non spiritu: necessitate, non voluntate. Sicut advenæ, non indigenæ; ut peregrini, non domestici: denique ut compediti, non ut liberi. Unde & in morte, quando scilicet transeunt in libertatem gloriæ filiorum Dei, clamant & dicunt: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

III. Impossibile cuiquam fortasse videbitur, quod dixi, Sanctos immobiliter in unitatem consistere: cum illud unum, vel illam unitatem, non aliud quam ipsum Deum velim accipere: quem solum vere esse unum, vel potius ipsum esse ipsam unitatem, in sequentibus comprobabo. Et dicet, quisnam mortalium immobiliter in Deum consistat, cum vel ad punctum temporis in illum ire, tam rarum, tamque difficile videatur? Adverte aliud esse quod dicitur, *In Deum*; aliud, *In Deo*. *In Deum*, motionem indicat; in Deo stabilitatem significat. Cum ergo dicimus *habitare in unum*, vel consistere in Deum: latina quidem locutio dissonat, sed congruentia sensus ædificat: neque enim magnum est aliquotiens peccare in Priscianum, si tali peccato ædificare poteris Christianum. Dicimus itaque *habitare in unum*, ut & habitare stabilitatem assignet: & *In unum*, motionem significet. Stabilitatem ad intentionis propositum, mobilitatem ad affectionis profectum referimus. Habitant ergo in Deum sancti & stabiliter & mobiliter: mobiliter, quia a Deo mens sæpe relabitur, & iterum in illum dirigitur: stabiliter, quia intentio nunquam mutatur. Eo modo & sphæram cæli videbant Philosophi mobilem & immobilem: mobilem, quia perpetuo motu circa Galatiam rotatur: im-

1. Ex Mss. Codicibus Abbatiarum Longipontis & Cistercii.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162.

mobilem, quia a loco suo in alium non transfertur. Ita sancti & mobiles, quia semper festinant ad bravium: & immobiles, quia incommutabile tenent propositum. Itaque *In Deum* habitant sancti, dum ad illum tendunt constanter: habitant *In Deo* Angeli, dum manent in illo immutabiliter: isti *In Deum*, illi *In Deo*. Erit autem quando omnes & Sancti & Angeli erunt simul in ipso, & ex ipso, & per ipsum, & cum ipso. In ipso, refertur ad justitiam: ex ipso, ad substantiam: per ipsum, ad gratiam: cum ipso, ad permanentiam. In justitia, similitudo: in substantia, creatio: in gratia, reconciliatio: in permanentia, incommutatio accipitur. Nec te moveat, quod reconciliatio ad homines similiter & Angelos dicitur pertinere: nam sicut homines in Dei gratiam redierunt, ita & Angeli in pacem hominum transierunt, ut sint unum ovile, sicut & unus pastor. Et omnia quidem habemus ex parte, sed cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, & erit Deus omnia in omnibus.

IV. *Unum*, multifarie multisque modis. Dicitur namque unum secundum collectionem, ut grex unus, cum sit ex multis pecudibus adunatus. Secundum similitudinem, ut multorum cantantium, vox una pro similudine concordiæ, in unum redacta. Secundum compositionem, ut corpus unum ex partibus diversis compositum. Secundum parvitatem, ut atomus unus, qui eo magis ad unitatem accedit, quo sectionem non recipit. Secundum simplicitatem, ut anima una, quæ licet in se diversas habeat potentias, una tamen & simplex est ejus substantia. Poterat & atomus dici unus secundum simplicitatem, sed magis proprie dicitur unus secundum parvitatem: sicut & punctum unum, instans unus. Quia licet in se non possint dividi, tamen partes eorum esse possunt quæ dividi possunt: ut plures atomi unum dividuum corpus constituunt: plura puncta unam secabilem lineam faciunt: plures instantes unum interpolare tempus componunt. Hoc idem fortassis potest dici & de anima, quod pars sit constitutiva unius dividuæ rei, id est hominis: ideo non proprie unam appellari secundum simplicitatem, quod utique verum est. Nihil enim vere simplex est, præter Deum. Ipsum ergo solum & summum & principaliter unum fateri necesse est, qui neque ex partibus compositus, neque ex diversis substantiis collectus, neque ex similibus adunatus, vel dissimilibus: neque in indivisibilem parvitatem redactus, neque in plures est potentias dissipatus: ut anima, punctum, vox, grex, & corpus. Unus igitur cum sit solus Deus, jam probabile est, quod de solo Deo unitas prædicatur.

V. Et nota, quod hæc ipsa unitas, de qua heic agitur, longe ab illa unitate quæ pars est numeri, separatur: non enim hæc unitas in numerum potest multiplicari; nec ex ea binarius, sive ternarius, vel quilibet alius numerus potest constitui, ut solet dici de numero, quod sit unitatum collectio. Trahit autem etymologiam de græco, & dicitur unitas quasi onitas, id est, entitas sive essentialitas: unde & apud Græcos ὤν, id est, substantialis, videlicet in se, & per se solum immutabiliter semper subsistens, Deus vocatur. Est autem quædam similitudo inter unitatem numeralem, & unitatem substantialem. Nam quemadmodum dicitur unitas, fons & origo omnium numerorum: ita quodammodo Deus fons est & origo omnium rerum: fons, propter inexhaustæ potentiæ majestatem: origo, propter creatricis substantiæ sine principio dignitatem.

VI. Libet nunc item per singulas unitates, ut a prima scilicet usque ad summam unitatem perveniat, explanare. Et primo quidem ipsas species unitatis in brevi volo colligere, ut quid ex singulis recolligi debeat, compendiose possim describere. Dicitur itaque unitas collectionis, similitudinis, compositionis, parvitatis, simplicitatis. Collectio pertinet ad Monasticam Congregationem, ubi Pastor bonus collegit oves suas ab Oriente & Occidente, ut recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob, in regno cælorum. Similitudo spectat ad morum conformitatem: ut quemadmodum laudamus Dominum una voce, sic & uno corde, & concinna morum similitudine. Parvitas insinuat humilitatem, qua illi semper adversatur, qui primus per superbiam deseruit unitatem. Simplicitas respondet ad intentionis puritatem, quæ mundat & præparat oculum ad Dei visionem: quia *Beati sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Qui summa & beata unitas, summa & breata caritas, una in se, tunc omnia erit in omnibus, in æternum & ultra, sive per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

In versum 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

I. *Sicut unguentum in capite*. Singula verba hujus Psalmi suo pondere librata sunt, idcirco non debet præteriri jota unum aut unus apex intactus. *Sicut*, nota est similitudinis: quæ maxime Theologiæ familiaris est tribus de caussis, tum propter ornatum, tum propter commodum, aliquando & propter necessitatem. Ornatus pertinet ad leporem scientiæ, commodum ad facilitatem intelligentiæ, necessitas ad difficultatem materiæ. Ornat enim sæpe similitudo sententiam, ut in proverbiis: dat aliquando faciliorem intelligentiam in obscuris & abditis, ut cum dicitur verbi gratia: quidquid enim ad hoc sequitur, similitudo præcedentium appellatur. Necessitas quoque aliquotiens cogit dari similitudinem in his dumtaxat, quæ etiam viros acris ingenii solent exercere, & acutissimos sensus reddere impeditos: sicut cum loquuntur Sancti de mysterio Incarnationis, de partu Virginis, de proprietatibus Trinitatis. Adhibent similitudines, quibus utcumque nobis possint persuadere quod sentiunt. Quia videlicet aperta ratione nullatenus valent insinuare quod cupiunt. Et idcirco dixi hanc speciem similitudinis maxime Theologiæ famulari: quia nihil adeo humanæ rationi est perplexum, & ut ita dicam, involutum, quam tractare de his, quæ etsi non contra rationem, tamen supra rationem esse probantur. Porro ornare sententias & obscura quæque per similitudines explicare, commune est nobis cum ceteris. Intuere igitur, quæ & ad quid data sit similitudo, de qua tractamus, & occurrent tria simul: ornatus scilicet, commodum, atque necessitas. Nam ut magis commendaret quod dixerat *Bonum & jocundum*, urbane satis & eleganter singula statim propria similitudine decoravit. Et ait, *Bonum ut ros, jocundum sicut unguentum*. Et quoniam idiotis forrasse vel etiam capacioribus potuit esse obscurum, quod dictum est *habitare in unum*: subjungendum fuit aliquid simile, quod faciliorem faceret intellectum. Et quoniam magna est, immo quia indicibilis est multitudo dulcedinis tuæ Do-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162.

mine; quam illi sentiunt quos abscondis in abscondito faciei tuæ: hæc maxime fuit caussa, ut diceretur, *Sicut unguentum in capite:* ut saltem a simili daretur intelligi, quod mihi vel mei similibus, necdum ullo modo datum est experiri. Illud abscondisti timentibus, sed sicut dicunt, qui experti sunt, revelasti amantibus. Incipiam igitur & ego jam nunc saltem amare, si forte amor iste in anima mea queat suos terminos dilatare: quoniam si creverit amicitia, crescet nimirum & illa scientia, quæ ipsi notitia est. Jam ergo ad similitudinis sacramentum placet accedere, quia assimilationis caussas me gratulor invenisse.

II. *Sicut unguentum in capite.* Unguentum in capite Divinitatem intelligo in Christo homine, qui unctus est oleo lætitiæ, unguento majestatis & gratiæ: ita ut beata anima illa capax esset illius unctionis & gloriæ. Immensa quippe illa, suavis ac dulcis unctio: sed sine mensura totam accepit, cui tota plenitudo Divinitatis corporaliter se infudit. Ut audivi corporaliter, respiravi, cum essem defunctus, incurvato & adbreviato Helisæo, ut puerum suscitaret. Cum essem enim carnalis, & non possem ea sapere quæ Dei sunt, adhæsit anima mea post filium virginis, & exorsus sum meditari, caro carnem, homo hominem, & inveni absconditum mel in favo, unguentum pretiosum in vitro mundissimo. Audivi quoniam quærentibus se, illud mel aliquotiens suam exhalat dulcedinem: illud unguentum, suum exspirat odorem. Beatus cui datum est experiri. Unum scio, quia oppido bonum est & jucundum habitare ibi in unum: ut sicut ille favus semper fruitur suo melle, sicut illa felix anima numquam caret sua beatitudine: similiter si non æqualiter, interdum vel modicum a parvulis gustetur, *Quoniam suavis est*. Hic est enim panis, qui confortat cor hominis, in loco horroris hujus & nostræ solitudinis, usque dum paupercula vidua Sarephthena congreget omnia vasa sua in unam domum, & impleantur omnia oleo Helisæi usque ad summum, & tunc stabit oleum. Nunc autem necesse est illud non stare, sed fluere & decurrere usque ad miserum hominem, qui vulneratus a latronibus jacet in via, & plurima inindiget medicina. Fluit igitur hoc unguentum de vivo fonte angelicæ regionis, & irrigat omnem latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel! *A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque* in vallem Jerico, ubi occurrit vulneratis & languidis, *Curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Jam ergo operæ pretium videtur, inquirere, quinam sint illi beati, ad quos descendere dignetur unguentum illud tam potens, tam efficax, tam suave.

III. *Quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Barba res est impassibilis, toti corpori præeminens, carni adhærens, de carne incrementum accipiens, sed sub capite constituta. Tales ergo sentio illos spiritus supercælestes, natura impassibiles, corpori totius Ecclesiæ quodam dignitatis privilegio præcellentes, ipsi Verbo quod caro factum est, caritate perpetua adhærentes; ex eadem carne augmentum & reformationem suam, quantum ad numerum præstolantes, sed super se eumdem Deum hominem adorantes. Hic est enim solus, cui datum est *Ut in nomine ejus omne genu flectatur*. Et hoc est, quod per geminationem barbæ voluit confirmare, ut diceret barbam non cujuslibet esse, sed solius Aaron, qui *Mons fortitudinis* appellatur. Ille scilicet, qui primo lapis parvulus crevit in mon-

A tem magnum & altum: vere magnum, quia implevit orbem terrarum: vere altum, quia supra omnem virtutem ac principatum. Hujus ergo solius est barba, quia huic soli subjecta est omnis Angelica creatura. Ab illo igitur, velut ab arce omnium rerum, in proximos Angelos descendit effluentia gratiarum. Levavi oculos meos ad istos montes Israel, ad virtutes cælorum, montes valde excelsos & præeminentes, si forte inde veniret auxilium mihi. Circuivi & plateas & vicos civitatis, attendens ut aliquis de sua plenitudine mihi aliquid largiretur. Et ecce unusquisque tenet quod habet, ne alius coronam ejus accipiat; & non est qui de

B manu eorum aliquid possit eruere, ut dixi. Unde ergo veniet auxilium mihi? Consului prophetiam, & responsum est mihi: *Quia non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Igitur exspectans exspectavi illum unum, & intendit mihi, quia misericors est, & fecit mihi magna qui potens est. Vere magna, nam & totum misericordiæ suæ sinum aperuit, & dedit homini carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, divinitatem sicut unguentum. Incommunicabile nihil reliquit, omnia sua nostra fecit. Quia ministravit nobis ipse etiam Dominus virtutum: facti sunt & illi nobis omnes ministri a summis usque ad imos, tota curia Angelorum. *Omnes enim sunt*

C *administratorii, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis*.

IV. Nota, quod dicitur *Omnes*; nullus excipitur, nec illi qui assistunt Dominatori universæ terræ. Et quid mirum? Nulla est creatura invisibilis, nulla virtus, nulla potestas, qui sibi officium quasi indignum aut velit aut debeat judicare; cum ipse Dominus exercituum per se, & in sua persona dignatus sit ministrare, immo se totum inquam exponere: adeo ut dicat quidam Sanctorum, quod pene de suo periclitaverit, ut nostra salvaret. Non ergo solam barbam unguentorum copia venustavit:

D sed etiam usque ad vestimentum nostri Pontificis, immo usque ad ipsa extrema vestimenta, uberrima suavitas ejus descendit. Vestimenti ejus intexturam, formam, modum, qualitatemve describere, alterius quidem est negotii, & fateor, vires excedit. Solam igitur oram vestimenti ejus volo discutere, quæ & pars est ejus humilior & terræ contigua, & a capite præeminenti longe remota. Et profecto hæc quanto vilior, quanto inferior, tanto utique mihi vicinior, qui inter evangelicos publicanos & meretrices, utinam vel extremum locum obtineam! quia etsi longe videntur a capite esse, tamen in vestimento Domini computantur. Video alios esse circa pectus Domini, qui de intimo cor-

E de ipsius & hauriunt & propinant: alios circa brachia, qui filios unicæ matris & amplexantur & fovent: alios circa renes, qui in virginitate perpetua perseverant: alios circa tibias, qui totius Ecclesiæ membra sustentant. Sola ora vestimenti jacet inferius, tamquam vilis, tamquam indigna, & tamen nescio qua miseratione Domini, a vestimento Domini numquam divisa. Hæc est vita pœnitentium, o egregie Psaltes Israel, Propheta Domimini, fistula Spiritus sancti! Quam pulcre, quam magnifice consolatus es pœnitentes! Audivit & præ gaudio contremuit cor meum, commota sunt viscera mea: nam facis mentionem de amicis sponsi, de his qui recumbunt super pectus Jesu, qui ducuntur in montem excelsum seorsum. De solis peccatoribus poterat dubitari, utrum & ipsi ad regale sacerdotium pertinerent. Ergo condescende mi-

feris, fove lapsos, solare lugentes. *Quod descendit in oram vestimenti ejus*, unguentum quod totam uranicam regionem infundit, unguentum quod omnes empyricæ domus substantias fovet & regit, quod omnibus lignis Paradisi vitalem succum infundit, hoc ipsum ad filios iræ, filios gehennæ; mira res! ad semen nequam, ad genimina viperarum descendit. Qui erant, sed non cum illo, & vivebant, sed non illi: & sapiebant, sed non ipsum: ut insensati, ut ingrati, ut alieni. Reviviscat igitur animus peccatoris, & totum esse suum applicet creatori, suum vivere redemtori, suum sapere inspiratori; ita ut quod sapit, quod vivit, quod subsistit, nulli hominum subtrahat: sed totum omnibus, totum singulis attribuat; quia unum est unguentum, una dulcedo, una suavitas, Deus qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA III.

In versum 3. *Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

I. *Quod descendit in oram vestimenti sui: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Faciendum existimo quod juxta Timæum Platonis, in omni tractatu fieri decet: ut inter initia considerctur, quid sit de quo agitur. Oritur sermo non de villis atque agris, neque de re, quæ sæcularibus & elatis animis soleat esse domestica. Agitur enim de illa invisibili unctione, quæ cum mansuetis ac simplicibus quoddam habet familiare contubernium, & mira quædam atque divina operatur in corde contrito & humili: *Insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Insipiens* quidem est qui se ipsum non cognoscit: *Stultus*, qui Dei bonitatem non intelligit. Et hoc duplex malum operatur sola superbia, quæ & furatur homini cognitionem sui, & rapit ab eo intelligentiam Dei: & ita insipientiæ ejus non est jam numerus. *Ignorans ignorabitur: ideo insipiens non cognoscet, & Spiritus Sanctus auferet a se cognitiones, quæ sunt sine intellectu, idcirco stultus non intelliget.* Quid non cognoscet, & quid non intelliget? *Quam magnificata sunt opera tua Domine*, quibus scilicet operaris salutem in medio terræ, in medio cordis contriti & humiliati: ut requiescat Spiritus tuus super humilem & quietum, & trementem sermones tuos. Abscondi eloquia tua in corde meo. Et timor & tremor venerunt super me, sensi unctionem tuam, & quievi a prava consuetudine. Intellexi quoniam sine te nihil possum facere, & humiliatus sum usquequaque. Hoc totum ignorat stultus, quia elatus, tumultuosus, præsumtuosus, præsumtione Deum offendit, tumultuatione proximum lædit, elatione sese confundit. Non immerito dictum est, *Insipiens, & stultus peribunt*. O Domine! non veniat mihi pes superbiæ, pes lubricus, pes maledictus, in quo ceciderunt omnes & homines & Angeli, male operantes iniquitatem: superbis enim tu resistis, idcirco expulsi sunt, nec potuerunt stare. Humilibus autem das gratiam, quæ sola hominem a nexu & compede peccati potens est liberare, ad justitiæ viam revocare, in bono proposito cofirmare, ad quietem repromissam inducere: I. ne peritum eat, II. ne erroneus fiat, III. ne iterum corruat, IV. ne fructu careat. Hæc est quarta vigilia, in qua eripit laborantes. Nota genera gratiarum: est enim gratia libarans, gratia

A justificans, gratia confirmans, gratia glorificans. Hæc est illa invisibilis, multiplex, subtilis, & efficax unctio paullo superius prælibata, quæ descendit ad lapides ut faciat filios Abrahæ, suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem. Et vide qualem inveniat, unde inducat, quo promoveat, ut aliquando restitutus in gradum pristinum, *Sedeat cum principibus, & solium gloriæ dignus sit obtinere*. Invenit languidum, & tumidum, fœtidum, a planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas. Languor ad incontinentiam, tumor ad superbiam, fœtor ad blasphemiam pertinet. Blasphemia, locutione: superbia, cogitatione: incontinentia, operatione perficitur.

B Mittit ergo potentissimus medicus unguentum efficax ad curandum, quod statim curat languorem, premit tumorem, pellit fœtorem. Et quia contraria contrariis curantur, opposuit incontinentiæ honestatem, superbiæ humilitatem, blasphemiæ silentii gravitatem. Omnia quæcumque voluit fecit, & in uno solo homine illos tres mortuos Evangelicos suscitavit: in domo, in porta, in monumento; corde, lingua, manu. Funiculus triplex difficile rumpitur, sed omnipotens est unctio quæ hæc operatur.

II. Qui ergo tanta contulit peregrino, vide etiam quanta faciat, in exitu Israel de Ægypto.

C Adest enim morienti, adest exeunti, adest quiescenti. Quis enim angustias mortis patienter sustineat, nisi habeat Spiritum consolantem? quis ad occursus dæmonum non expavescat, nisi habeat adjuvantem? quis ad requiem transeat, si non habeat præcedentem? Adest ergo unctio, ubique ægrotum suum fovens suaviter, ut sustineat non solum patienter, sed aliquotiens etiam delectabiliter: transeat constanter, quiescat feliciter. O quanta unguenti hujus potentia, gratia, gloria! quæ tantos lenit dolores, fugat horrores, spirat odores: in abitu angustiæ, in transitu miseriæ. In sinu Abrahæ, ibi sedet pauper cum principibus, qui congregati sunt cum Deo Abraham, & habet lo-

D cum in solio quod est excelsum & elevatum: excelsum Angelis qui numquam corruunt, elevatum in hominibus qui surrexerunt. Ibi *Descendit unguentum* etiam *in oram vestimenti*, non utcumque, non humiliter: sed sicut abundantissime *descendit ros Hermon in montem Sion*: Hermon, dicitur lumen exaltatum. Christus est, qui, *Se ipsum humiliavit usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum*, sed non solum. Solus humiliatus est, sed non solus est exaltatus: omnia enim trahit in se, ad se, per se; ut *Via, veritas, & vita*. *Via*, heic peregrinantibus propter multos errores, & vastum exsilium: *Veritas*, hinc exeuntibus, quando post se relinquunt vanitatem & men-

E dacium. *Vita*, illuc pervenientibus ad terram viventium, ubi Hermon stillat super eos & in eos suum rorem: ubi verum lumen scintillat in eos suum splendorem, & descendit etiam in oram vestimenti, sicut in montem Sion. O mons Sion civitas veri David, turris excelsa, in alto sita, & super muros tuos Angelorum custodia! O civitas sancta, quæ regem habes Christum, senatum multitudinem sanctorum, exercitum choros Angelorum, legiones cœtus Martyrum, qui usque ad sanguinem victoriosissima prælia peregerunt! O pulcra civitas, quam sol justitiæ totam irradiat, quam totam ros Hermon influit & fecundat! Me miserum, qui extra castra tua expulsus sum tamquam leprosus! utinam possem figere tabernaculum meum

in atriis tuis, vel saltem in suburbanis tuis. In A atriis tuis habitat, qui est in excessu: in suburbanis tuis, qui est in profectu. Ego miser, nec excedo, nec proficio: sed nescio per quæ phantasmata cogitationum, in dies revertor ad vomitum sicut canis immundus. Non sicut cateli qui edunt de micis quæ cadunt illic de mensa illa cælesti, de mensa filiorum Dei, qui discumbunt in cœna illa super pectus Jesu. Tria mihi sola supersunt, lugere, continere, timere: propter mala præterita, propter instantia, propter futura. Scio enim ubi hæc tria congregata fuerint in nomine Jesu, ibi est ipse in medio eorum; etsi non ut sponsus, tamen ut Dominus: necdum tamquam sponsus amorem imprimit, sed sicut Dominus terrorem incutit: in utroque tamen Jesus, in utroque Salvator; quamvis in isto dulcior, in illo asperior videatur. Erubesco tamen, quia adhuc maneo sub timore: prorsus erubesco, & tædium meum pene nequeo sustinere. Sed ne majori tristitia absorbeatur anima mea, non modice consolatur in eo quod scriptum est: *Beatus homo qui semper est pavidus. Semper*, notavi illud *semper*, & abscondi illud in corde meo. Paveo, gratia adveniente, gratia recedente, gratia redeunte. Adveniens ingerit mihi pavorem, ne illam offendam: recedens incutit mihi tremorem, ne statim corruam: rediens immittit timorem, ne iterum illam amittam. Data lætificat, ablata cruciat, redita ad majorem solertiam me statim provocat. Ita fiat Domine, timor tuus semper maneat in me: quia & ipse quanto diuturnior, tanto in dies fit castior, ut permaneat in sæculum sæculi. Cum autem ad purum fuerit defecatus, & in filialem reverentiam commutatus: tum plane legam in libro experientiæ, quoniam timor tuus peccatorem & justificat & humiliat: ut sic oram vestimenti tui constituat; ut & vestimentum ad sanitatem, & ora pertineat ad humilitatem. Novi enim quia sancti & humiles corde benedicunt nomen tuum, & accipiunt partem in hereditate tua, in regno tuo cælorum, ubi descendit in eas copia unctionis tuæ, per omnia sæcula sæculorum, Amen.


HOMILIA IV.

In versum 4. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.*

I. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.* Gratissima inchoatio hujus Psalmi, qui in bonitate & jocunditate operis subsequentis posuit fundamenta: sed non minus grata ejus conclusio, quæ sermonem terminat in benedictione & vita. Quam sa- E piens Cythareda, nobilis puer iste, in cujus harmonia, tam consono tractu respondent ultima primis! Intueri placet in hoc breve Psalmo illam quadrigam Israel, illud novum plaustrum David, cui imposita arca Testamenti ducebatur Jerusalem, in clangore & jubilo, & omni musico instrumento. Non est nova interpretatio, David figuraliter esse Christum: arcam testamenti Ecclesiam, quæ in clangore confessionis, & jubilo devotionis, cum omnium virtutum consonantia, tendit ad illam supernam Jerusalem matrem nostram impositam plaustro: cujus in præsenti Psalmo habes quatuor rotas, geminas scilicet in ipsa fronte Psalmi affixas, totidemque circa terminum, divinitus ordinatas. Duæ anteriores, bonitas & jocundatio? duæ sequentes, vita & benedictio. Jucunditas in dilectione Dei, bonitas in amore proximi suam sedem locavit: vita in corporis incorruptione, benedictio in animæ integritate consistit. Duo prima habemus in re, duo postrema tenemus in spe: & hac quadriga quasi igneo curru Heliæ tollimur de medio vanitatis: De hoc igneo curru æstimo dixisse Prophetam: *Rotæ ejus, ignis accensus*. Nonne aperte ignis appellatur dilectio, ubi dicitur: *Aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem?* Quam utique ipse auctor caritatis, dum in duo præcepta dividit, velut geminas rotas in curru suo & nostro constituit. Duas vero rotas sequentes, scili- B cet incorruptionem & integritatem, quare igneas appellavimus, ex subjecta similitudine demonstrabo. Cælum illud in quo creati sunt Angeli, Empyrium appellari, id est igneum, asserit Dionysius Atheniensis, in libro *De sacro Principatu*. Igneum autem non a calore, sed a splendore: sicut e contra gehenna dicitur ignea, non a splendore, sed ab ardore: quia & infernales spiritus ardent, nec illuminantur; & cælestes splendent, & non tormentantur: dum & apud inferos ignitus est ardor sine splendore, & apud superos igneus est splendor sine ardore. Eo nimirum modo ignea creditur futura nostra etiam incorruptio corporalis, & integritas spiritualis: quando & ipsam animam C splendor corporeus venustabit. Et ne forsitan cuilibet minus exercitato, tanto videatur incongruum, quanto insolitum: quod scilicet igneam animam vel igneam carnem nomino, ac per hoc ignitam animæ integritatem, vel corporis incorruptionem appello: noverit etiam in diffinitionibus Philosophorum animam ipsam, ignem licet invisibilem nuncupari. Ad quod probandum, duas virtuales proprietates ignis dixerunt, unam scilicet mulcebrem, alteram vero peremtoriam afferentes, qualis cui inhæret aut perimit aut consumit: illam vero mulcebrem, qua substantiam sibi junctam fovet ac regit. Ac secundum hanc, non incongrue, ut reor, definierunt animam esse ignem, D quæ corpus suum quodam moderato calore mulcet & nutrit, & per fenestras oculorum lucem tanquam suum simile ad se trahit, & in ea gaudet, & eam diligit. Probato itaque tam ratione quam auctoritate, quod rotæ illæ de quibus heic agitur, merito igneæ appellantur: nunc ipsam formam & partes ac compositionem singularum libet assignare: deinde ipsum plaustrum totum conjungere, & ita de quatuor rotis, sermonem propositum terminare.

II. Primo de forma. Forma rotæ ipso ejus circulo designatur, quod videlicet a rotunditate sumitur, quæ teste Hieronymo, omnium figurarum pulcherrima comprobatur. Verumtamen nisi ego fallor, hæc figura non tam pulcra est ad intuendum, quam profunda ad intelligendum, magisque utilem animis, quam delectabilem oculis demonstrabo. Dicit Apostolus: *Quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. In totalitate rerum visibilium oculum considerationis affigens, nullum invenio simulacrum, quod expressius aut similius æternitatem Creatoris denuntiet, quam in ea, qua rotunditatis effigie decorantur: eo scilicet quod in eis principium nullo modo possit, aut terminus denotari. Quapropter visum est mihi, quidquid in mundo pulcrius, quidquid sublimius, quidquid lucidius invenitur; ut verbi gratia, solem, lunam, globos stelarum, & ipsam machinam infra cujus ambitum omne

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162.



(ut dicitur) corpus tenetur; idcirco in eam speciem esse formatum, ut in his immensitatem intelligeret Conditoris, rationabilis creatura. Taceo illius Judaicæ institutionis coronas aureas, circulos, sphærulas, annulos, & cetera multa in hunc modum formata: sine quibus nec templum perfici, nec tabernaculum erigi, nec altare vel mensa, vel arca portari, nec vectes imponi, nec candelabrum consumari, nec rationale superhumerali potest connecti. Quæ omnia spirant sacramenta & perfectionem Ecclesiæ, nunc in parte, vel in toto, modo in membris, modo in capite; aliquando de præsenti, aliquotiens de futuro; plerumque de carne, nonnumquam de anima; sæpe de toto homine proponentia ænigmata & figuras: de quibus dicere per singula, proximum esse fastidio, & alterius fore negotii judicavi. Venio ad Sacramenta novi Testamenti, quæ tanto profundiora, quanto utique digniora intelligo: interque omnia, illud terribile, illud divinum ac singulare Mysterium, corpus Christi. Non in alia forma consuetum est a Patribus consecrari nisi [1] rotunda, ut non solam carnem absque peccato, sed ipsum quoque Verbum quod manet & in sua æternitate subsistit, semper intelligas in sua carne Patri offerri. Et hunc ergo æstimo intellectum animæ Sacerdotis, multum conferre ad profectum amoris illius, qui solet beare animos pietatis capaces. Video & aliud in circulo Sacramenti dignum memoria, ut quoniam Galilæus interpretatur volubilis, ille idem intelligatur fore in mensa altaris, qui sedet super Cherubim: quorum rotæ in Ezechiele propter Galilæum qui præsidet, volubiles appellantur. Quia ergo sicut ex supradictis potest perpendi, rotunditas est perfectionis insigne: idcirco quatuor illa, rotas congrue & juxta rationem nuncupo: quia videlicet in primis duobus, hoc est in dilectione Dei & proximi, perfectio religionis innuitur: & in duobus aliis, id est in incorruptione corporis & in integritate animæ, consummatio humanæ beatitudinis possidetur. Nam & poeta, cum perfectum hominem describere conaretur, in summa subjecit, *Totus teres atque rotundus*. Jam ergo post descriptionem formæ, ad partes rotarum transeat oratio.


III. Partes rotarum integrales, sunt canti, radii & modioli. Volo itaque singulis rotis suos cantos, suos radios, propriosque modiolos assignare. Prima rota, dilectio Dei. Hæc rota habet cognitionem Dei quasi interiorem modiolum, ex quo videlicet, procedunt divisi ac multiplices radii meditationum, quibus per circuitum innexi sunt & infixi multiformes & innumeri canti devotionum, ubi perfectio maxime denotatur. Secunda rota dilectio proximi. Huic interior modiolus est virtus misericordiæ, unde procedunt radii compassionis & fraternæ clementiæ, quibus tot canti incumbentes exterius prominent, quot ad sustentationem proximi, quibus opera pietatis excercent. Tertia rota, integritas animæ: & hæc compacta est ex modiolo perfectæ justitiæ, & radiis plenæ scientiæ, & cantis consummatæ lætitiæ. Hujus rotæ partes sicut altrinsecus positæ, aut parum valent aut prorsus inutiles jacent, vel etiam noxiæ a recto diffident: sic e regione simul adjunctæ, ac velut in unius rotæ compositionem redactæ, in quantum intelligentia mea potest rimari, ad plenam & consummatam felicitatem, animam nostram restituunt. Sex quippe sunt offendicula, quæ omne

A bonum animæ aut deturpant aut puniunt. Nam & lætitia nostra vel immunda esse solet, propter vicinum fomitem concupiscentiæ: vel suspecta, propter infirmitatem alterius conscientiæ. Et justitia nostra sæpe fit onerosa propter corpus, quod corrumpitur & aggravat animam: & indiscreta, propter innatam nobis invincibilem ignorantiam: & scientia nostra plerumque nos inflat, propter cenodoxiæ vanitatem: aut contristat, dum nostram cognoscimus infirmitatem. Cum autem fuerit Deus omnia in omnibus, jam nec scientiæ nostræ adversabitur superbia aut tristitia, nec justitiam impediet gravitudo aut inscientia, nec lætitiæ invidebit suspicio aut concupiscentia: quando conscientia erit humilis propter justitiam, & hilaris propter lætitiam; & justitia facilis propter lætitiam, & discreta propter scientiam; & lætitia munda propter justitiam, & sine querela propter scientiam. Sequitur quarta rota, quæ supra assignata est, esse incorporalis. Et hæc itidem sicut & ceteræ, suum habet modiolum, qui est imperturbabilis & immortalis vivacitas. Inde consurgit velut quinquepartita radiorum dispositio: videlicet subtilis & per omnia spiritui consentiens, quinque sensuum perfecta integritas: ordinatis exterius cantis, in habitudine formæ, in quantitate, in qualitate, in splendore. Ubi nihil deforme, nihil superfluum, nihil incongruum, nihil obscurum: sed per omnia reformabitur corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis divinæ. Ita ut impleatur illa repromissio qua dictum est; *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum*. Assignata ut propositum erat, compositione rotarum, nunc ipsa junctura plaustri colligenda est: quæ ad minus necessario tria habebit, duos videlicet axes, qui quatuor rotas conjungant; & machinam, cui altrinsecus duo axes inhæreant.

IV. Igitur in anteriori parte quæ versus cælum dirigitur, duas illas rotas, scilicet animæ integritatem & corporis incorruptionem jungit illa pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum. Et hanc ipsam pacem non aliam intelligo, quam virtutem & sapientiam Dei, Christum Jesum. *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum*, ita ut caro jam non concupiscat adversus spiritum, nec Spiritus adversus carnem; quoniam non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium, sed erit Sabbathum & feriatio sempiterna in civitate, cui nomen Dominus ibidem. Et hæc universa, immo valde majora, quam sensus humanus modo non potest capere, præstolamur habituri in re, quæ jam omnia possidemus in spe: quoniam propter spem quasi jam omnia tenemus: sicut dicit Apostolus, *Spe salvi facti sumus*. Nam & primitias hujus pacis jam accepimus, quando nullus in pœnis adversæ potestatis, nulla molestia ejus putredinis quam portamus, potest nos perturbare ab ea quiete, quæ est in Christo Jesu, dum spiritus adjuvat infirmitatem.

V. In posterioribus hujus plaustri, bifariam partem rotarum quæ sunt dilectio Dei & amor proximi, copulat axis rectæ intentionis: quoniam hæc & Deum diligi caste, id est propter se solum; & proximum pure facit amari, id est propter Deum. De medio hujus axis procedit spes, quæ ad Christum usque pertingit, & ita totum plaustrum continuat & conjungit. Super hanc sedet arca Testamenti, id est anima cujuslibet justi: & habet in

1. Ita Ernaldi temporibus.



se urnam auream plenam manna, dum Christum hominem plenum gratiæ & veritatis, tenet in sua memoria. Et tabulas Testamenti, in quibus accipitur præceptorum Dei scientia; & virga Aaron quæ est florida, est dulcis beatæ Mariæ recordatio, cum reverentia. Et ne arca ista facile a plaustro isto possit corruere, quadro pariete necesse est illam fulciri: ut ante habeat desiderium præsentiæ Christi, retro contemtum mundi, in læva fortitudinem contra adversa, in dextera consuetudinem contra prospera. Boves qui hunc currum trahunt, Angeli sunt omnes administratorii in ministerium missi propter arcam Testamenti, ut capiat hereditatem salutis. Hi boves sub jugo socialis concordiæ, quæ adjuncta est temoni virtutis divinæ, fortiter adstricti vinculis caritatis humanæ, ducunt arcam Dei in cælestem Sion, in supernam Hierusalem, matrem nostram. Quod autem legitur, quia calcitraverunt boves & inclinata est arca, & sacerdos volens eam relevare, præsumtione occubuit: ita intellige, quia oportet tentationibus animam exerceri, & dum circuit per plateas & vicos civitatis, si forte inveniat dilectum, fiunt ad eam immissiones per Angelos bonos, & percutiunt & vulnerant eam custodes murorum, & auferunt pallium ejus: ut sciant utrum decorem nudum virtutis apportet, utrum simulatorie, an in veritate quærat amicum. Unde & illa aliquotiens in fervore spiritus, transit etiam custodes, ne victa difficultatibus, experiatur *Quoniam fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Aliquando autem velut arca Testamenti inclinatur, humiliatur, & pondus gloriæ sustinere non valens dejicitur, sed non obruitur: incurvatur, sed non prosternitur: quoniam non in molli lecto puræ conscientiæ, tamquam infirmata recipitur. Si quis æstimat se pertinere ad genus electum, regale sacerdotium, non præsumat hujus animæ fulcimentum suæ falsæ virtuti supponere: non præsumat arguere meliorem se, non contristet ullatenus animam plenam Deo, ne forte indignatio oriatur, & præsumtio confundatur: quoniam qui tangit talem animam, quasi qui tangat pupillam oculi Dei, qui semper odit præsumtionem & superbiam, & mansuetis gratiam confert & gloriam, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA V.

De definitione loci, & multis locorum divisionibus, tum de loco pœnitentiæ & solitudinis. Ubi sicut in præcedenti, textu relicto, in plaustrum Davidis abreptus est: ita heic varia quoque, neglecto textu, tractans vagatur.

I. Super descriptione loci, audivi plurima inter se dissonantia & valde diversa, quæ omnia si vellem conferre, atque in unum colligere, disputationem & contentionis occasionem magis viderer adducere, quam inquirere veritatem. Unde quid mihi videatur, & cui magis consentiam, ex occasione hujus loci conabor differere, si tamen utcumque valeam promulgare, quod sentio. Locum esse arbitror, omne quidquid illud est in quo quomodocumque aliquid est: & cum aliquid dicitur esse in aliquo; illud in quo est, locus est, quod in ipso est. Quod ut lucidius possit clarescere, dividendum est hoc genus in suas species, quia omnis res divisione melius innotescit. Locus alius corporeus, alius incorporeus: alius simplex, alius compositus: & compositus, alius solidus, alius mathematicus. Incorporeus dividitur in opinabilem, intelligibilem, affectualem, accidentalem, potentialem, naturalem, personalem, intellectibilem. Item intellectibilis, alius imperfectus, alius consummatus. Consummatus, alius superior, alius inferior. Imperfectus, alius tenebrosus, alius caliginosus, alius lucidus, alius luminosus. Et in his omnibus, taceo de loco, qui apud Dialecticos sedes nuncupatur, de quo grandis sermo, multiplexque illius divisio, heic penitus omittenda. Facta igitur loci divisione, per quasdam ejus species: nunc a prima usque ad extremam libet decurrere, ut quis sit iste locus de quo hic agitur, valeam intimare.

II. Locus corporeus simplex, est capacitas simplex cujusque corporis; ut sunt guttæ quæ per poros procedunt ex humano corpore, adeo parvæ: ut nihil minutius secundum Physicos natura corporea possit habere. Corporea vero simplicia sunt, quæ in partes secari non possunt, ut unisonum, atomus, & his similia, quæ omnia individua proprie & naturaliter appellantur. *Naturaliter* ideo dico, quoniam tribus modis individuum cum dicatur: videlicet soliditate ut adamas, speciei subjectione ut hæc manus, parvitate ut osonum: hoc solum naturaliter & proprie videtur individuum nuncupari, quod nec ferro ut manus, nec arte ut adamas, nec alio quolibet modo recepit sectionem. Et dic ut quidam, hujusmodi corpora non esse quantitatem, sicut nec divisionem: pro eo scilicet quod secundum Aristotelem videatur omnis quantitas composita esse. Ubi dividit quantitatem in continuam & discretam, & utramque describens, aliam asserit partes habere copulatas ad communem terminum, aliam itidem partes habere, sed non ad communem terminum copulatas. Quare inferunt simplex corpus non recipere quantitatem, alioquin jam posse in partes dividi, & ita simplicitate privari. Non assentior illud corpus esse sine quantitate, sed Aristotelem æstimo, non de simplici quantitate descriptionem dedisse, sed de sola composita. Omne igitur corpus recipit quantitatem, quare & locus corporis, quoniam nonnisi secundum corpus judicatur de loco.

III. Locus corporeus compositus & solidus, est vacuitas illa quæ tale quodlibet corpus continet, cui altitudo & latitudo & longitudo secundum certam dimensionem possit aptari: ut arca, & similia. Locus mathematicus est illa quæcumque capacitas, intra cujus ambitum tale corpus tenetur, quod secundum altitudinem & latitudinem, vel aliam quamlibet dimensionem, nullatenus potest describi: ut sonus, vox, strepitus, sibilus, & multa similia: quæ mathematica, id est, scientialia nuncupantur.

IV. Locus incorporeus, est quorumlibet incorporalium habitudo in aliquo: sive opinabiliter, ut Chimæra in cogitatione, sive intelligibiliter, ut genus in specie: aut affectualiter, ut amor in mente: aut accidentaliter, ut justitia in homine: aut potentialiter, ut Angelus in visibili specie: aut naturaliter, ut superficies in colore; aut personaliter: ut anima in sua carne: aut intelligibiliter, ut spiritus creatus in spiritu creatore. Opinabile est, ut dicit Timæus, quod non sine aliquo phantasmate percipit humana cogitatio. Intelligibile, quod pura & sine imagine intuetur ratio. Affectuale, quidquid spectat ad desiderium, & est

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162.


studium : cujus descriptio est, vehemens applicatio ad aliquid agendum cum magna voluntate. A Accidentale est, quod & adventitium potest vocari: quod scilicet teste Augustino, aliquam infert mutationem illi rei, cui accidit, & potest adesse & abesse, præter subjecti corruptionem. Potentiale est, quod solitum cursum naturæ quadam sibi ingenita potentia, potens est mutare. Naturale, quod soliti & antiqui cursus limitem non excedens, prout institutum est, ab initio perseverat. Personale est, quod per seipsum rationalis substantiæ individuum repræsentat. Intellectibile, est illud solum, quod omni & soli bono intellectui, præsto est ad fruendum. Huic soli intellectibilitas B assignatur, nam ceteræ incorporales substantiæ intalligibiles nuncupantur.

V. Itaque locus intellectibilis, est cujuslibet rationalis substantiæ habitudo in Deum : & hæc habitudo vel locus, aliter in cognitione, & aliter in amore: & numquam sine perfecto amore, perfecta potest esse boni illus cognitio. Idcirco locus intelligibilis, alius imperfectus invenitur, ut in hominibus: alius consummatus, ut in superbis spiritibus. Et nota, quod sicut de loco corporali judicatur secundum corpus, ita & de loco intelligibili, secundum quantitatem cognitionis vel amoris: quod scilicet dicitur aliam habere in Deo habitudinem vel locum Michael C Archangelus, atque aliam quilibet inferior aut superior in illis ordinibus. Et licet omnes perfecti sint sine ulla cognitione; alius tamen alio beatior, alius alio in eadem cognitione inferior, non dico, imperfectior : sicut circulus alio alius minor, non tamen imperfectior. Perfecti igitur cum sint in cognitione, sequitur ut sint perfecti & in amore: quia etsi sine amore potest aliqua esse illius boni cognitio, nulla tamen esse potest sine aliqua cognitione, ejus dilectio : & in omni pio intellectu æquipollenter hæc duo copulantur, ubi teste Gregorio, amor ipse notitia est. Sed quoniam de abysso illo amoris & cognitionis, tunc solum erit D facile disputare, cum fuerit ut repromissum est, humana substantia ad æqualitatem Angelorum translata; perfectionem illorum magis optare ac sperare libet, quam definire. Et idcirco ad eum locum intelligibilem qui imperfectus dicitur, placet accedere : quoniam is facilior est ad differendum, & forsitan utilior est ad rimandum.

VI. Imperfectus, ut supra assignatum est, dividitur in tenebrosum, caliginosum, lucidum, luminosum. Tenebrosus nihil habet amoris : calignosus multum habet timoris : lucidus aliquantum permixtus est amore & timore : luminosus excluso omni timore, solo illustratur amore. Primus perti- E net ad superbos incorrigibiles: secundus ad conversos & incipientes: tertius ad profectos & proficientes, qui solus unus recipit excedentes. Superbus in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Attamen quantulamcumque habens cognitionem Dei, locum habet intellectibilem, sed plenum tenebris; quia lux quidem lucet in tenebris, idcirco locus est intellectibilis : sed tenebræ eam non comprehenderunt, ideo tenebratus est locus atque terribilis. Superbus quippe omnis, qui tamquam Pharao induravit cor suum : impietatis arguitur, & in Deum nefas committit. Quoniam infelici similitudine membrum illius efficitur, qui primo quidem æqualitatem Dei ut impius affectavit, nunc autem adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Et quoniam ad hujus imitationem cunctis diebus vitæ suæ superbit impius, & superbia ejus ascendit semper : Deus autem superbis resistit, & omnem arrogantem humiliat: nimirum inter tenebras & lucem chaos magnum firmatum est, nec ullo modo fas est, hinc inde quemquam transire, aut inde huc aliquem transmeare. Lux etenim cum sit Deus, & tenebræ in eo non sint ullæ : istis ita posuit tenebras latibulum suum, & lucem habitat inaccessibilem, ut merito jam terribiliter inclametur : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei, non enim videbit lumen in æternum*.

VII. Heu cæcitas cordis humani, per quam factum est, ut jam nulla aut prope sit nulla differentia inter dæmones & homines filios tenebrarum! Et quod deterius est, nescierunt neque intellexerunt quod in tenebris ambulant; immo & avertunt faciem suam ne videant in finem, obturantes aures velut aspides, ne forte audiant & intelligant, & recogitent pariter illud divinum, *Redite prævaricatores ad cor*. Sed numquid semper non audient, aut semper non intelligent? Exaudient sane & intelligent, sed infructuose, quando juxta Prophetam sola vexatio intellectum dabit auditui. Non enim semper istas interiores tenebras tamquam phrenetici irridebunt, sed ejicientur in tenebras exteriores : ubi duplici contritione conteret eos Dominus, quoniam dupliciter irritaverunt te Domine in vanitatibus suis. Lætantur quippe cum malefecerint, & exsultant in rebus pessimis, mali actu, sed pessimi cogitatu. Nam etsi in multis propriæ concupiscentiæ satisfaciunt, numquam tamen adimplere valent, quod cupiunt : propterea corrupti carne, corrupti & anima, induantur necesse est, sicut diploide, confusione sua. Tibi soli gratias ago bone Jesu, qui me reum tuum in manu forti & brachio extento, eduxisti de tenebris illius superbiæ ac tumidæ obstinationis per aquas validæ tentationis, in desertum laboriosæ pœnitudinis, locum afflictionis, locum timoris. Iste est locus, qui paullo ante caliginosus & multum habens timoris est appellatus: quem nequaquam ita celeritate volo transsilire, & orationem nimis stricto compendio coarctare : quoniam de isto in libro experientiæ multa legi, eique multo tempore vehementi studio totus adhæsi. In hoc loco, tribulatio & angustia invenerunt me, & circumdederunt me dolores mortis æternæ : & sicut inundantis aquæ sic rugitus meus, quoniam Dominus ebibens spiritum meum, sicut abyssus vallavit me, & tamquam pelagus operuit caput meum. Heu abyssus timoris procedens ex aliis tribus abyssis, scilicet de abysso peccatorum, de abysso judiciorum, de abysso infernalium tormentorum. In abysso peccati vermis latet, conscientiam semper depascens insatiabilis. In abysso judiciorum Dei, sententia manet irrevocabilis. Veh misero quem tertia præstolatur abyssus, ubi ignis inexstinguibilis. Itaque abyssus peccati mei invocavit abyssum judiciorum Dei, utraque abysso demergente peccatorem in abyssum interitus sempiterni.

VIII. In hac tam horrenda consideratione expavi, & turbata sunt omnia ossa mea, & dixi: Non videbo prorsus, non videbo Dominum Deum in terra viventium. Sed descendam ad portas inferi, *Et in profundissimum infernum descendent omnia mea*. Ita per singulos dies habitabat in inferno anima mea, & sicut impius per singula momenta proji-



ciebar a facie oculorum Dei; ut plerumque cogeretur infelix anima in illam erumpere vocem, Desperavi, nequaquam ultra jam vivam. Hoc totum faciebat, bone Jesu, vox cataractarum tuarum, vox occultarum, multiplicium, terribilium inspirationum tuarum. In hac voce Domine commovisti terram, & conturbasti eam. Hæc vox, sicut vox aquarum multarum, sicut vox sublimis Dei, tamquam spiritus vehemens conterens naves Tharsis, sicut spiritus grandis & fortis: & vere grandis & fortis, quia subvertens montes superbiæ, & conterens petras obstinationis ante Dominum. *Non in spiritu Dominus*, & post spiritum commotio: quia commota est & contremuit terra, quoniam respexit Dominus terram, & fecit eam tremere & moveri ad pœnitentiam. *Non in commotione Dominus*, & post commotionem ignis, ignis videlicet igne zeli Domini devorans omnem terram: ignis succensus in furore Domini & ardens usque ad novissima inferni, ubi jacebit impius in medio tenebrarum male sopitus. *Non in igne Dominus*. Ubi Ergo Dominus? Numquid in strepitu hujus tantæ contritionis, commotionis, conturbationis? Non: sed factus est in pace locus ejus. Nam post spiritum grandem & fortem, post commotionem, post ignem; ecce sibilus auræ tenuis, subtilis scilicet & paucis cognita inspiratio Deitatis. Quæ sicut aura tenuis, suavis, utilis, perflat & fecundat hortum conscientiæ spiritalis: ut fluant, non defluant aromata purissimæ meditationis. Iste sibilus penitus incognitus est initialiter pœnitentibus, nec multum consuetus aut familiaris est mediocriter proficientibus, quoniam valde affinis est sublimiter excedentibus.

IX. Locum igitur initialis pœnitentiæ, merito appellaverim nebulosum & caliginosum aut turbidum, ubi non videtur Dominus, non apparet lumen & gloria plebis Israel. Sed quid? Ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum, qui digni sunt morte: ignis inferni, sulphur peccati, spiritus procellarum divini judicii. Agitur quippe in illa infelici conscientia jam quasi præsentialiter dies illa Domini, dies judicii. Jam apparet judex immoderate offensus, jam ardet mundus, datur sententia, tartarus aperitur. Non excidit a cogitatione, non potest avelli a memoria dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Ira prædicat & indicat offensum judicem Deum, quem nemo prævalet sustinere etiam placatum: tribulatio refertur ad tormentum accusantis conscientiæ: angustia ad formidolosam præstolationem terribilis illius sententiæ: calamitas ad damnationem quæ præparata est malignis spiritibus: miseria ad conjunctionem hominum cum ipsis dæmonibus. Tenebras autem faciet luminarium subtraxio: caliginem, concitati aeris turbulenta illa commotio: nebulam excitabit totius orbis conflagratio: turbinem vero, omnium electorum confusio. Tuba pertinet ad ministerium Angelorum, clangor ad impetum & subversionem omnium impiorum: qui cum sublati fuerint, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Si ergo timebunt Angeli, si justus vix salvabitur: ego impius in Deum, iniquus in proximum, homicida in meipsum, ubi apparebo? Quo ibo a spiritu judicis mei, & a facie ejus, quo fugiam? Nemo eum potest declinare, nemo ei resistere, nemo eum fallere, nemo potest corrumpere: quoniam & ubique ipse est, omnipotens est, & optimus est. Idcirco meditatus sum nocte cum corde meo, consului ra-

A tionem, allocutus sum conscientiam; quid facto opus sit. Et dum anxiaretur spiritus meus, & cogitationes meæ conturbarent me: affuit Spiritus consilii, & susurravit in auribus meis: quoniam Deus noster ipse est Deus salvos faciendi, & fons patens in ablutionem peccatorum & menstruatæ, & petra refugium herinaciis: vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus. Ideo omnis qui credit in illum, non confundetur, sed fides ipsa reputabitur ei ad justitiam: quoniam is in quem credimus, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Intellexi consilium hoc non esse consilium Achitophel inimici David, sed consilium

B Chusi qui sonat silentium, id est Spiritus Sancti, qui sine strepitu verborum, docet hominem scientiam.

X. Audita voce nuntii hujus, statim revixit spiritus meus, & quasi de gravi somno evigilans, exire cœpi de loco illius nebulæ & caliginis. Tunc dixit Dominus, *Fiat lux, & facta est lux*: quoniam dum habitarem in regione umbræ mortis, lux orta est mihi: *Et factus est vespere & mane dies primus*. Non *Mane & vespere*, sed *Vespere & mane*: quia non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale. Ante istam diem, diem benignitatis, diem consolationis, nullatenus

C intelligere potui, quoniam ad hoc ipsum, *In principio mihi creavit Deus cælum & terram*, animam & carnem meam: ut in his duobus operaretur opera bona valde, & probaret mihi non argumentis, sed rebus, quoniam ipse est *Qui facit mirabilia magna solus*. Nam & ante hæc mirabilia ejus, *Terra mea erat inanis & vacua*. *Inanis*, quia tota dedita vanitati per gloriam temporalem, cum nequaquam exsultaret in Deum vivum, sed in vanis & ampullatis sermonibus, in argumentis & sophismatibus, & hujusmodi erat pars mea in diebus vanitatis meæ. *Vacua* quoque erat terra mea, quoniam totum exinanitum erat usque ad fundamentum in ea: nihil boni, nihil gratiæ in ea re-

D manserat, præter id solum, quod creatura Dei non esse non poterat. *Et tenebræ erant super faciem abyssi* illius interioris, super faciem conscientiæ peccatricis, tamquam velamen super faciem Moysi: quia obscuratum erat insipiens cor meum, & maculata mens & conscientia, & non potui ut viderem. Attamen *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, sicut pius, sicut misericors, regens aquas fluctuationis & instabilitatis meæ: ne totus pereffluerem, ne peritum irem.


XI. Et *vidit Deus lucem quod esset bona*, lucem visitationis suæ, lucem illuminationis meæ: & divisit eam a tenebris, ut jam nulla sit participatio

E Christi ad Belial, nulla societas lucis ad tenebras. Et hanc lucem appellavit diem: in ea qui ambulat, non offendit: & illas tenebras vocavit noctem, quoniam in ea nemo potest operari. Et sic *factus est dies unus*, *dies primus*. *Unus*, quia binarius ille, qui primus recessit ab unitate, non pertinet ad hanc diem. *Primus*, quia in ordine profectus pœnitentialis, cum sex dies sint divinæ operationis, per quas quis transit ad sabbatum contemplationis: earum prima dies ista, quæ habet vespere timoris & mane consolationis: & hac prima die, incipit homo ingredi locum illum intellectibilem, quem lucidum appellavi. Jam ne forte simplicitatem meam exponam risui eorum, qui videntur sibi aliquid esse: & cum aliquid novum audierint,

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162.



pro qualitate dicentis aut subsannant & detorquent, aut rumore secundo ferunt ad astra: non quia bene aut male sit dictum, sed quia a tali & tali sit editum. Noverit qui ejusmodi est, quoniam loca ista quæ gratia divinitatis ad quam & in quam per ista tenditur, vocavi intellectibilia: idcirco non debent videri absurda aut insolenter posita: quoniam Christum Dominum invenio apud Doctores Ecclesiasticos, quamdam beatam regionem vocari, in qua pro diversitate animorum diversa utique possit intelligi qualitas mansionum. Inde est illud Augustini: Sine omni controversia quædam regio est beatitudinis animi, ipse Deus. Jam igitur miserante Christo locum hunc ingressus itinere unius diei, festinare cupio & velle mihi adjacet ordinate incedere per reliquas dies, usque ad sabbatum: ubi solum & maxime datur vacare, sabbatizare, & videre, quoniam suavis est Dominus: qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.




DOMINI ERNALDI

ABBATIS BONÆ VALLIS

LIBELLUS

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

Procemium de materia hujus Libelli.



INCIPIT

ERNALDI

ABBATIS BONÆ VALLIS

PROLOGUS

IN LIBRUM SEQUENTEM.

NEmo cum hæc capitula viderit, exspectet ut legat tractantem de sapientia Dei, secundum quod scriptum est, *Omnia in sapientia fecisti:* & iterum, *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Aut de Intellectu, secundum quod scriptum est, *Intellexisti cogitationes meas de longe:* sive de Consilio, secundum illud, *Consilium Domini in æternum manet:* &, *Quis cognovit sensum Domini, aut consiliarius ejus fuit?* Seu etiam de Scientia, qualis est illa: *Ecce Domine tu cognovisti omnia &c. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Ego enim mensuram meam cognoscens, Propheticæ & Apostolicæ gratiæ viris istiusmodi cedo tractatum: contentus de illa mensura donorum spiritualium, tenui licet sermone tractare; quam Apostolus commendabat, quando dicebat: *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.* Si quis sane offenditur, cum legeris scientiam ad humilitatem referri, meminerit, me de illo Spiritu scientiæ agere, qui requievit in Christo. Nam ante adventum Christi, scientia literarum, scientia artium liberalium, ceterarumque in mundo erat: sola perfectæ humilitatis scientia deerat. Homo per scientiam boni & mali seductus a diabolo, & hac ipsa scientia inflatus, nesciebat se humiliare homini, nesciebat & Deo. Deus igitur factus homo, humiliavit se homini, usque ad lavandos pedes ejus, humiliavit se Deo Patri usque ad obedientiam mortis: docuitque hominem

humiliare se Deo, humiliare se & homini & Deo, homo Deus. Homo autem, quia se non humiliavit Deo, factus est miser & mortalis: si se humiliaverit autem, fiet beatus & immortalis. Magna proinde scientia est, cum docetur homo humiliare se Deo: docetur enim miseriam & mortem evadere; quæ si non evaserit, nulla ei scientia proderit. Non est igitur absurdum, scientiam Christi ad humilitatem referri. In quo *cum omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sint absconditi*, hanc tamen a se specialiter voluit disci. Si cui videtur nihil tanta materia dignum me dixisse, nec ego nego. Occasionem igitur melius dicendi dederim, cui iisdem Spiritus dederit. Si cui vero placuerint quæ dicta sunt, oret (rogo) pro eo, qui dixerit. Jocundum mihi est, piissime & amabilis frater, pio desiderio tuo obsequi, & de sanctis tecum Scripturis, licet indoctus proferre. Unde & quæ vires meas excedunt, præsumsi tibi promittere, dum delector ob amorem tui, tecum sermocinari. De Spiritus Sancti quippe donis tractare, spiritualis viri est: & de Divinis, Divinorum conscius debet eloqui. Verum quia spes nostra in Deo est, ipse qui facit magnorum fluviorum gurgites redundare, potest & in nostrum fonticulum aliquid distillare: quod sancta sitis tua non pro magno hauriat, non tamen penitus effundendum æstimet.

CAPUT I.

De sapientia & intellectu.

I. Sunt igitur quatuor dona Spiritus Sancti, sapientia scilicet & intellectus, consilium atque scientia, tantæ inter se vicinitatis, ut pene unum quid esse videantur. De his ergo voluisti ita tractari, ut clarescceret quodlibet horum, in quo ab alio differret: placuitque in communi, ut etiam reliqua tria dona non penitus omitterentur, sed prout res posceret, loco & ordine suo etiam ipsa insererentur.

II. Fuerunt igitur viri quos sapientia Dei in tantum dignata est, ut per eos immortalitas suis mortalibus, cum & ipsi mortales essent, innotesceret; præcepta ederet, præmia pollicitaretur, minas intentaret, dispositiones pronuntiaret. Talis erat Moyses, talis Job, talis deinde Salomon, Joannes Baptista, Paullus apostolus, & horum similes quilibet. Isti itaque qui a sapientia Dei tanti æstimati sunt, ut absque homine mediatore in interius penetrale suum introduceret, familiaresque suos efficeret: spiritu sapientiæ irradiati atque glorificati sunt. Fuerunt itidem minoris quidem, sed tamen magnæ gratiæ viri, qui Spiritu Sancto adjuti, illos sapientiæ familiares sublimiter & divine intelligere meruerunt, ipsisque quasi ducibus ac mediatoribus usi, cubiculum sapientiæ & ipsi intraverunt, familiaritatem ejus tametsi supparem consecuti sunt. Isti ergo qui illos primos sapientiæ familiares, claro præ ceteris intellectus oculo penetrare meruerunt, spiritu intellectus ditati sunt. Verum quia nunc talis sapientiæ viri aut omnino non sunt, aut certe valde rarescunt; cum tamen spiritum sapientiæ Ecclesiam deseruisse nullus sapiens dicat, præsertim Scriptura dicente *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum*: videtur de sapientia, humaniore quodam, ut sic dicam, modo disserendum. Cum igitur Scriptura dicat, [1] *Ecce Theosebeia*, id est,

A *Dei cultus*, *ipsa est sapientia*: quisquis Deum recta intentione, ac devota sedulitate colit, hunc vere sapere, hunc spiritu intelligentiæ agi credo. Quoti vero sint qui Deum pie & sancte colant, & tamen invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta non conspiciant, sempiternam quoque virtutem ejus ac divinitatem, puto non facile æstimari posse. Probat hoc servorum Dei simplicium tanta numerositas, attestatur Liæ illius, quæ activam nobis vitam post formavit, numerosa fecunditas. Sicut ergo istos in spiritu sapientiæ excellere manifestum est eo ipso quo terrena non sapiunt, & ad fontem sapientiæ in siti currunt: ita in spiritu intellectus eos non eminere apparet, vel quia Scripturarum B opaca non penetrant, vel quia ex craturis Creatorem non intelligunt. Cum vero alicui ex his revelaverit Dominus condensa Scripturarum; nam & Rachel, licet paucissimos, pepererit; spiritui sapientiæ spiritu intellectus addito, augentur atque ditescunt. Verum notandum in ista divisione, quod sapientia quamvis vilior videatur, tamen utilior inveniatur: & intellectus licet dignior æstimatur, impar tamen comprobetur. Nam & hæreticos quædam profunda Scripturarum mire intellexisse atque exposuisse, in Patrum literis invenimus: & Philosophos per ea quæ facta sunt invisibilia Dei intellecta conspexisse, Deumque cognovisse, Apostolus attestatur. Quos tamen postea deformiter errasse, C & usque ad colendam creaturam lapsos esse, idem ipse redarguit. Nam & Psalmista non absolute ait, *Beatus qui intelligit*: sed addidit, *super egenum & pauperem*: ut tunc solum intellectum prodesse declaret, si se ad humilitatem inclinaret, si paupertatem suam intimam non dissimularet, si Christi pauperibus compati atque servire amaret. Cumque sibi ipsi intellectum a Deo petisset, dicens, *Da mihi intellectum*: statim subjunxit, *Ut discam mandata tua*. Sed & in alio loco de intellectu agens, non eum absolute *Bonum*, sed *omnibus facientibus eum*, bonum esse pronuntiavit. Sapientia vero de qua agimus, in tantum bona est, ut omnes sectatores suos faciat bonos, nullusque nisi per D eam efficiatur bonus. Et ipsa quidem sine intellectu isto sufficit ad salutem, cum ipse intellectus nisi a sapientia dirigatur, magis elonget a salute. Quæ cum ita sint, videtur forte contrarium, quod paullo ante dixi: quia cum spiritu sapientiæ pollentibus, spiritus intellectus additur, augentur atque ditescunt. Et tamen contrarium non est. Nam si alicui aurum habenti, summa argenti conferatur, opes ejus utique augentur & crescunt: neque etiam quia sapientiam pluris facimus, ideo intellectum, magnum esse bonum negamus. Utinam omnis homo intelligeret, ut bene ageret!

CAPUT II.

De consilio secundum quod a Scriptura dividitur in præceptum & consilium.

E Hactenus de sapientia & intellectu, exinde de consilio agamus. Est autem res pretiosa consilium, utile accipienti, salutare danti, in prælatione positis congruum, in tribulatione constitutis necessarium. Constat autem in Scripturis, alia secundum præceptum, alia secundum consilium Dei. Secundum consilium, ut facultatibus terrenis abrenutiemus: secundum præceptum, ut conjugio contenti, adulterium non faciamus. Secundum consi-

1. Alludit ut videtur verbis Eccl. cap. I. 26. Initium sapientiæ, timor Domini.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162.



lium, ut mulierem non tangentes, virgines permaneamus: secundum præceptum, ut crapula non gravemur, vino non ebriemur. Secundum consilium, ut carnem non manducemus, & vinum non bibamus. Sunt autem multi in plebejis constituti, qui Deum quidem præcepta ejus faciendo fideliter colant, ad consilium tamen non assurgant. Isti ergo spiritu sapientiæ pollent, sed spiritum consilii non accipiunt. Videmus alios in spiritu intellectus eo usque profecisse, ut profunda Scripturarum non modo ipsi intelligant, sed & aliis intelligenda tradant: unde & *Divini*, quia divina docent, jam vulgo appellantur. Consilium autem dispergendi divitias & dandi pauperibus, adeo refugere: ut ipsum spirituale donum intellectus quod meruerunt, ad carnales divitias contrahendas violenter, heu miseri! intorqueant. Legunt & exponunt, *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et eo ipso, quo hoc legunt & exponunt, ut divitiæ sibi affluant, cor apponunt. Istis ergo cum spiritus intellectus adsit, spiritus consilii deest. Sunt vero qui spiritu sapientiæ & intellectus afflati, ad spiritum quoque consilii se erigentes in tantum, sed quadam timiditate atque ignavia, seu infirmitate animi deprimuntur. Unde bene post spiritum consilii, spiritus fortitudinis introducitur: quia revera magna fortitudine opus est, ut quis non solum usque ad convexa præceptorum, sed etiam usque ad cacumen consilii, ascendat in montem Domini.

CAPUT III.

Item de consilio, scilicet secundum quod opus est spiritu consilii his, qui aliis consulere debent.

I. HActenus de spiritu consilii, secundum quod consilium accipitur, egimus: de spiritu quoque fortitudinis, paucissima velut pro loci sui necessitate subteximus. Nunc de consilio, secundum quod datur, videamus. Sciendum est igitur, non solum ut quæ scientia sit sciamus, verum etiam ut ex his quæ scimus, necessaria tempore opportuno nobis occurrant, consilio Spiritus Sancti esse opus. Postquam ergo spiritum scientiæ, ut Deum sinceriter colamus, acceperimus: postquam spiritum intellectus ad penetranda Scripturarum mysteria meruerimus: restat ut cum consilium a nobis quæritur, prius ipsam quærentis personam, qualitatem, professionem, prudenter æstimare noverimus. Ac sic demum spiritu consilii adjuti, de latitudine Scripturarum tale consilium depromamus, quod & audienti proficiat, & nulli alii officiat. Deinde vel exemplis Scripturarum, vel rationis firmitate, vel similitudinum adaptatione, quam præsumserimus sententiam munire oportet, donec quærenti satisfactum sit. Oportet etiam, ut affectus nostros ad affectum illius immutemus, & sive lætus tristes, sive tristis lætos invenerit: dum nos vel læto congaudere, vel tristi compati viderit, fidele fore nostrum consilium credat, ac per hoc libentius cedat & acquiescat. Et ad hoc nisi spiritu consilii adjuvetur quis idoneus, videas aliquando virum spiritu sapientiæ & intellectus præditum, dum consilium ab eo quæritur, obmutescere: & quadam mentis gravedine deprimi, & nihil gratum, nihil acceptabile audienti posse proferre. Videas eumdem ipsum alio tempore sanum consilium proferre, exemplis Scripturarum elucidare, rationis copia comprobare, similitudinem coaptationibus confirmare. Unde in uno eodemque homine ista diversitas? Nisi quia spiritus consilii secundum sibi nota dicentis & audientis merita, secundum sibi soli nota altitudinis suæ consilia, efficaciam suam nunc retrahit, nunc emittit. Hoc etiam spiritu consilii opus esse credo, ut ipsum consilium tam modeste, tam convenienter proferamus; ut ipse modus proferendi, consilio prolato, loco sit boni condimenti. Porro si talis sit caussa de qua consilium quæritur, ut consilium ejus in Scriptura divina non habeatur: tale oportet per spiritum consilii consilium inveniri, cui divina Scriptura contraria non inveniatur. Neque enim incredibile est, sapientiam Dei voluisse in Scripturis sanctis, tot & tantis humanarum miseriarum eventibus consilio obviare, ob hoc ut spiritui consilii locum suum reservaret. Nam dum homo homini consulit, pax & concordia hominum, ac per hoc salus & utilitas crescit. Denique cum scriptum sit, *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus:* consequens videtur, ut omnis sapientia Dei in Scripturis quantislibet comprehensa sit. Quin potius credibile est, semper restare quid de ea possit scribi: quoniam ipsa nullo scripto potest comprehendi. Quæ si ita sint, scivit ipsa sapientia Dei, & multipliciter in Scripturis sacris, consiliis abundare, & tamen locum suum spiritui consilii reservare. Hinc est, quod videmus & aliquos literas ignorare, & bonum ac sanum consilium dare. Certe Salomon legem legerat, spiritu sapientiæ & intellectus præ filiis hominum pollebat; & tamen ut legitur, quorumdam seniorum consilio cuncta faciebat: explorans nimirum vir sapiens, quid sibi responsi de abdito suo, id est, de pectore senum, spiritus consilii depromeret. Hæc ergo ad hoc nobis proficiant, ne quis etiam si religiose vivendo Deum colat, quod est sapientis: si Scripturarum obscura penetret, quod est intellectus: consilium utpote sibi non necessarium, fastidire præsumat. Sane his qui de divinis Scripturis consilium dant, sciendum est in eisdem Scripturis, non omnibus omnia dici: sed multas sententias earum, pro personarum seu temporum varietate, oportune intelligi. Verbi gratia, *Cum vos persecuti fuerint*, ait Dominus, *in civitate ista, fugite in aliam*: qui hoc generale præceptum & quod nulli prætermittere liceat, esse voluerit: primum & præcipuum inter omnes martyres, martyrem Stephanum prævaricationis arguet, quia non fugerit, sed magnanimiter stando magnifice coronatus sit. Arguet & ipsos egregios gregis Dominici arietes Apostolos, qui in eadem persecutione, ceteris per regiones Judææ & Samariæ dispersis, in tanto turbine nequaquam cessisse fugiendo, sed manendo stetisse referuntur. Sed hoc quantæ temeritatis sit, quis non viderit? Intelligendum est ergo hoc præceptum fugiendi, infirmis & ad martyrii certamen imparibus datum esse: aut certe illis illius temporis prædicatoribus, qui Judæis verbum Domini repellentibus, & indignos se æternæ vitæ judicantibus, conversi sunt ad gentes. Si ergo in tempore persecutionis, aliquis levitatis aut temeritatis spiritu actus, consilium quæsierit, fugiat subeatve certamen: tu vero ad proprium provocaveris, & ille non sufficiens Christum negaverit: vide ne consilio tuo illum perdideris, pro quo Christus mortuus est. Si verus quilibet Christi athleta consilium quæsierit, tu autem eum dehortatus, fugam magis persuaseris; consilium tuum coronam ei de capite detrahit. Similiter si quem temere ad abrenuntiationem sæculi provocaveris, & illud retro respiciens, aut ex toto ad vomitum suum redierit, aut certe vita ejus & conversatio, bonorum fratrum

dolor & persecutio facta fuerit: necesse est ut consilii tui te pœniteat, quod spiritus consilii non regebat. Necessarius ergo est spiritus consilii, etiam eis qui per spiritum intellectus Scripturas sanctas meruerunt penetrare: ut noverint ex eis prudenter conservis suis, unicuique secundum propriam virtutem, cibaria dispensare. Puto Noemi illam de libro Ruth, non sine spiritu consilii nuribus suis cum se sequi vellent, reditum ad suos persuasisse: ne dum eam pudore, non judicio sequerentur, secutas se esse citius pœniterent. Noluit illis solatium perpetuum polliceri, sed reditum ad suos magis persuadere, cum tamen infida & inconstans nurus se perdidit. Sic sic illo spiritu consilii adjuta, & in fide consilii nurus omnis liberata, & solatio suorum gratulata est. Si hanc discretionem plerique nostri temporis Prælati in admittendis fratribus & scirent tenere, & vellent: cum paucioribus quidem, sed cum pace Deo servirent. *Melior est*, inquit Sapientia, *Unus timens Deum, quam mille filii impii*.

II. Optime sane post spiritum sapientiæ & intellectus, spiritus consilii ponitur: quia qui utrolibet horum caruerit, ad consilium dicendum impar erit. Nam & qui Deum colendo vere sapit, si Scripturarum dispensationes non intelligat, secundum religionis suæ fervorem de cunctis judicans, in consulendo falli potest. Nihilominus & qui Scripturas intelligit, nisi Deum amando & colendo sapiat, difficile est, ut hoc alii consulendo persuadeat, quod ipse non amat. Restat ergo, ut qui spiritu sapientiæ & intellectus caret, spiritum consilii sibi non arroget. Spiritu autem consilii pollens, spiritu quoque fortitudinis fulciatur necesse est: ut si alicui bonum consilium dederit, & aliqua inde adversitas oborta fuerit, non frangatur: sed in Domino confidens viriliter agat, donec bonum consilium ad effectum perducatur. Porro si in consilio suo auditus non fuerit, nihilominus spiritu fortitudinis oportet regatur: ne velut Achitophel pusillanimis effectus, qui aliis consulebat, erga seipsum inconsulte agens perdatur.

CAPUT IV.

Quod spiritus consilii Prælatos specialiter deceat.

SAne quod spiritus consilii magis Prælatos deceat, Scriptura docet dicens: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi*. Quia enim per ipsa bonorum suorum insignia plurimis innotescunt, plures ab eis consilium petunt. Et in veteri quidem Testamento, multifariam multisque modis Deus & consulebatur & respondebat; & nunc potius, populi Dei tam numerosi consilium penes Prælatos ipsius est. Quocirca necesse est, ut in Prælatis maxime spiritus consilii vigeat. Quorum ad consulendum alii, non sufficit: vel in hoc spiritum consilii habeat, ut consilium a sapiente perquirat; & perquisito credet. Si autem hoc facere despexerit, illud Evangelicum restat: *Cæcus si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt*: & illud, *Si autem lumen quod in te est tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Verumtamen quia Dominus illuminat cæcos, adeat Dominum, & dicat ex totis præcordiis suis: *Deus meus, illumina tenebras meas!*

A

CAPUT V.

Quod in tribulatione positis pernecessarium sit opus consilii.

IN tribulatione autem positis pernecessarium est consilium, ne scilicet ipsarum tribulationum molestiis victi, inconsultum aliquid agant, unde Deum offendant: ac per hoc majores sibi non in præsenti tantum, sed & in futuro tribulationes gignant. Est autem unicum in tribulatione positis consilium; *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me*. Verum quia inaniter Deum voce
B invocat, qui eum male vivendo irritat: tunc præcipue & vitæ corrigendæ opera danda est, juxta illud: *Tribulatio & angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est*. Difficile autem, immo impossibile est, ut quis in tribulatione positus, si Deum fideliter invocaverit, faciemque ejus sacrificio justitiæ placaverit, consolationem non mereatur divinam. Tantum non perdat sustinentiam. *In die*, inquit, *tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus*. Sed quidam nisi cito liberati fuerint, deficiunt; ut illi de quibus scriptum est: *Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, non sustinuerunt consilium ejus*. Nequaquam attendentes, quia & beatus Jacob diu
C in gravi luctu fuerit, & sanctus David crebris sibi invicem succedentibus tribulationibus probatus sit. Tobias etiam adeo justus & pius, ac secundum nominis sui interpretationem *Bonus Domini*, juxta quædam exemplaria, quatuordecim annis cæcitatem sustinuerit. Est autem & hoc in tribulatione positis utile, ut meminerint servis Dei in hoc dumtaxat sæculo constitutis, ubicumque fuerint, tribulationem non deesse. Unde & beatus Petrus: *Scientes*, inquit, *eamdem passionem, ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri*. Nonnulli namque positi in tribulationibus, mederi sibi putant loci mutatione: sed infidum est hujusmodi remedium, & aliquando vertitur in contrarium. Novimus enim
D loca, in quibus quondam pax & religio floruerat, scandalis postea & doloribus oppleta fuisse: ita ut in eis illud beati Job impleretur, *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subversa est*. Illud quoque Isaiæ, *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas*. Novimus & alia scandala prius, & infamia scandalis loca: post, respectu Dei & pacis enituisse gratia, & virtutum redoluisse fragrantia. Quibus illud Isaiæ aptari potest: *In cubilibus in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami & junci*. Ita adhuc quotidie & Libanus vertitur in Chermel, & Chermel in saltum reputatur. Non est igitur certum consilium, in tribulatione positis, mutatio locorum: quia & ad quæ fugiunt,
E loca gratia Dei destitui: & quæ fugiunt, Dei possunt respectu restitui. Certissimum autem his consilium est, in Deum sperare, Deum invocare, Deum obsequendo placare, Dei bonitatem longanimitate exspectare. Si quid vero humanum ingenium adinvenire potuerit, quod iniquum non sit, & sibi in tribulatione prosit, faciat. Nam David per Chusi, consilium Achitophel dissipavit, & Apostolus a fratribus in sportam missus evasit, & dissentione inter persecutores suos missa, tribulationem suam allevavit. Quia vero quoque audivimus, ita numquam una tribulatio succiditur, ut alia non succrescat: spiritus fortitudinis semper est necessarius, ne deficiamus in tribulationibus.

Caput VI.

Item subtilius & altius de spiritu consilii.

HActenus de spiritu consilii quadrimoda distinctione tractatum est. Verum quia hæc consilia & bonis & malis communia sunt, cum ad consilium pauci, & hi sapientia & fide præstantes soleant admitti: est præter hæc unum & secretum, & cujus boni & electi tantum conscii sint, Spiritus sancti consilium. Illa videlicet interna inspiratio ejus, qua suis consulit diaboli insidias & peccati laqueos vitare, mala præsentis exsilii æquanimiter tolerare, bona cælestis patriæ gemitibus inenarrabilibus suspirare, indefesse ad hæc piorum operum præmia festinare, pro salute concivium suorum anxiari, in recordationem vultus Domini sui, dulci amaritudine lacrymari. Hinc quidam sapiens, cum beneficia Dei erga justum commemoraret, *In absconditis*, inquit, *illius consiliabitur*. Hinc Dominus per Prophetam, *Nunc quare mœrore consumeris? Numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit?* Ac si dicat, nequaquam te desperabili mœrore conficere debes, cui & Christus rex est, & quæ interno sancti Spiritus consilio destituta non es. Magna enim spes est animæ, quæ hoc consilium audire meruerit; sicut & ingens metus ei, quæ ab illius auditione obsurduerit. Hinc Psalmista, *Deus*, inquit, *meus ne sileas a me*. Et ut ostenderet quid periculi immineret ei, a quo Deus sileret: *Nequando*, ait, *taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum*. Homo quippe superbia exigente, interno illi Dei consilio destitutus, suo autem consilio dimissus, descendentibus in lacum assimilatur: quia in peccati voraginem lapsis, & ipse paullatim tepescendo & labendo coæquatur. Qui ideo non cadentibus, sed descendentibus in lacum assimilari dicitur: quia ut ipse casum suum ignoret, sensim ac minutatim, donec in peccati profunda perveniat, labitur. Verum nec tunc desperare, sed de profundis ad Dominum debet clamare, & exspectans exspectare, donec educat eum de lacu miseriæ: ubi & spiritus fortitudinis permaxime necessarius est, cujus ope & virtute, de lacu miseriæ, de peccati scilicet amore & consuetudine, anima emergat. Nam & ad Dominum clamare, & omni nisu debet ipsa conari, quia neutrum horum sine altero potest eam juvare. Multo autem & facilius & felicius est quid, ne cadat cavere, quam post casum eluctari: *Si populus*, inquit, *meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset; pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*.

Caput VI.

De scientia ubi ostenditur spiritus scientiæ quæ in Christo requievit, ad humilitatem maxime pertinere.

I. NUnc de spiritu scientiæ videamus. Nomen scientiæ commune est, quia & in magnis & in minimis rebus ponitur. Sed heic de illa scientia sermo est, quæ Spiritus Dei præcipuum donum est, quæ in Scripturis scientia Dei vocatur, quæ apponit dolorem, de qua dicitur: *Recedere a malo, scientia*. Tanta est igitur scientiarum diversitas, ut scientia inflet, scientia dolorem apponat: cum inflatio superbia, dolor vero non modo humilitas, sed & profunda humilitas sit. Quantumcumque itaque sciat, & quantumcumque infletur: sciat quod a Dei scientia adhuc longe est, qui aut pro

A peccatis suis, aut pro hujus exsilii prolongatione non dolet: quia qui apponit scientiam, apponit dolorem. Nescit enim qualis sit pulcritudo justitiæ, qualia bona Domini in terra viventium, qui horum adhuc exsors manet, & non dolet. Sed & si quis pro peccatis doleat, & tamen ab his non recedat, nec iste perfectam scientiam obtinet, quia *Recedere a malo, scientia est*. Quocirca ille probatur scientiam Dei scire, qui & pro peccatis scit dolere, & a peccatis noverit recedere. Porro hæc scientia, & ab humilitate incipit, & in humilitate perseverat. Et ideo ubi de scientia Spiritus Dei agitur, libenter scientiam humilitatis accipio: quia ille scientiarum dominus, ille magister unus, a se specialiter disci
B mandavit, dicens: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*. Non solum autem verbo, sed & facto pariter & verbo, quanti scientiam humilitatis faceret, ostendere curavit. Humilians quippe se Deus ad pedes hominum, cum venisset ad beatum Petrum, ille vero alta quidem humilitate, licet necdum omne mysterium humilitatis edoctus, a tali ministro tale recusaret ministerium, ait: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Nescientem dicit, quem necdum humilitatis scientiam ad plenum didicisse scivit, & de humilitate disserturus, scientiam præmittit. Quæ ne parva videatur, non eam mox effundit: sed in futurum differens, auditorum mentes ad ejus exspectationem suspendit.
C Postquam autem lavit pedes eorum, illis jam ad nihil aliud intendentibus, sed ad solum sermonem ejus intentis, auctoritatem suam primo commendat, se magistrum, se Dominum & vocari & esse contestans. Novit enim cordis humani cognitor, quanti superbus homo talem doctrinam faceret, si alius quam talis magister eam proferret. Nec inconsulte prius virtutibus ac prodigiis Deum se credi fecit, & sic humilitatis scientiam docuit: quia revera nullus scientiam promittenti & aliud non docenti crederet, nisi ipse prius Deus creditus fuisset. Summa autem doctrinæ hæc fuit, ut sicut Dominus servis, sic servi conservis pedes lavarent. Deinde intulit: *Si hæc scitis, beati eritis, si fece-*
D *ritis ea*. Quæ rogo hæc? pedes lavare: quasi vero facile inveniri possit, qui hoc non noverit. O scientia abscondita a sapientibus & prudentibus, & revelata parvulis! O scientia, quam omnes videntur scire, & perpauci merentur attingere! *Stultum enim Dei sapientius est hominibus*. Et quid *Stultum Dei*? Nisi quia *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Unde idem Apostolus, *Nos* inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*. Nam si quis se magistrum profiteretur, cum vero tempus pollicitationis adesset, pedes lavare doceret: quis eum non irrideret, quis non eum stultum crederet? *Si quis ergo*, ut Apostolus ait,
E *voluerit sapiens esse, stultus fiat, ut fit sapiens*: humilis fiat, ut beatus sit. *Si hæc*, inquit, *scitis, beati eritis, si feceritis ea*.

II. Scientia sæculi in verbis est eloquentiæ, scientia Christi in factis humilitatis: scientia sæculi, ut alius alium verbis concludat: scientia Christi, ut frater fratri per humilitatem serviat. Hanc igitur Domine *Scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi*: quam tanti facere dignatus es, ut propter ejus commendationem, Deus homini pedes lavares. Videre nunc & stupere erat, eum *Qui respicit terram & facit eam tremere, sub quo curvantur qui portant orbem, in cujus nomine omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum*: & genua sua flectere; & totum corpus incurvare, ad la-

vandos pedes hominum: ad cujus pedes lavandos vix unus in mundo dignus inveniri posset homo. Alioquin hic quo inter natos mulierum non surrexit major, indignum fatetur se calceamenta ejus portare, necdum pedes lavare. Mirentur alii eum ventis imperantem, super mare ambulantem, mortuos vivificantem: æquissimum enim est, & omnium in dicto decens ac congruum, ut Creator creaturæ suæ dominetur & imperet. Ut vero æternus ille Deus, ille magnus Dominus, ille cujus nutibus cuncta serviunt, ad serviendum mortali homini & fragili sese incurvet: hoc ab omni creatura cum ingenti admiratione, cum admirabili devotione, suscipiendum est; hoc a nulla creatura, sine quodam pio pavore audiendum est: sed & in lacrymas debent resolvi pii servi, recogitantes tantam humilitatem Domini sui. Et hoc totum ob id solum factum est, ut homo scientiam humilitatis doceatur. His igitur considerationibus adductus sum, spiritum scientiæ qui in Christo est, ad humilitatem referre: quod uberius ostendi potuisset, si diutius in his immorari visum fuisset. Hoc autem adhuc notandum videtur, nequaquam sine caussa in pedum ablutione humilitatem expressam fuisse, quam constat actionum nostrarum gressus emundare. Videat quisque utrum velit accipere, scientiam Christi ad humilitatem præcipue pertinere. Hoc certe nullus qui Christo credit, potest negare, humiles majorem ceteris Dei scientiam habere, attestante ipso: *Quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revalasti ea parvulis*. Item cum Dominus dicat, *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem?* Constat nimirum, requiem quæ est in Spiritu sancto superbis ignorantibus, humiles & experiri & scire. De qua his quos scientia inflat, recte dicitur: *Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Ceterum si quibus adhuc durum videtur, scientiam Christi humilitati deputare: legant qualiter antiqui & sancti Patres illam Domini sententiam exponant, qua dixit Judæis, *Tulistis clavem scientiæ*: & sic fortasse acquiescent.

CAPUT VIII.

De spiritu pietatis.

Attestantur & duo extrema dona quæ restant, pietas & Dei timor, quæ nonnisi umbra humilitatis sunt: sed alterum ad homines, ad Deum alterum. Nemo enim proprie ad seipsum dicitur pius, sed ad eum erga quem pio movetur affectu: cuique indigenti, ea quæ caritatis sunt, pie impendit. Ponitur & pietas in Scripturis, pro omni religione: sed talis pietas non tam unum speciale est donum, quam ex omnibus septem constat donis. Secundum hoc pietatis genus, & Deus erga hominem pius appellatur: quia ad erigendum eum de stercore miseriæ suæ, mira pietate inclinatus est. cujus rei mysterium, in arcu qui positus est in signum fœderis inter Deum & terram, ne ultra diluvio dissipetur, præcessisse credo; siquidem de Christo Pater per Prophetam dicit, *Dedi te in fœdus populi*. Cum igitur Christus in fœdus populi detur, arcus vero in signum fœderis ponatur: nimirum constat, quia arcus Christum significat. Arcus in signum fœderis ponitur, ne diluvium ultra terram dissipet: Christus in ipsum fœdus datur, ne Ecclesiam credentium in eum, ira Dei cum reprobis perdat. Nam salvo eo quod baptismus per diluvium significari traditur, & iram Dei per ipsum

A figurari Ecclesiasticus liber testatur dicens, *Quomodo cataclysmus aridam inebriavit: sic ira ipsius gentes quæ eum non exquisierunt, hereditabit*. Porro de arcu ita dicitur, *Vide arcum, & benedic qui fecit illum: valde enim speciosus est in splendore suo*. Speciositatem commendat in arcu, & utique sapientia Dei speciosior est sole: Christus *Speciosus forma, præ filius hominum*. Hinc & sponsa, *Totus*, inquit, *desiderabilis*. Et Petrus inquit, *In quem desiderant Angeli prospicere*. Ipse autem Pater, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: & Propheta de splendore ejus, *Splendor*, inquit, *ejus ut lux erit*. De hoc arcu in eodem Cantico, *Suscitans*, inquit, *suscitabis arcum* B *tuum*: & exponens quis ille sit arcus, *Juramenta*, ait, *tribubus, quæ locutus es*. Per semetipsum namque juravit Dominus Abrahæ, quia in semine tuo, scilicet Christo, benedicerentur omnes Gentes terræ. Et in Psalmo, *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ*. Quod si quis putaverit, prolatum testimonium neque ad Christum pertinere, neque ad gentes, quia dicitur *Juramenta tribus quæ locutus es*: Tribus enim revera de Judæis magis quam de gentibus dici solent. Meminerit illius Davidici, *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini*: has enim tribus nemo sapiens ad carnalem magis quam ad spiritualem Israel pertinere dicturus est. Et hoc nihilominus, in Apocalypsi quod legitur, *Iris erat* C *in circuitu sedis*, ipsum esse credo quod in Psalmo legitur, *Dominus in circuitu populi sui*. Sedet enim in sede sua, ut doceat: circumdat sedem suam, ut protegat. Ut autem quod ad spiritum pietatis proprie pertinet, præferamus: arcus ille speciosus, a cælo usque ad terram se curvat: & Filius Dei a summo cælo egrediens, pietate mirabili usque ad susceptionem mortalitatis & mortis nostræ, sese humiliat: & non solum usque ad terras, sed etiam usque ad inferna pro nobis descendit.

CAPUT IX.

De spiritu timoris Domini.

D

Jam vero timor Dei, nihil est aliud nisi humilitas. Verum heic non illa accipitur, qua nos foris proximis propter Deum, sed qua intus in conscientia ipsi nos humiliamus Deo. Qui recte septimo loco, eodemque summo ponitur, quia illa humilitas alta est: cum quis & quantum ad hominum & quantum etiam ad proprium judicium perfectus est, & tamen ad judicium Dei adhuc timet, adhuc securus non est. Talis erat Apostolus Paullus, nam quia neque alius, neque ipse quid in ipso reprehenderet, invenire potuit: fiducialiter dicebat *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, nihil enim* E *mihi conscius sum*. Quia vero sub Dei judicio, adhuc timens, securitatem sibi minime arrogabat: *Sed non*, inquit, *in hoc justificatus sum, qui enim judicat me, Dominus est*. Est quippe & alius timor qui non est in caritate, quia perfecta caritas foras mittit timorem. Sed aliud est, dum is qui graviter offendit, timet ne pereat: aliud dum is qui placet, timet ne vel in minimo offendens, minus placeat. Iste igitur timor, veræ Dei scientiæ documentum est, quia ille vere Deum scire probatur, qui usque ad perfectum ejus timorem humiliatur. Qui enim adeo amat, ut vel in parvo offendere magnopere timeat: de hoc tempore bene potest accipi quod scriptum est, *Beatus homo qui semper est pavidus*. Ideo namque ponitur *semper*, ne umquam quoad vivit, de justitia præsumens, dum

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1162



non timet neque cavet, cadat. De hoc tempore in Ecclesiastico Scriptura est: *Magnus qui invenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Deum.* Timorem Dei super omnia superposuit. Beatus cui donatum est habere timorem Dei!

CAPUT X.

De scientia ceterisque donis.

IGitur scientiam literarum, scientiam artium diversarum, non negamus esse scientiam. Verum sicut is qui necessaria corporis sibi suisque scit providere, dominorumque, vicinorumque suorum gratiam habere, honeste secundum hoc sæculum gerere, apud homines sapiens vocatur: & cum omnis sapientia a Domino Deo sit, ille tamen si in æternis sibi suisque prospiciendis, non sapuerit, spiritum sapientiæ accepisse dicendus non est: ita ille qui literas, qui artes, qui ipsas etiam divinas literas scit, quamdiu se humiliare ad faciendum bonum quod scit, nescit: si spiritum scientiæ sese accepisse confidit, seipsum decepit. Neque enim talis scientiæ spiritus super Christum requievit, de quo legitur, quia *Cœpit facere & docere*: *qui enim dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* *Quid habet*, inquit Salomon, *sapiens amplius a stulto, & quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?* Hoc solo discernens sapientem a stulto, quod humiliter benefaciendo, unde & pauperem eum vocat, ad vitam pergit: quo ille pergere, aut nescit aut contemnit. Hæc utinam adverterent, qui dum de conversione monentur, ad discendum malunt ire: vel post conversionem, occasione discendi, ad vomitum volunt redire: discerentque magis faciendo discere, quam discendo non facere. Hæc de septem donis, secundum quod in membris Christi requiescunt, dicta sunt. Quomodo vero in ipso capite nostro requieverint, ipsi & si quibus ab ipso revelatum fuerit, videamus. Sapientia tamen & scientia quæ frequentius in Scripturis ponuntur, secundum quod in eo requieverunt, facile discerni possunt. Sapientiam quippe habuit, quia Patris voluntati per omnia obediendum esse sapuit. Habuit & scientiam, quia nihil præsens, nihil præteritum, nihil futurum, sive in humanis, sive in diabolis, sive in Angelicis, sive in divinis rebus, eum latuit. Habeat igitur quisque *Spiritum sapientiæ*, ut Deum colat: *Spiritum intellectus*, ut scripturas investiget: *Spiritum consilii*, ut de iis alii consulat: *Spiritum fortitudinis*, ut seipsum ad fortia virtutum opera accingat: *Spiritum scientiæ*, ut quidquid fecerit, sine humilitate nihil esse sciat: *Spiritum pietatis*, quo ipsa humilitatis opera fratribus præimpendat: *Spiritum timoris Dei*, quo in his omnibus, non in suis operibus, sed in ipsius misericordia confidat.

CAPUT XI.

Comparatio septem primorum dierum, cum septem Spiritus sancti donis. Imprimis de primo die, comparato cum spiritu sapientiæ.

VIdeamus nunc, an forte his septem intimis quotidianisque Spiritus sancti operibus, septem primorum dierum opera, aliqua similitudine congruant. Primo die facta est lux, & de sapientia quidam sapiens dixit: *Proposui pro luce habere illam, quoniam inexstinguibile est lumen illius.* Cum ergo quis ad Deum colendum illuminatur, in eo lux nova creatur: unde talibus Apostolus, *Fuistis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hoc generaliter in adventu Christi per totum mundum factum est, quando Deus Dominus venit & illuxit nobis. Hoc singillatim quotidie fit in unoquoque, qui reminiscens & convertens se ad Dominum, abjicit opera tenebrarum, & ambulat ut filius lucis, in omni bonitate & justitia & veritate. Siquidem in Genesi prius tenebræ, & postea lux a Domino facta esse describitur.

CAPUT XII.

Comparatio secundæ diei, cum Spiritu intellectus.

SEcundo die factum est firmamentum quod divideret aquas ab aquis, & vocatum est cælum: quod dono intellectus satis congruit: & Psalmus ait, *Qui fecit cælos in intellectu.* Per aquas namque, Scripturæ sanctæ scientia designatur, unde Propheta prævidens in adventu Christi Scripturarum mysteria reseranda, ad earum intelligentiam provocabat dicens: *Omnes sitientes, venite ad aquas.* Sed aquæ istæ divisionem habent, quia pars earum spiritualibus, pars carnalibus congruit. Cum enim Scriptura de munditia cordis, de virginitate carnis, de compunctione amoris, de meditatione spirituali, de æternitatis contemplatione disserit, & de spiritualibus imitanda proponit: aquas superiores super firmamentum constituit. Aut cum uxorem diligere, parentibus obedire, malum proximo non facere, pecuniam ad usuram non dare, necessitatibus Sanctorum communicare: infirmis aquas sub firmamento ponit. Istiusmodi namque præcepta a spiritualibus transcendi debent. Ipsi siquidem spirituales, quia conversatio eorum in cælis est, cælum recte vocantur: & super firmam petram fundati, tentationis tempore non recedunt. Quia ergo ad spiritum intellectus pertinet hoc modo aquas ab aquis dividere, inter spiritualia scilicet & carnalia præcepta discernere, secundi diei opera, secundi doni operibus inveniuntur congruere. Nonnumquam una sententia ita inter utrasque aquas dividitur, ut secundum intellectualem divisionem, & ad aquas superiores ascendant, & ad interiores descendant. Unde Paullus de Genesi proponens testimonium, *Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: primo secundum mysticum sensum inter aquas superiores sententiam suspendit, *Sacramentum*, inquiens, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ostendit enim, quia fide amoris, Ecclesia seu quælibet Christiana anima sponso illi æterno debeat adhærere: cui susceptione infirmæ ac mortalis carnis ejus, sese dignatus est unire. Ostendit etiam hoc jam tunc ab initio sæculi per hanc sententiam Propheta; Christi scilicet incarnationem, & Ecclesiæ desponsationem: hoc inquam ostendit, sed intelligentibus. Descendit ergo aqua, usque ad firmamentum, per intellectualem divisionem, ut & infirmi possint bibere. Nam ille superior intellectus, velut supra firmamentum collocatus, spirituale potat. Sequitur itaque, *Verumtamen & nos singuli, unusquisque uxorem suam, sicut seipsum diligat.* Sunt itaque in Scripturis, quæ solis carnalibus; sunt & quæ solis spiritualibus; sunt quæ & carnalibus & spiritualibus, si spiritualiter dividantur, congruant. Porro spiritus intellectus quem efficaciter tangit, hujus divisionis peritum facit, ut sciat in plateis aquas suas dividere.

C A P U T XIII.

Comparatio tertiæ diei, cum spiritu consilii.

TErtio die virentes herbas, lignaque fructifera, utrumque semen afferentia germinavit, quod ad spiritum consilii satis apte referri potest. Bonum quippe consilium, bonum nimirum semen est. Et herba virens & lignum promiferum, cum fructu semen afferunt: cum hi qui bona faciunt, semine boni consilii & alios ad benefaciendum trahunt. Sed & hoc quod congregatis in unum locum aquis, arida apparuisse memoratur, non inaniter factum fuisse existimatur. Primum quippe est, ut aliorum qui jam Deo uniti sunt, irrigatio sua, ipsius vero cuique ariditas appareat: sic pro pluvia quam segregavit Deus hereditati suæ, cum certa spe ad eum suspiciat: cujus demum aspersione irrigatus, & ipse in bonis operibus fructificet, & aliis boni consilii semen subministret. Licet nunc videre David, ariditatem suam cognoscentem & deplorantem; *Anima mea sicut terra, sine aqua tibi*: & alibi, *Ego sicut fænum arui*. Licet videre eumdem de superna irrigatione præsumentem, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram*: & alibi, *Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit*. Sed & boni consilii semen pollicens, *Docebo*, inquit, *iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. Et quamquam hæc testimonia generaliter in lapsu & restauratione generis humani jam olim completa sunt: quotidie tamen in singulis electorum compleri non cessant.

C A P U T XIV.

Comparatio quartæ diei, cum spiritu fortitudinis.

QUarto die sidera in firmamento cæli ad illuminandam terram collocantur, & hoc ad spiritum fortitudinis pertinet: quia ad exemplum lucis peccatoribus præbendum, non incipientes tantum & teneri, sed fortes & robusti constituendi sunt. Unde Dominus, *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vobis, & eritis mihi testes*: & iterum: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Et certe jam spiritu sapientiæ ad colendum cum illuminati fuerant, jam sensum illis ut Scripturas intelligerent aperuerat, jam semina prædicationis, immo & miraculorum, sed sub ejus magisterio sparserant: & tamen ad regimen Ecclesiæ ipsi Christo succedere non permittuntur, antequam virtute Spiritus ex alto induantur. Nam & quod in firmamento cæli sunt positi, quodam modo firmitatem virtutis ab eis exigit. Congruit & huic sensui Psalmista, *Lunam & stellas*, inquiens, *quæ tu fundasti*. Nam prout mihi videtur, inter omnes virtutes, per universas Scripturas fortitudo specialiter homini adimitur, & Deo adscribitur: unde David, *Diligam te Domine fortitudo mea*: & iterum, *Præcinxisti me virtute ad bellum*: & iterum, *In potentatibus salus dexteræ ejus*: iterumque, *Dominus fortitudo plebis suæ*. Multa sunt hujus testimonia, copia mensuram excedit. Cum ergo homo & originaliter & materialiter infirmus sit, & hoc ipsum permaxima pars sit fortitudinis ejus, ut infirmitatem propriam noverit: attestante Paullo, *Quando enim infirmor, tunc potens sum*: Si quid aliquando vel in propriis vincendis, vel in alienis tollerandis potuerit, sibi illud nequaquam attribuat, sed fortitudinem suam ad Deum custodiat: quia sine ipso nihil possumus facere. Siquidem & de lu-
A minaribus non est dictum, sicut de herbis, ut ea terra germinaret, ut supra: neque sicut de reptilibus, ut aqua ea produceret, ut infra: sed Deum solummodo ea fecisse scriptum est, ne in fortitudine anima humana vel sibi vel ingenio suo aliquid auderet adscribere, & ita eam mereretur amittere. Nam & Samson cujus vocabulum solem sonat, & qui diu in fortitudine ultra humanum modum clarebat, eum per quem erat fortis offendens, captus est. Et beatus Petrus dum de viribus suis gloriatur, infirmitatem suam experiri coactus est. Sed & illud quod in Evangelio, & civitas supra montem & lucerna super candelabrum posita, leguntur, ita covenientissime intelligi potest, ut & omnis
B Ecclesia generaliter a monte montium Christo portetur, & lucerna, quilibet videlicet prædicator ejus, ab eodem Christo, velut a candelabro sustentetur. Mons siquidem immobilis manere, candelabrum vero solet moveri. Et Ecclesiam Dominus quidem velut mons immobilis, numquam desinit sustentare: prædicator vero si offenderit, statim per Apocalypsim a Christo audit; *Age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, movebo candelabrum tuum de loco suo*. Ac si dicat: Solebam te, in te movens sustentare, ne caderes: at nunc eamdem sustentationis gratiam, a te, quia offendisti, subtraham: nisi me, pœnitendo & corrigendo, placaveris. Si-
C cut autem quod montes pluraliter intelliguntur prædicatores, non obsistit ne unus singulariter mons intelligatur Christus: ita quod in Apocalypsi per septem candelabra septem Ecclesiæ significantur, non impedit ne per unum candelabrum Christus significetur, qui unum & verum sustentamentum suarum lucernarum, unica & sola suorum est fortitudo Doctorum. Videtur etiam mihi, per solem & lunam, quorum alter ut diei, altera facta est ut præesset nocti, Sacerdotium & Regnum optime præfigurari potuisse: scilicet propter illuminandos doctrina spirituales, quasi dies; & propter coercendos a malitia carnales, quasi noctem. Quod si ita est, quanta huic operi fortitudine opus fuerit, Sacerdo-
D tes sancti probaverunt, qui in regimine sanctæ Ecclesiæ laborantes, ad mortem usque pro justitia certaverunt. Multa adhuc dici possent, quibus magis magisque luceret, qualiter fortitudo quarti diei operibus responderet.

C A P U T XV.

Comparatio diei quintæ cum spiritu scientiæ, ubi scientia sicut & supra, ad humilitatem refertur.

E QUinto die reptilia & volatilia ex aquis producta sunt, & hoc ad donum scientiæ specialiter respicit. Per aquas enim scientiam significari, notum est, ut supra docuimus. Aquæ igitur reptilia & volatilia producunt, quia & ex scientia quidam inflati nimis, ut reptilia remanent: quidam vero humiliati, ad cælestia velut aves, evolantes exaltantur. Veræ autem exaltationis caussa, humilitas est, Domino attestante: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur, & e converso*. Nam ex scientia nonnullos humilitatem concipere, & quotidiana experientia, & jam prolata illa Salomonis docet sententia: *Qui apponit scientiam, apponit dolorem*. Videas nunc cete grandia in aquis maris mugitu abundantia, numquam sese in libero aere suspendentia, nullam cantilenæ suavitatem aliquando edentia. Videas itidem volatilia ipsa, sui parvitate, facile per alta cælorum volitantia, puritate ætheris, solis luce & calore sese oblectantia, lau-

SÆCUL. XII. CIRCA AN. CIR. 1162.

dem Creatoris sui dulci modulatione garrientia. Il- A lis compara magnos illos Magistros, fama ipsa doctrinæ suæ metuendos, in illa frigida doctrina sua jugiter commorantes, amorem cælestium, spiritualem jocunditatem ignorantes, a conditoris sui laude obmutescentes: istis vero humiles Christi merito humilitatis ipsius & beneficio Domini sui, intenta mentis pace sæpe fruentes, a vero sole Jesu nunc spiritualis scientiæ lumen, nunc dulcis amoris ardorem concupiscentes, Creatori suo laudes medulitus jubilantes.

CAPUT XVI.

Comparatio diei sextæ cum spiritu pietatis.

SExto die creatæ sunt bestiæ, jumenta, & reptilia, vel secundum aliam translationem, serpentia: creatus est & homo ad imaginem & similitudinem Dei. Hæc ad spiritum pietatis, convenienter referri possunt. Nam secundum interiorem hominem, hæc creatio ad affectus referenda est. Bestiæ itaque secundum divinas Scripturas, animalia sunt silvestria, a jugo hominis libera, voluptatibus suis passim ad libitum abutentia. Unde & de Domino in deserto jejunante, scriptum est, *Quia erat cum bestiis*. In Psalmis quoque, *Posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*. Porro serpentia nocendi avida sunt, jumenta vero hominum infirmitatem, & ipsos & ipsorum onera portando, juvant: unde & jumenta dicta sunt. Per bestias ergo illa hominis infirmitas, quæ ad voluptatum carnis abusionem concupiscibiliter rapitur, per serpentia illa quæ aliis malitiose nocere stimulant, figurate exprimitur. Proinde quia homo infirmus est, oportet portetur, necesse est juvetur. Quare per jumenta, domita scilicet animalia & onerifica, ille humanus, ille pius affectus designatur: quia homo homini succurrit, servit, opitulatur. *Debemus*, inquit Apostolus, *nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere*. Est quidem naturale homini, benigne erga hominem, maxime erga cognatos affici: sed ad impendenda cuilibet proximo caritatis debita, nisi spiritu pietatis afflatus, nisi spe æternorum animatus, nullus homo sufficit. Spiritu ergo pietatis opus est, ut nos nobis alterutrum exhibeamus jumenta, fraternæ infirmitatis portando onera. Hinc est quod Samaritanus ille, super quem spiritus pietatis principaliter requievit, semivivum vulneratum in jumentum suum posuisse legitur. Nam & hoc quod homo ad similitudinem Dei factus dicitur, ab hoc sensu non abhorret: *Deus enim caritas est*. Qui cum similitudinem de Samaritano & vulnerato proposuisset, *Vade*, ait, *fac similiter*. Item cum discipulis pedes lavisset, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Paullus quoque Apostolus instituere nos volens, qualiter de nobis, ipsis fratribus nostris jumenta faciamus: *Alter*, inquit, *alterius onera portate*. Et de Domino propheta, *Languores nostros ipse tulit, & dolores ipse portavit*: & Joannes, *Debemus*, inquit, *pro invicem animas ponere*. Sed præmiserat, *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit*. In eo igitur ad imaginem Dei formamur, quod fraternam infirmitatem per spiritum pietatis portamus.

CAPUT XVII.

Comparatio diei septimæ, cum spiritu timoris Domini.

SEptimo die requievit Deus ab operibus suis. Hujus diei mysterium ipse per Prophetam exponit dicens *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea?* Perfectis ergo in sex diebus operibus suis, in septimo die Deus requievit: quia qui in bonis operibus perfectus, in timore Dei humiliter persistit, in eo Spiritus sanctus requiescit, eumque vicissim in se requiescere facit. Non quod aliquod opus bonum, sine ejus opere perfici possit: sed aliud est cum pugnanti adjutorium impendit, aliud cum victorem epulo reficit. *Introibo*, inquit, *ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Sed & quod sanctificasse & benedixisse diem septimum legitur, a septimo dono alienum esse non invenitur: *Dominus*, ait Psalmista, *memor fuit nostri, & benedixit nobis*: & post pauca, *Benedixit*, inquit, *omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus*.

CLAUSULA LIBELLI.

EN habes dilectissime, de septem magnis Spiritus sancti donis unum parvum libellum: de eo quem super omnia diligis, conscriptum ab eo, quem inter omnia pie diligis. Si non placet, quia non meretur, id quod offertur: placeat vel devotio offerentis. Si quid in dubium venit, eorum quæ dixi: non quid temere affirmem, sed quid mihi visum sit, simpliciter posuisse me crede. Nam & in Sanctorum Patrum expositionibus, & reor & arbitror & puto, non semel invenitur: & si hoc illi qui tanti fuerunt, quanto magis ego fumus? Nonnulla tamen magis claruissent, si non longitudinem onerosam cavissem. Nam & cum de scientia agerem, venit in animum quærere, quid sit quod Apostolus dicit, *Scientia destruetur*: cum constet ipso affirmante, quod in futuro perfectum veniat, consummata scilicet scientia perveniat. Sed propter memoratam caussam supersedi. Rescribat quæso dilectio tua, utrumne gratus sit tibi labor meus, verumtamen satis præsumo grata tibi fore, quæ ad teipsum scripsi: quandoquidem & ea libenter respicis, quæ aliis elaboravi. Mihi autem recolenti satis placuit, quod ab uno eodemque præcipuo septem donorum, pietatis scilicet spiritu, Opusculum ipsum tunc quidem inde, non cogitans inchoavi. Rogo itaque te, rogo prædulcis & pie amice, quatenus ipsum de quo scripsimus Spiritum, pio affectu digneris exorare pro me: quo ipsis bonis donis suis internam meam ariditatem irrigare dignetur ac fecundare, non tantum ad scribendum de se, quantum ad fruendum se. Et multiplicata sunt enim, & quotidie multiplicantur mala in terra: ac per hoc ejus solatio destitui, summa infelicitas est. Ipse igitur regat, ipse consoletur, ipse sustineat, ipse perducat. Sed finiatur tandem, finiatur illa dulcis cum dilecto collocutio, numquam autem finiatur ipsius dilectionis dulcedo. Amen.

EXPLICIT.

INCIPIT TRACTATUS SIVE DIALOGUS MAGISTRI GUALTHERI TORNACENSIS ET BALDUINI VALENTIANENSIS, CONTRA JUDÆOS.

PROLOGUS.

CUM triplicem primæ perditionis caussam fuisse constiterit, avaritiam scilicet, κενοδοξίαν[1] & gulam: ab his tribus tota posterorum series, utpote corrupto semine, peccandi sumsit exordium. Ita ut ab eis tamquam efficientibus caussis, totius humanæ fragilitatis occasio, velut originaliter propaganda prodierit: ac more limphæ semper ad declivia tendentis, permisso ei liberæ arbitrii fræno, ad hoc nostræ captivitatis calamitas devenit, ut homo ad cujus imaginem factus sit, non recordans, idolorum culturæ se subderet, & quod factum fuerat, & non eum qui fecerat, adoraret. Quocirca Divum arbiter proborum merita ponderans, atque reproborum culpas examinans; inundante aquarum diluvio, quod perdendum erat, perdidit: servatoque boni chirurgi tenore, mortuam carnem, ne pars sincera traheretur, recidit, & quod vivum erat reservavit. Labente autem multo temporum curriculo, quamplurimi pristinæ iniquitatis adipem sapientes, inveterata jam malitia apostasiæ periculum incurrerunt: pauci vero in cultu unius Dei permanserunt. Ex quibus patriarchæ & patriarcharum filii, radix sancta, populus electus prodierunt, quibus data est lex ad tempus: donec veniret sanctus sanctorum, qui utraque unum faciens, & protoplasmatis delictum absolveret, & regni cælestis introitum credentibus aperiret. Cujus misericordiæ particeps ecclesia, sponsum ad generales nuptias venturum exspectat: synagoga vero adhuc velamen ante oculos habens, ut Britones arcturum, primum ipsius præstolatur adventum. Unde procacem Judæorum duritiam, & pervicacem eorum obstinationem vehementer admiror, qui nescio quo Dei occulto judicio, in veteri sua perfidia adeo pertinaces sunt, ut si quis infidelitatem ab eis quadam quasi furca repelleret, iram tamen usque incurreret: ac si eorum inseparabile accidens infidelitas alibi sedem non inveniret. O igitur mira dispensatio conditoris! O districta ultio judicis, qui sic tabernaculum repulit, sic Israel primogenitum suum exclusit: qui sic quos ædificaverat destruxit, sic quos plantaverat evellit! Qui nimirum novæ gratiæ veritati non solum non adquiescunt, verumetiam quasi planetæ retrogradi, firmamento fidei nostræ obviare conantur, & Christicolis objecta ex Pentateucho auctoritate controversantur.

Super quo eorum imperitiæ consulentes, Ego *Gualtherus* Tornacensis diœceseos oppido quod Insula dicitur oriundus, & *Balduinus* Valentianensis, ecclesiæ Branensis canonicus libellum in Judæos sub dialogo scripsimus, in quo scilicet ex prophetarum libris, compilatis quibusdam floribus, diversa defensionum genera texuimus, quibus linguam falsiloquam refrenamus. Cum enim nihil aliud fere prophetarum oracula, quam adventum Christi, passionem, A resurrectionem categorizent: quia tamen aliqui minus liquide, & ænigmatice quodammodo loquuntur: ex eis quædam apertissima vaticinia collegimus, quibus etsi velit illa subjugalis asina, contraire non possit.

Bald. Sed priusquam litteræ vacemus, ea in quibus a nobis dissonat, per capitula distinguamus. *Gualt.* Placet quod dicis, & illud quidem prius ponendum censeo, quod ipsi Messiam nondum venisse; & cum venerit, non de virgine, sed de corrupta nasciturum asseverant. *B.* Ita est inquam, ipsum quoque non Deum, sed purum hominem fore confirmant, nec passurum nec resurrecturum astruunt. B Præterea memini me cum quodam eorum, quem pro se constituerant adversum me responsalem & advocatum, nudius tertius disceptasse: & ad hoc eum coegisse ut duos fore Messias, unum jam venisse, alterum venturum esse fateretur. *G.* Papæ! Quod novum irrisionis genus? Simile est hoc ei quod asseritur, peccatum scilicet transgressoris Adæ posteris suis nihil mali intulisse, præter moriendi occasionem: & quod nulli ob hunc reatum ad inferos descenderint, præcipue de Judaismo, ibi damnandi. *B.* Hoc & adjunge prædictis, quod se solos populum Dei gloriantur esse, vocationem gentium excludentes. *G.* Immo & reprobationem eorum, & si qua meæ suggesseris parvitati, stili officio designabo. C *B.* Et ego in quibusdam personam Judæorum gerens, quæ opponi posse video, objiciam. *G.* Sapienter inquam locutus es, sed nunc quod instat agamus, & prius Isaiæ revolvamus oracula, qui ceteris evidentius Christi prædicavit adventum.

Incipit Dialogi Libellus primus.

I. ISaias in exordio libri sui & Judæorum obcæcationem, & gentium illuminationem patenter insinuat, ait enim: [a] *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Sed quia hoc tam D de gentibus quam de Judæis intelligi potest, audi quod sequitur: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autem non me cognovit, & populus meus non intellexit.* *B.* In his quæ objicere possunt, non video; procede ergo. *G.* Holocausta quoque eorum quia non placita sunt Deo, ipse ostendit, ubi dicitur: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum.* Et quibusdam interpositis quæ ad ritum sacrificiorum pertinent, subjungit: *Ne afferatis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, neomeniam & sabbatum & alias festivitates non feram. Iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt*

1. Κενοδοξία, vana gloria.

a Isaj. I. 2. seqq.

SAECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1164.



mihi molesta, laboravi sustinens. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. B. In his omnibus ut video nihil aliud, quam eorum repulsa intelligi potest. G. Et paullo post, reprobationem eorum evidenter insinuat, ubi ait: [a] *Projecisti Domine populum tuum, domum Jacob.* Et post pauca ad conversionem gentium se transfert dicens: *Elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur.* B. Quomodo per hæc Messiam venisse arguas non video, cum nos quoque & crucifixos & imagines sanctorum quæ ipsi idola dicunt, habeamus. G. Nullus, Balduine, jam superest locus hujusmodi oppositioni, si sequentia B diligenter intendas. Ait enim idem de eodem: *In die illa projiciet homo idola argenti sui & simulacra auri sui quæ fecerat, ut adoraret talpas & vespertiliones.* Non enim in toto orbe terrarum gens est adeo expers rationis, quæ se non incurvet sub jugo unius creatoris: nulla est quæ idola deos esse confirmet, nulla est quæ talpas & vespertiliones adoret. B. Ita est inquam. G. Quid igitur habent, ut præ aliis de unius Dei cultura glorientur? Immo habent, ut infelices dicantur. Scripsit enim Isaias in persona Domini loquentis: *Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.*

II. B. Quæso te, si in tota veteris instrumenti C pagina reperis, quod eos ut in Deitate Trinitatem recipiant arguere possit, edisseras. G. Multa equidem, sed prius de ceteris utpote de facilibus expediti, in fine hujus operis, quasi de terrenis ad cælestia gradientes, de Trinitate Unitatis prolixius differemus: nunc autem propositum exsequamur. Sequitur: [b] *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videant oculis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & convertantur & sanem eos.* Aggravatum est quippe cor eorum, & oculi cordis clausi, cum Christum nondum venisse, & quod de corrupta nasciturus sit, mentiuntur, Isaia dicente: [c] *Ecce Virgo concipiet in utero & pariet filium, & vocabitur* D *nomen ejus Emmanuel.* Aliter se habere in Hebræo dicunt. Ubi enim nos *Virgo* legimus, ibi dicunt se habere hanc dictionem *Alma*, cui æquipollet latine puella: ut *Alma* significet in sexu ætatem, non pudoris integritatem. Prædictum itaque sic versiculum legunt, *Hinnèabalmà haarà vatielezebeir* [1]: acsi latine diceretur, *Ecce puella concipiet.* O mira miserorum versutia! Cum bona quæ habent, non solum non credunt; sed ne credant, legendo pervertunt. Quam perversionem ex facili potes advertere, si præcedentia velis intelligere. Ait enim, [d] *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Et post pusillum: *Et pro-* E *pter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium.* O legis prævaricatores! O duræ cervicis rebelles! O increduli! Quod signum vobis ostendit, si puella concipit? Quod prodigium demonstraret, si adolescentula parturiret, quod fieri quotidie videmus? Vere repulsa es Judæa prævaricatrix, a Domino. Sequitur enim: *Exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob.* Ab eo enim quem Deus non diligit, faciem suam abscondit. Quid autem de gentium illuminatione & Christi nativitate ac Divinitate senserit, audivimus. Ait, [e] *Gentium populus qui ambulabat*

A *in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Unde hoc contingat tamquam exponens, subjungit: *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Quid tibi videtur Balduine? eritne Deus Messias cum venerit? B. Immo & Deus est, & jam venit, & eum secundo venturum exspectamus.

III. G. Ita est inquam, & qui hoc non credunt, merito dispergentur. Unde sequitur, *Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam.* Qui vero Christum plenum Spiritu sancto fuisse negant, audiant quid sequitur. [f] *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini &c.* Itemque: *In die illa erit radix Jesse. Qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.* Cujus enim sepulcrum adeo famosum, cujus pyramis adeo gloriosa, ut nostri redemtoris sepultura? B. Nullius inquam. G. Sequitur: [g] *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti, ad montem filiæ Sion.* B. Quis est hic agnus, qui de petra deserti promittitur emittendus? G. Quis alius agni nomine censetur, quam agnus noster immaculatus, qui pro nobis mortem subiit, qui in Ægyptum a matre delatus, ad montem filiæ Sion crucifigendus ascendit? De quo & subditur: [h] *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israel respicient: & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus.* Iterum: [i] *Ecce Dominus ascendet super nubem levem & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.* Iterum ait: [k] *Ecce ego mittam in fundamentum Sion lapidem: lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet.* Et post pauca: [l] *Et delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit:* & subjicit, *Ut faciat opus alienum, opus ejus.*

IV. B. Hæc omnia aliquantulum obscure sonant, & tamen ut reor objicienda sunt eis. G. Vera inquam reris. Sed audi quod sequitur: [m] *In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion, salvator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens justa custodiens veritatem, & vetus error abiit.* B. Ecce nunc palam loquitur. G. Attende sequentia. Ait, [n] *Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Hæc enim jam facta & quotidie fieri videmus. Cum enim Ecclesia de gentibus, veritatem Evangelii oculo cordis intuita, apostolicæ prædicationi auditum credendo præbuerit: quæ prius cæca erat, quid aliud quam visum auditumque recepit? Quamvis prædicta quoque ad miracula salvatoris referri possint: veniens enim in carne redemtor noster, surdis auditum & cæcis visum reddidit, & quod majus est, mortuos suscitavit. B. Nihil verius.

V. G. Nunc errorem eorum quo dicitur, transgressionem protoplasmatis nulli pœnam intulisse infernalem, persequentes refellamus. Esaias enim ait: [o] *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* B. Heu miseri, quam bonum nobis

[a] Isaj. II. 6. seqq. [b] Isaj. VI. 10. [c] Isaj. VII. 14. [d] Ibid. ℣℣. 11. 14. [e] Isaj. IX. 2. seqq. [f] Isaj. XI. 1. 16. [g] Isaj. XVI. 1. [h] Isaj. XVII. 7. [i] Isaj. XIX. 1. [k] Isaj. XXVIII. 16. [l] Ibid. ℣℣. 18. 21. [m] Isaj. XXVI. 1. [n] Isaj. XXXV. 45. [o] Isaj. XXXVIII. 10.

1. *Vejoladth Ben.*

eſſet, ſi veſtræ opinioni veritas aſſentiret, ſi nemo noſtrum ad inferos declinaret! G. Sequitur, [a] *Dedi ſpiritum meum ſuper eum. Judicium gentibus proferet: non clamabit neque accipiet perſonam, neque audietur foris vox ejus.* Et poſt pauca: *In veritate educet judicium. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: & legem ejus inſulæ exſpectabunt.* Et iterum: *Servavi te & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentem in tenebris. B.* Hæc omnia fere ſuperius expoſita ſunt. G. Procedamus ergo. *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoque ego adjicio, antequam oriantur audita vobis faciam. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Et poſt puſillum: *Ducam cæcos in viam quam neſcierunt: in ſemitas quas ignoraverunt, ambulare eos faciam.* Et exponens ſubdit: *Quis cæcus, niſi ſervus meus: & ſurdus, niſi ad quem nuntios miſi?* Rurſuſque poſt pauca: [b] *Ecce ego faciam nova.* Et quæ nova facturus ſit, quibuſdam interpoſitis exponendo ſubjunxit: [c] *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra & germinet ſalvatorem.* Tunc enim terra noſtra germinavit, tunc fructum ſuum dedit, cum caro factum Verbum Patris, uterum virginis obumbratione ſancti Spiritus impregnavit. Verum quid de eo amplius dicat audiamus: [d] *Iſte aſperget gentes multas. Super ipſum continebunt reges os ſuum, quia quibus non eſt annuntiatum, de eo videbunt.* Et quibuſdam interpoſitis, de paſſione ſalvatoris evidenter adjungit: [e] *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, & unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Multos enim legimus prophetas ſubiiſſe martyrium, multos fuiſſe reges in Iſrael interfectos; nulli tamen eorum attribui poteſt, quod dolores noſtros portaverit, & quod propter ſcelera noſtra attritus fuerit, niſi ſoli regi regum Deo & homini, de quo ſubditur: *De anguſtia & judicio ſublatus eſt, generationem ejus quis enarrabit?* Ac ſi diceret: *Nemo.* Iterum: *Juſtificabit ipſe juſtus ſervos meos multos, & iniquitates eorum ipſe portabit: ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradiderit in morte animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt. Et ipſe peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus oravit, ut non perirent. B.* Hæc omnia adeo plana mihi videntur, quod expoſitione non indigent. G. Quid planius eo quod ait: [f] *Locum pedum meorum glorificabo?* Iterum: *Et ſuges lac gentium, & mamillas regum lactabis.* Et iterum de paſſione Chriſti: [g] *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitutis ſuæ.* At ille quaſi interrogatus reſpondet: *Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum.* Et ſubjicitur quaſi vox interrogantis: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Et ſubjicit cauſſam:

A *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea. Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.* Et quid ſuper hoc facturus ſit, oſtendit dicens: *Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.* Item de vocatione gentium: [h] *Quæſierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæſierunt me.* Rurſumque: *Ad gentem quæ non invocavit nomen meum, expandi manus meas tota die, ad populum incredulum.* Item de eadem: [i] *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſalvati fuerint ad gentes in mari, in Africa, in Lydia tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad* B *inſulas longe, ad eos qui non audierunt de me & non videtur gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres noſtros de cunctis gentibus Domino.* Hæc de Iſaia pro poſſe noſtro ſummatim expreſſimus, nunc ad Jeremiam ſtili veſtigum convertamus.

VI. Jeremias qui antequam formaretur in utero ac de vulva exiret, ſanctificatus eſt; Paſſionem Domini ſalvatoris, vocationem quoque gentium, & reprobationem Judaiſmi evidenter inſinuat. Ait enim: „ [k] Tu ergo noli orare pro populo hoc, „ non aſſumas pro eis laudem & orationem, & C „ non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. *Et* „ *alibi*, [l] Milvus in cælo cognovit tempus ſuum; „ turtur & irundo & ciconia cuſtodierunt tempus „ adventus ſui: populus autem non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis ſapientes nos „ ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? Vere mendacium operatus eſt ſtilus mendax ſcribarum. *Et poſt pauca*: [m] „ Derelinquam populum meum, „ & recedam ab eis. „ *B.* Hæc omnia nuda ſunt, & quod his objici poſſit, non habeo. *G.* Sed quid apertius eo quod ſubjungitur? „ Ecce ego *inquit* „ cibabo populum iſtum abſinthio, & potum dabo eis aquam fellis, & diſpergam eos in genti- D „ bus, quas non noverunt ipſi & patres eorum: & „ mittam poſt eos gladium, donec conſumantur, „ dicit Dominus exercituum. *Et amplius*: [n] Inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt; & clamabunt ad me, & non exaudiam. „ *Iterum idem de eodem*, Tu ergo noli orare pro „ populo hoc, & ne aſſumas pro eo laudem & „ orationem, quia non exaudiam in tempore afflictionis eorum. „ *B.* Suntne aliqua in his omnibus, quæ expoſitore indigeant? *G.* Nequaquam.

VII. *B.* Verum ad id quod de ortu novæ gratiæ dixerit, feſtinemus. *G.* Nihil hoc ipſo carius amplector. *Ait ergo*: „ [o] Ecce dies veniunt dicit E „ Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum. Non ſecundum pactum quod „ pepigi cum patribus veſtris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra „ Ægypti; pactum quod irritum fecerunt: ſed ego „ dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc „ erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael, „ poſt dies illos dicit Dominus. Dabo legem in „ viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam „ eam; & ego ero eis in Deum, & ipſi erunt „ mihi in populum. Et non docebit ultra vir „ proximum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me „ a minimo uſque ad maximum, dicit Dominus.

[a] Iſaj. XLII. 1. ſeqq. [b] Iſaj. XLIII. 19. [c] Iſaj. XLV. 8. [d] Iſaj. LII. 15. [e] Iſaj. LIII. 4. ſeqq. [f] Iſaj. LX. 13. 16. [g] Iſaj. LXIII. 1. ſeqq. [h] Iſai LXV. 1. ſeqq. [i] Iſaj. LXVI. 19. ſeqq. [k] Jer. VII. 16. [l] Jer. VIII. 7. 8. [m] Jer. IX. 2. [n] Jer. XI. 11. [o] Jer. XXXI. 31. ſeqq.

Et alibi : [a] „ Ecce dies veniunt dicit Dominus, „ & suscitabo verbum bonum quod locutus sum ad „ domum Juda. In diebus illis & in tempore il- „ lo germinare faciam David germen justitiæ, & „ faciet judicium & justitiam in terra, & hoc „ est nomen quod vocabunt eum; Dominus justus „ noster. Non interibit de David vir qui sedeat „ super thronum domus Israel, & de Sacerdoti- „ bus & de Levitis non interibit vir a facie „ mea, qui offerat holocaustomata & incendat „ sacrificium, & cædat victimas cunctis diebus. *Item de eodem :* „ Si irritum fieri potest pactum „ meum cum nocte, ut non sit dies & nox in „ tempore suo; & pactum meum irritum esse po- „ terit cum David servo meo, ut non sit ex eo „ filius qui regnet in throno ejus, & ministri sa- „ cerdotes mei. „ *B.* Per hæc & similia probari posse videtur, aut de nobis hoc dictum fuisse : aut ipsos quod falsum est, etiam nunc & regem, & Levitas & sacerdotes offerentes holocausta & cædentes victimas, habere. *G.* Ita est inquam: aliter enim Propheta mentitus fuisse videretur. Non inquam, immo ipsi mendaces sunt & pseudodeicolæ de quibus sequitur: [b] *Ecce ego juravi in nomine meo magno dicit Dominus, quia nequaquam ultra nomen meum vocabitur ex ore omnis Judæi.* Et post pauca, [c] *Ecce quos ædificavi destruo, & quos plantavi ego evello.* Rursusque, [d] *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos.* Et post pusillum, *Omnes qui invenerunt, comederunt eos ; & hostes eorum dixerunt, Non peccavimus : pro eo quod peccaverunt Domino, decori justitiæ & exspectationi patrum eorum Domino.*

VIII. Quid autem in threnis Jeremias de passione salvatoris, reprobatione quoque synagogæ patenter innuerit, si placet eloquamur. *B.* Ita tamen, ut ea quæ ex eis compilaverimus, oculo intelligentiæ subjecta clarescant. *G.* Immo & quædam figurate dicta scribere necessarium arbitror, ut unde grana fideles, inde sibi paleam tollant infideles. Quid est enim aliud sub persona destructæ Jerusalem passionem Christi attendere, quam sub palea granum invenire? Ait ergo, [e] *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus!* Item, *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.* Et de abjectione Judæorum : [f] *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Rursus in persona Domini, [g] *Factus sum in derisum populo meo.* Item de Synagoga, *Periit finis meus & spes mea a Domino.* Ait etiam, *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Sequiturque aperta eorum reprobatio, ubi dicitur : [h] *Denigrata est super carbones facies eorum.* Et post pauca, *Non addet ultra ut inhabitet in eis : facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos.* Hoc siquidem satis nude dictum est, sed multo liquidius est quod subjungitur : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* De quo etiam Baruch Jeremiæ notarius tamquam hunc magistri sui versiculum exponens ait : [i] *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad illum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ & dedit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hoc visus est in terris, & cum hominibus conversatus est.*

IX. Hæc de Jeremia pro modulo nostro diximus. Nunc ad Ezechielem calamum vertamus, pauca tamen in Ezechiele quæ ænigmatibus involuta non sunt, invenimus : quæ ideo prætermisimus, quia per hæc ad litteram Judæos posse redargui desperamus. Verum quæ nude sonant, prosequamur. Ait, [k] *Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium, & faciam in te quæ non feci, & quibus similia ultra non faciam.* *B.* Quæratur igitur ab eis quæ sunt hæc, quibus similia ultra non faciet, vel fecit? *G.* Placet. Sequitur hoc quoque post pauca, [l] *Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum : & quærent de Propheta visionem, & lex peribit a sacerdote & consilium a senioribus.* Iterum, [m] *Et relinquam ex eis viros paucos a gladio & fame & pestilentia, ut narrent omnia scelera eorum in gentibus, ad quas ingredientur.* Et post pauca, abjectionem eorum, & gentium vocationem evidenter insinuat, ubi dicit : [n] *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile : & siccavi lignum viride, & frondere lignum aridum feci, dicit Dominus.* *B.* Quæso te, unde per hæc eos esse abjectos & gentes exaltatas affirmes, edissere? *G.* Quid per lignum sublime & humiliatum, viride prius & modo arefactum, nisi Synagogæ repulsam intelligis? Quæ enim prius sublimis & viridis fuit, nunc in infidelitate prostrata prorsus emarcuit : & gens quæ prius arida fuit, nunc in fide Christi exaltata virescit, de qua etiam subjungitur, [o] *Et ponam gloriam meam in gentibus.* Quæ autem in Ezechiele sequuntur, adeo obscura sunt, ut nec ipsi quidem ea ad litteram intelligant, nedum ad figuram. Hæc autem fidelibus mystice intellecta dulce sapiunt, & manna spirituale propinant. Unde a quodam sapiente cælesti nectare delibuta esse dictum est, palato fidei dulce sapit mel Dei.

X. *B.* Ita est inquam, sed nunc si placet Danielis oracula revolvamus. *G.* Placet, quis enim & adventum & passionem salvatoris eo liquidius expressit? Ait enim [p] *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & regnum : & omnes populi, tribus & linguæ servient ei, Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Et iterum, *Regnum autem & potestas & magnitudo regni, quod est subtus omne cælum dabitur populo sanctorum Altissimi : cujus regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei & obedient.* Et quibusdam interpositis addit ; [q] *Septuaginta inquit hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Per hæc, Balduine, aut de Messia non esse prædicta, aut ipsum cum venerit Deum fore, necessario Moysicolas recipere oportet. *B.* Quonam, inquam, modo? Cum enim Deum esse sanctum constet, si Messias Sanctus Sanctorum sit, aut ipse Deus erit, aut aliquem Deo sanctiorem esse constabit. *Gualt.* Verisimiliter ut ar-

a Jer xxxiii. 14. 19 *b* Jer. xliv. 26. *c* Jer. xlv. 4. *d* Jer. L. 6. seqq. *e* Thren. I. 12.
f Thren. II. 7. *g* Thren. III. 14. seqq. *h* Thren. iv. 8. seqq. *i* Baruch. III. 36. 37. 38.
k Ezech. V. 8. *l* Ezech. vii. 26. *m* Ezech. xii. 16. *n* Ezech. xvii. 24. *o* Ezech. xxxix. 21.
p Dan. vii. 13. seqq. *q* Dan. ix. 24. seqq.

bitror argumentaris, attende quod sequitur: *Et post hebdomades septuaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Sequentia vero si quis perscrutatur interius, cælestis plena saporis inveniet. Sed quia sanctum dare canibus non debemus, hucusque Danielem legisse sufficiat, & ad retractanda libri duodecim Prophetarum vaticinia, præparemur.

XI. Et quia primus Osee legendus occurrit, quid de reprobatione Judæorum ac spoliatione inferni dixerit, audiamus. [a] *Quia*, inquit, *oblita es legem Dei tui, oblivifcar filiorum tuorum & ego, secundum multitudinem eorum, sicut peccaverunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent.* Et alibi, [b] *Venite revertamur ad Dominum, quia ipse cœpit & salvabit nos; percutiet & curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Et post pusillum, de passione salvatoris evidentiora subjungit: [c] *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero, Inferne.* Momordit enim infernum, cum eorum quos tenebat partem ab eo extorsit, partem reliquit.

XII. Joel etiam ait, [d] *Ululate ministri altaris, ingredimini; cubate in sacco ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.* Iterum, [e] *Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Item, [f] *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam, ac movebuntur cæli ac terra, ac fons de domo Domini egredietur, ac irrigabit torrentem spinarum.*

XIII. Amos quoque pastor ovium, verum pastorem moriturum prævidit, de quo ipse ait: [g] *Super tribus sceleribus Israel, ac super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendidit argento justum, ac pauperem pro calceamentis.* Rursus de adventu Domini, [h] *Postquam hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui.* Sequitur de abjectione Synagogæ: [i] *Cecidit, non adjiciet ut resurgat virgo Israel. Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis?* Quod tam de secundo adventu, quam de primo intelligi potest. Væ enim Synagogæ in primo adventu, quia quem desideraverat, non cognovit: unde Væ illi secundo erit, de quo & subditur: *Odi ac projeci festivitates vestras, ac non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Et post pauca: [k] *Venit finis super populum meum Israel. Ac erit iniquitas in die illa dicit Dominus. Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die lus luminis, & convertam festivitates vestras in luctum, & canticum vestrum in planctum.* Ubi enim sol justitiæ mortem subiit, sol materialis lucis suæ radios suos abscondit. Hæc Amos de Christo præcurrit.

XIV. Abdias quoque vocationem Gentium evidenter aperuit. [l] *Quomodo* (inquit Dominus) *bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter, & in monte Sion erit salvatio, & erit sanctus.* B. Quomodo ista in ordine prosequimur, sic ordine singula exponere deberemus. G. Longum esset ac difficile, si cuncta vellemus ad plenum enucleare. Prolixitas enim operis plerumque fa-

A stidium generat auribus audientis. Unde quid mystice sentiat vox prophetantis, relinquendum est diligentiæ lectoris. De *Jona* autem ideo prætermisimus, quia nihil ad litteram sonat, quod Judæis opponamus.

XV. Michæas vero ait: [m] *Ecce egredietur Dominus de loco sancto suo, & descendet & calcabit super excelsa terræ.* Item, [n] *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, abscondet faciem suam ab eis.* Item, [o] *In novissimo dierum erit mons præparatus domus Domini in vertice montium, & sublimis super omnes colles, & fluent ad eum populi,*
B *& properabunt gentes multæ & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quæ lex est ista, quam exituram Propheta prædixit, nisi illa gratiæ præcepta quæ discipulis in monte residens aperuit? Sequitur, [p] *In virga percutient maxillam Judicis Israel; & tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Quid ad hoc, carissime, Judæos respondere posse putas? Numquid de suo Messia dicta fore arbitrantur? B. Nequaquam possunt, cum
C enim purum hominem ipsum esse fateantur, quomodo egressus ejus ab initio, & a diebus æternitatis? G. Optime, inquam, respondisti. Sequitur, *In die illa longe fiet lex.*

XVI. Nahum quoque dixit, [q] *Ecce super montes pedes evangelizantis ac annuntiantis pacem.*

XVII. Habacuc vero luctator fortissimus [r] *Aspicite* inquit *in gentibus, & videte & admiramini & obstupescite, quia opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet, cum enarrabitur.* Item de adventu Salvatoris, [s] *Apparebit in finem & non mentietur; si moram fecerit, exspecta eum, quia ve-*
D *niens veniet, & non tardabit.* De quo etiam accipi potest quod sequitur, *Spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ, & civitatis & omnium habitantium in ea.* Illud autem quod sequitur, cum maxima devotione fidelibus amplexandum est, pro eo quod redemtionis nostræ mysteria declarat, ait enim: [t] *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors.* Hactenus verba Habacuc.

XVIII. Sophonias quoque ait, [u] *Adorabunt omnes viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Rursus de
E reprobatione Judæorum, [x] *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem:* & alibi, *Quapropter exspecta me dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum est, ut congregem gentes & colligam regna.*

XIX. De quo etiam Aggæus ait, [y] *Adhuc unum modicum, & ego movebo cælum & terram, & mare & aridam, & veniet desideratus cunctis gentibus, & replebo domum istam gloria. Mecum est argentum ac mecum est aurum, dicit Dominus exercituum. Major erit gloria domus istius novissimæ, quam primæ.*

a Osee IV. 7. b Osee VI. 2. c Osee XIII. 14. d Joel. I. 13. e Joel. II. 10. f Joel. III. 16. 18.
g Amos II. 6. h Amos IV. 12. i Amos V. 2. 18. 21. k Amos VIII. 9. l Abdias ℣. 16. m Michæas I. 3.
n Mich. III. 4. o Mich IV. 1. p Mich. V. 1. q Nahum. I. 15. r Habacuc I. 5. s Habac. II. 3. 8.
t Habac. III. 4. u Sophon. II. 11. x Sophon. III. 4. 8. y Agg. II. 8.

SÆCUL XII. CIRCA ANN. CHR. 1164.



XX. Zacharias quoque, [a] *Lauda* inquit *& lætare filia Sion, quia ecce ego venio ac habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.* Item idem super eodem, [b] *Et venient populi multi & gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, & prædicandam faciem Domini.* Et post pauca Christum in carne venientem intuitus ait, [c] *Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem; ecce rex tuus venit tibi justus & salvator, ipse pauper & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Et statim subinfert, *Loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad terminos terræ.* Et conversus ad eum dicit, *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* In quo nimirum propheta fideles innuit quos de lacu inferorum in sanguine suo Christus eduxit. Sequitur, *Et Deus noster super eos videbitur, & exibit ut fulgur, jaculum ejus.* Et post hæc venditum a discipulo Salvatorem figurat dicens: [d] *Et tuli* inquit *virgam meam, quæ vocatur Decus, & abscidi eam ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis: & irritum deductum est in die illa, & cognoverunt sic pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam, xxx. argenteos. Et dixit Dominus ad me, projice illud ad statuarium, de quorum pretio appreciatus sum ab eis. Et tuli xxx. argenteos, & projeci in templo ad statuarium.* Item de passione & Spiritus sancti adventu, [e] *Effundam super domum David & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt. Et plangent cum planctu, quasi super unigenitum.* Iterum ad idem confirmandum, [f] *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus sum in medio eorum qui diligebant me.* Sequitur, *Percutite pastorem, & dispergentur oves, & convertam manum meam ad parvulos.* Et alibi, [g] *Egredietur Dominus & præliabitur contra illas gentes, & stabunt pedes ejus in die illa super montes olivarum.* Vocationem quoque gentium manifeste subjungit; *Et omnes,* inquit, *qui reliqui fuerint de universis gentibus quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Dominum exercituum.* Addit & quiddam quod jam completum esse cognovimus, ait enim: *In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino.* Intelligis ne quid dicat? *B.* Intelligo. Legitur enim, Constantinum Helenæ filium clavos, quibus Dominus cruci affixus fuerat, in superiori parte freni, illa scilicet quæ super caput est equi, consilio matris addidisse: ut sic Sancto Domini munitus, in belli discrimina pergeret ab hoste securus. *G.* Ita est inquam, nunc ad propositum redeamus.

XXI. Malachias & gentium fidem & Judaismi obcæcationem uno concludit versiculo, in persona Domini dicens, [h] *Non est voluntas mihi in vobis dicit Dominus exercituum, & munus de manu vestra non suscipiam. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus.* Et iterum subdit; *Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.* Item in persona Domini loquentis, [i] *Sacerdotes si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris.* Et quibusdam interpositis adjungit, *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, dicit Dominus. Irritum fecistis pactum meum, propter quod & ego dedi vos contemtibiles, & humiles in omnibus populis.* Ait etiam [k] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te, & statim veniet ad templum sanctum tuum dominator, quem vos quæritis: & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus.* Hæc autem omnia completa esse nemo fidelium ambigit, cum eo quod sequitur: *Et orietur,* inquit, [l] *vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.*

XXII. Hæc de libro XII. prophetarum sumta pauca expressimus, prout ea Judæis obviare posse cognovimus. Nunc autem paullisper pausationi operam demus, antequam Moysis pentateuchum replicemus. Igitur intervallo brevi recreationi vacantes, eum cui nihil impossibile est suppliciter imploremus: quatenus ei ita placere studeamus, ut ad ipsum qui via veritas & vita est, pervenire mereamur, Dominum nostrum Jesum Christum, cujus imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

GUALTHERI TORNACENSIS

E T

BALDUINI VALENTIANENSIS

DIALOGI CONTRA JUDÆOS

Libellus secundus.

I. AB heri & nudius tertius otio Balduine vacavimus, unde vereor ne vires ingenii quas invisibiliter nobis divina gratia propinat, torpor longæ quietis excutiat: intermissio enim laboris, plerumque caussa est hebetationis. Cum igitur argutos & subtiles viros obtundat otium, quid mirum si nobis quietis mollities obtundat ingenium? Amplius, assiduitas laboris, custos solet esse virtutis. Mentis enim humanæ labilitas plerumque temperatur, dum sollicitudine operis corpus afficitur. Contingit itaque ut unde visibilis homo noster atteritur, inde invisibilis homo quiescens virtutibus augmentetur. Revertamur igitur ad laborem stili, ut addatur gratia nostræ menti.

II. Et prius illud quidem Evangelicum libri Geneseos Judæis objiciendum censeo, quod de assertione Trinitatis scribit Moyses, cum de operibus sex dierum loqueretur, his verbis utens: [m] *Terra* inquit *erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Secundo quærendum est ab eis, quare secunda dies & ejus opera benedictione caruerint, cum in aliis dicat Moyses; *Et vidit Deus quod esset bonum,* in secunda vero, non? Tertio eis objice hanc quæstionem, cur Deus dixerit, *Faciamus hominem ad*

a Zachar. II. 10. *b* Zach. VIII. 22. *c* Zach. IX. 9. seqq. *d* Zach. XI. 10. *e* Zach. XII. 10
f Zach. XIII. 6. 7. *g* Zach. XIV. 3. seqq. *h* Malach. I. 10. 14. *i* Mal. II. 2. 8. *k* Mal. III. 1.
l Malach. IV. 2. *m* Gen. I. 2. seqq.

imaginem & similitudinem nostram? Verum de his omnibus quæ modo prælibando transcurrimus, in tractatu de Trinitate latius differemus: nunc autem sequentia breviter attingamus.

III. Attendite o Judæi, quid est quod post expulsionem protoplasti de paradiso Moyses designat, ubi ait: [a] *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, flammineum gladium atque versatilem, ad custodiendum viam ligni vitæ?* Quid tibi videtur? Nonne per transgressionem primi patris obstrusus fuit aditus paradisi? Sicut enim mortem transgressor in posteros propagavit, ita omnibus vitæ januam clausit. Unde necesse est ut vel adhuc limen paradisi fateantur obstructum, vel illud per passionem redemtoris nobiscum prædicent fuisse reseratum. *B.* Quia de redemtione nostra mentionem fecisti, unum mihi modo memoriæ occurrit, quod ipsi nobis frequenter objiciunt. Dicite inquiunt, o Christicolæ, ubinam invenistis, quod per mulierem vita debeat reparari, regnumque diaboli destrui? *G.* Id quidem manifeste reperies, si quæ præmissa sunt, diligenter attendas. Ait enim Dominus ad serpentem, [b] *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, & ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Quæ omnia si quis perscrutetur intentius, & per mulierem finem accepisse peccatum, & per eam callidi serpentis, id est, diaboli caput noverit esse contritum. Colligendum præterea ex consequentibus quiddam est, quod maxime Judæorum superbiam retundit, & concedentibus aliquod mysterium innuit. Abrahæ namque antequam circumcideretur, Dominum benedixisse ter legimus, sicut scriptum est: [c] *Egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui; faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Dixit etiam Deus ad Abraham postquam divisus est ab eo Loth: Leva oculos tuos & vide, a loco in quo nunc es ad aquilonem & meridiem, ad orientem & ad occidentem. Omnem terram quam conspicis dabo tibi & semini tuo in sempiternum, faciamque semen tuum sicut pulverem terræ. Si quis hominum poterit numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.* Et alibi: [d] *His transactis factus est sermo Domini ad Abraham, per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum & merces tua magna nimis. Dixitque Abram, Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ, iste Damascenus Eliezer. Mibi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus, heres meus erit. Statimque factus est sermo Domini ad eum dicens: Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem. Adduxitque eum foras & ait: suspice cælum & numera stellas si potes; & dixit ei, Sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.*

IV. Liquet igitur quia ante circumcisionem Dominus Abrahæ benedixit; & non solum Judæos quod ipsi autumnant, verum & Ecclesiam de gentibus in semine ejus qui est Christus benedicendam esse promisit. Si enim se dumtaxat sub hac benedictione comprehendi voluerint, quomodo sicut pulverem terræ semen Abrahæ, & sicut stellas cæli Deus innumerabile fecit? Numquam enim a die repromissionis usque ad tempora Judaicæ dispersionis, quæ sub Tito & Vespasiano facta esse describitur: tam numerosus Israel fuit, quin sub certo numero comprehendi potuerit, quod eorum quoque testimonio poteris approbare. Regnante enim David rege fortissimo, copiosissimus Israel fuit & plurimus, cujus tamen per Joab principem exercitus sui, certus ad regem relatus est numerus. Quia scriptum est: *Dixit David ad Joab principem exercitus sui; perambula omnes tribus Israel a Dan usque ad Bersabee, & numera populum ut sciam numerum ejus.* Et post pauca addit, *Et lustrata universa terra, affuerunt post novem menses & xx. dies in Jerusalem. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi, & inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium, & de Juda quingenta millia pugnatorum.* Non solum autem Abrahæ, sed & Isaac dictæ sunt repromissiones a Domino dicente, [e] *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, tibi enim & semini tuo dabo universas regiones has; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

V. Sed ne forte Ismaelitas nos aut Esau filios & non Israel esse, arbitrari debeant: placet & ipsa promissionis verba quæ ad Israel facta est, retractare. Quia cum vidisset Jacob scalam & angelos ascendentes & descendentes per eam, vidit Dominum dicentem sibi: [f] *Ego sum Dominus Abraham patris tui; terram in qua dormis tibi dabo et semini tuo post te, eritque germen tuum sicut pulvis terræ. Dilataberis ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo, cunctæ tribus terræ.* Dicant igitur infideles, an illa benedictio impleta sit & in quo, an adhuc restet implenda? Sed ut verum fateamur, & partim jam impleta est, & quotidie impletur, cum quotidie credentium numerus augeatur. Restat autem generalis implenda benedictio, quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet, ut sit Deus omnia in omnibus. Sed de istis hactenus.

VI. Nunc autem ad finem Geneseos transferamur, ubi juxta ordinem nativitatis unicuique filiorum benedicens Jacob, conversusque ad Judam prophetizat dicens: [g] *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam fili mi ascendisti: Requiescens accubuisti ut leo & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de fæmore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit exspectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulcriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Ex quibus necesse est ut vel ipsi sceptrum regni ducemque in Juda, quod minime possunt, ostendant: vel eum qui mittendus erat, ultronei venisse concedant. Ut quid igitur o Judæi observatione Sabbati gloriamini, quod a principio videtis infractum? Ait enim sic beatus Hieronymus in libro Hebraicarum quæstionum. Arctabimus inquit Judæos qui de otio sabbati gloriantur, quod jam tum in principio dissolutum sit Sabbatum: cum Deus operaretur in Sabbato, complens opera sua in eo, & benediceus ipsi diei, quia in ipso universa compleverit.

a Genes. V. 24. 15. b Gen. III. 1. c Gen. XIII. 14. seqq. d Gen. XV. 1. seqq. e Gen. XXVI. 2.
f Gen. XXVIII. 13. g Gen. XLIX. 8. seqq.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1164

VII. Exodus quoque qui Hebraice *Veellezemoth* dicitur, ad confringendam Synagogæ cornu multa Christicolis ministrat argumenta. Cum enim præcipue de legali mandatorum observatione glorientur, quærendum est ab eis an ista observent, quæ a Moyse dicente jubentur: [a] *Peregrino molestus non eris. Sex annis seminabis terram tuam & congregabis fruges ejus, anno autem septimo dimittes eam & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui.* B. Forsitan respondebunt se non habere agros aut hujusmodi, uti adimpleant quæ jubentur. *G.* Numquid non novisti quosdam, verbi gratia, Isaac & fratrem ejus: qui cum habeant agros aut vineas, tamen hujusmodi non observant? *B.* Novi *G.* Quærendum præterea quid portenderit illa Domini comminatio loquentis ad Moysen postquam adorassent vitulum aureum, & dicentis; [b] *Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te.* Sed quid est, dicite o Judæi, quod sequitur: *Loquebatur autem Dominus facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad proximum suum.* Et post pauca Moyses ad eum, *Si inveni*, inquit, *gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Si enim loquebatur facie ad faciem, quare petit *Ostende mihi faciem tuam?* Numquid dicetis, Loquebatur facie ad faciem Dominus, id est Angelus? Minime potestis, quia ibi scriptum est *Adonai* quod interpretatur, *Dominus Deus*. Quæ sunt etiam signa quæ se facturum Dominus pollicetur, loquens ad Moysem dicens: [c] *Ego inibo pactum, cunctis videntibus signa faciam, quæ nusquam visa sunt super terram?*


VIII. In Levitico autem qui hebraice *Vaicra* dicitur, omnia tam in mari quam in fluminibus quæ non habent pennulas & squammas, abominabilia & polluta esse monstrantur. Et de muliere menstruata scriptum est, [d] *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperam, & in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur. Qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. Omne vas super quod sederit illa quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua, & lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum.* Quæ omnia vel mystice intelligenda, vel se horum omnium esse transgressores, fateantur necesse est. [e] *Veste quoque quæ ex duobus texta est, non indueris.* Hactenus de Levitico.

IX. De libro autem Numeri, qui & *Vajedaber* hebraice; hoc primo ponimus quod supradictis concordat, in persona Domini loquentis de Moyse ad Aaron & Mariam sororem ejus: [f] *Ore* inquit, *ad os loquor ei & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*, Si ergo non per ænigmata & figuras, quomodo jam constat: *Non videbit me homo & vivet?* Ostendant & fimbrias per angulos palliorum, de quibus locutus est Dominus ad Moysem dicens: *Loquere filiis Israel & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacynthinas, quas cum induerint, recordabuntur omnium mandatorum Domini: nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Prophetia quoque Balaam non est digna prætermitti. Ait enim, [g] *Videbo eum, sed non modo: intuebor eum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob & consurget virga de Israel.* Et post pauca subjungit, *Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus?* Nec silentio prætereundum est, quod filiæ Salphaad de tribu Joseph dixerunt Moysi: [h] *Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione quæ concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est.* Dicant igitur Judæi cum superius justus fuisse describatur, in quo peccato mortuus est, nisi in peccato originali?

X. Hinc autem Deuternomium, quod ipsi *Elle hadebaerim* vocant consulamus, ex quo præcipue se habere dicunt, quod salvatorem nostrum Jesum lege coacti, merito interimere debuerint. Auctoritatem igitur ex qua hoc contrahunt, in medium proferamus, ut unde triumphasse videntur, inde victi fuisse comprobentur. Sunt autem duo capitula quibus innituntur, quorum hoc est primum: [i] *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui Deum omnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, & serviamus eis: Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris.* Et paullo post, *Propheta autem ille, aut fictor somniorum, interficietur.* Hoc est primum. Ecce secundum capitulum: [k] *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero ei. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quodsi tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus: sed per tumorem animi sui propheta confinxerit, & idcirco non timebis eum.*

XI. Quam igitur occasionem suum perdendi messiam, in his omnibus invenerunt? Quippe qui nec Deos sequi hortabatur alienos, nec inventus est dolus in ore ejus, cujus opera testimonium perhibebant de eo; ut si verbis ipsis non crederent, operibus saltem credere deberent. Incircumcisi ergo corde, numquid de vobis dictum est quod sequitur, [l] *Circumcidite igitur preputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis.* Sed ne forte quidam, quod prædictum est ad aliud transferant, quasi iterando subjungit: [m] *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operiris.* Et quasi hoc ad summam protrahens ait [n] *Custodies te ab omni re mala:* ac si dicatur, Vis ut brevi epilogo quæ tibi facienda sunt colligam? Audi, *Custodies te ab omni re mala.* Sequitur, *Habebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo: cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo relevatus es.*

a Exod. XXIII. 9. b Exod. XXXIII. 5. 11. 13. c Exod. XXXIV. 10. d Lev. XV. 19. seqq. e Lev. XIX. 19. f Num. XII. 8. g Num. XXIV. 17. 23. h Num. XXVII. 3. i Deut. XIII. 1. 5. k Deut. XVIII. 15. seqq. l Deut. X. 16. m Deut. XXII. 12. n Deut. XXIII. 9. seqq.



XII. *B.* Forsitan quia in terra non sua sunt, idcirco hæc non esse observanda respondebunt. *G.* Quia extorres & peregrini sunt, ideone hæc & alia se posse transgredi autumabunt? Inde est quod a nobis debita cum usuris exigunt, cum in præcedentibus dictum sit: *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno*. Et in hoc volumine dicatur, [a] *Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti*. Quonam modo hæc solvunt? Cum enim omnes præputium habentes secundum eos peregrini sint & alieni, quomodo amare dicuntur, a quibus fœnus & rapinas violenter extorquent? Præterimus modo quod ipsi res quaslibet furto sublatas quia vili pretio comparantur a furibus, emunt. Sed quid plura? *a fructibus eorum, cognoscetis eos*.

XIII. Sequitur quoque illud gloriosum Dominicæ passionis argumentum, quod quia fidem non adhibent, penitus ignorant: [b] *Et erit*, inquit, *vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ*. Quid hoc Evangelio clarius? Quid hac prophetia dulcius? Salvator noster, via, veritas & vita, quæ erat lux hominum ante oculos Judæorum, in ligno crucis pependit: & tamen infelix synagoga vitæ suæ pendenti non credidit. Moyses quoque in benedictionibus filiorum Israel, talia proponit ænigmata, quæ Salvatoris ortum gentiumque vocationem promittere videntur. Ait enim, [c] *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex, dilexit populos, omnes sancti in manu ejus sunt*. Hactenus de Pentateucho Moysi quæstiones erutas, quibus Judæorum versutia vel nequitia refellatur, vitandi caussa fastidii legisse sufficiat. Idcirco autem librum Jesu nave, quem Judæi Josue *Jehosua* vocant, & *Saphetim* id est judicum, prætermisimus: quia in eis pauca quæ Judæorum cornu frangant, juxta literam esse conspeximus. De cetero si placet, *Malachim* id est Regum diligenter volumnia perscrutemur: si forte in serie rei gestæ panem subcinericium quo pastus est Helias, invenire possimus.

XIV. Nunc ergo primum inquiramus quid sibi velit versus in cantico animæ dicentis: [d] *Dominus judicabit fines, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui?* Nondum erat rex in Israel, quid est ergo, *Dabit imperium regi suo?* *B.* De illo nimirum rege loquitur, qui cum esset in accubitu suo, *Nardus sponsæ dedit odorem suum*. *G.* Benedictus sermo oris, Fratrum carissime, quia bene respondisti. Ipse enim est rex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech de quo etiam subditur: [e] *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*. Non enim hoc de Salomone potest accipi, si enim thronus ejus usque in sempiternum juxta litteram stabiliendus erat; ostendant quæso nunc aliquem de domo David in throno regni sedentem. Præterea dicant obsecro, quid est, quod post verba Nathan prophetæ, ingressus David coram Domino ait: [f] *Quis ego sum Domine Deus, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus meus, nisi loquereris de domo servi tui in longinquum? Ista enim est lex Adam*. Quid est quæso, *Ista lex Adam?* Est autem hic sensus. Ideo de domo servi tui in longinquum loqueris, quia de semine ejus filium tuum incarnari constituis. Quare? *Ista enim est lex Adam*, ut *sicut omnes in Adam moriuntur, ita & omnes in Christo vivificentur*. Non enim ipse loquebatur, sed Spiritus sanctus super eum, ut sequens declarat historia dicens: [g] *Dixit David filius Isai. Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psalta Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam mea*. Videsne quomodo tribus verbis totam complexus est Trinitatem? *Spiritus Domini de Christo Dei Jacob*. *B.* Vere locus iste sanctus est, & bonum est nos heic esse.

XV. *G.* Est & aliud super quo arctabimus Judæos, qui nobis imagines Sanctorum objiciunt dicentes, idololatras Christianos. Si enim in his redarguendi sumus, quare Moyses serpentem æneum in deserto, & Salomon in ædificatione Templi XII. boves ceteraque ejusmodi fecisse inveniuntur? In lege quippe prohibitum erat, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper & in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra*. Quid est ergo quod prohibet Dominus per servum, *Non facies sculptile*: & postea præcipit ei, ut faciat serpentem ex ære? Non ergo o miseri prohibemur sculptilia facere, sed facere & adorare: unde statim subjunxit, *Non adorabis ea, neque coles*. Posset autem fortassis quispiam in regum voluminibus & alia hujusmodi invenire, quibus Judaicam valeret perfidiam improbare: sed quia liber Psalmorum in quo præcipue nostri propositi intentio invalescit: Salomonis quique codices non sunt explanandi. Cum prolixitas operis mater soleat esse fastidii, Malachim breviter transcurrisse sufficiat. Nunc autem Psalmistam, quid de restauratione humani generis prædixerit, audiamus.

XVI. Ait autem in secundo psalmo, *Astiterunt reges terræ & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus*. Item, *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*. *B.* Quid est quæso, *Hodie genui te?* *G.* A tot & tantæ memoriæ viris exposita sunt Psalmistæ oracula, quod nostra explanatione non indigent. Verum quod ab ipsis accepimus, non erit incompetens enarrare. Quid est ergo aliud, *Hodie genui te*, quam æternaliter vel ab æterno? VII. *Exsurge Domine Deus in præcepto quod mandasti, Synagoga populorum circumdabit te. Et propter hoc in altum regredere*. Et IX. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*. Si per infernum, lacum vel antrum sepulcri ut ipsi mentiuntur, vellet intelligi: quare peccatores in infernum convertendos optaret? cum illuc tendat universa caro. Et iterum, *Constitue Domine legislatorem super eos*. XV. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: super quo in actibus Apostolorum latius disputatum est. In XVIII. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. In XXI. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea*. In XLVI. *Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*. In XLVIII. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*. In eodem, *Verumtamen Deus redimet animam suam*

a Deut. X. 19. b Deut. XXVIII 66. c Deut. XXXIII. 2. d I. Reg. II. 10. e II. Reg. VII. 12.
f Ibid. ℣. 18. g II. Reg. XXIII. 1. 2.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1164.



de manu inferni, cum acceperit me. In LIV. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*. In LX. *Dies super dies regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis & generationis*. Quod si de alio, quam de Christo Jesu, rege Deo, intelligere præsumant: quomodo constat quod sequitur; *Permanet in æternum in conspectu Dei, misericordiam & veritatem ejus qui requiret?* In LXVII. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem*. In LXVIII. *Non erubescant, qui exspectant te Domine*. Dicens quot exspectationes; *Exspectans exspectavi Dominum: Exspecta Dominum, viriliter age: Exspectabam eum qui salvum me fecit: Exspectabo Dominum salvatorem meum*. Putasne durabo, videbo? *Exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta*. In eodem, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*. In LXXI. *Descendet sicut pluvia in vellus. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum. Et vivet & dabitur ei de auro Arabiæ*.

XVII. Sed ne ipsi de suo messia dictum fore arbitrentur, cum eum purum hominem dicant futurum, neminemque præter Deum adorandum esse, quod verum est, affirment: subjunxit & ait: *Et adorabunt de ipso semper*. Et iterum, *Ante solem permanet nomen ejus*. Videsne quanta totius hujus psalmi series, cælestis rore balsami sit referta? In LXXIX. *Excita potentiam & veni, ut salvos facias nos; Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus*. Acsi aperte dicat; Si vis nos salvos fieri, ostende faciem tuam, id est figuram substantiæ tuæ per assumtionem carnis ostende visibilem, & salvi erimus. In eodem secundo, *Ostende faciem tuam, & salvi erimus*. In qua terna repetitione nihil aliud significandum est quam id, *Qui videt me, videt & patrem*; & qui Patrem & Filium, ab utroque procedentem Paracletum videt. B. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus*. G. In LXXXVIII. *Benedictiones dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. O generatio perversa, & infideles filii! Hodie vos legifer vester Moyses cornuto feriet syllogismo, utram enim partem elegeritis, sequetur vos confusio. Cum enim dicat Moyses in persona Domini, *Non videbit me homo*: & Psalmista, *Videbitur Deus deorum in Sion*: alterum eorum mentiri necesse est. Immo vos mendaces, quia ex patre diabolo estis, & pater vester mendax est. Ponite miseri, ponite lignum in Marath ut dulcorentur aquæ, & videbitis Deum deorum in Sion. In LXXXIV. *Veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit*. In LXXXVI. *Numquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*. In LXXXVIII. *Ipse invocavit me, Pater meus es tu*: & omnes fere versus istius psalmi, Christi Dei redolent incarnationem & cetera ejus mysteria. In eodem, *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Numquid hoc loco dicent inferi nomine, lacum telluris vel antrum significari? Sed numquid anima telluris specu coarctari dicetur, cum ipsa sit spiritus? In CVIII. quoque, id est, *Deus laudem meam ne tacueris*, quærendum est ab eis, cui scilicet maledictiones irroget.

XVIII. Sequitur CIX. *Dixit Dominus Domino meo*: super quo satis in Evangelio cum adversariis veritatis Veritas disputavit. Non solum autem iste, sed & omnes ejusdem psalmi versiculi cælestis pluviæ stillicidiis irrigati sunt: *Tecum principium in die virtutis tuæ* &c. Item, *Tu es Sacerdos in æternum*, non secundum ordinem sacerdotum carnaliter immolantium, sed *secundum ordinem Melchisedec*, qui in mysterium vivifici corporis & sanguinis tui, Abrahæ fideli tuo panem & vinum legitur obtulisse. In CX. *Redemtionem misit Dominus populo suo, mandavit in æternum testamentum suum*. In CXI. *Exortum est in tenebris lumen rectis*. In CXVII. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Unum porro in sequentibus est, unde mihi vellem rationem redderetis: cum enim lege naturali fungeretur, legis etiam scriptæ arctaretur mandatis, quare tam sollicitus aliam sibi legem constituit dicens: [a] *Legem pone mihi Domine, viam justificationum tuarum?* Quod idcirco egregium psalmem Israel dixisse crediderim, quia ex operibus legis juxta Apostolum neminem justificari posse videret: ideoque legem sibi poni in qua præveniente gratia justificaretur, studiosus oraret. Hæc de Psalmis succincte perstrinximus, in quibus quædam exponere nova, sed non incredibilia, Spiritu sancto docente notavimus. Si quis autem incredibile reputet, quod per os peccatoris Spiritus sanctus loquitur: illud secum mente pertractet, quia poeta & Cumana vates & Caiphas prophetaverunt. Sed hæc hactenus. Nunc autem *Malloth* id est parabolas Salomonis consequenter attingamus, ubi & infernum esse quod quidam abnuunt Judæorum, & neminem tunc temporis ab originali peccato absolutum esse, monstrabimus. Imprimis quoque verba Sapientiæ quæ Christus est, ponere congruum esse duximus: ut quo in illum sensu ea censeant exponenda, ab eis saltem inquiramus.

XIX. Ait ergo. [b] *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum*. Et multis ad id pertinentibus interpositis subjunxit, *Et delitiæ meæ esse cum filiis hominum*. Si ergo delitiæ Christi Domini esse cum filiis hominum: usquequo gravi corde in ipsum filii hominum, non filii Dei, Moysicolæ, utquid diligitis vanitatem sectantes carnalia legis? *Et quæritis mendacium*: abnegantes eum quem lex & prophetæ venturum prædixerunt? Iterum, [c] *Infernus & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum?* Item de eodem, *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno in die novissimo*. Iterum, [d] *Infernus & perditio non replebuntur*. Item in eodem, [e] *Tria sunt insatiabilia & quartum quod numquam dicit, sufficit: infernus & os vulvæ, & terra quæ non satiatur aqua. Ignis vero numquam dicit, sufficit*. Liquet ergo ex præmissis, quia infernus locus est pœnarum, ad quem declinabant quotquot sub lege avita decedebant. Quotquot enim nascebantur, originaliter peccato tenebantur, unde in eodem scriptum est; [f] *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Est & aliud in eodem volumine evidens de Filio Dei contra Judæos testimonium, quod sequenti libro reservamus.

XX. De libro quoque sapientiæ qui dicitur Salomonis, testimonium Dominicæ passionis excerpsi-

a Psalm. CXVIII. 33. *b* Prov. VIII. 22. 31. *c* Prov. XV. 11, 24. *d* Prov. XXVII. 20. *e* Prov. XXX. 16. *f* Prov. XX. 9.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1164.



mus, cui vel Apella Judæus obviare non possit. [a] *Dixerunt enim; Circumveniamus virum justum, quoniam inutilis est nobis & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, & profert novissima justorum, & gloriatur patrem Deum se habere. Videamus ergo si sermones illius veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus illum, ut sciamus reverentiam illius, & probemus patientiam ejus: morte turpissima condemnemus illum, erit enim respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim illos malitia illorum, & nescierunt sacramentum Dei. B.* Hæc prorsus omnia nude sonant Dominicam passionem, & eorum obcæcationem: unde mirum est cum literales sint, id est literalem & non spiritalem quærant intelligentiam, quare huic literæ consonare contemnant.

XXI. *G.* Quin in Ecclesiastico qui & Jesu filii Sirach *Sapientiæ liber* inscribitur, manifeste reperies unde rebellis synagogæ colla subjicias. Dicunt enim peccatorum confessionem esse inutilem & a sacerdotibus caussa lucri fuisse inventam. Sed dicit Scriptura, [b] *Ne confundaris confiteri homini peccata tua.* Habes etiam in eodem de maledicto paternæ perditionis evidens argumentum. Scriptum quippe est: [c] *Veh vobis viri impii qui dereliquistis legem Domini altissimi, etsi nati fueritis, in maledictione nascemini: etsi mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.* Quod si hoc de transgressione scriptæ legis dictum fuisse responderint: quomodo ejus derelictores sub maledictione nascuntur? Numquid antequam nascatur quis, legis transgressor accusari debebit? Absit a nobis id opinari, qui in illum credimus de quo subditur: *In sermone,* [d] inquit, *ejus siluit ventus, cogitatione sua placabit abyssum, & plantavit illum Dominus Jesus.*

XXII. Quem quia non credunt, merito quoque de illis Paralipomenon liber scribit, dicens: [e] *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote, doctore, & absque lege.* Super quo longa posset disputatio protendi, si nostri suppeteret vigor ingenii.

XXIII. Sed quia nostri propositi erat, ostendere ex diversis Scripturarum locis, infernum esse locum pœnarum, ad quem non solum nunc infideles, verum ante redemtoris incarnationem vergebant etiam fideles, ex verbis quoque Job rei dubiæ fidem faciamus. Dixit enim, [f] *Dimitte ergo me paullulum ut plangam dolorem meum, antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitant.* Certus profecto erat vir Dei, quia statim ex quo terrenæ fecis mole solveretur, ad terram miseriæ & tenebrarum originali ducente commisso descenderet. Unde post pauca supposuit: [g] *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Acsi patenter his verbis uteretur, Non solum in infernum quem ipsi speluncam sepulcri vocant, sed *in infernum profundissimum*: nec solum cum corpore, sed omnia mea, id est totus cum corpore & anima descendam; aut ibi originali tantum tenendus, aut aliquo actuali delicto puniendus. Unde quasi ambigendo subjungit, *Putasne saltem ibi requies erit mihi?* Quasi diceret, Putasne ibi in me aliquod actuale inveniat flamma gehennalis quod puniat? Aut ibi tantum caussa originali tenear, & ita requiescere debeam? Non enim credendum est sanctos patres, adventus Dominici præcessores, alia in inferno pertulisse tormenta, quam tenebras. Quod & beatus Augustinus de infantulis unius diei asserit, qui morte præventi, gratiam baptismi non sunt affecuti. Mitissima namque erit illorum pœna, qui originali peccato nullum superaddiderunt.

XXIV. Multa quidem & alia dominicæ nativitatis, passionis ac resurrectionis testimonia, de veteris Testamenti voluminibus poterit diligens lector excerpere: sed quia propositum nobis est Trinitatem, quæ Deus est, inter veteres synagogæ cæremonias investigare, hujus secundi Libelli terminemus opusculum, & ad materiæ tantæ impensas cordis præparemus affectum. *B.* Ita hoc fiat, ut quemadmodum Plato in Timæo dicit, divinum prius invocemus auxilium, sine quo nihil omnino est validum, nihil frugi, nihil perfectum. *G.* Bonum consilium tuum vir Dei, & bene & bonum quod locutus es, & quamvis non sit speciosa laus in ore peccatoris: quia tamen de Trinitate sumus dicturi, in exordio, id est in capite tertii libri erumpamus in laudem Trini Dei, ut ita impleatur iterum quod dicitur, *In capite libri scriptum est de me.*

GUALTHERI TORNACENSIS

ET

BALDUINI VALENTIANENSIS


DIALOGI CONTRA JUDÆOS

Libellus tertius.

I. QUam bonus Israel Deus! quam bona sunt opera tua antiqua quæ ostendisti patribus nostris, educens eos de terra servitutis: sed quam bona sunt, immo quam optima sunt opera tua novissima, quæ operatus est in medio terræ: eruens nos de carcere mortis, non in virga Moysi, sed in brachio tuo extento: ut quanto major erat hæc redemtio priore, tanto major esset minister redemtionis! Ibi enim Deus per hominem, non hominem sed corpus hominis a servitute liberavit; heic Deus corpus & animam, id est, totum hominem, a perpetuæ vinculo mortis eripuit. Ibi per lignum & aquam, heic per lignum, aquam, & sanguinem. Ibi servus conservum; heic dominus servum: ibi servus in ducem erigitur, heic dux & dominus in servum humiliatur. O mira dignatio, & digna miratio! Justus condemnatur, ut injustus salvetur: Dominus plectitur & servus absolvitur, miseretur servo, qui non parcit filio. O mitis crudelitas! O crudelis misericordia! Cariorem incarcerat, qui minus carum decarcerat, im-

a Sap. II. 12. seqq. b Eccli. IV. 31. c Eccli. XLI. 11. d Eccli. XLIII. 25. e II. Paralip. XXV. 3. f Job. X. 20. g Job. XVII. 16.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1164.



mo fere æqualiter carum. Quæ enim caritas ista caritate amplior? Licet enim veritas dicat, *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: est tamen major caritas, ut animam suam ponat quis pro inimicis suis. Nos autem cum inimici essemus Deo, pro nobis animam suam posuit. Quantis igitur misericordiæ visceribus nos dilexit, qui ut nos diligeret, animam suam odio habuit?

II. O igitur summum bonum, unum principium, Pater Fili & Spiritus Sancte; unus diligens eum qui ab ipso est, & unus diligens eum de quo est, & ipsa dilectio: & tamen unum, diligens, dilectus, dilectio. Non tres essentiæ, sed tres personæ, quos etsi diversificat personalis proprietas, unit tamen ejusdem essentiæ æqualitas: unus ingenitus, unus genitus, unus procedens: una deitas, una beatitudo, una æternitas: *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*. Da nobis quæsumus invenire quod quærimus, assequi quod investigamus, da luce reperta in te conspicuos animi oculos configere. Da fontem lustrare boni; aperi thesauros sapientiæ tuæ, reple vasa cordium nostrorum, quæ etsi bonis operibus vacua, vino tamen & oleo fidei suæ refecta sunt. Firma calami nostri vestigium, ut quod de Trinitate quæ Deus est, ante revelatæ tempus gratiæ Patres sensere sanctissimi ita proferamus in lucem, ut non incidamus in errorem; ita superbientis synagogæ jacula recondamus, ut tamen hæresim caveamus, per eum qui natus de virgine hæreticam interemit pravitatem. Amen.

III. Est quidam apud nos Castellione Judæus, quem omnium vicinarum urbium seu oppidorum Hebræi magistrum antonomastice appellant. Dum ergo nudius tertius cum eo disceptaturus me signo crucis armassem, ad conventum malignantium fidenter descendi, multaque cum eis de legalium mandatorum observatione contuli. Magna autem jam longis conflictationibus diei parte consumta, tandem de suo messia sermo habitus est. Super quo diu disputantes, ad ultimum de conditione primi hominis mentionem fecimus: unde statim occasione sumta materiam disputationis ad Trinitatem transtuli, & ab hoc punto incœpi, [a] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quis inquam loquitur & ad quem? Deus inquit ad angelos, consilio eorum volens hominem facere. Quo audito in risum prorumpens antequam secundam inferrem quæstionem, cachinnando subjeci: Dic quæso ad imaginem creatoris, an angelorum factus est homo? Creatoris, inquit. Quid est ergo, (dixi,) quod sequitur, *Ad imaginem nostram?* Cum enim ad imaginem Dei solius factus sit homo, etsi ad Angelos dixisset *Faciamus*: singularitatem tamen considerans suæ personæ, dixisse debuerat, *Ad imaginem meam*, non *nostram*: *Noster* enim pronomen non unius, sed plurium personarum designativum est: unde primæ personæ intrinsecus est, extrinsecus vero tertiæ.

IV. *B.* Quæso te ut super hunc locum diutius immoremur, & quid super hoc judicandum sit, paucis absolvamus. *G.* Nequaquam possumus nisi prout Spiritus Sanctus dabit eloqui nobis, super hisce expediri. Præterea vereor si tantum onus aggressus fuero, operis ne pondere pressus succumbam labo- A ri, & frustra tentata relinquam. Verum quia scriptum est, *Aperies os tuum & ego implebo illud*: licet de propriis viribus diffidamus, eorum tamen vestigia qui super hoc scripsere sequentes, prædictum versiculum paucis absolvemus. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Loquitur Pater ad Filium, dicens *Faciamus hominem*: dicit ergo *faciamus ad Filium*, quia per ipsum omnia facta sunt. Pater enim operatus est omnia per Filium, & Filius est cooperator omnium, quia quando *præparabat montes, aderam, cum eo cuncta componens*. *Faciamus*, ait ad Filium: sed numquid & ad Spiritum Sanctum? Vere & ad Spiritum Sanctum. Si enim ad Filium tantum loqueretur, B *Faciamus hominem ad imaginem nostram*: ad imaginem tantum Patris & Filii, factus esset homo. Sed constat quia ad imaginem Trinitatis factus est homo, ergo ad Filium suum & ad Spiritum Sanctum locutus est Pater, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. In quo illud profecto notandum est, quod & *Faciamus* pluraliter dixit, & *Nostram*: utrumque enim pluraliter dictum est, *Faciamus & Nostram*; & nisi ex relativis accipi non oportet. Non enim ut ait Augustinus, ut facerent Dii vel ad imaginem Deorum: sed ut facerent Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Præterea si ad angelos dixisset *Faciamus*, probabile quidem esse videretur, ad imaginem quoque angelo- C rum hominem factum fuisse: & non solum Deum creatorem, sed etiam angelos factores hominis & quasi concreatores exstitisse. Exempli gratia; Tu cum sis sacerdos & satis literatus, si ad laicum quemdam prorsusque expertem literarum & quasi brutum animal loquereris, dicens; *Eamus frater, celebremus Missam, cantemus Vesperas*, vel aliquid simile: in quo te solum & non illum valere constaret, nonne illum cui hæc diceres, coadjutorem tuum, tuique ministerii seu officii participem posse fieri significares?

V. *B.* Profecto ita esset, sed nunc ad sequentia transeamus, grandis enim nobis restat via. Nec D tamen illud silentio prætermittendum est, quod superius eis objiciendum esse censuisti. *G.* Quid est quæso illud? Quare secundæ diei opera benedictione caruerunt? *G.* Cum quemdam nudius tertius satis magnæ auctoritatis [1] Theologum super quæstione hac consulerem, solutionem mihi rescripsit, qua etsi quæstioni satisfecit, quærenti tamen non sufficit. Exemplum vero epistolæ quam mihi direxit, hoc est. „ Magistro Gualtero amico suo, „ Magister Petrus salutem & dilectionis sinceritatem. Cum de proprio ministrare non valeam, „ quod esurienti palato sufficiat; pro me Spiritus „ Sanctus respondet, qui hujus scrupulosæ quæstionis solutionem patribus insinuavit orthodoxis. E „ Ex quorum traditione accepi, quoniam secunda „ dies a binario denominatur, binarius autem infamis est numerus. Cum enim divisionem recipiat, schismatis discordiam signat. Deus autem „ amator est pacis & unitatis, in cujus rei mysterium, opus secundæ diei benedictione frustratur. Vel quod probabilius, *inquit*, & dies secunda & tertia communem habent aquas materiam. In secundo enim die divisit Deus aquas „ superiores ab inferioribus interponendo firmamentum, tertia vero congregavit aquas quæ erant „ sub firmamento, ut per alveos & canales sub-

a Gen. I. 26.

1. Responsio M. Petri Cantoris Parisiensis.

„ terraneos diffluerent. Ut ergo communis erat materia, ita communis debuit esse benedictio: unde secundæ diei benedictio in tertium reservata „ est, quasi a communi accipienda. Vale.

VI. Sed quia illi qui ita senserunt & bene exposuerunt, & ipsi homines fuerunt: & nos cum homines simus, licet non illos æquiparantes, venemur tamen in hujus quæstionis saltu diutius: ut quemadmodum de Jonatha legitur, Mel si invenerimus summitate saltem virgæ attingamus. Binarius ergo quemadmodum jam prætaxatum est, sectionem recipit divisionis, & est quasi quædam meta dividens unitatem & unitatem. Sed quid exsecrabilius, quid maledictione dignius, quam ita Trinitatem ab unitate dividere, ut vel tres credantur Dii in Trinitate, vel una tantum in Deitate persona? Nonne Arius de familia binarii fuit, qui sic Trinitatem ab unitate divisit, ut tres esse personas in Trinitate adstrueret, & non unitatem substantiæ in illa Trinitate reciperet? Sed numquid etiam Sebellius cum binario benedictione caruit, qui sic unitatem essentiæ in deitate credidit, quod personarum Trinitatem ab unitate divisit? Caruit igitur benedictione binarius, eo quod unitatem excedat, & ab ea dividat Trinitatem. Sic ergo credendæ sunt tres in Trinitate personæ, ut eorum trium id est Patris & Filii & Spiritus sancti, una credatur essentia esse in deitate. Quicumque autem huic diversum, vel ab hac fide diversum crediderit, & in ovile ovium, id est in sanctam Ecclesiam per ostium qui Christus est non intraverit; ille fur est & latro, dignusque ut cum binario anathemate feriatur. *Hæc est enim fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Hic est triplex funiculus, qui difficile solvitur. Hic est numerus, de quo Poetam somniasse crediderim, qui dicebat:

[1] *Trina tibi hæc primum triplici diversa colore,*
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco.

Et quasi exponens unitatem ternarii, quare ista ter fieri jusserit, adjungit dicens,

Numero Deus impare gaudet.

Et iterum,

Necte tribus nodis ternos Amarili colores.

B. Vere etenim Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Vere hic est favus mellis quem te venari proponebas, quem in saltu literæ per Jonathan id est columbæ donum, videlicet per donum Spiritus sancti invenisti: quem etsi non ad plenum hausisti, summitatem tamen virgæ, id est summo tenus ore quodammodo degustasti.

VII. *G.* Videamus præterea de Trinitate quæ Deus est, quomodo senex fidelis, qui prima credendi via est, senserit Abraham beati seminis serus pater. Qui cum sederet ad ostium tabernaculi, apparuit ei Dominus in valle Mambre, in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram & dixit: „ [a] Domine, si inveni gratiam in oculis tuis ne transeas servum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, „ & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponam buccellam panis & confortate cor „ vestrum, postea transibitis, idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt, Fac „ ut locutus es. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei; Accelera tria „ sata similæ commiscens, & fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit „ inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque „ puero, qui festinavit & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, „ & posuit coram eis: ipse vero stabat juxta eos, „ sub arbore. Cumque comedissent, dixerunt ad „ eum; Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit, Ecce in tabernaculo est. Cui dixit, Revertens veniam ad te vita comite, & habebit filium Sara uxor tua. „ Vides igitur, carissime, quomodo Abraham aliquando pluraliter ad tres, aliquando unus ad Abraham, aliquando tres. Et non mirum, quia hi tres unum sunt. Sed quia beatus Augustinus super hoc capitulum in Libro *De Trinitate* diutius immoratur, disputationi ejus aliquid superaddere non audemus. Hoc tantum de illo dixisse sufficiat, ex præcedentibus debere intelligi, quod Trinitas in personis & una sit essentia Trinitatis. Quod & in sequentibus innuit, loquens ad Moysem Dominus & dicens: [b] *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos. Ecce ego*, pronomen substantiam significans præmittitur, & ter repetitur verbum substantivum, *sum qui sum*, & *qui est*; quibus verbis nihil aliud quam unitatem essentiæ & Trinitatem personarum figurari credendum est. Quod profecto confirmant consequentia sancti Evangelii secundum Moysen, ad quem locutus est iterum Dominus dicens: *Hæc dices filiis Israel; Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob, misit me ad vos.* Attende diligenter, *Dominus Deus patrum vestrorum*. Ecce unitas essentiæ designatur. *Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob*; ecce Trinitas personarum. *Deus Abraham*, Deus Pater qui in multis Scripturæ locis Dei Patris figuram gerit; *Deus Isaac*, Deus Filius, in typum cujus ad immolandum ductus est: *Deus Jacob*, Deus Spiritus Sanctus, in cujus mysterium unxit lapidem, juxta illud Isaiæ, *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*. Est ergo sensus, *Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob*, id est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Alioquin quare istorum trium Deus tantum & tam frequenter diceretur, & non etiam Deus Moysi & Deus Samuelis & Deus David: nisi ut Trinus ostenderetur, & ut quaternitas in Trinitate non admitteretur?

VIII. Consistamus heic paullulum contra servos inutiles, contra fidei inimicos. Adeste ergo, o Judæi, & cantare pares & respondere parati. Si Trinitatis mysterium sanctos nativitatis Dominicæ præcursores penitus latuisset, quare cum tanta veneratione ternarium Scriptura vetus amplecteretur? Jubet enim Dominus Abrahæ, *Sume*, inquit, *vaccam triennem, & capram trimam & arietem annorum trium*. Audit Esaias Seraphim clamantes alter ad alterum, *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus sabaoth*. Ait etiam, *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster*. Nota ordinem verborum. Hinc simile dicit Psalmista, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Benedicat nos Deus Pater, Dominus Judex noster, sed modo judicium omne dedit Filio. Benedicat

a Genes. XVIII. 3. seqq. *b* Exod. III. 14. 16.

1. Virg. Pharmaceutria, Eclog. VIII. ✝. 73.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1164.



nos Deus noster, legifer noster, qui nos redemit, qui nobis legem gratiæ dedit: Benedicat nos Deus Spiritus Sanctus, rex noster. Audi & Jeremiam dicentem, *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Item, *Ego Ego, sum, Ego vidi, dicit Dominus: & heu, heu, heu.* Et in Ezechiele, *Heu, heu, heu Dominus Deus.* Sed quid plura? Si adhuc infideles credere non vultis Trinitatem, consulite Eliam, quare expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus, & quare hydrias aquæ super holaustum & super ligna ter jussit effundi. Scriptum quippe est, *Implete quatuor hydrias aqua, & effundite super holocaustum & super ligna.* Rursusque dixit, *Etiam secundo hoc facite*: qui cum fecissent & secundo ait, *etiam tertio id ipsum facite*: fecerunt & tertio, & currebant aquæ circa altare, & fossa aquæductus repleta est. Videtis quomodo in trina effusione, consummavit holocaustum suum vir Dei.

IX. Præterea liber Machabæorum secundus ad idem nos invitat, qui de Heliodoro & satellitibus ejus sic scribit. [a] *Apparuit illi quidam equus, terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus, isque Heliodoro cum impetu priores calces elisit: qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu.* Sed quid dicam de beato Job, quem vos quia incircumcisum dicitis, forsan non recipietis? In libro quidem ejus scriptum est: [b] *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium.* Semen Canaan & non Juda, quid ad hoc respondebitis? Sufficiuntne vobis testimonia hæc? Non equidem. Quomodo enim paries ædificabitur, ubi fundamentum deficit? Si enim quæ sursum sunt saperetis, non quæ super terram: Isaiæ saltem oraculo crederetis, qui filium Dei tam aperte loquentem introducit, ut nemo gentilis etiam, nedum Judæus quicquam contra hiscere audeat. In eo quippe scriptum est: [c] *Audi me Jacob & Israel, quem ego voco: Ego ipse, ego primus & ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos. Ego vocabo eos, & stabunt simul. Congregamini omnes vos & audite, quis de eis annuntiabit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Chaldæis. Ego, Ego locutus sum & vocavi eum, adduxi eum & directa est via ejus. Accedite ad me, & audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Quis est porro iste tam imperiosæ auctoritatis, qui sic loquitur? Constat enim quia Deus est & non homo, qui dicit: *Ego ipse, ego primus & ego novissimus, & ex tempore antequam fierent, ibi eram.* Sed numquid Deus pater est qui loquitur, aut Deus Spiritus sanctus qui dicit, *Ego primus & ego novissimus?* Deus procul dubio est: & *Antequam fierent, ibi eram.* Sed quis dicit, *Nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus?* Cum Pater numquam missus legatur, Pater profecto non est, sed Filius ejus est.

X. *B.* Quia de filio Dei fecisti mentionem, quiddam mihi jam pridem accidit, quod te latere non volo. Cum enim perendie cum quodam de filiis Belial, de eorum superstitione contenderem, quæsivit a me Ismaelita; Ubinam inquit frater, qui Filium Dei credis, invenisti quod Deus habuerit filium? nisi forte homines filios Dei adoptive appellare velis? Hujus quæstionis necessitate coacti, compellimur mittere in dexteram navigii rete, & Scripturarum aquas rationis fuscina rimari: si forte piscando in eis, incidemus in Filium Dei. *G. Beatus venter qui te portavit & ubera quæ suxisti*, quia petitio tua non est digna repulsa: sed quemadmodum consuluisti, fiat voluntas tua. Videamus ergo quid de Filio Dei ille Salomon rex sapientissimus dixerit, quem etsi constat fuisse idololatram; certum tamen est quia de eo nihil dixerit hæreticum. Hic autem in Coeles id est proverbiorum libro, de Filio Dei sic loquitur: [d] *Stultissimus sum virorum & sapientia hominum non est mecum, non didici sapientiam & novi sanctorum scientiam. Quis ascendit in cælum atque descendit; quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen ejus est, & quod nomen Filii ejus, si nosti?* Animadverte itaque sermones istos, & auribus percipe verba regis hujus, ut videas & scias de quo loquitur heic, utrum de aliquo Dei secundum adoptionem, filio; an de substantiali & coæterno sibi unigenito, cujus nomen tam affectuose quærit & investigat? *B.* De illo quidem & illius nomine quærit cujus *nomen admirabile est in universa terra, & cujus nomen super omne nomen. G.* Ita profecto est ut arbitraris, non solum enim heic, verum in libro Sapientiæ de coæquali Deo Patri Filio idem scribit his verbis: [e] *Videamus*, inquiunt Judæi, *si sermones illius veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum & liberabit illum de manu contrariorum. Ecce nunc palam loquitur & proverbium nullum dicit.* Verum enim filium Dei dixit, ad differentiam eorum, qui non natura sed nuncupatione Filii Dei vocantur: de quibus Psalmista dicit, *Ego dixi Dii estis & filii Excelsi omnes*: de quo manifestius in Evangelio veritas dicit: *Omnis qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ille meus frater & mater & soror est.* Si ergo fratres Christi, & filii sunt Dei.

XI. Habemus itaque duo congrua de Filio Dei in Salomone testimonia, quæ si filiis perditionis non sufficiunt, ad Danielem revertendum est, apud quem Nabuchodonosor in fornace Filium Dei intuens ait: [f] *Ecce ego video veros solutos quatuor; ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis est filio Dei.* Audi Israel, audi idololatram, audi alienigenam, acquiesce gentili qui credere respuis Salomoni. Quis est iste Filius Dei? Porro iste est Filius Dei qui longo post tempore, mirabiliter filius hominis fieri dignatus est. Mirabiliter dicamus, an miserabiliter? sed ut verius fateamur, & mirabiliter dicamus & miserabiliter: quia *O quam admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est.* Miserabiliter in nobis, quia *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Item mirabiliter in se, quia *Mirabile mysterium declaratur, Deus homo factus est*: & quia, *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Miserabiliter autem in nobis, quia verus Samaritanus iter faciens, venit secus vulneratum, & videns eum, misericordia motus est. *Hoc est igitur mirabile in oculis nostris*, hoc est illud novum

a Machab. III. 25. b Job. XXXIII. 29. c Isaj. XLVIII. 12. 16. d Prov. XXX. 2. e Sap II. 17. f Dan. III. 92.

quod Dominus se creavisse super terram asserit, per A Jeremiam prophetam dicentem: [a] *Revertere virgo Israel, revertere ad civitates istas. Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Et notandum quod magis proprie dixit, *Circumdabit*; quam si dixisset, *Generabit*. Generatio enim proprie dicitur, quando viri recepto semine mulier impraegnatur. Verum quia illa salvatoris generatio de pura carne virginis absque aliqua virilis seminis praejacente materia provenit, *Circumdabit* pulcre dictum est, & non *Generabit*: sane tamen utrumque dici potest. Habemus itaque quod quaerebamus, manifesta videlicet de Filio Dei testimonia.

XII. Nunc autem ad tertiam in Trinitate personam Spiritum sanctum, calamum transferamus, quem quidam ventum esse vel sibilum auræ mentiuntur. Super quo beatus Hieronymus in Hebraicis quæstionibus ita scribit: *Et spiritus Dei ferebatur super aquas*, pro eo quod in codicibus nostris scriptum est *ferebatur*, in Hæbreo habetur, *marahabephet* [1], quod nos appellare possumus, *incubabat* sive confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur: sed de Spiritu sancto, qui & ipse vivificator omnium a principio dicitur. Dicant ergo falsitatis assertores, C qui Spiritum sanctum ventum volunt accipi, quomodo constat quod *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum?* Nuper enim accidit, quod tibi relaturus sum.

XIII. Nudius tertius ut mihi moris est, cum vacuus essem, die solemni Dominica descendi in domum cujusdam Hebræi, quasi aliquid novi auditurus. Interrogatus igitur a me quid esset Spiritus sanctus, ventum esse respondit. Quid est ergo, inquam, quod dicit David? *Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Præterea D liber, inquam, beati Job, non videtur velle Spiritum sanctum aliud esse, quam ipsum Deum. In eo enim Heliu filius Barachel, de Spiritu Domini scribit ita dicens: *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me.* Dic igitur, similiter dixi, quis est iste quo innovari David desiderat, pro quo ne sibi auferatur interpellat, per quem se confirmari concupiscit? Sed quis est iste Spiritus Dei, a quo se factum Heliu fuisse testatur? Nonne is est Spiritus de quo ait Psalta egregius Israel, [b] *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ?* His & aliis auctoritatibus ad hoc adversarium veritatis impuli, ut Spiritum sanctum Deum esse, & eumdem Spiritum ventum esse fateretur. Tum ego, Spiritus sanctus, inquam, te judice ventus est, & Deus Spiritus sanctus est: ergo & Deus ventus est. *B.* Profecto vere & syllogistice argumentatus es. Nunc autem de Spiritu sancto prosequamur, ut cujus in-B stinctu hoc opus incœpimus, eo consummante peragamus.


XIV. *G.* Fiat ut postulasti, auctoritates etiam prophetarum de Spiritu sancto quos eodem inspirante proferunt, in unum colligamus. Ait ergo Salomon in libro sapientiæ, [c] *Spiritus Sanctus disciplinæ effugit fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* In eodem, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* In Isaia quoque scriptum est: [d] *Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos Spiritus ab Excelso.* Item [e] *Effundam Spiritum meum super semen tuum.* In eodem, [f] *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Michæas quoque ait: [g] *Ego sum repletus virtute Spiritus Dei.* In Zacharia etiam invenitur, [h] *Non in exercitu, neque in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus Deus.* Sed quid item per singula? Si linguis hominum loquerer & angelorum, non tamen hunc de quo agimus Spiritum explicare possem. Facturi igitur finem, modumque cursui imponentes, bravium postulamus, non aurum argentumve, seu etiam sæcularis auræ laudisque favorem mundanæ. Verum ab illo remunerari petimus, cui servire regnare est, de quo & a quo diximus, quidquid bene diximus. De cetero ab illis qui hoc opus lecturi sunt, si quis tamen hoc captus amore leget, de omissis vel non sane dictis, veniam postulamus: ut & de bene dictis, Deo grates persolvat, eumque pro nobis imploret: quatenus viam universæ carnis ingressuri, præsto habeamus defensorem nostrum misericordem & pium Dominum Jesum Christum, cui est honor & gloria cum Patre & Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum, Amen.

a Jerem. xxxi. 22. *b* Psalm. ciii. 30. *c* Sap. I. 5. 7. *d* Isaj. xxxii. 14. *e* Isaj. xliv. 3. *f* Isaj. lxi. 1. *g* Mich. III. 8. *h* Zachar. iv. 6.


1. Merachephet.

E X P L I C I T.

Saecul. XII. circa Ann. Chr. 1168.



BERNARDUS ABBAS
FONTIS CALIDI
ADVERSUS WALDENSIUM SECTAM.



INCIPIT TRACTATUS
BERNARDI ABBATIS
FONTIS CALIDI
contra Vallenses [1], & contra Arianos.

I. SAnctæ Romanæ Ecclesiæ præsidente domino Lucio [2], inclitæ recordationis; subito extulerunt caput novi hæretici, qui quodam præsagio futurorum sortiti vocabulum, dicti sunt Valdenses; nimirum a Valle densa; eo quod profundis & densis errorum tenebris involvantur. Hi, quamvis a præfato summo pontifice condemnati, virus suæ perfidiæ longe, lateque per orbem temerario ausu evomuerunt.

II. Ea propter contra eos pro Ecclesia Dei dominus Bernardus Narbonensis archiepiscopus, religione & Dei honestate insignis, zelans legem Dei, se fortem murum opposuit. Accitis itaque pluribus tam clericis, quam laicis, religiosis ac sæcularibus, ad judicium vocavit. Quid plura? Caussa diligentissime investigata, condemnati sunt.

III. Nihilominus tamen postea, & clam & publice semen suæ nequitiæ spargere ausi sunt. Unde rursum, quamvis ex abundanti, ad disceptationem vocati sunt, per quosdam tam clericos, quam laicos. Et, ne lis diutius protraheretur, electus est ab utraque parte judex quidam sacerdos, Raimundus scilicet de Daventria: vir siquidem religiosus, ac timens Deum, nobilis genere, sed conversatione nobilior.


IV. Assignata igitur die caussæ adveniente, congregatis invicem partibus, aliisque quam plurimis clericis & laicis, de quibusdam capitulis, in quibus male sentiebant, a veris Catholicis accusati sunt: eisque per singula respondentibus, hinc inde diu disputatum est, & ab utraque parte multæ productæ auctoritates. Auditis igitur partium allegationibus; præfatus judex per scriptum definitivam dedit sententiam, & hæreticos esse in capitulis, de quibus accusati fuerant, pronuntiavit.

V. Quibus autem auctoritatibus, vel rationibus suam assertionem defenderent; quidve eis a nobis Catholicis responsum sit; aut quibus scripturarum testimoniis fidem tueremur Catholicam, præsenti inteximus opusculo; adjectis etiam quibusdam aliis tractatibus contra alias hæreses. Hæc autem omnia fecimus maxime ad instruendos, vel commonendos quosdam clericos, qui vel imperitia, vel librorum inopia laborantes, hostibus veritatis non resistendo, facti sunt in offensionem & scandalum fidelibus, quibus præsunt. Eos namque in fide Catholica non roborant, nec alimentis sanctarum scripturarum reficiunt. Unde quasi jejuni in via præsentis sæculi, viribus spiritualibus destituti deficiunt, ne ad patriam, scilicet paradisum, valeant remeare. Justa quidem est caussa majoris mali præscripti, dejici a caulis ovium Christi lupos rapaces, id est dæmones hæreticos & tyrannos, nec voce prædicationis, nec baculo disciplinæ seu severitatis.

VI. Suscipiant igitur, quæso, a nostra parvitate, si placet, exiguum munus hujus opusculi, mandentque memoriæ auctoritates sanctorum patrum, ut, miserante Deo, habeant arma impenetrabilia contra rectores tenebrarum, contra fabulatores mendacii, contra cultores perversorum dogmatum, id est, dæmones hæreticos; quatinus Dei gratia prævia, & de ipsis valeant triumphare, & pro regimine atque doctrina subjectorum a summo pastore immarcessibilem gloriæ coronam percipere mereantur.

1. Waldenses.

2. Lucius III. sedere cœpit anno 1181.



INDEX CAPITULORUM.



VIII. *Contra hoc, quod* mulieres prædicare posse *dicunt*.

IX. *Contra hoc, quod dicunt*, defunctis fidelibus non prodesse vivorum eleemosynas, jejunia, missarum solemnia, aliasve orationes.

X. *Contra eos, qui negant ignem purgatorium, & ajunt*; Spiritus a carne solutos continuo ire ad cælum, vel infernum.

XI. *Contra eos, qui dicunt*, eosdem spiritus defunctorum ante judicium, nec cælum, nec infernum ingredi: sed aliis contineri receptaculis.

XII. *Contra eos, qui in Ecclesia orare nolunt, nec Ecclesiam esse nuncupandam asserunt. Ubi probatur, & Ecclesiam esse vocandam, & ibi esse orandum, & in magna veneratione habendam. Ibi etiam respondetur cuidam eorumdem hæreticorum objectioni; qua ex verbis beati Stephani ajunt, quod* Excelsus non habitat in manu factis, *& ideo nec in Ecclesia*.



CAPUT I.

Est contra hoc, quod dicunt, Non esse obediendum summo pontifici, aliisve prælatis.

I. IN primis igitur arguuntur de inobedientia; quia scilicet non obediunt Ecclesiæ Romanæ, quæ plenitudinem habet potestatis ligandi & solvendi, & dignitatem ceteras Ecclesias dispensandi.

II. Præterea, nec Episcopis, nec sacerdotibus obtemperant; cum, teste beato Gregorio, locum discipulorum Christi habeant Episcopi, & auctoritatem ligandi & solvendi, qui locum regiminis sortiuntur. Hac ergo auctoritate Romana Ecclesia, ceterique Episcopi, utpote quibus dictum est, *quodcumque alligaveritis super terram, erit ligatum & in cælo: & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis*, præfatos hæreticos excommunicationis vinculo innodarunt: *in promtu habentes*, cum Apostolo, *ulcisci omnem inobedientiam*. *Nihil autem*, ut ait Augustinus super Joannem, *sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi*. Si enim separatur a corpore Dei, non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus. *Quisquis autem*, inquit Apostolus, *non habet spiritum Christi, hic non est ejus*. Item illud de verbis Apostoli: *Omnis Christianus, dilectissimi, qui a Sacerdotibus excommunicatur, satanæ tradi dicitur. Quomodo? scilicet, quia extra Ecclesiam est diabolus; sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. Unde illos, quos tunc Apostolus satanæ traditos esse prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat*. Hinc est etiam, quod idem Apostolus ait ad Thessalonicenses: *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate; & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. Ecce Apostolus mandat inobedientem sibi reprehendi, & a ceterorum communione vel convictu abjici, ut sic abjectus erubescat.

III. Ad Hebræos quoque ait: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris*. Ad Timotheum quoque ait: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo & doctrina*. Duplex honor est presbyteris, ut eorum scilicet præceptis obediatur; & cum debita reverentia exteriora subsidia ministrentur. Dominus quoque ut ostenderet obedientiam exhibendam esse prælatis, ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite*. Et rursum: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*.


IV. Cum igitur Christus & apostoli præcipiant obediendum esse Episcopis & Presbyteris: quicumque eis non obediunt, consequenter Christo, & ejus Apostolis inobedientes exsistunt. Omnis autem prævaricatio & inobedientia, teste Apostolo, *accipit justam mercedis retributionem*. Quomodo ergo effugient, qui Christi & discipulorum ejus præcepta neglexerint? Quoniam itaque inobedientes exsistunt, habendi sunt quasi ethnici & publicani, Domino dicente: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*.

V. Præterea ab eorum communione est abstinendum, sicut ex præscriptis Apostoli verbis ad Thessalonicenses patet. Nam & per legem Mosaicam, si quis imperio sacerdotis non obedierit, occidendus est: ne ex malo inobedientiæ populus corrumpatur. Unde in Deuteronomio: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de medio Israel; cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia*. Ecce hinc patet, quantum est crimen inobedientiæ: cum is, qui sacerdoti non obediebat, corporali gladio occidebatur. In tempore vero gratiæ, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; non occiditur corporaliter, sed spirituali gladio feritur, cum a communione fidelium per sententiam episcopi separatur, ut sic abjectus erubescat & resipiscat.

VI. Quicumque etiam inobedientes sunt, infideles esse convincuntur, Samuele dicente: [a] *Quia peccatum ariolandi est, repugnare: &, quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*. Super quem locum ait beatus Gregorius: „ Sola est obedientia, quæ „ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis „ convincitur, etsi fidelis esse videatur „. Inobedientiæ quoque vitium inter mortalia crimina connumerat Apostolus dicens: *Gentiles repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia*. Et post pauca: *Inventores malorum, parentibus non obedientes*: parentibus scilicet, sicut Doctores orthodoxi exponunt, carnalibus vel spiritualibus. Et paullo post: *Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum autem, qui ea agunt, sed etiam, qui facientibus consentiunt*. Consentire autem est, secundum Ambrosium; Si quum quis possit reprehendere, taceat, aut hoc audiens, aduletur.

VII. Nec mirum si inobedientes potestatibus Ecclesiasticis, digni sunt morte æterna. Teste enim

a I. Reg. xv. 23.



Apostolo : *Non est potestas , nisi a Deo , quæ autem a Deo sunt , ordinatæ sunt . Itaque qui resistit potestati , Dei ordinationi resistit . Qui autem resistunt , ipsi sibi damnationem acquirunt .* Audiant ergo præfati erronei , & qui eis consentiunt , Apostoli præceptum dicentis : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit . Spiritus* quippe *sanctus* , sicut Apostolus ait in Actis Apostolorum , *posuit Episcopos* super gregem suum *regere Ecclesiam Dei , quam acquisivit sanguine suo* . Qui ergo Episcopis resistit per contumaciam, in Spiritum sanctum peccat. Nam & Judæis murmurantibus contra Moysen & Aaron, responsum est : *Nec contra nos murmur vestrum , sed contra Deum*. Hinc Judas Jacobi ait : [a] *Væ illis , qui in contradictione Core perierunt* . Core quippe, & ejus complices insurrexerunt contra Moysen & Aaron sacerdotes Domini ; & confestim igne cælitus misso, combusti sunt . Contradictione ergo Core pereunt , qui sacerdotum imperio contradicunt , & ideo ignis æterni incendio concremantur . Unde *væ* , id est , æterna damnatio est illis.

VIII. Præterea per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt multi : & per obedientiam Christi, qui obediens fuit patri usque ad mortem , justi constituti sunt multi . Quicumque ergo inobedientes exsistunt , veteris hominis imaginem portant. Contra quod Apostolus ait : *Sicut portavimus imaginem terreni , portemus imaginem cælestis*, virtutem obedientiæ induentes , ut qui per inobedientiam paradiso ejecti sumus, per obedientiam, quasi per aliam viam cum Magis redeamus . *Melior est enim obedientia , quam victimæ ; & auscultare magis , quam offerre adipem arietum*. Quia, per victimas aliena caro , per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Et Salomon , *Vir obediens loquetur victorias*. Quia dum alienæ voci humiliter subdimur , nosmet ipsos in corde superamus . Ex his omnibus patet quanta sit virtus obedientiæ, quantumque crimen inobedientiæ.

CAPUT II.

Tractat de dignitate prælatorum , & quod eis sit deferendum & obediendum .

I. UT vero luce clarius pateat , quantum sacerdotes excellant ceteris , & quod eis sit deferendum & obediendum , ex verbis salvatoris potest perpendi , qui curato a lepra ait : *Vade , ostende te sacerdoti , & offer munus , quod præcepit Moyses in testimonium illis*. Sacerdotum quippe est, discernere, & judicare, qui sint Catholici, quive hæretica contagione respersi . Inde est, quod cum multos languentes Dominus sanaverit , leprosos tantum ad sacerdotes misit . In leprosi quippe corpore varius color , designat in hæretico homine veritatem falsitati permistam . Plane Dominus noluit leprosum , licet mundatum , hominum cœtibus aggregari , sine judicio sacerdotis , ut aperte ostenderet eum , qui ab unitate Catholica erraverit, licet forte resipuerit , sine sacerdotali judicio , conventibus fidelium minime aggregandum . Et in signum devotionis & humilitatis jubetur oblationem facere sacerdoti , ut ei se subjectum pariter innuat , cujus manum divino intuitu osculando, hostiam immolet.

II. Item clerici pascunt ; alii , quasi oves , pascuntur : & de altari vivunt illi , isti vero offerre debent. Illi possunt peccatores tradere satanæ ; isti vero ante eos sedere ; nec sine eorum consilio, quæ Dei sunt, agere debent. Unde Hieronymus ad Heliodorum ; „ Alia caussa est monachi , „ alia clerici : clerici oves pascunt , ego pascor. „ Illi , de altari vivunt , mihi securis quasi ad „ radicem infructuosæ arboris ponitur . Si munus „ ad altare non defero , mihi ante presbyterum „ sedere non licet . Illi , si peccavero , licet me „ tradere satanæ in interitum carnis , ut spiritus „ sit salvus in die Domini. „ *Idem ad Rusticum* : „ Ecclesia habet senatum , cœtum presbyterorum , „ sine quorum consilio nihil monachis agere licet. „ Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum , „ quia audire noluit presbyteros suos . Senatum „ quoque Romani habebant, quorum consilio cuncta agebant , & nos habemus senatum nostrum, „ cœtum presbyterorum . „

III. Præterea, cum quis de lege divina dubitat, confestim ad sacerdotes currere debet , & interrogare. Ipsi sunt enim, per quos creator omnium fidelium plebes pascere disposuit . Hinc est enim , quod Dominus discipulis suis quinque , vel septem panes tradidit, ut ponerent ante turbas . Spiritualem enim doctrinam sacerdotibus , qui in locum discipulorum successerunt , ministrat: ut, quasi boni dispensatores familiæ Dei animarum alimenta ministrent , ne in via hujus sæculi ab hoc cibo jejuni deficiant. Hinc scriptum est: „ Quis putas est „ fidelis dispensator & prudens , quem constituit „ Dominus super familiam suam , ut det illis in „ tempore tritici mensuram? „ Unde & Dominus Paullum, adhuc Saulum, in via quidem prosternit, sed quid eum oporteat facere , non docet : sed in civitatem ad discipulum Ananiam docendum mittit . Nec Angelus , qui centurioni viro religioso apparet, eidem formam fidei tradidit , sed Simeonem accersiri jubet, ut per eum, quid oporteat facere , instruatur.

IV. Ex quibus aperte datur intelligi, quod nullus præsumere debet docere aliquem viam perfectionis, nisi sit in civitate , id est, in sancta Ecclesia, & Christi sit discipulus ; cum Christus, vel ejus Angelus Saulum vel centurionem docere noluerint , ut magisterium Ecclesiæ inviolabiliter custodiendum esse ostenderent; & a nullis omnino attentandum , nisi ab his, qui in locum discipulorum successerunt , id est, ab Episcopis, & viris Ecclesiasticis, quibus id officii Dominus delegavit, sicut scriptum est, Malachia attestante : „ Labia sacer„ dotis custodient scientiam , & legem requirent „ ex ore ejus ; quia Angelus Domini exercituum „ est. „ Ecce, quanta sit dignitas sacerdotis. Ipse est enim , sicut in Ezechiele legitur , gazophylacium in domo Domini , qui thesaurum sapientiæ & scientiæ in pectore suo custodit , & ex cujus ore , Domino præcipiente, lex requirenda est. Quod ipse Dominus, teste Evangelio, per exemplum docuit, qui in templo, in medio doctorum sedebat, audiebat illos , & interrogabat , docens pariter in sancta Ecclesia, maxime doctrinam cælestem addiscendam esse, non in foro, non in plateis, ut tanto melius percipiatur, & memoriæ commendetur, quanto in Ecclesia , non rebus temporalibus , sed divinis attentius vacatur.

V. Quantum vero est , quod sacerdos Angelus

a Judæ ℣. 11.

Domini, id est, nuncius vocatur? Supernum quippe judicem nunciare mittitur: ideoque, etsi ex sua despicabilis, tamen ex Domini persona venerandus est. Teste enim beato Gregorio: „ Sæpe potens „ persona famulum habet despectum, per eum suis „ forte, vel extraneis aliquod responsum mandat: „ non despicitur persona loquentis servi, quia ser- „ vatur in corde reverentia mittentis domini. „ Ita ergo quilibet sacerdos, etsi forsitan digne despicitur ab aliquo, in mente tamen sua mittentis Domini reverentiam servare debet is, cui mittitur.

VI. Sacerdotibus etiam peccatores nequitias suas confiteri debent, ut reatus sui vinculis absolvantur. Qua ex re Dominus ait quatriduano mortuo: *Lazare veni foras*. Qui, cum egressus fuisset vivens, a vinculis per discipulos est solutus, Domino jubente & dicente eis: *Solvite eum, & sinite abire*. Foras venit mortuus, cum culpam confitetur peccator. Venientem autem foras solvunt discipuli: quia prædicatores Ecclesiæ ei pœnam debent amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Sane Judas confessus est peccatum suum, non Christi discipulis, sed Judæis dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum*. Et non profuit ei confessio.

VII. Nec solum solvunt, sed etiam ligant presbyteri reos, & satanæ tradunt in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Unde Dominus ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Teste quippe Gregorio, discipuli, quorum locum tenent Episcopi, vice Dei quibusdam peccata retinent, quibusdam relaxant. Apostolus quoque ait de fornicatore: [a] *Judicavi in nomine Domini nostri Jesu Christi*, hoc est, vice ejus, vel ad ejus gloriam; *tradere hujusmodi satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Satanæ tradit, ut corporaliter vexet, & sic resipiscat. Vel secundum quosdam, intelligitur mors corporis: sive excommunicare, est tradere satanæ. Quemadmodum enim diabolus nullum jus habet in hominem, postquam homo per fidem justificatur, sed postquam homo pro culpa, ab Ecclesiæ Sacramentis, quæ sunt sibi arma contra satanam, sequestratur, exinde sub jugo satanæ religatur.

VIII. Præterea Spiritus sanctus plerumque potius dignitatem sacerdotis pensat, quam meritum, & per eum electis providet. Unde cum esset Caiphas pontifex, prophetavit. Ubi patenter Evangelista donum prophetiæ divino tribuit sacramento dicens: *Cum esset*, id est, quia esset summus *Pontifex*. Transit quippe aqua per canales lapideos ad areolas aromatum; id est, gratiæ spiritualis irrigatio nonnumquam per duras & insensibiles mentes præsidentium, rigat & infundit fidelium animas virtutum aromatibus redolentes consitas.

IX. Beatus quoque Jacobus ostendit, quam sit necessarius & utilis ordo sacerdotum, cum ait: [b] *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*. Ecce oratio sacerdotis & salvat, & per eam Deus infirmum alleviat, & peccata remittit. Sic ergo salvat, dum corpori & animæ prodest oratio presbyterorum, relevando infirmitatem & remittendo peccata. Ubi pariter reprehendit eos, qui hæreticos inducunt, & presbyteros deserunt; cum Apostolus jubeat presbyteros induci, non hæreticos. Tacite quoque reprehendit quosdam etiam Christianos, qui cum infirmantur, non ad presbyteros, sed ad medicos mittunt; vel ordine præpostero, postea mittunt: cum sæpe languor animæ sit caussa infirmitatis corporis. Unde Dominus paralytici ad se allati prius peccata dimittit dicens: *Fili, remittuntur tibi peccata tua*: & postea, corpus sanat. *Sublata enim caussa, tollitur effectus*.

X. Sacerdotum etiam est emergentes de religione Christiana quæstiones decidere. Unde Moyses ascendens in montem ait senioribus Israel: *Exspectate heic, donec revertamur. Habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*. Quæstiones quippe nascentes inter fideles de fide aut cultu Christiano, ad episcopos & presbyteros referendæ sunt. Inde est, quod ob hanc, & alias necessarias caussas Episcopi per singulas civitates, & Presbyteri per singulas Ecclesias statuuntur ab Apostolis. Quapropter Apostolus ait Tito: *Hujus rei gratia, reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. In Actibus etiam Apostolorum habetur, quod Paullus & Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros.

XI. Notandum vero, quod presbyterorum nomine episcopi accipiuntur, sicut paullo ante ad Titum, & simplices sacerdotes, sicut & paullo supra in Actibus Apostolorum. Nam, & versa vice Episcoporum nomine, aliquando minores sacerdotes nuncupantur, sicut ad Philippenses, cum ait Apostolus: *Paullus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus*. Neque enim in una civitate plures sunt Episcopi: aut tacitis Sacerdotibus, de Episcopis loquens, interfereret de minore ordine, id est diaconorum, nisi quia Episcopos vocavit Sacerdotes. Interdum vero Episcopi, appropriato vocabulo dicuntur majores Sacerdotes, sicut & usus quotidianus probat.

XII. His per excessum dictis, sciendum, quod in novo Testamento, orta quæstione, an oporteret credentes circumcidi, legemque Moysi servari? Statuerunt Paullus & Barnabas manere credentes ita, ut crediderant, & ut iidem Apostoli, & quidam alii ex aliis ascenderent ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. *Conveneruntque Apostoli & Seniores, videre de verbo hoc*. Et simul Apostoli & Seniores deciderunt quæstionem: & super hoc epistolam decretalem, credentibus exigentibus, direxerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur.

XIII. Ex hoc patet exemplo, quod orta dubitatione circa cultum fidei Christianæ, ad summum Patriarcham qui vice beati Petri fungitur, aliosque, tam Archiepiscopos, qui personas Apostolorum, quam Episcopos, qui locum obtinent aliorum discipulorum; quos supra in Actibus vocat Lucas nunc presbyteros, nunc seniores; recurrendum est. Si enim apostoli Paullus & Barnabas non præsumserunt decidere tantam quæstionem, nisi communicato consilio cum Apostolis & Senioribus, & facta magna inquisitione; pensandum est solerter, quantæ sit præsumtionis & dementiæ, de his, quæ

a I. Cor. V. 3. 4. b Jacob. V. 14. 15.

ad fidem Dei ac ejusdem statum pertinent, ab aliis A & non a Christi Sacerdotibus inquirere, & maxime ab hæreticis, vel malis Catholicis.

XIV. Ad hoc, Apostolus ad Corinthios de rebus transitoriis non debere fideles caussari apud infideles, sed apud sanctos; *Audet*, inquit, *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos? Nescitis quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis sæcularia? Etsi in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis*. Et post: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles? Jam quidem omnino* B *delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos*. Si ergo negotium de rebus minimis sancti debent judicare; id est, fideles, non infideles: multo magis, cum de fide, & rebus spiritalibus agitur, vel dubitatur; non ab hæreticis, vel infidelibus, sed a sanctis fidelibus est tractandum & judicandum. Et si infideles indigni sunt, qui de minimis judicent: multo magis sunt indigni de religione Christiana judicare & fide. Maxime cum Moyses moneat unumquemque dicens: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi*. Quis est pater, vel majores, quos interrogare debemus, nisi rectores animarum, qui in sancta conversationes nos instituentes, quasi filios spiritales C gignunt? Et quia dignitate vel merito nos præcedunt, *majores nostri* vocantur, qui alio nomine dicuntur *seniores*. Quibus & beatus Petrus ait scribens credentibus: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, ego consenior & testis Christi passionum, pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. Et paullo post: *Similiter adolescentes subditi estote Senioribus*.

XV. Ecce patenter refert, fidelium grex a quibus debeat pasci, scilicet a Senioribus suis. Sicut enim ait beatus Gregorius: *Senes eos sacra scriptura vocat, qui morum gravitate, non temporum quantitate maturescunt, sicut scriptum est: Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum nu-* D *ro computata; cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Juvenes quoque dicuntur, qui nulla consilii gravitate deprimuntur. Quos Apostolorum primus jubet subditos esse Senioribus, ut levium levitas, gravium gravitate gravetur, secundum illud: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*. In quibus verbis reprehenduntur, qui præceptis seniorum, id est, Prælatorum non obtemperant, & sic apostolo Petro inobedientes exsistunt.

XVI. Denique, *Sacerdotum est*, sicut Dominus ait eis in persona Aaron Sacerdotis & filiorum ejus, *discernere inter sanctum & profanum, inter mun-* E *dum & immundum, & docere omnia legitima, quæ præcepit Deus filiis Israel per manum Moysi*, sicut est in Levitico: *Dixit Dominus ad Aaron; Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu & filii tui quando intrabitis tabernaculum testimonii, ne moriamini; quia præceptum est sempiternum in generationes vestras. Et, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi*. Ex qua re liquide apparet, quod presbyterorum est, non aliorum, discernere, qui sint sancti, id est, Catholici, & qui profani, id est hæretici; quive mundi a macula criminis, quique immundi, id est criminosi. Quinimmo ad eos spectat docere fideles præcepta Dei. Quare damnabile est aliis, qui non sunt de tribu Levi, id est, de ordine clericorum, usurpare officium illorum in judicando, vel docendo.

XVII. Ecce pauca de multis collegimus, ad ostendendum, quanta sit Episcoporum, ac Sacerdotorum dignitas ac auctoritas: quo cognito, qui hactenus eis rebelles fuerunt, humiliter eisdem obtemperent.

CAPUT III.

Contra eos, qui detrahunt rectoribus animarum.

I. SEd quoniam sunt quidam, qui eisdem rectoribus animarum detrahunt, & cum periculo animarum suarum eos reprehendunt: ad ipsorum correctionem vel pauca dicamus. Audiant ergo qui tales sunt, quod Apostolo teste, *detractores Deo odibiles, & susurrones, atque contumeliosi digni sunt morte*. Detractor vero est qui bona proximi, in quantum potest, minuit: & mala, quæ in eo non sunt, ei imponit. Susurro vero est, qui mala de proximo ad proximum occulte transfert. Contumeliosus est, qui aliquam turpitudinem dedecoris, vel in dicto, vel in facto libenter infert proximo. Item idem ad Corinthios ait: *Si is qui frater nominatur, est maledicus*, id est detractor, *cum ejusmodi nec cibum sumere*. Et rursum: *Maledici regnum Dei non possidebunt*.

II. Cum ergo detractor, vel maledicus in communionem fidelium recipiendus non sit, & dignus sit morte, utpote, qui non possidebit regnum Dei; specialiter tamen prohibetur quis maledicere rectori populi. Unde Paullus, cum ab Anania principe sacerdotum jubetur percuti in ore, ignorans esse principem sacerdotum, ait: „ Percutiet te Deus, „ paries dealbate. Et, qui adstabant, dixerunt: „ summum sacerdotem Dei maledicis? *Respondit* „ *Paullus*: Nesciebam, fratres, quia princeps sa„ cerdotum est. Scriptum est enim: Principem po„ puli tui non maledices. „ Ecce autem, principem populi, licet aperte contra legem agentem, & judicantem se percuti, ait non esse maledicendum, & scripturæ auctoritate hoc probat. Hinc ergo perpendant, qui rectoribus Ecclesiarum maledicunt, quanta damnatione sint digni; si apostolus infidelem, & legi contraria agentem, maledicere supersedit, ex quo cognovit principem populi: &, quod maledixerat, ideo ait se fecisse, quia nesciebat esse principem populi.

III. Præterea, Cham vidit verenda patris sui Noe nudata, & risit; & ideo in sua posteritate damnatus est, dicente Noe: [a] *Maledictus Canaan, puer servus erit fratribus suis*. Quia mala præpositorum suorum non arguere, non divulgare temere quis debet; vel, dum videt, gaudere; alioquin damnabitur in posterum, id est, in futuro. Boni vero Noe filii verecunda patris sui, injecto dorsis pallio, aversi venientes operiunt. „ Quia, bonis sub„ ditis, *ut ait beatus Gregorius*, sic præpositorum „ suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis „ occultent; judicantesque factum, & venerantes „ magisterium, nolunt videre quod tegunt. „

a Gen. IX. 26.

IV. Attendant etiam præfati detractores, quia humiliter sanctus David obedivit Sauli superbo, sed tamen regi, & a Domino electo; sed persequenti, & occidere ipsum David volenti; sed denique exigentibus culpis suis a Deo reprobato, & David ad regni gubernacula electo a Domino. Cum ergo hæc ita essent, malo regi ita David obedivit, ut scriptum de ipso sit: „ Quis in omnibus, sicut „ David inventus est in regno tuo ingrediens, & „ egrediens, & pergens ad imperium regis? " Rursumque, cum persequentem se regem ferire posset, eidem humili se professione prostravit dicens: „ Quem „ persequeris, rex Israel, quem persequeris? Canem mortuum, & pulicem unum. „ Hinc discant subditi: licet humiles, licet innocentes, prælatis sibi a Deo potestatibus, licet contra se sævientibus deferre, non detrahere; obedire, non contradicere. Idem etiam David, cum servi eum sui ad feriendum Saul in speluncam ingressum, ubi ipsi erant, accederent, fregit eos responsionibus, quia manum in christum Domini mittere non deberet. Qui tamen occulte surrexit, & oram chlamydis ejus abscidit. Et quia hoc fecerat, post hoc percussit David cor suum. Ecce, dum pensat, a Deo unctum, & sibi prælatum, licet se quærentem ut occideret, occidere non vult David: & quia vel extremam oram chlamydis ejus abscidit, pœnitet, Super hunc locum ait sanctus Gregorius: „ Facta „ præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam „ cum recte reprehendenda judicantur. Si quando „ vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, „ necesse est per afflictionem pœnitentiæ cor cre„ metur, quatenus ad semetipsum redeat. Et cum „ præposita potestas deliquerit, ejus contra se ju„ dicium, a quo sibi prælata est, perhorrescat. „ Nam cum in præpositis delinquimus, ejus ordi„ nationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. „

V. Ecce auctoritatibus sanctarum scripturarum & sanctorum exemplis, probavimus, quanta sit reverentia exhibenda, remota obtrectatione, erga prælatos, & eis esse deferendum, non detrahendum, vel maledicendum: alioquin & Dei præceptis contraimus, & sanctorum vestigiis non instamus.

CAPUT IV.

Contra hoc, quod omnes, etiam laici prædicant. Et quid ad hoc dicant, quidve nos, contra eos.

I. SEcundo prædicant omnes passim, & sine delectu conditionis, ætatis vel sexus. Et quoniam in hoc errore multi eorum, qui specie tenus Christiani dicuntur, seducuntur; gratia revocandi ipsos, & reliquos confirmandi, cooperante Deo, videamus, quibus rationibus, vel auctoritatibus innitantur ipsi, quidve a Catholicis dicatur contra eas infirmandas, & penitus vacuandas, & tertio loco, quid in sua assertione Catholici inducant.

II. Primo igitur dicunt; ab omni, qui scit verbum Dei in populis seminare, prædicandum esse. Quoniam Jacobus dicit: [a] *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*. Quare autem, si scimus evangelizare, & cessemus graviter peccamus? Hanc cum quidam hæresiarca scripturam pro se induceret, ei respondit; Legitur in Evangelio diabolum dixisse Domino Jesu: *Scio, quis sis, sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus dicens: obmutesce*.

A Ecce noluit Dominus per os diaboli prædicari, licet diceret, se scire ipsum: ne forte veritati falsitatem promittens deciperet simplices, sicut in exordio feminam seduxit. Sic, sic, responde, ex ore tuo nomen Christi non est annunciandum, & si scires: ne, more venefici, dum mellita pocula propinare crederis a quolibet simplice, permistum virus infundas. De malis quippe scriptum est: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*. Venenum aspidum insanabile est dogma hæreticorum, quia, quisquis illud bibit, id est, libenter audiendo percipit, morte procul dubio non caret.

III. Præterea, non ait apostolus: *scienti bonum*
B docere, sed *facere*, quare intelligendum est de illo, qui bonum quod intelligit, non perficit, & ideo peccat: non de illo qui bonum, quod scit docere, non docet. Nec enim omnis homo peccat, qui non docet, quod scit: immo potius peccat, si doceat, cum tamen ipse prævaricator exsistat. David enim dicente: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Hoc apostolus ait: *Qui alium doces, teipsum non doces? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras?*

IV. Item in favorem erroris sui inducunt illud, pro se: [b] *Qui audit, dicat, veni*. Ubi beatus Gre-
C gorius ait: *Ut qui in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat*. Et rursus inde Gregorius: *In quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date*.

V. Ad hoc respondemus: quod si diligenter ista attendantur, eis, de erroneis observationibus non prosunt. Cum enim ait: *qui audit, dicat, veni*. consequenter intelligitur, ut qui non audit intus in corde vocem fraterni amoris; vel, qui vocem Dei non audit aure corporis, vel cordis, licet corporis; aut etiam opere non implet, non dicat alii, *veni*. Qui enim verbo Dei non obtemperat, qua
D fronte ad eamdem obedientiam, quam ipse opere non implet, alium invitet: aut, quomodo in alio ædificat obedientiam, quam in se destruit? Qui ergo verbum Dei non audiunt, immo inobedientes eidem exsistunt, sicut supra monstratum est, alios docere non debent. Unde & in hac eadem Homilia idem sanctus Gregorius ait: *In quantum profecisse pensatis, etiam alios trahite, & in via Dei socios habere desiderate*. Ex his verbis patet, quos admoneat beatus Gregorius, ad exhortandum proximos; eos scilicet, qui profecerant, & in via Dei erant; quos admonet, ut juxta quantitatem profectuum, alios trahant. Sed hæretici non profecerunt, immo defecerunt; & in via Dei non sunt;
E immo, sicut scriptum: *errare fecit eos in invio, & non in via*, quare alios exhortari non debent. Opera enim, si fides desit, sic sunt, tamquam si sint magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam.

VI. Item inducunt pro assertione sua illud, quod dicitur in Evangelio Marci: Joannes quidem respondit Domino dicens: [c] " Magister, vidimus quem„ dam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui „ non sequitur nos, & prohibuimus eum. Jesus au„ tem ait: Nolite prohibere eum. Nemo est enim, „ qui faciat virtutem in nomine meo, & possit „ cito male loqui de me, qui enim non est ad„ versum vos, pro vobis est. „

[a] Jacob. IV, 17. [b] Apoc. XXII. 17. [c] Marc. IX. 37. 38. 39.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1168.



VII. Ecce, inquiunt, iste non sequebatur apostolos: & tamen, quia dæmonia ajiciebat in nomine Christi, Dominus imperat eis, ne prohibeant. Quare, si Christi nomen prædicamus, quamvis non sequamur episcopos, & alios sacerdotes, non tamen debent nos prohibere.

VIII. Sed ad hoc respondemus: quod auctoritas illa non juvat eos; sed lædit. Ille namque & bonum operabatur, quia dæmonia ejiciebat, & in nomine Christi, & sic fidem habebat, & non loquebatur male. Qua de re, licet corporaliter non sequeretur apostolos; non erat prohibendus a bono opere: quia spiritaliter vivendo per fidem, & opera, apostolos sequebatur, nec perversum dogma introducebat. Sed isti, & infideles sunt; & sunt sine obedientia, *quæ sola fide meritum possidet*: cum *sine fide*, secundum apostolum, *impossibile sit placare Deo*. Et ideo eorum opera, a via fidei eos elongant: nec per ea Deo approximant, sed recedunt, & fabricatores sunt mendacii, & cultores perversorum dogmatum. Quare prohibendi sunt, quia sunt adversum Christi sacerdotes. Super hunc quoque locum Catholici doctores scripserunt dicentes: quod in hæreticis & malis Catholicis non Sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt, non contra; sed divisionem, paci veritatique contrariam, qua adversum nos sunt, & Dominum non sequuntur nobiscum, detestari & prohibere debemus.

IX. Item ajunt apostolum sibi suffragari, cum ait: [a] *Quidam autem & propter invidiam, & contentionem; quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.* Quidam enim invidebant apostoli gloriæ, & contendebant habere, conantes se pacificare illi, in laude prædicationis. Alii prædicabant Christum, quia vellent omnes homines ad agnitionem veritatis venire. Et post pauca: *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur. Et, in hoc gaudeo; sed, & gaudebo.* Ecce inquiunt: *Apostolus gaudet*, quocumque modo Christus *prædicetur, sive per invidos, sive per bonos, sive bona intentione, sive prava*. Cur igitur Episcopi non gaudent similiter, quando a nobis Christus prædicatur, sed contradicunt nobis? Ad hoc dicimus: quod multum refert, a quibus Christus annuncietur: a Catholicis, vel non Catholicis. A Catholicis prædicatur Christus aliquando bonis, aliquando malis, id est, invidis, vel habentibus odio fratres, hoc est, modo pascunt oves Christi pastores boni, modo mercenarii. De his dicitur: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt vobis, facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* De bonis autem dicit apostolus: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* De non Catholicis vero, id est, hæreticis, dicitur: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et quasi quis quæreret, in quo discernerentur veri prophetæ, a falsis, subdit Dominus: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quia fideles opprimunt, Deum, si non verbis, factis blasphemant. Maxime autem per impatientiam discernuntur in tempore adversitatis. Jejunia enim, & orationes, & hujusmodi, sunt simulatis, sicut & bonis. Igitur discernuntur, non in foliis, id est, sermonibus tantum, sed in fructibus. Unde apostolus: " Veniam cito ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt; sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute ". Quasi dicat: Non cognoscam eorum folia, sed fructus.

X. Præterea Christus est veritas, sicut idem ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Quare, qui perversum dogma fingit & annunciat, Christum non prædicat. Igitur apostolus loquitur de malis Catholicis, id est mercenariis, sed tamen Christum, id est, veritatem, annuntiantibus. Isti autem sua mendacia fabricant, & ideo juxta præceptum Domini, attendendum est ab eis, id est, diligenter cavendum. Eis itaque prædicantibus, non gaudemus: quia Christum non prædicant, sed falsitatem. Et quia nec rectores sunt, nec mercenarii, sed lupi. Quoniam pastores & audiendi sunt & imitandi, ut jam supra per apostolum probavimus. Mercenarii audiendi sunt, in his, quæ verbo docent, ut fiant, non imitandi in opere, sicut Dominus, ait: lupi attendendi & vitandi. Unde apostolus: " Rogo fratres, ut observetis eos, qui dissensiones " & offendicula, præter doctrinam, quam vos di" dicistis, faciunt, & declinate ab illis: hujusmo" di enim Christo Domino non serviunt, sed suo " ventri: & per dulces sermones & benedictiones " seducunt corda innocentium. " Ecce, quia declinandi sunt tales, & quare? scilicet quia dissentire faciunt, a sensu scilicet fidelium credentes sibi removentes, & etiam offendere in proximum, cum scriptum sit: *Sine offensione estote Judæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei.* In his scilicet, quæ licet fieri, & non fieri, *ut omnibus per omnia*, id est, vel faciendo, vel non faciendo, *placeatis*, providete. Vel ideo dissensiones & offendicula simul jungit, quia quicumque aliud sentiunt, quam ceteri fideles, offendunt, *impingentes in lapidem offensionis & petram scandali.* Unde & apostolus: *Peccantes in fratres, & percutientes eorum conscientiam infirmam*, exemplo scilicet, quod ab eis videtur, *in Christum peccatis*, cujus membra sunt. Apostolus igitur jubet dissensiones vitari, cum ait: *Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu*, idem volendi, *eadem scientia*, idem credendi. Et rursum jubet etiam offendicula caveri, cum ait: *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.*

XI. Igitur hæretici, qui faciunt dissensiones & offendicula, doctrinæ apostolicæ sunt contrarii, & ideo declinandi sunt.

XII. Rursum pro se inducunt illud, quod Moyses respondit Josue. Cum enim Josue duobus in castris remanentibus & prophetantibus vellet obsistere; ei per Moysem dicitur: [b] *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet: & det eis Dominus spiritum suum!* Ecce, inquiunt, hæretici; Moyses non invidit prophetantibus, immo desideravit, ut omnis populus prophetaret. Clericorum autem ordo obsistit nobis, & invidet prophetantibus, id est, exponentibus mysteria verbi Dei. Prophetia quippe est futurorum prænunciatio, vel absconditorum revelatio, seu occultorum mysteriorum expositio. Sunt igitur Clerici similes non Moysi, sed Josue. Et quia sanctorum vestigiis non inhærent, sed invidorum, peccant, & contra nos audiendi non sunt.

a Philipp. I. 15. seqq. b Num. XI. 29.

XIII. Ad hoc nos dicimus, quia ficut & Moyfes, vellemus, ut omnis populus prophetaret, & daret eis Dominus fpiritum fuum, ut veritatem, quam nos loqui non fufficimus, ora cunctorum fonarent. " Sed unufquifque proprium donum ha„ bet a Deo, alius quidem fic, alius vero fic. „ Quofdam enim dedit apoftolos, quofdam autem „ prophetas, alios vero evangeliftas, alios autem „ paftores & doctores. „ Simile eft quod apoftolus ait: " Volo omnes homines effe ficut meipfum; „ fcilicet continentes, " fed unufquifque habet pro„ prium donum ex Deo, &c. „ Deus autem diffenfionis non eft, fed pacis, ficut in omnibus Ecclefiis fanctorum, docet apoftolus. Ergo prophetia omnibus data non eft. Et dicimus illis non effe datam. Prophetia enim donum Dei eft: ifti vero diffenfionem & offendicula faciunt, ficut fupra dictum eft. Quare in eis Deus non eft, qui in pacificis & concordibus habitat. Unde apoftolus: *Pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobifcum.* Et alibi: *Supportantes invicem in caritate, foliciti fervare unitatem fpiritus in vinculo pacis.* Ifti autem pacem Catholicam nec habent nec amant, fed in populo Chriftiano diffenfionem, & difcordiam faciunt; ideo quod quidam eos fequuntur, quidam hæfitant, an eos an vero viros Catholicos fequi debeant. Quare in eis unitas fpiritus non eft, quæ in vinculo pacis fervatur.

XIV. Non ergo invidemus eis prophetantibus; quia prophetæ non funt, nifi forte falfi; de quibus Dominus: *Attendite a falfis prophetis &c.* Et de hujufmodi Hieremias populo Ifraelitico: *Prophetæ tui videbant tibi falfa, non aperiebant iniquitatem tibi, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Tales funt ifti, qui populo Chriftiano viderunt, & prædicant falfa. Et cum fcriptum fit: *Clama, ne ceffes, annuncia populo meo fcelera eorum, & domus Jacob peccata eorum*; ifti e contrario, non annunciant fidelibus crimina quæ perpetrant quidam, non ad pœnitentiam eos provocant. Merito igitur repelluntur quafi pfeudoprophetæ. Et certe Dominus ait: *Surgent pfeudochrifti, & pfeudoprophetæ, & dabunt figna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, fi fieri poteft, etiam electi.* Temporibus noviffimis pfeudochrifti figna dabunt, & ideo multos feducent. Nec mirum, cum ifti qui nulla figna faciunt, multorum fides fubvertat: & per dulces fermones feducant corda innocentum.

XV. Ad hoc dicunt, quod multi laici, verbum Dei in populo fideli diffeminaverunt, ficut fuit beatus Honoratus, & fanctus Equitius, quorum meminit fanctus Gregorius in libro dialogorum, & in his temporibus fanctus *Raimundus*, cognomento *Paullus*; ad cujus fanctitatem approbandam, multa fiunt miracula. Denique & primi apoftoli idiotæ, & fine literis fuerunt. Et ifti omnes, licet laici, verbum Dei prædicaverunt. Quare & nos eorum actus imitantes, repellendi non fumus, immo audiendi.

XVI. Sed ad hoc refpondemus; quod re vera apoftoli, ante vocationem, fine literis fuerunt: fed *aperuit Dominus eis fenfum, ut intelligerent Scripturas*, & Spiritum fanctum infudit; & ipfemet mifit eos prædicare regnum Dei. Præterea non errores, fed fidem Catholicam, & præcepta Domini prædicabant. Et quia nova, & inaudita miracula, per Dei gratiam fecerunt: *Domino cooperante, & fermonem confirmante, fequentibus fignis.*

A Sed ifti facras literas non intelligunt, ficut apoftolus ait: quod *quidam aberrantes, converfi funt in vaniloquium, volentes effe legis doctores, non intelligentes neque quid loquuntur, neque de quibus affirmant.* Non intelligunt, quia carent fide, fine qua nemo poteft donum intelligentiæ habere, ficut fcriptum eft: *Nifi credideritis, non intelligetis.* Item, non intelligunt: quia non faciunt. Si facerent quæ fcripta funt, bene intelligerent, ficut fcriptum eft: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Idem eft quod vinea ablata eft colonis non reddentibus fructum, & data aliis agricolis, qui reddant fructum temporibus fuis. Et talentum eft ablatum fervo pi-
B gro, qui noluit negociari. Hinc & Dominus Judæis: *Auferetur a vobis regnum Dei*, id eft, facræ fcripturæ intelligentia; *& dabitur genti, facienti fructus.* Spiritum vero fanctum non habent, quia a fancta Ecclefia receflerunt; extra quam nulli datur. Inde eft, quod Dominus ait difcipulis: *Sedete in civitate, quoad ufque induamini virtute ex alto.* Ecclefia quippe eft civitas regis magni, in qua qui fedent, id eft, humiles, induuntur virtute altiffimi. Unde & Spiritus vehemens *replevit totam domum, ubi erat fedentes*, id eft, fanctam Ecclefiam, ubi humiles recipiunt Spiritum fanctum. Scriptum eft enim: *Super quem requiefcet fpiritus meus, nifi fuper humilem, & quietum & tremen-*
C *tem fermones meos?* Ipfi vero humiles non funt, dum rectoribus Ecclefiarum fe præferunt. E contra humilis David, fuperbum regem fibi prætulit, cum ait: *Quem perfequeris rex Ifrael, quem perfequeris? canem mortuum & pulicem unum.* Notandum, quam humiliter de fe fenferit, cum fe *canem mortuum & pulicem unum* nominaverit. Et quid de Saule, licet reprobato a Deo, quem regem Ifrael vocavit? Hinc tam hæretici, quam alii fuperbi Chriftiani attendant, quantum debeant deferre poteftatibus Ecclefiafticis, vel fæcularibus, quarum merita apud Deum ignorant, fi fanctus David tantum veneratus eft fuperbum regem, quem fciebat reprobatum
D a Deo, feque electum ad regni gubernacula.

XVII. Præterea, ambulant inquiete, *nil operantes*, ficut apoftolus ait de eorum fimilibus, fed *curiofe agentes*, fcilicet, de alienis, quibus apoftolus jubet, *ut cum filentio operantes, fuum panem*, id eft proprii laboris, *manducent*, non alienum. Cum ergo fuperbi fint, & inquieti, non requiefcet fuper eos Spiritus fanctus, qui humiles & quietos inhabitat.

XVIII. Quod vero de fanctis laicis opponunt, quia verbum Dei prædicaverunt; nullo modo objicerent, fi verba fancti Gregorii attenderent. Ait enim de fancto Honorato, quod virtute abftinen-
E tiæ, humilitate, aliifque virtutibus, & infuper miraculis fulfit; itemque ingentis faxi molem venientem fuper cellam, & interemturam fratres, invocato Chrifti nomine & figno crucis, per manum dexteram extenfam oppofito fixit. Hunc alicujus fuiffe difciplinæ, fe non audiffe, teftatur Gregorius. In quo hæretici inhærent, dicentes, fe inftar illius, poft fe habere difcipulos: licet nullum magiftrum habuerint. Sed attendant, quæ fubdit fanctus Gregorius. Ait enim: *Ufus rectæ converfationis eft, ut præeffe non audeat, qui fubeffe non didicerit.* Et idem ait: *Quod hæc libertas in exemplum non eft trahenda: Ne dum quifque fe fimiliter fancto Spiritu impletum, id eft, non humano magifterio edoctum præfumit, difcipulus hominis effe defpiciat, & magifter erroris fiat, &c.* Et item: *Hæc infirmis veneranda funt, non imitanda.*

Sæcul. XII circa Ann. Chr. 1168.



XIX. Sanctus quoque Equitius ab angelo edoctus est, & missus. Nocte quippe speciosus juvenis per visionem ei adstitit, & in lingua phlebotomum posuit dicens: *Ecce, verba mea posui in ore tuo, egredere ad prædicandum.* Sanctus iste castitate, oratione, animarum zelo, doctrina, humilitate, prophetia, & potestate in effugandis spiritibus immundis fulsit. Non est igitur mirum, si iste a Deo edoctus & missus, & tot pollens virtutibus, licet sacrum ordinem non haberet, prædicavit. Sane hujus viri exemplo discant hæretici, quod debeant sine mora obedire & summo pontifici, & episcopis. Vocatus enim a Romano pontifice per Vitalianum defensorem, protinus gratias egit Deo; & illico jussit hora eadem jumenta parari; & Vitalianum vehementissime urgere cœpit, ut eadem hora exire debuissent. Sed quia Vitalianus ex itinere lassatus erat, ad ejus nutum, nocte illa remanserunt. Mane vero facto summus pontifex per alium nuncium mandavit, ut famulus Dei Equitius de monasterio non moveretur. Quo audito, servus Dei, quamvis contristatus, quia non perrexerant, remansit. Ecce, iste sanctus Romano pontifici obediens est, & in eundo, & in remanendo.

XX. Item, eumdem Dei famulum Cadorius episcopus rogavit, ut in congregatione sua susciperet quemdam nomine Basilium, qui in magicis artibus primus, Roma fugiens, in monachico habitu Valeriam petit. Rogatus igitur sanctus Equitius respondit episcopo; hunc, quem mihi commendas pater, non video monachum esse, sed diabolum. Et episcopus ait: Occasionem quæris, ne debeas præstare, quod peteris. Cui sanctus Equitius: Ego quidem hoc eum denuncio esse, quod video; ne tamen nolle me obedire existimes, facies, quod jubes. Susceptus igitur in monasterio est. Post dies vero non multos, absente Dei famulo, idem Basilius suis magicis artibus dementavit quamdam virginum sanctimonialium, quibus Equitius præerat. Illa quoque virgo febrire cœpit, ac dixit, se statim morituram, nisi Basilius (monachus) adveniret, & curaret eam. Missum itaque est repente & Dei famulo nunciatum, qui & virginem protinus curavit: & Basilium, evidenter a fratribus cognito, quod esset maleficus, a congregatione ejici fecit. Ecce, & episcopo obediens exstitit, in susceptione Basilii; licet per spiritum prophetiæ cognosceret, esse maleficum. His igitur exemplis discant hæretici obedire & Romano pontifici, & ceteris episcopis.

XXI. Sane, quod allegant de sancto Raimundo Paullo, quia cum laicus esset prædicaverit, & Ecclesia eum receperit; verum est. Sed vir Catholicæ conversationis, ut dicitur, honeste, permittentibus episcopis, prædicavit, nullum inducens errorem, sed in omnibus orthodoxus, rectoribus Ecclesiarum obediens, toto studio ad colligendas Deo animas inardescens, hæreticorum, pro *scire*, & *posse* acerrimus expugnator; super fluvium rapidissimum, qui dicitur *Durentia*, ex eleemosynis fidelium pontem construens, & transitum ab omni exactione, ut dicitur, liberum peregrinis cunctisque viatoribus redimens; cui operi pio, in loco, qui dicitur *Boni Pas*, cum aliis indigentibus, pro temporis opportunitate vacacit. Desinant ergo hæretici, hunc virum Catholicum, pro sui erroris defensione inducere, a cujus vestigiis tam procul deviare noscuntur.

XXII. Hæc diximus, ad confutandas rationes hæreticorum, ostendendo etiam auctoritates sanctarum A scripturarum, quas teste apostolo Petro, ad suam perditionem depravant, qualiter sint intelligendæ. Nunc vero studii sit nostri, proferre in medium, cooperante Spiritu sancto, & auctoritates & rationes, quibus luce clarius constet, eos non debere prædicare verbum Dei, nec a fidelibus esse audiendos.

CAPUT V.

Quod non licet eis verbum Dei ministrare fidelibus.

I. Et quoniam de laicis quæstio est; an verbum B Dei seminare valeant in populis; distinguendum est: an sint Catholici, vel non. Nimirum, si sint Catholici, & honestas vitæ eos commendet; si sermo eorum sit sale sapientiæ conditus; & juxta capacitatem singulorum, verbi mensuram dispensare noverunt, certoque loco præfuerint, aut sub obedientia veri Catholici fuerint, secundum quantitatem profectus sui, in scientia, vel opere ad nutum episcoporum, vel presbyterorum, in quorum territorio fuerint, proximos exhortari, ut arbitror, poterunt: si tamen uxoribus alligati non fuerint, nec eos pondus terrenæ sollicitudinis oppressit. Sane, si vita eorum reprehensibilis fuerit, eos audiri necesse non est. Quod enim Dominus ait: *Quæ di-* C *cunt, facite*; non est dictum, nisi de his, qui sedent super cathedram Moysi, id est, de magistris & doctoribus divinæ legis, quos Deus præfecit populo suo. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Hinc etiam David dictum est: *Non ædificabis tu mihi domum; quia vir sanguinum es.* Vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur; quia qui adhuc factis carnalibus incubat, necesse est, ut instituere spiritualiter proximorum mentes erubescat.

II. *Sermo quoque in gratia semper sit sale sapientiæ conditus*, secundum apostolum, *ut sciat quo-* D *modo oporteat unicuique respondere.* Aliter scilicet idiotæ, aliter litterato, aliisque personis. Sed, quando hoc laicus distinguere poterit, cum ad hanc scientiam vix cleri pertingant? Et quidem cibus non est aptus, nisi sale conditus: nec sermo est utilis, sine documento sapientiæ. Unde in Levitico: *in omni oblatione offeres sal*; id est, in omnibus dictis, vel factis apostolicam sapientiam habeas. Si ergo apostolicam sapientiam in dictis & factis non habeat, sermo ejus est inutilis, & ideo vitandus. Apostolus enim ait ad Timotheum: *Profana*, id est, hæreses, *inaniloquia devita*, id est, (quæ sunt) sine fructu, etsi non ita mala, ut profana. *Multum enim proficiunt ad impietatem*, id est, E contra cultum Dei; *& sermo eorum, ut cancer serpit*, paullatim, quæ sana sunt corrumpendo.

III. Ad hæc, qui docet, debet attendere capacitatem audientium, ut mensuram tritici, id est divini verbi dispenset, *sicut Deus divisit unicuique mensuram fidei*. Unde apostolus jubet prophetiam, id est, occultorum revelationem ministrari secundum rationem fidei, id est mensuram fidei eorum, quibus manifestari debent occulta; ne velut imperfecta, altioribus suffocetur; vel adulta his, quibus est perficienda, frustretur. Alioqui, si in ejus verbo auditor offenderit, apud Deum reus tenebitur doctor. Unde in lege scriptum est: *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel*

asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum. Cisternam aperire, est scripturæ sacræ arcana penetrari per intellectum. Ille vero cooperit, qui sublimes sensus scripturæ, coram non capientibus, per silentium tegit. Quisquis autem apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur; si per verba ejus in scandalum sive munda, sive immunda mens capitur.

IV. Præterea, si certo loco præfuerint, aut per obedientiam subjacuerint, evidentius innotescunt, & quia sanctæ Ecclesiæ obedientes sint, apertius liquet; cum omnis fere locus in aliqua sit diœcesi, omnisque diœcesis fere limites proprios habeat. Nec hoc solum, sed etiam in qualibet diœcesi constitutæ Ecclesiæ propriis limitibus distinguantur diversimode: quatenus, nec Episcopus jura Episcopalia, nisi in sua diœcesi; nec sacerdos in parochia aliena potestatem habeant; cum scriptum sit: Nemo mittat falcem in alienam messem; id est, fideles alii commissos nullus judicare præsumat. Et Apostolus: *Tu quis es, qui judicas servum alienum? suo domino stat, aut cadit.* Si ergo Episcopus extra suam diœcesin, vel Sacerdos extra suam parochiam potestatem suam exercere regulariter non possunt; quanto minus ignotus homo & laicus in messe aliena, id est, in populo alii commisso, falcem verbi sine licentia Episcopi, vel Sacerdotis, ad cujus curam pertinet, mittere poterit? Et certe in vinea non laboraverunt, Evangelio teste, nisi a patrefamilias conducti. Et in alio loco habetur, quod vineam suam locavit paterfamilias agricolis, qui reddent ei fructus temporibus suis. Et certe, licet ipsi non redderent fructus domino, sed e contrario servos ejus cæderent, occiderent, & lapidarent, & in fine filium ejus occiderent: nullus tamen præsumsit vineam sibi mancipare, quamdiu dominus toleravit eorum inutilitatem, & malitiam. Quoniam in plebe commissa alii quamvis inutili, quamvis malo, quandiu ab Ecclesia toleratur, sine ejus nutu & licentia, cui credita est, nullus laborare, id est, vites inutiles ejicere, & fructuosas plantare, ligonem verbi ponere, vineam in superfluis putare, in necessariis propagare præsumit.

V. Denique, quis adeo demens est, ut oves alienas, domino inconsulto, pascere attentet? eo enim ipso suspectus est, quo seipsum ingerit, maxime si ignotus est. Et iste est, qui *non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, & est fur & latro. Fur autem non venit, nisi ut furetur, mactet & perdat.* Et certe, ut ajunt Doctores, per ostium quis intrat, credendo filium Dei: & imitando humilitatem ejus, amore ejus, non pro mercede aliis prædicando. Alioqui si infidelis est, vel superbus, vel quæ sua sunt, quærat, non quæ Jesu Christi, fur est; quod alienum est, suum dicendo: & latro, occidendo.

VI. Ex his omnibus videtur, nec clerico, nec laico, cujus habitatio ignoratur, (immo etiamsi sciatur, ubi habitet) esse licitum, vineam, id est, plebem, & gregem alienum excolere, seu pascere, sine licentia Episcopi, vel Presbyteri, ad cujus curam spectat. Et si quis forte præsumat, poterit ei illud objici: *Quis constituit te principem aut judicem super nos?* Teste Evangelio legitur, quod quidam de turba dixit Jesu: *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit ei, homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Et, si in rebus transitoriis exigitur, ut judex constituatur; ne se quis sponte ingerat, quanto magis in divinis? Apostolo quoque teste: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Itaque volens ostendere in vocatione Dei fidem ex auditu verbi Dei, prædicationemque ex fonte divinæ gratiæ manare, ait: [a] *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt: aut quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante; quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Ex hac connexione probatur, quod nec invocant aliqui Deum, si non ei credant; nec credunt, si non audierint: nec audiunt, nisi eis aliqui prædicaverint; nec aliqui prædicare debent, nisi mittantur. Prius ergo est a Deo mitti, a quo bona cuncta procedunt: & sic Deo mittenti quisque obedire debet & prædicare. Sic nimirum Moyses mittitur a Deo filiis Israel, & post multas excusationes ne mittatur habitas, Deo in voluntate persistenti, obtemperat. Sic Isaias, sic & alii sancti prophetæ, non nisi missi populum Dei docuerunt.

VII. In novo quoque testamento, apostoli aliique discipuli a Domino missi sunt prædicare verbum Dei. Unde & Apostoli dicuntur, id est, *missi*. Apostoli quoque Paullus & Barnabas a Spiritu sancto missi sunt, discipulis tamen jejunantibus, orantibus, & imponentibus illis manus, & segregantibus in opus, ad quod assumti erant: nec prædicandi officium accipiunt, quo usque ista & a Deo, & a discipulis facta fuerunt. Deinde Apostoli per singulas Ecclesias presbyteros constituerunt. Sanctus quoque Paullus præcipit Tito, ut per singulas civitates presbyteros, id est, Episcopos constituat.

VIII. Ex his patet, quod quidam mittuntur a Deo tantum: quidam a Deo & homine: quidam, nec a Deo, nec ab homine. A Deo tantum, ut Moyses, Joannes Baptista, & præscriptus sanctus Equitius. Scilicet beato Gregorio teste, *Istorum libertas vitæ ab infirmis in exemplum non est trahenda; ne dum quisque se similiter sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* A Deo mittuntur & homine; ut Apostoli a Christo, Deo scilicet & homine, & alii ab Apostolis, vel Episcopis eorum locum tenentibus. Hinc est, quod Apostolus ait Episcopis, quos ipse constituerat: [b] *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ecce, sicut liber Actuum Apostolorum refert; ipse constituerat, & tamen a Spiritu sancto missos ait. Sunt alii, qui a Deo non mittuntur; sed extremitate præsumtionis per se veniunt; & ut subtilius seducant, a Deo se missos mentiuntur; quibus vere potest illud propheticum coaptari: *Væ, qui prophetant de corde suo; qui ambulant post spiritum suum. Qui dicunt; dicit Dominus: & Dominus non misit eos.* De quibus salvator in Evangelio Joannis loquitur: *Omnes qui ante me venerunt, fures sunt & latrones.* Qui venerunt, non, qui missi sunt. Ipse enim ait: *Veniebant, & ego non mittebam eos.* In venientibus, præsumtio temeritatis; in missis vero, obsequium servitutis est. *Væ* igitur, id est, æterna damnatio est his, qui dicunt se missos, &

a Rom. x. 14. b Actor. xx. 28.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1168.



non sunt; quasi mendacibus, furibus & latronibus, A & præsumtuosis. Sane quia qui a Deo mittuntur, signa evidentissima habent; virtutes, scilicet caritatem, pacem, patientiam, continentiam, benignitatem, humilitatem, & ejus individuam comitem obedientiam, Hinc beatus Jacobus ait: *Quæ de sursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione*. Ecce, evidentia signa sapientiæ a Deo datæ!

IX. Qui vero a Deo mittuntur & homine, habent testimonium apertum, quod missi sunt. Qui vero per se veniunt, nec sunt missi; nec habent B testimonium hominis mittentis, nec Dei, si caruerint caritate, humilitate & obedientia: quæ, teste Beda, est individua comes humilitatis.

X. Ex his omnibus certo certius est, eos, qui sacrum ordinem non habent, non facile in plebe Dei audiendos; id est, nisi evidentia signa habeant, quod a Deo sunt missi. Et si rectoribus sanctæ Ecclesiæ obedientes non fuerint, patet, quod non sunt missi, sed per se venerunt. *Quia enim omnis potestas a Deo est; & quæ a Deo sunt, ordinata sunt, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem Dei ordinationi resistit, damnationem sibi acquirit.*

XI. Præterea, qui uxores habent, aut pondere terrenæ sollicitudinis opprimuntur, ad disseminandum verbum Dei idonei non sunt. Apostolo namque teste; *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Prædicator quippe verbi Dei, ab omni cura terrena cor liberum habere debet, ut tanto perspicacius aliis fugienda videat, quanto hoc ipse per scientiam & vitam verius declinat. Non enim proprie maculam in rebus considerat oculus, quem pulvis gravat. Hinc enim Dominus ait primis sanctæ Ecclesiæ doctoribus: *Nolite portare sacculum, neque peram*. Quid autem per peram significatur, D nisi onera sæculi? Hinc & primus Ecclesiæ pastor ait: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Instituamus*, inquit, *super hoc opus viros boni testimonii, plenos Spiritu sancto, & sapientia, nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus*.

XII. Cum igitur omnia supra dicta in doctore divini sermonis attendenda sint, formidolosum est committere laico talentum verbi, maxime cum hoc commissum sit Sacerdotibus, scilicet docere omnia legitima, quæ præcepit Deus filiis Israel per manum Moysi, Malachia dicente: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent* E *ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est*. Hæc dicta sunt, si Laicus fuerit Catholicus; scilicet, ut sine licentia Episcopi, vel Presbyteri, in ejus messe, id est, plebe, falcem verbi non mittat, nec familiæ, super quam Dominus eum non constituit, det tritici mensuram, aut se ingerens gregem pascat alienum, aut in vinea laboret aliena non vocatus.

CAPUT VI.

Respondetur objectioni, qua dicunt cum Apostolo: Obedire oportet Deo, non hominibus; *& de quibusdam aliis.*

SAne sive laicus, sive clericus in hæresim lapsus fuerit, a fidelibus audiendus non est, sed vitandus. Hæreticus vero est, qui antiquam, seu alterius hæresin sequitur, vel novam fingit. Tales sunt qui dicunt, non esse obediendum Episcopis, Sacerdotibus, nec, quod dictu horribile est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Istos tales hæreticos esse, seu infideles, ex eo constat, quod supra dictum est: *Sola enim est obedientia, quæ fidei meritum possidet*; qua sine, quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur.

II. Sed, inquiunt, *obedimus Deo, non hominibus, sequentes Petrum, qui dixit*; [a] Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Dominus quippe præceperat discipulis dicens*: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Principes vero sacerdotum, & magistratus templi, & seniores prohibuerant, ne docerent, aut loquerentur in nomine Jesu. Videns ergo Petrus Christum jussisse, ut docerent omnem creaturam: & e contra, Principes Judæorum probibuisse, dixit*: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

III. Sed ex hac scriptura præscripti hæretici errorem suum defendere nequeunt. Non est enim eis a Deo injunctum, ut doceant. Illi enim, quos Dominus mittit sicut prædictum est, evidentia signa humilitatis, cujus individua comes est obedientia, & caritatis, aliarumque virtutum & miraculorum habent; *Domino cooperante*, & *sermonem confirmante sequentibus signis*. Hæc signa illi non habent; quare nec a Deo missi sunt, nec loqui debent. Unde, cum beatus Job vocasset amicos suos, in specie hæreticorum, *fabricatores mendacii, & cultores perversorum dogmatum*, subdit: *Utinam taceretis, ut putaremini sapientes!* Item: *Numquid indiget Deus vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Et item: *Numquid habebunt finem verba ventosa?* Et rursum: *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me: & suscitatur falsiloquus contra faciem meam contradicens mihi*. Et item: *Verbosi amici mei*. Et item: *Attendite ad me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro*. Et item: *Responsio vestra ostensa est repugnare veritati*. Dominus quoque dixit ad Eliphaz Themanitem: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos; quia non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Job*. Teste vero Gregorio, Job habet typum sanctæ Ecclesiæ, & ejus amici figuram hæticorum: qui eo dicuntur *amici*, quod sanctæ Ecclesiæ in quibusdam Sacramentis communicant; sed in erroribus, quos sectantur, vel fingunt, dicuntur *fabricatores mendacii*. Et quia in ipsis defendendis laborant, dicuntur *cultores perversorum dogmatum*. Et quoniam eorum malitia latet, vocantur *rugæ*: qui dicunt testimonium contra sanctam Ecclesiam, dum eam simul oppugnant, non rationibus, sed sermonibus falsis & inutilibus; & ideo dicuntur *falsiloqui, & verbosi*, & eorum verba *ventosa*. Et ideo eis expedit tacere. Unde, & optat Job ut taceant; & ut superponant digitum ori, & attendant rectores sanctæ Ecclesiæ loquen-

a Actor. V. 29.

tes, implentes illud Jacobi: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum.*

IV. Provocant vero iram Dei in se, quia aliter quam sancta Ecclesia, docent. Qua de re, nec eorum sacrificia, nec orationes Deus suscipit: sed, si eis pœnitentibus sancta Ecclesia pro eis offerat, vel oret, suscipit. Unde & Dominus ait amicis Job: „ Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job: & offerat „ holocaustum pro vobis: Job autem servus meus, „ orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non „ vobis imputetur in stultitiam. Neque enim lo„ cuti estis coram me rectum, sicut servus meus „ Job. Et fecerunt sicut fuerat ad eos locutus Do„ minus; & suscepit Dominus faciem Job, & con„ versus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille „ pro amicis suis. „

V. Desinant ergo hæretici verbosari; & relicto superbo principatu, quasi immolatis tauris & arietibus, pœnitendo ad sanctam redeant Ecclesiam; quæ sacrificiis & precibus, pro eorum erratibus intercedit: quoniam, extra eam, nullius sacrificium, vel oratio suscipitur.

VI. Apostolos igitur a Deo esse missos, vitæ honestas, miraculorum novitas, doctrinæ integritas testabantur. Qua de caussa, Judæis infidelibus, Domini crucifixoribus, ac discipulorum persecutoribus, præcipientibus aliud, ut scilicet nomen Domini exstingueretur, quasi blasphemantibus Deum, Apostoli obedire non debuerunt; sed Domino cooperanti, & sermonem confirmanti sequentibus signis, qui & eos miserat. Sed e contra, præscripti omnino Deo non obediunt, & insuper obediunt infidelibus hominibus, id est, hæresiarchis: quidam vero, nec Deo, nec hominibus. Deo quippe non obedire ex eo constat, quia non obediunt, quibus Dominus jussit obediri, scilicet qui sedent super cathedra Moysi, id est, Episcopis & Sacerdotibus, qui locum Moysi tenent, dum populo Dei præsunt, regunt, & Dei præcepta docent, ac perversos corripiunt. Hinc scriptum est: *Super cathedram Moysi sedent Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Præterea Apostolus ait: *Obedite Præpositis vestris, & subjacet eis.* Et Petrus: *Adolescentes subditi estote senioribus.* Seniores vero vocat pastores gregis: de quibus supra dixerat; *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

VII. Ex his certissime apparet, prænominatos hæreticos nec Deo, nec Apostolis obedire. Quidam vero in reprobum sensum traditi, hominibus perfidis, ut hæresiarchis obediunt, contemtis pastoribus Catholicis. Alii, quasi oves sine pastore, nullius obedientiæ subjacent, quos lex Dei vocat *filios belial*, hoc est, *absque jugo*. Sane Dominus oves, quas per se paverat, ascensurus ad cælos, non sine pastore reliquit: sed beato Petro commendavit dicens; *Simon Joannis diligis me plus his? pasce oves meas.* Quo exemplo instructi apostoli atque apostolici viri, per successiones temporum fidelibus Dei pastores præficere curaverunt. Nam & grex sine pastore perit, & exercitus sine duce, & urbs sine domino, & regio sine rectore dissipatur, sicut scriptum est: *Ubi non est gubernator, corruit populus.*

VIII. Ex his & hujusmodi attendant inimici veritatis, quantum desipiant, qui sine gubernatore Deo, vel homine exsistere præsumunt. Ex verbis igitur beati Petri, quibus se obedire Deo, non hominibus, astruere nitebantur, quasi Goliath proprio gladio jugulantur; dum nec Deo, nec hominibus Catholicis obedire convincuntur. Eapropter, quasi infideles, & anthematizati vitandi sunt, nec salutandi, nec in communionem recipiendi: sed fugiendi, & de medio tollendi. Hinc Apostolus ait: „ Nolite jugum ducere cum infidelibus: „ quæ enim participatio justitiæ cum iniquis? Aut, „ quæ societas luci ad tenebras? quæ autem con„ ventio Christi ad belial? Aut quæ pars fideli, „ cum infideli? Qui autem consensus templo Dei, „ cum idolis? *Item idem Apostolus.* Sed licet nos, „ aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præter„ quam quod evangelizavimus vobis, anathema „ sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; si „ quis vobis evangelizaverit præter id, quod ac„ cepistis, anathema sit. *Et idem:* Hæreticum ho„ minem post unam & alteram correptionem de„ vita, sciens, quia subversus est qui hujusmodi „ est: *id est perditus est, qui & ita incorrepti„ bilis*, & delinquit proprio judico condemnatus. „

IX. Alii judicio Ecclesiæ, ab ea, pro suis criminibus ejiciuntur; sed hæretici suo judicio ab ea recedunt. Idem præcipit Thessalonicensibus: „ Ne „ commisceantur ei, qui non obedierit verbo e„ *jusdem Apostoli. Hinc & beatus Joannes*: Omnis, „ qui recedit, & non permanet in doctrina Chri„ sti, Deum non habet. *Et post pauca*: Si quis „ venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, „ nolite recipere eum in domum; nec ave ei „ dixeritis. Qui enim dicit ille ave, communicat „ operibus malignis. *Hinc & beatus Paullus*: De„ nunciamus vobis fratres in nomine Domini no„ stri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni „ fratre ambulante inordinate, & non secundum „ traditionem, quam acceperunt a nobis. *Et i„ tem*: Profana, & inaniloquia devita: multum „ enim proficiunt ad impietatem, &c. *Et iterum:* „ Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. *Et „ item*. Auferte malum ex vobis ipsis, „ quod fit, cum malus homo a communione Ecclesiæ per disciplinam Ecclesiasticam ejicitur. Et item. „ Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non „ obedire? Nemini consenseritis. Persuasio enim „ non est ex eo, qui vocat vos, *scilicet Deo*, „ sed ex diabolo. Modicum fermentum totam mas„ sam corrumpit. *Et item*: Nolite communicare „ operibus infructuosis tanebrarum, magis autem „ & redarguite. *Et iterum*. Nemo vos decipiat „ in sublimitate sermonum, *quæ scilicet non est*, „ *nisi in verbis. Et iterum Joannes*: Nolite cre„ dere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex „ Deo sunt. *Et beatus Petrus*: Carissimus frater „ noster Paullus, secundum datam sibi sapientiam „ scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis: in „ quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ „ indocti, & instabiles depravant, sicut & cete„ ras scripturas, ad suam ipsorum damnationem. „ Vos igitur, fratres, præscientes, custodite vos„ metipsos, ne insipientium errore traducti, exci„ datis a propria firmitate. „

X. Hæc sacrarum scripturarum verba, quasi commonitoria salutis fidelibus Christi cogitanda, memoriterque retinenda excerpsimus; ut aperte sciant, non esse participationem, seu societatem habendam

cum perfidis hæreticis, nec audiendos, quasi anathematizatos, sed vitandos quasi perditos, & manifeste incorrigibiles, nec eis commiscendum esse, quasi inobedientibus, nec salutandos, aut in domum recipiendos, quasi antichristos, sed quasi profanos & inaniloquos devitandos. Trahunt nempe ad impietatem & more cancri, paullatim sana membra, id est, fideles corrumpunt, atque quasi fermentum eos, qui sibi participant, quasi massam similæ, amissa naturali dulcedine Catholicæ unitatis inflant ad superbiam, & acidos reddunt, id est, sibi conformes mente, sed & mente corruptos, ut ait Apostolus, & qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem, dum pro quæstu, non pro futuris prædicant. Hinc est, quod non est eis communicandum, sed magis sunt redarguendi.

XI. Unde & Apostolus utens verbis Isaiæ, quasi filiis ait: *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus. Et immundum ne tetigeritis. Et ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens*. Separatur a malis, qui eorum opera non imitatur. Immundum non tangit, qui peccatis non consentit. Exit, qui ore non parcit, sed quantum licet, corrigit. Hæc est cælestis vox, quam Joannes audivit dicentem: *Exite de illa, populus meus, & ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis: quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus*. Hic duobus modis non maculant nos, si eis non consentimus; sed redarguimus, quasi agentes opera tenebrarum, & quasi depravatores sanctarum scripturarum, quasi infideles & insipientes, & coruptores mentium, & quasi lupos spirituales, qui rapiunt & dispergunt gregem Domini;, sicut scriptum est: *Intrinsecus sunt lupi rapaces*. Habentes animum venenatum, & intentionem, & exterius si copia detur, persequendo, & interius corrumpendo, & more spinarum, vel tribulorum, cruentantes eos, qui sibi appropinquant, & conscindentes, sicut scriptum est: *Numquid colligunt de spinis uvas? aut de tribulis ficus?*

Caput VII.

Declaratur, quos maxime seducant, quos non?

I. Ostenso, quantum noceant hæritici in populo Dei, videamus, cooperante Spiritu sancto, quos maxime seducant.

II. Seducunt ergo mulieres, viros, non viriliter, sed muliebriter agentes: imperitos, mendaces; eos, qui non obediunt veritati, sed consentiunt iniquitati; avaros: denique eos, qui non habent signum in frontibus suis, id est, caritatem in cordibus. Seducunt mulieres prius, per eas viros; ut diabolus prius Evam, & per eam Adam. Sic & Job per ejus uxorem subvertere voluit dicentem: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere*. Sic & per uxorem Pilati dicentem ei; *Nil tibi & justo illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter illum*. Mysterium passionis Domini voluit impedire, ne per ejus mortem, amitteret imperium. Hinc Apostolus de pseudochristis & hæreticis ait Timotheo: *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; & hos devita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos; & mulierculas ducunt captivas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis*.

III. Ecce patet, quia seducunt non firmos, sed mulieres seductibiles, dignas seduci, utpote oneratas peccatis. Seducunt & viros femineæ debilitatis, sicut scriptum est: *Congregatio taurorum in vaccis populorum. Tauros* vocat hæreticos; qui sunt superbi, & indomiti cum vitiis: qui congregantur in vaccis populorum, hoc est, in illis, qui facile possunt seduci.

IV. Seducunt & imperitos. Unde in proverbiis; *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris vitiorum, & nihil omnino sciens, &c.* ait; *qui est parvulus, declinet ad me*. Mulier stulta & clamosa est hæretica pravitas. *Stulta* scilicet per fatuum intellectum: *& clamosa* per garrulitatem: *plenaque illecebris vitiorum; & nihil omnino sciens*, ait: *qui est parvulus, declinet ad me*. Parvulus est omnis stultus, deficiens sensu.

V. Seducunt & innocentes, scilicet simplices. Unde Apostolus: *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*. Seducunt & corde humiles: unde in Proverbiis: *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis. ut comedat inopes de terra, & pauperes*. Ex omnibus hæretici pro dentibus gladios habent: quia eorum pravi doctores percutere magis, quam mederi, occidere potius, quam vivificare noverunt. Hi inopes de terra comedunt, dum quosdam sensu tardiores seducendo, in suo corpore velut mortuos tangunt. Similiter & pauperes ex omnibus, hoc est, corde humiles de congregatione fidelium supplantare conantur.

VI. Seducere nituntur rectos corde. Unde: *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Peccatores*, id est hæretici, intenderunt arcum, hoc est scripturam veteris & novi Testamenti ad se detorserunt, juxta suum errorem eam interpretantes; *& paraverunt sagittas suas*, hoc est venenata verba in corde; & hoc ideo, *ut sagittent rectos corde in obscuro*, id est, in ambiguis. Vel sic; *in obscuro*, id est, in simplici sensu, & propter carnales & imperitos obscurato. Vel, *in obscura luna*, id est Ecclesia, quæ obscurata fuit in exordio fidei, vel quæ obscuratur nebulis blasphemorum: vel, cum cædibus Martyrum cruentatur. In hac obscuritate sagittant hæretici. Quia sciunt hæc tempora decipiendis infirmis accommoda. Illis autem subversis, arbitrantur etiam sic adtrahere rectos corde. Vel, filii Ecclesiæ dicuntur *obscura luna*, dum peccant: in qua hæretici sagittant; cum per tales ministros Ecclesiæ Sacramenta præparent per quos quosdam infirmos decipiunt, cum ministrorum merita attendere suggerunt.

VII. Ex his patet, quod seducunt infirmos & inscios. Quod ne fiat, Apostolus admonet dicens: *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris*. Non simus, inquit, *garruli* intellectu; *fluctuantes*, id est, modo bene, modo male agentes; *& circumferamur*, alio urgente omni vento doctrinæ. Doctrina pravorum, quasi ventus tempestatis impellit ignorantem & infirmum ad perditionem, id est, naufragium. Quæ doctrina fit in nequitia & astutia hominum, id est, per homines nequam in se, & ad simplicium deceptionem astutos: quorum doctrina semper fit ad circumventionem erroris; hoc est, ut aliqua circumventione in errorem inducant. Hinc ergo

alibi ait: *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas, &c.* Et iterum. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote; sensibus autem perfecti estote.*

VIII. Sane sapientes & fortes non seducunt. Unde in Proverbiis: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Oculi pennatorum, animæ sunt beatorum, virtutum pennis suffultæ; quæ acuto visu cælestia contemplantes, ad superna evolant. Ante quorum intuitum frustra ab impiis deceptionis rete prætenditur: quia divinitus adjutæ, cunctos eorum laqueos facile transscendentes, ad supernam pertranseunt scientiam.

IX. Seducunt & eos, qui veritatem, seu caritatem non recipiunt. Vel, si recipiunt, non recipiunt ut salvi fiant; & eos, qui consentiunt iniquitati. Unde Apostolus volens de diabolo, qui jam per pseudochristos operatur mysterium iniquitatis, ostendere, quos decipiat per Antichristum, ait: „ Destruet illustratione adventus sui eum, „ cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis „ qui pereunt: eo quod caritatem veritatis non „ receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis „ Deus operationem erroris, ut credant mendacio, „ ut judicentur omnes, qui non veritati, sed con„ senserunt iniquitati. „

X. Et Dominus in Evangelio Joannis: *Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Ecce qui veritatem, quæ Christus est, non recipit, districto Dei judicio, credit mendacio, & recipit erroris operatorem: & qui veris Dei signis non credidit, credit mendacibus ut qui a veritate se elongavit & ejus signis; jungitur mendaci per mendacia signa. Unde & David de reprobis: *Secundum opera manuum ejus tribue ipsis: redde retributionem eorum ipsis: quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus destrues illos, & non ædificabis eos.*

XI. Denique seducunt eos, in quibus non est signum Dei, id est caritas, seu virtus fidei. Unde in Apocalypsi præceptum est in specie hæreticorum locustis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Quid heic terra significat, nisi sanctam Ecclesiam, sicut scriptum est; *Terra in æternum stat?* Hujus terræ fœnum, sunt incipientes, adhuc formidantes æstum tribulationum; sed tamen fidei & unitati Ecclesiæ totis radicibus pro posse inhærentes. Viride vero quid aliud significat, nisi eos, qui virorem sui ostendunt, qui vitam fidei operum profectibus ostendunt? Quid vero arbor significat, nisi contemplatione, & operum seu virtutum excellentia sublimes?

XII. His igitur tribus fidelium generibus hæretici non nocent: sed his, qui non habent *signum Dei*, id est, caritatem. *In quo*, ut beatus Joannes ait, *manifesti sunt filii Dei & filii diaboli.* Et Dominus: *In hoc cognoscent, quia mei eritis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Vel *signum Dei*, est virtus Dei: de qua idem Joannes; *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra.* Hi igitur qui hoc signum non habent, dignum est ut lædantur: ut *qui in sordibus sunt, sordescant ad-*

A *huc: & consummetur nequitia peccatorum.* Digni sunt, ut tales habeant magistros, qui magistrum unum contemserunt Deum, per quos cæcos cæci in foveam cadant. Hinc in Osee hæresiarchis dicitur: *Laqueus facti estis speculationi omnes vos, & expansum rete super Thabor.* Laqueus sunt & rete, per quos qui signo Dei carent irretiuntur in speculatione cælestium, quam illis promittunt.

XIII. Merito vero per locustas instabiles, saltantes, ore nocentes frugibus, plus quam cetera minuta animalia, hæretici designantur. Quia, *in veritate non steterunt, sed exierunt ex nobis; quia non*
B *erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Et in disceptatione positi quasi saltant, dum in aliquo errore convicti ad aliquam fugiunt, immo saltant, umbram rationis, ne victi videantur. Ore vero nocent: quia, sicut scriptum est: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.* Acuerunt linguas suas sicut serpentes, ut *per dulces sermones & benedictiones* seducant corda innocentium. Et ideo venenum aspidum est eis, non in labiis, sed sub labiis; quia non aperte, sed occulte lædunt, & morte serpentium per linguam morsu venenum erroris insanabile immittunt. Unde, & plus quam ceteri pravi homines, qui per minuta animalia figuran-
C tur, ore nocent frugibus, id est, operibus & virtutibus quorumdam fidelium. Quia ea, quæ nec penitus auferunt, quandoque vitiant & corrumpunt: ut aut ex toto priventur fide Catholica; aut in fide hæsitent. Quod quantum sit malum, ex verbis beati Jacobi patet, qui ait: *Qui vero hæsitat*, in fide scilicet, *similis est fluctui maris, qui a vento movetur, &c. Non ergo æstimet homo ille, quod aliquid accipiat a Domino.*

XIV. Sane & avari, plerumque exigentibus culpis suis merentur seduci. Unde legitur, diabolum dixisse contra Achab regem, sed idololatram: *Ego*
D *decipiam Achab. Et dictum est: In quo decipies? Qui respondit: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Achab enim rex, peccatis magnis præcedentibus, dignus erat ut tali deceptione debuisset damnari: quatenus, qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta justitia licentia malignis spiritibus datur; ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœna etiam nolentes trahant.

XV. Item is, qui vitam reprobam non mutat, a perpetrandis peccatis animum non avertit, cum a propheta aliquid requirit, illa audit Deo
E disponente, quæ meretur audire damnandus. Ecce, & domus Israel a cultu Dei sub idolorum servitute recesserat, & tamen ad prophetas, a quibus decipi consueverat, spe veniebat prospera requirens. Cum vero ex ore prophetarum, perversa agens, prospera audiret; quid aliud superna judicia agebant, nisi, ut peccator populus in suo corde caperetur? quatenus, qui perfidiam sequendo deliquerat, sic prophetarum suorum blandis sermonibus deciperetur; ut jam nec pertimesceret, quia deliquisset: & tanto post durius raperetur ad pœnam, quanto nunc securius viveret in culpa.

XVI. Sed ecce, largiente Deo, genus humanum veram fidem publice fatetur, subdi cuilibet creaturæ in adoratione renuit. Securus ergo, prophetam quilibet fide positus consulit: quia hoc auditurus est, quod audire fidem decet. Fidenter dico, si ab

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1168.



immunditis aliis, atque a pravis actibus recessit, securus est. Nam cum Paullus clamet, *& avaritia, quæ est idolorum servitus:* quisquis adhuc avaritiæ subjectus est, a cultu idolorum liber non est. Si ergo is, qui avaritiæ anhelat, in fide quidem positus esse videtur, sed aliena ambit, accipere honores mundi desiderat, temporalem gloriam concupiscit atque de hac eadem gloria prophetam consulat: justum valde est, ut ex culpæ suæ merito a prophetæ ore prospera audiat; quatenus, si verba Dei audire in sacro eloquio noluit, ut terrena despiceret, cælestia amaret; illud, Deo judice, ex prophetæ sui ore audiat, unde amplius obligatus cadat.

XVII. Ecce ex his patet, quod avari a cultu idolorum liberi non sunt, quamvis in fide positi videantur. Unde Deo judice, illud ex prophetæ sui ore audiunt, unde obligati cadant. Et ut generaliter dicamus qui vitam reprobam non mutat, ille audiet, Deo disponente, quæ meretur audire damnandus; ut sic cæcorum duces sint cæci.

Caput VIII.

Contra hoc, quod mulieres prædicare posse dicunt.

I. PRæter errores jam dictos, graviter errant; quia feminas, quas suo consortio admittunt, docere permittunt, cum hoc sit Apostolicæ doctrinæ contrarium. Scriptum est enim: *Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui. Si quid autem volunt discere; domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia:* Ecce Apostolus jubet, ut mulieres taceant in Ecclesiis materialibus, vel in congregationibus fidelium, non quidem ab oratione, vel laude Dei, sed a Doctrina; & ne quæ in Ecclesia aliquid interrogent sub occasione docendi, sed domi viros suos. Unde apertius alibi ait: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primum formatus est, deinde Eva. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Ecce aperte Apostolus dicit, ut mulier, etiam cum discit sileat, nec doctorem Ecclesiæ interroget. Docere quoque non permittitur, vel dominari in virum duabus de caussis: tum scilicet, quia post virum formata est: tum etiam, quia seducta fuit in prævaricatione Dominici præcepti, quasi diceret; *& non vir.*

II. Igitur ratione temporis, & culpa exigente, docere non permittitur, vel dominari in virum; nec doctorem interrogare; quia pro peccato quod ipsa induxit, semper verecunda, conspectum publicum fugere potius debet, quam quærere. Beatus quoque Petrus ait: „ Mulieres subditæ sint viris „ suis, ut & si qui non credunt verbo, per mu„ lierum conversationem sine verbo lucrifiant; con„ siderantes in timore sanctam conversationem ve„ stram. „ Ecce, heic dicitur aperte, quomodo fideles mulieres debent lucrifacere viros infideles, scilicet exemplo sanctæ conversationis, sine verbo prædicationis. Unde colligitur, quia si virum docere non potest verbo, sed opere tantum, multo minus alios docere potest verbo. Timendum est enim, ne hostis antiquus arte pristina utens, per mulieris verbum virum seducat. Sic ait ad Job

A per mulierem: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo*, id est maledic, *& morere.* Sed vir in quiete & tribulatione perfectus, repulit eam dicens: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Et sic in sterquilinio positus, superavit eum, qui primum hominem in paradiso prostravit. Hinc & in lege dicitur mulieri: *Sub viri potestate eris.* Hinc & Apostolo teste; *Mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine dati sunt ei.* Ecce, quæ debet esse gloria mulieris, scilicet velare seipsam in signum scilicet subjectionis; „ Ca„ put enim mulieris vir. *Et iterum:* Omnis mu„ lier orans, aut prophetans non velato capite, „ deturpat caput suum. *Et iterum:* Non est crea- B
„ tus vir propter mulierem, sed mulier propter „ virum. Ideo debet mulier potestatem habere su„ pra caput, & propter angelos; „ quibus scilicet grata est, sacrata & pia significatio.

III. Qua ergo temeritate præsumat mulier verba Dei publice docere, quæ ipsum Deum orare, aut prophetare non debet, nisi velata? Et si caput mulieris est vir, qua fronte audeat docere virum, scilicet caput suum? Et si in signum subjectionis & pudoris velamen debet habere, reminiscatur peccati, pro quo ex prima prævaricatione punita est, & viro subjecta: nec legem libertatis docere præ- C
sumat subjecta. Hinc in decretis dist. 23. per Concilium Carthaginense VI. jubetur; „ Mulier, quam„ vis docta & sancta, viros in conventu docere „ non præsumat. Laicus autem, præsentibus Cle„ ricis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat.

IV. Præterea gloriosa Dei mater & virgo, quæ *conservabat omnia verba* sibi ostensa, *conferens in corde suo*, non legitur prædicasse. Sed nec Maria Magdalena, aut aliqua de mulieribus, quæ secutæ sunt Dominum.

V. Sed dicunt inimici veritatis, mulieres debere
D docere; eo quod Apostolus dicat ad Titum: [a] „ Anus similiter, *scilicet exhortare, ut sint* in habitu sancto; non criminatrices, non multo vi„ no servientes, bene docentes; ut prudentiam do„ ceant adolescentulas, ut viros suos ament; filios „ suos diligant, prudentes, castas, sobrias, curam „ domus habentes, benignas, subditas viris suis, „ ut non blasphemetur verbum Domini. „ Ad quod notandum est, Apostolum non dicere, ut publice viros anus doceant, sed private adolescentulas, ita tamen ut eas prudentiam illam doceant quam consequenter subdit. Nec tamen nisi anus docere permittit: quæ sicut ætate, sic morum maturitate adolescentulas excedunt: ut præter ea, quæ
E cum senibus communia habent, quæ superius dixit Apostolus; scilicet, ut sint sobrii, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, & patientia; habeant quæ pro sexu illo propria subjungit Apostolus dicens; ut sint *in habitu sancto, &c.* Repelluntur igitur, ne doceant mulieres hæresim sapientes: secundum prædicta autem verba, ne doceant, nisi sint anus moribus & ætate, & ne doceant, nisi adolescentulas: immo, omnino interdicitur eis, ne doceant; ideo scilicet quia non sunt sanæ in fide, sine qua esse convincitur, quisquis obediens non est, ut superius monstratum est.

VI. Item hunc errorem confirmare nituntur exemplo Annæ prophetissæ, quæ Evangelio teste in ipsa hora, qua Dominus oblatus est in templo,

[a] Tit. II. 3. 4. 5.

superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemtionem Israel.

VII. Sed attendant, qualis erat Anna. Erat quippe viro mortuo, vidua usque annos octoginta quatuor; *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die*. Merito ergo tam diuturnæ abstinentiæ, continentiæ, & continuæ orationis data est ei prophetia. Adducat quis talem feminam: & ego libenter audiam, non docentem, sed confitentem sua peccata Deo, vel confitentem Domino confessione laudis. Nec dicitur heic, quia prædicavit, vel docuit; sed *loquuta est de Christo omnibus, qui exspectabant redemtionem Israel*. Non est idem, *prædicare* & *loqui*. B Omnis enim, qui prædicat, vel docet, loquitur; sed non omnis, qui loquitur, prædicat, aut docet. Loquitur enim quis, dum orat, nec tamen dicitur docere. Loquebatur ergo de Christo, *confitendo*, id est, laudando vel prophetando, non docendo. Diversa enim sunt dona spiritus, scilicet prophetia, & doctrina; quod potest perpendi ex verbis Apostoli dicentis; „ Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? *Et iterum*: Cum convenitis fratres, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem C habet. Omnia ad ædificationem fiant. *Et iterum*: Vos estis corpus Christi, & membrum de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. *Et iterum*: Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alteri gratia sanitatum in uno Spiritu: alteri operatio virtutum, alteri prophetia, alteri discretio spirituum, alteri gratia linguarum, alteri interpretatio sermonum. „ Cum igitur aliud sit donum prophetiæ, D aliud sermo doctrinæ, secure concesserim, Annam, seu quasdam mulieres prophetasse: nec tamen consequenter dicendum erit, easdem docuisse: alioqui male posuit Apostolus eadem quasi diversa.

CAPUT IX.

Contra hoc, quod dicunt defunctis fidelibus non prodesse vivorum eleemosynas, jejunia, Missarum solemnia, aliasve orationes.

I. Et quoniam mos est male errantium, nisi continuo resipiscant, in deteriora labi, *ut qui nocent, noceant adhuc; & qui in sordibus sunt, E sordescant adhuc; ut & consummatur nequitia peccatorum*; audent jam insani hæretici, eis quos seducunt, dicere: defunctis nihil prodesse fidelium vivorum eleemosynas, jejunia, orationes, nec etiam Missarum solemnia, seu orationes pro eis factas. Hæc hæresis refellenda est prius auctoritatibus canonicis: deinde scripturis patrum catholicorum, seu rationibus catholicis.

II. Legitur ergo in libro Machabæorum: [a] Quod *vir fortissimus Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, &c.* Ecce vir A fide plenus, zelo legis Dei accensus, pro populo Dei multum orans, Deo devotus, tyrannis resistens, pro lege Dei sui certans usque ad mortem, pro his, *qui cum pietate dormitionem acceperant*, duodecim millia drachmas misit Hierosolymam offerri. Hoc Ecclesia Catholica legit devote, prædicat publice, & servat in exemplo, offerrens pro fidelibus defunctis, ut a cunctis reatibus absoluti, cum Deo sine fine lætentur.


III. Et certe legimus in novo Testamento, circumcisionem, aliaque nonnulla veteris Testamenti instituta, debere cessare: nusquam vero legitur sacrificia pro fidelibus defunctis esse prohibita: cum certo certius sit, quædam peccata nonnullorum fidelium heic solvi, quædam in futuro. Unde & in libro Machabæorum habetur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Inde etiam Dominus ait: [b] *Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur, parvis scilicet, minimisque peccatis: sicut est assiduus ociosus sermo, immoderatus risus, peccatum curæ rei familiaris: quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare valeant, sciunt: aut in non gravibus rebus error ignorantiæ. Hinc & beatus Augustinus ait in Enchiridio: „ Neque negandum est defunctorum animas, pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. *Et iterum*: Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt; pro non valde malis, propitiationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

IV. Præterea, quod preces viventium prosint defunctis fidelibus, exemplis constat non paucis. Ecce enim, cum teste beato Gregorio, Germanus Capuanus episcopus ex præcepto medicorum, pro corporis salute Angulanas thermas ingressus esset ut lavaretur; Paschasium sedis Apostolicæ diaconum jam defunctum, qui miræ sanctitatis fuerat, eleemosynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, & contemtor sui, stantem & obsequentem in caloribus invenit. Et inquisitus, quid illic tantus vir faceret? respondit: se in pœnali illo loco deputatum, ideo tantum, quia contra Symmachum pro Laurentio senserat; ut eo spreto, Laurentius summus pontifex crearetur; aliis fidelibus contra sentientibus, qui & prævaluerunt. *Sed quæso*, inquit, *te pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis; si huc rediens, me non invenies*. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit. Et post paucos dies rediit, sed jam prædictum Paschasium in loco eodem minime invenit.

V. In eodem quoque libro, Petro interrogante, quidnam esse possit, quo mortuorum valeat animabus prodesse; Respondet beatus Gregorius: *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum so-*

[a] I. Mach. XII. 43. seqq. [b] Matth. XII. 32.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1168.



let animas, etiam post mortem, sacra oblatio hostiæ A *salutaris adjuvare: ita ut hoc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere*. Presbyter enim quidam in diœcesi Centumcellensis urbis, in aquis calidis, quoties necessitas corporis exigebat, lavari consueverat; cum quidam vir incognitus cum magno famulatu de pedibus calceamenta abstrahebat, vestimenta suscipiebat, exeunti a caloribus sabana præbebat, atque omne ministerium peragebat. Cumque hoc sæpius fieret, quadam die duas oblationum coronas obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit; petens ut benigne susciperet, quod ei caritatis gratia offerebat: quam oblationem humiliter renuens, inter cetera ait: *Si mihi patrocinari vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc* B *panem, ut pro peccatis intervenias: & tunc te auditum esse cognosces, cum huc ad lavandum veneris, & me non inveneris*. In quibus verbis disparuit: & is, qui homo esse videbatur, evanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero presbyter, hebdomada se continua pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotide obtulit, & reversus post ad balneum eum jam minime invenit. Qua ex re, quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.

VI. Monachus quoque quidam in monasterio C beati Gregorii in ultima ægritudine pro tribus aureis, quos absconderat quasi proprios, a fratribus contemtus est; ut ejus morti interesse nollent, & fratrum sepultura careret. A morte vero ejus XXX. diebus evolutis, consulente beato Gregorio, XXX. diebus continuis salutaris est hostia immolata. Et post hoc, apparens cuidam per visionem nocte, dixit, sibi bene esse: quia communionem receperat, cum præcedenti die tricesima oblatio fuisset impleta pro eo.

VII. Ecce his patet exemplis, multum prodesse spiritibus defunctorum preces, & immolationem hostiæ salutaris; cum per ista a peccato dissensio- D nis, seu schismatis prædictus Paschasius, & a peccato proprietatis post amaritudinem animi habitam in exitu; & post ignis Purgatorii cruciatum XXX. dierum, præscriptus monachus sit absolutus.

VIII. Hoc etiam roboratur, & amoto omni dubietatis scrupulo confirmatur testimonio, & longissima consuetudine Catholicæ Ecclesiæ, Apostolo teste, *columna & firmamentum veritatis*. Orat namque pro defunctis fidelibus, non solum alias, sed etiam inter sacra Missarum solemnia. Et certe, si nulla alia suppeteret auctoritas, exemplum, aut ratio, sufficere deberet sanctæ Ecclesiæ tanto tempore approbata consuetudo. Nam si *in ore duorum* E *aut trium testium stat omne verbum*: quanto magis si tota Ecclesia, ubique terrarum hoc concorditer clamat; Spiritus enim sanctus, sicut Dominus ait, docet (eam) omnem varitatem. Hic replevit orbem terrarum, id est, sanctam Ecclesiam, quæ est ubique terrarum; & ideo non permittit errare ipsam. Hæc est enim septem lucernæ supra candelabrum tabernaculi. Septiformis quippe gratia Spiritus sancti, Catholicam illustrat Ecclesiam, ne tenebris errorum involvatur.

IX. His etiam adminiculantur rationes Catholicæ. Etenim, ut ait Augustinus: „ Quidam vivendi modus nec tam bonus est, ut non requirat ista post mortem; nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut non requirat ista: estque rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum de hac vita transierit, adjuvari. Ergo pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde bonis gratiarum actiones; pro valde malis nulla sunt adjumenta mortuorum, sed vivorum qualescumque consolationes. „

X. Nec mirum, si viventium beneficia, vel orationes mortuis corporaliter prosint in quibusdam culpis solvendis; cum prosint etiam mortuis in anima ad infidelitatis vel aliorum criminum labem abolendam. Oravit quippe beatus Stephanus pro lapidantibus, & conversus est Paullus. Oraverunt pro paralytico, quem portabant quatuor viri, & dimissa sunt ei peccata, & corporis salus reparata.

XI. Item, Christus corporaliter positus in monumento, spiritu in infernum descendens eduxit inde suos: quid igitur mirum, si electi ad loca purgationis descendentes, inde postea educantur, cum pro ipsis illa victima immoletur, quæ singulariter ab æterno interitu animam salvat, quæ mortem unigeniti nobis per mysterium reparat? Et si oratio pro alio facta confert ei; quid mirum, si eleemosynam, aut jejunium pro alio exhibitum ei prosit? Sunt illa enim verba Apostoli: *Sine intermissione orate*. Ait sanctus Augustinus: *Justus numquam desinit orare, nisi desinat justus esse. Semper orat, qui semper bene agit*.

XII. Item, *Sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra, Deus autem temperavit corpus, ut non sit schisma*: id est discordia, *in corpore*, id est in Ecclesia, ubi debet esse unitas. *Sed in id ipsum pro invicem sollicita sunt membra*. Sollicita, inquam, sint in id sollicitudinis, quod sit ipsum, id est, indifferens, ut non minus pro alio, quam pro se (laboret.) *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia menbra*.

XIII. Ex his patet, quod sicut per eamdem animam diversa membra vivunt, & colligantur: sic & per eumdem Spiritum Christi diversa ejus membra reguntur, & in unitate conservantur. Inde est, quod pro se invicem solliciti sunt omnes fideles in Christi corpore constituti; ut si quid patitur unus, compatiantur ceteri. Et ideo, fidelibus in igne purgatorio patientibus, ceteri compatientes solliciti sunt pro eis: *Sollicitudine* vero *non pigri*, sed quasi pro se laborant, pro eis absolvendis. Inde est, quod jejunando, vigilando, eleemosynis aliisque piis actibus insistendo, orationibus instando, talibus remediis & vivis & defunctis in Christi corpore per unitatem fidei & compagem dilectionis constitutis subvenire procurat.

XIV. Et nimirum *sanctus & verus, qui habet clavem David, qui claudit, & nemo aperit, aperit & nemo claudit, qui habet claves mortis & inferni, desiderium pauperum exaudit, & aures ejus in preces eorum*; ut eos solvat, quos Ecclesia solvit: eos liget, quos Ecclesia ligat, sicut ipse ait: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælo*. Ideoque si quos Ecclesia solvit super terram, solvuntur & in cælo, sive

viventes, & morientes fideles. Ait enim *Quodcumque*.

XV. Legitur etiam in libro Dialogorum, quod beatus Benedictus pro vitio linguæ, nisi se corrigerent, duas sanctimoniales excommunicavit: quæ pristinis moribus non mutatis post paullulum defunctæ sunt, & in Ecclesia sepultæ. Sed dum sanctæ communionis hostia fieret, ab Ecclesia exire videbantur. Tunc beato Benedicto indicatum est: qui protinus, manu sua dedit oblationem, jubens, ut pro eis offerretur. Quæ dum pro eis fuisset immolata, non sunt visæ ulterius ab Ecclesia exire. Communionem quippe a Domino per servum Domini receperant. Ecce & ex hoc patet, quantum profit oblatio fidelium spiritibus defunctorum. Ut enim caro judicare de spiritibus possit, hoc largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro.

XVI. Sed ad hoc objiciunt inimici veritatis; post mortem hanc, prædicta nulli prodesse. Et ad sui erroris assertionem inducunt hæc testimonia. Dominus enim dicit: *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*. Et Apostolus: *Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et iterum: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*. Et Salomon: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas*. Et David: *quoniam in sæculum misericordia ejus*. Ex his verbis liquet, quod post mortem tenebris pœnarum involvitur, qui in hac luce viam Dei perambulare contemserit. Heic enim bene operantibus misericordia Dei tribuitur. Malis vero post hanc vitam non misericordia, sed judicium Dei erit. Quia tunc nullum possunt sibi comparare subsidium, aut salutem. Quapropter viventium beneficiis defuncti salutem adquirere nequeunt, aut rationem. Item teste Apostolo: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, sive bonum sive malum*. Ecce, secundum hæc verba unusquisque reportabit in judicio bonum vel malum, quod gessit in proprio corpore. Ex quo datur intelligi, non prodesse sibi, quod alius gessit pro eo, post solutionem corporis.

XVII. Ad hoc sciendum, has auctoritates hoc innuere, quod post mortem nullus potest comparare sibi aliquod meritum. Nullus enim, qui in hac vita neglexerit, postquam obierit, Deum poterit promereri. Verumtamen, si quis in fide operante per dilectionem ultimum clauserit diem, fidelium precibus, aut piis actibus poterit adjuvari. Heic enim meruit, ut ab ipsis fidelibus juvaretur. Quia inter ipsos fideles fideliter vivendo fidem servavit, & inter membra corporis Christi membrum exstitit. Hinc beatus Augustinus ait: *Heic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Nemo se præparet, qui hoc neglexit, cum abierit, Deum promereri*. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum*. Quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Nec enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Hinc & beatus Gregorius loquens ait: *Hoc sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque dignæ purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur*. Inde est quod ait, quia supra dictus Paschasius *ex suarum eleemosynarum largitate obtinuit hoc, ut tunc potuisset promereri veniam, cum jam nil posset operari*. Quod autem ait Apostolus *per corpus*, intelligendum est, per tempus quo vixit in corpore.

CAPUT X.

Contra eos, qui negant ignem purgatorium, & ajunt, spiritus a carne solutos, continuo ire ad cælum, vel infernum.

I. Sunt vero hæretici quidam, qui asserunt animas a carne solutas continuo ascendere in cælum, aut descendere in inferni supplicium. Negant enim ignem purgationis. His obloquuntur auctoritates, exempla, ratioque Catholica. Apostolus enim ait: Christum esse fundamentum; atque subjungit: " Si quis superædificaverit supra hoc fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen salvus erit; sic tamen quasi per ignem. " Hoc de igne futuræ purgationis potest accipi.

II. Pensandum igitur sollicite est, quia illum dixit per ignem posse salvari: non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata majora, & idcirco duriora; atque tunc insolubilia: sed ligna, fœnum, stipulam, id est, minima peccata, atque levissima, quæ ignis facile consumat. Item Augustinus in Enchiridio: " Incredibile non est, aut inveniri, aut latere nonnullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque salvari; non tamen tales, de qualibus dictum est, quod regnum Dei non possidebunt, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi: ut steriles in eleemosynis non sint. " Item beatus Joannes Baptista ait populo de Christo; *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*. Purgat quippe Dominus peccata in baptismate & igni tribulationis temporalis, seu ignis purgationis. Item scriptum est: *Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat & liquefiat æs, & consummatur rubigo*. Olla est, quævis anima fidelis nunc plena virtutibus & operibus bonis, nunc vacua, id est imperfecta. Et quia in sanctis desideriis & operibus perfecta plane non est, (sed) peccatorum venialium rubigine est fœdata; & ideo super prunas ignis purgatorii poni jubetur, quousque crucietur ignis ardore, & sordes peccatorum levium in igne consummantur. Tanta enim erit mora permanendi in igne, quanta erit rubigo peccati.

CAPUT XI.

Contra eos qui dicunt, eosdem spiritus defunctorum ante judicium, nec cælum, nec infernum ingredi, sed aliis contineri receptaculis.

I. Sunt e contra alii qui dicunt, animas nec cælum, nec infernum ingredi ante judicium. Sed animas justorum placidis contineri receptaculis;

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1168.

reproborum vero spiritus, in locis pœnalibus. Piorum vero receptacula vocari *Paradisum*; sicut malorum loca pœnalia, *Infernum*. Post judicium vero electos sidereas possidere mansiones, & reprobos inferni cruciatibus torqueri.

II. Sed & hi in sua assertione falluntur. Tria quippe sunt loca, quæ spiritus a carne solutos recipiunt. Paradisus recipit spiritus perfectorum. Infernus valde malos. Ignis purgationis eos, qui nec valde boni sunt nec valde mali. Et sic, valde bonos suscipit locus valde bonus: valde malos locus summe malus: mediocriter malos locus mediocriter malus, id est, levior inferno, sed pejor mundo. De valde bonis erat Apostolus, qui dicebat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Christus autem est in dextera Dei patris, ubi etiam interpellat pro nobis. Quocirca, qui cum Christo esse post dissolutionem corporis cupiebat, haud dubium, quin in cælo, ubi Christus est, esse desiderabat. Unde evidentius ad Corinthios ait: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis*. Ecce, sine omni ambiguitate scit Apostolus, post dissolutionem terrestris domus, id est, corporis, quod est de terra, se habere in cælis domum æternam, non manu factam, id est, ministerio alterius, sed ex Deo, id est, operatione divina. Hinc & Dominus: *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*. Quia animæ spirituales, soluta mole corporis ascendunt ad cælum, ubi Christus est non solum secundum naturam divinam, sed & secundum humanam, in qua corporaliter cælos ascendit.

III. Et iterum: "Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit." Et iterum: "Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis:" Et rursum: "Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi." Magna itaque est merces amoris, & operis boni, esse cum Christo. Revera inæstimabilis honor, ut sit adoptivus cum unico; ut sit ubi est unicus, non coæqualiter divinitati, sed consociatus æternitati.

IV. De valde malis ait Apostolus. "Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt." Et in Apocalypsi Dominus: "Timidis & incredulis; & exsecratis & homicidis, fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus: pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda." Ecce, magna committentes crimina, non possidebunt regnum Dei, sed detrudentur in infernum.

V. Sane levia peccata committentes ad ignem transeunt purgatorium, ut purgentur; si tamen bonis actibus in hac adhuc vita positi, ut illuc veniant, obtineant; quos Apostolus ait salvari, sic tamen *quasi per ignem*, ut prædictum est.

A

CAPUT XII.

Contra eos qui in Ecclesia orare nolunt; nec Ecclesiam esse nuncupandam asserunt. Ubi probatur & Ecclesiam esse vocandam, & ibi esse orandum, & in magna veneratione habendam. Ubi etiam respondetur cuidam eorumdem hæreticorum objectioni, qua ex verbis beati Stephani ajunt, quod Excelsus non habitat in manu factis, *& ideo nec in Ecclesia.*

I. PRæterea apponunt iniquitatem super iniquitatem, & domum Dei, domum utique orationis contemnentes, malunt orare in stabulis, vel B in cubiculis, seu in thalamis, quam in Ecclesia. Et ad majorem contemtum, mulierculis & insipientibus persuadere nituntur, non esse Ecclesiam, nec sic debere vocari.

II. Contra quos sacræ scripturæ proferimus testimonia: *ut hoc præscientes fideles*, sicut beatus Petrus docet, *custodiant semetipsos ne insipientium errore traducti, a propria excidant firmitate*. Attendendum igitur est, quod domus Dei, domus orationis vocatur, & Ecclesia. Quantaque sit ei reverentia exhibenda, scriptum est in libro Evangeliorum; quod Dominus invenit in templo vendentes boves & oves, & columbas, & numularios C sedentes; & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & numulariorum effundens æs, mensas subvertit. Et his, qui columbas vendebant dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis*. Hæc Joannes. Marcus vero ait quod non sinebat Dominus *ut quisquam transferret vas per templum, & docebat dicens eis: Nonne scriptum est quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum*. Et his gestis; secundum Lucam, *erat quotidie docens in templo*.

III. Ecce evidenter patet, quod templum vocat D *domum patris sui*: & *domum suam*; & *domum orationis* non solum sibi, vel Apostolis, sed cunctis gentibus, id est, electis ex Judæis & gentibus. Hæretici vero, nec domum Dei, nec domum orationis vocant, nec in ea cum electis orare curant: sed malunt in domibus suis, quam in domo Dei orare. In quo patet, nec verbis, nec opere Dominum Jesum Christum sequi; dum templum, quod ipse tantopere veneratur & sermone & opere, ipsi blaphemant: nec in eo, ubi gentibus orandum esse prædixit, orant. Bestiam namque, hoc est, Antichristum sequuntur, id est imitantur; qui sicut in Apocalypsi dicitur; *Aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, &* E *eos qui in cælo habitant*.

IV. Blasphemant tabernaculum Dei, dum dicunt, potius in cubiculis vel stabulis, quam in domo Dei orandum. Blasphemant nomen Dei, dum dicunt, non creasse aut regere mundum. Blasphemant eos, qui in cælo habitant dum dicunt, Apostolos, Martyres, civesque cæli nullam posse opem conferre supplicantibus.

V. Præterea, in templo docebat, sicut dictum est: *Et erat docens quotidie in templo*. Ibi doctores audiebat, sicut scriptum est de parentibus ejus, *quia invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem*. Et cum dicerent: *dolentes quærebamus te*; Respondit:

ᵃ *Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse.* Ecce inventus in templo, respondet, illud esse patris sui, & oportere se esse in eo.

VI. Adhuc scriptum est in Evangelio Lucæ de discipulis Domini post ascensionem: *Et erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Et post adventum sancti Spiritus, sicut in Actibus Apostolorum habetur: *Erant quotidie perdurantes unanimiter in templo.* Et iterum; *Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam:* & tunc claudum ex utero matris suæ reparaverunt.

VII. Item Angelus Domini educens Apostolos de carcere ait; *Ite & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, & docebant.* Item: *Paullo oranti in templo, contigit fieri in stuporem mentis, & videre Jesum.* Anna quoque vidua *non discedebat in templo serviens nocte ac die.* Simeon etiam, *Justus & timoratus, exspectans consolationem Israel; & Spiritus sanctus erat in eo. Et venit in spiritu in templum; & accepit Jesum in ulnas suas, & benedixit Deum.*

VIII. Ex his patet, quod Apostoli in templo orant laudantque Deum; & videt Paullum Jesum: ibique ex præcepto Angeli docent: Anna etiam a templo non discedebat serviens Domino die ac nocte. Vir quoque sanctus Simeon, Spiritu sancto plenus in eodem Spiritu venit in templum, & accipit Jesum, & benedicit. Quare ergo impii hæretici jactant se servare Evangelium, & sequi Apostolos; cum non in templo orent, sed in thalamo, nec ibi doceant, sed in foro, & quidam clam in domo?

IX. O insensati! numquid molestum est vobis, si Deus in qualibet urbe, villa & castro domum habeat, ut honoretur a suis; cum multi vestrum habeant non unam, sed plures ad vestras voluntates? Item vos habetis domos, aliam ad manducandum, aliam ad dormiendum, aliam ad alios usus: Cur invidetis populo Christiano, si habeat domum ad orandum, laudandumve Deum, seu ad docendum verba vitæ? Item, quia Deus omnium est, non unius solius, ab omnibus in communi est orandus.

X. Quod autem domus orationis dicatur *Ecclesia*, & auctoritate & ratione probatur. Ecclesia quippe dicitur nunc convocatio fidelium, nunc congregatio malorum, nunc domus Dei, ad quam plerumque & hi, & illi conveniunt. Ecclesia dicitur convocatio fidelium; unde scriptum: *Paullus vinctus Jesu Christi, & Timotheus frater Philemoni dilecto & adjutori nostro, & Appiæ sorori carissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ quæ in domo sua est. Gratia vobis & pax a Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Ecclesia dicitur congregatio malorum, unde David: *Odivi Ecclesiam malignantium.* Ecclesia quoque dicitur domus orationis: unde Apostolus ad Corinthios: *Convenientibus vobis in Ecclesia, audio scissuras esse, & ex parte credo.* Et paullo post: *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eos, qui non habent?* Aperte ait, quia Co- A rinthii, quorum quidam erant boni, quidam mali, conveniebant in Ecclesia, id est, in domo orationis, sicut Expositores authentici dicunt. Et ideo subjungit: *Convenientibus vobis in unum.* Quid est *in unum convenire*, nisi in unum locum simul venire; quem locum superius nominavit *Ecclesiam*? Et quoniam in illo loco, id est, in Ecclesia, se reficiebant, reprehendit eos dicens: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* hoc est, non habetis alia loca, ubi vos reficiatis? aut cum habeatis alia loca Ecclesiam Dei, id est domum orationis contemnitis, ibi manducando, aut bibendo? quasi diceret; Ecclesia non domus ad manducandum, vel B bibendum, sed ad orandum: & ideo, si domos habetis ad manducandum vel bibendum, ibi vos reficite, non in domo orationis, id est, in Ecclesia. Quocirca, qui in Ecclesia Dei manducat, aut bibit, ipsam contemnit, maxime si habeat domum ad manducandum. Ecclesia namque Dei, non est domus ad manducandum & bibendum; sed domus orationis.

XI. Ex his patet, Ecclesiam Dei dici hoc loco domum orationis. Alioqui, si quis dicat, Ecclesiam Dei dici heic fideles, intendat quanta sequatur absurditas. Apostolus quippe reprehendit heic Corinthios comedentes in Ecclesia Dei. Et, si Ec- C clesia Dei intelligitur heic fidelium convocatio, consequenter videbitur eos, qui comedunt in conventu fidelium reprehendere: & sic reprehensibilis erit Dominus, qui manducavit & bibit cum discipulis. Ad hæc, consequetur, non esse manducandum cum aliquo; aut manducandum esse tantum cum infidelibus: quod sentire, est summa dementia. Restat igitur, ut Ecclesiam Dei intelligamus ibi domum orationis. Unde & Ecclesia dicitur per etymologiam, ædes Clericorum: non quod ipsi tantum in ea conveniant: sed quia ceteris fidelibus frequentius; & quia eorum est eam custodire, claudere, aperire, & divina ibi celebrare mysteria.

D XII. Nec mirum, si Ecclesia Dei dicitur tam convocatio fidelium, quam locus orationis, ubi conveniunt: sicut & domus dicitur mansio aliqua, & manentes in ea. Cum enim legitur; *Dominum intrasse in domum principis Pharisæorum, sabbato manducare panem*: domus significat mansiones. Cum autem legitur de regulo; quia *credidit ipse, & domus ejus tota*; domus significat manentes in domo. Civitas quoque significat locum civium aliquorum: & cives ibi manentes. Locum significat, cum dicitur: *Videns civitatem, flevit Jesus.* Cives significat, cum dicitur: *Cum intrasset Jesus Hierosolymam, commota est universa civitas, dicens: quis E est hic?* Neque enim murorum ambitus, aut locus ipse dicebat, *Quis est hic?* sed cives immanentes.

XIII. Synagoga quoque dicitur locus orationis, in quo Judæi congregabantur. Et ipsi enim Judæi hinc ajunt ad Dominum de centurione: *Synagogam ipse ædificavit nobis*; significantes nomine Synagogæ domum, quam eis ædificaverat ad orandum. Joannes quoque ait Angelo Smyrnæ Ecclesiæ; *Blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.* Quo in loco, sine omni scrupulo Judæos vocat synagogam Satanæ.

XIV. Manifestum est igitur tum auctoritate Apostoli, tum inductione præscriptorum similium, Ecclesiam Dei dici, tam domum orationis, quam con-

ᵃ Luc. II. 49.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1168.

vocationem fidelium. In Ecclesia enim materiali, A varietas, sive multitudo lapidum, aut lignorum significat diversos ordines fidelium: pavimentum & tectum, subditos & prælatos: fenestræ per quas lux cæli infunditur, doctores per quos ceteri fideles illustrantur; qui luce sermonis Dei illuminantur. Fundamentum, quod totum pondus Ecclesiæ sustinet, Christus est, qui mores nostros sustinet: ostium, fides: altare, Deus: latitudo Ecclesiæ, caritas: altitudo, spes: longitudo, perseverantia: lampades seu candelæ, Scripturæ, sive virtutes: cymbala, signum jubilationis. Cum ergo materialis Ecclesia significet spiritualem, non inconvenienter ejus nomen accipit. Quia plerumque signum censetur nomine rei, cujus est signum. B Hinc Propheta ait de manna: *Panem angelorum manducavit homo*; non quia esset panis Angelorum; sed quia significabat illum. Et Apostolus ait de petra; quæ fundebat aquam Judæis: *Consequente eos petra, petra autem erat Christus*: non quia petra esset Christus; sed quia significabat Christum, qui aqua sapientiæ nos potat.

XV. Cum autem dicimus, in domo orationis, id est, in Ecclesia orandum, inimici veritatis contra nos inducunt illud Evangelicum; [a] *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* C Ex his enim ajunt, orandum esse in cubiculo, non in Ecclesia.

XVI. Sed, si orandum est in cubiculo, non in Ecclesia; Jesus Christus in cujus ore dolus non fuit, erravit, cum vocavit domum orationis, si ibi non oratur. Si autem verum dixit, immo, quia verum veritas dixit, domus orationis est quia ibi orandum est. Item si in Ecclesia orandum non est, peccaverunt Petrus & Joannes, qui ascenderunt ad templum ad horam orationis nonam. Item peccavit Paullus; peccavit Anna; quæ non discedebat a templo, jejuniis & orationibus serviens nocte ac die; quod utique sentire, extremæ dementiæ est. Constet igitur, orandum esse in Ecclesia, tum auctoritate Christi, D tum exemplis Apostolorum, aliorumque sanctorum.

XVII. Orandum tamen est ubique sicut Apostolus ait: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione: similiter & mulieres*. Et Propheta: *In omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino*. Cum ergo ubique sit orandum, voluit Deus specialiter esse locum orationi deputatum, scilicet tantum ad orandum, & serviendum Deo, ut tanto attentius fiat oratio, quanto ibi soli vacatur Deo, ne quid aliud fiat. Alia quippe loca, pluribus sunt plerumque negociis implicita. Et ideo, si ibi oret quis, velit nolit, E nonnumquam interrumpitur. [b] *Muscæ namque morientes perdunt suavitatem unguenti*. Caussæ quippe temporales muscarum more, per insolentiam se ingerentes, corda orantium confundunt: ne orationes, quæ per se velut aromata fragrarent, suavem reddant Deo in orantibus odorem.

XVIII. Cum ergo ait Dominus; ut oraturus intret in cubiculum, non statuit, ut lectus materialis sit locus orationis, nusquam enim hoc fecit: nusquam vocavit lectum, vel thalamum, domum orationis. Sane templum vocat *domum Dei*, & *domum orationis*. Non ergo intelligendum est de lecto maritali, sed spirituali. Vocat igitur *cubiculum*, secretum cordis: ubi si bona est conscientia; suaviter quis pausat: si vero mala, vehementer gravatur. Oraturus itaque quis, secretum cordis intrare debet; ut non tantum ore, sed & corde oret. Cubiculum cordis intret, ne mens per exteriora fusa, fructum orationis perdat. In se vero reversa, tanto facilius per orationem impetret, quanto cunctis aliis spretis, soli Deo vacare contendit. Et ideo, quamdiu orationi insistitur claudendum est ostium, id est auditus cordis per circumspectionem muniendus; ut desideria illicita coerceantur, nec concupiscentia carnalis admittatur; sed tota cordis intentione pater cælestis oretur eo attentius: quo clauso cordis aditu, a supervenientibus non interrumpitur curis. Hæc est oratio, quæ cælum penetrat. Hæc pulsat aures patris cælestis. Hæc imperrat, si quid postulat. Unde subditur: *Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*.

XIX. Præterea, quia in Ecclesia orare nolunt, contra nos prætendunt excusationes in peccatis; & inducunt illud quod beatus Stephanus ait in Actibus Apostolorum: *Salomon ædificavit Deo domum; sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit: Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? Aut quis locus requietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Et inquiunt; si Excelsus non habitat in manufactis; non habitat in Ecclesiis factis manu hominum. Si autem ibi non habitat, cur iremus illuc ad orandum?

XX. Ad quod respondemus, sic intelligendum: *Deus non habitat in manufactis*, id est non ibi clauditur, aut continetur in manufactis. Immensus est enim, & incircumscriptus Deus, & inlocalis & ideo non circumscribitur, aut continetur in loco. Cui enim cælum sedes est, & terra scabellum, quomodo contineretur in aliqua domo? Cum habitas in domo tua, ibi includeris, nec uspiam alibi es. Non sic habitat Deus in manufactis templis, ut sic ibi includatur, quatenus nusquam sit alibi.

XXI. Præterea, *Spiritus est Deus*, sicut idem ait: & ideo loco corporali non continetur; sed habitat per gratiam in cordibus electorum. Unde Apostolus ad Ephesios: *Det vobis pater Domini nostri Jesu Christi habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Fides enim tua de Christo, Christus (est) in corde tuo. Hinc & Propheta; *& repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus*. Ecce, quomodo habitavit Deus in tabernaculo suo. Habitavit enim ibi in hominibus. Sic habitat Deus in Ecclesiis, habitando in hominibus: & ideo potius habitat ibi, quam alibi. Quia interdum plures ibi conveniunt, & cum majori devotione, ac ferventiori fide concurrunt, servitur Deo obsecrationibus, & perceptione sacri pabuli, id est, corporis Christi, & divini verbi. Cum igitur semper & ubique sit Deus in cordibus electorum; plenius & perfectius eos replet in Ecclesiis, cum in suo obsequio eos viderit promtiores. Verumtamen si Deus ubique est, cum dicat: *Cælum & terram ego impleo*; in manu factis est, continens ac regens: sed non ibi ita inhabitat, ut in cordibus electorum: heic enim inhabitat etiam per gratiam: in illis vero est per essentiam, potentiam, & præsentiam.

a Matth. vi. 6. *b* Eccl. x. 1.

E X P L I C I T.

G E R H O H I

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI

PRÆPOSITI REICHERSBERGENSIS

E P I S T O L Æ.



ACCEDUNT EJUSDEM

I. *Liber* de corrupto ſtatu eccleſiæ, *ſive Expoſitio* in Pſalmum LXIV.

II. *Liber* de gloria & honore filii hominis, *ſive* de glorificatione naturæ humanæ in Chriſto.



ITEM


P E T R I B L Æ S E N S I S

EPISTOLÆ DUÆ

EX THESAUR. MARTENII;

quæ ab editione abſunt Operum ejus.

G E R H O H I
PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS ORDINIS CAN. REG. S. AUGUSTINI EPISTOLÆ.



* EPISTOLA I.

Ad Eberhardum Episc. Babenbergensem.

Quomodo secundum S. Hilarium glorificaturus filium pater major; glorificatus autem filius minor non sit: cum in symbolo Athanasii filius æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem *dicatur*.

E. Venerabili Babenbergensis ecclesiæ antistiti, frater *G.* devotum cum assiduis orationibus obsequium.

I. STultas & indisciplinatas quæstiones monente apostolo vitandas, libenter caveo; & ideo de rebus involutis cum disputatoribus indisciplinatis, aut stultis invitus confero. Quibus, quia vos longe dissimilem exhibuistis, cum sapienter, ac disciplinate mecum loquendo contulisti; libet adhuc vobiscum conferre ore ad os loquendo, vel scribendo, super illo nostro, quod vidistis, opusculo, in quo, illud vos, ut dicitis offendit; quod ibidem sanctus Hilarius introducitur dicens: *Glorificaturus filium Pater major est; glorificatus autem filius minor non est*; cum in fide Athanasii cantemus de filio jam glorificato: *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*. Videtur enim vobis, quod nos astruamus Hilarium Athanasio contrarium, sive contradictorium, quod non est. In contrariis namque sive contradictoriis propositionibus affirmatio, & negatio simul non possunt esse veræ; quia in eis idem de eodem affirmatur & negatur. Heic autem non est ita. Quia licet affirmetur, & negetur idem, sed non de eodem. Nam beatus Athanasius, qui filium Patre minorem affirmat, minoritatem illam naturæ humanæ assignat, dicens: *Minor Patre secundum humanitatem*. Sanctus vero Hilarius, qui minoritatem negat, gloria hominis in Deum glorificati magnificat dicens: *Glorificatus jam filius minor non est*. Itaque isti Patres catholici nullo modo sibi sunt contrarii vel contradictorii; sed exigunt lectores & intellectores, inter naturam humanam, conditione parvam, & ipsius gloriam divinam, penitus ineffabilem, & immensam discernentes. Naturam aspexit: *parvulus natus est nobis*. Parvuli quoque hujus immensam gloriam prædicavit subjungens: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super solium David, & super regnum ejus sedebit; ut confirmet illud, & usque in sempiternum*. Super solium, inquit, David; quia nimirum Christus assimilatur Patri suo David, qui parvus permanens in statura, crevit in regali gloria; parvus quantitate magnus factus est in virtute; ita ut vincere posset Goliam, longe majorem se in corporali statura, sed minorem virtute. Virtus hæc non erat illi ex natura humana, sed ex unitione sancta, quæ naturam provexit, non ut major esset in essentia, quæ ut sæculares quoque philosophi asserunt in prædicamento substantiæ, non recipit magis, & minus, quod solis congruit formis, quarum denominata recipiunt comparationem; ut albus, albior, albissimus. Non ergo David in regem, seu prophetam unctus, crevit in essentia humana, quæ omnibus hominibus est una, & indifferens in natura; quamvis ei accidat multa personarum differentia. Et ne longe petamus exempla; vos, cum nuper sitis unctus in Episcopum, crevistis quidem in dignitate & potentia, sed non in essentia. Affirmante autem sancto Basilio, illa unctio, qua uncta est Christi humanitas præ suis participibus, est æterna divinitas. In libro enim de dispensatione Dei, ait inter cetera: *Nos Christum unius compositæ naturæ dogmatizamus, neque ex alteris alterum, sicut ex anima & corpore homo noster, aut sicut ex quatuor elementis corpus, sed ex alteris eadem esse. Ex deitate enim & humanitate ipse seipsum unxit; ungens quidem ut Deus, unctus autem ut homo. Deum perfectum & hominem perfectum eumdem esse, & dici ex duabus, & in duabus naturis esse confitemur. Id autem, videlicet, quod est Christi, nomen personæ dicimus, non uno modo dici, sed duarum naturarum esse significativum. Hic ipse est enim hoc & illud; unctio autem humanitatis Deitas est*.

II. Hoc dicente sancto Basilio, nos illi consona sentiendo, hominem divinitate unctum, permanente natura humana in sua essentia, credimus, & confitemur profecisse in virtute non ad mensuram, quia non ad mensuram est unctus. Equidem pater suus David unctus est ad mensuram; ut regnaret parvo tempore in angusto Judææ regno. Unctus etiam fuerat ante ipsum Aaron, ut esset sacerdos magnus in uno tantum populo Hebræorum. Sed iste unctus est in regnum æternum omnium sæculorum, in regem regum, in regem Angelorum & hominum, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Et etiam dicitur: [a] *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*. Non est ergo inconveniens, quod hominem parvulum in sua humanitate Patre minorem, sed in regali, ac pontificali potentia, & gloria Pa-

a Psalm. cix. 4.

* Ex Pezii Thesaur. Anecd. tom. I. part. II. pag. 317.

tri consedentem super solium regni, & super thronum gratiæ cum Athanasio prædicamus minorem Patre secundum humanitatem, & cum Hilario æqualem Patri secundum regalem, vel pontificalem dignitatem. Humanitas enim licet neque de miseria minuatur, neque de beatitudine augeatur in sui essentia, vel natura; homo tamen augetur, vel minuitur in gloria, secundum quod beata vel misera efficitur quælibet hominum persona. Unde caute sanctus Athanasius cum diceret de filio, quod sit minor Patre, addidit *secundum humanitatem*: naturam videlicet significando, non personam nomine humanitatis; quia persona illius novi hominis etsi naturam in se habeat humanam, Patris, & sua divinitate minorem, dedit tamen eidem gloriæ paternæ coæqualitatem. Dedit, inquam, & accepit: dedit in divinitate; accepit in humanitate. Humanitas quippe in Christo divinitatis gloriam accepit, quam alioquin non habuit, videlicet cum adhuc in massa generis esset indiscreta. Sed postquam discreta est in personam, semper habuit plene sapientiam, omnipotentiam, & omnem virtutem divinam; quia ille homo numquam fuit homo non Deus, qui divinitus, non humanitus conceptus, & natus est. In ipsa ergo conceptione forma divinitatis informatus, & speciosus forma præ filiis hominum factus, jam in plenitudine gratiæ, ac veritatis consummatus est. Et ideo cum jam tunc in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Sed nisi granum illud frumenti cadens in terram mortuum fuisset, ipsum solum maneret in forma Dei; neque alia grana possent ei conformari, aut per ipsum reformari. Ut ergo in pluribus granis multum fructum afferret, semet ipsum exinanivit, formam Dei abscondens, & formam servi accipiens, in qua *humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur; quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Gloriam ipsam, in conceptione acceptam ante passionis humiliationem habuit, sed sibi soli. Et ideo, ut dictum est, nisi granum frumenti cadens mortuum fuisset, ipsum solum mansisset. Sed propter nos homines, & propter nostram salutem sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, ut nobis præpararet viam: immo ut seipsum nobis exhiberet viam.

III. Unde cum orasset dicens: [a] *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret*; cumque vox Patris de cælo sonuisset: [b] *Clarificavi, & iterum clarificabo: non propter me*, inquit, *vox hæc venit; sed propter vos*. Propter se namque non erat clarificandus gloria resurrectionis; quia nec propter se mortuus, sed propter nos. Quod enim mortuus est, peccato nostro, non suo mortuus est; quod autem vivit, vivit Deo. Vivit, inquam, Deo; quia vivit ut Deus, non sicut primus homo, factus in animam viventem, sed in spiritum vivificantem. Unde non solum divinitas, sed etiam caro ejus vivificatrix est, vivificans eadem potentia, qua vivificat ipsa divinitas. Cum enim sapientia Dei *attingat a fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter*: quomodo credenda est non attingens fortiter ad conferendam vivendi, & vivificandi potentiam suæ propriæ carni? Alioquin caro non prodesset quidquam, nisi spiritus esset, qui vivificaret, qui cum in Christi corpore inferiora membra ita vivificet, ut vivant; si autem vivificare valeat carnem Christi; sic vivificat, ut non solum ipsa vivat, sed æque ut spiritus vivificare valeat. Si enim ut Ambrosius in Lucam testatur, caro electorum seminata in infirmitate, cum surrexerit in virtute, credenda est cum suo spiritu æqualis potentiæ; quanto magis caro Dei, quæ licet mortua sit ex nostra infirmitate, vivit in sua virtute, recte ac pie creditur unius indifferentis gloriæ, ac potentiæ cum sua divinitate in Christo, quem non in sua persona, ut vos dicitis, Patri subjectum, sed in suis membris, ut Ambrosius asserit, confitemur subjiciendum. Auctoritates autem nostræ assertioni consonas, qui volet, inveniet subsequenti collectario aggregatas.

IV. Hilarius de sancta Trinitate in libro tertio super illud: *Clarifica me Pater apud temetipsum*,, Nunc ,, autem quid est, quod apud Patrem clarificatio- ,, nis exspectat? Nempe hoc, quod habuit apud ,, Patrem, priusquam mundus esset. Habuit pleni- ,, tudinem divinitatis, atque habet; namque Dei ,, filius est, & hominis esse cœperat filius: erat ,, enim Verbum caro factum. Non amiserat, quod ,, erat, sed cœperat esse quod non erat. Non de ,, suo destiterat; sed quod nostrum est acceperat. ,, Profectum ejus quam acceperat claritatis expo- ,, stulat, unde non destitit. Ergo quia filius est ,, Verbum, & Verbum caro factum, & Deus Ver- ,, bum, & hoc in principio apud Deum, & Ver- ,, bum ante constitutionem mundi, filius nunc caro ,, factus orabat; ut hoc Patri inciperet esse caro, ,, quod Verbum; ut id quod de tempore erat, ,, gloriam ejus, quæ sine tempore est, claritatis ,, acciperet; ut in Dei virtutem, & spiritus in- ,, corruptionem informata carnis corruptio absor- ,, beretur.,,

V. Idem in nono libro super hoc: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus honorificatus est in eo*.,, Si Deus honorificatus est in eo, & Deus ,, honorificabit eum in se, & Deus protinus ho- ,, norificabit eum. Primam, inquam, dicti domi- ,, minici significationem non ambiguam existimo, ,, cum ait: *Nunc honorificatus est filius hominis*. ,, Gloria enim omnis non Verbo acquirebatur, sed ,, carni, id est, non naturæ Dei, sed nati homi- ,, nis dispensationi. Hoc vero, quod sequitur, ,, quid significet interrogo: *Et Deus honorificatus* ,, *est in eo*? Honorificatum enim in eo Deum au- ,, dio, & quid istud sit, secundum intelligentiam ,, tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorifica- ,, tus est, in filio utique hominis. Et quæro, an ,, filius hominis idem & filius Dei, & cum non ,, sit aliud hominis, neque aliud filius Dei: *Ver-* ,, *bum enim caro factum est*; & cum, qui filius ,, Dei, ipse & hominis sit filius, requiro, quis in ,, hoc filio hominis, qui & filius Dei est, glori- ,, ficatus sit Deus? & quia in filio hominis, qui & ,, filius Dei est, glorificatus est Deus, videamus, ,, quod tertio subditur: *Si Deus glorificatus est in* ,, *eo, & Deus glorificavit eum in se*. Quod istud, ,, rogo, sacramenti mysterium est? Deus in filio ,, hominis glorificato glorificatum Deum glorificat ,, in se. In filio hominis gloria Dei est, & gloria ,, Dei gloria filii hominis. Deus glorificat in sese, ,, homo utique non per sese glorificatur. Neque ,, rursum in homine glorificatur Deus, licet glo- ,, riam accipiat, non tamen aliud ipse, quam Deus

a Joan. XVII. I. *b* Joan. XII. 28.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.



,, est. At vero cum glorificato filio hominis, glorificans Deum, Deus glorificat in sese, invenio naturæ gloriam, in gloriam naturæ gloriam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatum in homine Deum glorificat in sese. Quod autem glorificat in sese, licet non se glorificet, tamen in naturæ suæ gloriam glorificati assumit, & cum glorificans Deus, Deusque glorificatus in homine sit, glorificat in sese eum, quem glorificavit Deum in se inesse demonstrat, cum eum glorificat in sese.

,, VI. Idem in eodem: ,, Glorificaturus filium Pater major est; glorificatus in Patre filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris est? Aut numquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est; sed filius, dum filius est, minor non est. Nativitas filii Patrem constituit majorem; minorem vero esse filium nativitatis natura non patitur. Major Pater est, dum gloriam assumto homini rogatur, ut reddat; filius minor non est, dum gloriam resumit ad Patrem.

VII. Item Leo papa magnus in sermone de passione Domini ,, Ita Deus univit sibi hominem, ut nihil assumenti humanum, nihil assumto desit divinum.

VIII. Item Cajus Papa & martyr: ,, Cum unus sit Dominus Jesus Christus, & veræ deitatis, veræque humanitatis, in ipso prorsus uno una prorsus, eademque persona sit; exaltatione tamen, qua illum ut doctor gentium dicit, exaltavit Deus, & donavit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tanto glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius Patri, & inter genitorem atque unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas. Nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ in gloriam divinæ potestatis evecta est.

IX. Item Leo papa in sermone ad populum: ,, Ad sananda fidelium cordium vulnera clavorum & lanceæ servata erant vestigia; ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro.

X. Item in sermone de ascensione Domini: ,, Magna & ineffabilis erat caussa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cælestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, & ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ profectionis habitura, in æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in filio.

XI. Cyrillus episcopus in Ephesino concilio contra Nestorium: ,, Si quis, inquit, non confitetur, carnem Christi vivificatricem esse tamquam ipsius Verbi Dei patris, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundum dignitatem, aut tamquam secundum quod solam divi-

A ,, nam habitationem habuerit, & non potius, sicut dixi, vivificatricem esse; quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit.

XII. Item idem in eodem: ,, Si quis audet *dicere* assumtum hominem cum Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere, & conglorificari, & connuncupari Deum, tamquam alterum alteri adjectum (adjectio enim syllabæ unius, id est, co, hoc cogit intelligi) & non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque glorificationem dependit, secundum quod Verbum factum

B ,, est caro, anathema sit.

XIII. Ambrosius in V. libro de Trinitate ad Gratianum imperatorem: ,, Apostolicum capitulum recenseamus: *Novissime*, inquit, *inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia.* Videmus ergo, quia non eum subjectum, sed subjiciendum esse scriptura commemorat. Sicut enim si in me concupiscit caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, non videor esse subjectus: ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quamdiu genus dissentit humanum, Christum dividimus.

C ,, Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc & ipse subjectus erit; ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus.

XIV. Item post pauca: ,, Sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis, nos sedere in cælestibus Apostolus dixit, utique non sedentes: sic & ille per nostræ assumtionem naturæ dicitur subjectus in nobis. Item scriptum est: *Quia cum mortui essemus peccatis; convivificavit nos in Christo, cujus gratia salvi facti estis, & simul suscitavit, simul consedere fecit*

D ,, *in cælestibus in Christo Jesu.* Agnosco scriptum; sed non ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur Deus; sed ut in Christo sedere, quia ipse est omnium fundamentum, & ipse est caput Ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura prærogativam sedis cælestis emeruit. In Christo enim Deo caro, in carne autem humani natura generis omnium hominum particeps honoratur. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ: ita & ille per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est; cum maledictum utique in benedictum Dei filium non cadat. Ita, inquam, &

E ,, ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum Judæus agnoverit quem crucifixit, cum Manichæus adoraverit quem in carne venisse non credidit, cum Arianus omnipotentem confessus fuerit quem negavit: cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, caritas, resurrectio. Per sua ergo opera Christus, & genera diversa virtutum erit in nobis Patri subditus; cum vitiis abdicatis, & feriante delicto unus in omnibus Deo cœperit uno sensu populorum omnium spiritus adhærere. Tunc erit Deus omnia, & in omnibus. Conclusionem ergo totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosæ subjectionis excludit. Evacuatio potestatis, & victoria de morte quæsita triumphatoris utique non minuit potestatem.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



„ Subjectionem operatur obedientia, obedientiam „ Christus assumsit; obedientiam usque ad crucem, „ crux ad salutem. Ergo ubi opus, ibi & auctor „ operis. Cum igitur omnia Christo subjecta fuerint „ per obedientiam Christi; ut in nomine ejus o- „ mne genuflectatur (nunc enim quia non omnes „ credunt, non videntur omnes subjecti) cum o- „ mnes ergo crediderint & Dei fecerint volunta- „ tem, erit omnia, & in omnibus Christus. Cum „ Christus fuerit omnia, & in omnibus, erit o- „ mnia, & in omnibus Deus, quia Pater semper „ manet in filio. Hæc est piæ subjectionis inter- „ pretatio.

XIII. Item alibi: „ Quod si quæris, quemad- „ modum sit subjectus in nobis; ipse ostendit di- „ cens: *In carcerem eram, & venistis ad me; in- „ firmus eram, & venistis ad me; quod enim uni „ ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. In eo in- „ firmus, in quo subjectus.*

EXPLICIT.

EPISTOLA II.

Ad magistrum A. scribit sibi haud videri, opuscula sua de glorificatione naturæ humanæ in Christo *sedis apostolicæ judicio iterum subjicienda esse, a qua olim approbata fuerint. Mittit & commendat ei opus suum contra Græcorum errores* &c.

I. Magistro *A.* frater *G.* salutem. Proxima inter nos collatione habita dixisti frater in Deo dilecte, hoc tibi placere, ut sententia de glorificatione in Christo naturæ humanæ, quæ scriptis meis sparsim inserta multis est in signum, cui contradicitur, mitterem in curiam Romanam illic vel approbandam vel improbandam. Cum hæc mihi dixisses, cœpi deliberare, utrumnam sic expediret fieri, ut hortabaris, & inter deliberandum revolvi scriptum nostrum antehac in curia Romana sanctissimæ recordationis Eugenii papæ præsentatum, continens eamdem sententiam plene ac plane digestam in tractatu psalmi LXIV. Igitur cum ille vir totus apostolicus hanc sententiam gratam & ratam habuerit, nostrique scripti opusculum quasi munus acceptabile apud se reposuerit, superfluum vel temerarium videtur, si eadem sententia semel in sede apostolica recepta iterum in examinationem revocetur, tamquam de illius viri sanctissimi & prudentissimi dubitetur judicio, qui re vera sacerdos magnus in diebus suis placuit Deo & inventus est justus. Cujus erga me meaque scripta quam pia fuerit æstimatio, novit prudentia tua. Nunc autem successori ejus Adriano papæ cum sim facie ignotus, & jam secundo ei scripta meæ parvitatis fuerint porrecta, primo per dominum Babenbergensem, deinde per fratrem meum uterinum *R.* nec aliquod ab eo acceperim responsum per epistolam, non videtur consilium de cetero ingerere illi aliquod scriptum longa mora examinandum, cum ille utpote magnus & magnis ac multis intentus non valeat expediri fortasse ad parvulorum nostri similium scripta longa longanimiter audienda seu legenda. Unde scriptum nostrum *de quæstionibus Græcorum & Latinorum* domino Joanni cardinali presbytero, quondam Ecclesiæ Hierosolymitanæ archidiacono videtur commendandum, quem sensi æmulatione bona contra Græcorum errores accensum, quatenus ipse idem secundum datam sibi a Deo prudentiam perspiciat, ac prout ei videtur, inde faciat sibi magistro Moysi illud mittendo, sive aliis Græcis, qui ad curiam veniunt, illud porrigendo, ita scilicet, ut & ipse non videatur arguendus de pecunia Domini sui abscondita, si viderit eam posse ad lucrum exponi per suam industriam. Nam ego qualiscumque servulus pauperum Christi, non parum laboravi eamdem pecuniolam pro posse meo de agro scripturarum effodiendo, quam tamen senio & morbis debilitatus ad Romanorum seu Græcorum mensam per me ipsum ferre non valens illi mitto & committo, quem prudentem nummularium esse non dubito. Dominus autem veniens cum usuris illam exiget, & unicuique nostrum reddet mercedem secundum suum laborem mihi parvulo fossori, illi magno dispensatori, tibi utriusque mediatori. Lege si placet, primam partem in secundum quinquagenarium psalmorum, in qua psalmum supra commemoratum invenies ultimum, neve dubites per omnia sensisse mecum sanctissimæ recordationis Eugenium papam. Considera illius epistolam nostræ parvitati missam post finem psalmi prænominati annexam.

EPISTOLA III.

AD HENRICUM S. R. E. CARDINALEM,

cui offert & commendat suam expositionem psalmi sexagesimi quarti.

Henrico venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero frater *G.* de Aichersperg devotas orationes cum fideli obsequio.

Desiderio desideravi ex longo tempore sanctam Romanam Ecclesiam videre ornatam sine macula & ruga. Neque enim vel hoc ipsum caret macula & ruga, quod nunc dicitur curia Romana, quæ antehac dicebatur Ecclesia Romana. Nam si revolvantur antiqua Romanorum Pontificum scripta &c. *ut exstant apud Baluzium lib. V. miscellaneorum a pag. 63. linea 22. usque ad paginam 66. lin. 30. Tum post illa verba editionis Baluzianæ* : & nunc denuo tibi Henrice cardinalis & presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro munere offerimus, *sequuntur hæc in codice Reichersperfensi* : non quasi aurum & argentum, quia hoc est magnorum principum, scilicet offerre aurum, argentum, lapides pretiosos ad ornandum humerale sive rationale summi pontificis. Nostra vero qualiacumque scripta utinam sint in tabernaculo Domini saltem pro lignis, quibus nutriendus est ignis altaris juxta præceptum legis dicentis: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies.* Denique ignis caritatis in altari cordis fidelis veluti lignis quibusdam nutriendus est exhortationibus piis, ut etsi abundante iniquitate in multis frigescat, saltem in paucis electis permaneat.

His in eodem Reichersperfensi codice subjungitur epistola Eugenii III. qua Gerhohi expositionem *præmissam* Psalmi LXIV. *laudat & approbat*, a Baluzio vulgata loc. cit. (*& a nobis infra.*)

EPISTOLA IV.

Ad Othonem episc. Frisingensem.

Ejus censuræ primam partem expositionis suæ in psalmos submittit, quidque de illa aliis visum fuerit, exponit. Quædam contra scholasticos theologos & philosophos &c.

I. In conspectu Angelorum docet psallendum psalmista præcipuus, cujus nos pedissequi esse optamus. Unde quod in psalmorum tractatibus ex Patrum sensis in unum congessimus, Angelis ecclesiarum libenter præsentamus. Ipsi namque sunt nu- B mularii, quibus pecunia Domini est præsentanda & per ipsos præsentanda, quoniam ipsis dispensatio credita est. Recte tamen quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *Fidelis*, dico, *& prudens*. Nam alterum sine altero non sufficit, si aut fideli desit prudentia in discernendo, aut prudenti desit fidelitas in commisso custodiendo. Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Rarus est hujusmodi & ideo præclarus, quia vir unus eligitur ex millibus, qui sit in utroque perfectus. Attamen quantum ad humanum spectat examen, ego G. pauperum Christi minimus tibi Angelo ecclesiæ Frisingensis arbitror neutrum deesse, quem C ex divino munere multa mihi experimenta ostendunt fidelem pariter & prudentem.

II. Itaque fidelitati & prudentiæ tuæ mitto & committo legendum, quod in prima parte tractatus in psalmos præ manibus habeo, ut sicubi sanum sapio, tuæ auctoritatis fulciar testimonio. Sin aliter, quod non recognosco, pie recognoscens tuo emendem consilio. Sane angelus ecclesiæ Romanæ papa Eugenius per epistolam suam confortat me in hujusmodi occupationibus, & ideo parum curo de quorumdam contra me oblocutionibus, quibus pene aliud non sapit, nisi quod in scholaribus exercitiis biberunt, ubi aquæ Siloe non inveniuntur, D quæ fluunt cum silentio; ubi vinum sæpe deest in convivio, ubi tales inter se disceptant assidue, qui esse sub sensibus delitias putant. Non quidem negamus inter tales esse magistros præcipuos eloquentiæ torrentibus & sapientiæ fontibus abundantes, quodque pretiosius est, habent fontem Jacob, sacram videlicet scripturam, de qua resollicant suos discipulos non tam sapientiæ studiosos, quam scientiæ curiosos. E quibus aliqui relinquendo Samariam veniunt Hierosolymam, atque ibi Domino benedicunt non de fonte Jacob, sed de fontibus Israel, quia in sancta & religiosa conversatione sacram scripturam sapere jucundum est eis, non secundum varias doctrinas & colluctationes magistrorum, sed se- E cundum sanam & consonam doctrinam sanctorum Patrum Deum videntium. Sic magistri magistris præferuntur, videlicet rhetoribus piscatores, argumentosis infantes & lactentes, quorum ex ore Deus laudem suam perficit, perque lacteam doctrinam eorum nonnullos trahit ad se de torrentibus philosophorum, quod in me ipso per Dei gratiam expertus sum ex parte, ac spero amplius experiri, cum venerit, quod perfectum est, & evacuabitur, quod ex parte est. Nam & ego de torrentibus philosophorum aliquando in via bibi, & in fontes eorum curiositatis hydriam misi. Sed hac hydria tandem relicta cum muliere Samaritana Salvatoris admonitiones in simplicitate auscultavi, ad id ipsum A faciendum commonens vicinos, quos potui, qui tamen non propter meam loquelam credunt his, quæ scribo. Ipsi enim audiunt & cognoscunt, quia vera veritatis testimonia colligere studeo, quæ sanctorum Patrum sic auctoritatibus undique munire soleo, ubi contradictionis ulla putatur suspicio, ut me meaque dicta non facile aliquis audeat condemnare, nisi qui præsumit sanctis Patribus injuriam irrogare, sub quibus tutoribus & auctoribus incedo timoratus, rationem dare ac recipere paratus.

III. Angelus ecclesiæ Juvavensis hanc ipsam partem, nec non & alteram diligenter perlegit, meque ad ulterius procedendum in funiculo caritatis trahit. Te namque in peregrinatione manente, ille unus angelus in hac provincia mihi fuit electus, cujus me judicio committerem, sentiens illum fidelem pariter & prudentem. Nunc autem, quia de camino exsilii te quasi aurum probatum Deo donante recepimus, tu annuente gratia divina mihi alter angelus es in testimonium sanæ doctrinæ advocandus, ut in ore duorum vel trium testium stet nostri operis verbum, tertio angelo, videlicet Pontifici Romano, si vobis placet præsentandum, cujus ad quædam nostra scripta præ manibus est epistola, quam si cui legere placet, quid ille angelus de me sentiat, satis intelligere valet, quatenus per electos angelos in conspectu angelorum ceterorum, qui opus nostrum legere dignabuntur, fiat ipsius commendatio, & ubi res exigit, emendatio.

Sequitur in codice epistola Eugenii papæ, de qua supra egimus.

EPISTOLA V.

Ad G. Sororem.

Se Abbatissam Pragensem non supplantasse, sed canonicæ ejus ob contumaciam depositioni consensum recte præbuisse, se tamen ad eam juvandam paratum esse, si modesta fuerit &c.

Frater G. dilectæ in Christo sorori suæ G. devotam orationem & perpetuam in Christo dilectionem.

I. Dictum est mihi, quod Bragensis quondam Abbatissa commorans apud vos graviter conqueratur, quod ego fuerim quasi auctor supplantationis ejus. Quod si apud vos personuit, volo & rogo meam conscientiam apud te, aliasque nostras in Christo dilectas haberi excusatam a crimine supplantationis. Est enim supplantationis quædam species, quæ fit absque crimine, illius exemplo, qui fratrem in utero supplantavit, quique illi primogenita tulit, & postremo surripuit illi benedictionem consiliante matris prudentia, cui utinam concordent omnia mea consilia! Et ut spero, talia fuerunt mea consilia in Bragensi abbatia in melius commutanda, quod per ipsam tunc abbatissam libentissime fecissemus, nisi quod in ea consensum ad hoc non invenimus, immo tantam rebellionem, ut erumperet ad manifestam obedientiæ contradictionem præsente domino cardinale, in promtu habente ulcisci omnem inobedientiam, cujus justæ sententiæ in illius depositione, cum adessem, oportuit me concordare, atque operam dare, ut in loco inobedientis Vasthi Hester obediens exaltaretur non per supplantationem, sed per canonicam electionem & divinam dispositionem.

II. Attamen quid Deo gratias grandia crimina

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR 1169.



non sint inventa in illa deposita persona, consilium meum est, ut ipsa in suis necessitatibus adjuvetur, si tamen ipsius humilitate & benignitate suspicio illa excludetur, quam nuper suscitaverunt litteræ ab illa Bragam missæ, in quibus ita loquitur, quasi dominetur & minetur. Unde si sic loquenti aliquid beneficentiæ fuerit exhibitum, videbitur quasi minis extortum, & præ timore humano potius, quam pro amore divino impensum. Si ergo te, carissima, & alias nostras caras audit, consulite illi, & ego pro consilio vestro libenter consulam, quod spectat ad ipsius levamen, quantum potero secundum Dei honorem, ita videlicet ut habeat aliquam certam consolationem ex parte domnæ Bragensis abbatissæ, quæ istam licet se vituperantem diligit.

III. Si ergo ista illam diligendo gratam vicissitudinem rependet, suamque præteritam negligentiam gaudet emendari per illam, erit tam ipsa deposita quam posita non dico mei, sed Dei amore digna: quia illa faciente atque ista favente unum opus claustralis disciplinæ in medio nationis pravæ & perversæ agitur, quod utrique, id est, tam diligenti quam facienti ad præmium beatitudinis consequendum reputabitur, & utraque a me in Christi amore amabitur, & utrique sedulitas mea Deo adspirante ad famulandum promta erit. Quod si adversæ contra invicem fuerint, illi me recognoscam paranymphalis obsequii debitorem, cujus agnovero Dominum meum Jesum Christum sponsum & amatorem.

IV. Quod non ita loquor, quasi ipse diligat solas virgines aut pœnitentes inclusas, cum diligat etiam illam, quæ in canticis canticorum ei loquitur: *In lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Surgam & circuibo civitatem, quæram quem diligit anima mea.* Non ergo nos omnem sponsæ circuitionem culpabilem notamus, cum sit laudabilis illa sponsæ circuitio in qua dilectus quæritur & invenitur, quo & invento fruatur, & lectulus ei demonstratur illa dicente ad illum: *Lectulus noster floridus* &c. Sponsa quæ sponso demonstrat lectulum, satis indicat, quod eam quies, non cursus delectat, nisi forte post illum currat dicens: *Trahe me post te: in odorem curremus unguentorum tuorum.*

V. Novi etiam ego aliquas Dei sponsas non inclusas, inter quas tu mihi es præcipua, & præcipue dilecta, in quibus mihi placet castitas & morum probitas atque honesta conversatio sub nullo aut infirmo seu vili magisterio: Laudo eas, attamen in hoc non laudo, quod neque claustrali, neque ut ipsæ ajunt, carcerali muniuntur clausura. Est enim & carcer beatus, in quo se Christus gaudet visitatum dicens: *In carcere eram, & venistis ad me.* Hujus piæ visitationis obsequium & tu soror in Christo dilecta nuper implesti, quando sorores nostras visitasti: quod ut sæpius facias, mihi gratum esse scias, immo illi, qui tibi dicturus est: *Infirmus eram & in carcere, & venistis ad me.* Atque utinam sic ad illum in carcere manentem venias, ut ab illo ulterius evagari non quæras, nec ad carissimas amicas in sæculo visitandas! aliud est enim exemplo Dinæ inter filias alienas circuire, atque aliud exemplo Mariæ in montana cum festinatione conscendere in domum justi ac prophetæ ad salutandam prophetissam, cui similem tu debes æstimare sororem tuam, jam Deo gratias, non infecundam, sed a sterilitatis opprobrio alienam, cum habeat, Deo gratias, prolem honestam, in qua nomen Joannis per gratiam Dei refulget, quod tam illi quam mihi ad gratiæ augmentum, ut spero proveniet, ut pariter gaudeamus, ego canendo cum Zacharia: *Benedictus Dominus Deus Israel*; illa vero cum Anna: *Exsultavit cor meum in Domino.* Tibi quoque visitanti illam contingat canere cum beata Maria in domo nostra: *Magnificat anima mea Dominum, & exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

EPISTOLA VI.

A. EGENSIS ABBATIS AD GERHOUM.

Narrat quid præposito de Triph Babenbergæ evenerit, laudatque rejecta ejus doctrina, catholica scripta Gerhohi.

Domino venerabili G. præposito de Richersperge frater A. dictus abbas de Ega devotæ orationis obsequium.

QUod præpositus de Triph dudum scripsit fidem suam se nobis exposuisse, noveritis non aliter, quam subscripsimus factum fuisse. Vice quadam in nostri præsentia allato libello dixit: hæc est fides mea, legitque ex eo in auribus nostris nobis nihil attendentibus, nihilque de eo suspicantibus. At postquam scripta vestra, quæ catholice adversus eum edidistis, accepimus, ex mandato episcopi Babenbergensis egimus, ut una nobiscum ad ejus præsentiam Babenberg accederet, ubi coram non paucis religiosis & litteratis viris episcopo contra eum agente humiliter professus est, nihil tale se deinceps sentire nec scribere. Porro nos his, quæ eadem scripta vestra habent, consentimus, & catholica judicamus, de cetero optantes & orantes divinam clementiam, ut illuminet oculos cordis vestri ad omnem cognitionem veritatis & amorem virtutis.

* G E R H O H I

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

EXPOSITIO IN PSALMUM LXIV.

SIVE

LIBER DE CORRUPTO ECCLESIÆ STATU

AD EUGENIUM III. PAPAM.

E P I S T O L A

AD HENRICUM PRESBYTERUM CARDINALEM.

I. PSalmo sexagesimo quarto de duabus civitatibus inter se contrariis, Jerusalem videlicet & Babylonia, earumque civibus inter se contrariis agitur. De quorum permixtione ac distinctione in tempore papæ Eugenii largo tractatu agentes, hunc ipsum psalmum pro materia tunc habuimus, eumque ipsi beatæ memoriæ pontifici legendum præsentavimus: hac intentione scilicet, ut curia Romana, quæ, contestante Petro, ecclesia est in Babylone collecta; per nomen Babylonis tropice notata urbe Roma; ut, inquam, curia illa semet ipsam attenderet, sesèque ac pariter ecclesiam totam, quam regere debet, a confusione Babylonica distinctam exhibere satageret sine macula & ruga. Neque enim vel hoc ipsum carere macula videtur, quod nunc
B dicitur curia Romana, quæ antehac dicebatur ecclesia Romana. Nam si revolvantur antiqua Romanorum pontificum scripta, nusquam in eis reperitur hoc nomen, quod est curia, in designatione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ: quæ rectius ecclesia, quam curia nominatur, quia nomen curiæ, ut ante nos dictum est, a cruore derivatur, sive a curis, ut ait quidam:

Curia curarum genetrix, nutrixque malorum,
Injustos justis, inhonestos æquat honestis.


II. Absit autem a sacrosancta Romana ecclesia talis macula & ruga, qualis nomine curiæ notatur.
C Quod nomen his qui mollibus vestiuntur, & in domibus regum sunt, atque judicibus cunctis in judicio sanguinis cooperantur ad vindictam malefactorum, non improbabiliter attribuitur, sicut olim senatui Romano congruebat, quando sub judicibus cinctis, imperatoribus, dictatoribus, consulibus, non urbis tantum, sed & orbis dominium sibi vendicavit. Verum quia sedes tunc imperialis, nunc facta est apostolica, dum Antiochus & Remus concedunt Petro regni solium, cedente quoque imperatore Constantino a Roma seniore ad novam, quam Constantinopolim a suo nomine vocavit: non immerito in urbe Roma præferendum est nomen ecclesiæ nomini curiæ: quoniam & hi qui nunc in
D ea se faciunt senatores, etsi habeant potestatem sine sanguinis vindicta tractandi & judicandi caussas civiles & lites forenses, quemadmodum docet beatus Petrus in ordinatione Clementis; attamen grandiora urbis & orbis negotia longe superexcedunt eorum judicia, spectantque ad Romanum pontificem, sive illius vicarios Lino & Cleto similes, ei tamquam beato Petro fideliter cooperantes: itemque ad
A Romanum imperatorem, sive illius vicarium urbis præfectum, qui de sua dignitate respicit utrumque, videlicet domnum papam, cui facit hominium, & domnum imperatorem, a quo accipit suæ potestatis insigne; scilicet exsertum gladium.

III. Sicut enim hi, quorum interest exercitum campo ductare, congrue investiuntur per vexillum; sic non indecenter ex longo usu præfectus urbis ab imperatoribus cognoscitur investitus per gladium, contra malefactores urbis exsertum; ut videlicet gladio legitimo pereant, qui gladium non legitimum accipientes, vindictam sanguinis temere usurpant. Præfectus vero urbis desuper sibi dato gla-
B dio, tunc legitime utitur ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quando exinde tam domno papæ, quam domno imperatori ad honorificandum sacerdotium & imperium famulatur, promissa & jurata utrique fidelitate, ac servata inter eos tali distinctione, qualis est inter duo luminaria magna, quæ Deus ita creavit & ordinavit, ut alterum præesset diei, alterum nocti. Quia spiritualia quibus præest domnus papa, diei; & temporalia quibus præest domnus imperator, nocti comparantur. Ecce duo luminaria, & ecce duo gladii heic: luminaria, propter judicia Domini vera justificata in semet ipsis; gladii, propter vindictas in illos exserendas, qui nolunt obedire judiciis Domini veris,
C justificatis in semet ipsis: veris, ne judex fallatur in discernendo bonum & malum, justum & injustum; justificatis, ut solo intuitu justitiæ, absque munerum captatione, absque personarum acceptione, reprobetur malum & eligatur bonum: sive per illum judicem qui habet gladium spiritualem, sive per illum, qui non sine caussa gladium portat materialem. Munera enim excæcant oculos etiam sapientum, & acceptio personarum aliquando pervertit judicium. Perversum vero judicium, sive muneribus coemtum, coram Deo robur non habet, etiamsi nullus hominum dicere audeat judici, Cur ita facis?

D IV. Hinc est illud in Isaia: *væ! qui convertitis judicium in absynthium.* Et in Apocalypsi nomen stellæ quæ de cælo cecidit, dicitur absynthium. Quia enim succus absynthii sumtus extorquet vomitum; recte absynthio judicium illud assimiletur, quod a piis & justis juste ac pie respuitur. Et tunc etiam nomen stellæ dicitur absynthium, cum sub nitore justitiæ, injustum fit judicium: tamquam si vinum sit felle mixtum, quod cum gustasset

* Ex Miscellaneis Balluzii lib. V. pag. 63.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



Christus in passione sua, noluit bibere. Unde non mirum, quod servi ejus nolunt bibere judicium felle iniquitatis mixtum, quod quasi absynthium facit vomitum. Quamquam non audeat istud manifeste improbare qui opprimitur talis judicii perversitate, tunc maxime cum judices perversi omnes diligunt munera, sequuntur retributiones: audet tamen is qui veritatem intelligit, & diligit ipsam veritatem approbare saltem in corde suo, assimilatus illi beato Joseph, qui non consentit judicibus Christum judicantibus injuste. Audet quoque cum eodem Joseph Christum sepelire: dum veritatem velut sepultam in corde suo tacitus veneratur, certus quod eadem veritas quandoque resurgat, & dicat; *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, in sacerdotio & regno, in spiritualibus & temporalibus.

V. De quorum distinctione pro posse nostro disseruimus in tractatu subsequenti super psalmum prætaxatum: quem & prius beatæ memoriæ papæ Eugenio porreximus, & nunc denuo tibi, Henrice Cardinalis presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ, pro munere offerimus. Quia enim zelo domus Dei te sensimus inflammatum, gratia Dei aspirante amplius te accendi optamus eo igne, quem Dominus Jesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. *Ignem* inquit *veni mittere in terram; & quid volo nisi ut ardeat?* Iste est ignis, de quo in lege dicitur: *Ignis iste erit semper in altari, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies*. Cum igitur in ministerio tabernaculi afferant principes donaria magna; scilicet aurum, argentum, lapides pretiosos, ad ornandum sive altare, sive rationale, sive humerale: nos pauperculi saltem ligna offeramus ad ignem sanctum nutriendum, & pilos caprarum ad operiendum tabernaculum. Talia denique cupimus esse qualiacumque opuscula nostra, quibus & ignis caritatis tamquam lignis cedrinis nutriatur, & pœnitentiæ operimentum, quasi de pilis caprarum, exinde contextum, proficiat ad illius beatitudinis augmentum, de qua dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Suscipe igitur munusculum hoc de manu paupertatis nostræ, qui auro & argento minime abundamus: ne omnino illius præcepti transgressores inveniamur, de quo in lege Domini dicitur; *Non apparebis in conspectu Domini Dei tui vacuus*.

EXPOSITIO

IN PSALMUM LXIV.

Te decet hymnus, Deus, in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.

I. PSalmo isto tertia jam recapitulatione reditur ad summum spei, id est, ad finem sæculi, quando sumus in patriam cælestem resumtis corporibus profecturi. Inscribitur autem sic: *In finem. Psalmus David. Canticum Jeremiæ & Aggæi de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci*. Et est sensus: Hic psalmus est David prophetæ considerantis in finem, id est, in ultimam ætatem. Psalmus dico, est canticum id est jocunditas & lætitia Jeremiæ & Aggæi, & omnium fidelium. Jeremias interpretatur *Excelsus Domini*: Aggæus, *Solemnis*, vel *Sublimis*. Hi utrique prædixerant futuram peregrinationem Judaici populi, & reversionem in patriam. In qua etiam reversione Aggæus interfuit. Utrique vero intellexerunt peregrinationem fidelium quæ fit in hac vita, & reditum qui tandem erit, per illam designari. Per hos autem duos designantur omnes fideles: quoniam illi sicut sub illius peregrinationis figura hoc exsilium spiritale magis plangebant; sic & in illius reversionis lætitia, de spiritali potius liberatione gaudebant. Et Jeremias quidem plus ceteris lamentatus & afflictus, non dubitatur plus ceteris quoque lætificatus, & vere juxta nomen suum in regno cælorum insigniter excelsus: pro eo quod super gentes & super regna constitutus ut evelleret, destrueret, disperderet, & dissiparet, ædificaretque ac plantaret, multa in hoc officio contraria passus, & valde humiliatus, ac passioni Christi expresse complantatus est. Sed tamen per ipsum Jeremiam, licet præcipuum, significantur minus perfecti & mediocres: per Aggæum, qui in reditu affuit, perfecti, qui non solum se peregrinari agnoscunt, sed juxta apostolum conversatio eorum jam in cælis est: ubi secundum nomen Aggæi solemnizant, & gaudia cælestis patriæ in terra peregrinationis jam prægustant.

II. Sic & in evangelio, dicente Domino ad Petrum, *Tu me sequere*; de Joanne vero, *Sic eum volo manere*: per apostolorum principem significatur vita mediocrium in actione bona bene laborantium; & per Joannem vita perfectorum, tamquam super pectus Jesu in contemplationis requie pausantium, dulcedinemque vitæ perennis in hac peregrinatione prægustantium, cum utrumque istorum, Petrum videlicet & Joannem, constet in utraque vita fuisse consummatum. Et quidem valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Sed tamen præ ceteris apostolis apostolorum principi, tamquam principaliter cum Jeremia super gentes & super regna constituto, data est auctoritas confirmandi fratres, & destruendi portas inferi, ut eleventur portæ æternales; portæ Sion, quas diligit Dominus super omnia tabernacula Jacob: quarum ad introitum cum Jeremia & Aggæo anhelantes ejusdem Sion peregrini cives, dicunt assidue oris & cordis clamore: *Te decet hymnus, Deus, in Sion: & tibi reddetur votum in Jerusalem*, subauditur, cælesti. Et ne quis illorum illic desit, orant in metu & spe; *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe*, & cetera.

III. Nota est historia, quod Jeremias captivitatem Judæorum in Babyloniam & prædixit & vidit. Prophetavit etiam, eos post septuaginta annos redituros. In illa vero captivitate fuerunt in Babylonia prophetæ, inter quos erat Ezechiel & Aggæus. Completis autem septuaginta annis, permittente Cyro rege Persarum, regressi sunt Jerosolymam, & Aggæus cum illis, & restitutum est templum. Quoniam autem hæc in figura contingebant illis; intelligendum est duas esse civitates spiritualiter: unam malorum quæ cœpit a Cain, alteram quæ cœpit ab Abel. Illius cupiditas, hujus caritas cives facit. Ambæ permixtæ sunt corpore, non desiderio: quia quamdiu in corpore sumus, hæc ut illa peregrinatur a Domino. Hujus autem peregrinationis caussa, fuit verbum quod primis parentibus factum est, *eritis sicut dii*. Quod non incongrue dicitur verbum peregrinationis, quia caussa est universalis peregrinationis, in qua captivi detinemur. Incipit tamen ad patriam exire qui incipit amare, ut tandem penitus constitutus in dexteram separetur.

IV. Nec vacat, quod post septuaginta annos de A peregrinatione redeunt. Hic enim numerus, tempus vitæ designat præsentis: quo maxime ante adventum tenebatur populus in confusione; unde regredi cœpit per Christum, qui natus est in septuagesima septima generatione. Hoc ergo canticum de reversione, consolatio est in exsilio, ne quis desperet, certum audiens reditum, & per quem, & quæ divitiæ sint reversis. Primo autem propheta affirmat reditum & precatur: secundo laudes Dei describit ibi: *Spes omnium finium terræ, & in mari longe*.

V. De hac ergo reversione, voce revertentium B propheta cantat & ait: *Te decet hymnus, Deus, in Sion*. O Deus juste! cujus justo judicio sumus in peregrinatione sub rege Babylonico, sed tandem reversuros nos confidimus ad patriam, cælestem videlicet Jerosolymam, ad quam proficisci nunc incipimus, qui manentes in ecclesia per fidem ambulamus, *te decet hymnus: te*, non deos gentium dæmonia; *decet hymnus*, id est laus cum cantico. Ubi? in Sion, id est in ecclesia: quæ secundum statum sive motum peregrinationis, in qua per fidem nunc ambulat, *Sion*, id est speculatio dicitur; secundum statum vero æternitatis ad quam tendit, C *Jerusalem*, id est visio pacis nominatur: quia tunc videbit facie ad faciem quod nunc per speculum videndo, Sion dicitur, id est speculatio. In hac Sion te Deum verum decet hymnus ab illius civitatis civibus. Nam etsi aliquis illorum fuerit etiam in fornace Babylonica secundum corporalis angustiæ detentionem, & hominum despectionem; tamen quia spiritu spiritualia & cælestia speculatur, bene trium puerorum cantat hymnum, qui neque ad adorandam statuam auream, id est ad sectandam avaritiam declinatur, neque igne Babylonico, quæ turpissima est immunditiæ libido, perniciose uritur. E contra, si civis aliquis Babylonicus amori secularis vel gloriæ, vel concupiscentiæ, vel utriusque D deditus, maxime avaritiæ servus, quæ est idolorum servitus, fuerit in Sion, id est in præsenti & peregrinante nunc ecclesia, vel dignitatibus ecclesiasticis honoratus, vel specie sanctitatis tamquam civis Jerusalem palliatus; non te Deum verum decet hymnus in talis confusionis vel una persona, vel plurium synagoga: quia non est speciosa vel pretiosa laus in ore peccatoris, maxime in obsequio divino quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentis, quod est adorare auream statuam.


VI. Propterea namque in quatuor temporum jejuniis, quibus hymnorum cantores ad sacros ordines promoventur, trium puerorum post aureæ E statuæ contemtum, post incendium fornacis devictum, subnectitur hymnus: ut instruantur ordinandi, quod etsi cives dicantur & habeantur Jerusalem, non tamen decet eos hymnum Deo vero cantare, vel altari sacro ministrare, nisi contemto prius aureo simulacro exitialis avaritiæ, victoque vel exstincto in se libidinis igne piceo ac sulphureo, quem rex Babylonis nutrit, rex Jerosolymitanus detestatur & odit: quique non pueros Domini Spiritu sancto vento roris protectos incendit, sed ministros regis Chaldæos incendit, qui eum nutriunt, non exstinguunt. Porro tres pueri, omnes videlicet pure colentes trinum in unitate Deum, non hunc ignem in se nutriunt: sed jejuniis, vigiliis, orationibus, ceterisque spiritualibus exercitiis restinguunt. Et cum restinctus fuerit, vel ut non sit, quod senibus contingit aliquotiens; vel certe, ut non obsit, quam quam legi membrorum naturaliter insit, quod juvenibus evenit; qui etsi sentiunt in se carnis concupiscentias, non tamen eunt post eas, neque arma iniquitatis faciunt membra sua, legi Dei mente serviendo, legique membrorum carnalium in Spiritu sancto, tamquam vento roris flante, resistendo; tunc demum, certificante illos apostolo, quod nihil damnationis est eis qui non secundum carnem ambulant, quodque illis qui in carne ambulantes non secundum carnem militant, corona debetur tamquam legitime certantibus; accedant, vocante illos Domino, ad sacros ordines accipiendos, & hymnos Deo canendos: quia te decet hymnus, Deus, in tali Sion tales cives etiam in medio Babylonis, in medio nationis pravæ, habente. Sed peramplius & perfectius tibi reddetur votum in Jerusalem illa, quæ sursum est, libera penitus ab omni confusione Babylonica, quæ est mater nostra.

VII. Non omnium est illa trium puerorum perfectio, ut hymnum cantare possint in terra aliena. Unde & dicunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sed in Jerusalem tibi reddetur votum ab omnibus Jerosolymitanis civibus, quando caro humana, quæ nunc terra est aliena corruptibilis, scilicet sua corruptione aggravans animam quantumlibet spiritualibus ac cælestibus intentam, fuerit in electis omnino incorruptibilis & impassibilis. Nunc vero, etsi vento roris flante, viri spiritales afflati & refrigerati cantant hymnum Domini in terra aliena; tamen & illi crebro suspendunt organa in salicibus in medio Babylonis: & qui sunt fragiles, adhuc in lucta carnis inferiores, omnino conticescunt ab hymnorum cantico exsultativo, ac super flumina Babylonis residentes, dulce habent flere, suisque pascuntur lacrymis, manducando simul panem doloris. Mente igitur in Jerusalem supernam proficiscentes, illiusque memoriam in principio lætitiæ suæ ponentes, vota laudis, & gratiarum actiones vovent, quæ tandem in Jerusalem persolvent ac reddent.

VIII. Sed quoniam antequam perveniatur in illam Jerusalem, dum proficisci nunc incipimus, & in convertendo captivitatem Sion, quasi laxata captivitate, restincto per martyrum sanguine Babylonico igne, alteram Babyloniam, id est Romam videmus, & gaudemus in civitatem Sion commutatam; *te decet hymnus Deus in Sion*, id est in ecclesia catholica Petri apostoli fide firmata, & per apostolos virosque apostolicos erudita, quasi per Jeremiam & Aggæum. Petrus quippe apostolus, qui respiciente se Domino flevit amare tamquam in lamentationibus Jeremiæ, peregrinos cives Jerusalem docet seminare in lacrymis, quod post metatur in exsultatione. Cui sociatur Paullus apostolus, velut alter Aggæus, quod interpretatur *sollemnis* vel *sublimis*: quoniam raptus usque ad tertium cælum, sollemniter & sublimiter est magnitudine revelationum glorificatus, & tamquam vas electionis vere digne est glorificandus. Vel quia Jeremias multimoda passione attritus & tandem martyrio coronatus est: per illam significari potest martyrum candidatus exercitus. Per Aggæum vero in convertendo captivitatem Sion factum sicut consolatum, notare possimus cœtum confessorum in pace quiescentium, & auxilia regum ad ædificandas ecclesias habentium.

IX. Sicut enim Cyro laxante captivitatem, per

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169



Aggæum, ceterosque illius temporis prophetas reædificata est Jerusalem; sic imperatore Constantino dante pacem sanctæ Dei ecclesiæ, quasi destructo jam regno Babylonico, portæ Sion sunt reædificatæ, atque tam imperialibus quam & pontificalibus edictis, tamquam seris & vectibus firmatæ. Spurcissimus Nero, qui velut alter Nabuchodonosor primus in secunda Babylonia erexerat idololatriam quasi auream statuam, cum suis posteris martyrum Christi tortoribus incendia fornacis augentibus jam judicatus erat: ita ut quidam ex talibus humiliati ad pœnitentiam, fœnum quasi bos comederent, & altissimum in regno hominum dominantem recognoscerent, quidam vero cum Balthasar nimium secure luxuriantes & tyrannizantes, omnino amisso regno cum vita perirent; sicut gesta martyrum contestantur, quosdam ex tortoribus & senatoribus in urbe Roma, tamquam in Babylonia sub jugum christianæ legis humiliatos, quosdam vero tam visibiliter quam invisibiliter in manus dæmonis traditos, & regno simul ac vita privatos. His igitur partim condemnatis, partim conversis, nomen quoque commutatum est illius Babylonis, ut rectius, urbs illa dicatur jam Sion, quam Babylon. Et ideo pridem suspensa illic organa, jam captantur ad cantica.

X. Quando enim fides christiana in procinctu adhuc posita, & ut ait quidam

agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exserta lacertos
Pugnans, nec telis meminit nec tegmine cingi.
Pectore sed fidos valido membrisque retectis,
Provocat insani frangenda pericula belli:

non erat otium sedis apostolicæ pontificibus, ita perornare cultum fidei sicut nunc est perornatus, & in altaris ministerio tamquam in capite gloria & honore coronatus, jam concrepantibus organis, & cantoribus ad canendum expeditis, maxime in cœnobiis per pontificum Romanorum decreta & privilegia communitis. His ergo nunc citharas percutientibus in domo Domini, *te decet hymnus, Deus, in Sion*, id est in ecclesia Romana, quæ nomine Babylonis per apostolicam fidem commutato in nomen Sion, fundamenta nunc habet in montibus sanctis.

XI. Te decent sancta sacerdotalis officii ministeria spiritalibus canticis & hymnis in illa Sion perornata. Cum verbi gratia quidam Romanorum pontificum statuit psalmos ante sacrificium canendos antiphonatim, quidam *Gloria in excelsis*, quidam *Sanctus sanctus sanctus*, quidam *Agnus Dei* sacro adjunxit officio. Et quædam precum solemnia inseruerunt ejusdem ecclesiæ Romanæ pontifices cum canticis & hymnis festivis, maxime in solemnitatibus præcipuis, quarum in vigiliis præcedit quasi lamentator Jeremias jejunando, vigilando, plorando coram Domino qui fecit nos. Et in diebus festivis consequenter adest Aggæus ille sollemnis, qui reversioni de Babylonia in Jerusalem præsentialiter interfuit: sicut excellens quælibet solemnitas, verbi gratia paschalis, in canticis & hymnis quasi præsentialiter nobis post derelictam Babylonem supernæ pacis & lætitiæ ingerit visionem. Nam in tanto festo lamentationibus quadragesimalibus & vigiliis ac jejuniis prævento, incipientibus proficisci sursum, quibus conresurgentibus Christo sapiunt ea quæ sursum sunt, exsultat jam angelica turba cælorum, exsultant divina mysteria; in quibus decenter ordinatis, & Babylonis civibus inde sequestratis, *te decet hymnus, Deus, in Sion*. Et hic hymnus præparatio est voti perfecte reddendi quandoque in Jerusalem.

XII. Sed numquid, o Deus! te decet hymnus in Sion, interdictus a principibus ejusdem Sion, qui suis decretalibus edictis interdicunt officia & beneficia ecclesiastica clericis cum Nicolao fornicatore manifeste incestuosis, & cum Juda mercatore pessimo, vel Simone mago turpiter negotiantibus, & in domo Dei latrocinantibus, quia materialibus quoque armis turati atrociores inveniuntur Juda, qui redarguente propria conscientia dixit, *peccavi tradens sanguinem justum*: & Simone mago, qui ab apostolo Petro imprecatus, dixit eidem Petro ac ceteris apostolis, *Precamini vos pro me Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis?* At isti malitiosi neque propria conscientia redarguente humiliantur, neque ab aliquo veritatis æmulatore se argui patienter sufferunt: quin potius tales persequuntur & odiunt, suisque militibus trucidandos & occidendos exponunt. Quid igitur intendunt isti, vel princeps mundi hujus Babylonicus quid per eos intendit, nisi civitatem Sion destruere, atque Babyloniam reædificare?

XIII. Quando enim Romanum imperium, quasi caminus igne Babylonico ardebat contra cultores trinitatis, crucians eos diversis tormentis qui spreverunt auream statuam idololatriam, præcipueque avaritiam: tunc non immerito a Petro apostolo urbs Roma tropice dicta est Babylonia. *Salutat*, inquit, *vos ecclesia in Babylone collecta*. Sed refrigerato & exstincto igne persecutionis in imperio Romano jam ad fidem Christi curvato, ipsa urbs urbium Roma recte Sion dicitur, ut jam dictum est. Neque Babylonicæ tyrannidi, vel confusioni de cetero locus est permittendus in ea, cum sit aula pudicitiæ, sedes justitiæ, asylum religionis canonicæ ac monasticæ, rationabilibus privilegiis velut quibusdam propugnaculis defensando undique claustra ordinata regulariter, ut liberum sit in eis cantoribus de canticis Sion hymnos frequentare, secundum quod *te decet hymnus Deus in Sion*.

XIV. Subsistere heic libet aliquantulum, & intermisso paullisper expositionis cursu, ad eos intendere confutandos, qui muros Jerusalem destruere, murosque Babylonis quantum in ipsis est, conantur ædificare. Nonne ea quæ Deus conjunxit separant, vel quæ ipse disjunxit ac distinxit in unum confundunt, muros Babylonis, id est confusionis in altum attollunt? Imperium quoque Romanum nituntur facere Babylonicum, & quod pejus est, regnum Christianum volunt esse paganum: vel certe de duobus repugnantibus insimul confusis restaurant regnum Babylonis, & resuscitant regnum ejus, de quo Dominus in propheta Jeremia conqueritur dicens: *Grex dispersus Israel, leones comederunt eum?* Primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. Vere leones bestialis ferocitatis principes comederunt gregem Domini: & primus rex Assur, quia primus princeps Assyriorum, Judæorum scilicet seipsos dirigentium, comedit eum, vel quando Pilatus eorum tetrarcha occidit Christum, disperso grege discipulorum ejus, vel quando ipsis Judæis concitantibus, misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia. Deinde reliqui leones a Nerone

usque ad Diocletianum per decem universales persecutiones, ita comederunt ac dispserserunt gregem Domini, ut illa bestia decem cornibus terribilis Danieli præostensa, jam singulis cornibus in singulis persequutionibus debacchata, & sanguine sanctorum satiata sit ultra quam dici possit. Et quia ultima persequutione, Diocletiano & Maximiano tyrannizantibus decem annis vexata est ecclesia; sive in decem universalibus persequutionibus, sive in decem annis ultimæ persequutionis intelligas decem cornua crudelis bestiæ, Romani videlicet imperii, gratanter accipe humiliationem ex tunc illius bestiæ, ita ut fœnum quasi bos comedens, & præsepe Domini sui agnoscens, rore cæli B tincta sit; baptizato videlicet Constantino imperatore, non ut hæretici contendunt, ab hæretico Eusebio Ariano, sed ut catholici sentiunt, a catholico urbis Romæ pontifice Silvestro.

XV. Memini enim cum in urbe Roma fuissem, fuisse mihi objectum a quodam caussidico ecclesiæ Dei adversario, non esse rata privilegia imperatoris Constantini ecclesiasticæ libertati faventia, eo quod ipse vel baptizatus, vel rebaptizatus fuisset in hæresi Ariana, ut insinuare videtur historia tripertita. Quo contra tunc ex parte disputavimus, & adhuc disputare & probare parati sumus, quod sicut in antiqua Babylonia rata fuerunt edicta Deum C Danielis condonantia [1], licet a pagano imperatore promulgata, sive cum Nabuchodonosor filium Dei sibi in fornace manifestatum glorificavit, sive cum exposito sibi per Danielem somnio, ipsum Danielem in sublime super omnes principes Babylonis extulit, atque Deum ipsius & trium puerorum laudibus magnificavit; quem & postea de regno ejectus, & denuo restitutus in regno, hominum dominari confessus est: multo magis in secunda Babylonia privilegia vel edicta imperialia imperatorum Deum glorificantium, & servos ejus in sublime super omnes regni terreni principes extollentium, rata sunt habenda, in quantum propheticis, D evangelicis, apostolicisque documentis inveniuntur consona, etsi vita imperatorum non sit omnimodis approbanda.

XVI. Si enim Cyrus rex Persarum testimonio divino laudatur, & christus Domini a propheta nominatur, non quia sanæ fidei exstiterit, vel juste vixerit qui paganus fuit; sed quia imperiali edicto captivitatem populi Dei primus laxavit, permittens cives Sion reverti ad canendos hymnos in Sion: quomodo non est laudandus imperator Constantinus, qui primus imperatorum Romanorum publicis edictis libertatem tutatus est ecclesiæ, ut vacaret servis Dei libere Deo servire in psalmis & E hymnis & canticis Sion? Quod cum usque ad ipsius tempora fieret in urbe Roma, in altera videlicet Babylonia, per cryptas & alias latebras, tamquam in silentio suspensis organis in medio Babylonis; ex tunc ædificatis ope ipsius muris Jerusalem, in templis magnificis Deo vero sacrificatur; conjubilantibus electis cantoribus exercitatis in canticis Sion. Quis sapiens & intelligens hæc, non opus divinæ pietatis veneretur, cujuscumque sit fidei vel conversationis æstimatus homo, per quem talia Deus est operatus?

XVII. Legimus regum paganorum, Cyri, Darii, Artaxerxis, optima scripta & edicta pro reædificandis muris Jerusalem promulgata, nec pro eorum perfidia illa censemus repudianda; sed pro divina pietate, qua inspirante processerunt, amanda & veneranda, in eo præcipue, quod ex rei publicæ sumtibus quædam remittendo, quædam largiendo, adjutorium præbuerunt famulis Dei reædificantibus domum Dei, & muros Jerusalem post laxatam populi Dei captivitatem. Legimus & veneramur epistolas bonas regis Assueri, prioribus epistolis malis ex consilio Aman Agagitæ hostis Judæorum datis contrarias, & laudamus eas. Quomodo igitur non laudemus edicta Constantini aliorumque imperatorum paci ecclesiasticæ faventium, qualitercumque se habuerit fides & conversatio eorum? Certe in historia ecclesiastica laudatur, Eusebio narrante, fides & pietas Constantini principis; a qua si postea, ut in tripertita historia legitur, deviando, baptizatus vel rebaptizatus est ab Eusebio Ariano, culpa ejus ad ipsum spectat, neque tamen bona scripta ejus evacuat: sicut & culpa regis David, licet illi multum nocuerit, scripta tamen ejus bona evacuare non potuit. Sic scripta Salomonis bona & sancta tenemus, quamquam novissima senectutis ejus per luxuriam & idololatriam graviter fœdata non ignoremus. Prophetiam quoque Balaam arioli mercedem iniquitatis amantis, quia sacris literis consona invenitur, in summa recipimus auctoritate, non pensando quis dixerit, sed quid.

XVIII. Fuerit ergo imperator Constantinus in suis extremis cujuscumque sectæ sectator, derelicta ut fertur fide catholica, pro qua laboraverat in Synodo Nycena; quod ego minime credo, cum ejus etiam filios Constantinum & Constantem paternæ fidei successores duo testes, duæ olivæ, ac duo candelabra, Joannes videlicet & Paullus, in opprobrium Juliani apostatæ commendent, & catholicos atque in fide catholica & conversatione bona stabiles, de regno terreno ad regnum cæleste translatos prædicent. Fuerit ergo pater eorum Constantinus, circa fidem peste Ariana, contra quam ante laudabiliter dimicaverat, maculatus, ut asserit Cassianus; cujus non solum in laude nimia tripertitæ historiæ, sed & in ceteris opusculis notatur & repudiatur sensus hæreticus, quamquam de vita patrum scripta ejus teneamus, ea dumtaxat, quæ approbavit vir illustris Hieronymus. Nam cetera sunt apocrypha, & ut Prosper doctor eruditissimus notat, pro sensu hæretico repudiata. Quædam tamen ab ipso Prospero inveniuntur emendata. Quomodolibet ergo tripertita historia de baptismo Constantini sit recipienda vel respuenda; nihil hoc attinet ad infirmanda ejus edicta pro catholica fide in defensionem sanctæ Dei ecclesiæ promulgata, & per apostolicos doctores roborata, inter cetera imperialia scripta.

XIX. Unde in gestis ecclesiasticis legitur inter cetera: *Denique reges & præsides ac magistratus, non solum adjacentia tribuere; sed & ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes qui in mundo nihil possidebant, ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque & ecclesiæ ejus rite famulantium, servorumque illius supplementa absque necessitate tribuerentur. E quibus vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum mundum in suo degentes imperio non fo-*

1. Forte error est typogr. pro *commendantia*.

lum fieri Christianos , sed & fabricandas ecclesias , & prædia tribuenda constituit . Denique idem præfatus princeps donaria immensa , & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit , adeo ut sedem imperialem , cui quippe Romani principes præsidebant relinqueret , & beato Petro suisque successoribus profuturam concederet . Audiat adversarius , quia imperator Constantinus in gestis ecclesiasticis *vir religiosissimus* nominatur , & ejus institutio , non quia ejus fuit , sed quia justa & rationabilis exstitit , laudatur . Neque enim tam laudabili constitutioni hoc adversatur , quod jurisperiti dicunt rem publicam non posse usucapi : cum hoc dicto sane intellecto astruatur id , quod juris publici est in privatum jus non posse redigi. Denique res publica ecclesiæ donata manet adhuc publica, in publicum summi regis obsequium, non in jus privatum vendicata .

XX. Cujus transpositionis multa inveniuntur laudabilia exempla, non solum in sancta ecclesia, sed & in gente non sancta & pagana . Legamus gesta regum paganorum in libris Machabæorum , & inveniemus Jerusalem, peccatis exigentibus , aliquotiens miserabiliter humiliatam, & a gentibus conculcatam , quam Deo propitiato, reges gentium valde honoraverunt , & rei publicæ sumtibus ditaverunt . Nam cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam in ea optime custodirentur , fiebat , ut ipsi reges gentium in summa veneratione haberent locum sanctum , quem postea legibus Dei contemtis, profanatum ac dehonestatum, per bella triumphalia Machabæorum denuo legimus reparatum, & coronis aureis ornatum , regibusque gentium valde humiliatis , eorum largitione magnifice honestatum . Cui rei simile est quod post prælia martyrum victoriosa, inclinata sunt regna, & per Constantinum pium principem in obsequium Christi mœnia & prædia imperialia translata, & libertas ædificandi & ditandi ecclesias publicis edictis confirmata .

XXI. Post Constantinum quoque ipsius in imperio & pietate successores catholici reges & imperatores eamdem libertatem sanctæ Dei ecclesiæ firmaverunt : videlicet junior Constantinus & Constans, Valentinianus , Arcadius & Honorius, Carolus & Ludevvicus ; quorum statuta imperialia super ecclesiastica libertate præ manibus habentur , quibus ecclesiasticæ immunitatis & libertatis privilegia, tam ab ipsis quam a suis antecessoribus promulgata, censentur omnino rationabilia & inviolabilia . Unde Arcadius & Honorius dicunt inter cetera : *Quæcumque a parentibus nostris diversis sunt statuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa sacrosanctas ecclesias præcipimus . Nihil igitur a privilegiis immutetur : omnibus qui ecclesiis deserviunt , tuitio deferatur . Quia temporibus nostris addi potius reverentiæ cupimus, quam ex iis quæ olim præstita sunt , immutari .* Valentinianus quoque decrevit dicens : *Universos quos constiterit custodes ecclesiarum esse, ac sanctorum locorum religiosis obsequiis deservire, nullius attentationis molestiam sustinere decernimus .*

XXII. Multa his consimilia ex legibus & edictis imperatorum seu regum possemus colligere . Sed habemus firmiora munimenta in decretis pontificum Romanorum libertatem & immunitatem prædiorum ecclesiasticorum, & omnium quæ possident ecclesiæ munientium sui apostolatus incontradicibi-

A li auctoritate : quibus rerum ecclesiasticarum fraudatores , vastatores , alienatores anathematis jaculo feriuntur, & ut sacrilegi pronunciantur . Si vero de gestis ecclesiasticis inde tibi suboritur ambiguitas , quod in ecclesiastica historia in aliquibus videtur dissonare a tripertita historia, circa ea quæ de imperatore Constantino scripta sunt utrobique ; prætermissa diversitate codicum de baptismo Constantini varie agentium, unam tamen & eamdem pietatem jam dicti principis contestantium ; respice quæso pontifices Romanos ejusdem veritatis attestationi unanimiter consonantes . Quod si adhuc firmiora petis argumenta ; recurre ad immobile fundamentum evangelicorum , apostolicorum , pro-
B pheticorumque testimoniorum , quibus aperte invenis approbatum , regibus & principibus ceterisque divitibus mundi hujus esse licitum ac salubre sanctam Dei ecclesiam larga munificentia honorare , Christoque in ea regnanti aurum de thesauris suis offerendo , cunabula ejus , quæ sunt famulantium sibi habitacula cœnobitalia , ornare ; quemadmodum sancti martyres offerendo myrrham , & sancti confessores offerendo tus , eadem cunabula pro sui ordinis congruentia ornant , dum in eis reliquiæ martyrum collocatæ virtutibus & miraculis coruscant , suisque meritis inibi militantes adjuvant , & doctrinæ confessorum sanctos mores informant , orationibusque suffragantur bovi & asino
C hujusmodi præsepe Domini sui recognoscentibus.

XXIII. Et quia non solo cibo angelorum , sed & fœno animalium decet refertum esse hoc præsepe Domini : comportent hoc fœnum divites mundi hujus, faciendo sibi amicos de mammona iniquitatis, ut cum defecerint, recipiantur ab eis in æterna tabernacula; pro quibus consequendis ipsi reges offerant ædificia regalia , ut impleatur quod scriptum est : *In cubilibus , in quibus prius dracones habitabant , orietur viror calami & junci .* Quod ad literam quoque impletum perpendimus , qui non solum templa idolorum , sed etiam palatia imperatorum & regum in ecclesias , & habi-
D tacula Deo militantium conversa videmus . Pro exemplo sit nobis in urbe Roma domus rotunda sanctæ Mariæ ; quæ dæmonibus fabricata , nunc est in honore beatissimæ virginis Mariæ omniumque sanctorum dedicata . Similiter & palatium Lateranense , prius imperiale , nunc factum sacerdotale , manifeste repræsentat hujus prophetiæ veritatem, qua dicitur : *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci.* Nihilominus & in cœnobiis auxilio divitum fabricatis , quasi cubilia draconum calami & junci replent : cum lingua docentium , quasi calamus scribæ velociter scribentis verbum Dei firmat , & fides audientium ad modum virentis junci , non
E in superbiæ rupe , sed in humilitatis valle radicata, verbum sibi dictum conservat ne pereat , quo modo & cophini de juncis contexti fragmenta quinque panum servant ne pereant . Et Maria humilium regina , & humilitatis exemplar præcipuum, conservabat omnia verba suæ fidei credita conferens in corde suo , donec ea committeret calamis apostolorum & evangeliorum , de talibus digne loquentium & scribentium , quod non decebat sexum femineum .

XXIV. Propemodum simile est huic in cœnobiis regularibus , quia infirmis ac femineis personis orantibus, & fortibus atque viribus [1] viriliter ac fortiter verbum Dei scripto vel dicto contestantibus,

1. Forte *viris* , aut *virilibus* .

invicem sibi cooperantur calami & junci, fortes & infirmi, eloquentes & taciturni. Quod spectatorem & dilectorem Dei mirabilium præcipue delectat, cum fit in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, sicut in palatiis regum, vel antiquis templis dæmonum, prout supra exemplificatum est in rotunda domo sanctæ Mariæ, & in palatio Lateranensi. Torqueantur super hoc spectaculo invidorum lippi oculi: ego vero delectabor in Domino talia operante, atque serenis oculis aspicio Deum jacentem in quolibet tali præsepio, in medio duum animalium bovis & asini, tamquam in medio calami & junci. Nam bos animal mundum & sacrificiis aptum, ruminans atque triturans, apte significat chorum literatorum verbi ministerio deditorum, quorum linguæ assimilantur calamis velociter scribentium. Et asinus animal simplex atque oneriferum, non incongrue significat gregem simplicium; verbi gratia fratrum conversorum, vel sororum devotarum, seu aliarum fidelium personarum, quæ omnino paratum cor habent ad onus obedientiæ pro suo posse ferendum, & in caritate quæ omnia suffert, omnia sustinet, & ipsi tamquam Issachar asinus fortis humerum supponunt ad omnia sufferendum & sustinendum.

XXV. Quis non ista considerans, videat Jesum venisse in partes Cæsareæ Philippi? quia cum Cæsar esset imperator & Philippus tetrarcha, non incongrue his nominibus prænotatur, potestas Christi eo usque in mundo processura, ut imperatorum ceterorumque principum, majorum scilicet ac minorum, sibi colla inclinaret. Quo modo antiquus ille Jesus, qui & Josue dictus est, quinque regum colla suis principibus calcanda substravit, sole diem prolongante usque ad consummationem talis victoriæ. Putasne sine mysterio non alibi sed in loco tali dictum est Petro: *Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis?* Poterat hoc alio in loco Dominus dixisse Petro. Sed voluit ostendere, Cæsares ac tetrarchas ceterosque principes mundi hujus per principatum dignitatis apostolicæ aut frangendos aut flectendos. Et beati qui flexibiles inveniuntur, ut princeps Constantinus, & post ipsum Arcadius & Honorius, Valentinianus, Gratianus, Carolus & pius Ludevvicus, ceterique horum similes a malo ad bonum inclinabiles. Miseri vero qui flecti nolentes, frangi meruerunt; ut Nero, Decius & ceteri tales in paganismo tyrannizantes, & quidam postea in christianismo illis nequiores; ut Constantius Arianus, & apostata Julianus, ceterique reges hæreticorum vesaniæ contra ecclesiam Dei faventes, aut moderno tempore spiritalia dona, quæ minime habebant, vendentes, ac potius vendere simulantes in constitutionibus episcoporum, abbatum, præpositorum, capellanorum, non ad Dei, sed ad sui beneplacitum, captando in omnibus quæstum simoniacum.

XXVI. Volebant enim reges mali & simoniaci, ceterique principes illis consentanei, vel absque omni electione canonica episcopatus, ceterasque dignitates ecclesiasticas pro velle suo dare, vel tales fieri electiones, in quibus ipsi potestative dominarentur; eo quod secundum canones, consensus honoratorum requirendus & admittendus est in electionibus episcoporum. De isto assensu honoratorum cujusque civitatis admittendo & requirendo in electione pontificis, copiose memini tractatum in epistola beatæ memoriæ Chuonradi Salzburgensis archiepiscopi ad archiepiscopum Magdeburgensem Norbertum virum literatum. Voluerat enim ille inter honoratos cujusque civitatis etiam potestativos principes vel reges rei publicæ administratores esse comprehensos; quod sacrorum canonum censura omnino contradicit. Unde in septima Synodo universali, habita a quinque patriarchis cum CCCL. patribus sub Adriano papa, capitulum tertium sic se habet: *Omnis electio episcopi vel presbyteri vel diaconi a principibus facta, irrita manet secundum regulam quæ dicit; Si quis episcopus secularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur & segregetur, omnesque qui illi communicant.* Item Concilio Antiocheno: *Si quis presbyter vel diaconus per secularem dignitatem ecclesiam Domini obtinuerit, dejiciatur & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, & sub anathemate sit sicut Simon magus a Petro.* Ex synodo Symmachi papæ cum CCXVIII. episcopis: *Non placuit laicos ad statuendum aliquid in ecclesia aliquam habere potestatem, quibus obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Octava Synodus cap. XI. *Promotiones & consecrationes episcoporum, concordans prioribus conciliis, clericorum electione ac decreto, & episcoporum collegio fieri hæc sancta & universalis synodus definivit & statuit, atque jure promulgavit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitani aut cujuslibet episcopi: ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat contentio vel confusio. Præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum, vel ceterorum laicorum habere conveniat: sed silere & attendere sibi, usquequo regulariter a collegio ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum & cooperandum invitatur ab ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit obtemperare se asciscentibus. Taliter enim dignum sibi regulariter ad suam ecclesia promovet salutem. Quisquis autem secularium principum vel potentum, vel alterius dignitatis laicus, adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat & consentiat quod ecclesia de electione & ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit.* Canones Parisiaci: *Si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumserit; a provincialibus loci ipsius episcopis recipi penitus nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt. Si quis eum de comprovincialibus recipere contra interdicta præsumserit, sit a fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium caritate semotus.*

XXVII. Hujusmodi regulis de pontificum promotione promulgatis, excluditur violentia regum seu principum, ceterorumque laicorum potestativorum ab electionibus & promotionibus episcoporum, quamquam recte requiratur assensus cujusque civitatis honoratorum. Huc accedit novum papæ Innocentii decretum, quo præcipitur electio a Canonicis fieri secundum consilium religiosorum. Quibus omnibus diligenter pensatis, quatuor inveniuntur distinctiones in electione canonica. Nam spiritales & religiosi viri habent consulere: Canonici eligere: populus petere: honorati assentire. Qui tamen si consilio religiosorum patrum, & electione clericorum

SECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



ac petitione populi concurrente in unum, noluerint præbere assensum; non propterea irrita erit electio, si alias est canonica. Quia neque regibus, neque honoratis eam cassandi est ulla potestas, sed ut Symmachus papa dicit, obsequendi necessitas. Jure denique, sicut fabricans mundum in principio fecit Deus cælum & terram: sic in fabricanda nova creatura, prius formantur cælestia & spiritalia, dehinc terrestria & corporalia; ut videlicet spiritaliter electo & constituto episcopo, deinde accedat laicorum assensio, & illa regalium donatio, de qua constitutum jam episcopum rex vel imperator investire habet, quando jam in electione vel promotione prorsus non est contradictio.

XXVIII. Nam si electionis patet dissonantia, jure in talibus exspectatur judicum spiritalium sententia, ut electo jam confirmato fiat regalium donatio: quamquam eadem jam ecclesiis olim donata, in possessione sint ecclesiastica censenda, sed obsequio decenti apud regem deservienda, non ad nutum ejus ecclesiis quasi ex novo conferenda vel auferenda. Reges enim ac principes in tali malitia pertinaces, ut vellent ad nutum suum dispensari ecclesiastica vel ipsa regalia, ex parte fracti sunt, humiliatis ceteris ad obedientiam apostolicæ sedis: ita ut jam lætari possemus in his quæ dicta sunt & acta, in domum Domini euntibus his, qui veniunt de Babylone in Jerusalem, si non videremus a quibusdam reædificari Babylonem, id est illam confusionem, qua rex Babylonis diabolus in diebus istis novissimis exossat gregem Domini, sicut Jeremias deplorat dicens: *Grex dispersus Israel, leones comederunt eum. Primus devoravit eum rex Assur, iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis.*

XXIX. Quid enim est gregem Domini exossari, nisi eum ita fascinari ut in errorem inducatur, si fieri potest, & electi ossibus carnem portantibus assimilati, sed peccatis exigentibus eorum numero sociati qui cives potius Babylonis, quam Jerusalem censentur; verbi gratia, in clero hi qui cum sint valenter literati, dicuntur tamen & sunt Acephali; & ut ait Isidorus, hypocentauris assimilati, qui nec equi nec homines, mixtum genus & confusum in se repræsentantes; neque clericali neque laicali disciplina utentes, ex eo quod vocantur clerici vel canonici, cum sint synagoga satanæ, volunt pro suo libitu ecclesiasticos honores partim sibi usurpare, partim sui similibus vel etiam nequioribus conferre. Horum quidam præcipuas in ecclesia dignitates & sedes occupant, atque cives Jerusalem tanto gravius gravant, quanto licentius in ipsa Jerusalem regi Babylonis militant, sæcularia spiritualibus miscendo, & omnia ita confundendo, ut si videas hujusmodi hominem, neque in habitu, neque in conversatione valeas perpendere illius professionem: Similiter & inter laicos vix invenias in ordine militari aliquem, suis contentum stipendiis, ad sæcularem videlicet militiam pertinentibus: ita ut non habeant decimas militiæ spiritali potius quam sæculari divina ordinatione destinatas. Et hi ergo, veluti ex diverso genere confusi, cives Babyloniæ sunt, separantes quæ Deus conjunxit, & jungentes quæ separavit. Hujus autem confusionis præcipui sunt machinatores episcopi talem clerum foventes, & laicis talia beneficia præstantes; & principes eadem sua potentia manu tenentes, atque in hoc non Deo sed regi Babylonis militantes. Diligit enim tales confusiones rex Babylonis, ut spiritalia & sæcularia insimul confusa repræsentent quodam modo chaos antiquum, quando adhuc terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super abyssum.

XXX. Sed ne semper talis esset confusio rerum, Spiritus Dei ferebatur super aquas, ut ex tanta rerum confusione produceret formas discretas, & ab invicem sua proprietate distinctas. Multo nunc benignius fertur super aquas baptismi, ut ex his ad lucem producat quicquid illud pulcritudinis & jocunditatis fuit. Unde sibimet ipsi applaudebat antequam quicquam faceret æterna Dei sapientia, ludens in orbe terrarum, pro deliciis habens esse cum filiis hominum. Hæc eadem novissime diebus istis loquens in carne propria hominibus, & manens cum hominibus, ipsos cum quibus manebat homines inter se discrevit, aliter loquens discipulis suis in monte, aliter turbis in loco campestri: ostendens videlicet, quod sui discipulatus electi sectatores a turbis hominum secernendi, sibique in monte celsioris conversationis jungendi essent. Hujus divinæ institutionis memor beatus Petrus, in ordinatione Clementis dicit: *Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias: ne fidejussor exsistas, ne advocatus litium fias, neve in ulla aliqua occupatione prorsus invenaris mundialis negotii occasione perplexus. Neque enim judicem aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus; ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos a malis.* Item: *Sicut impietatis est crimen, neglectis verbi studiis, sacerdotes sollicitudines suscipere sæculares; ita unicuique laicorum peccatum est, nisi invicem sibi & in his quæ ad communis vitæ usum pertinent, operam fideliter dederint.* Et Paullus doctor gentium, *Nemo* inquit *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Item: *Omnis pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum. In his,* inquit, *quæ sunt ad Deum*; non in his quæ sunt ad sæculum.

XXXI. Quæ nimirum doctrinæ apostolicæ salubria monita, non ita sunt accipienda, ut illis apostoli dictis inveniantur contraria, quibus asserit se suique similes habere potestatem etiam angelos judicandi, quanto magis sæcularia? Item: *Spiritualis*, inquit, *judicat omnia, & ipse a nemine judicatur.* Judicet ergo spiritualis omnia, præsertim suæ sollicitudini commissa, etiam sæcularia, sic tamen ut in sæcularibus negotiis non implicet. Aliud est enim de sæcularibus juste judicare, aliud eisdem se implicare. Nam de sæcularibus judiciis & judicibus habet potestatem judicandi episcopus, sciens reprobare malum & eligere bonum, sciens juxta legem discernere inter lepram & non lepram, inter sanctum & non sanctum. Sed alia sunt judicia & negotia; quæ spiritalis homo sedens in cathedra Moysi per semetipsum potest administrare, alia quæ debet sensatis laicis committere, præcipue quæ spectant ad vindictam malefactorum, contra quos minister armatus & judex cinctus non sine caussa gladium portat; quem nemo debet sua præsumtione accipere, ne gladium accipiens gladio pereat: sed ecclesiastica potestate ordinante sæcularem, atque interdum frænante, interdum stimulante, sic per sanctos judicentur nationes, ut ipsis juste dominantibus munda sit manus & lingua sacerdotis a negotio sanguinis. Neque enim sanguis per judicem cinctum, licet ab episcopo constitutum, fu-

ſus; imputandus eſt epiſcopo, ſi tamen eidem judici non ſinit eſſe poteſtatem liberam, ſeu violentiam contra juſtitiam.

XXXII. Sic enim legimus a pontificibus Romanis quoſdam regum ſeu principum, pro inutilitate vel nequitia ſua excommunicatos & deſtitutos, aliosque pro illis conſtitutos, ut ii quos provexerunt, non ſolum ex inſtituto, ſed etiam ex præcepto eorum gladio vindice perſequerentur hoſtes eccleſiæ vel regni. Sane in talibus bellis movendis pro defenſione patriæ ſeu eccleſiæ, ſacerdotali quoque tuba cum principis edito conſonante, ſic ſe lingua ſacerdotalis debet cohibere, ne ſe videatur mortibus etiam hoſtium commiſcere; ſicut de beato Gregorio legimus, qui cum Romanos milites in defenſione urbis contra Longobardos pecunia eccleſiaſtica velut ſaccellarius juvaret, atque doctrina ſacerdotali tamquam juſtitiæ ſignifer animaret; a mortibus tamen ipſorum Longobardorum ſtuduit ſibi cavere, ipſis quoque hoſtibus parcendo, nec bella inferendo vel inferri præcipiendo, niſi quantum exegit neceſſitas injuriæ propulſandæ, vel urbis ac patriæ defenſandæ. Hinc eſt quod hoſtibus verſus urbem properantibus monet a tergo inſtandum, vel ex adverſo reſiſtendum: quibus in pace quieſcentibus, & eccleſiam non lædentibus minime docet bella inferenda, quamquam nota fuerit hoſtilis eorum nequitia. Inde eſt quod penes imperatorem Mauricium ſibi prorſus inſenſum, dudum accuſatus quod Malchum epiſcopum ſui patrimonii proviſorem, pro reddendis penſionibus tamdiu in cuſtodiis afflixiſſet, quouſque ſpiritum exhalaret, Sabiniano ſuo Conſtantinopolitano diacono ſcribens, ait: *Unum eſt quod breviter ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in mortem vel Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem nec duces nec comites haberet, atque in ſumma confuſione diviſa eſſet. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miſcere formido. Malchus autem iſdem epiſcopus neque in cuſtodia fuit, neque in aliqua afflictione: ſed die qua cauſſam dixit & addictus eſt, neſciente me a Bonifacio notario in domum ductus eſt, ibique prandidit & honoratus eſt ab eo, & nocte ſubito mortuus eſt inventus.*

XXXIII. Quam vero crudele viſum fuerit huic ſacratiſſimo doctori, ut epiſcopo jubente aliquis ita caſtigaretur, ut ex ipſa caſtigatione mortis cauſſa inferretur, inde colligitur, quod Joanni epiſcopo Calliopolitano inter alia ſcribens, ait: *Matricula, quam frater & coepiſcopus noſter Andreas Tarentinus epiſcopus fecit fuſtibus caſtigari, quamvis exinde poſt octo menſes hanc obiiſſe non credamus; tamen quia eam contra propoſiti ſui ordinem hujuſmodi fecit affligi, duobus hunc menſibus a miſſarum ſollemnitate ſuſpende, ut vel hæc eum verecundia qualem ſe de cetero exhibere poſſit, inſtituat.*

XXXIV. Audiant hæc epiſcopi, qui ultro & contra juſtitiam plerumque bella movent, guerras excitant, & plerumque innocentes etiam perſonas truncari, & morte tenus male tractari præcipiunt, officiumque militis & ſacerdotis in una perſona confundunt, comitis & pontificis dignitatem ſimul adminiſtrant, hoſtibus non tyrannizantibus, verum ea quæ pacis ſunt & gratiæ humiliter quærentibus, gladios intentant, & eos occidi vel truncari præcipiunt: quos utinam vivos capi præciperent, & a mortibus eorum ſibi caverent! qui ſi, capi ſe non permittentes, a militibus epiſcoporum occiderentur, qualicumque pallio excuſationis verecunda patrum tegerentur, ne homicidæ viderentur. Nunc autem quia epiſcopi quidam ſic tyrannizant, ut etiam innocentes perſonas & ſpiritales, militum ſuorum gladiis interdum exponant; eſurimus & ſitimus hanc juſtitiam, ut judicia & negotia ſpiritalia per ſpiritales, & ſæcularia per ſæculares ita peragantur, ne termini a patribus conſtituti negligantur. Talibus judiciis in eccleſia Chriſti diſtincte ordinatis, confunderetur & excluderetur omnino rex Babylonis, princeps tenebrarum & confuſionis, qui nunc rebus male mixtis & confuſis gloriatur ſe abundare filiis & filiabus multiplicatis ſuper numerum filiorum & filiarum Jeruſalem.

XXXV. Miſereor ſuper filias Babylonis, miſeras illas falſo ſanctimoniales dictas, quæ ſi aut Chriſto per votum continentiæ ſpiritaliter nuptæ, vel ante votum ſæculariter conjugatæ fuiſſent, poterant eſſe filiæ Jeruſalem, vel inter ſexaginta reginas, inter octuaginta concubinas contemplantes regem Salomonem in diademate ſuo, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis ſuæ. Nunc autem ſanctimoniam profeſſæ, mundo autem nimis amicæ, filiæ Babylonis & confuſionis recte dicuntur, & a filiabus Jeruſalem, non tamquam fatuæ virgines, in ultimo tantum ſponſi adventu ſecernendæ ſunt; ſed & nunc in interitum carnis tradendæ ſatanæ, ut ſpiritus earum ſalvus fiat: ſicut nuper in concilio Remenſe tu, papa Eugeni, de talibus mandaſti, ut Chriſtiana etiam ſepultura careant, niſi vitam ſuam in congregationibus ſecundum regulam beati Benedicti, vel ſancti Auguſtini emendent, & relictis propris, communiter vivant. In quo ſtatuto exſequendo epiſcopi quidam non bene vigilant. Sed & ipſæ filiæ Babylonis remurmurant inter ſe dicentes: Quid eſt rationis, quod nobis feminis in clauſtro quolibet ſtabilitis & nutritis, neque tamen regulæ alicujus voto adhuc obligatis, quia votum regulæ ſolemus diferre uſque ad laſſitudinem ſenectutis; nunc imponitur invitis obſervantia regularis? Quibus cum reſpondeo, quia eſtis in monaſterio & utimini ſtipendio regulariter viventibus conſtituto, reſpondent: Nonne ſimiliter & canonici epiſcopalium eccleſiarum vivunt de ſtipendio regulariter viventibus conſtituto, & ipſi nullam penitus obſervant regulam, neque ſaltem illam diſſolutam, quam ſibi a Ludevvico dicunt propoſitam ſive impoſitam: quæ cum eos jubeat in clauſtris ſuis inſimul habitare, nec permittat illis extra dormitoria ſua dormire abſque inevitabili cauſſa, non ita fit; ſed unuſquiſque diſcurrit, & dormit ubi vult. Quare itaque nobis feminis illud prohibeatur, quod in viris Deo ſacratis toleratur, cum nec ſaltem in ſua illa jam dicta regula illis hoc permittatur?

XXXVI. Sic murmurant filiæ Babylonis miſeræ contra ejuſdem Babylonis filios, utinam tam parvulos ut poſſent teneri, & allidi ad petram! Nam petræ inhærentes Petri ſucceſſores multa ſollicitudine tales conſtringere laboraverunt, verbi gratia præcipiendo ut tam epiſcopi quam clerici neque in ſuperfluitate ſeu inhoneſtate, vel varietate colorum, aut ſciſſura veſtium, neque in tonſura intuentium, quorum exemplum & forma eſſe debent, offendant aſpectum: ſed potius ita in ſuis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ converſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit ordinis claricalis. Magnifice dictum: *ſicut dignitas exigit ordinis clericalis!* Ne intelligatur exſiliter, penſanda eſt ordinis clericalis dignitas, non ſecundum vulgaris opi-

nionis æstimationem frivolam, sed secundum legem divinam. Locutus est enim Dominus ad Moysem dicens: *Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos juxta hunc ritum. Aspergentur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint, tollent boves de armentis*, & cetera. *Radant* inquit, omnes pilos carnis suæ. Pili carnis, sunt vitæ veteris cogitationes, ut ait beatus papa Gregorius: quas sic a mente incidimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Pili carnis, sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Levita namque *assumtus* vocatur.


XXXVII. Oportet ergo Levitas omnes pilos carnis radere; quia is qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Non inlicitas cogitationes mens proferat, & pulcram animæ speciem quasi pilis fuscantibus deformem reddat. Sed quantum libet, ut diximus, quempiam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate nascitur vitæ qui toleratur. Unde & ipsi Levitarum pili radi præcepti sunt, non evelli. Rasis enim pilis, in carne radices remanent, & crescunt iterum ut recidantur: quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. Sed hæc in nobis tunc subtilius conspicimus, cum speculationis alta penetramus. Verum hanc munditiæ vel pulcritudinis perfectionem consequi non poterit, nisi qui cunctas prius ab animo suo facultates sæculi, divini amoris novacula raserit. Proinde Dominus noster, qui legem non solvere sed adimplere venit, ut ista quoque Levitarum lex a suis assumtis possit impleri, dicit adolescenti diviti: *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Ac deinceps: *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres*, & cetera.

XXXVIII. Hanc plane Levitarum esse rasuram Moyses quoque in Deuteronomio probat, cum dicit in benedictionibus Levi: *Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum & pactum tuum, servaverunt judicia tua, o Jacob, & legem tuam, o Israel.* Sic inquam spiritaliter debere radi filios Levi, probat hic ipse Moyses, cum & illic protinus subjungit: *Ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.* Et heic cum dixisset: *Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ*, continuo subdit: *Cumque laverint vestimenta sua & mundati fuerint, tollent bovem de armentis, & libamentum ejus similam oleo conspersam. Bovem autem alterum de armento accipies pro peccato: & applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, evocata omni multitudine filiorum Israel. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos, & offeret Aaron Levitas munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. Levitæ quoque ponent manus suas super boum capita*, & cetera. Quidnam est aqua aspersos Levitas & rasos, lotisque vestimentis mundatos, bovem alterum in holocaustum, alterum pro peccato manibus suis super capita positis coram Domino tangere, positis antea vel insimul manibus filiorum Israel super se? Quid, inquam, hoc est? nisi spiritalis propositi viros a propriis vitiis mundatos, a cunctis facultatibus curisque sæculi rasos, ad hoc solum vacare, ad quod assumti sunt: videlicet, ut ponant thymiama in furore Domini, & holocaustum super altare ejus, id est, interveniant pro peccatis populorum. Filii namque Israel manus suas super Levitas, qui ab ipsis decimas accipiunt; & Levitæ manus suas ponunt super capita boum, e quibus unum, inquit, facies pro peccato, & alterum in holocaustum, quando spiritalis ordinis viri sæcularium peccata suscipiunt, quorum ex eleemosynis vivunt, & ea coram Domino sacrificiis orationum oblatis, deprimere & usque ad remissionem vel indulgentiam eorum superare contendunt. Quod quia magna est instantia faciendum, in fine capituli trina repetitione commemoratur factum: *Feceruntque Moyses & Aaron, & omnis multitudo filiorum Israel super Levitas, quæ præceperat Dominus Moysi.* Et deinde: *Purificatique sunt, & laverunt vestimenta sua*, & cetera. Ac deinde tertio: *Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est.*

XXXIX. Et quidem de Levitis ita factum est ut Dominus præceperat, purificatis & rasis primo literaliter ministris veterum & carnalium sacrificiorum: deinde sub novo legislatore benedictionem dante spiritaliter purificatis & rasis filiis Aaron sacerdotis veri, Christi videlicet apostolis, novi sacrificii primis & præcipuis ministris. Verum sicut in captivitate Babylonica presbyteris iniquis inique judicantibus, egressa est iniquitas a senioribus qui videbantur regere populum, neglecto præcepto per Moysen dato de purificatione Levitarum; sic & modo, quasi tyrannizante rege Babylonico, & populo Dei captivo, egreditur iniquitas a senioribus qui videbantur regere populum, neglecta purificatione & rasura Levitarum, quæ instituta est per Christum, paucissimis Levitarum exceptis, qui exemplo trium puerorum & Danielis prophetæ se castrantes propter regnum cælorum, digni & idonei existunt hymnum Deo canere, visiones regni cælestis videre, ac senes impudicos judicare. Judicium vero talium presbyterorum cum filiabus Israel temporibus turpiter agentium, & filiabus quoque Juda Susannæ consimilibus insidiantium, ex eo tempore cœpit acrius agitari, ex quo talibus interdicta sunt officia divina & beneficia ecclesiastica, tamquam Daniele præsidente in quolibet casto & justo apostolicæ sedis antistite. Sed quia necdum tota captivitas Babylonica soluta, vel reversio in Jerusalem peracta est, adhuc super flumina Babylonis flendo sedemus, & hujusce confusionis remedia majora exspectantes, cum Jeremia & Aggæo canimus: *Te decet hymnus, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem.*

XL. Quænam remedia majora exspectamus & expetimus? Illa videlicet, ut sicut in reversione populi Dei de captivitate, cantores & sacerdotes & Nathinæi descripti sunt cautissime per tribus & familias suas: ac de sacerdotio ejecti sunt qui suam de scripturis genealogiam indicare non potuerunt: ita & nunc fiat, exaudita oratione Jeremiæ dicentis: *Converte nos Deus ad te, & convertemur; innova dies nostros sicut a principio.* Denique si ad principium nascentis ecclesiæ respiciamus, dies claros & serenos in ordinibus ecclesiasticis inveniemus. Ita & nunc fiat, exaudita oratione Jeremiæ dicentis: *Converte nos Deus ad te, & convertemur; innova dies nostros sicut a principio.* Denique si ad principium nascentis ecclesiæ respiciamus, dies claros & serenos in ordinibus ecclesiasticis inveniemus.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.



Ita ut alii vice apostolorum, pontifices; alii vice septuaginta discipulorum, sacerdotes; alii cum Stephano, Diacones rite sequerentur suæ professionis duces ac principes, tamquam suæ genealogiæ seriem cautissime observantes. A qua serie si quis deviavit, ut Judas traditor & mercator pessimus, Nicolaus fornicator, Simon perversus negotiator, continuo detectus de ordine sacerdotali ac Levitico projiciebatur, & ordo Leviticus in sua puritate servabatur, sub aliqua certa regula vel simul in unum cohabitandi lege synodali, exemplo Christi discipulorum, qui primitus in unum cohabitando formam cœnobitalis vitæ præostenderunt, uno corde unaque anima Deum colendo: & postea dispersi per diversas regiones Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, sancte conversabantur in medio nationis pravæ ac perversæ verbum vitæ continentes, & sicut luminaria in hoc mundo lucentes. Qua nimirum conversatione dispersorum fratrum sanctorum vita informatur Dei ministrorum verbum vitæ continentium, & in medio nationis pravæ ad hoc ordinatione divina dispersorum, ut luceant inter eos tamquam luminaria in hoc mundo.

XLI. Lege in apostolorum actibus, Luca scribente, primitivam regulam cœnobialis vitæ. *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum & anima una in Deo*, & cetera. Lege apostolorum principis epistolas fratribus in dispersione positis missas, quasi primas decretales regulas in omni concilio sanctorum decreta fabricantium præ oculis habendas, ut hujusmodi fratres ad omnem sanctimoniam sint informati, tamquam verbis Petri apostoli dicentis: *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam*, & cetera. Item: *Seniores obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator; pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregi & ex animo: & cum apparuerit princeps pastorum, percipientis immarcessibilem gratiæ coronam.* Item: *Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc enim si vobiscum assint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est & manu tentans: oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum domini nostri & salvatoris Jesu Christi.* Item: *Unus quisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: Si quis ministrat, tamquam ex virtute qua administrat Deus. Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum.*

XLII. Quamquam dicta & hortamenta hæc apostolica universæ conveniant ecclesiæ, tamen quia fratribus in dispersione positis, tamquam advenis & peregrinis inter gentes conversantibus missa sunt, specialiter eos instruunt qui pie inter impios vivendi, & eos instruendi habent propositum & officium: a quo qui exorbitant secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suæ vesaniæ subjugale mutum; hi ut beatus Petrus ait, sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. *A quo enim quis superatus est, hujus & servus est*, & cetera. Nimirum per hæc apostolica dogmata, non solum qui sequendi, sed & qui cavendi sint monemur, ne insipientium errore traducti excidamus a propria firmitate, sive in congregatione sive in dispersione simus: quoniam ad utrumque modum conversandi firmas regulas habemus, primo & principaliter in actibus & dictis apostolorum, deinde in exemplis & regulis patrum ipsos imitantium. Denique omnes qui vitæ cœnobitalis regulas recte ordinaverunt, illud quod in actibus apostolorum de multitudine credentium cor & animam unam in Deo habentium, nihilque suum dicentium scribitur, quasi cardinem doctrinæ suæ habuerunt; ut verbi gratia Basilius, Augustinus, Benedictus, quorum in regulis recte ordinatur vita congregationis.

XLIII. Verum pontifices Romani ceterique patres orthodoxi, qui decretalibus aut synodalibus institutis clericos in dispersione positos informaverunt; apostolicas epistolas quasi primitivas & principales regulas & leges civitatis Jerusalem in principio lætitiæ suæ proposuerunt, nec aliquid ab eis dissonum docuerunt. Etenim quod clericorum congregationes ab initio nascentis ecclesiæ communem vitam secundum actus apostolorum servaverint, Urbanus papa & martyr decimus sextus a beato Petro in suis decretis manifestat. Quod & beatæ memoriæ papa Innocentius II. in quadam epistola sua commemorat, cujus hoc est rescriptum. "Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Conrado Salzburgensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. De dignitate & excellentia vitæ canonicorum multa nos docet divina scriptura, & multa possemus dicere, quod vita canonicorum vita est apostolica: quoniam apostoli contemtis omnibus hac vita cum Domino vixerunt, & post ascensionem cum multitudine credentium, cujus erat anima una & cor unum, hac vita viventes, eam posteris suo exemplo tenendam reliquerunt. Quod martyr & pontifex Urbanus ad informationem fidelium in suis decretis memorare curavit dicens: Scimus vos non ignorare, quia vita communis hactenus inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maxime inter eos, qui in sorte Domini electi sunt, id est clericos, sicut in actibus apostolorum legitur, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*. Hanc beati Augustini regulis ordinatam sanctus Hieronymus suis epistolis informavit. Horum itaque & aliorum muniti auctoritatibus, non minoris meriti æstimamus vitam canonicam aspirante ac prosequente Domini spiritu observare, quam religionem monasticam ejusdem spiritus perseverantia custodire. Unde antecessorum nostrorum decretis statutum esse meminimus, ne professionis canonicæ quispiam, postquam Dei vice super caput sibi honorem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu, de claustro audeat sine prælati & congregationis permissione

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

„ discedere. Quorum vestigiis inhærentes, quod „ quidam fratres in claustro Berthersgadmensi de „ munitione ordinis sui vana præsumtione attentare voluerunt, apostolica auctoritate ne fiat interdicimus: præcipientes ut quod Deo voverunt, „ reddere; & regulam beati Augustini, quam professi sunt, Domino juvante, fideliter observare „ studeant. In cujus observantia si eos forte remissos & minus ferventes repereris, monemus fraternitatem tuam, ut secundum datam sibi a Deo „ sapientiam, professionem & ordinem suum servare, & mandatis regulæ obedire, sicut tua interest, districte commoneas. Data Laterani XVII. „ Kalendas aprilis. „

XLIV. Cum ergo scriptis apostolicis moniti, & divina institutione informati agnoscamus bipertitam conversationem clericorum, vel in congregatione communiter, vel in dispersione disciplinate conversantium, & regulas vel cœnobitales vel synodales, quas appellamus canones, observantium; quis nisi rex Babylonis & confusionis adinvenit genus tertium clericorum nimis confusum, nimis Babylonicum, laicali pariter & clericali conversatione commixtum in quoddam neutrum, neque in congregatione vacantium canendis hymnis ita decenter, sicut *te decet hymnus Deus in Sion*: neque in dispersione ordinabiliter militantium contra carnalia desideria, quæ militant adversus animam? Hi ante nos a sanctis patribus inveniuntur hypocentauris assimilati, qui nec equi nec homines, *mixtumque* ut ait propheta [1], *genus, prolesque biformis*, quia nullius agnoscuntur certæ sectatores religionis. Horum quosdam solutos atque oberrantes, ut Isidorus ait, sola turpis vita complectitur & vaga: quia nullius cautæ institutionis religamine jugo Domini sunt adstricti, quasi liberi & velamen habentes militiæ libertatem, non sicut servi Dei, sed sicut servi mammonæ. Pro quo quæstu seu luxu variantes loca, vel quod pejus est, occupantes loca plura contra interdicta Synodalia, quibus mandatur, ne vagus clericus ante canonicam stabilitatem literis commendatitiis ac propria confessione roboratam serviat altari, seu vivat de altari, prohibeturque unus in duabus vel pluribus ecclesiis intitulari; ut verbi gratia, in sede cathedrali sit canonicus & in rure plebanus, vel inter plebanum & episcopum talis medius, qualis in concilio Remensi sermone apostolico per te, papa Eugeni, nuper est præscriptus pariter & proscriptus; eo quod quidam suis conductitiis nomen plebani fraudulenter concedunt, & ipsi sub episcopis & super hujusmodi plebanos inter se medios constituunt, ut gregem devorent non curent, vastent non pascant.

XLV. Hos impugnari vel expugnari ob hoc nimis est laboriosum, quod cum sua quærant, & non quæ Jesu Christi, tenent arcem in Jerusalem, & sicut in libris Machabæorum legitur, facti sunt in diabolum malum in Israel, suntque magna plaga castitatis, & duces reliquis alienigenis in vexationem sanctæ civitatis, usque adeo ut per talium gravamina deserta sit Jerusalem a suis civibus, & inhabitetur a gentibus juxta illud: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam: posuerunt morticina servorum tuorum bestiis terræ*, & cetera. Sed innotescet quandoque in nationibus ultio sanguinis servorum Dei, & introibit in conspectu Dei gemitus compeditorum. Sicut enim Simone sacerdote magno exaltato, hi qui erant in

A arce, primo conclusi, deinde sunt ejecti; sic annuente Deo eveniet istis. Ita enim legitur: *Qui autem erant in arce Jerusalem prohibebantur egredi & ingredi in regionem, & emere ac vendere, & esurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt. Et clamaverunt ad Simonem, ut dextras acciperent, & dedit illis, & ejecit eos inde, & mundavit arcem a contaminationibus. Et intraverunt in eam tertia & vicesima secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude & ramis palmarum, & cinaris & cymbalis & nablis, & hymnis & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel. Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. Et munivit montem templi qui erat secus* B *arcem, & habitavit ibi ipse, & qui cum eo erant.*

XLVI. Nonne huic facto simile est illud, quod irregulares canonici, licet in arce positi, per decreta pontificum Romanorum prohibentur ecclesias emere ac vendere in regione, propter quod exuriunt valde, non sicut illi beati qui exuriunt & sitiunt justitiam, sed sicut hi qui ardent per avaritiam? Veniet veniet tempus acceptabile, quo ejiciantur de arce primo particulariter emundata; videlicet quælibet cathedrali ecclesia: deinde universaliter ventilatione ultima, nec proderunt eis propugnacula, vel jacula quibus jamdiu tutati sunt in C arce. Habent enim in regula sua, non secundum apostolos ordinata, quædam capitula rationabilia vel fortissima propugnacula, quibus defenditur conversatio eorum tamquam sit canonica. Et revera si viverent secundum illa, quæ de sanctorum patrum tractatibus excerpta illic sunt aggregata, vita dici posset & esset canonica. Sed admixtum illic modicum fermentum totam massam corrumpit; illud videlicet, quod non de scriptis patrum, sed aliunde ascitum, destruit illic positas sanctiones sanctorum. Quasi enim regis legitimi legitimis edictis primo positis, aliis immo & contrariis edictis legationem mittunt post illum dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos*. Nam cum priora edicta eis in- D terdicant proprietatem & habitacula privata, posteriora illa penitus apocrypha concedunt hujusmodi: non ea discretione, qua beatus Gregorius clericis extra sacros ordines manentibus, & legitima conjugia sortitis, extra congregationes dari permittit stipendia competentia psalmodiæ invigilantibus, & viventibus sub Christiana regula prohibente illicita; sed ea confusione, qua scripsit rex Antiochus regno suo ut esset omnis populus unus. Unde apud illos inter sanctum & profanum nulla distantia est, inter sacerdotes & laicos modica discretio; nisi forte in eo discernantur, quod clerici plus laicis deviant, exceptis paucissimis inter eos ita sensatis, ut intelligant & doleant se non esse obser- E vatores vel illius confusæ regulæ nisi in vilissima ejus portione, cum ea illic negligant quæ sancti sancta docent, & ea solum teneant, quæ in permissione proprietatum & privatorum habitaculorum nescio quis indulget.

XLVII. Nonne itaque regula ista vel colanda est ut sit pura & sanctis consona, vel si colari non potest, omnino auferenda? Provenit enim ex illa talis confusio, qualis olim de jam commemorato regis Antiochi evenit edicto, quo scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus. Nam si sola sua, ut eis illic permissum est, retinerent, quæ relinquere nullus cogitur, nisi qui voto vel proposito vitæ artioris tenetur; esset hoc utcumque tolerabile, dummodo res ecclesiæ ut in sacris canoni-

1. Forte *poeta*.

bus præcipitur, haberent non in proprietate, sed in communitate, neque ad instar filiorum Heli in Silo carnes in communi caldario coquendas & intra sancta edendas, dividerent crudas in habitacula sua mulierculis frequentata deportandas. Sane a talibus congregationibus proprietates omnino disamputare, ac privatas eis mansiones penitus non permittere; hoc utique esset securim ad radicem arboris malæ ponere, non etiam ramos solum præcidere. In qua nimirum præcisione ramorum hi frustra laborant, qui permissis eis proprietatibus ac privatis mansionibus, a vestibus superfluitates & sæcularis pompæ nævum, atque a moribus vitia conantur resecare. Quamdiu enim radix proprietatis & mansionum privatarum usus radicitus non evellitur, quantumlibet operæ ad præcidendos ramos inutiles vineæ Domini quisque studiosus cultor impenderit, de vitiosa radice alii æque inutiles pullulabunt. Nam si in claustris canonice absque proprietate ordinatis, vix vitia vel etiam crimina bene vigilante studio magistrorum resecari poterunt; quanto minus ubi fraterni testimonii absentia, & privati domicilii secretum, insuper & ætatis lubricum, otiumque cum abundantia, coquorumque diligentia, & familiæ obsequela concurrerint?

XLVIII. Sed objicitur nobis a talibus, nec inter nos vitiosos, nec inter illos virtuosos omnino deesse. Atque utinam sicut apud nos unus forsitan vitiosus studiosorum multitudine premitur, quatenus aut mutetur intus, aut foras egrediatur; ita apud eos quispiam studiosus vitiosorum multitudine non opprimeretur, immo & persecutionis rabie non pelleretur! Quis enim ex eis vitia aliorum sciens, & æmulatione fraterna impetens, declinans & arguens, cum talibus ne dicam pacem habere, sed vivere secure potuit? Ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? vimque faciunt ei vehementissime, itaut non aliud restet cuilibet animam salvere cupienti, nisi de medio talium fugere, nec in omni circumjacenti regione subsistere; sed in monte altioris professionis salvum se facere. Unam tamen confidero viam hanc litterarum civitatem expugnandi, qua cuilibet vero Caleph, cuilibet secundum cor Dei ordinato castrorum dominicorum duci video accessibilem, qua paullatim tales Cariatharbei expugnari & exterminari possint, ita ut non redigatur terra in solitudinem; si videlicet a throno cuncta innovare cupientis Dei, & ab his quorum est in terris vicem Christi gerere, tale edictum procedat: aut etiam si quilibet episcoporum divinitus inspiratus hoc firmiter in corde suo ponat, ut unoquolibet eorum qui ejusmodi sunt decedente; non alterum ei similem in locum ejus substituat; sed præbendas & beneficia ecclesiastica in manu sua retinens, pauperibus interim distribui in eleemosynam faciat, donec tanta fiat præbendarum liberatio, unde vel sex vel decem, aut quot canonicos regulariter viventes in vicina aliqua capella foveat, quos illis malis vinitoribus viritim decedentibus, subintroducere in hereditatem Domini heredes legitimos possit. Quod in una jam ecclesia sancti Mauricii in Burgundia factum, nobis pro exemplo satis sit: in qua introductis canonicis, aliquanti adhuc de prioribus clericis superstites videntur stipendia sua foris accipientes. Non autem hi Burgundiones præ ceteris omnibus sæculariter degentibus clericis peccatores fuerunt: sed in illis divina censura exemplum statuit, imitari cupientibus possibilitatem monstravit, qualiter in toto de similibus faciendum sit, ac sine difficultate fieri possit.

XLIX. Quam multa moveor dicere contra hujusmodi exordinationes, & Babylonicas confusiones; quibus tandem ablatis, *te decet hymnus*, *Deus*, *in Sion*, quem nunc blasphemat meretrix Babylon, de sanguine sanctorum, sicut in Apocalypsi legitur, ebria: quia gratiam Domini transferens in luxuriam, deliciatur in conviviis de substantia sanctorum copiose ferculatis & poculatis, mixtis in medio convivantium feminis impudicis. Vix continent manus ab eo sacrilegio, quo rex Babylonis Balthasar bibendo & potando concubinas suas de sacris vasis, iram Dei promeruit, quæ illi per articulos manus in pariete scribentis innotuit, sancto Daniele interpretante. Atque utinam contra istos convivatores tale aliquid scribi valeat, quo ira Dei eis innotescat: qui fortasse inde plus irascitur, quod hujusmodi manducant & bibant indigne sacramentum carnis & sanguinis sui, quam si exemplo regis Balthasar vinum de sacris vasis biberent, & a sacramento altaris abstinerent, ne in populo Dei scandalum facerent. Quando enim laici omnino illiterati vident hujusmodi clericos altari audenter ministrare, quibus interdum sic ministrantibus, aut hymnos de canticis Sion canora voce jubilantibus, assistunt eorum feminæ tamquam filiæ Babylonis miseræ, ita egressa iniquitate a clericis & senioribus qui videntur regere populum; cernere habemus miserabile spectaculum, scilicet in medio tui, Jerusalem, populum pene totum Babylonicum.

L. Quomodo ergo *te decet hymnus*, *Deus*, *in Sion*, cujus populus, populus Gomorrhæ seu Babyloniæ, absque doctoribus & ductoribus justitiæ? Nam hi qui videbantur regere populum, pene omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Etiam illi quibus quasi Cherubim flammeus datus est gladius ad custodiendam viam ligni vitæ, cum deberent manifeste criminosis interdicere, ac prohibere accessum ad mensam Domini usque ad condignam satisfactionem, passim confuse omnibus accedentibus, licet manifeste criminosis, porrigunt fructum ligni vitæ, quem talibus deberent negare. Ideo inter nos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Et quia Babylonica ista confusio nullos magis respicit, quam desides negligentesque rectores; ideo justo judicio Dei effusa est contentio super principes tam sæculares quam spiritales, & errare fecit eos in invio & non in via: dum & spiritales implicari se gaudent sæcularibus negotiis, & sæculares intermiscere se audent spiritalibus caussis. Quæ nimirum confusio corpus totius ecclesiæ facit languere, & membra ejus contra se invicem diffidere: tamquam si dicant oculi pedibus & manibus, Opera vestra non indigemus; & manus vel pedes oculis, Non estis nobis necessarii. Spiritales enim qui quasi oculi dirigere deberent manus ad operandum vel pugnandum, pedes ad ambulandum, sic tenentur captivi sub regibus & principibus Babylonicis, ut eis dicatur: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Hymnum inquiunt cantate nobis, non contra nos: voluntates nostras malas cohibendo, sed nobis beneplacita loquendo. Hymnum tamen de canticis Sion, quia nolumus videri principes Babyloniæ, sed Sion. Volumus audire cælestem doctrinam: sed ad perficiendam, non impediendam voluntatem nostram.

LI. Tale fuit quod rex Herodes mittens & congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur;

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.



tamquam diceret: *hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Atque utinam tales illi fuissent, ut ei sic maligne sciscitanti respondissent: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Quomodo prodemus cælestia mysteria tibi alienigenæ volenti regem verum occidere? Filius quoque ipsius alter Herodes, paternæ impietatis heres, & ipse volebat audisse hymnum de canticis Sion per os Joannis Baptistæ, quem metuebat & libenter audiebat, quoadusque illi molesta canere incipiebat, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Cantabat quidem ille hymnum de canticis Sion, non ut Herodes vel Herodias voluit sibi optatum vel acceptum. Similiter ab ipso rege ac summo sacerdote B Sion voluerat audisse hymnum de canticis Sion, cupiens ex multo tempore videre Jesum, & gaudens quod ei Pilatus misisset illum. Sed ipse indignum judicans margaritas mittere ante porcos, coram eo tacuit, nec signum aliquod fecit, magisque sperni quam honorari voluit ab illo & exercitu ejus. Tunc enim illi fuit tempus tacendi. Sed postquam resurrexit a mortuis, ubicumque tempus loquendi fuit; loquens ipse in discipulis veritatem non tacuit ante reges & præsides, dando suis os & sapientiam, cui non poterant resistere omnes adversarii eorum. Istis legitime canentibus, & quasi tubis sacris circa Jericho clangentibus, corruerunt muri civitatis anathematizatæ, principante Josue vero introductore C in terram lacte ac mele manantem: cujus publico edicto maledictus enunciatur qui reædificaverit Jericho.

LII. Et ecce tamen quidam reædificare audent maledictam civitatem nuntios Josue, immo apostolos Jesu Christi persequentem, cum sola domus Raab, sancta videlicet ecclesia, de perditione hujus civitatis excepta sit: quæ videlicet ruentibus mundanis ædificiis, ipsa in ædificatione morum simul & murorum crescit in templum sanctum in Domino; in quo ut apostolus ait, omnis ædificatio constructa crescit, non decrescit. Spectaculo hujus D rei cum in toto mundo, tum certe clarius in urbe Roma fidelium pascuntur oculi cum palatia imperialia ceteraque mira ædificia illic divitum ruinam repræsentent Jericho, & ecclesiastica ædificia de die in diem crescentia, & auratis imaginibus fulgentia, morum simul & murorum cottidiano incremento & ornamento evidenter ostendant quasi domum Raab salvatam, sanctam videlicet ecclesiam fide & nomine Petri firmatam. Sic in diebus nostris ecclesia Lateranensis, & ecclesia sanctæ crucis, & ecclesia sanctæ Mariæ novæ crescentes profecerunt in religione simul, & in forinseca murorum ampliatione. Domus quoque beati Paulli apostoli per Gregorium VII. reparata, claret nunc in E religione monastica, qua & monasterium sanctorum quatuor coronatorum, & sancti Anastasii florere videmus, cum ceteris ecclesiis, ac monasteriis in urbe Roma religiose ordinatis. Unde non immerito dolemus, quod adhuc in domo beati Petri principis apostolorum desolationis abominationem stare videmus, positis etiam propugnaculis, & aliis bellorum instrumentis in altitudine sanctuarii supra corpus beati Petri. Quod licet non audeamus judicare malum esse, tamen sine dubio judicamus esse a malo, eorum videlicet qui suæ rebellionis malitia cogunt fieri talia.

LIII. Cogor heic reminisci cujusdam sententiæ beati Augustini, qui in libro quæstionum veteris & novi testamenti dicit inter cetera: *Quare ergo sententia data est, ut qui accipit gladium gladio* A *pereat? nisi quia nulli licet, excepto vindice, gladio quemquam occidere. Apostolo autem Petro usque ad hoc permissum est quod terrorem faceret, non quod occideret. Hoc enim audiens, ne iterum percuteret didicit.* Idem ad Publiolam: *Qui repelluntur aliquo terrore ne mala faciant, & ipsis aliquid fortasse præstatur.* Hæc dicente sancto Augustino de sensu evangelico & exemplo apostolico, credimus licita comprobari quæ in vicinio Saracenorum, sicut audivimus, fieri solent, armis comportatis in altas turres ecclesiarum vel monasteriorum, quorum ostentatione per spirituales quoque viros terrentur barbari, ne invadant loca sancta: quæ audenter invaderent, sic ea nullis defensionum instrumentis præmunita cognoscerent. Quod non puto ideo reprehendendum temere, quia id fieri constat nimia extorquente necessitate, ut interdum clerici quoque vel monachi super muros illic appareant loricati vel scutati; non intentione aliquem lædendi, sed hostes terrendi, & quomodolibet repellendi ab incursu locorum sanctorum. Quibus interdum jacula vel saxa desuper jacientibus, ut hostem repellant longius, fit quidem res inordinata, sed ob majus periculum devitandum, & terrorem barbaris incutiendum jure toleranda, semota penitus intentione aliquem occidendi: quod a spiritualis propositi viris non licet fieri, qui malle debent occidi quam occidere, quantacumque armorum vel armatorum ostentatione hostes arceant a suimet læsione.

LIV. Si autem ab ordinata potestate hujusmodi armatura providetur, nihil inordinate in hoc agitur. Quoniam & Paullus apostolus cum suas insidias prænovisset, per tribunum potestatis Romanæ sibi tutelam providit armorum: in quæ si hostes illius mortem & sanguinem sitientes incidissent, non ipse reus homicidii fuisset; sed illis debita ultio provenisset, sanguisque ipsorum super capita esset eorum, dum non aliis sed sibimet ipsis reatus imputaretur suæ interfectionis. Tutela vero armorum quæ tunc a potestate legitima data fuit uni ecclesiasticæ personæ, recognoscitur nunc data universali ecclesiæ: ut videlicet hac a regno sibi collata contra hostes habeat armatos ministros, quibus ecclesiam defendentibus, vel episcopum pro sui tutela comitantibus, & ea quæ recta sunt juvantibus, etiamsi contingant ab eis homicidia, non est episcopus homicida magis quam Paullus apostolus homicida fuisset, si in ipsius deductione aliquis hostium suorum interemtus cecidisset. Porro si ad mala negotia episcopus abutitur suis ministris, ipse utique homicida efficitur, si quis ab eis in tali ministerio interficitur: quo modo reges, duces & comites homicidæ fiunt, si absque judicio & justitia homines occidunt vel occidi faciunt. Eadem videlicet consideratione inter Christianos muniuntur quædam turres ecclesiasticæ armis & propugnaculis; per quæ si hostes ecclesiæ lædentur, sanguis eorum super eos erit, dum propria solummodo iniquitas & nocendi aviditas ad talia eos impellit.

LV. Alia sane ratio est, cum potestas ordinata, suæ ordinationis inscia vel oblita, ecclesiam persequitur; alia quando a paganis exterius, vel ab inimicis domesticis interius gravatur. Potestas enim legitima vel ad ordinationis suæ obedientiam verbo doctrinæ dirigenda est: vel si dirigi non potest, verbo excommunicationis frangenda; salva scilicet unitate ecclesiæ, dum regnum Deo inobediens scinditur, quemadmodum in Saule contigit, cui David fidelis in regno successit. Porro exterorum forinseca gravamina, quia verbo doctrinæ submoveri non



possunt; quoniam de his qui foris sunt judicandi A potestatem non habet ecclesia; viribus humanis per arma, simulque divinis per orationes arcenda sunt jure tam civili quam imperiali. Quæ duo jura quando sibi concordant in ecclesiæ defensione, principibus recte ordinatis & civibus bene pacatis, facile resistit ecclesia impugnationibus forinsecis vel paganorum vel excommunicatorum. Denique altero jure violato, est ecclesia in grandi periculo: nisi aut imperiale jus eam defendens, cives tumultuantes reprimat; vel civium unanimitas principes tyrannizantes cohibeat, sicut sæpe contigisse narrant ecclesiasticæ historiæ. Verum tunc imminent ecclesiæ majora pericula, quando eam vexant intestina bella, simul principibus & civibus convenientibus B in unum adversus Dominum & advesus Christum ejus. In tali periculo necesse est mare percuti quasi virga Moysi, virga scilicet pastorali, ut dividatur in divisiones verbo doctrinæ percussum & discissum. Sic Paullus apostolus unanimitate se persequentium prægravatus, verbo doctrinæ fecit Pharisæos & Saducæos ab invicem diffidere, ut quasi mare diviso transiret absque periculo; Pharisæis scilicet pro eo agentibus contra Saducæos, ut in actibus apostolorum legitur.

LVI. Similiter accidisse meminimus non semel in urbe Roma, diffidente inter se populo Romano, & parte fidelium infideles reprimente, sacer- C dotali simul auxilio cooperante. Verum si rebelles istos ecclesia velut castrorum acies ordinata magis ordinate persequeretur; non per eos Hiericho seu Babylonia reædificaretur, ut Romæ apparet in æde Capitolina olim diruta & nunc reædificata contra domum Dei, contra domum Raab: sed clarescerer in certamine sapientia simul & fortitudo ecclesiæ; sapientia videlicet in clericis recte docentibus, & fortitudo in militibus eorum doctrinæ obedientibus, atque ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum suas vires impendentibus, & omnem altitudinem adversus scientiam Dei erigentem se destruentibus: ea videlicet cautione servata in castris Domini, ut clericus vel etiam episcopus non D recte docens deponeretur, & episcopatum ejus acciperet alius; atque miles vel etiam princeps rectæ doctrinæ inobediens & acquiescere nolens ut Saul, anathematis jaculo percuteretur, aliusque illi subrogaretur ut David. Denique in omni militum vel civium guerra & discordia, vel pars altera justa & altera injusta, vel utraque invenitur injusta. Cujus rei veritatem patefacere debet sacerdotalis doctrina, sine cujus censura nulla bella sunt movenda. Sic ergo manifestata justitia, pars justa sacerdotalibus tubis animanda, & etiam communione dominici corporis ante bellum & ad bellum roboranda est: quia panis iste cor hominis confirmat, quando pro defensione justitiæ vel ecclesiæ aliquis E ad pugnam se præparat; cui pars iniqua resistens, & pacto justæ pacis acquiescere nolens, anathematizanda, & etiam negata sibi sepultura Christiana humilianda est.

LVII. Nunc autem civitate contra civitatem, regno adversus regnum, principe adversus principem non justa bella moventibus, ambabus partibus absque cunctatione seu caussarum ventilatione datur corpus Domini; tamquam divisus sit Christus, & possit esse in tam divisis & contrariis partibus. Qui certe vel alteri vel ambabus est negandus, nec alicui aperte contra justitiam pugnanti aliquatenus dandus; ne forte per incuriam sacerdotum sic traditus in manus evidenter peccatorum, justa ira moveatur contra sacerdotes denuo ipsum cum Juda tradentes. In talis tam magnæ justitiæ magna siti & exuvie micas, licet modicas lambere fames ipsa compellit.

LVIII. Unde refero factum justum & honestum, quod in terra Hungarica & barbarica vix nomine tenus Christianorum principum dominio subdita laudabiliter accidit. Nam cum rex illius terræ anno plusquum præterito se ad bellum præpararet contra regem Græcorum, ante procinctum cum episcopis illius terræ habuit consilium: qui tamquam viri literati cautissime discutientes caussam pugnæ, atque invenientes pactum pacis ex parte Hungarorum primo violatum, recordati sunt prophetiæ dicentis: *Qui dissolvit pactum, numquid effugiet?* Qua prophetia instructi prophetaverunt, regem si pugnaret contra jus pacti & fœdus pacis, minime triumphaturum & auxilio Dei cariturum. Quo audito rex licet immitis ac barbarus, tamen procinctum relaxavit, & sua ex parte ruptum fœdus reparavit.

LIX. Quanto magis ergo in ecclesia sanctorum refrænaretur animositas principum vel capitaneorum contra se in Romano imperio tumultuantium, & ecclesias multas desolantium, si episcoporum scientium reprobare malum & eligere bonum sententia concordaret in unum? Enim vero ut non sit vel esse possit schisma inter eos, unus omnibus est præpositus, cui dictum est: *Confirma fratres tuos.* Quo nimirum confirmante quamlibet episcoporum sententiam justitiæ regni Dei consentaneam, licet regibus mundi hujus contrariam, non esset in ecclesia rex qui auderet, vel si auderet, posset refellere illam. Porro si is qui ceteros confirmandi habet potestatem & auctoritatem, præcentor fieret in qualibet justa sententia episcopis per epistolas directa; quis eam refellere posset, cum sit velut alter Jeremias constitutus non solum super ecclesias, sed etiam super regna, ut evellat & destruat, & disperdat & dissipet, ædificet & plantet? Sic reges profanos & simoniacos invenimus evulsos auctoritate apostolica, cooperante gratia Dei, quæ per mundi hujus infirma sæpe confundit fortia, eligens ignobilia & contemtibilia, ut magna vel instruat & destruat. Puto quod Paullus apostolus idipsum intendebat scribens discipulis: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate; & non ut inimicum existimetis illum, sed corripite ut fratrem. Si quis*, inquit, *non obedit*, non episcopum, non principem, seu divitem excipiens, quin esset corripiendus etiam a minimis fratribus atque instruendus: primo in spiritu lenitatis ad obedientiam prætermissam vel intermissam humiliter recipiendam: quam si recipere nollet, in promtu se habere testatus est ulcisci omnem inobediendiam: *Omnem*, inquit, etiam *episcoporum & principum. Cum impleta*, inquit, *primum fuerit vestra obedientia*; subaudis in admonitione fraterna.

LX. Primo enim sunt admonendi qui manifeste peccant, etiam reges, quanto magis episcopi, ut exemplo David regis male acta corrigant; non exemplo Herodis monitores jugulent. Quasi enim decollator est præconis, qui acquiescere nolens monitis, obstruit viam vocis in deserto clamantis. Atque utinam soli hoc facerent reges Herodis consimiles, non etiam pontifices Caiphæ imitatores! Oportet enim scripturas impleri, quibus hoc præ-

Sæcul. XII. circa Ann. Chr 1169.

nuntiatum est & præfiguratum, quia non solum bestia, sed & pseudopropheta veritati adversatur. Hinc est quod omnis Pharao suos habet magos, omnis Nabuchodonosor suos habet ariolos, omnis Herodes habet sibi consentaneos scribas, a quibus sciscitatur quomodo vel ubi Christum persequatur, vel quomodo ejus præcones decollandi opportunitatem inveniat, ut eis vocem præripiat, etiamsi eos corporaliter non occidat: quod est quædam quasi decollatio & testium Christi occisio.

LXI. Bestiæ humani sanguinis avidæ quatuor conspiciuntur in Daniele pugnantes inter se; quibus quatuor significata sunt regna sanguinaria, Babylonicum, Persicum sive Medicum, Macedonum sive Græcorum, atque Romanorum. Quibus bestiis omnino ablatis, conspicitur in nube filius hominis, cui datum est regnum & honor: quia Christo datus est principatus & honor regni permaxime in humana facie, in qua datum est ei & judicium facere, quia filius hominis est. Unde regni ejus ministros delectat mansuetudo humana, potius quam crudelitas ferina secundum exhortationes, non pseudoprophetarum, sed sanctorum prophetarum, quibus datum est in regno Christi sacerdotium sanctum, usque adeo a sanguinis effusione immaculatum & alienum, ut sacris canonibus exterminetur a sacerdotali ministerio, qui aliquando militans quantumlibet juste occidit hominem, vel in judicio sanguinis pulsando vel ministrando cooperatus est judici quantumlibet juste occidenti. Unde Felici episcopo Nuceriano Innocentius papa scribens ait: *Designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt; id est, si quis fidelis militaverit: si quis fidelis caussas egerit, hoc est, postulaverit: si quis fidelis administraverit*. Promotos quoque in sacerdotio sacri canones instruunt hujusmodi ad cautelam. Legitur enim in Decretali epistola Nicolai papæ ad Carolum regem: *Reprehensibile valde esse constat quod subintulisti, dicendo majorem partem hominum episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos detineri, ob idque episcopi impediantur venire, cum militum Christi sit Deo servire, militum vero sæculi sæculo, sicut scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Quod si sæculi milites militiæ student; quid ad episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus?* Ex concilio Hilerdensi capitulo primo: *De clericis qui in obsidionis necessitate positi fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine etiam hostili abstineant. Quod si occiderint, officio & communione priventur: quibus post biennem pœnitentiam receptis promotio denegetur*. Ex concilio Toletano cap. XLIV. *Clerici qui in quacumque seditione arma volentes sumserint aut sumserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium pœnitentiæ contrudantur*. Ex concilio Toletano cap. VII. *His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Et ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumtionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est sententia propria agitare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum in quibuslibet personis aut per se inferant, aut per se inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in ecclesiæ suæ famulis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit; & concessi ordinis honore privatus & loco, sub perpetuæ damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac*

A *vita non neganda est propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur & vivat*. Ex concilio Toletano cap. XXX. *Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios, sacerdotibus negotia tua committunt. Et quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis exstiterit; sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud ecclesiam perdat proprium gradum*.

B LXII. Præceptis salutaribus hujusmodi moniti, & apostolica institutione informati, optamus episcopos & reliquos altaris ministros a judicio & negotio sanguinis esse alienos, nisi quantum officium docendi & præcipiendi requirit, quomodo instruendi & constringendi sunt sæculares judices a spiritalibus omnia judicantibus, ut recte judicent suamque potestatem exerceant ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quod autem per labia sacerdotis quæ custodiunt scientiam, & per os de quo requiritur lex Domini irreprehensibilis, exeat judicium sanguinis, reprehensibile nimis est. Proinde ipsæ quoque potestates & dignitates imperiales ecclesiis datæ; verbi gratia, ducatus, comitatus & his similia; per laicas personas eisdem ecclesiis fidelitate obligatas ita oportet administrari, ut neque in judicio neque in negotio sanguinis, quamlibet juste fundendi, polluantur labia & manus, quibus conficiendum est Christi corpus. Ad hoc enim sicut in regno antichristi cooperantur sibi in malum bestia & pseudopropheta, ut mysterium iniquitatis pallietur specie quadam justæ ordinationis; dum non alium bestia Pilatus ad mortem damnavit, quam quem Caiphas juste interficiendum prophetat: sic in regno Christi cooperantur sibi in bonum regalis potestas & sacerdotalis dignitas, itaut omnis David suum habeat Nathan quem audiat, & omnis Ezechias per sibi contemporaneum regatur Isaiam, & omnis Josias per suum deploretur Jeremiam, & omnis Zorobabel subminister sit Jesu sacerdotis magni: habita nimirum distinctione congrua potestatis utriusque, sicut docent regulæ patrum dignitates ambas recte distinguentium.

LXIII. De quibus cum plura possemus ponere, sufficiat ad præsens unum decretum Nicolai papæ dicentis inter cetera: *Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursum in inferno demergi, ut & Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non illa rebus divinis præsidere videretur*. Item: *Denique hi quibus tantum humanis rebus & non divinis præsidere permissum est, quomodo de his per quos divina ministrantur judicare præsumant, penitus ignoramus*. Hæc dicente papa Nicolao, nos eidem consona dicendo affirmamus, eum qui præsidere debet rebus terrenis in administratione tantummodo negotiorum sæcularium, non se debere implicare negotiis spiritalibus; & e con-

verso judicem spiritalem vacare oportere divinis, & tamen sine sui spiritus implicamento etiam per doctrinam regere ipsos quoque reges & imperatores, quanto magis minores potestates?

LXIV. At illi per sæpe dominari volunt, & doceri nolunt; immo testes veritatis occidunt. Etiam quidam nomine tenus & facie tenus pastores, intrinsecus autem lupi rapaces, & contra doctrinam præcipui pastoris Petri apostoli dominantes in clero, testes veritatis occidunt; & imitando Herodem, se arguentes primo incarcerant inter claustra silentii, ne ab ipsis publice arguantur: deinde quantum in ipsis est, omnino decollantes interficiunt, cavendo quidem sibi, ut æstimant, a reatu homicidii, sed non effugientes crimen testicidii. Aliud est enim hominem occidere, atque aliud testem. Nam hominem occidit, qui ei vitam tollit: testem vero interficit, qui ei testificandi & legendi facultatem præcidit; ea videlicet intentione ut quasi licenter illicita committendi habeat libertatem, nemine arguente vel contradicente. Verum tamen sicut metuebat Herodes Joannem sciens eum virum justum & sanctum, & audito eo multa faciebat, & eum custodiebat & libenter audiebat: sic & isti libenter se audire simulant eosdem, quos metuunt, incarcerant & occidunt, quia eorum voces in deserto clamantium penitus audire nolunt, nec in solitudinibus & montibus & speluncis vel cavernis terræ, quanto minus in domibus regem luxuriose convivantium, & in ipsis conviviis de morte Joannis tractantium, quem dolent adhuc vivere in spiritu & virtute Heliæ, atque ideo moliuntur eum in viris justis & sanctis exstinguere. Sed numquid ideo verbum de ore Domini semel egressum revertetur ad ipsum vacuum? Non: sed faciet quæcumque voluerit, & prosperabitur in his, ad quæ misit illud. Sicut enim in creatione mundi ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt; sic usque ad consummationem sæculi manens cum electis ipse dicit & fiunt. Quod quia pauci credunt, ideo dicitur: *Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem super terram?* Vident enim pene omnes ollam succensam flante aquilone: sed soli & pauci fideles vident simul cum Jeremia virgam vigilantem, qua demonstratur quod Dominus vigilat super verbo suo, ut faciat illud, qui ad perficiendum omne quod intendit, prospere procedit & regnat, nec est qui ejus giganteo cursui obsistere valeat.

LXV. Duas heic perpendo intentiones inter se repugnantes. Nam & olla succensa, diaboli vel antichristi significat malitiosam intentionem, qua intendit omnia confundere, ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi hujus ollæ fumo cæcati; quo contra Dominus intendit ut fiat salva omnis caro diebus malis breviatis, qui nisi breviarentur, sicut ipse ait non fieret salva omnis caro, sed propter electos, inquit, breviabuntur. Ergo non solum ipsi electi robusti & perfecti, sed etiam fragiles infirmi nomine carnis designati salvabuntur: ut & de perfectis dicat ipse, *Hoc nunc os ex ossibus meis*; & de imperfectis hominibus, tamen bonæ voluntatis, adjiciendo subinferat, *Et caro de carne mea.* Sic *Te decet hymnus, Deus, in Sion*, ut fiat quod in eodem canitur hymno, ubi dicitur: *Ad te omnis caro veniet*. Non enim deficient in ecclesia sancta Jeremiæ & Aggæo similes, licet infirmi ac pauperes, per quos confunduntur hujus mundi fortia, illud prohibentia quantum in se est, ne ad te omnis caro veniat, neve omnis caro salva fiat, secundum quod Jeremias & Aggæus in hoc hymno prophetant: quibus in antistite sedis apostolicæ Jesus magnus sacerdos orando, exhortando, epistolas mittendo, synodalia decreta condendo, favere dinoscitur, dum quivis catholicus & religiosus, licet pauper & modicus, contra iniquos quamtumlibet magnos animatur auctoritate Petri, cui prævalere non possunt istæ portæ inferi. Similiter in quolibet catholico principe a Deo misso, & apostolicæ sedis auctoritate firmato ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, conspicuus est ille Zorobabel dux populi a peregrinatione revertentis juxta verbum Domini, sicut scriptum est: *Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vicesima & quarta mensis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens: Ego movebo cælum pariter & terram, & subvertam solium regnorum, & cunctam fortitudinem regni gentium, & subvertam quadrigam & ascensorem ejus, & descendent equi & ascensores eorum, vir in gladio fratris sui. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel serve meus, dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Notandum, quod subvertendum prophetat solium regnorum, priusquam substituat ducem sibi dilectum & electum.

LXVI. Eodem modo si quis rex aut princeps imperio sacerdotali quasi per Samuelem commonitus ferire impios, vastare Amalechitas, percutere Agag regem populo Israel inimicum; talibus contra mandatum sacerdotale pepercerit, aut quod pejus est, inimicos Dei fovere atque amicos persequi ausus fuerit, jure hic talis potestate qua male utitur privatur, itaut regnum ab eo scindatur: maxime si & ipse scindere audet pallium sacerdotale vel prophetale, minuendo jus & decus ecclesiæ; quod est in ornatu sacerdotalis excellentiæ, quæ clare splendescit in illa reversione de captivitate Babylonica in Jerusalem, secundum hunc hymnum, qui te decet Deus, in Sion. Jam quippe solio regnorum subverso in Judaico populo, primo regibus Israel cultoribus vitulorum aureorum propter scissuram sui a domo David, vel potius ob idololatriam deletis & a regno Dei exterminatis, deinde regibus quoque Juda in transmigratione Babylonis terminatis, & quibusdam eorum laudabiliter in regno cælorum coronatis, quorum David, Ezechias, Josias erant præcipui, ex tunc, ut jam dictum est, regnorum solio subverso, & regio nomine penitus ablato, Zorobabel quamquam genitus de tribu regia, non tamen in regem sed in ducem promotus, habuit sibi succedentes non reges sed duces usque ad illud tempus, quo post ablatum sceptrum de Juda oportuit etiam ducem de fæmoribus ejus auferri, subintrante rege alienigena Herode, qui ex patre Idumæo & matre Arabica natus fuit; ac proinde illo regnante, vel potius tyrannizante, illum nasci regem decuit, de quo patriarcha Jacob longe ante prædixerat: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de fæmore ejus, donec veniat cui repositum, & ipse erit exspectatio gentium.* Diminuta igitur aliquantulum jam tunc sæculari dignitate regum Judaicornm in duces, quando incipiebant proficisci de peregrinatione sua cives Jerusalem: sacerdotium prius quidem religiosum, sub regibus tamen aliquatenus depressum, sicut indicat liber regum; verbi gratia ubi legitur Helias regis & reginæ persecutionem passus in Israel, & in Juda Zacharias inter templum & altare jussu regis lapidatus; jam super duces eorum-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

que principatum legitur magis ac magis exaltatum & glorificatum, coronisque regalibus honorificatum, juxta illud in propheta: *Sumes ait Dominus, argentum & aurum, & pones in capite Jesu filio Josedech sacerdoti magno*. Super hoc vir illustris Hieronymus ait: *Imponuntur autem coronæ Jesu filio Josedech sacerdoti magno, quia per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, immo nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, salvator in singulis coronas accipit.*

LXVII. Cum ergo rex & sacerdos idem sit Jesus Christus Dominus noster gloria & honore coronatus; tamen sacerdotalis dignitas tunc magis in eo coronatur, cum quis de Babylonica malitia per pœnitentiam revertitur in Jerusalem, in qua tunc defecisse constat regale quodam modo fastigium, quando rex Babylonis vel in ecclesia vel in qualibet prius fideli anima sibi usurpat principatum. Jugo itaque illius per pœnitentiam, quæ ad sacerdotale officium pertinet, a facie olei computrefacto, recte Jesu sacerdoti magno imponuntur coronæ. Cujus rei typus in Jesu sacerdote magno agnoscitur præcessisse, simulque illud præfiguratum esse, quod regnis idololatris, schismaticis atque indisciplinatis, usque ad sui fastus defectum curvatis, amplius glorificanda & coronanda erat sacerdotalis dignitas, ita ut stratoris quoque officium pontifici Romano a regibus & imperatoribus exhibendum sit: renovatis videlicet miraculis antiquis, quibus agnoscitur Joseph in curru Pharaonis exaltatum, Danielem regis purpura ornatum, Mardochæum regali equo subvectum. Hæc nimirum spectacula nunc regibus partim ablatis, partim diminuto eorum regno humiliatis, & exaltato sacerdotio, delectant spectatorem benivolum, torquent invidum. Qui ut amplius crucietur, & pius oculus magis jocundetur, forsitan sicut ante primum Christi adventum regibus ablatis duces principati sunt usque ad ipsum; sic ante secundum ejus adventum per lapidem sine manibus abscissum de monte, aurea statua regnorum tota contrita in quantum regno divino invenitur contraria, succedet in sæculari dignitate minoris nominis potestas, diminutis regnis magnis in tetrarchias, aut minores etiam particulas, ne premere valeant ecclesias vel ecclesiasticas personas, patrocinio magni sacerdotis præsidis sedis apostolicæ coronati, & super omnia regna exaltati defensas, & privilegiis apostolici principatus communitas.

LXVIII. Quis jam cujus oculus nequam non est aut lippus, ad invidendum potius quam ad videndum patulus, non ista cernat partim completa, ut jure omnis benivolus exspectator & spectator de implendis minime ambigat, cum tanta videat impleta secundum quod in scripturis veritatis inveniuntur expressa? Quis non cum veneratione aspiciat Petrum apostolum sacerdotem magnum, immo in ipso sacerdotem summum Jesum Christum, tot coronis aureis coronatum super quot regna constituit illum? *Ecce*, inquit, *constitui te super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, ædifices & plantes*. Clarus ergo sanctorum senatus apostolorum princeps est orbis terrarum rectorque regnorum, ecclesiarum mores & vitam moderando, quæ per doctrinam apostolicam fideles sunt ubique. Antiochus & Remus concedunt tibi, Petre, regni solium. Cum talia per ecclesias canoris vocibus declamantur, & hy-

A mnos de canticis Sion in laudibus regalibus ad apostolorum, præcipue autem principis apostolorum gloriam sacra canunt solemnia, *Te decet hymnus, Deus, in Sion*; sic dictis facta compensantur, & magnalia divina, quæ in verbis resonant, rebus clarentia etiam oculis demonstrantur, ut possimus canere hymnum dicendo; *Sicut audivimus ita & vidimus in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*. Ad hoc enim Dei mirabilia, quæ in hymnis & psalmis ceterisque canticis spiritalibus enuntiamus, condigno rerum effectu etiam oculis demonstrabilia fieri optamus, ne quando dicant gentes, *Ubi est Deus eorum? Fuerunt mihi lacrymæ meæ*
B *panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus*? Nesciunt miseri qui hæc dicunt, beatos esse quibus hæc dicunt: quoniam istis invidentibus & non videntibus, videbitur ab illis Deus Deorum in Sion. Et ideo te decet, hymnus, Deus in Sion, cujus in plateis ponendi sunt infirmi ut veniente in sui principatus gloria Petro apostolo, saltem umbra illius obumbret quemquam illorum, & liberentur ab infirmitatibus suis, ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum, cum viderint sanatas infirmitates eorum.

C LXIX. Respice, o princeps apostolorum, hujus civitatis plateas lectulis & grabatis infirmorum plenas. Respice, vel potius illum respectum nobis obtine quo te respexit Dominus, ut fleres amare sauciatus, & languens adhuc magna infirmitate: a qua ita sanatus es, & roboratus, ut jam non timeres mundi dominam Romam, qui adhuc infirmitate tua sacerdotis expaveras ancillam. Trahe nunc post te successores tuos apostolicæ sedis præsules, immo & nos oves tibi creditas, ut omnes curramus in odore unguentorum tuorum sub te in Christo rectore omnium regnorum, & moderatore omnium ecclesiarum.

D LXX. Sed dicet aliquis: Quomodo per principem apostolorum regna regi, vel ecclesiæ gubernari possunt, quæ sedis apostolicæ præsuli minime obediunt? Ad hoc pro captu meo sine majorum præjudicio ego minimus respondeo. Cautela ecclesiastici regiminis in ea discretione insigniter enitescit, qua rector ecclesiæ *butyrum & mel comedit, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum* [a]. Per butyrum quod est corrupti lactis congesta pinguendo, intelligi potest morum corruptela, qua incrassatus, impinguatus, dilatatus quis derelinquit Deum factorem suum, & recedit a Deo salutari suo. Per mel vero, quod de cerea favi spissitudine separatum dulce simul est & purum, puritas intelligitur
E morum dulcium. Licet enim bene sibi conveniant mel & lac sub lingua sponsæ, aut in terra fluente lac & mel, vel etiam in die illa, in qua stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel, dilectione proximi per lac, Dei vero per mel intellecta; tamen per butyrum, quod est corrupti lactis excrementum, non incongrue intelligitur, ut dictum est, corruptio morum, sicut per mel dulce ac purum, puritas morum. Quod cum ita sit, rector ecclesiæ, & in illo habitans Emmanuel, butyrum & mel comedit, quando mala & bona in ecclesia sibi commissa, diligenter investigans exquirit, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. De occultis malis ad præsens non loquimur, quæ nullius prælati est judicare, nisi aut legitimus accusator inveniatur, aut prava opinio pertinaci animositate defendatur. Porro de manife-

[a] Isaj. VII. 15.

ſtis malis, etiam nullo accuſante vel teſtificante, A aut etiam quod pejus eſt, populo ſtulto & inſipiente approbante illa, judicis eadem reprobantis etiam invitis auditoribus eſt ingerenda ſententia, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolas, cum tanta comminatione ut ſciant & ſcire cogantur non ſolum qui talia faciunt, ſed & qui facientibus conſentiunt, aut eis poſt interdictum cibo vel ſalutatione temere communicant, pari damnatione teneri. Angelis vero talium eccleſiarum talis butyri fermento corruptarum, literis apoſtolicis denunciandum eſt, quod niſi tam certa & aperta mala corrigant, vel ſi corrigere non poſſunt, excludant; vel ſi ea pro ſtrage vitanda excludere non valent, B æquitate improbent, & cum diſcreta reclamatione quaſi plauſtrum onuſtum fœno ſtridendo portent, ipſi ſe ipſos excludendos vel deponendos agnoſcant, movente candelabrum eorum Chriſto, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.

LXXI. Septem candelabra aurea ſeptem eccleſiæ ſunt, in quibus per numerum ſeptenarium intelligitur univerſitas omnium eccleſiarum, quæ ſic per literas apoſtolicas viſitandæ ſunt, ut alicubi quaſi per vocem tonitrui arguatur doctrina & ſecta Nicolaitarum in inceſtu clericorum; alicubi doctrina Balaam conductitii prophetæ in ſecta conductitiorum; C alicubi nequitia Jezabelis tyrannizantis & prophetas Dei occidentis in tyrannis Heliæ ſimiles juſtos perſequentibus; alicubi ſpecialis deſidia ipſorum angelorum vel caritatem primam relinquentium, vel nomen vivum in officiis, mortuum in operibus malis habentium, vel tepidorum de ore Dei, niſi pœniteant, evomendorum. Item ſi reſpicimus epiſtolas Paulli apoſtoli, videmus exemplo illius per epiſtolas apoſtolicas arguendas eccleſias, ut cum hujuſmodi cibum non ſummant qui fratres nominantur, & ſunt fornicatores, avari, ut ſe ſubtrahant ab omni fratre ambulante inordinate; ut ſi quis non obedit verbo apoſtolico per epiſtolam miſſo, hunc notent, & ut fratrem corripiant, D atque ſi correptus emendari noluerit, ut hoſtem caveant. Nam propter cautelam inter tales habendam, *Videte*, inquit, *quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*. Et ne in diebus malis ita quis putet redimendum ſibi tempus, ut malis aliquo modo conſentiat, dicit: *Auferte malum ex vobiſmet ipſis*. Oſtendens itaque etiam propter unum fornicatorem, quaſi per modicum fermentum totam maſſam corruptam, *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio*. Non exſpectavit ſuper hoc manifeſto malo accuſationem vel teſtificationem cujuſquam, niſi manifeſtæ infamiæ E clamorem, de quo ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes*. Neque vero illi ſoli, ſed toti eccleſiæ illum toleranti virgam minatur; niſi is qui hoc malum operatus eſt de medio eorum tollatur, & ſatanæ tradatur in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.

LXXII. Longum eſt in epiſtolis apoſtolicis oſtendere per ſingula, quomodo rector eccleſiæ apoſtolorum exemplo debeat butyrum & mel comedere, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Sufficiat in hujus rei exemplum ſedis apoſtolicæ præſulibus imitandum beatus papa Gregorius, qui tanto ſtudio butyrum & mel comedit, ut coartante illum ſollicitudine omnium eccleſiarum, ſcriberet ultroneas epiſtolas pro cauſſis multis nonniſi per famam ſibi delatis: in quibus quanto ſtudio reprobaverit malum & elegerit bonum, teſtantur ejus epiſtolæ pontificibus, regibus, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis ultro ingeſtæ, nullo eas interdum petente, ſed publica fama exigente, vel etiam quolibet veraci relatore ad aures ejus rem perferente. Unde ſolemne ipſi erat in exordiis epiſtolarum quorumdam ſic dicere: *Perlatum eſt ad nos*, vel *Pervenit ad nos*. Unde Romano defenſori ſcribit dicens: " Perlatum eſt ad nos, reverentiſſimum fratrem noſtrum Baſilium epiſcopum, velut unum de laicis in cauſſis occupari, & prætoriis inutiliter deſervire. Quæ res quoniam & ipſum vilem reddit, & reverentiam ſacerdotalem adnihilat; ſtatim ut experientia tua hoc præceptum ſuſceperit, eum ita ad revertendum diſtricta executione compellat, quatenus ei illic te inſiſtente, quinque diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat: ne ſi quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos incipias eſſe culpabilis ". Item Anthemio ſubdiacono: " Pervenit ad nos, Primenium Amalphitanæ civitatis epiſcopum in eccleſia ſua reſidere non eſſe contentum, ſed foris per diverſa loca vagari. Quod videntes alii, nec ipſi in caſtro ſe retinent: ſed ejus exemplum ſequentes foris magis eligant habitare. Et quia hæc agentes ipſi potius ad ſuam hoſtes deprædationem invitant; idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut ſupraſcripto epiſcopo interminare non deſinas, quatenus hæc de cetero facere non præſumat, ſed in eccleſia ſua ſacerdotali more reſideat. Quem ſi forte non emendari poſt tuam interminationem cognoveris; in monaſterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas noſtra iterum præceptione cognoſcas." Item Secundo ſervo Dei inter cetera ſic: " Fratrem Marianum epiſcopum verbis quibus vales excita, quia eum obdormiſſe ſuſpicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus quidam ſenes mendicantes, qui a me diſcuſſi ſunt a quibus quid acceperint, & per ſingula retulerunt quanta eis & in itinere data ſint. Quod dum ſollicite de prædicto fratre requirerem, quid eis dediſſet, reſponderunt ſe eum rogaſſe, ſed ab eo nihil accepiſſe: ita ut neque panem in via acciperent, quem dare omnibus illi eccleſiæ ſemper familiare fuit. Dixerunt enim: Reſpondit nobis dicens, Non habeo quod vobis dare poſſim. Et miror ſi is qui veſtes habet, quid pauperibus dare non habeat. Dic ergo illi ut cum loco mutet mentem: non ſibi ſolam lectionem & orationem credat ſufficere; non ut remotus ſtudeat ſedere, & non de manu fructificare: ſed largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat. Quia ſi ſic non habet, vacuum epiſcopi nomen tenet."

LXXIII. In hunc modum plures inveniuntur ejus epiſtolæ, quibus ultro & nullo petente miſſis, reprobantur mala & eliguntur bona. Videtis ergo, o benivoli ſpectatores, quomodo iſte ſanctus pro lege Dei ſui certaverit: quomodo butyrum & mel comedens, inveſtigatis undique malis & bonis, ſcivit & ſtuduit reprobare malum & eligere bonum; non exſpectatis accuſationibus vel teſtificationibus in rebus manifeſtis, & quomodolibet ſibi notificatis. Certe ſi nunc in diebus iſtis noviſſimis & tem-

poribus periculosis iste sanctus viveret, multa mala increpare haberet, quæ ita fiunt in aperto, ut nullo accusationis vel testificationis egeant ordine judiciario.

LXXIV. Si ergo super his reprobandis apostolicæ mittentur epistolæ, simulque scribetur viris religiosis, ut si quis non obedit verbo per epistolam misso, hunc notent juxta doctrinam Paulli apostoli: multa, favente gratia Dei, emendabuntur, quæ nunc libere, cum sint mala & turpia, fiunt non solum in occulto, sed etiam in aperto, & habentur etiam pro bonis, cum sint mala, quia non est qui reprobet illa. Possemus digito monstrare ac manifesto nomine significare mala quædam reprobanda, evellenda, destruenda, disperdenda; & ex opposito bona quædam eligenda, plantanda & ædificanda. Sed apostolicæ vigilantiæ quam sollicitudo angit omnium ecclesiarum, & ad quam spectant omnium regimina regnorum, relinquimus in his omnibus butyrum & mel comedendum, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Sciat videlicet in sacerdotio reprobare Levitas minime juxta legem Dei purificatos & rasos, eligendo bonos bene purificatos & hereditate quæ Deus est contentos. Sciat nihilominus in regno reprobare dominatores iniquos, & eligere bonos ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum divinitus missos. Sciat inquam reprobare, quosdam, salva ecclesiastica pace, penitus excludendo, quosdam propter apertas iniquitates a ministerio altaris vel communione dominici corporis & sanguinis prohibendo, & tamen intra ecclesiæ societatem pacis intuitu sufferendo, in hujus peregrinationis via, qua de captivitate Babylonica tendimus in Sion sive in Jerusalem, cujus præcipui senatores cum rege suo in ultima ventilatione, reprobatis omnibus malis, eligent bona omnia.

LXXV. Quanto ergo nunc diligentius per ecclesiarum gubernatores reprobantur mala indecentia, & eliguntur bona bonos decentia; tanto congruentius te decet hymnus Deus in Sion, & tanto decentius tibi reddetur votum in Jerusalem. Quod quia magis orando quam differendo ut fiat acceleratur, post affertionis largam digressionem redeamus ad intermissam psalmi expositionem & orationem. Non enim aliud hac expositione magis intendimus, quam ut patrum sensus congerendo in hoc opusculo rusticano velut in cophino, vase ut dicitur stercorario, nosmet ipsos & ea quæ scribimus lecturos excitemus, in quantum Deo favente possumus, in eumdem laudandi & orandi affectum, quem continent verba psalmorum & super ipsos paternarum expositionum. Quapropter sive David, sive Idithun, sive Asaph, sive aliorum in psalmis loquentium personas frequenter assumimus, ut eorum affectus vehementius exprimamus. Et in hoc igitur psalmo assumta persona Jeremiæ sive Aggæi sive amborum, cum orantibus oremus, cum laudantibus laudemus, & vota in Jerusalem reddenda vovamus in via peregrinationis hujus. Tu autem Domine, cui reddenda sunt laudis vota in patria, exaudi orationem meam nunc in via: quia si exaudieris, immo quia exaudies, *ad te omnis caro veniet* [a]. Si enim dies mali non abbreviarentur, ut tu dicis, non fieret salva omnis caro. Sed propter electos, ut tu promittis & ego Jeremias & Aggæus ex promisso tuo certificatus rogo, abbreviabuntur dies mali: quibus breviatis, *ad te omnis caro veniet*, id est ex omni genere hominum, pauperes divites, docti indocti, pueri senes, Judæi & gentes, viri & feminæ, quæ sæpe significantur nomine carnis, ut illic: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. Item: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*.

LXXVI. Ut ergo impleatur quod scriptum est, *Erunt duo in carne una*, sponsus & sponsa, caput & membra, indubitanter ad te omnis caro veniet: non solum illa de qua certum est quod braviatis diebus malis fiet salva, videlicet ad salutem prædestinata, quantumlibet sit fragilis & infirma: sed & illa quæ non erit salva, tunc ad te judicem veniet, quando ut scriptum est omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & videbit omnis caro salutare Dei. Quod ergo dico ego Aggæus, *ad te omnis caro veniet*, partim prophetia, partim oratio est. Nam prophetia est quantum ad illud, quod omnis caro ventura est ad te judicem: sed oratio est quantum ad illud, quod brevitatis diebus captivitatis non in errorem ducantur electi, & his recta via de captivitate in Sion redeuntibus, eorum ducatu tamquam per Jeremiam & Aggæum salva erit omnis caro, id est etiam fragiles; electis tamen & fortibus per obedientiam & caritatem cohærentes, pariterque cum illis incipientes proficisci.

LXXVII. In hebræo legitur, *Omnis caro ad te veniat*. Recte itaque orationem in conspectum Dei recitaturus ego Jeremias vel Aggæus, efficaciter exaudiri desiderans, aliam orationem præmitto dicens: ***Exaudi orationem meam***. Qua oratione subsequentis orationis præparatoria sic præmissa, tamquam si diem festum præcedat vigilia cum lamentante Jeremia, consequenter quasi cum Aggæo festivo depromitur oratio, qua in finem psallens psalmista oro, ut *omnis caro ad te veniat*. Quia enim tu vis omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire; voluntati tuæ concordans recte oro ut omnis caro, id est omnis homo ad te veniat, & benedicantur in te semine Abrahæ omnes tribus terræ. Non quod salventur aut benedicantur omnes homines; quod non habent quæ Abrahæ dictæ sunt promissiones: sed omnes tribus, id est aliqui de omnibus tribubus terræ, itaut non sit personarum acceptio, quando in omni gente omnis qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi.

LXXVIII. Sic nos oramus, qui proficisci nunc incipientes in finem tendimus, ubi videatur Deus Deorum in Sion, ubi te decet hymnus, Deus, in Sion; sed non exaudimur quam cito vellemus. Quare? quia [b] *Verba iniquorum prævaluerunt super nos*. Iniqui primi fuerunt, serpens, Adam, Eva: inter quos conflata sunt verba peregrinationis nostræ caussa effectiva, dicente per serpentem diabolo angelo iniquis humani generis parentibus: *Comedite; & eritis sicut dii, scientes bonum & malum*. Quibus nimium creduli parentes nostri, facti sunt cupidi, elati & curiosi. Nam per appetitum comedendi cibum vetitum, concupiscentia carnis; per appetitum similitudinis Dei, elatio mentis; per appetitum sciendi bonum & malum, subintravit curiositatis vitium. Et quidem verba hæc iniquorum, verbum scilicet peregrinationis, præcesserat ex ore Dei egrediens verbum benedictionis, quo dictum est parentibus nostris: *Crescite & multiplicamini, & replete ter-*

[a] V. 3. [b] V. 4.

ram. Quo verbo fœcundati habebant virtutem pariendi solos filios benedictos in patria benedicta mansuros. Verum postea subsecuta sunt propter peccatum verba peregrinationis, dicente Deo ad Evam, *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos:* ac si diceret: Super numerum benedictorum filiorum conceptus tuos multiplicabo, ut parias multo plures filios maledictionis quam benedictionis: itaut ipsi filii benedicti, sint inter maledictos peregrini & quasi captivi usque ad illam utrorumque disjunctionem, qua maledictis in terra maledicta dominantibus, & benedictos filios inique gravantibus, dicatur, *Ite maledicti in ignem æternum*; benedictis quoque filiis in terra maledicta peregrinantibus, & inter verba iniquorum sibi prævalentia laborantibus tunc dicetur: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Quorum numero, fide ac spe sociati, eo quod inter verba iniquorum nobis prævalentia gemendo potius cum Jeremia lamentamur, quam in illis consensu pravo delectemur; hoc ipsum conquerimur, quod verba iniquorum prævaluerunt super nos: ita ut nos filii benedicti, licet primitias Spiritus sancti habentes, & ad supernam patriam redire cupientes, tamen intra nosmet ipsos gemamus, videntes legem iniquam in membris nostris repugnantem justitiæ, sanctæ ac bonæ legi mentis: qua videlicet lege iniqua nos captivante in lege peccati & mortis, recte conquerimur, quod *verba iniquorum prævaluerunt super nos*.

LXXIX. Verba iniquorum plurimorum super numerum nostrum valde multiplicatorum prævaluerunt super nos paucos. Divitum, potentum, superborum perversorum verba prævaluerunt super nos pauperes, infirmos, humiles, ad te Deus conversos, & de medio Babylonis in Jerusalem redire paratos. Cum ergo sint facies nostræ ad te conversæ quasi euntium in Jerusalem, relicta quasi post dorsum Babylone; tu exsurgens misereberis nostri civium Sion, & impietatibus nostris in Babylone commissis tu propitiaberis. Revertentibus quippe nobis de captivitate ad patriam, Jesus magnus sacerdos a dextris tuis interpellat pro nobis, & ipse hostia perfecta, factus est propitiatio pro peccatis nostris. Fiet ergo per Verbum tuum incarnatum, ut verba iniquorum quæ in Babylone prævaluerunt super nos, dum incipimus inde proficisci, non possint ultra prævalere; dum non præ oculis in faciem sonant, & quasi post dorsum nostrum susurrant, & quasi de humo eloquium subobscurum mussitant. Si ergo beatificamus eos, qui Babyloniorum verba postponendo incipiunt proficisci ad cantum propheticæ tubæ sonantis per os Jeremiæ vel Aggæi; multo magis *beatus quem elegisti & assumsisti*, quique assumtus inhabitat in atriis tuis.

LXXX. Beatus præ omnibus consortibus suis homo, quem tu Verbum Dei sic assumsisti, tibique in una persona mirabiliter univisti, ut verba iniquorum numquam potuerint prævalere illi: quoniam ille est beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Beatus plane homo electus ex millibus, quem tu pater Deus elegisti & Deum fecisti: non utique Deum adoptivum, sed Deum verum naturalem filium tuum; non per hominis in Deum assumtionem, sed per hominis in

A Deum assumtionem [1]. Neque enim solummodo illum elegisti de massa perditionis in sui conceptione vel prius in tua prædestinatione, sed etiam assumsisti cum gloria in consessum dexteræ tuæ, sicut ipse dicit: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Beatus homo quem sic elegisti, & assumsisti in sacerdotem magnum populo tuo peregrinanti valde necessarium; sicut Jesus magnus sacerdos ille figuralis, olim fuit necessarius: qui in typum hujus veri sacerdotis & regis legitur coronis aureis coronatus, ut supra in brevi perstrinximus.


B LXXXI. Beatus etiam post ipsum & in ipso & per ipsum, quem de mundo elegisti, & in aliquod ministerium salutis tam suæ, quam aliorum assumsisti. Quod opus egregium quia ipse tecum operatur, sine quo tu pater nihil operaris, cum sit ipse manus tua tecum & in te operans omnia quæ tu operaris: quæcumque enim tu operaris, hæc & ille similiter facit. Recte ac vere tuis ac suis electis ipse dicit: *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Item: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Beatus quem sic elegisti de mun-
C do, ut ob hoc ipsum sustineret odium mundi: quia tu eum elegisti & assumsisti, non ad opus malum, vel ad horam in atriis tuis mansurum, sed ad opus bonum & permansurum in æternum, quoniam *inhabitabit in atriis tuis* [a]. Servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Propterea servus malus ad tempus assumtus propter aliquod opus necessarium, retro aspiciens & retro abiens non habitabit in atriis tuis, in quæ illum assumsisti; sed filius habitabit in atriis tuis tamquam heres legitimus. Et nos qui de Babylonia in Sion proficiscimur, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi efficimur: & ita per ipsum qui caput nostrum est, replebimur.

D LXXXII. Beatus quidem ille est qui electus & assumtus a te inhabitabit in atriis tuis. Verumtamen in ipsis atriis non est plenitudo beatitudinis. Etenim licet stantes pedes nostri in atriis tuis Jerusalem beati sint: tamen plane beati sunt soli qui habitant in domo tua Domine, ubi in sæcula sæculorum laudabunt te. Heic incipimus proficisci lætantes in his quæ dicta sunt nobis, & in domum Domini ibimus, & multas viaticas refectiones euntibus nobis providet Jesus sacerdos magnus. Sed cum pervenerimus, tunc omnino replebimur in bonis domus tuæ Deus. Dona domus suæ sunt inef-
E fabilia, sive domus ipsa intelligatur humana natura in Deum assumta, sive angelorum portio electa, sive etiam tota sancta universalis ecclesia. Quæ domus est etiam templum, non qualecumque sed mirabile: non in structuris artificiosis & manu factis, ornatis auro vel argento seu lapide pretioso, sed in æquitate. Non mireris quia dixi templum illud mirabile in æquitate, quod omni caret iniquitate, ac summa claret æquitate. Si enim templum non manufactum, dominicum videlicet corpus respicias, nulla est in eo iniquitas, immo ad abolendas iniquitates omnium nostrum sufficit & superabundat illius æquitas.

a V. 5.

1. Hæc vitiosa fortasse typographi incuria; restitue sic juxta illud Athanasianum: *Non conversione divinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum.*

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



LXXXV. Quid enim justius vel æquius, quam ut ad perditam libertatem redeat servus, pro cujus iniquitate servilibus pœnis voluntarie subjacuit filius? Quid justius vel æquius, quam ut prædo iniquus amittat jus & dominium, quod habuerat in hominem peccatorem, qui manus violentas misit in hominem peccato prorsus carentem, & in summa æquitate Deo patri suo gratias agentem. Nempe in hoc maxima erat hominis iniquitas, quod a Deo bene creatus, ipsi creatori suo penitus, non solum gratias non agebat, sed nec unde ageret habebat, vitio suo nudatus, & plagis impositis semivivus relictus. Gratias namque condignas agere de aliquo beneficio, est ipsi benefactori suo de toto quod accepit esse devotum; ita ut nihil minus rependere studeat in servitio quam accepit in beneficio. Nam si minus rependat, in libra æquitatis apud Deum non est acceptabile munus oblatum cum tali fraude vel iniquitate. Constat autem quod primi parentes bene creati & paradisiacis bonis ditati, nullas Deo gratias egerunt, sed ingrati benefactori suo, ejus hosti gratis venundati succubuerunt. Sic distorti a regula æquitatis genuerunt filios iniquitatis, filios maledictionis, filios iræ: quorum nullus fuit idoneus ad agendum gratias Deo, præpediente omnes paternæ ingratitudinis originali peccato. Unde inter omnia patriarcharum vel prophetarum præconia, cum sonet sæpe vox laudis, vox confessionis, vox exsultationis & salutis in tabernaculis justorum, nusquam sonat vox gratiarum actionis, nisi in hoc templo mirabilis æquitatis.

LXXXVI. Ante Christum namque nullus sanctorum legitur Deo gratias egisse, quia noverant se ad hoc non sufficere. Ipse autem primus, unus pro suis omnibus Deo patri gratias egit, sicut in evangelio legitur; primo ubi de paucis panibus multam turbam hominum satiavit, deinde ubi Lazarum suscitavit, novissime ubi accipiens panem gratias egit, benedixit & fregit, & dedit discipulis suis dicens: *Hoc est corpus meum* &c. Sed & tota ejus in mundo conversatio quid fuit, nisi condigna gratiarum actio? Annon etiam nunc summæ trinitati gratias agit a summo usitata & usque ad summum provecta in ipso Dei filio natura humana? Discipulis quoque per ipsum & in ipso gratias agendi Deo patri potestatem dedit ibidem, sic dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Id est, meo exemplo meoque adjutorio quod feci facite, me in vobis & per vos operante. Ecce sacerdos magnus carens omnino iniquitate, ipse hostia sufficiens pro abolenda omnium iniquitate, ipse templum mirabile in æquitate, in solo rependitur Deo æqua gratiarum actio absque iniquitatis fraude: quia totum quod a Deo fuit homini assumto donatum, divinis obsequiis integre fuit impensum in holocaustum suavissimi odoris, & in sacrificium plenissimæ gratiarum actionis, quod ante ipsum nullus potuit facere. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ait unus electorum præcipuus. Et cum in se nihil digne donis Dei retribuendum invenisset, *Calicem* inquit *salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*: id est, illum exspectabo & fideliter invocabo, qui calicem passionis innocens bibiturus perfecta gratiarum actione satisfaciet patri per suæ carnis & sanguinis hostiam salutarem.

LXXXVII. Quod etiam in ipso & per ipsum nunc donatum est ecclesiæ, cui sacrificanti hanc ipsam hostiam in hoc ipso templo gratias agere solemne est, ita ut dignum & justum est, æquum & salutare, in summa æquitate, in statera æquitatis & justitiæ. In qua utinam appendantur peccata mea & calamitas quam patior, ait sanctus Job, desiderio desiderans hoc templum mirabile in æquitate, atque in eo stateram justitiæ, in qua per duas lances brachiorum crucis, seu justitiæ & misericordiæ, pondus humanæ calamitatis quasi arena maris gravior apparet omnibus omnium hominum in hoc templo sacrificantium peccatis. Etenim calamitas probrosæ mortis in persona Dei incarnati, absque iniquitate propria propter iniquitates nostras passi, longe in infinitum præponderat in lance misericordiæ peccatis nostris in lance justitiæ: ita ut lanx misericordiæ tantæ calamitatis pondere quasi arena maris gravior apparens, & usque ad infernum despoliandum subsidens, in judicio superexaltet lancem justitiæ tam vehementi exaltatione, ut excussis inde peccatis credentium in profundum maris, mirabile fiat spectaculum divinæ pietatis & æquitatis, merso Pharaone per judicium æquitatis, eo quod aviditate nocendi ausus est persequi a se recedentes, & ad illum protectorem confugientes, qui & in columna nubis pius, & in columna ignis justus, nullius fuit reus iniquitatis: qui etiam templum est mirabile in æquitate, ita ut ad ipsum tutissimum sit refugium ab omni iniquitate.

LXXXVIII. Sanctum est ergo templum tuum, mirabile in æquitate, cui & sanctitas abundat in se ipso, itaut recte dicatur Sanctum sanctorum, & æquitas ad patrem, sive totius trinitatis divinitatem, cui perfecte gratias agendo servavit mirabilem æquitatem; ita ut neque hosti iniquo iniquam inferret violentiam, sed æquitate illum superaret, cum inconcessa pervadenti concessa judicialiter auferret. Est etiam in hoc hujus templi non manu facti æquitas mirabilis, & nulli rationi penetrabilis, quod quanto tempore hic cælestis regni legitimus heres parvulus fuit nihil differens a servo in similitudine carnis peccati, sic semet ipsum exinaniendo minimis suis servulis coæquavit, ut pedes eorum lavaret, & cum iniquis reputatus, non de iniquitate hac indignaretur, sed patri totius æquitatis auctori gratias ageret, ejusque justitiam collaudaret, simul excusans per ignorantiam quosdam iniquorum, dicens: *Pater juste, mundus te non cognovit*. Item: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*. Quis non miretur simulque veneretur in abundantia tantæ iniquitatis collaudationem paternæ justitiæ judicantis omnia in summa æquitate? Quis denique hominum judicante se homine tam inique judicatus, tam inique cum iniquis reputatus, laudaret æquitatem judicis talia disponentis, vel cum non prohiberet fieri sinentis? Prorsus nemo. Sed hic Deus homo se sic humiliat sub judicio divino, tamquam si nihil differat a servo: nec rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, quamdiu in forma servi humiliatus & servis coæquatus, atque cum iniquis reputatus, disciplinam servis iniquis debitam pro ipsis humiliter sustinuit. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donans illi nomen quod est super omne nomen, sibimet ipsi cum summa gloria coæquavit: ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris, tam secundum eam naturam quam credimus in eo exaltatam & summo nomine donatam, quam secundum illam, quæ ab æterno erat altissima.

LXXXIX. Humana quippe natura in Deum Dei filium assumta, etsi tempore assumtæ mortalitatis paullo minus ab angelis minorata, longe sub Deo



in Deo fuerit, tamen sub Deo minorem gloriam, sed in Deo & cum Deo prorsus habet eamdem gloriam, data sibi omni potestate in cælo & in terra, quam ipse Deus Dei filius in divinitate sua, una cum patre suo Deo æternaliter habuit, sed in humanitate sua ex tempore accepit, minor quidem patre permanendo secundum humanitatis naturam, sed non minor secundum divinam suæ humanitati potentiam & gloriam donatam. Nonne in hac humanitatis ad summa provectione, sicut mirabilis, ita est etiam rationabilis æquitas? Quia enim sponte sua humiliatus, & cum iniquis reputatus, eisque in pœna pro Dei patris gloria coæquatus est, justo æquitatis judicio naturæ humanæ sic humiliatæ datum est eousque ascendere, ubi erat prius ipse Dei filius cum patre altissimo altissimus, adimpleta ironia sive prophetia, qua olim dictum est: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*.

XC. Quod enim contra veterem Adam gravissima fuit ironia; de novo Adam suavissima erat prophetia, de quo in veritate habet Deus pater dicere: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, id est nobis in gloria coæquatus est, sciens bonum & malum æque ut unus nostrum, potens ad faciendum judicium æque ut unus nostrum. Unde sicut ad veterem Adam adducta sunt animantia cuncta, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus: sic ad istum judicaturum adducenda sunt omnia, ut videat quid vocet ea, secundum sententiam [1] boni & mali, qua ipse optime scit reprobare malum & eligere bonum, servata in omnibus æquitate, quia ipse templum est mirabile in æquitate, non discrepans in donata sibi claritate ab inhabitante se altissima divinitate. Sic lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Mirabile videlicet in illa potissimum æquitate, qua lapidis vel templi hujus naturalis essentia minor divinitate in se permanens indestructibilis ultra se provecta est usque ad æqualitatem gloriæ divinæ se inhabitantis, juxta illud Apostoli: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. *Et estis*, inquit, *in illo repleti*; secundum quod heic psallentes dicimus: *Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate*. Revera mirabilis erat æquitas, qua dictum est homini filio Dei a Deo patre: *Sede a dextris meis*. Quod idem est ac si dixisset, in mei æqualitate conregna mecum. Quod secundum humanam naturam illi dictum est, quia secundum illam datum est ei regnum & honor, non particulariter, sed universaliter: sicut ipse de se contestans, *Data est*, inquit, *mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Sicut in similitudinem lapidis aquæ durantur, sic ima summis coæquantur. Etenim sicut aqua non pereunte substantia, vel substantiæ quantitate, sed sola qualitate quæ fluxa fuerat, in soliditatem transeunte, in similitudinem lapidis duratur, & res prius liquida rei naturaliter duræ in duritia coæquatur: sic assumtus in Deum fragilis homo, non pereunte substantia, primo ascendit illocaliter super cælos cælorum ad orientem, id est ultra choros omnium cælestium virtutum, usque ad Verbum sibi personaliter unitum.

XI. Ubi notandum, quia non dicitur ad ortum vel oriturum, sed ad orientem. Illa enim ineffabilis genitura, non secundum præteritum & futurum consideratur, sed sempiterno præsenti filius a patre generatur. Verumtamen hoc localiter quoque accipiendum est, quia ascendit super firmamentum cæli, & hoc versus orientalem plagam. Nam quod dictum est usque ad orientem, id est usque ad Verbum sibi personaliter unitum, non utique secundum locum, sed secundum humanæ naturæ immutationem dictum est: qua immutatione & nos juxta apostolum pro modo nostro immutabimur. Nec vero sic immutata est, ut in illam orientis substantiam versibilitate naturæ substantia carnis transiret: sed æquitate judicii divini homini usque ad mortem crucis pro glorificatione Patris humiliato accessit paternæ gloriæ magnificentia, non decessit humanæ conditionis essentia; absorpta est passibilitas, accessit impassibilitas: transivit infirmitas in virtutem, mortalitas in æternitatem, ut homo prius minor angelis, esset in gloria Deo patri coæqualis. Et hoc est mirabile in æternitate.

XCII. Admirantibus ergo simulque venerantibus nobis hoc templum mirabile in æquitate, cui & nomen est, *admirabilis*, *consiliarius*, *Deus*, *fortis*, *pater futuri sæculi*, *princeps pacis*, aliquantula sublucet ratio hujus æquitatis, quam fraudare non debeo conservis. Cum enim per Christi divinitatem sine labore cuncta creata, per ipsius humanitatem cum multo labore sint restaurata, & utique constet opus restaurationis melius opere creationis, æquitas judicii divini poscebat, ut humanitas in Christo, licet naturaliter minor divinitate, tamen coæquaretur eidem in gloria & in claritate omnimoda, propter excellentiora opera per ipsius laborem & humiliationem consummata. Unde cum dixisset: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*: quasi & judicio æquitatis donatium reposcens, adjunxit: *Et nunc clarifica me tu pater apud temet ipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te*. Quibus verbis, Hilario interpretante, claritas Verbi æterni postulatur carni: ut qui minor fuit & est patre secundum humanitatis conditionem, jam non sit minor secundum ejusdem humanitatis glorificationem. Unde in libro de Trinitate ait jam dictus Hilarius: *Glorificaturus filium pater major est, glorificatus autem filius minor non est*. Proinde quod Athanasius ait, *Minor patre secundum humanitatem*, referendum est ad naturam, non ad gloriam: vel certe ad illud tempus quo minor fuit etiam angelis, non ad illud quo gloria & honore coronatus super opera manuum patris constitutus, jam nulli est in gloria posthabendus, ut in prima hujus operis parte firmissimis patrum testimoniis copiose demonstratum est.

XCIII. Adhuc est alia mirabilis æquitas, quam in templo isto spectantium oculis ipsa ejusdem templi repræsentat claritas & caritas. Quia enim in redemtione humani generis templum datum est pro templo, non manu factum pro manu facto, impollutum & sanctum, pro polluto & profanato; non esset aliud pro alio datum, nisi quod emebatur esset æque gratum quomodo pretium pro illo datum. Est igitur etiam sic templum illud sanctum mirabile in æquitate, servata venumdati & redemti æqua caritate. Super hujus admirabilis æquitatis admiratione altisona voce canunt ipsius redemti templi vivi lapides, quasi cum Aggæo festivo fe-

1. Forte err. typogr. pro *scientiam*.

ſtive dicentes: O inæſtimabilis dilectio caritatis! ut ſervum redimeres, filium tradidiſti. Contenti nunc ſimus in hac peregrinationis via de templo iſto mirabili mirando potius quam exponendo hæc pauca dixiſſe; cujus aditus philoſophiæ mundanæ ſeratus, fidei vero catholicæ nunc ex parte reſeratus, in futuro plene pandendus, non eſt quæſtionibus indiſciplinatis irrumpendus, ſed orationibus humiliter & reverenter pulſandus. Hoc igitur templum ſanctum mirabile in æquitate, ut remiſſis iniquitatibus mereamur ingredi a rege Babylonico liberati, tu Chriſte, qui es templum ſimulque ipſius templi oſtiarius & oſtium, [a] *exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mare longe.*

PARS ALTERA.

XCIV. Exaudi nos pulſantes, & ut omnis caro ad te veniat fideliter orantes. Exaudi hunc hymnum qui te decet, Deus, in Sion; non in illa parvula & anguſta Sion, quæ modicam Judææ particulam occupavit, ſed in illa magna civitate quæ fundatur exſultatione univerſæ terræ, ſecundum quod tu rex ejus regnas ubique; ſpes omnium finium terræ, non tantum Judææ, ſicut vult carnalis Judex, vel tantum Africæ, ſicut voluit Donatus, vel cujuſquam privatæ ſectæ, ut hi volunt qui dicunt, *Ecce heic*, aut *Ecce illic*, ſed *omnium finium terræ*: ut omnis caro, non ſolummodo continentium ſed etiam conjugatorum poſſit venire ad te, licet ſint in finibus terræ, vel in mari longe. Sicut enim regina Æthiopiæ de finibus terræ venit audire ſapientiam Salomonis; ita univerſalis ex Judæis & gentibus electa & collecta Eccleſia, veniet ad te verum Salomonem a finibus terræ, imponens videlicet finem vitiis cupiditatibuſque terrenis. Vel etiam ad literam *ſpes es omnium finium terræ*, in omnem terram ſono apoſtolorum exeunte, & in fines orbis terræ verbis eorum pervenientibus; itaut non ſint loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, etiam in extremis finium terræ & in mari longe: ſive ad literam in inſulis marinis longe poſitis a cohabitatione aliorum hominum; ſive quia mare hujus ſæculi amarum curis & turbidum tentationibus, ac procelloſum, ſpiritibus malignis quaſi ventis contrariis agitatum, in quo piſces devorantur a piſcibus; recte dicuntur eſſe in mari longe a civitate Sion & Jeruſalem viſione pacis, mundi hujus amatores inter ſe tumultuantes: quibus tamen, ſi digne pœniteant, & mediante te Jeſu magno ſacerdote, gratiam quærant invenire in Sion, ſpes eſt miſericordiæ conſequendæ in te, per id quod tu es [b] *præparans montes in virtute tua.*

XCV. Prædicatores enim Jeremiæ & Aggæo ſimiles, in ſe parvos & humiles, tu facis altos & immobiles *in virtute tua*, non ſua. Hoc & ipſi confitentur dicentes: *Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum; non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litera ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, itaut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi præ gloria vultus ejus quæ evacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Si miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Similiter & nos dicere poſſumus in hymno præſenti: Quod, ſi miniſtratio reverſionis in terreſtrem Jeruſalem fuit in gloria, ita ut ejus adminiſtrator præcipuus Jeſus ſacerdos magnus, fuerit coronis aureis jubente Domino coronatus, & ablatis ab eo ſordidis veſtimentis, legatur pretioſis mutatoriis ornatus; quomodo non miniſtratio reverſionis in cæleſtem Jeruſalem quæ ſurſum eſt libera mater noſtra, erit in gloria? Immo ſi miniſtratio illius reverſionis meruit coronis & mutatoriis honeſtari, multo magis gloria & honore coronandi ſunt qui in ſacerdotio novo ſtant coram Domino ſacrificantes hoſtiam vivam, & increpant ſibi adverſantem ſatanam.

XCVI. Quomodo enim tunc Satan ſtabat contra Jeſum ut adverſaretur ei; ſic & modo in his qui reſiſtunt veritati ſatan ſtare cognoſcitur, qui & increpante illum Verbo Domini, abit & cadit retrorſum, quomodo illi abierunt retrorſum, quibus verus Jeſus jam ſe ipſum ſacrificaturus in cruce, jam jamque ſacrificatus in cœna ſua dixit: *Quem quæritis? At illi dixerunt, Jeſum Nazarenum.* Quibus cum reſpondiſſet, *Ego ſum*; verbi hujus fulmine repercuſſi ceciderunt in terram. Qui ergo fulgorem ſolis æterni adhuc ſub nube mortalitatis ferre non potuerunt, ſed eo repercuſſi ceciderunt in terram; quomodo nunc ferent ejus faciem ſicut ſol lucet in virtute ſua clare ſplendentem? Cum ſe talem demonſtravit in monte coram paucis diſcipulis transfiguratus, nec ipſi eum ferre potuiſſent, niſi eadem virtute qua territi erant, fuiſſent etiam confortati. Et Joannes in Apocalypſi cum vidiſſet eamdem Jeſu faciem ſicut ſol lucet in virtute ſua, cecidit ad pedes ejus tamquam mortuus. *Et poſuit*, inquit, *dexteram ſuam ſuper me dicens: Noli timere. Ego ſum primus & noviſſimus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula, & habeo claves mortis, & inferni.* Sic Domine Jeſu præparas montes in virtute tua, dicens cuique illorum: *Noli timere.* In quo dicto eſt largitio virtuoſæ conſtantiæ. Dicendo autem: *Ego ſum primus & noviſſimus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula, & habeo claves mortis & inferni*, oſtendis te accinctum potentia, qua prævales ad omnia quæcumque volueris facienda, utpote vivens in ſæcula ea vita, qua vivificare potens es omnia membra tua, & habes claves mortis & inferni, quibus concludere potenter vales mortem & infernum, diabolum ſcilicet mortis inventorem populumque tenebroſum, in quo velut in inferno diabolus & mors habet locum nimis amplum & profundum, ſed minime quietum, quia tu [c] *conturbas profundum maris*, id eſt populum nimis amarum tu conturbas, non in ſuperficie quaſi vento leni, ſed in profundo, & quaſi ab imo fundo undas ejus concutiendo.

XCVII. Alia litera ſic habet: *Circumcinctus potentatu tuo.* Quod ad ſimilitudinem regis undique ſuis militibus conſtipati dictum poteſt intelligi: quia tu rex gloriæ, dominus exercituum te circumſtantium, per eoſdem exercitus propugnando potens es in prælio non ſolum campeſtri, quo commoviſti terram & conturbaſti eam; ſed etiam navali, quo conturbas profundum maris. Quaſi enim campeſtre certamen tunc fuit in campo Dura provinciæ Babylonis, erecta velut aurea ſtatua, quando caput imperii Romani, quaſi altera Babylonia, Roma defenſabat idololatriam dura edicta proponendo, & fornacem perſecutionis incendendo. Sed jam fabri-

a ℣. 6. b ℣. 7. c ℣. 8.

catis ecclesiis atque cœnobiis, tamquam navibus ultra mare ad terram promissionis tendentibus, surgunt venti contrarii, & non desunt naves piraticæ latronibus plenæ; conventicula videlicet perversa, quibus contra invicem decertantibus, mare turbatur, & sonitus fluctuum ejus augmentatur, quoadusque tu ventis imperes & mari, precibus ecclesiæ suscitatus, qui nunc peccatis exigentibus dormiendo in navi *conturbas profundum*, & *sonum fluctuum ejus* ad hoc esse permittis, ut a discipulis attentius orantibus cito exciteris, & te increpante ventos & mare, fiat tranquillitas magna.

XCVIII. Aliter. *Conturbat profundum maris* commovendo profunda hominum corda, vel ut sequantur, vel ut persequantur electos tuos: & *sonum fluctuum ejus* excitas & sedas prout vis, arescentibus hominibus præ confusione sonitus maris & fluctuum; discipulis autem tuis cum viderint hæc fieri, ad te respicientibus ac levantibus capita, quoniam appropinquat redemtio illis a te promissa. Levabunt capita, id est exhilarabunt corda, scientes post brevem tempestatem, sequuturam quietis æternæ tranquillitatem. Alia translatio habet: *Sonum ejus quis sufferet?* id est, Quis sustinebit illam commotionem? Vere nullus virtute humana, sed plures virtute tua: qui præparas montes in virtute tua, montes altos, quos transcendere non valent mirabiles elationes maris; montes immobiles de quibus dicas mari, *Huc usque venies, & heic confringes tumentes fluctus tuos.* Dum enim cernent idololatræ gentes, vel etiam falsi Christiani, creaturæ potius quam creatori, mammonæ potius quam tibi Deo vero servientes, immobilitatem simul atque celsitudinem turrium sanctæ civitatis fundatæ in montibus sanctis, ad quam revertentes de Babylone cives beati nunc incipiunt proficisci, quandoque feliciter perventuri. Ex tali consideratione turbabuntur ipsæ gentes aliquantæ per timorem servilem, sicut rege civitatis hujus nato & regibus orientalibus manifestato, rex Herodes turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo: aliquantæ per timorem filialem: quomodo apostoli conturbati sunt & conterriti, existimantes post resurrectionem regis hujus, non corpus resuscitatum, sed solum se spiritum videre.

XCIX. Neque enim parva est conturbationis caussa, cum sola regis hujus existimatur spiritalis adesse præsentia suis discipulis, non etiam corporalis. Quorum conturbationi apte subvenitur, cum se non solum videndum, sed etiam palpandum præbet Jesus sacerdos magnus, in sacerdotibus catholicis visibiliter & corporaliter gloria & honore coronatis, ceterisque dilectis & electis, quibus per veram pœnitentiam vestimenta sordida sunt ablata, & mutatoria munda sunt collata. Similiter cernitur idem conspicuus in bonis ducibus Zorobabeli consimilibus. Et hæc non modica est bene turbatis consolatio, & male turbatis augmentatio conturbationis.

C. Nam diversis modis *turbabuntur gentes & timebunt* *. Primo serviliter, deinde qui ex eis credent filialiter & caste timebunt nomen tuum, *qui habitant terminos terræ*: id est, non solum vicini, sed etiam in extremis finibus terræ positi, quando in omnem terram exibit sonus apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vel etiam quando per successores eorum prædicabitur evangelium in toto mundo usque ad ultimum terræ. *Turbabuntur*

A inquam *a signis tuis*: primo per miracula, deinde per virtutum præclara & insignia facta, quæ considerabunt in electis tuis, quibus *exitus matutini & vesperæ delectabis*. Id est, quos ita perfectos esse facies, ut exitus matutini & vesperæ, sint eisdem delectabiles. Cum enim per mane prosperitas, & per vesperam notetur adversitas; ita erunt imperturbabiles, ut alternante se rerum vicissitudine, sint eis delectabiles exitus matutinæ prosperitatis in vespertinas adversitates; quando in altero peregrinationis hujus consolationem, in altero sui provectus invenient exercitationem. Itaque dum crebro fiunt exitus matutini in vesperam, & e converso
B vesperæ in matutinum, neutra res illis displicebit, sed in omnibus gratias agent, præcipue quando sentient ex tua Deus ordinatione sibi vesperam sabbati non tenebrescere in noctem obscuram, sed lucescere in prima sabbati, procul exclusa nocte illa de qua beatus Job rogat: *Ne computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus; sed sit solitaria nec laude digna. Noctem* inquit *illam tenebrosus turbo possideat: exspectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ*. Itaque de nocte illa exitus non erit in matutinum, quæ non est visura ortum surgentis auroræ.

CI. Talis nox fuit Judæ traditori: de quo legi-
C tur quia cum accepisset de manu Christi buccellam, introivit in illum satanas, & exivit continuo. Erat autem nox. De hac nocte nimium tenebrosa nullus ei fuit exitus in lucem matutinam, quia non egit fructuosam pœnitentiam, licet pœnitentia ductus retulit argenteos male acceptos dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum*. Sera nimis fuit hæc pœnitentia nec laude digna: quia non tam fuit de admisso peccato, quam de infatuato ejus consilio. Quomodo enim præambulus ipsius Achitophel seipsum laqueo suspendit gravi conscientia tortus, eo quod infatuato ipsius consilio prænovit regnaturum David, cujus regno & gloriæ invidit; sic & Judas
D mercator pessimus, Christi regno & gloriæ invidus, atque odiens fidelium discipulorum pium sensum, per quem suum consilium patuit esse fatuum, dum nullus eorum sentiret secum, quamvis exemplo Chusai Arachitæ Petrus apostolus Christum verum David non corde sed ore negaverit, quomodo ille Chusai David coram Absalone denegavit. Nempe sicut illa Chusai denegatio ex prudenti consilio David processerat, qui per illum prophetaverat infatuandum esse consilium Achitophel; sic Petri negatio ipsius Christi admissa est prudenti consilio, non solum ad demonstrandum principi apostolorum se ipsum, qui nimis improvide jactaverat se numquam negaturum; sed etiam ut per ipsum Petrum
E infatuaretur Judæ consilium, dum propter negationem putatus non esse amicus veri David mortis immaturæ periculum evasit, qui tamen postmodum gloriosa morte ipsum clarificavit, fatuumque Judæ Christum regnare nolentis consilium, non solum vivendo, sed etiam moriendo annihilavit.

CII. Heic notandum quod peccatum Judæ profunda malitia excogitatum, totum nocturnum ac tenebrosum, non invenit exitum in lucis matutinæ serenum. Petri autem culpa tamquam caligo vespertina luce simul ac tenebris permixta, dum Christum lingua negavit quem corde amavit, fragilitate potius quam malignitate peccando, exitum procul dubio invenit a vespera in matutinum, quando post galli cantum luce jam propinquante flevit amare.



* ℣. 9.

Sæcul. XII circa Ann. Chr. 1169.

Similiter matutinum Petri seipsum cingentis ac nimis de se præsumentis, non ita fuit lucidum sicut matutinum Luciferi qui nimis mane oriebatur, quia in sua luce non in Domino vel pro Domino, sed contra Dominum gloriabatur. Denique talis gloriatio & præsumtio de odio fuit creatoris. Petri autem præsumtio de radice processit amoris; non quidem adhuc plene consummati usque ad claritatem diei, sed quasi matutini adhuc tenebris permixti. Exitus autem fuit hujus matutini Petro, & delectabilis consummatio ipsius amoris usque ad tantam diurnæ lucis meridianam claritatem, cujus ipse sibi conscius magistro sciscitanti sub trina interrogatione an se amaret? confidenter ei respondit, *Domine tu scis, quia amo te*. Puto anima quæ sic amat, ipso amore suo ad amatum clamat: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Propter quod etiam Petro sic amanti dicitur, *Pasce agnos meos*: item *pasce oves meas*. In quibus pascendis exitus matutini & vesperæ delectabilis fuit Petro in meridie cubanti & pausanti, nunc imminente vespera contra lupos vigilanti & laboranti. Qui nimirum vespertinus labor, seu etiam ut meridianus fervor, etsi aliquotiens gravabat, tamen exitus ejus delectabat.

CIII. Hinc alius pastor ovium crebra vicissitudine matutini & vesperæ probatus & exercitatus, hujusmodi varietatum delectatus exitu, dicit: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Revera laudabilis est ista delectatio. Quem de talibus non delectat exire, facile capitur lucris terrenis; utpote quem non delectat promissio vel exspectatio lucri cælestis. Qua si animus quantum debet delectatur, nec per matutinum prosperitatis extollitur, nec per vesperam adversitatis frangitur, nec inter hujusmodi varietates ipse variatur, ibi habens fixum cor ubi verum est gaudium; juxta quod oramus ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Ubi enim est thesaurus hominis, ibi delectatur & cor ejus. Est autem delectatio vilis & instabilis in transitoriis bonis & temporalibus deliciis, pretiosa vero & minime fastidiosa semperque mansura in spiritalibus deliciis & æternis bonis: ut est justitia, sapientia, caritas, benignitas, ceteraque hujusmodi charismata beatas animas delectantia nunc ex parte, sed ibi plenarie, ubi delectationes in dextera tua Deus in finem sine carentem permanebunt. Quia non de puteo illo hauriuntur, cujus aquam libenter bibentes iterum sitient, ibi maxime ubi dives ille sitivit, qui guttam aquæ petens, obtinere non potuit; quia delectatio ejus in sinistra transierat, nec ad illam pertinuit delectatio quæ est in dextera tua.

CIV. Tota hæc delectatio exinde provenit, quia tu Domine quem decet hymnus in Sion, natus in ea, *Visitasti terram & inebriasti eam* [a]. Visitasti terram benedictam, de qua dicitur alibi: *Benedixisti Domine terram tuam*. Terram hanc benedictam a terra maledicta spinas & tribulos germinante segregatam visitasti proprio adventu tuo, factus caro in utero virgineo, flos benedictus de terra benedicta germinans fructus benedicti ventris. Quod recognoscens angelus, *Benedicta* inquit, *tu in mulieribus*. Et item sancta Elizabeth, *Benedicta* inquit, *tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. Visitaveras quondam steriles, verbi gratia Saram, Rebeccam, Rachelem, & eam quæ genuit Samsonem, vel Samuelem, vel Salomonem, ac novissime illam quæ genuit Joannem Baptistam, quo

A inter natos mulierum non surrexit major. Septem istæ matres cum fuissent pridem steriles, te visitante viros magnos genuerunt; videlicet Isaac, Jacob, Joseph, & reliquos jam nominatos viros inclitos. Et ecce plusquam Salomon vel Samson vel unus illorum est heic, filius virginis, in quo visitavit & fecit redemtionem plebis suæ benedictus Dominus Deus Israel. Nam prædictarum matrum sterilium fecundatio licet ex munere divinæ visitationis provenerit, nulli tamen illarum congruit quod heic dicitur: *Visitasti terram & inebriasti eam*. Sola virgineæ carnis terra singularis visitationis prærogativa est insignis; quæ non virilis operationis aratro exculta, sed per angelum Gabrielem
B visitata, & Spiritu sancto consota, ac virtute altissimi obumbrata, concepit filium Dei. Singulari ergo visitatione tu Domine, quem decet hymnus, Deus, in Sion, visitasti hanc terram civitatis Sion, & inebriasti eam; rore videlicet sive imbre sancti Spiritus, quemadmodum præoptaverat egregius ille sponsæ hujus paranymphus, qui longe ante prædixerat: "Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum; aperiatur terra & germinet salvatorem, & justitia oriatur simul". Magnifice igitur, Domine, visitasti terram, & mirifice inebriasti eam, de torrente voluptatis tuæ potando illam, quæ de terra maledicta spinas & tribulos germinante, ad hoc
C fuit segregata ut germinaret salvatorem.

CV. Postquam hæc terra dedit fructum suum, fructum benedictum, juxta illud evangelicæ salutationis oraculum, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*; eodem fructu per passionem triturato, & per mortem denuo in terra seminato, atque in terra mortuo, multus inde fructus provexit juxta illud: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Quo fructu multo *multiplicasti locupletare eam*: quoniam honor filii magna ex parte ascribetur matri, dum ipsa tamquam regina dominabitur
D in regno filii. Tu enim Domine, qui moriens in terram cecidisti, resurgens a mortuis multum fructum attulisti, quoniam *ascendens in altum captivam duxisti captivitatem, dedisti dona hominibus*. Per quæ dona iterum visitasti terram & inebriasti eam, itaut musto putarentur esse pleni discipuli tui, quos tuo Spiritu sic inebriasti & a semet ipsis alienasti, ut terrena eorum substantia cælitus inebriata fieret omnino cælestis. Postquam ergo sic visitasti terram & inebriasti eam, prius terrestres effecti cælestes, *cæli enarraverunt gloriam Dei*; quos etiam quasi nubes imbriferas misisti super omnem terram, quam eorum doctrinis visitasti & inebriasti,
E ecclesia sancta per orbem terrarum dilatata, quæ præclaro calice passionis tuæ inebriata, obliviscitur ea quæ retro sunt, extendendo se ad anteriora, in quibus multiplicasti locupletare eam, quia multiformis gratiæ donis ditasti eam, quæ hoc ordine pervenerunt ad eam.

CVI. Primo *Flumen Dei repletum est aquis*. Id est prior populus ripis mandatorum legalium limitatus, cujus propter exiguam benedictionis venam pene desiccatus fuit alveus: quia tamen in pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erat benedictio ejus, eo quod cum Esau detentus & occupatus venatione carnium, pene solis carnalium & terrenorum bonorum lactabatur promissionibus & exspectationibus, usque adeo ut ipsi quoque apostoli de populo illo electi, circa primordia sua sentirent

[a] Ψ. 10.

carnaliter de regno Dei; populus inquam ille in paucis exinde vocatis flumen Dei nominatur & est. Nam ceteris, velut aquis lacunosis, Isaias impro- perat dicens: *Quia de aquis Juda existis*. Id est qui tantummodo secundum carnis fluxum, & non secundum fidei fructum, semen Juda estis. Etenim secundum conversationis vestræ ignobilitatem, semen Chanaan & non Juda estis, quia pater vester Amorrhæus & mater vestra Cethæa. Istis ergo velut aquis cœnosis jure arescentibus & deficientibus, flumen Dei repletum est aquis in veris Israelitis: qualium unus fuit ille, de quo ipse fons fluminis hujus ait, *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est*. Tales fuerunt omnes apostoli, excepto Juda, qui exierat de aquis Juda penitus alienus a fidei ejus nobilitate.

CVII. Hujusmodi ergo aquis reprobatis tamquam putidis & amaris, flumen Dei purum & dulce repletum est aquis, quando sedentibus apostolis in uno cœnaculo, *factus est repente de cælo sonus advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes, & repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Quibus ita potatis, ne cibi deesset copia, *parasti cibum illorum*: ut aqua sapientiæ salutaris potati, cujus veritatis adimplendæ habuerunt intellectum, ejus quoque adimpletæ viderent effectum, quasi panem solidum. Neque vero id casu accidit, *quoniam ita est præparatio ejus* cibi, quo cibantur electi, ut primo intelligant quid petere vel desiderare debeant, purificante & reficiente illos aqua sapientiæ: deinde rerum intellectarum petant & accipiant manifestos effectus, quasi panem vitæ & intellectus, itaut pro aqua & potu salutari sit eis intellectus bonus, pro cibo vero ejusdem sit effectus manifestus. Huic præparationi quidam increduli contradicunt, & dicunt: *Quoniam percussit petram & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt; numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Quod est dicere: Quoniam percusso latere Christi aquæ sapientiæ de ipso latere templi effluxerunt, & intellectu adimpleverunt corda credentium, ut sciant quid sit petendum vel agendum; numquid adjiciet huic dono intelligentiæ donum efficientiæ? Num quia velociter currit sermo Dei per ora docentium vel calamos scribarum velociter scribentium; simili velocitate sequetur obedientia qua præcucurrit intelligentia? Revera sic ille prædixit futurum, qui alias dicit: *Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi*. Mira velocitas obedientiæ, quæ comes est audientiæ! ubi non post auditum auris consequitur obedientia injuncti operis, sed *in auditu*, inquit, *auris obedivit mihi*.

CVIII. Porro de his qui tardi & claudi viatores pedem intelligentiæ sanum habent & fortem, pedemque inobedientiæ debilem portant & suspensum, consequenter adjungitur: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt a semitis suis*. Illorum procul dubio illa est murmuratio, qua dicitur: *Quoniam percussit petram & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt, numquid & panem poterit dare aut parare mensam populo suo?* Audiunt isti verbum, sed obedire differunt. Audiunt signum quo ad ecclesiam vocantur, sed venire differunt. Quod est dicere: Num quia facile magistris est imperare, similiter facile discipulis esse poterit eorum præcepta servare? Audiunt intrinsecum sancti Spiritus consilium, quo ille suggerit aliquid faciendum, sed acquiescere dif-

A ferunt. Ideo audivit Dominus & distulit. Audivit eorum petitionem, sed distulit exauditionem. Audivit eorum gemitus in tribulationibus, sed distulit eos liberare de ipsis. Audivit super eos inimicorum insultationem, sed distulit ultionem ac defensionem. Nam de doctrina sane intelligitur quod dicitur: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Item: *Qui biberit aquam quam ego dedero ei, non sitiet iterum: sed aqua quam ego ei do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*.

CIX. Hujusmodi aquis venæ viventis repletum est flumen Dei, quando Spiritus sanctus in linguis
B veniens apostolos docuit, & intellectu adimplevit corda eorum: quibus cito & ultro intellectæ veritati acquiescentibus & quasi musto plenis, cito & ultro parasti cibum illorum, videlicet opus perfectum, & bonæ intelligentiæ bonum effectum, de quo dicas: *Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei*. Erat quippe in discipulis obedientia sine mora, in qua panem dare ac mensam parare populo suo Deo fuit in promtu: sicut e contra idem loquens in apostolo suo, in promtu habet ulcisci omnem inobedientiam.

CX. Ideo Petro jam potato per intellectum, & esurienti effectum, de cælo dictum est, *Macta*,
C *& manduca*. Parata in conspectu ejus mensa multis cibariis plena, in qua erant animalia terrestria & volatilia cæli, quia de gentibus convertendi erant activi & contemplativi, in ecclesia Dei futuri & in corpus Petri transituri per obedientiam sine mora exhibendam, qualem primo in domo Cornelii centurionis ex gentibus invenit Petrus, & qualem in regula sua commendat venerabilis pater sanctus Benedictus. "Primus, *inquit*, humilitatis „ gradus, est obedientia sine mora. Hæc convenit „ his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existi- „ mant, seu propter metum gehennæ vel gloriam „ vitæ æternæ, mox ut aliquid imperatum fuerit „ a majore, ac si divinitus imperetur, moram
D „ pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus „ dicit: *Obauditu auris obedivit mihi*. Et iterum „ dicit Dominus: *Qui vos audit, me audit*. Ergo „ hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & „ voluntatem propriam deserentes, mox exoccu- „ patis manibus & quod agebant imperfectum re- „ linquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vo- „ cem factis sequuntur, & veluti uno momento „ prædicta magistri jussio & perfecta discipuli ope- „ ra in velocitate timoris Dei ambæ res commu- „ niter citius explicantur, quibus ad vitam æter- „ nam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam „ viam arripiunt. Unde Dominus dicit, *angusta „ est via quæ ducit ad vitam*; ut non suo arbi-
E „ trio viventes, vel desideriis suis & voluptatibus „ obedientes, sed ambulantes alieno judicio & im- „ perio, in cœnobiis degentes, abbatem sibi præ- „ esse desiderent. Sine dubio hi tales illam Domi- „ ni imitantur sententiam qua dicit: *Non veni fa- „ cere voluntatem meam, sed ejus qui misit me, „ patris*. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis „ erit Deo & dulcis hominibus, si quod jubetur, „ non tepide, non tarde, non trepide, aut cum „ murmurio, vel responso nolentis efficiatur: quia „ obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhi- „ betur. Ipse enim dixit: *Qui vos audit me au- „ dit*. Et cum bono animo a discipulis præberi „ oportet; quia *bilarem datorem diligit Deus*. Nam „ cum malo animo si obedit discipulus, & non so-

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.

„ lum in ore, sed etiam in corde, si murmuraverit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum „ jam non erit Deo, qui cor ejus respicit murmurantis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam; immo pœnam murmurantium incurrit, si „ non cum satisfactione emendaverit. „

CXI. Porro in regula beati Augustini, ubi dicitur: *Præposito tamquam patri obediatur*; licet verbis paucissimis eadem commendatur obedientia, non servili pigritia & indevotione, tamquam ex tristitia & necessitate, sed ex filialis caritatis hilaritate persolvenda. *Præposito*, inquit, *tamquam patri obediatur*: ut videlicet is qui obedit potius amore filiali quam timore servili ad obediendum pertrahatur, & is cui obeditur, licet utrumque sit necessarium, tamen plus optet amari quam timeri; amari ut pater, non timeri ut dominus. Non enim potestate dominante, sed caritate serviente se felicem reputabit, qui licet honore coram hominibus nominetur & sit prælatus, timore tamen coram Deo etiam subjectorum pedibus erit substratus. In hujusmodi prælatis apostolicæ vitæ sectatoribus & apostolorum successoribus post ipsos, *Flumen Dei* repletum est aquis, ut supra est expositum de ipsis apostolis. Et tu Deus *parasti cibum illorum* sicut & apostolorum, dando eis primo sanum intellectum, quasi potum; deinde realem effectum, quasi cibum solidum.

CXII. Vel etiam *flumen Dei repletum est aquis*, dum creditum est verbum veritatis in scripturis. Et tu Deus parasti cibum credentium, dando illis tui corporis & sanguinis refectionem vivificam, cunctis incredulis denegatam: *quoniam ita est præparatio ejus cibi*, ut primo credatur, deinde accipiatur. Solis quippe credentibus dici congruit: *Accipite & manducate. Hoc est corpus meum*.

CXIII. *Rivos ejus inebria* *. Quando multitudinis credentium erat cor unum & anima una in Deo, neque adhuc facta est eorum inter gentes dispersio, sed erant omnes discipuli pariter in eodem loco, ac pene omnes in eodem sanctæ conversationis proposito, nulla fuit adhuc fluminis Dei per multos rivos divisio, sed insimul fuit omnis aquarum ejus plenitudo. Flumen quippe Dei proprie dicitur, cujus fons & origo ipse Deus invenitur, qui hujusmodi conversationis qualem apostoli tenuerunt solus est auctor & institutor, cui & dicitur: *Domine apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Fons apud Deum fontem, Deus Christus apud patrem. Non tamen duo fontes, sed unus fons: quomodo non duo dii, sed unus Deus. Inde procedens amborum Spiritus quasi vena utrique consubstantialis, apostolorum pectora invisibiliter penetravit, & sic in eis *flumen Dei repletum est aquis* adhuc in angusto Judææ loco adunatis; quando ut dictum est, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, sub indifferenti unius communis vitæ sancto proposito. Deinde facta discipulorum dispersione, tamquam fluminis unius in multos rivos diductione, alios discipulos delectabat esse omnino solitarios, quorum disciplina peperit monachos, alios ecclesiæ docendæ ac regendæ occupatio retinuit, quorum institutio viguit in clero ad communem vitam religiose ordinato. De gentibus quoque ad fidem conversæ multitudinis, tamquam unius fluminis in multos rivos distinctio facta est: aliis ad continentiæ propositum restrictis, tamquam in angustia riparum suæ devo-

A tionis aquam in omnimoda puritate conservantium; aliis ad conjugium legitimum relaxatis, velut aquis in plano decurrentibus, ac proinde lutum quidem trahentibus verumtamen se ad sui fontis originem tenentibus, & ideo computandæ sunt in rivis ejus: quemadmodum quondam Jordane ad transitum Jesu diviso, pars quæ ad fontem se tenuit, rivi nomen retinuit; quæ autem discissæ a fontali origine in mare mortuum defluxerunt, alveo earum penitus desiccato, rivi nomen perdiderunt, & ipsæ tamquam non essent perierunt ac defecerunt, suoque defectu viam populo Dei patefecerunt.

CXIV. Nam sicut in libro Jesu Nave legitur,
B ipso cum arca fœderis per medium Jordanis alveum transeunte, aquæ superiores ad instar montis exaltatæ, procul videbantur, inferiores autem defluentes & deficientes omnino disparuerunt, quarum in locum sic vacuefactum postea superiores aquæ descenderunt. Sic pereant, sic ad nihilum deveniant tamquam aqua decurrens, omnes impiorum sectæ, quæ propter nomen Christianitatis & baptismi sacramentum videntur esse aquæ Jordanis, cum tamen defectæ sint a vena fontis hujus nominis. Pereant ac deficiant, suoque defectu populo Dei viam patefaciant, veris quoque aquis Jordanicis de fonte suo pendentibus alveum suum suo defectu & discessu vacuum relinquant. Inter ceteras autem sectas perituras, ut jam Deo gratias multæ perierunt,
C etiam illa secta pereat clericorum & ad nihilum deveniat, quæ sanctis patribus describentibus nomen habet acephalorum, quod interpretatur sine capite: ut ex hoc intelligatur etiam vita quæ sine capite membris non est omnino carere, quorum conversatio vaga & dissoluta nusquam invenitur in omnibus regulis ab evangelicæ vel apostolicæ doctrinæ fonte seu flumine derivatis; cum neque secundum canones vivant, neque cœnobitalis vitæ servent regulas, a fonte seu flumine Dei quod repletum est aquis derivatas. Ut autem fluminis hujus impetus lætificet civitatem Dei usque in finem sæculi; tu fons luminis hujus purissimi *rivos ejus*
D *inebria*, ut nec ex defectu personarum, nec ex defectu virtutum sit ulla inopia in omni conversatione secundum regulas evangelicas & apostolicas ordinata, etiam in conjugatorum vita secundum legem divinæ justitiæ disposita. *Rivos ejus inebria*, ut primitus vita continentium se a vino in quo est luxuria, id est ab omni hujus mundi vanitate illecebrosa, vino meliore inebrietur, implente illam Spiritu sancto, juxta illud apostoli: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes Deo in cordibus vestris*.

E CXV. Quoniam ergo *te decet hymnus, Deus, in Sion*, psallentes & hymnizantes personas ita inebria, ut nihil eis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi sacerdotis magni, reducentis de captivitate populum suum, & reædificantis templum sanctum suum Chaldaico igne avaritiæ & luxuriæ conflagratum. Quia vero continentium vita non in omnibus eamdem profitentibus esse potest uniformis, *Multiplica genimina ejus*; ut qui potest capere capiat sanctitatem virginalem cum beata virgine Maria, & ejus procuratore Joanne evangelista. Qui hanc non potest capere, post publica peccata perpetrata capiat continentiam pœnitentialem cum Matthæo evangelista & Maria Magdalena. Multiplica etiam

* V. 11.

in hoc genimina ejusdem vitæ, ut sint multa cœnobia regularia, unius quidem puritatis & sanctitatis, verumtamen pro distributione multiformis gratiæ, sit eis consuetudo multifariam multisque modis distincta: secundum quod legitur Joseph vestitus una quidem talari tunica sibi a patre suo parata, quæ tamen unius coloris non fuit, sed polymita, variis scilicet coloribus distincta. Sic assistat regi præ filiis hominum forma speciosо formosa & speciosa regina, uno quidem vestitu deaurato perornata, sed tamen in fimbriis aureis circumamicta; videlicet pro diversarum ecclesiarum seu etiam personarum diversa qualitate vel consuetudine, ut qui potest capere capiat & teneat rigorem paucis & solis fortibus imitabilem: qui hoc non potest capere, capiat condescensionis discretionem pueris etiam seu feminis tolerabilem, qualis erat in ecclesia primitiva sub ea discretione ordinata, ut non solum fortibus viris, verum etiam fragilibus feminis esset religio ipsa portabilis. Et erat in ea Stephanus plenus gratia & fortitudine, sed is ministrabat fragilitati femineæ. Vacabant illi majores orationi & ministerio verbi: satagebant minores circa frequens ministerium vitæ præsenti necessarium. Erat omnibus pariter majoribus & minoribus cor unum & anima una in Deo, nec quisquam eorum aliquid suum vel habebat vel dicebat. Sed tamen distribuebatur non omnibus æqualiter, quia non æqualiter omnes valebant; sed potius unicuique sicut cuique opus erat, videlicet alii plus alii minus, prout cuique fuit necessarium: quia neque fragiles angariabantur a fortibus ad artiora suisque viribus majora, neque fortes ab infirmis trahebantur ad laxiora solis debilibus congruentia. Sic flumen Domini repletum fuit aquis, ut etiam in temporalibus adjumentis non esset quisquam egens inter illos.

CXVI. Eadem nunc plenitudo rivis ejus optatur, cum dicitur: *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus*; ut nihil desit in ulla gratia vitæ artiori & caste sectantibus disciplinam a sanctis apostolis ordinatam, & a summo puritatis fonte derivatam. Sed quia non omnes capiunt hoc verbum, ut egredientes de Sodoma statim festinent conscendere ad montis altiora; sic concessum fragilibus remanere in Segor parvula & modica, quia modicam habent virtutem, neque idonei sunt ascendere in montem Domini, aut stare in loco sancto ejus, quo innocens manibus & mundo corde ascendit sociatus in sexto gradu octo beatitudinum beatis illis, qui mundo corde Deum videbunt. Sint isti minoribus & inferioribus beatitudinum gradibus contenti; videlicet beati pauperes spiritu, beati mites, beati lugentes, beati esurientes & sitientes justitiam, beati misericordes, quia per opera misericordiæ mundanda & purificanda est vita conjugatorum; ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, & qui habent uxores, tamquam non habentes sint. *Volo* ait apostolus, *juniores nubere, filios procreare*. Item: *Unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæque habeat virum suum*, propter fornicationem scilicet vitandam, & propter sobolem procreandam.


CXVII. Talibus documentis velut quibusdam *stillicidiis* irrigata, *lætabitur germinans* terra, flumini Dei repleto aquis ita contigua, ut etsi non possit inebriari inter rivos ejus, tamen in stillicidiis ejus lætetur germinans: dum ex bene ordinata vita conjugatorum provenit germen beatorum beneque disciplinatorum filiorum seu filiarum, & fructus bo- A norum operum. Descendant hæc stillicidia super terram, & germinare eam faciant. *Rorate vos cœli desuper, & nubes pluant justum; aperiatur terra, & germinet salvatorem*. Aperiatur sane doctrinæ acquiescendo, & germinet salvatorem Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam in suis fructibus ostendendo. Descendat hæc ipsa Dei virtus & Dei sapientia sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram, ut & ex pluvia hujusmodi vellus virginalis propositi repleatur, & in stillicidiis ejus lætetur germinans terra conjugatorum, ex hoc utique laudabilis quod etsi non penitus abstinet a vino in quo est luxuria, quomodo virginitas a tali vino est omnino aliena; tamen frumen- B tum electum & vinum germinans virgines in fructu ejus invenitur, dum plebs benedicta ex legitimo conjugio nascitur, qualis fuit homo missus a Deo natus de legitimo conjugio beatus Joannes vinum & siceram non bibens, & omne immundum non manducans: in cujus nativitate quia multi gaudebant, lætabatur & ipsa germinans terra frumentum hoc electum tantæ lætitiæ fore caussam.



CXVIII. Vultis audire quæ vox exsultationis & lætitiæ in terra illa sonuerit? *Benedictus Dominus Israel, quia visitavit & fecit redemtionem plebis suæ*, ait pater pueri. Et ad ipsum puerum faciens apostropham, *Tu*, inquit, *puer, propheta altissimi* C *vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Memor sane fuit promissionis angelicæ, qua dictum fuit: *Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Heliæ parare Domino plebem perfectam*. Gratulabatur & mater, atque vicini ejus congratulabantur ei: ut verus comprobaretur sermo angeli dicentis, *Et multi in nativitate ejus gaudebunt*. Jocundum spectaculum videre in una domo fluvium Dei repletum aquis, dum filius adhuc ex utero matris repletus est Spiritu sancto, & rivos ejus inebriatos, dum parens nati meritis uterque abdita pandit: & terram in stillicidiis ejus lætantem, dum vicini lætantium parentum congratulabantur eis. Et primo quidem adventu in mun- D dum filii Dei sibi ædificantis domum præcursoris, unius in angusto Judææ loco suffecerit præconium. Sed nunc ante secundum adventum, cujus illustratione antichristus præcipuus princeps Babyloniæ destruendus, & templum ab illo destructum reconstruendum est, non unus puto sufficiet præco: sed ut in ore duorum testium stet omne verbum, duo testes, duæ olivæ, duo candelabra, duæ lucernæ ardentes & lucentes exiguntur ad fugandas tenebras per antichristum seminatas, & in toto mundo sparsas.

CXIX. De his duobus testibus & secundi adventus præconibus magni & sancti patres varia di- E cunt. Nam plures quorum beatus Gregorius est præcipuus, Heliam & Henoch asserunt corporaliter venturos, & cum antichristo pugnaturos, atque ab illo corporaliter interficiendos. Alii, quorum vir illustris Hieronymus est præcipuus, Moysen & Heliam duos jam designatos testes interpretantur, qui cum Domino in monte apparuerunt: quos & Malachias nominatim exprimit dicens; *Mementote legis Moysi servi mei, quæ mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & judicia. Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*. Locum hunc pertractans beatus Hieronymus ait in-

SÆCUL XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



ter cetera: “ Post Moysen, cujus mandata specia- A liter docuimus esse servanda, Heliam dicit esse mittendum. In Moyse Legem, in Helia Prophetiam significans, dicente Abraham ad quemdam divitem purpuratum; *Habent Moysen & prophetas: Audiant illos*. Et Dominus atque salvator transfiguratus in monte loquentes secum habet Moysen & Heliam in candidis vestibus, qui & dicebant ei quæ passurus esset in Jerusalem. Lex enim & omnis prophetarum chorus Christi prædicat passionem. Igitur antequam veniat dies Domini, & percutiat Dominus terram anathemate, sive omnino vel subito, ut septuaginta transtulerunt; hoc enim significat ἄρδην: B mittet Dominus in Helia; qui interpretatur Deus meus, & est de oppido Thesbi, quod conversionem & pœnitentiam sonat; omnem prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios: Abraham videlicet, & Isaac & Jacob, & omnium prophetarum, ut credant posteri eorum in Dominum salvatorem, in quem & illi crediderunt. Abraham enim vidit diem Domini, & lætatus est. Sive cor patris ad filium, id est cor Dei ad omnem qui spiritum adoptionis accepit; & cor filiorum ad patres eorum, ut & Judæi & Christiani qui nunc inter se discrepant, pari in Christo religione consentiant. Un- C de dicitur ad apostolos, qui seminarium in toto orbe evangelii prodiderunt: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*. Si enim Helias non cor patrum ad filios ante converterit & cor filiorum ad patres eorum, cum venerit dies magnus & horribilis; magnus sanctis, horribilis peccatoribus; percutiet verus & justus judex, non cælos nec eos qui versantur in cælo, sed terram anathemate, qui faciunt opera terrena. Judæi & judaizantes hæretici suum Heliam putant esse venturum & restituturum omnia. Unde & Christo in evangelio proponitur quæstio; Quid, quod *Pharisæi dicunt, quod Helias venturus est*? Quibus ille respondit: Helias quidem veniet; sed D si creditis, jam venit: in Helia Joannem intelligens. ”

CXX. Hæc dicente sancto Hieronymo, non est incredibile; sensu Judaico reprobato; Moysen & Heliam, Legem esse & Prophetiam: quibus jam diligenter expositis: & in omni auditorio totius ecclesiæ propositis, quicumque non obedierint, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei; neque si Helias corporaliter, ut Judæi & judaizantes putant, venerit, credent ei: neque si Henoch & Helias, qui ut beatus Gregorius ait, mortem distulerunt, non evaserunt, visibiliter appareant, ut cum antichristo pugnantes, & ejus tyrannidem toleran- E tes mortis debitum solvant, ut plures exspectant, credent eis, qui Moysen & prophetas non audiunt, qui catholicos doctores in spiritu & virtute Moysi & Heliæ loquentes contemnunt; qui de oppido Thesbi, quod interpretatur conversio vel pœnitentia, surgentes & suo exemplo alios ad conversionem & pœnitentiam provocantes, despiciunt & sequi nolunt. Hi denique non super flumina Babylonis residentes flendo in captivitate spirant; sed eisdem fluminibus immersi velut pisces, de reædificando nido sanctæ civitatis & templi non curant. Attamen hi qui super flumina Babylonis more avicularum sedent, nidum suum requirunt, canendo assidue: *Te decet hymnus, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem*. *Exaudi orationem meam*. Illis ergo incipientibus proficisci, ne desint præcones aut præcursores Moysi & Heliæ, vel Aggæo & Jeremiæ, vel secundum aliorum sensum, Enoch & Heliæ consimiles; in spiritu videlicet & virtute istorum loquentes & agentes; flumen Dei repletur aquis in viris omnino spiritualibus, & ut illi multiplicati abundent, in stillicidiis ejusdem fluminis rigata lætabitur germinans terra, secundum illius benedictionis gratiam, qua dictum est in principio: *Germinet terra herbam virentem, & afferentem semen, lignumque pomiferum secundum genus suum*. Nulla in hac enuntiatione mentio est vel spinarum vel tribulorum; quibus terra maledicta est post peccatum, Deo dicente: *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi*. Talibus in germinibus non lætabitur germinans terra peccato primi parentis Adæ polluta, propter verbum peregrinationis a diabolo per serpentem susurratum. Nam ex quo dictum est mulieri, *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos*; ita sunt multiplicata genimina viperarum, filii nequam, filii iræ, filii gehennæ, ut in eorum multitudine peregrina esset paucitas electorum: in quibus germinandis terra muliebris conditionis erat pene sterilis, multiplicatis ærumnis & conceptibus malorum filiorum, quos tamquam spinas & tribulos ultro germinavit maledicta terra illa feminea, pene sterilis bonorum & fertilis malorum germinum usque ad illum [1] *benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate* [a].

CXXI. Annus benignitatis est, quo apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos faciens per lavacrum regenerationis & renovationis, qui perditi eramus per fœditatem generationis, & culpam antiquæ prævaricationis. Unde etiam sanctus vir in benedictione dulcedinis præventus, qua benedixerat Deus ante peccatum primis parentibus dicens, *Crescite & multiplicamini & replete terram*; tamen conqueritur dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Sed quia incerta & occulta sapientiæ Dei Deo manifestante cognoscens, non ignoravit se de benedictione potius quam de maledictione ad mulierem facta in mundum venisse ad abolendas maculas carnalis conceptionis & generationis, prophetat sibimet ipsi lavacrum regenerationis dicens: *Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor*. Igitur iste licet natus ante annum benignitatis, pertinere se tamen demonstrat ad hunc annum fertilem, cujus tota corona per circulum suæ revolutionis est benedicta, & copiosæ ubertatis fructibus referta, secundum quod scriptum est: *Apprehendet messium tritura vindemiam, & calcator uvæ mittentem semen*. Quod est dicere: Tanta erit messium copia in horrea Domini congreganda, ut multitudine segetum considerata, sit rogandus Dominus mittere vel ejicere operarios multos in messem multam: quibus metentibus & triturantibus, præ nimia copia frugum prolongabitur opus metentium ac triturantium usque ad vindemiam, in qua calcator uvæ plurimæ diu occupatus apprehendet mittentem semen ad alterius messis præparationem. Qua tandem, finito & in se reducto anno benignitatis, colligentur omnia zizania usque ad illam messem toleranda.

a ψ. 12.

1. Videtur deesse aliquid vitio typogr. Forte legendum, *ad illud: Benedices coronæ anni &c.*

CXXII. Ecce sic benedicetur anni hujus corona, ut per totum ejus circulum redundet copia, nunc metentium seu triturantium, nunc vindemiantium vel uvas calcantium, denuoque seminantium, sine interceptione tam jocundæ agriculturæ. Tempus primæ messis illud intelligitur, quo dominus messis ait primis messoribus: *Levate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Item: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Tunc enim convertendæ non solum multitudinis credentium ex Judæis, quibus cor unum & anima una erat futura, sed etiam multitudinis gentium vivas aquas petentium, tempus instabat; quando ex occasione Samaritanæ unius conversæ, ac civium de illa civitate ad se venientium dominus messis ista loquebatur, qui tunc in hujusmodi primitiis totam gentium segetem quasi maturam ad messem contemplabatur, ad eamdem contemplationem vocans discipulos, quibus dixit: *Nonne vos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* Quo dicto quasi reprobato, *Levate*, inquit, *oculos vestros, & videte regiones quia albæ sunt jam ad messem. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Multi enim reges & prophetæ voluerunt videre quæ datum est videre apostolis, & non viderunt: sed aratrum longanimis exspectationis tenendo, messorem quidem comprehenderunt, quia usque in ipsius adventum fidei ac spei suæ oculos intenderunt, quibus & diem ejus videntes exsultaverunt a longe illum salutando, & completa est per eos prophetia dicens: *Comprehendet arator messorem.* Verum tamen ipsi non introierunt in messem, quia dies eorum velociores erant cursore, ut sanctus Job conqueritur. Ipse quoque ultimus orator Joannes baptista, qui manibus etiam corporalibus comprehendit baptizando ipse miles regem, servus Dominum; tamen ostendit sibi esse denegatum cum sanctis apostolis aliisque idoneis messoribus post Christum ambulare, atque calciamenta ejus portare in agro frugibus pleno, cujus odorem patriarcha Jacob a longe præsenserat. Sed nec ipse nec aliquis mortem Christi præcedentium granum illud vidit multiplicatum, quod necdum in terram cadens erat mortuum, quodque primi apostolorum oculi beati viderunt multum fructum attulisse, multiplicato & dilatato credentium numero usque ad ultimum terræ. Quod licet ipsi Abrahæ fuerit promissum, tamen oculis ejus non fuit præsentialiter exhibitum: quia nondum venerat annus benignitatis, cujus tota corona, totus circulus abundantia fructuum plenus est.

CXXIII. Sic ergo messores apostoli alienos labores introgressi multitudines gentium congregaverunt in horrea dominica. Et adhuc illis in tali messe manipulos colligentibus, comprehendit eos vindemia, & calcator uvæ primus Nero botros electos Petrum & Paullum, deinde ceteros ad passionum torcularia paratos & maturos calcavit. Sic post illum frequentata persecutione calcator uvæ non defuit, quoadusque mittentem semen comprehendit. Quia videlicet post martyrum dira certamina, in sanctis confessoribus atque doctoribus toto terrarum orbe multiplicatis, per manifestatas utriusque testamenti expositiones exiit qui seminat seminare semen suum. Et bonum quidem semen seminavit in agro suo. Sed cum dormirent homines ejusdem agri custodes, inimicus homo superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. At ubi zizania nimis prævalentia triticum suffocant, & sola ipsa occupare nituntur agrum Domini, non est caussa cur eis parcatur, sicut illic ubi utrisque simul crescentibus cavendum est ne dum eradicantur zizania, eradicetur simul & triticum illis intermixtum. Sic plurimæ sectæ pravæque doctrinæ ob hoc sunt eradicatæ ac judicio synodali damnatæ, quia simul cum illis triticum non potuit crescere. Secta vero clericorum sub nulla regula vel synodali vel cœnobitali viventium falce apostolica multotiens invenitur putata, ex quo tempus putationis advenit: quia enormitas vestium & ceterarum exordinationum decretis apostolicis a talibus resecatur. Sed nisi penitus eradicetur, & regula illa minime authentica in qua gloriantur, omnino condemnetur, bonum semen regularum sanctarum & paternarum traditionum suffocatur. Quæ denique necessitas est in præcipuis & matricibus ecclesiis profiteri clerum, se servaturum regulam in curia regis conflatam: quæ dum sanis patrum doctrinis est intermixta, & modico regalis concessionis fermento corrupta, quasi vinum felle mixtum, quod cum gustasset Dominus noluit bibere, sine dubio est repudianda suoque nomine privanda; ne videlicet nominetur canonica regula, quæ sacris canonibus invenitur contraria, & est in decretis Urbani papæ exinde omnino prædamnata.

CXXIV. Cum enim iste insignis martyr auctoritate apostolica suis decretis rebus ecclesiæ legem describat, secundum quam eas dispensandas esse constat; videlicet clericis communi vita viventibus & ceteris pauperibus, nullius momenti est regalis & laicalis potestas ad statuendum contraria. Quia ut Symmachus papa suis decretis affirmat, *laicis quamvis religiosis, nulla umquam legitur attributa facultas in disponendis ecclesiasticis.* Fuerit ergo sicut fertur, pius agnomento & re ille imperator Ludevicus, qui res cujusque matricis ecclesiæ communi vita viventibus & pauperibus destinatas distribui concessit divitibus, & de suo abundantibus. Pluris mihi est auctoritas apostolica in decretis Urbani papæ ac martyris de rebus ecclesiarum satis evidenter expressa, & sub interpositione damnationis ita firmata, ut nulli ne dicam laicorum, sed nec episcoporum sit liberum statutis ejus aliquid contrarium statuere. Ipse denique de præsignatis rebus ecclesiæ aliter quam ipse describit agentibus, judicium Ananiæ & Sapphiræ intentat cum tanto damnationis pondere, ut quod illi pro defraudatione rerum talium passi sunt in corpore, sequaces eorum patiantur in anima, cujus mors morte corporis magis est pavenda. Præmissa enim confirmatione communis vitæ in clero per matrices ecclesias, a tempore apostolorum usque ad sua tempora conservatæ, quam & futuris semper temporibus affirmat in eis conservandam, de rebus ecclesiæ dat sententiam in omni ecclesia servandam, & in nulla regum curia mutandam. „ Ipsæ, *inquit*, res singularum parochiarum in ditione episcoporum qui locum tenent apostolorum „ erant & sunt usque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus: e quibus episcopi & fideles „ dispensatores eorum omnibus communem vitam „ degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non „ ergo debent in alios usus quam ecclesiasticos & „ prædictorum Christianorum fratrum vel ingentium „ converti: quia vota sunt fidelium & pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum „ Domino traditæ. Si quis autem, quod absit, so-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

„ cus egerit; videat ne damnationem Ananiæ & „ Sapphiræ percipiat, & reus sacrilegii efficiatur.“

CXXV. Hæc dicente sancto Urbano, lex posita est ecclesiastico stipendio ex apostolicorum actuum principali exemplo: secundum quam legem qui voluerint & potuerint militare, accipere debent stipendium suæ militiæ. Quia vero non omnes capiunt hoc verbum, ut communis vitæ simulque continentiæ propositum nemini per violentas & iniquas angarias imponendum sponte arripiant qui computantur in clero, hujusmodi quoque fragilibus apostolica discretio condescendit, cum beatus papa Gregorius Augustino Anglorum episcopo scribens, postquam regulam vitæ communis a sanctis apostolis Christo auctore constitutam clero in congregatione viventi assignavit, & prædicto episcopo una cum sibi commanentibus clericis observandam commendavit, etiam de inferioris ordinis clericis idem beatus adjunxit; „ Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, & stipendia sua exterius accipere. Et „ quia de eisdem partibus de quibus præfati sumus „ novimus scriptum, quod dividebatur singulis prout „ cuique opus erat; de eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, & sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, „ & canendis psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis „ cor & linguam & corpus Deo auctore conservent.„ Notandum quia non sub canonica vel apostolica sed sub ecclesiastica regula clericos conjugatos tenendos affirmat sanctus Gregorius, quam succincte comprehendens, *bonis*, inquit, *moribus vivant*, *& canendis psalmis invigilent*, *& ab omnibus illicitis & cor & linguam & corpus Deo auctore conservent*. Hujusmodi clericis Christiana regula informatis, & extra congregationes foris accipientibus congrua stipendia, non confunditur congregatio in unum collecta ea confusione, quam invenimus in regula regis Ludowici: quæ cum sanctissima communis vitæ contineat multa instituta, tamen in hoc invenitur confusa, quod eisdem clericis quibus illic ordinantur cœnobia vel claustra, permittuntur quoque habitacula privata & propria. Quod quid est aliud quam opositio in adjecto, ut alterum destruatur ex altero; sicut cum dicitur animal mortuum; per id quod animali additur mortuum, consequitur tali adjecto animal destructum. Nam si est mortuum, non est animal, quia rei vivæ nomen est animal. Similiter cum disposito jam claustro claustrique portis & custodiis, ejusdem claustri habitatoribus domus privata & propria relinquitur, & quadam quasi pia condescensione pii regis indulgetur; tota claustralis dispositio confunditur & corrumpitur, tamquam si multo vino parum veneni addatur, ut illud væ damnationis æternæ suavius bibatur, quod scriptura indicat dicens: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis!*

CXXVI. Annon duabus viis incedunt, qui secundum concessionem talis regulæ congregationis instituta simul cum privatæ domus indulgentia suscipiunt? Est quoque illud reprehensibile in præfata regula, quod in primo ejus capitulo evangelica summæ perfectionis hortamenta, ut est, *Vade, vende quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me*, ceteraque his similia solis monachis assignantur, & per quædam inferiora baptizatis in Christo cunctis communiter servanda simul indistincte informantur clerici æque ut ceteri Christiani. Decet sane potius in aula regia, quam in sede apostolica fabricata esse talia documenta. Quoniam sicut scripsit rex Antiochus omni regno suo ut esset omnis populus unus; ita rex Ludevvicus, exceptis tantummodo monachis, clerum socians populo, scripsit, vel cuiquam ex capellanis suis clerico scribenti consentit & ipse omni regno suo, ut esset populus unus, fieretque sicut populus sic sacerdos. Meliora sunt ergo legis quam regis mandata, quoniam in lege tribus Levi legitur a reliquis tribubus omnino segregata, ac terrena hereditate privata: & benedictionem dans novæ legis lator, verbi sui ministros & dispensatores mysteriorum Dei voluit & docuit non solum a populo communis christianismi, sed etiam a cœtu spiritalis & monastici propositi segregandos; ita scilicet ut non omnes monachi fiant clerici, sed ex iis tantummodo electi & segregati quadam prærogativa sanctius inter ceteros conversandi.

CXXVII. Ideo Paullus apostolus segregatus in evangelium Dei gloriatur in Domino, se una cum Barnaba, sicut in actibus apostolorum legitur, in opus evangelizandi segregatum, non solum a sæculariter viventium & conjugio utentium laxo proposito; sed etiam a communi vita viventium stricto & quasi monastico instituto. Ministrantibus enim discipulis & jejunantibus dixit Spiritus sanctus; *Segregate mihi Paullum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos*. Proinde omnis doctrina conjungens quod Deus separavit, aut separans quod ipse conjunxit; ut præfati regis institutio separans a monachis clericos in sanctitatis proposito, quos Deus adjunxit, & quantum ad sacerdotale pertinet officium, superextulit, conjungens clericos populo quos ab eo distinguit sermo divinus, ut pastores bipedes erecto vultu supino a grege quadrupede in humum prono, ut nubes in alto volantes in terra deorsum jacente, ac de altis nubibus imbrem sitiente; omnis inquam talis doctrina similis est non fluminis, cujus impetus lætificat civitatem David, sed aquæ turbidæ, quam sicut legitur in Apocalypsi, misit draco de ore suo tamquam flumen post mulierem, quæ peperit masculum gentes omnes recturum, ut eam faceret trahi a flumine. Sed aperuit terra os suum, & absorbuit flumen adjuvando mulierem. Sic non solum in absorbenda hæretica doctrina os apertum est veram fidem adstruentium doctorum; sed etiam in absorbenda præfata regula turbidæ aquæ assimilata os terræ non semel apertum est. Sed adhuc flumen ejus non penitus est absorptum, vel manifesta damnatione cauteriatum, nec repudiatum prout oportet repudiari sacrificium, etsi recte oblatum, non tamen recte divisum, sed nimis confusum: dum in sanctitatis observantia clericis a monachis distinguuntur, & populo ab eis regendo nimis confuse junguntur.

CXXVIII. Multo rectius obtulit, rectiusque divisit Urbanus papa secundus de ordine canonico scribens regularibus clericis in hunc modum: “ Oportet nos qui licet indigni Petri residemus in „ loco prava corrigere, recta firmare, & in omni „ ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum „ prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. „ Omnipotenti ergo Domino, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quod vos „ estis qui sanctorum patrum vitam probabilem renovatis, & apostolicæ instituta disciplinæ in primordiis ecclesiæ sanctæ exorta, sed crescente ecclesia jam pene deleta, instinctu sancti Spiritus „ suscitatis. Duæ enim ab ecclesiæ sanctæ primordiis vitæ ejus filiis sunt institutæ: una qua infirmorum debilitas retinetur; altera qua fortio-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

,, rum virtus beata perficitur : una remanens in A
,, Segor parvula , altera ad montis altiora con-
,, scendens : una lacrymis & eleemosynis cottidia-
,, na peccata redimens, altera cottidiana instantia
,, merita æterna conquirens . Alteram tenentes
,, inferiorem terrenis bonis utuntur , alteram se-
,, quentes superiorem terrena bona despiciunt &
,, relinquunt . Hæc autem quæ a terrenis diverti-
,, tur, in duas pene unius ejusdem propositi divi-
,, ditur portiones, Canonicorum scilicet ac mona-
,, chorum. Harum secunda per divinam misericor-
,, diam frequentata satis jam sæculo universo elu-
,, cet. Prima vero decalescente fervore fidelium ,
,, jam pene omnino defluxit . Hanc martyr & pon-
,, tifex Urbanus instituit, hanc Augustinus suis re- B
,, gulis ordinavit , hanc Hieronymus suis epistolis
,, informavit , hanc Gregorius Augustino Anglo-
,, rum archiepiscopo instituendam præcepit . Ita-
,, que non minoris æstimandum est meriti hanc
,, vitam ecclesiæ primitivam , aspirante ac prose-
,, quente Domini spiritu , suscitare, quam floren-
,, tem monachorum religionem ejusdem spiritus per-
,, severantia custodire . ,,

CXXIX. Cum in his dictis Romani pontificis ecclesia tota suis ordinibus distincta cautissime describatur, nusquam in ea comprehenditur vita clericorum secundum regulam regis Ludevvici conversantium, vel potius eamdem regulam in potioribus in- C stitutis prævaricantium. Sic absorpti sunt juncti petræ judices iniqui, deformantes ordinem cleri antiquitus bene informatum, & super petram firmiter fundatum . Bibamus ergo de spiritali consequente nos petra , in Petri apostoli ejusque successorum purissima doctrina : & caveamus bibere de flumine turbido, quod misit draco de ore suo in omni seductione pestiferæ doctrinæ , qualis invenitur non solum in erroribus hæreticorum fidei sinceritatem commaculantium ; sed etiam in doctrinis hominum sæcularium christianæ conversationis puritatem prava confusione perturbantium , quæ Deus conjunxit separantium , vel quæ separavit conjungentium . Cum enim scriptum sit : *Moyses & Aaron in sa- D cerdotibus ejus* ; non incongrue transfigurato Domino in monte , per Moysen accipitur ordo clericorum , & per Heliam primum solitarium sacer ordo monachorum, quos duos in unius montis celsitudine sibi Christus utriusque ordinis auctor conjunxit, quos & in semet ipso evidenter expressit , cum jejunans in deserto quasi monachus fuit in silentio , & postmodum quasi pontifex erat cotidie docens in templo.

CXXX. De his duobus ordinibus insignis doctor Ambrosius loquens in epistola Vercellensibus missa, dicit inter cetera : " Duo hæc in attentiore Chri-
,, stianorum devotione præstantiora esse quis ambi- E
,, gat, clericorum officia, & monachorum institu-
,, ta? Ista ad comitatem & moralitatem & disci-
,, plinam, illa ad abstinentiam assuefacta atque pa-
,, tientiam . Hæc velut in theatro, illa in secre-
,, to. Spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus
,, athleta ait : *Spectaculum facti sumus huic mun-*
,, *do, & angelis & hominibus* . Dignus sane qui
,, spectaretur ab angelis cum luctaretur, ut ad bra-
,, vium perveniret, cum certaret ut in terris vi-
,, tam angelorum institueret, in cælo nequitiam an-
,, gelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitiis
,, spiritualibus. Merito mundus eum spectabat, ut
,, mundus eum imitaretur . Hæc vero vita in sta-
,, dio, illa in spelunca. Hæc adversus confusionem
,, sæculi , illa adversus carnis appetentiam . Hæc
,, subjiciens voluptates corporis , illa refugiens .
,, Hæc gratior, illa tutior. Hæc seipsam regens ,
,, illa semet ipsam coercens . Utraque tamen se
,, abnegans ut fiat Christi , quia perfectis dictum
,, est : *Qui vult venire post me*; & cetera . ,, Vides quomodo beatus Ambrosius ad perfectionis apicem sua doctrina informat tam clericorum quam & monachorum ordinem? Quod non facit illa regalis regula in domibus regum fabricata , & apostolicis doctrinis contraria , ut ostendunt præmissa Urbani papæ sanctique Ambrosii testimonia . Beatæ quoque memoriæ papa Paschalis contra præfatam regulam bene os suum aperuit in tractatu , quem canonicis sanctæ Mariæ in portu firmavit : cujus hoc est primum capitulum.

CXXXI. " Clericorum ordinem in ecclesia tri-
,, bus Leviticæ locum tenere , & apostolicæ digni-
,, tatis jura servare & officia gerere, nemo sanum
,, sapiens dubitat. Unde certum est eos Levitarum
,, & apostolorum regulas & vitas imitari debere ,
,, quorum noscuntur locum tenere, dignitatem ha-
,, bere, & officia gerere. Quæ enim lex Levitis,
,, & quæ a Domino regula datur apostolis , hæc
,, eadem catholicis pariter clericis usque in finem
,, mundi vices eorum supplentibus indicta nequa-
,, quam ambigitur . Equidem quod Levitis inter-
,, dicitur adhuc in umbra gradientibus , quomodo
,, nobis conceditur jam in veritate persistentibus ,
,, cum multa legamus illis fuisse concessa, quæ no-
,, bis proculdubio sunt prohibita ? Aaron itaque &
,, & filiis ejus ceterisque Levitis a Domino dici-
,, tur : *In terra filiorum Israel nihil possidebitis* ,
,, *nec habebitis partem inter eos . Ego enim pars*
,, *& hereditas vestra in medio filiorum Israel*. Et
,, paullo post subsequitur : *Filiis Levi dedi omnes*
,, *decimas Israelis in possessionem pro ministerio* ,
,, *quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis*. Et de
,, eisdem post pauca : *Nihil aliud possidebunt, de-*
,, *cimarum oblatione contenti , quas in usus eorum*
,, *& necessaria separavi*. Et hæc quidem in vete-
,, ri ; in novo autem testamento quid cuique sui
,, discipulatus perfectioni adhærere volenti dixerit,
,, audiamus. *Si vis perfectus esse , vade & vende*
,, *omnia quæ habes & da pauperibus, & veni se-*
,, *quere me* . Et alibi : *Qui non renuntiat omnibus*
,, *quæ possidet , non potest meus esse discipulus*. Et
,, in alio loco , cum ad prædicandum mitteret ,
,, prohibuit eis dicens : *Nolite possidere aurum vel*
,, *argentum* . Quod se Petrus implesse evidenter
,, ostendit dicens : *Argentum & aurum non est*
,, *mihi* . Hoc etiam ceteros apostolos fecisse testa-
,, tur idem Petrus , cum pro se & aliis condisci-
,, pulis suis interrogat Dominum dicens : *Domine,*
,, *ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*;
,, *Quid ergo erit nobis ?* Cui & in quo omnibus
,, idem facientibus respondens Dominus dicit :
,, *Amen dico vobis, quia vos qui reliquistis omnia*
,, *& sequuti estis me in regeneratione , cum sederit*
,, *filius hominis in sede majestatis suæ , sedebitis*
,, *& vos super sedes duodecim judicantes duodecim*
,, *tribus Israel . Et omnis qui reliquerit domum ,*
,, *aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut soro-*
,, *res , aut agros pro nomine meo , centuplum acci-*
,, *piet , & vitam æternam possidebit* . Hæc Levitis
,, & hæc apostolis mandata sunt. Utrisque una re-
,, gula, & eadem lex præcipitur : utrisque posses-
,, sio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui er-
,, go alii regula & lege ista tenentur nisi clerici ,
,, qui Levitarum Domini & discipulorum Christi

„ locum tenent, ministerium implent, vices ser- A vant, ordines habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum & perpetuo implendum ecclesiis suis pretia peccatorum, vota & oblationes fidelium, primitias ac decimas rerum dari Deus instituit: quatenus hi qui divino cultui mancipati propriis facultatibus expoliantur, sibi statuta perpetuo stipendia habeant unde vivant, ecclesiæ serviant, & pauperum necessitatibus subministrent, atque studiosius quæque sui ordinis ministeria impleant, nulliusque rei vel necessitatis occasione ab his umquam se separent, aut sæcularibus negotiis intendant. Ex his igitur patenter ostenditur, Christo militantibus clericis fore illicitum B & terrenas facultates tenere & res ecclesiasticas sumere; in sæculo patrimonium habere, & ecclesiasticam portionem suscipere. Cui sententiæ confirmandæ aptatur illud apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit*. Et illud Salomonis: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis*. Quapropter qui Christi discipulatum sequi voluerit, sæcularibus negotiis renuntiare debebit: & qui semel sacer effectus de sacro vivere cœperit, jam ad vivendum sacris uti præcipitur. Sed ne soli hoc super vita & regula catholicorum clericorum videamur C sentire; accedant & alii testes in idem consentientes, viri religiosissimi & scientia plenissimi, Hieronymus videlicet, Augustinus & Prosper, & quid super hoc dixerint vel intellexerint, audiamus. Hieronymus ad Nepotianum de vita & moribus clericorum inter cetera scribit dicens: Clericus qui Christi servit ecclesiæ, interpretetur primum vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim *cleros* græce, latine sors appellatur, propterea vocantur clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse sors, id est, pars eorum est. Et quia vel ipse clericus pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se D exhibere debet ut ipse possideat Dominum & ipse possideatur a Domino. Qui possidet Dominum, & cum propheta dicit: *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia: si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita & sacerdos vivo de decimis; & altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum & vesti- E tum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Et post pauca in eadem epistola scribit eidem dicens: Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarum quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? Hucusque Hieronymus. Augustinus autem in nonodecimo capitulo libri de verbis Domini sic scribit, dicens: Venerunt & publicani ad Joannem ut baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum; *Magister, quid faciemus*? At ille dixit eis: *Nihil amplius exigatis, quam quod constitutum est vobis*. Et post pauca: Interrogaverunt eum & milites; *Quid faciemus & nos?* Ait illis Joannes: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris*. Heic jam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur; sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici; verbi gratia, militibus & proctetoribus cunctisque rectoribus, & quicumque stipendia sibi publice data consequitur, si amplius quærit, tamquam calumniator & concussor Joannis sententia condemnatur. Et paullo post addit, dicens: Nam & clericus catholicus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino jubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur; hic magis negotiator videtur, quam clericus, & *cetera*. Quæ ut facta ejus loquerentur magis quam lingua, in domo ipsa episcopi statuit monasterium clericorum, ubi nemini licebat habere aliquid proprium, sicut ipse testatur, dicens: Volui habere in domo ista episcopi monasterium clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent? nulli licet. Si qui faciunt, faciunt quod non licet. Hæc Augustinus. Sed nunc quid inde beatus senserit Prosper audiamus: Proinde quem possidendi, *inquit*, delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creavit, expedita mente possideat, & in eo habebit quæcumque sancte habere desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; sit primitus ipse Dei possessio, & efficietur ei Deus possessor & portio. Et paullo post subjungit dicens: Quid ultra quærit cui omnia suus conditor fit? aut quid ei sufficit cui ipse non sufficit? Et post pauca in eodem capitulo: Quis, *inquit*, cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? Aut quis non præ amore illius omnia quæ putantur magna contemnit? Ergo qui Deum vult possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio: quia quamdiu sua non relinquit, mundo cujus bona retinet, servit. Et utique non potest mundo servire simul & Deo. Ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare propter quæ diligitur mundus, ut exclusa cupiditate mundi, divina in eis caritas possit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita, & sacrificia pro peccato, vel vota quæ sibi Deus jussit offerri sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit, ut devotissimo populo ministrante, ipsi creatori ac pastori suo liberius ministrarent. Hac usque Prosper. Nunc jam igitur ista de propriis facultatibus renuntiandis sufficiant. Quod autem, fratres carissimi, propriis etiam voluntatibus renuntiare debeatis, evidenter Dominus in evangelio ostendit dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & sequatur me. Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et qui perdiderit eam propter me, inveniet eam*. Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Et alibi sacra perdocemur scriptura: *Fili, avertere a voluntatibus tuis*. Nam sicut alibi dicitur: Voluntas habet pœnam, necessitas parit coronam. Et in alio loco præcipitur: *Post concupiscentias tuas non eas*. Quas qui sequuntur, quid de eis per prophetam dicatur, audiant: *Corrupti & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis*. Unde idem propheta voce prælatorum suscepta scribit dicens: *Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris*. His ergo exemplis fratres moniti, aliis pro Deo subesse non recu-

,, semus: sed prorsus nostris voluntatibus renuntiatis, Christi voluntatem alieno, sed spirituali ac discreto arbitrio exsequamur. Quod autem in unaquaque congregatione canonica unus eligendus sit, qui ceteris præesse debeat, & usus ecclesiasticus divinitus inspiratus exigit, & in veteri & in novo testamento evidenter ostenditur; cum Moysen & post Moysen Josue omnibus filiis Israel, & Aaron ceteris Levitis, Petrum quoque ceteris discipulis Dominus præposuit. Qualis autem esse debeat qui præfertur, trina Domini interrogatio & trina Petri manifeste monstrat responsio. Cum enim pascendarum ovium cura illi committitur, ter Dominus interrogat Petrum si diligat, & ter Petrus respondit quia amat, ter Dominus jubet ut pascat. Trinam igitur Domini interrogationem trina Petri de dilectione responsio; & trinam ejus responsionem trina pascendi gregis injunctio sequitur. Sed nunc quomodo trina dilectio in eligendis haberi debeat, videamus. Trinam itaque dilectionem ille habet, qui Deum & quæ Dei sunt mente credit & amat, voce confitetur & prædicat, opere imitatur & servat. Trina autem tunc fit interrogatio, cum sicut debemus exquirimus, prævidemus & discutimus, utrum eligendus hanc trinam dilectionem habeat. Quod si cordis fidem & dilectionem competens sermo & actus foris ostendat, trinæ interrogationi jam satisfecit trina responsio. Cui etiam bene ter pascendi gregis cura injungitur; quia quisquis oves pascendas suscipit, cordis jugi vigilantia prospicere, vocis officio monere ac defendere, & actuum exemplis semper eas ad Christum debet pertrahere. Illi ergo recte pascendi gregis cura injungitur, qui in mente plenam habet fidem & dilectionem interius, & in voce perfecte monendi, libere arguendi, prudenter exhortandi scientiam & possibilitatem exterius, & qui opere quæcumque loquitur servat & sequitur. Nec quisquam pro qualibet culpa si jam satisfecerit, in hoc officio recusandus est; cum & Petro post trinæ negationis lacrymabilem satisfactionem, quia trina in eum dilectio patuit, gregis a Domino injuncta sit pastio. Hæc igitur trinæ dilectionis forma, fratres carissimi, in primo pastore non ab alio quam a Christo præsignata in eligendis est prævidenda, non solum prioribus, sed & omnibus personis in ecclesia præferendis. ,, *Huc usque verba Paschalis papæ*.

CXXXII. Huic scripto in sede apostolica firmato & approbato subscripserunt primo Paschalis papa, deinde cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, quorum nomina sunt annotata: Crescentius Sabinensis episcopus, Petrus Portuensis episcopus, Cono Prænestinus episcopus, Vitalis Albanus episcopus, Bonifacius cardinalis sancti Marci, Deusdedit cardinalis sancti Laurentii, Desiderius cardinalis sanctæ Praxedis, Guido cardinalis sanctæ Balbinæ, Petrus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, Petrus cardinalis sancti Adriani, Rossemannus diaconus sancti Georgii, Comes cardinalis diaconus sanctæ Mariæ in Aquiro, Gregorius cardinalis diaconus sancti Angeli, qui postmodum effectus est papa dictus Innocentius, Joannes cardinalis diaconus sanctæ Luciæ.

CXXXIII. Quæ cum ita se habeant, si doctrina hæc apostolica uni tantum congregationi destinata, universaliter esset enuntiata, poterat inde absorberi aqua multa & turbida ex ore draconis emis-

A sa, cujus non modica lacuna est in illa regula sæpe notata, & adhuc Deo volente amplius notanda & cauterianda. Est enim regula ista ni fallor, quædam de illo flumine magno Euphrate collecta vel egressa exundatio, in qua puræ ac turbidæ aquæ Babylonica quædam est confusio. Quid enim purius quam quod in collectario sententiarum paternarum regulæ huic antepositarum vita communis apertissime declaratur, in qua solis illis quos necessitas aut voluntas pauperes fecit stipendium competens prout cuique opus est ordinatur: in qua etiam talis dispensator eorumdem stipendiorum commendatur, qui ut Prosper ait, vel omnia sua pauperibus distribuit, B vel ecclesiæ rebus adjunxit? Quid inquam purius hoc documento saluberrimo apostolicæ doctrinæ per omnia consono? Quid vero turbidius eo Saducæorum fermento, quo plenum est ejusdem regulæ illud capitulum quo præcipitur, ut in una eademque congregatione his qui multa sua possidendo divitiis affluunt, & his qui nihil vel parum habendo pauperes sunt, æqualia dentur stipendia? Sed ut jam dictus Prosper ait, *Habenti dare nihil est aliud quam perdere: quoniam quod habet ecclesia, cum nihil habentibus commune debet habere*. Magna utique perditio, & filio perditionis licet necdum revelato placita institutio agnoscitur, cum res pauperibus debita datur divitibus; & apostolicæ doctri- C næ forma non tenetur, cum divitibus & pauperibus æqua portio dari præcipitur. Quæ distributionis coæqualitas nec inter ipsos veros Christi pauperes in congregatione viventes admittenda est, quia non æqualiter omnibus victus & vestitus donandus est, cum non omnes æqualiter valeant. Et ideo pensata singulorum diligentia, prout cuique opus est in hujusmodi habenda est cautissima differentia. Quæ cum ita se habeant, super hujus doctrinam regulæ ira Dei de cælo recte creditur quandoque revelanda, & illa phiala iracundiæ Dei plena plenius effundenda, de qua legitur in Apocalypsi: *Et sextus angelus effudit phialam suam in flu-* D *men illud magnum Euphratem, & siccavit aquam ejus, ut pararetur via regibus ab ortu solis. Et vidi de ore draconis & de ore bestiæ & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum procedere*.

CXXXIV. Septem angelorum septem phialas iracundia Dei plenas post cantum septem angelorum septem tubas habentium legimus effusas, & tubis quidem sonantibus plagas magnas, phialis vero effusis plagas majores invenimus & novissimas, de quibus dici conveniat: *Ignis accensus est in furore meo, & ardens usque ad inferni novissima*. Ubi ergo sextus angelus tuba cecinit, soluti sunt qua- E tuor angeli qui alligati erant in flumine magno Euphrate, & plaga fuit corripiens populum Dei per quatuor principalia regna mundi sub quibus afflicti sunt Israel sive Juda per judicium Dei. Non fuit illa plaga de novissimis, in quibus consummatur iracundia Dei; quia non animas, sed corpora tradebat talibus angelis, id est regnis terrenis.

CXXXV. At vero phiala heic effunditur iracundiæ Dei in illud flumen, non ut solvantur tales angeli, sed ut siccaretur aqua ejus, & pararetur via regibus ab ortu solis. Ergo in aqua fluminis effunditur phiala iræ Dei. Et iccirco aquam talem oportet intelligi, cui rationabiliter dicatur deberi iracundia Dei. Alias autem cum & mare & flumina & fontes aquarum in sanguinem anteriores phialæ damnaverint; quid est quod flumen Euphra-

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169

tes propriam meretur phialam, nisi quia inter cetera mala quæ fiunt sub sole, malum quoddam aquæ fluminis hujus significatur? Est enim malum cujus damnatio in anterioribus phialis per quinque angelos effusis non invenitur, sed angelo sexto reservatur: quod heic & prius per aquas fluminis illius, & deinde per tres immundos spiritus in modum ranarum prorepentes significari recte intelligitur. Nimirum malum hoc trifidum est, & ejus partes sunt præstigia magorum, commenta philosophorum, figmenta poetarum? Eorumque profunda malitia & turbida loquacitas congrue per aquas Euphratis significatur: quia videlicet Euphrates Babyloniæ flumen est, & per eam fluens in multa capita dividitur, quæ ipso quoque nomine suo in scripturis significare solet universam generationem impiorum contrariam generationi rectorum; civitatem diaboli contrariam civitati Dei. Babylon quippe interpretatur confusio.

CXXXVI. Igitur postquam & super flumina fontesque aquarum phialæ effusæ sunt, effunditur & ista in Euphratem: quia cum damnationem sibi acquisierint tyranni vel reges impii cum nationibus sibi subditis, qui nomine maris, fluminum, & aquarum notati sunt, illi quoque ira debetur, qui illos dementaverunt erroremque illis auxerunt vaniloquiis, immo & scripturis suis malitiosis, mendacibus, fabulosis & omnino falsis, vel quod pejus est, veritate simul & falsitate permixtis: quomodo prænotata regula flumini Euphratæ paradisiaco simul & Babylonico magno ex parte assimilata. Sicut enim fluvius Euphates de fonte paradisi venam trahens originis, & pluribus adulteratus aquis extraneis fluit per medium Babylonis, illis videlicet aquis connumeratus, de quibus captivi cives Jerusalem dicunt: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus*; ita multotiens hæreticorum doctrina de fonte veritatis aliqua trahit testimonia, callide eisdem permiscet falsa, ut non tam civibus Jerusalem captivis, quam civibus Babylonis ad bibendum sapiat hujusmodi aqua. Similiter & illa de qua loquimur regula, de aula regis egressa, multa in suo contextu habet sana patrum documenta ex dictis orthodoxorum patrum decerpta vitam communem secundum apostolorum doctrinam apte informantia: sed illis præmissis adulterina quædam sunt admixta, quibus priorum puritas ita est infecta & turbata per nescio quos aulicos dictatores veris falsa, bonis mala permiscentes, & prioribus contraria docentes, ut veris civibus Jerusalem non sit magis aqua illa potabilis, eo quod arguitur admixtæ vanitatis, quam philosophorum vel poetarum vel etiam hæreticorum scripta, quæ multa continent vera falsis permixta. Si enim justo judicio Dei effunditur phiala iracundia Dei plena non solum in terram, quo nomine terreni; & super mare, quo nomine amari; & super flumina, quo nomine voluptuosi vel furiosi; & super sedem bestiæ, quo nomine mendaces notantur: sed etiam in solem, quo nomine homines clari, & pro specie pietatis ostentata, cælo digni videntur notari; si inquam, etiam in tales tam claros, tam altos effunditur phiala iræ Dei, secundum quod alibi legitur; *Effusa est contentio super principes, & errare fecit eos in invio, & non in via*, atque ideo etiam super talium impietatem recte revelatur ira Dei de cælo, non mirum debet videri, quod flumini Euphratæ non parcitur: quod quamvis de paradiso egressum, de platea Babylonis lutum collegit non modicum, in his potissimum

A doctrinis, quæ conscriptæ sunt ad placitum Babylonis civium seu principum. Et ideo super tales doctrinas merito ira Dei de cælo est revelanda, ut judicentur vel hæreticæ, vel apocryphæ seu pestiferæ ac mortiferæ, ne putentur scriptis authenticis & sanis connumerandæ.

CXXXVII. Scriptura enim sana, præcipue quæ nomen habet regulæ, nihil in se debet habere fœdum vel tortuosum, ne se sequentes non tam in viam rectam dirigat, quam in viam pravam deducat; ut prænotata regula non recte regens aliquem, atque ideo nomine regulæ indigna: contra quam nunc tantopere disputare illud cogit, quod etiam B quidam canonici vitam communem secundum regulam beati Augustini professi, ex interpositione sermone beati Augustini allecti, eamdem sic acceptant, ut in conventibus suis eam recitari faciant quasi authenticam, & nullius erroris permixtione infectam, non attendentes eam doctrinæ apostolicæ in multis contrariam. Proinde si placet apostolicæ discretioni ut aulica illa scriptura in ecclesiis matricibus teneatur pro clericorum canonica regula: primo ipsius prava in directa fiant, ut aulica edicta edictis apostolicis de clericorum vita efficiantur consona, decisis inde pravis, & reliquis auctoritate apostolica canonizatis. Quæ namque ra- C tio est, ut majores & plures clericorum congregationes regulam profiteantur aulicam nulla sedis apostolicæ auctoritate canonizatam, cum plura inveniantur patrum orthodoxorum scripta directissima, quæ pro sui rectitudine haberi possunt pro regula, tam ad informandam vitam clericorum in congregatione sub prælatis viventium, quam & eorum, qui foris positi secundum canones recte vivendi habent propositum sub regimine antistitum? Quod his duobus clericorum generibus amplius est, a malo est; & affirmante Isidoro, nec inter clericos religiosos, nec inter laicos catholicos censendum est.

D CXXXVIII. Et ut ad flumen Babylonis Euphratem respiciamus; hujusmodi clerici, exceptis paucissimis, non sicut aves nidi sui, quod est Jerusalem, in principio lætitiæ suæ memores flendo super flumina Babylonis resident, sed eisdem aquis velut pisces immersi, taliter in eis ludunt, ut numquam cogitent revolare ad illum Jerosolymitanæ cohabitationis nidum, in quo primis ecclesiæ filiis, tamquam bonis pullis erat cor unum & anima una in Deo, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat. Paucis igitur, ut dictum est exceptis, quibus animus est conversionis & reversionis in Jerusalem, plures eorum contemtis aquis Siloe quæ E fluunt cum silentio, plus diligunt flumina Babylonis, & aquas turbidas Deo volente per phialam sexti angeli omnino desiccanda.

CXXXIX. Cum enim septima & ultima phiala iracundia Dei plena effusura sit iram judicii in aerem, id est in aerias potestates, dæmones scilicet omnesque ipsorum complices, non ab re creditur hæc sexta sexti angeli phiala desiccans aquas fluminis Euphrates ultimum judicium præventura; secundum quod dictum est, *ut pararetur via regibus ab ortu solis*; quibus utique ad judicium tanto erit via planior, etiam nunc in præsenti vita, quanto viderint aquas Babylonicas magis desiccatas, quas nimirum præter paucas lacunas, videmus maxima ex parte jam annihilatas. Etenim antequam super aquas hujusmodi revelaretur de cælo ira Dei per



evangelium Christi, non poterant eas transire reges sancti, scilicet hi qui principes sive auctores fuerunt scripturarum veritatis, quales dicuntur recte venisse ab ortu solis, quia non venerunt aut loquuti sunt a semetipsis, sed ut loquerentur quod loquerentur acceperunt ab illuminatione divinitatis. Non poterant aquas illas transire reges isti, non poterant cum una lingua hebraica occurrere Græcis facundis disertisque Latinis grammaticis, rhetoribus, dialecticis, tot poetis tragicis, comicis, satyricis. Necdum enim flumen Dei repletum erat aquis, necdum rivos ejus inebriavit spiritus veritatis, & adhuc plenissime redundabant suosque alveos implebant flumina Babylonis: quorum est famosissimum illud flumen magnum Euphrates de paradiso egressum, & aliis multis aquis adauctum; quia veritatis quibusdam sententiis intermixta plura mendacia fabulosa ita sonuerunt, ut a vocibus aquarum multarum Babylonicarum in hujus mundi mare descendentium fierent mirabiles elationes maris, cum necdum appareret mirabilis in altis Dominus, nec testimonia ejus credibilia essent mundo tot mendaciis dementato & fascinato, tot aquis Babylonis fluminis inebriato.

CXL. At ubi venit ille Spiritus veritatis ut argueret mundum de peccato & de justitia & de judicio; nimirum arguendo id quoque effecit, ut siccarentur tantæ aquæ tanti tam magni fluminis. Stultam enim fecit hujus mundi sapientiam. Procedente namque sapientia Dei & rationem reddente de eo quod videbatur stultum Dei, quemadmodum apostolus dixit; *Nos autem prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam:* ex comparatione ejus stultum esse apparuit & aridum, quod eatenus grande videbatur & profundum. Quam vilis, quamque exsecrabilis & abjecta fuerit vel apparuerit illa talis sapientia sæculi in oculis eorum, quos veritas illuminavit, pulcre in sua persona insinuat Joannes cum dicit: *Et vidi de ore draconis & de ore bestiæ & de ore pseudoprophetæ spiritus immundos tres in modum ranarum procedere.* Spiritus immundos ait, id est sectas quasi sapientiæ & scientiæ magicæ, poeticæ, philosophicæ, quas contrarius Spiritui sancto immundus hujus mundi spiritus aspiravit. Spiritus namque immundos magi præcipue patronos quo nescio infelici quodam pacto asciverunt sibi. Poetæ vero sub nominibus honestis eosdem rogitant spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumtione deos appellantes, cum dæmones sint. Porro qui philosophis spiritus aspiravit, is quoque sine dubio immundus exstitit. Annon de illis apostolus dicit: Quia *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & evanuerunt in cogitationibus suis?*

CXLI. Et vide quantam usque ad immunditiam evanuerunt, qui servientes creaturæ potius quam creatori, propterea in passiones ignominiæ suæ, in desideria cordis sui, in immunditiam traditi sunt. Recte ergo dicuntur spiritus immundi. Porro draconis nomine diabolus, bestiæ vero appellatione bestiale regnum diaboli hoc loco recte designari intelligitur. Nam apud Danielem per quatuor bestias quatuor mundi regna principalia significantur, scilicet Babylonicum, Persicum sive Medicum, Macedonum, atque Romanum. De ore ergo draconis spiritus primus processit; quia magicam artem humana curiositas de confabulatione diaboli addidicit. De ore bestiæ sequens spiritus exivit; quia

A bestiali regno mundi hujus adulando humanæ mentis ignobilitas reges terrenos homines figmentis poeticis in Deos & in cælum stellarumque orbes translatos fabulosis næniis decantavit. Pseudopropheta philosophica quoque professio exstitit, quæ fanaticorum spurcitias deorum; verbi gratia, adulteria Jovis zelumque Junonis sororis & conjugis, & meretricia Veneris, & cetera talia; retulit ad elementa mundi, cupiens ea quæ jam erubescere poterant homines de diis suis quasi interpretationibus subornare allegoricis. Vere pseudoprophetæ talis quisque interpres exstitit: quia de corde suo prophetavit, & vane pudorem humanum consolatus est adulte-

B ria Deorum fictis & inutilibus adornando mysteriis, & in eo remanendo nihilominus ut serviret creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula, amen. *Vidi*, inquit, *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos.* Et addit adhuc: *In modum ranarum.* Nimirum ranæ & immundæ sunt & turpes, & exiguæ & quasi loquaces. In luto namque commorantes, importune & quasi cum garrulitate coaxando quietem auferunt. Congrua ergo assimilatio, dum ranis adæquantur vel similes perhibentur hi, qui sibi magni, & eloquentes videntur; verbi gratia poetæ, qui sibi magna sonare videntur: sed omnis eorum materia fabulosa lutum est, &

C magnitudo eorum inflatio est.

CXLII. Quapropter quoniam scientia illorum cum nulla sit, inflatur adversus scientiam Dei, pulcre satis eorum spiritui congruit illud de fabella Æsopi, ubi rana sufflando tentans se extendere ad magnitudinem bovis, dum conatur, & pellem frustra distendit, tandem ultra vires sufflando crepuit. Denique ubi nunc illi sunt grandiloqui, qui se extulerunt adversus veram magnitudinem scientiæ Dei? *periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet.* Quis enim loquacitati eorum hominum credit? immo quis eorum theologias tur-

D pes legens vel audiens, non irridet? Porro magi, quorum principes in Ægypto Jamnes & Mambres per incantationes suas coram Pharaone adversus Moysen & Aaron ranas eduxerunt, & ultra non valuerunt; modum recte dicuntur habere ranarum, ut eis similes sint quas contra Deum fecerunt, ultra quas eorum præstigia non valuerunt. Apostolo autem contestante quemadmodum Jamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & nunc homines reprobi mente corrupti resistunt veritati: *Sed ultra*, inquit, *non proficient: insipientia enim eorum manifestata est, sicut & illorum fuit.* Ultra inquam non proficient quam & illi profecerunt, qui exhibitis ranis ultra non potuerunt facere signa signis

E Moysi consimilia. Sic & hujus temporis quidam caussidici, & legistæ vel sophistæ, seu dialectici, vel potius hæretici sophistice loquentes, ideoque odibiles, contra legem divinam, quasi contra Moysen & contra sacerdotium legitimum & vere Leviticum, quasi adversus Aaron dimicantes, & regno Pharaonis contra regnum Dei faventes, cum in sua garrulitate ranis loquacibus & in luto coaxantibus æquabuntur, ultra non proficient. Insipientia enim illorum manifestata, & per sanctam scripturam confutata evidens erit, quod non de Spiritu sancto inspirata, sed per spiritus malignos & immundos conspirata sit loquacitas hujusmodi hominum veritati resistentium, & ipsam veritatem Dei in injustitia retinentium. Quasi enim captivam detinent veritatem sanæ doctrinæ circumventam suo mendacio,

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.

per spiritus malignos ita conflato, ut magna in eo inveniatur veri similitudo & bonitatis imago.

CXLIII. Unde confutari non possunt hujusmodi mendacia sine magno confligentium prælio, quale habuerunt martyres contra tyrannos idololatras ac templorum pontifices, quale nihilominus habuerunt sancti confessores contra hæreticos & reges in malo illis faventes, ac novissime in diebus istis viri religiosi contra simoniacos, conductitios, incestuosos, gyrovagos, vagos, dissolutos, oberrantes, aut quod pejus est irregulariter congregatos clericos prælium grande in tempore septimi Gregorii papæ habuerunt & adhuc habent; septem spiritibus nequam in aperte malis, & septem aliis nequioribus in ficte bonis contra vere bonos dimicantibus, & importuna loquacitate illos infestantibus. Unde cum dixisset Joannes vidisse de ore draconis, & de ore pseudoprophetæ spiritus immundos exisse, addidit in modum ranarum, & adjecit: *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei*. Vere inquam illos immundos dixerim; sunt enim spiritus dæmoniorum. Nam revera cum veritati sint contraria dogmata eorum, nulli dubium quin omnes magnitudines, immo inflationes ejusmodi sint aspirationes dæmoniorum. *Et procedunt*, inquit, *ad reges totius terræ, congregares illos in prælium*.

CXLIV. Primi hoc, ut sancta narrat scriptura, jam dicti malefici illi Jamnes & Mambres fecerunt. Processit enim qui in illis erat spiritus seductionis ad regem Ægypti, & fiducia signorum quæ faciebant quasi similia signis virtutis Dei, auxerunt stultitiam ejus, ut contra Deum pugnantem pro Israel auderent præliari. Tali vel simili modo ceteri malefici, poetæ, philosophi congregaverunt reges totius terræ; non quidem in unum locum, sed in unum eumdemque pessimæ voluntatis statum, ut præliarentur contra Dominum, ut præventi magna æstimatione illorum reges terræ dedignarentur aut negligerent magna æstimare miracula, quæ servi Domini facerent, vel mirari sapientiam quam prædicarent; quoniam & illi econtra mira facere, & magnifice ut sapientes loqui consuevissent.

CXLV. Omnium illorum qui sic veritatem Dei, ut Apostolus conqueritur, in injustitia detinent, similitudo processit in regno scisso quondam in domo David: ubi rex Jeroboam vitulos aureos excogitato consilio fabricavit, quibus & festivitates festivitatibus Dei similes constituit; ut hujusmodi quasi divina reverentia vitulis aureis exhibita detineret populum tali cultu fascinatum, ne in Jerusalem requireret Deum verum, vel reverteretur ad domus David regnum legitimum. Deceptor iste sic peccans in Spiritum sanctum contra propriam conscientiam, proprioque judicio condemnatus, nulla venia dignus est habitus. Verum deceptus ab eo populus magna ex parte ad pœnitentiam per sanctos prophetas est revocatus: quorum ille fuit præcipuus, quo prophetante atque clamante contra prædictum Jeroboam super altare stantem & sacrificantem, scissum est altare per medium, & effusus est cinis ejus. Propemodum simile est huic, quod hæresiarchæ vel schismatici proprio nunc judicio condemnati, peccantes non per ignorantiam, sed per malitiam in Spiritum sanctum, non habent ullum pœnitentiæ remedium: sed ab eis decepti aliquotiens emendantur, maxime cum sacrificia hujusmodi hæreticorum vel schismaticorum quasi cineri assimilata exsufflantur, ac Deo molesta esse manifestantur.

CXLVI. Cujus veritatis testes quam caute se ab interdictis abstinere debeant, ne videlicet cum hujusmodi post interdictum vel cibum sumant, illius prophetæ docemur exemplo, qui ab alio propheta deceptus, & comedens interdicta, leoni occidendus legitur traditus. Cavendi ergo sunt veris prophetis falsi prophetæ, ne per illorum seductionem decepti communicent interdictis, & incidant in os leonis qui circuit quærens quem devoret, cum tamen devorandi potestatem non habeat veros & bonos prophetas, etiam quando eos mordendi vel occidendi occulto, sed non injusto judicio Dei permittitur illi potestas. Etenim propheta prænotatus, quia deceptionem prophetæ mendacis non repulit, leoni datus est occidendus, non tamen devorandus, & ut creditur, hac ipsa morte fuit expiatus. Unde leo qui eum Deo irascente occiderat, jam Deo placato cadaver occisi & asinum quoque illius non tangens custodiebat. Nonnumquam in sede apostolica sive alia Moysi cathedra, exaltato per violentiam laicam quolibet simoniaco, subintruso vel superposito alicui catholico regulariter electo & provecto, hujusmodi emerserunt controversiæ, in quibus plurimum dementati sunt Ægyptii potentes & tyranni, per id quod in sua secta clericos habebant valenter literatos, & in identitate sacramentorum, tamquam in similitudine signorum gloriantes contra ecclesiam, cum ipsi essent extra ecclesiam: non attendentes vel attendere volentes, quod etsi extra ecclesiam sit locus veri sacramenti, non tamen nisi in sancta catholica ecclesia est locus veri sacrificii, ut beatus Augustinus asserit.

CXLVII. Tempore Petri Leonis schismatici, fautoribus ejus una cum ipso excommunicatis valde gloriantibus in identitate sacramentorum, tam apud ipsos, quam apud excommunicatorem ipsorum beatæ memoriæ papam Innocentium, cum essem tunc temporis in curia Romana, coactus sum plures de scripturis veritatis auctoritates colligere, quibus evidenter enituit, sacramenta quidem ritu ecclesiastico celebrata tam foris quam intus esse inviolabilia; sed in sacramentis extra celebratis non magis operari spiritum Christi, quam in signis magorum Ægyptiorum digitus Dei operabatur, qui tandem ipsis confitentibus in signis Moysi & Aaron claruit. Sic & in illa mea concertatione, astipulente mihi tunc venerabili viro beatæ memoriæ Gvvalterio archiepiscopo Ravennate, palmam obtinuit inter sententias multas id quod dicit papa Pelagius: "Schisma, *inquit*, ipsum quod græcum nomen est, scissuram sonat: sed in unitate scissura esse non potest. Non ergo unitati communicant. Partes sibi ipsi fecerunt, & ab eo quod unum est, ut apostoli Judæ verbis jam loquar, semet ipsos segregantes, spiritum non habent. Quibus omnibus illud efficitur, ut quia in unitate unum non sunt, ut quia in parte esse voluerunt, ut quia spiritum non habent, corporis Christi sacrificium habere non possint." Multa in hunc modum congessimus tunc in unum veridica patrum testimonia, quibus comprobatum & Eimerico tunc temporis cancellario satagente approbatum, extra ecclesiam celebrata Missarum officia, etsi habeant sacramentalia signa signis catholicorum similia, esse tamen irrita & vacua, utpo-



te neque Spiritum ſanctum neque corpus Chriſti habentia [1]. Præliati ſunt tamen & adhuc præliari non deſinunt contra iſtam veritatem veritatis inimici: quorum plures cum ſint uxorati vel concubinarii vel conductitii, ſacrificant licet interdicti. Et quia magnarum congregationum cathedrales clerici ſunt hujuſmodi conductitiorum conductores & protectores, non eſt leve prælium quod movent. Præliati ſunt ergo & præliari non deſinunt, perſequendo omnes qui in Chriſto pie vivere volunt: ſed malo ſuo, quia taliter congregati in prælium, congregabuntur in judicium. Unde cum dixiſſet heic congregare illos in prælium, addidit dicens: *Ad diem magnum omnipotentis*. Nam dies magnus omnipotentis dies erit judicii, ſine dubio magnus, ſicut propheta dicit: *Juxta eſt dies Domini magnus, juxta & velox nimis. Vox diei Domini amara. Turbabitur ibi fortis*, & cetera.

CXLVIII. *Juxta eſt*, ait ille: & verum eſt. Nam etſi aliqua mora videtur ex quo ille prophetavit uſque ad illum diem magnum omnipotentis; at certe prope eſt unicuique mors & præſentis vitæ finis, & neſcitur quando venturus ſit. Ait ergo confeſtim: *Ecce venio ſicut fur*. Malus ſervus dicit in corde ſuo: Moram facit Deus venire. Dominus autem dicit: *Ecce adſum*, *Cito venio*; additque, *ſicut fur*: videlicet negligentibus & dormientibus formidandus. Furis namque ſimilitudinem ipſe ſibi adhibere dignatus eſt, dum præmiſſo ſervis ſuis præcepto ut vigiletis, *quia neſcitis*, inquiens, *qua hora filius hominis venturus eſt*, ait: *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam*. Eadem intentione vel cauſſa, qua illic dicit; *Sint lumbi veſtri præcincti: beati ſervi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*; continuo & heic ſubjungit: *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus*.

CXLIX. Hoc propter magnum ſuum diem omnipotens intulit, quia promiſſum erat congregari reges terræ in prælium, in loco qui vocatur hebraice *Hermagedon*. Quos illos congregavit? Utique reges, quia de regibus congregatio iſta ſcribi cœpta eſt. Sunt autem heic diverſi, immo oppoſiti & contrarii reges. Nam de bonis regibus præmiſſum fuerat, ut pararetur via regibus ab ortu ſolis: de malis vero ſubjunctum; *Et procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium*. Quos ergo regum iſtorum congregavit in loco qui vocatur hebraice Hermagedon, vel quis congregavit illos in tali loco? Non enim ſingularem aliquam perſonam præmiſerat, neque aperte diſtinguit quos, malos an bonos congregaverit. Ergo dicere licet, quia bonorum & malorum congregatio heic illa præſignata eſt, de qua non ignoramus, quia cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, tunc congregabuntur ante eum non ſolum reges, ſed etiam omnes gentes illic in prælium mirabile congregabuntur: quia illic videlicet prælii bonorum & malorum mirabilis & horrendus finis ſtatutus eſt. Ille ſtatus recte deſignatur hoc nomine quod heic ponitur *Hermagedon*. Interpretatur enim Conſurrectio in

A priora, ſive Mons globoſus. Congregationem vero illam recte ſignificat, ubi & ſancti reges qui venerunt ab ortu ſolis in priora conſurgent, & ad judicandum ſedebunt; & mali reges, tamquam mons globoſus, tollentur cum diabolo ſuo principe: quia tunc revera dicetur monti huic; *Tolle te, & mitte te*, non jam in mare, ſed in profundum gehennæ. Nunc priuſquam veniat illa dies magna, in qua ſancti reges univerſi univerſaliter conſurgent in priora; iidem reges quique ſuo tempore in anteriora extenti, & obliviſcentes quæ retro ſunt, in anteriora conſurgunt. Cujus rei ſpectaculum jocundum cum late per Dei gratiam pateat, maxime in ſucceſſoribus beati petri oculos bonos de-
B lectat, & oculos malos cruciat.

CL. Pontifices enim Romani cum privilegia eccleſiis ſupra petram fundatis vel fundandis donant, Petri apoſtolorum principis auctoritate illa præcipue inſtituta roborant, quæ fundamento eccleſiæ primitivæ concordantia judicant. Unde ſi aulica iſta inſtituta in ſæpe notata regula inſtitutis apoſtolicis poſteriora proferantur in medium cum prioribus & melioribus illis trutinanda in ſede apoſtolica; non dubium priora illa illic approbanda, & poſteriora iſta prioribus contraria omnino eſſe reprobanda. Nam etiamſi poſteriora iſta de anterioribus habeant quædam ſibi immixta in prænotata regula, neceſſi-
C tate tamen cogente ſic eſt aliqua damnationis uſtione cauterianda, & velut aqua fluminis Babylonici deſiccanda, ut in matricibus eccleſiis hujus aquæ inundatione occupatis præparetur via regibus ab ortu ſolis: aut ſi hoc ſemel & ſimul non poteſt fieri, attamen tam tortuoſa regula demonſtretur eſſe aqua Babylonica flumini Euphratæ aſſimilata cum paradiſiacis aquis lacuna Babylonis intermixta, & ideo cavenda, ne in ea propter bonas patrum ſententias in unum congeſtas, etiam illud recipiatur, quod eiſdem penitus adverſatur. Ut enim de ceteris taceamus, eſt illic ſermo beati Auguſtini dicentis: *Nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium. Si qui habent, faciunt quod non licet*. De-
D inde quaſi licitum quædam regali ut dicunt pietate ibidem conceditur, ut res propria & domus privata contra doctrinam beati Auguſtini præmiſſam poſſideatur. Quod conceſſum ſancta ſedes apoſtolica non recipit, ſicut in præmiſſis Urbani papæ & martyris, item Urbani papæ ſecundi & papæ Paſchalis evidenter claret. Item Nicolaus & Alexander pontifices Romani, quaſi ex uno ore præcipiendo ſtatuerunt, ut ſacrorum ordinum clerici ſtatutis patrum de continentia obedientes, juxta eccleſias quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos, ſimul maneant, manducent & dormiant: neque privata illis concedunt habitacula, ſolis conjugatis clericis a beato papa Gregorio indulta, & caſte in con-
E gregatione viventibus omnino interdicta, utpote in quibus eſt occaſio multa pravitatum & turpitudinum. Quod non ad plenum perpendiſſe vel in ſua regula præcaviſſe pium regem Ludevvicum non eſt mirum: quia non regi vel imperatori, ſed Petro piſcatori data eſt auctoritas confirmandi fratres, Domino dicente: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum*.

1. Si ſacramenta ritu eccleſiaſtico etiam foris celebrata *inviolabilia ſunt*, ut paullo ſupra Gerhohus ipſe conceſſit: intelligi vix poteſt, quomodo in ſacrificio foris peracto Chriſti corpus non habeatur, cum præſertim & ſacramentum & ſacrificium uno eodemque actu celebretur. Itaque hæc vel de illis intelligenda ſunt qui ordinationis vitio in hæreſi ſacerdotio carent, vel de fructu ipſo ſacrificii accipienda, qui certe hæretico ſacrificanti pro hæreticis nullus eſt. Idem cum proportione dicendum de ſacrificio mali ſacerdotis pro conductitiis &c.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.

CLI. Inter portas inferi, quas patribus exponentibus accepimus esse pravas doctrinas vel tyrannicas violentias, non absurde possumus computare supradictæ aulicæ regulæ pravam doctrinam, tanto periculosiorem, quanto illi secretius latent pestifera venena multo salubrium doctrinarum circumlita melle, dum sanctorum patrum sanis institutis opposita & intermixta est illa concessio regalis, qua conjungitur domus ad domum, & ager agro copulatur. Si enim docente propheta, Væ his qui conjungunt domum vel agrum sæcularem domui vel agro sæculari cupiditate avaritiæ; quanto magis qui contra interdicta legis divinæ domui vel agro proprietatis suæ, unde sibi sufficienter abundant, jungere audent domum vel agrum, unde pauperes nihil habentes, ut Deo expedite servientes debent vivere? Dubitari poterat aliquando hanc regulam inter portas inferi deputandam, quando sub ea in multis ecclesiis erat honesta conversatio, & religionis canonicæ saltim umbra qualiscumque, propter habitas & usitatas vitæ claustralis quasdam formulas; quæ quasi vectes erant ejusdem portæ, quamdiu tenebatur in consuetudine. At nunc eisdem vectibus abjectis, & valvis omnino patulis nullo repagulo tardante, neglectis claustralibus habitaculis, luxuriose nimisque irreligiose vivitur in domibus privatis, & gratia Dei transfertur in luxuriam, & sacræ militiæ stipendio militatur diabolo. Nam etiam illi qui communi dormitorio & refectorio aliquotiens utuntur, & interdum quando & quantum eis libet in cubilibus suis propriis morantur, in alternatione tali patentes inveniunt sibi portas infernales; quibus utinam! sublatis eleventur portæ cælestes & æternales, disciplinæ videlicet regulares & vere cœnobitales, absque omni fictione ac fermenti totius intermixtione.

CLII. Cum enim tria fermenta cavenda sacrum doceat evangelium, Pharisæorum, Saducæorum & Herodis; in bene dispositis claustris neque Pharisæorum placent phylacteria immoderatum rigorem præferentia, neque Saducæorum laxa dissolutio in qua nulla est ad resurrectionem digna præparatio, neque dominatio Herodiana, in qua regnat superbia cum sævitia. Etenim theologo Joanne asserente, omne quod in hoc mundo est, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia est vitæ, in qua est concupiscentia in hoc sæculo dominandi. Ex tribus istis concupiscentiis, illa quæ est oculorum, subest in phylacteriis ac fimbriis magnificis ceterisque ostentationibus Pharisæorum. Illa vero quæ est carnis, principatur in conviviis ceterisque luxuriosis dissolutionibus Saducæorum, spem resurrectionis minime habentium. Porro illa quæ est in hoc sæculo dominandi, tyrannizat in hominibus ambitiosis, vel dominantibus in hoc mundo, vel quod pejus est, etiam dominantibus in clero. Quo contra boni & religiosi homines contra Saducæorum fermentum sobrie, contra Pharisæorum juste, contra Herodis pie vivunt in hoc sæculo, exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Jesu Christi. Cujus ex quo apparuit benignitas & humanitas, benedictio parata est coronæ anni benignitatis, & campi ejus replentur ubertate, bono semine in filiis regni multiplicato eo copiosius, quo semen filiorum gehennæ ab homine inimico superseminatum, & usque ad vicinam messis ultimæ imminentiam toleratum, quamdiu erat adhuc teneritudo utriusque germinis; nunc ubi hoc salvo tritico fieri potest, ab angelis messoribus a tritico separatur cautius & diligentius. Primæ ut præmissum est, mes- A sis in hoc anno benignitatis messores, erant apostoli a Domino in labores aliorum introducti. Ultimæ hujus messis, de qua nunc agitur, messores erunt angeli, ut se habet assertio evangelica; Domino docente, quod ager est mundus, bonum semen filii regni, zizania filii gehennæ, messores angeli: per quos primum zizania sunt colligenda in fasciculis ad comburendum, & deinde triticum congregandum in horreum Domini.

CLIII. Quæ omnia ultima quidem ventilatione in magna virtute per angelos creduntur itaut prædicta sunt effectu manifesto complenda. Verumtamen quia *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & B legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*; non absurde creditur & speratur, per sacerdotum quædam angelica ministeria etiam nunc ante finem sæculi talia fieri ex parte, cum scriptis luculentis pravi mores tamquam zizania fasciculis alligata igne infernali demonstrantur puniendia; & boni mores tamquam grana triticeæ messis ostenduntur cælesti præmio remunerari debere. Quod in libris moralibus beati papæ Gregorii clare invenitur: qui sciens reprobare malum & eligere bonum, vitiis & virtutibus morum caute ab invicem discernendis bene invigilavit loquendo & scribendo, quia angelus Domini exercituum erat, C contra phalangas vitiorum caute ordinans exercitus morum & virtutum.

CLIV. Similiter & reliqui pastores & doctores catholici probantur esse angeli messores, vel sicut jam diximus, vitia & virtutes tamquam zizania & triticum separantes, vel filios gehennæ a filiis regni sic distinguentes, ut eorum vel sermones audiens vel scripta legens evidenter agnoscere valeat, utrum malum in aliquo sit ordine catholicorum, sive monachorum sive clericorum Deo ita militantium, ut merito habitare debeant in æternis tabernaculis; sive laicorum qui talibus taliter militantibus ita obediunt, & de mammona iniquitatis be- D ne faciunt, ut cum defecerint, ab ipsis quos obediendo & bene agendo sibi amicos fecerunt, recipiantur in æterna tabernacula; dum qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Sed in recipiendo prophetam, cavendus est pseudopropheta; in recipiendo justum, cavenda est falsa justitia. Et ideo necessaria est messorum diligentia separans a granis zizania, ne pro bonis recipiantur mala, pro veris falsa. Quia enim de duobus nunc ordinibus loquimur, clericorum videlicet & monachorum, quos amicos facere de mammona iniquitatis expedit hujus mun- E di divitibus, recipiendo in clerico prophetam & in monacho justum: ne in nomine prophetæ falso vel in nomine justi falso quis decipiatur; clericorum & monachorum quidam sic inveniuntur cauteriati, & nomine prophetarum sive justorum sic privati, ut nemo nisi fatuus eos recipiat in nomine prophetæ vel justi.

CLV. Beatus Benedictus in regula sua quatuor genera monachorum designat: quorum duo sub nomine justorum approbat, cœnobitarum videlicet sub regula & abbate militantium, & anachoritarum seu eremitarum solitudine gaudentium & jugitate orationis fruentium. Duo vero monachorum genera deterrima omnino reprobat; Sarabaitarum scilicet sine regula & abbate inordinabiliter viventium, & gyrovagorum per varia loca discurrentium. Quis ergo istos a tanto messore abjectos putet sub nomi-

ne justorum censendos vel recipiendos? Perditur eleemosyna talibus data, ex quo eorum conversatio cognoscitur nomine justitiæ privata. Similiter in clero sunt designata genera in nomine prophetarum suscipienda, videlicet communiter viventium, secundum laudabile discipulorum Christi exemplum, quibus erat cor unum & anima una in Deo, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat; vel secundum canones in ecclesia se populumque regentium, neque terminos a patribus constitutos transgredientium, vel transgredi sinentium, & more speculatorum superventuros hostium incursus præcaventium, quorum cuique dicitur: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Item: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem. Exalta, noli timere.* Isti sunt custodes super muros Jerusalem constituti, ut die ac nocte non taceant. Isti sunt septem angeli cum septem tubis, aut septem phialis in Apocalypsi demonstrati. Isti sunt septem stellæ septem ecclesiarum, & septem candelabra aurea cum septem lucernis ardentibus & lucentibus in conspectu Domini. Sed linum fumigans in sacerdotio falso multas habet manerias, pseudoclericorum videlicet acephalorum, simoniacorum, conductitiorum, Nicolaitarum, & irregularium conventiculorum; quos ubi manifesta est insipientia eorum, suscipere in nomine prophetarum desipere est, maxime nominatim proscriptos, ut manifeste incestuosos & conductitios a sede apostolica non semel interdictos. Porro conductores eorum, quia & ipsi domum Dei domum negotiationis faciunt, nec ipsi in nomine prophetarum sunt recipiendi, sed arguendi & monendi, atque si redarguti non resipuerint, neque se alienaverint ab hoc negotiationis fermento, ipsi conductores cum suis conductitiis pari sorte censendi, & quasi transgressores canonum publici publice arguendi & cavendi.

CLVI. Velim heic esse commonitos quosdam episcopos & abbates, qui sub nomine plebanorum pallìant fœditatem conductitiorum suorum. Conductitius enim est procurator plebis vel minister altaris, qui canonica portione minus accipiendo, subjectione indebita munus ab obsequio suo conductori persolvit. Quam speciem simoniæ beatus papa Gregorius damnat aperte simul cum ea, quæ fit per munus a manu, vel per munus a lingua. Quod si abbas episcopo concedente curam agit alicujus ecclesiæ, potest illic unum de suis fratribus ponere, cui tamquam cœnobitali religione adstricto, nulla in decimis & oblationibus assignetur portio canonica, sed illa circa eum servetur dispensatio apostolica, qua distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat. Qui vero sine lege claustrali sub lege sunt canonum, sive ab episcopo, sive ab abbate, vel præposito in ecclesiis plebalibus ponantur; secundum canones ibidem stipendiandi sunt, quia dignus est operarius cibo & mercede sua: quam si ordinatori suo ad hoc remittit, ut ipse qualitercumque oves non tam pascat quam furetur & mactet & perdat; quia de turpi lucro suo magis quam de ovibus curat, non est mirum si oves illum non sequuntur, sed ab eo fugiunt, quia non noverunt vocem alienorum. Neque vero hujus perfectionis in se aliquo modo suspicandæ materiam præbent, qua sine sumtu evangelium prædicans apostolus multis est mirandus & paucis imitandus, maxime jam ordinatis ecclesiis & ecclesiasticæ militiæ stipendiis, quibus apostolus absque sumtu prædicans intendebat ordinandis. Proinde inordinata conductio potius quam ordinata institutio nominanda est hujusmodi clericorum subjectio indebita, quæstui alieno laborantium, & de hoc ipso aliquotiens murmurantium, quod stipe suo labori debita fraudantur: de qua ipsis videntibus & invidentibus alii parum vel nihil laborantes convivantur & ditantur.

CLVII. Et quidem nimis detestanda est jam notata simoniæ species in inferioribus personis, utpote sua propria damnatione contentis. Verum in episcopis clericorum ordinatoribus grande imminet periculum sanctæ Dei ecclesiæ, judicante papa Nicalao, ut quicumque se ordinari permiserit ab eo quam simoniacum esse non dubitat, una cum ordinatore suo non disparem damnationis sententiam subeat, & uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus a propria dignitate persistat. Et quidem non æstimo de hac re sententiam præcipitandam, sed apostolicam sedem consulendam, utrum præscripta conditionis pactio vel actio simoniacæ pestis vocabulo sit notanda, vel mitius nominanda, cum tamen scripta beati Gregorii papæ diligenter inspecta satis ostendant quo nomine tales negotiationes censeri debeant. Verum ne videamur præjudicia facere judicibus ecclesiæ, non indecens est a successore Petri super talibus consilium quærere primo sine personarum proditione, ut parcatur eorum famæ, sed consulatur cautelæ, si forte audientes talia in sede apostolica improbari, & cauterio simoniacæ pravitatis notari, studeant ab his ante proditionem suæ personæ cito emendari; hoc scientes quod hæretica nota simoniæ forsitan carebunt, si perperam gesta malunt pœnitendo in posterum cavere, quam defendendo suosque monitores persequendo augere. Sicut enim beatus Petrus non recte incedens ad veritatem evangelii simulatione sua quosdam cogens judaizare, cum argueretur super hoc a minimo apostolorum, quia benigne recepit admonitionem & emendationem, dignus laude judicatur, neque ob talem excessum reprobatur ejus auctoritas: ita nimirum si episcoporum quis excedit in his, quæ simoniace fieri non attendit, & redargutus arguentem diligit, seseque in quibus debet corrigit; puto hunc non inimico homini zizania superseminanti comparandum vel cum illo damnandum: sed inter agricolas computandum, neque cum malis male perdendum, si filium Dei non persequitur in suis membris, & acquiescit sanis monitis, diligitque grana vera, & sustinet zizania; quo contra mali agricolæ diligunt ac fovent zizania, & graviter sustinent grana.

CLVIII. Sane heic non omittendum puto, eam consuetudinem satis esse tolerabilem, qua quidam religiosi abbates & præpositi ecclesiarum plebalium ad sua cœnobia pertinentium curas agunt per seipsos, neque assumunt sibi ad hoc ministerium coadjutores alios, nisi aut fratres suos regulariter institutos, aut clericos literatos secundum canonum saltem disciplinam sibi per obedientiam alligatos, ut non sit eis liberum vel ab eis recedere, vel sub eis dissolute contra synodales regulas vivere. Qui nimirum taliter astricti non dicendi sunt conductitii, sed adjutores altario servientes & de altario viventes, jugumque etsi cœnobitalis, tamen synodalis obedientiæ sub magistro probabili probabiliter ferentes. Hi nimirum si habentes de suo ministerio victum & vestitum his contenti erunt, non quærentes quæ sua sunt sed quæ Jesu Christi, dum

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

non ad aliud nisi ad ejus obsequium rebus ecclesiæ utuntur, inter bonos agricolas computari poterunt, etsi non in ordine apostolorum sua omnia relinquentium, tamen in ordine imperfectorum perfectis adhærentium, ipsisque utcumque obedientium, & eos adjuvantium ad agrum Domini excolendum. Vera siquidem grana ex distinctione fructuum suorum cognoscuntur, dum aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud affert fructum centesimum. Quod multi doctorum in dominica messe laborantium sic exponunt, ut in conjugum conversatione recta, & in viduarum seu continentium, sed non virginum castimonia, & virginum perfecta sanctimonia hos fructus intelligendos insinuent; eo quod nemo penitus extra hæc tria genera sobrie, juste ac pie viventium salvari poterit. Nutriuntur sane horum trium generum electa grana inter ipsa zizania, suo tempore sufferenda, & suo tempore auferenda. Quod qualiter fieri oporteat, evangelica nos doctrina patenter informat.

CLIX. Etenim ipse paterfamilias, seminis boni seminator, qui dicit: *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum, sinite utraque crescere usque ad messem*, ipse est rex regni cælorum, id est præsentis ecclesiæ vel congregationis sanctorum, in qua bono semini zizania, id est filiis regni filii nequam quos diabolus superseminavit, usque ad messem, id est usque ad consummationem sæculi permixti sunt. Illos tolerari jubet cum dicit: *Sinite utraque crescere usque ad messem*, cum sæpissime citius efflorescant & sublimius crescant, itaut summos honores in ecclesiasticis gradibus apprehendant: eo quod nihil noceat bonis permixtio malorum, quos ante messem pro tempore inviti sustinent, quia corrigere non possunt. Igitur quod præcepturus erat recte, & ut præceptorem decebat, prior ipse fecit, admittens Judam in illo sanctorum numero, quibus potestatem dabat ejiciendi spiritus immundos, & curandi omnem languorem omnemque infirmitatem; ut scias dona Dei pervenire ad illos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit is per quem accipiunt, qualis fuit & Judas.

CLX. Sciendum tamen, quia postquam, ut Lucas scribit, intravit in eum satanas, & abiit & loquutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus quemadmodum eum traderet illis, & gavisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit; jam nec ejiciendis spiritibus immundis, nec in languoribus aut infirmitatibus curandis illa potestate apostolica usus est: quippe qui sequenti die inter cœnandum per buccellam intinctam proditor designatus continuo exivit, & antequam eum quem tradiderat in crucem suspenderent Judæi, laqueo se ipse suspendit. Nec vero tam segnis patientiæ veros Christi apostolos fuisse arbitremur, ut postquam ille designatus est, si non exisset, communicare illi potuissent ut prius. Hæc idcirco dicimus, ut zizania, quæ inimicus homo semini bono superseminavit, non absque discretione rerum vel temporum toleranda esse, vel communionem illorum nihil obesse putemus. Cum adhuc esset Judas occultus fur, idque solus sciret Deus Christus, nihil apostolis oberat, quod eis communione vel potestate apostolica commiscebatur. At ubi deterrima ejus iniquitas actu prodiit, ut cum inimicis Domini & magistri sui pactum iniret proditionis & homicidii; ubi hoc hominibus notum fecit homo Christus, numquid rationi placet sine culpa potuisse fieri, ut deinceps illi diabolo aliqua communione homines fideles commiscerentur? Sic nimirum quamdiu quilibet filii nequam, quantalibet regno Christi faciant, ita agunt ut tamen sub specie boni, ac nomine Christiano tegantur, solusque quales sint noverit Deus, tolerandi sunt. At ubi manifesto convictos actu notaverit eo nomine, quo digni sunt, Christus qui in ecclesia loquitur, jam nec ratio nec veritatis regula patitur, ut cum ejusmodi vel cibum sumamus.

CLXI. Sic toleratus est filius ancillæ in domo Abrahæ una cum filio liberæ, donec prodita est ejus malignitas evidenti persequutione: qua perspecta, dictum est Abrahæ a matre libera; *Ejice ancillam & filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac*. Et quomodo tunc is qui secundum carnem, persequebatur eum qui secundum spiritum; ita & nunc. Apostolica enim communis vitæ regula per evangelistam Lucam descripta, jam Deo gratias post longam sterilitatem peperit electam & nobilem prolem; clerum videlicet regularem heredem universorum quæ habet ecclesia in spiritalis militiæ stipendium Deo & sanctis ejus oblata. Hunc videntes mali coloni dicunt apud se non recte cogitantes: *Hic est heres. Venite occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus*. Item: *Ecce somniator qui accusat fratres apud patrem crimine pessimo. Venite occidamus eum, & videamus quid prosint illi somnia sua*, quibus nostros manipulo suo posthabendos prædicat; cum divina officia ob crimina pessima simoniæ vel apertæ mœchiæ, ut asserit, nobis interdicta vilipendit, suumque ac sibi similium, sicut dicit, rationabile obsequium in divinis officiis plus justo magni pendit. *Venite*, inquiunt, *occidamus eum, & videamus quid prosint illi somnia sua*. Quasi vero pro somniis inanibus & vacuis habenda sint sedis apostolicæ interdicta vel mandata: quæ utique in tantum firma sunt & rata, ut illis cælum claudentibus non descendat ros aut pluvia, nisi juxta oris eorum verba, quibus in beato Petro data est potestas judiciaria. Plura istorum interdicta quasi cæli clausuras possemus demonstrare, sed unum heic sufficiat commemorare.

CLXII. *Gregorius* [1] *episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri Ottoni Constantiensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.*

„ Instantia nuntiorum tuorum festinanter redire „ volentium non permisit, nos fraternitati tuæ quæ „ in Romana synodo constituta sunt seriatim inti„ mare. Hæc tamen necessario tibi scribenda fore „ arbitrati sumus: Nos juxta auctoritatem sancto„ rum patrum in eadem synodo sententiam dedis„ se, ut hi qui per simoniacam hæresin, hoc est, „ interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum „ gradum vel officium promoti sunt, nullum in „ sancta ecclesia ulterius ministrandi locum habeant. „ Illi quoque qui ecclesias datione pecuniæ obti„ nent, omnino eas perdant; nec deinceps vende„ re vel emere alicui liceat. Sed nec illi qui in „ crimine fornicationis jacent, missas celebrare, „ aut secundum inferiores ordines ministrare altari „ debeant. Statuimus etiam, ut si ipsi contemto„ res fuerint nostrarum, immo sanctorum patrum „ constitutionum, populus nullo modo eorum offi„ cia recipiat; ut qui pro amore Dei & officii di„ gnitate non corriguntur, verecundia sæculi & „ objurgatione populi resipiscant. Studeat igitur

1. Gregor. VII.



„ fraternitas tua sic se in his nobis cooperatricem A „ exhibere, seu crimina ista de ecclesiis tuis radi- „ citus evellere, quatenus boni pastoris meritum „ apud Deum valeas obtinere, & Romana ecclesia „ de te sicut de bono fratre, & studioso cooperato- „ re debeat gaudere. „


CLXIII. Interdicta hæc illisque similia servantibus, magna imminet infestatio ab eorum transgressoribus, maxime alta loca & officia in ecclesia tenentibus. Cum ergo tali persequutione claruerit quæ pars moveat, & quæ sustineat injustam violentiam, dignum est ut quasi filius ancillæ, atque ut vere schismaticus projiciatur, qui non jam cum Juda B fure adhuc occulto insidias machinatur, sed cum eodem jam detecto per manifesta furoris ac tyrannidis molimina contra bonos debacchatur, & odio maligno non solum quos scit, sed etiam quos putat bonos persequitur, neque cum ipse sit lolium, secum in eodem agro sinit crescere semen bonum; quod si una secum in eodem agro æquanimiter ferret, ferendus & ipse esset. Verbi gratia, si quolibet clerico irregularis congregationis mortuo, vel juste deposito, paterentur hoc residui ut in locum decedentis alter succederet, qui relictis propriis in claustro viveret, quoadusque filiis Annæ multiplicatis, filii Phennenæ omnino deficerent, dum sterilis C pareret plurimos, & quæ multos habebat filios infirmaretur; possent portari talia portantes, & stipendia sua exterius accipientes, atque etiam si sacris ordinibus carerent, legitima conjugia sortientes, & sub christiana regula vivendo, ut beatus Gregorius dicit, cor & linguam & corpus auctore Deo ab illicitis custodientes. Neque vero inter sic viventes aliqui censentur esse zizania, nisi qui non diligunt meliorum & communiter viventium sanctius propositum; quod qui in se non habentes, in aliis diligunt, aliorum bona diligendo sua faciunt. Qui autem bonos, vel quos bonos putant, non ferunt, nec ipsi utique ferendi sunt. D

CLXIV. Qualiter autem zizania cognoscenda, tollerenda vel auferenda sint, beatus Augustinus unus ex electis messoribus in libro quæstionum evangelicarum clero describit dicens: „ Bene intelliguntur „ hæretici zizania in medio tritici, quia non so- „ cietate unius ecclesiæ vel unius fidei, sed socie- „ tate solius nominis christiani permiscentur bonis, „ ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius „ quam zizania deputentur. Inter hæreticos & ma- „ los catholicos hoc interest, quod hæretici falsa „ credunt, illi autem vera credentes non ita vi- „ vunt ut credunt. Solet autem quæri etiam schis- E „ matici quid ab hæreticis distent, & hoc inveni- „ ri, quod schismaticos non fides diversa facit, „ sed communis dirupta societas. Qui falsa de Deo „ credit, vel de aliqua parte doctrinæ quæ ad fi- „ dei pertinet ædificationem, ita ut non quærentis „ cunctatione temperatus sit sed inconcusse creden- „ tis, nec omnino scientis opinione atque errore „ discordans, hæreticus est, & foris est animo, „ quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim „ tales portat ecclesia, quia non ita defendunt fal- „ sitatem suæ sententiæ, ut intentam multitudinem „ faciant. Quod si fecerint, tunc pelluntur. *Item*: „ Quicumque invident bonis, ita ut quærant occa- „ siones excludendi eos, aut degradandi eos, vel „ crimina sua sic defendere parati sunt si objecta „ vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum „ segregationes vel perturbationes cogitent excita- „ re; jam schismatici sunt, & ab unitate corde

„ discissi, etiamsi non inventis occasionibus aut occultatis factis suis, sacramento ecclesiæ corpora- „ li conversatione socientur. Quapropter illi soli „ catholici mali recte deputantur, qui quamvis „ prædicant vera quæ ad fidei doctrinam pertinent, „ etsi quid forte nesciunt sed quærendum existi- „ mant, salva pietate discutiunt sine aliquo præ- „ judicio veritatis, & bonos, aut quos bonos pu- „ tant, amant atque honorant quantum possunt, „ tamen flagitiose facinoroseque vivunt, contra „ quam vivendum esse credunt; tales etiamsi pro- „ dantur aut accusentur, pro disciplina ecclesiæ sa- „ lutisque suæ caussa correpti, vel a communione „ suspensi, nullo modo a communione catholica si- „ bi recedendum esse putant, quocumque permissi „ fuerint satisfactionis locum quærentes, & aliquan- „ do per pœnitentiam mutantur in frumentum, „ aliquando sub nomine pœnitentium ita vivunt ut „ solent, aut multo minus, quidam etiam am- „ plius, nullo modo tamen a catholica unitate di- „ scedunt, quibus si mors obrepserit, paleæ depu- „ tantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt. „ Nam si aliter credunt & inconcusse tenent, jam „ inter hæreticos numerandi sunt. Boni catholici „ sunt, qui & fidem integram sequuntur & bonos „ mores. Quod autem ad fidei doctrinam perti- „ net, ita quærunt si quid quærendum habent, ut „ absit concertatio periculosa vel quærentibus, vel „ ei cum quo quærunt, vel eis qui disserentes au- „ diunt. Ita autem docent si quid docendum ha- „ bent, ut usitata, ut confirmata securissime & fi- „ dentissime & lenissime ut possunt insinuent; in- „ usitata vero, etiamsi veritatis manifestatione li- „ quidissima perceperunt, quærendi potius quam „ præcipiendi aut affirmandi modo, propter audien- „ tis infirmitatem. Si enim tantum pondus habet „ aliquod verum ut vires discentis excedat, suspen- „ dendum est, ut extendat crescentem, non im- „ ponendum ut opprimat parvulum. Unde est il- „ lud: *Filius hominis cum venerit, putas inveniet „ fidem in terra?* Aliquando etiam occultandum „ est, sed cum spe hortatoria, ut non faciat de- „ speratio frigidiores, sed desiderium capaciores. „ Inde est illud: *Multa habeo vobis dicere, sed „ non potestis portare modo*. Quod vero ad mores „ pertinet, hoc bene & breviter dicitur: Aut con- „ fligendum est cum amore temporalium bono- „ rum, ut non vincat; aut edomitus subditusque „ esse debet, ut cum surgere cœperit facile repel- „ latur; aut ita exstinctus, ut se omnino nulla „ parte commoveat. Ex quo fit, ut ipsam mor- „ tem propter veritatem alii fortiter obeant, alii „ æquanimiter, alii libenter. Quæ tria genera fru- „ ctus sunt fertilis terræ, triceni & sexageni & „ centeni. In horum aliquo genere inveniendus est „ tempore mortis suæ, si quis de hac vita recte „ cogitat emigrare. „

CLXV. Hæc dicente sancto Augustino facile cognoscitur terra bona, melior, optima, fructu tricesimo, sexagesimo, centesimo distincta. Quod si quis numerosius hominum genera salvanda voluerit distinguere præmissa tripertita distinctione; vel illa nihilo minus tripertita, qua duo in lecto, duo in agro, duo in pistrino monstrantur, quorum unus assumitur & alter relinquetur; mittimus eum ad prædicti patris volumina, in quibus de omni hominum maneria salvanda invenimus egregia & specialia opuscula. Nam ad instruendam vitam conjugum librum de bono conjugali; ad erudiendam castimoniam viduarum, librum de bono viduitatis;

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



ad consummandam perfectionem virginum, librum (A) de virginitate scripsit lucidissime, atque ad informandos milites & principes, librum scripsit ad Comitem. Porro ad informationes monachorum, librum scripsit de opere monachorum. De vita vero clericorum, scripsit regulam sermone succinctam, sensu copiosam, doctrinæ ac vitæ apostolorum per omnia consonam. Dum ergo doctoris hujus considero libros de ordinibus ecclesiæ distinctis distincte compositos, quasi quosdam ejus perpendo manipulos cum exsultatione messoris ante dominum messis portandos. Item beati papæ Gregorii scripta lucidissima, quædam sunt regulæ præclaræ de omnibus ordinibus totius ecclesiæ: dum & in libro pastora- (B) lis curæ clerum, & in dialogo suo vita patris Benedicti descripta instruit ordinem monasticum, & in homiliis, & epistolis atque scriptis moralibus cunctum docet populum christianum, secundum quod ei fuit injuncta sollicitudo omnium ecclesiarum.

CLXVI. Prædictorum ergo & aliorum patrum orthodoxorum doctrinæ, quædam sunt rectissimæ regulæ ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Unde ab his exorbitantes, necessarium est curari pœnitendi medicina. In qua tamen cavendæ sunt falsæ pœnitentiæ, quæ a nostri temporis messoribus Romanis pontificibus Gregorio VII. & Innocentio papa II. ita sunt ab agro dominico exterminatæ, (C) atque fasciculis comburendis alligatæ, ut eorum scripta & interdicta pensantes liquido cognoscere valeant, non magis valere falsam pœnitentiam contra peccatum actuale, quam falsum baptismum contra peccatum originale. Quod cum ita sit, recte movemur & dolore afficimur videntes in ecclesia Dei quosdam excommunicatos, vel interdictos, per falsam pœnitentiam, vel quod pejus est, per nullam admitti ad dominici corporis communionem laicam, vel quod pejus est Leviticam; quasi flammeus gladius ad custodiendam viam ligni vitæ positus omnino ita sit in diebus nostris exstinctus, ut ad illud pateat accessus ligno scientiæ boni & mali abuten- (D) tibus, ac pudenda sua tegentibus, vel quod pejus est, peccata sua etiam manifesta defendentibus. Multos hac tempestate videmus cum Herode vel Herodiade illicita præsumentes, & paucos cum Joanne talia redarguentes.

CLXVII. Et ut a bonis exempla summamus; multi reges & principes exemplo David regis peccant, sed pauci exemplo ejus emendant. Multi pontifices & sacerdotes exemplo Petri cadunt, sed pauci exemplo ejus resurgunt. Multi animales spiritum non habentes, & omnino inordinate viventes, nulla regula vel cœnobitalis vel saltem christianæ religionis utentes, manifeste semet ipsos a (E) corpore Christi segregant, ita ut nec speciem in se alicujus boni membri ostendant; & tamen eidem corpori sacramento tenus nemine prohibente communicant: aut quod pejus est, idem corpus immolant atque dispensant. Unde non immerito etiam a quibusdam illiteratis jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, & pauci sunt qui dicere valeant vel dicant cum apostolo: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Item: *In omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum*. Solummodo gladiis & fustibus, minis & terroribus exigunt plures talium, ut non vituperetur ministerium eorum, cum sit vituperabile in oculis Dei & hominum.

CLXVIII. Itaque deficiente nunc humano consilio & auxilio, Domine, refugium tu factus es nobis a generatione in generationem, quia in te solo nobis est fiducia, quod mittas & ejicias operarios in messem tuam; mittas voluntarios, ejicias etiam invitos, quos tu nosti esse idoneos operarios: quales optamus esse omnes omnium ecclesiarum prælatos, & maxime apostolicæ sedis antistites, cardinales atque legatos; ut videlicet per ipsos corrigatur sicubi a ceteris erratur. Mitte Domine Jesu, angelos tuos in messem tuam, qui colligent de regno tuo omnia scandala, & de campis tuis omnia zizania, inter quæ non minimum est illa sæpe notata regula; cujus malæ frutices in campis suis uberiora occupant loca, ita ut, sicut Amos propheta deplorat, desiccatus sit vertex Carmeli, & lugeant speciosa pastorum. Ait enim: *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli*.

CLXIX. Non ergo solum *te decet hymnus, Deus, in Sion*, sed etiam rugitus de Sion. Quia sicut hymnus est vox exsultationis in tabernaculis justorum sanctæ civitatis Sion sive Jerusalem civium, sic rugitus est vox terroris, tamquam de ore leonis in terribilibus judiciis super speciosis pastorum, & de vertice Carmeli. Olim super speciosa pastorum & super verticem Carmeli Deus majestatis intonuit, quando Judæorum sacerdotibus in pretioso & specioso tempo gloriantibus & dicentibus; *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*: e contra vox Domini confringentis cedros, id est humiliantis falsos gloriosos, redarguit eos in verbis mendacibus; eo quod ipsis in templo Dei latrocinantibus, jam non esset illud templum nominandum, sed spelunca latronum, atque justo judicio divino superveniente rege Babylonis, omnia templi speciosa essent vastanda, & vertex Carmeli, superbia videlicet Judæorum in scientia circumcisionis; quod sonat *Carmelus*; vane gloriantium, foret humiliandus, & subtracta sibi pluvia desiccandus. Quod & factum est, primo per primam Babyloniam, secundo per secundam Babyloniam Romam, captivatis Judæis atque vastatis omnibus eorum speciosis: ita ut etiam nubibus non pluentibus imbrem gratiæ super Carmelum, cujus nomen quia *scientia circumcisionis* interpretatur, omnem Judaicæ religionis demonstrat cultum; recte ipse Carmelus comparetur montibus Gelboe, pro eo quod nec ros nec pluvia cælestis gratiæ veniat super Judaicas observantias, quamtumlibet speciosas, & ex scientia legis & circumcisionis gloriosas. Recte itaque luxerunt speciosa pastorum, in quibus Deo non fuit beneplacitum: & recte siccatus est vertex Carmeli, subtracto sibi rore & imbre cælesti. Quod autem de falsis Judæis carne tantum & non fide vel imitatione filiis dictum est, contra gloriam eorum vane gloriantium in speciosis pastorum & vertice Carmeli; hoc idem procul dubio nunc spiritus dicit Ecclesiis: in quibus cum sit cultus parietum speciosus & multo auro fulgidus, mentium situs neglectus invenitur & sordidus.

CLXX. Vertex etiam Carmeli desiccatus comprobatur; quando cujuslibet ecclesiæ angelo in vertice pontificalis apicis exaltato vere dici potest: *Caritatem primam reliquisti*. Vel, *Quia tepidus es, incipiam te evomere*. Vel, *Nomen habes quod vivas, sed mortuus es*. Vel, *Nescis quia tu es miser & miserabilis, & cæcus & nudus*. Quidnam ista con-

tra ecclesiarum angelos dicta significant, nisi verticem Carmeli desiccatum? Sed cum dicitur unicuique talium, *Pœnitentiam age*; spes datur veniæ simul & gratiæ, cujus rore ac pluvia vertex Carmeli denuo rigatus irriguo superiori & inferiori madeat ac germinet, fructusque dignos pœnitentiæ faciens, pro urtica libidinis myrtum castitatis, & pro saliunca desidiæ abietem ferat vitæ contemplativæ simul & activæ: quæ ambæ notantur in abiete, quæ in terra stans, in altum crescendo erigitur, ut ejus radicatio inferius & celsitudo superius doceat nos terrena despiciendo in usu tenere, cælestia suspiciendo in desiderio sancto ardere.

CLXXI. Ablatis igitur hujusmodi urticis & saliuncis, quales gignit humus inculta, & nullo vel cœnobialis vel saltem Christianæ regulæ aratro versata secundum patrum sana documenta; tu qui maledicis ficulneæ foliis tantum sine fructu venustæ, malignæ videlicet Synagogæ, habitu pomposæ, a virtutibus vacuæ, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, fertilitatem donando post multam sterilitatem: & sic effusa benedictione tua, campi tui catenus inculti, nunc bene culti replebuntur ubertate omnino sufficiente ad implenda horrea dominica ultimæ illius messis copia, in qua tollenda sunt omnia zizania. Campi tui, homines scilicet æquitate justitiæ pleni, replebuntur ubertate bonorum operum: & cum lugeant speciosa pastorum, de quibus jam supra dictum est; e contra pinguescent speciosa deserti: quia repudiatis Judæis eorumque similibus, pietatis quidem speciem habentibus ac proinde speciosis, virtutem vero ejus abnegantibus ac proinde contemtibilibus; pauperes evangelizantur, non solum ex Judæis, verum etiam ex gentibus, mundo contemtibiles, Deo autem qui corda videt speciosi. Hi tales deserti & derelicti a sæculo, pinguescunt intus coram Deo, cui & dicit quisque talium: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Quo contra illi quibus dicitur, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; etsi foris opulentia temporalium bonorum sint incrassati, impinguati, dilatati, pinguedine carent vituli saginati: quem dum interdicti & a Spiritu sancto deserti sacramento tenus immolant & manducant, rei fiunt corporis & sanguinis ejus, non participes pinguedinis ipsius.

CLXXII. De hac ipsa pinguedine [a] *pinguescent speciosa deserti*, dum pauperes hoc sæculum deserentes & ab ipso deserti, digne sacrificant vel manducant corpus Domini, per quod fiunt participes Spiritus sancti, qui est pinguedo vituli saginati. Animales autem seipsos segregantes, spiritum non habentes, etsi assidue sacrificent vel communicent, jejuni sunt ab hac pinguedine, qua ut dictum est, *pinguescent speciosa deserti, & exsultatione colles accingentur*. Colles in hoc deserto specioso, vel in his campis ubertate repletis illi possunt intelligi qui quoniam se humiliant exaltabuntur, & in hac ipsa exaltatione tunc exsultabunt in gloria coram simul discumbentibus, cum dicetur cuique illorum: *Amice, ascende superius*. Vertex Carmeli desiccatus, ut supra ex parte ostendimus, multum dissimilis est istis collibus, præ multitudine dulcedinis ipsos inebriantis gaudentibus & exsultantibus. Isti namque secundum quod spiritus eorum adhærens Deo unum efficitur cum eo, intus exsultatione replentur: sed secundum quod corpus humilitatis ipsorum configurabitur corpori claritatis ejus, etiam forinsecus exsultatione accingentur.

CLXXIII. Et quia de numero talium fiunt quidam magistri gregum rationabilium; sicut ob gratiæ prærogativam colles, ita propter commissos greges dicuntur arietes, qui prænotata exsultatione cum ceteris quidem collibus accingentur, sed præ ceteris induentur, itaut quisque illorum cum propheta dicere valeat: *Gaudens gaudebo in Domino, & exsultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. In sponsi nomine paternum, sed in sponsæ maternum pensa pietatis affectum: cui merito geminum debetur ornamentum, tam sponso quam sponsæ decentissimum. *Et colles abundabunt frumento* [b]. *Montes* quidem *exsultabunt ut arietes, & colles sicut agni ovium*, tum exsultatione colles accingentur, & arietes eadem exsultatione tamquam nuptiali veste induentur. Sed valles hujusmodi collibus inferiores, videlicet sancti & humiles corde, nulla præditi ecclesiastica dignitate, abundabunt frumento virtutum spiritualium, quales apostolus enumerat dicens: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas*. Hujusmodi fructibus abundantes non tacebunt a laude vel gratiarum actione, qua clamabunt, non contra Dominum, sicut blasphemi arrogantes & murmurantes, aut etiam sua merita jactantes, aliaque tacenda loquentes; quod non est abundare frumento, sed spinas & tribulos germinare.

CLXXIV. Clamabunt ergo tam colles quam valles, tam prælati quam subjecti, assidue orando & laudando Deum, seu gratias illi agendo. Contra verbum peregrinationis, quod eis fuit caussa diuturnæ captivitatis, clamabunt prædicando verbum salutis, quod eis erit caussa efficiens reversionis. Illo verbo venumdati super flumina Babylonis non canendo, sed flendo sederunt, quia hymnum de canticis Sion in terra aliena cantare non potuerunt. Isto verbo redemti, & in Jerusalem cælesti nunc spiritu positi, posthac etiam carne transponendi, resumunt organa pridem suspensa, hymnumque de canticis Sion tanto solemnius frequentant, quanto elongantes a Babylone, supernæ Jerusalem portas expeditius intrant.

CLXXV. Cum enim scriptum sit: *Introite portas in confessione, atria ejus in hymnis*; isti a Babylone reversi stant in atriis Jerusalem. Etenim hymnum dicent, quem non dicerent, si extra hæc atria essent. *Hymnum dicent:* non qualem decuit in camino ignis dici a paucis tali martyrio aptis in medio Babylonis; verbi gratia sub persecutione spurcissimi & nequissimi Neronis: sed hymnum, de quo in principio cantici hujus præcipui de canticis Sion dictum est: *Te decet hymnus, Deus, in Sion*. Quis est iste hymnus, nisi post omnium regum Babyloniorum, quorum antichristus erit ultimus, destructionem, & civitatis Jerusalem reædificationem, cantus exsultativus qualis in ultimis septem psalmis invenitur expressus, ubi universalis ecclesia, vel quælibet ecclesiastica persona de gladio maligno liberata, vel in spe, vel quod melius est, in re sic exsultat in rege suo Christo, ut non solum tres pueri seu viri fortissimi,

[a] v. 13. [b] v. 14.

ſed etiam filiæ Sion exſultent in rege ſuo regi Babylonis valde oppoſito. De rege Babylonis dicit Daniel. *Quos volebat, interficiebat, quos volebat percutiebat, quos volebat exaltabat, quos volebat humiliabat.* Quos inquit, volebat, non quos debebat.

CLXXVI. Propterea igitur filiæ Sion exſultant in rege ſuo, qui dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me patris*: quia ille neminem quantumlibet carnaliter propinquum exaltat, niſi prout cauſſa æquitatis poſtulat. Qui etiam fratres ſuos Judæos exſiſtente culpa reprobat, & neminem percutit vel humiliat, quem fides & humilitas commendat. Unde nec gentiles a gloria ſanctis præparata repellit, quos alias dignos eſſe conſtiterit. Ac proinde ipſe eſt rex juſtitiæ dignus gloria & honore, dignus hymno civium Sion, prout *te decet hymnus, Deus, in Sion.* Etenim hymnum dicent juvenes & virgines cum junioribus, puſilli cum majoribus unanimiter canentes: Gloria patri, cujus templum eſt mirabile in æquitate. Gloria filio ipſi templo. Gloria Spiritui ſancto, qui eſt illa pinguedo, qua pingueſcent ſpecioſa deſerti. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, uni ac trino Deo, tam in templo admirabili æquitate quam in campis ubertate repletis. In templo illum glorificent ſacerdotes & Levitæ mirabili æquitatis obſervantia; dum inter populum mediatores non declinent ad iniqua judicia, vel Deum fraudantes, minus annuntiando quam debent ejus juſtitiam: vel populum fraudantes, minus quam decet increpando ejus peccata. Item in campis repletis ubertate glorificet illum totus populus Chriſtianus afferens illi gloriam & honorem in fructibus juſtitiæ vel dignæ pœnitentiæ. Amen, amen, amen.

EPISTOLA

Eugenii tertii papæ ad Gerbohum, quo approbat opuſculum ſupra deſcriptum.

Eugenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio G. Richerſpergenſi præpoſito ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Scripta devotionis tuæ benigne recepimus, & fervorem tuæ religionis ex eorum inſpectione manifeſte cognovimus. Concaluit enim cor tuum intra te, & in meditatione tua exardeſcit ignis. Ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque quod contra peſſimas novitates; commotiones quoque, quæ contra Eccleſiam Dei & perſonas eccleſiaſticas oriuntur, te zelo caritatis exardeſcere cognoſcimus, paterno affectu gaudemus, & devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quoniam bonum eſt incipere, ſed multo melius conſummare; dilectionem tuam in Domino commonemus, ut in bono propoſito firmiter perſeveres: quia nos perſonam tuam, tamquam literatum & religioſum virum paterna caritate diligimus, & in quibus ſecundum Deum poſſumus honorare & manu tenere volumus.



[1] GERHOHI
PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS
EPISTOLA

Ad Hartmannum episc. Brixiensem.

Domino Hartmanno venerabilis ecclesiæ Brixiensis A antistiti, frater G. de Richersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Sicut promisi coram præsentia vestra, omnia præcipua scripta mea diligentissime pertractavi. Sed nihil, Deo gratias, inveni in eis quod recte intellectum sit contra fidem. Sane quæ ambigue possent intelligi, ne sui obscuritate vel ambiguitate aliquem turbent, sicut in opusculo subjecto dilucidare studui, ut sobrios lectores non offendant. Si autem lectores ebrii, scholastico potius quam theologico vino ultra modum potati offenduntur in scriptis meis, ignoscendum est illis: nisi forte ita fuerint obstinati, ut acquiescere nolint sanctorum patrum testimoniis certis & apertis, quibus nostra scripta concordare in opusculo subjecto monstravimus. Quod proinde sermone agresti compegimus, ut simplicibus quoque lectoribus in promtu sit heic invenire thesaurum in agro stili agrestis absconditum, & facile inveniendum non his qui semper errant corde, quibus est oculus nequam, sed humilibus & benevolis lectoribus, quibus est oculus columbinus & simplex, totum corpus lucidum faciens.

Talem oculum sciens vestrum esse post dominum archiepiscopum, cui hoc primitus obtuli utpote ad illius personam dictatum, vobis quoque offero præsens opusculum legendum, vestrisque fidelibus ostendendum, atque mihi per latorem præsentium remittendum. Credo autem vobis non solum esse oculos columbæ deargentatæ, quibus alatus possitis ita volare, ut non teneamini aranearum telis, licet subtiliter contextis, attamen ita fragilibus, ut nonnisi muscas aut culices tenere valeant. Nimirum talia sunt scholasticæ subtilitatis argumenta, quibus homini assumto in Deum nimis derogatur, dum negatur æque altissimus ut Deus pater ejus. Cum B Deus assumens & homo assumtus, non duo sint altissimi sed unus altissimus, in assumta natura, æternaliter gloriosus, & in assumta summa gloria & summa potentia usque ad summum sublimatus.

Hanc fidem vobis, carissime pater, esse non dubito. Sed ne aliam fidem docentibus moveamini, mitto vobis in opusculo præsenti multas auctoritates consonantes nostræ fidei, quas rogo dignemini attendere, mihique breviter quid vobis videatur significare.

INCIPIT OPUSCULUM DE
GLORIA ET HONORE FILII HOMINIS.

I. Tibi venerande pater Eberharde Salisburgensis C ecclesiæ metropolitane, ad memoriam reduco; quod ubi primo in psalmos quædam scribere cœpi, te scriptorum meorum lectorem & correctorem elegi, simulque dominum beatæ memoriæ Frisingensem episcopum Othonem virum prudentem & valenter literatum: paratus emendare, si quid in scriptis meis inveniretur, unde jure offenderetur animus vel simpliciter vel insidiose legentium. Et ecce adhuc sum paratus ad id ipsum juxta legis edictum. In qua per Moysen Dominus loquitur dicens: *Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento conspersos oleo, lagana azyma oleo lita: si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo & absque fermento, divides eam minutatim, & fundes supra oleum. Sin autem de craticula sacrificium, æque simila eo conspergetur* [a].

II. Ei qui similam verbi Dei coquit in clibano, id est, scripturam sacram tractat in Spiritu sancto, panes faciens absque omnis hæreticæ pravitatis vel vanæ gloriæ fermento, conspersos, ut prædictum est, caritatis oleo: ei, inquam, persecutio semper est. Aut enim ab his, qui intus sunt, falsis fratribus illi derogatur: aut ab illis qui foris sunt, impiis & sine Deo hominibus manifestius impugnatur. Ait ergo: *Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo & absque fermento.* Id est, si intus habueris pugnas verborum a falsis fratribus pro sacræ studio scripturæ, quam cum caritatis oleo & absque falsitatis tractaveris fermento, *divides eam minutatim*: id est, diligentissime singula dicta discuties, ne forte quippiam juste reprehendi possit. *Et fundes supra oleum*; similæ oleo jam conspersæ, iterum minutatim divisæ, supra fun- D dens oleum, id est, scripturæ sacræ per caritatem elucidatæ, iterum singillatim retracta [2] adversus contradictores non amaritudinis zelo, sed ardentioris, ut eos lucrifacias, superaddes ejusdem caritatis oleum.

a Levit. II. 4.

1. Ex Pezii Thesaur. tom. I. part. II. pag. 165.

2. Forte *retractare*.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

III. *Sartago* vas a strepitu soni est vocatum. Sonat enim & strepit, dum in ea frigitur oleum. Internum ergo significat divinæ æmulationis incendium, id est, interius personantem ac perstrepentem falsorum fratrum invidiam. Porro *craticula* apertam illorum, qui foris sunt, signat malitiam: qui sanctos homines veritatis similam Deo sacrificantes corporaliter quoque distentos subjectis incendiis conflagraverunt. Illic quoque *oleum conspergitur*. Corpore namque afflato caritas exundat & ebullit ferventius. Ait ergo: *Sin autem de craticula sacrificium, æque simila oleo conspergetur*. Notandum quod si de sartagine est oblatio, minutatim dividi, & sic oleum supra fundi jubetur. Sin autem de craticula, non minutatim dividi, sed tantum oleo B conspergi imperatur. Nam contra falsos fratres, qui sub nomine christiano veritati insidiantur, diligentissima divisione, ac subtili discretionis minutatione opus est. Quippe qui sub iisdem nominibus, quibus pro fide utimur, & ipsi malitiose des litescentes contra fidem nituntur. Unde Dominus noster: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Ceterum contra eos, qui Christi nomen oderunt, non adeo dubia vel subtilis pugna est. Illic enim quasi in plano campo hostem dinotescere valet simplicitas quoque rusticorum fidelium. Nam sicut ipse Dominus noster, cum a Judæorum C pontificibus, scribis ac Pharisæis, tamquam in sartagine stridula, seditioso strepitu, quæstiunculis objectis frigeretur; subtili scripturarum commemoratione caussam justitiæ suæ tuebatur. Cum autem coram Pilato staret, nihil cum illo de scripturis est locutus. Sic electi ejus discipuli, quoties ab eis, qui scripturarum notitiam profitentur, quæstionibus perversis inquietantur, oportet ut de scripturis vigilanter respondendo, verba sua quasi minutatim dividant. Quotiens autem ab eis tribulantur, qui scripturas non recipiunt, vel earum non habent auditum, sermonem de hujusmodi non effundant.

IV. Sequitur in eodem sanctæ legis mandato: *Quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis;* D *qui fundet super eam oleum, & ponet tus* [a]. Oleum caritatem, tus bonæ famæ significat odorem. Hoc ergo sermo divinus præcipit; ut sacerdos, qui similam sic minutatim examinatam de manu offerentis accipit, lucidæ caritatis liquamine illam condire, atque apud eos qui foris sunt, bono testimonio commendare satagat. Fecit hoc sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, papa Eugenius; qui acceptam de manu mea similam quam gratanter acceperit, quam lucido caritatis oculo illam aspexerit, cujusque odoris apud illum fuerit; satis indicant ejus literæ, quæ ita se habent.

V. Eugenius episcopus, servus servorum Dei dilecto filio G. Reicherspergensi præposito salutem & apostolicam benedictionem. E

Scripta devotionis tuæ benigne recepimus, ferventem tuæ religionis ex eorum inspectione manifeste cognovimus, concaluit cor tuum intra te, & in meditatione tua exardescet ignis: ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque quod contra pessimas novitates; commotiones quoque, quæ contra ecclesiam Dei oriuntur, te zelo caritatis exardescere cognoverimus; paterno affectu gaudemus, & devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quia bonum est incipere, sed multo melius consummare: dilectionem tuam in Domino commonemus; ut in bono proposito firmiter perA severes. Quia nos personam tuam, tamquam literatum & religiosum virum paterna caritate diligimus, & in quibus secundum Deum possumus, honorare & manutenere volumus. Data Sutrii XVII. Kal. Junii.

VI. Post Eugenium vero non est inventus similis illi in ecclesia Romana pontifex, qui scriptis meis ita benigne arrideret, qui oleum superfunderet ac tus poneret: quia qui ei postea successerunt, non ita me habuerunt notum, ut ille. Attamen scripta mea quasi similam diligentissime tritam papæ Anastasio misi, quibus ille non respondit: qua de caussa non judico. Similiter Adriano papæ, cum esset Beneventi agens illic de concordia inter se ac Siculum tyrannum, præsentatus est *libellus ad ipsum dictatus, in quo novitates hujus temporis magna ex parte congessi*, atque ab illo responsum petii: quo vel approbaret vel improbaret, quæ sensi & sentio; paratus illi per omnia consentire: quia numquam in doctrina fidei a sancta Romana ecclesia dissentire volo. Cujus pontifices a beatæ memoriæ Calixto papa ad jam dictum papam Eugenium sic me habuerunt notum, & gratia sui gratum & carum: ut eorum caritas esset mihi pro liquamine olei dictis & scripturis meis ordinate superfusi, atque pro ture odorifero gratia eorum redoleret mihi sæpe ad ipsos & sæpius ad dominos cardinales aliqua scribenti. Sicut nuperrime ad dominum Heinricum cardinalem presbyterum SS. Nerei & Achillei dictavi ex ejus petitione *opusculum de fide, illud exponens: mulierem fortem quis inveniet?*

VII. Romanis autem pontificibus Anastasio & Adriano licet nonnulla scripserim, nullum potui responsum ad quæstiones meas extorquere: puto non ob aliud, nisi quia erant occupati & turbati erga plurima. Nuper autem suscepi scripta papæ Alexandri spondentis, quod velit me habere in gratia sicut antecessores sui; gratias igitur habeo ipsi ad me scribenti, cum ego adhuc nihil scripserim ad eum, præpeditus per chaos magnum, quod est inter nos & ipsum; ita ut his, qui volunt hinc transire ad ipsum, vel ab ipso ad nos, obsistat impedimentum grande illius discordiæ, quæ inter sacerdotium & imperium suscitata est peccatis exigentibus, quia vita rectorum pro meritis disponitur subditorum. Dum itaque in sacrificio nostro sartaginis auditur sonitus, & strepitus; neque ad Romanum pontificem liber a nobis accessus patet: quasi loco ipsius, tu archiepiscope Juvariensis Ecclesiæ, pro illo mihi es electus ex millibus: cujus etiam hortatu hæc scribo; ut simila per me tibi oblata & minutatim examinata, ubi apparebit acceptabilis, tuæ caritatis oleo condiatur; & ture odoriferi testimonii tui contra æmulos defendatur.

CAPUT I.

Quomodo id accipiendum in scripturis Gerhohi: Christus natus est in cœlo sine matre; in terra sine patre. Proponit novorum Nestorianorum dogma, qui duce magistro Gisilberto, Christum dividunt in duos filios, hominem & Deum, alterum de virgine, alterum de patre Deo generatum, ac proinde hominem filium hominis naturalem, a Deo adoptatum in filium ajunt, nec esse in gloria Patris, &c.

I. SUnt autem in scriptis meis duo offendicula, ut dicitur, præcipua: videlicet, quod homi-

a Lev. II. 8.

nem dico esse in gloria Dei Patris ; quodque ipsum hominem dico esse Patris naturalem & unicum filium : eo quod conceptionem ejus astruo non sine Deo patre peractam in Virgine, qui misit misericordiam suam & veritatem suam in utero virginis. Unde in ea, misericordia & veritas obviaverunt sibi; & veritas, de terra orta est, quæ in cœlo æternaliter oriens ex alto, in ortu illo non habet matrem, sed solum Deum patrem. In ortu vero, quo de terra virgineæ carnis ortus est, nil quidem operatus est pater carnalis: operatus est autem pater ille spiritalis, qui misit Verbum suum in utero virginis incarnandum; quo virgo imprægnata, Deum nobis protulit, Filium Dei, eumdemque filium suum naturalem. Quo dicto simplices offendi possunt, lectitantes de Christo; quod sit natus in cœlo sine matre, in terra sine patre: hoc non attendentes, quod, licet in cælesti & æterna generatione omnino caruerit matre, non tamen in terra & de terra ortus caruit penitus omni patre: cui & Joseph vir Mariæ fuit pater adoptivus; & Deus, qui virginem Verbo suo per Spiritum sanctum fœcundavit, pater est naturalis. Proinde cum legitur: *in terra sine patre*, subaudiendum est, carnali carnaliter generante: quia sine tali Patre mater virgo illum concepit, solo Deo in illa operante: ut quod nasceretur ex ea, vocaretur Filius Dei.

II. Attamen ut idem ipse ostenderetur in terra quoque non caruisse omnino patre vel patribus, ex quibus ipse Christus erat secundum carnem, dictus est etiam *filius David filii Abrahæ ;* neque ipse abnuit se nominari *Filium David*, cum diceretur ei: *miserere mei fili David*. Item: *Osanna filio David ;* quia recognovit se filium David, non solum secundum carnem, sed & secundum promissionem. Sicut enim promissus est Abrahæ homo de semine ipsius nasciturus, ita quoque promissus est regi David rex de fructu ventris sui super solium ipsius exaltandus; dicente ad illum Deo: *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [a]. Non est ergo falsa intitulatio libri generationis Jesu Christi filii David, filii Abrahæ; quia duobus illis patribus erat specialiter promissus: & ex eis quoque secundum carnem, simulque secundum promissionem generatus est. Quia enim promittenti Deo crediderunt, ipsa fides reputata est illis ad justitiam: & ex merito ipsius fidei recte dicuntur patres Christi. De cujus genealogia tres reges in Matthæo inveniuntur excisi, qui non habuerunt fidem ipsius venturi: immo & persecuti sunt sanctos prophetas de ipso loquentes. Merito ergo, ut dictum est, excisi sunt & abscissi quasi rami aridi; ubi dictum est: *Joram genuit Oziam*, prætermissis tribus regibus, Ochozia, Joas, Amasia; quibus nihil profuit, quod ex eorum carne descendit Christus, quia increduli erant ejus præconibus, quos etiam persecuti sunt. Ac proinde non sunt patres Christi nominandi, sicut Abraham & David, quorum filius est Christus secundum repromissionis fidem.

III. In his ergo prænotatis offendiculis cavendum videtur ne scandalizentur pusilli Christi, qui cum sint pusillæ ac modicæ fidei, facile scandalizari poterunt; dum, quod in fide catholica involutum continetur, aliqua ex parte revelatur ac distinguitur cogentibus illis tauris, qui lascivire ac insanire finuntur *in vaccis populorum : ut excludant eos qui probati sunt in argento*. Neque enim pavida mortalium A corda præsumerent arcana fidei scrutari, nisi cogente permaxima necessitate, pullulantibus hæresibus novis, aut quod pejus est, repullulantibus antiquis, olim damnatis. Ita in diebus nostris *reviret Nestorius, dividens Christum in duos filios, hominem & Deum ; alterum de virgine, alterum de patre Deo generatum. Ac proinde hominem filium hominis naturalem, a Deo adoptatum in filium ajunt hujus temporis Nestoriani, nec esse in gloria Patris ; nec habere nomen, quod est super omne nomen.* Quam doctrinam pravam ne ipsi videamur finxisse, atque aliis falso imposuisse; cum plures audierimus auctoritate magistri Giselberti hoc asserentes, ipsius verba ponamus. Etenim glossando Apostolum, & exB ponens illud: „ Propter quod & Deus exaltavit „ illum, & dedit ei nomen, quod est super omne „ nomen: „ dicit inter cetera: „ Quibusdam videtur „ hoc nomen datum homini, quod nulla ratione „ convenit. Hoc enim donum est Dei esse filium, „ hoc nomen esse Deum, quod non per solam ap„ pellationem, sed per naturam super omne no„ men est, quod non post passionem, sed potius a „ Patre, a quo habet omnia, cum generaretur „ accipit. Hoc ergo non est homini datum, nisi „ quis dicat per adoptionem esse datum. Sed ado„ ptivo Deo non flectitur omne genu, nec est in „ gloria Dei Patris: nam nato ex Deo hoc com„ petit. Dicit tamen Apostolus, propter hoc deC „ dit illi Deus nomen, quod est super omne no„ men. Quod ideo (dicit), quia natus accepit, „ ut post crucem manifestaretur: quod a Patre, „ dum generaretur, accepit. “

CAPUT II.

Id in epistola sua ad Eberhardum Ep. Babenbergensem : humanitas in Dei gloria summe glorificata est, *non de humanitate, qua homo est homo, quæque ipsa non est homo ; sed de humanitate, quæ est homo ex anima rationali, & humana carne subsistens, intelligendum esse docet, existimarique, minus recte dici*, hominem in Christo fuisse deiD ficatum.

I. Hujus doctrinæ fermento, cum sentirem plures infectos, quorum & scripta legi, & dicta frequenter audivi: contra eos in scriptis meis talem pro modulo meo studui erigere turrim, qualis in canticis canticorum describitur; ubi sponsæ dicitur: *nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*. Denique sicut naso fœtores & odores discernuntur, sic per spiritum discretionis in doctrina fidei a falsis vera distinguuntur. Quod permaxime necessarium est, ubi cives Damasceni contra cives Jerusalem dimicantes, antiquos fidei terminos confundunt atque diminuunt. Qui homini E assumto in Deum, negant esse nomen datum, quod est super omne nomen: detrahuntque illi gloriam, qua coronatus in dextera Dei sedet, coæqualis illi secundum divinitatem, sed minor secundum humanitatem. Quod, quia visus sui negasse in *epistola domino Babenbergensi missa*, hæc ipsa epistola videtur hic aliquatenus determinanda. In qua cum astruxerim *humanitatem in Dei gloria summe glorificatam*, sobrius lector debet intellexisse non humanitatem, qua homo est homo; quæque ipsa non est homo (ut asserit Boetius in libro de Trinitate) sed humanitatem, quæ homo est ex anima rationali & humana carne subsistens. Nam utroque mo-

[a] Psalm. cxxxi. 11.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



do solet accipi nomen *humanitatis*. Quod, ne longe petatur, exemplum in ipsa fide Athanasii, potest animadverti. Quippe ubi de Christo loquens dicit, *minor Patre secundum humanitatem*, recte intelligitur humanitas; *qua homo est*: non *quæ homo est*. De qua humanitate in præfata epistola satis est ostensum; quod neque per miseriam decrescit: neque per gloriam crescit. Quia non minus est homo Judas in inferno, quam Petrus in cælo: neque ille in cælo magis est homo, quam Judas in inferno: & homo peccati filius perditionis, non magis vel minus est homo, quam filius hominis in cælo. Ac proinde recte de illo secundum hunc sensum dicitur minor Patre secundum humanitatem: quamquam illa singularis humanitas, qua non solum homo est homo, sed & qua Deus est homo, longe superexcellat omnem dignitatem Angelorum & hominum sanctorum, qui puri sunt homines. Quam nimirum, propter suæ dignitatis excellentiam & reverentiam, extra omnium hominum qui puri sunt homines congeriem segregatam, si in omnibus hominibus puram & nudam intendimus humanitatem, procul dubio invenimus eam sic in omnibus hominibus invariabilem, ut quodammodo imitetur æternitatem, ad cujus imaginem facta est; licet alius homo, alio plus miser, & beatus inveniatur: & inter miseros antichristus miserrimus; atque inter beatos ille habetur beatissimus, de quo legitur: *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* &c.

II. Revera supra omnes beatos, beatus vir seu homo prædicandus est is, qui neque originali neque actuali macula inquinatus, nobis pontifex factus est impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus, non per humanitatis naturam seu per solam gratiam. At non minus est homo is, cui dicitur: *quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Sequitur enim, *ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum*. Et de Christo in evangelio dictum est, *ecce homo!* & heic in psalmo de antichristo iterum dictum est; *ecce homo*. Sed iste a Deo projectus ut Saul: ille vero in Deum assumtus est, meliusque unctus quam David: ita ut homo ex anima rationali & humana carne subsistens, assumtus in Deum, & assumtor ejus Deus non sint quidam duo, sed quidam unus. *Unde Athanasius, unus omnino non conversione divinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum*. Recte heic *non humanitas, qua homo est*, intelligitur: quia non ita est assumta in Deum, ut ipsa sit Deus, quamquam sit in homine Deo: sed *quæ homo* est ex anima rationali & humana carne subsistens, qui assumtus est in Deum, ut sit Deus, permanens tamen homo, & in æternum permansurus *æqualis Patri secundum divinitatem, & minor secundum humanitatem: minor*, inquam, non secundum divinitatis omnipotentiam sibi Deo divinitus innatam & sibi homini ex tempore datam; sicut ipse testatur dicens: *data est mihi omnis potentia in cælo & in terra* [a]. Non ergo minor, postquam accepit in gratia, quod non habuit in natura. In natura, inquam, necdum assumta. Nam postquam est assumta, numquam caruit omnipotentia, ipsa videlicet natura humana, idest, anima rationalis & caro: quæ in conceptione, ubi formata in personam cœpit habere nomen hominis perfecti, simul etiam nomen Dei perfecti accepit; ut sit *perfectus Deus, perfectus homo*. Qui licet fuerit parvulus natus, & nobis in cunabulis datus, tamen jam dono patris, non ad mensuram magnificatus, donanti est in omnipotentia coæquatus. Unde Hilarius in lib. de Trinit. ait „ Si ergo „ donantis auctoritate Pater major est, numquid „ per doni confessionem minor filius est? Major itaque donans est, sed minor jam non est, cui „ unum esse donatur. Si hoc non donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei patris, minor patre est. Si autem in ea gloria donatur ei „ esse, in qua pater est: habet & in donantis auctoritate quia major est; & in donati confessione, quia unum sunt. *Item*: major pater est, dum „ gloriam assumto homini rogatur ut reddat: filius „ minor non est, dum gloriam resumit apud patrem. *Item*: glorificaturus filium pater major est; „ glorificatus in patre filius minor non est.

III. His inspectis apparet, quod *homini data est omnis potentia in cælo & in terra*. Cujus nimirum potentiæ, immo magis omnipotentiæ, nulla est inæqualitas: cum Deus assumens, vel homo assumtus in eum, dicitur omnipotens, quia Deus & homo non duo sunt omnipotentes, sed unus omnipotens. Et licet Deus in se hominem exaltaverit, tamen exaltans & exaltatus non duo sunt Altissimi sed unus Altissimus: natura divina humanam deificante, ut Deus & homo, non duo sint dii, sed unus est Deus. In quo Deo, & homine, licet natura deificata, & divina deificans possit intelligi, tamen homo Deus, qui est persona humana simul & divina *deificatus* dici non debet: ne malus inde generetur intellectus, ex hoc dicto concipiens, fuisse Christum hominem priusquam acceperit deitatem. Propter quem intellectum cavendum prohibet Joannes Damascenus dici *hominem deificatum*: quem tamen confitetur esse Deum. Ne ergo aliquis offendatur in *expositione primi psalmi*, ubi scripsi de *homine deificato*; vel per nomen hominis, naturam, non personam intelligat: vel meam correctionem ibidem oppositam diligenter animadvertat. Dum enim locutus fuissem de homine deificato, statim apposui, *immo Deo facto & in Deum nato*: quem & asserui *altissimum*, utpote verum Deum Dei filium. Facit autem & hoc pro nobis, quod Gregorius Nazianzenus in sua quadam epistola, Ephesino concilio inserta, manifeste affirmat *Deum humanatum, & hominem deificatum*. Quæ nimirum deificatio non est aliud, quam hominis ad summa provectio: ut sit altissimus, quo nomine solus Deus, est nominandus. Ac proinde homo, qui Deus est, nomine sibi dato, quod est super omne nomen, recte dicitur *altissimus*.

CAPUT III.

Hominem in Christo altissimum *recte dici, nec huic doctrinæ Paullum* I. Corinth. XV. 25. 26. *obsistere Hilarii, Ambrosii, Synodi Syrmiensis, & Hieronymi auctoritate demonstrat.*

I. SEd dicit adversarius; quomodo est *altissimus homo*, qui etiam, cum subjecta ei fuerint omnia, subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia? Hoc enim testatur apostolus dicens: *Cum autem subjecta erunt ei omnia, tunc & ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia: ut sit Deus omnia in omnibus*. Capitulum istud satis copiose pertractatum a sancto Hilario in XI. libro, & a sancto Ambrosio in libro de fide ad Gratianum imperatorem, & a sancto Hieronymo in epistola, quam scripsit ad Amandum presbyterum, non opus est aliter exponi, quam ab illis est expositum. Legat qui vult, & inveniet illam, de qua nunc agitur,

[a] Matth. XXVIII. 18.

subjectionem gloriosam potius quam contumeliosam: præcipue postquam, sicut ait Leo papa, *infirmitas in virtutem, contumelia transivit in gloriam*. Nam sanctus Hilarius circa finem XI. libri de Trinitate hoc insinuat: quod illa hominis erga Deum subjectio, futura & permansura, non sit aliud, nisi naturæ in naturam concessio: non ut non sit, sed ut melius sit; sicut melius erit corpus humanum spiritui suo, in æterna vita subjectum. Talisque subjectio naturæ inferioris in naturæ superioris gloriam provectio est, quando caro ulterius non repugnabit spiritui suo: sed eidem perfecte subjecta fruetur in ipso & cum ipso beatitudine summa.


II. Ne autem quis putet subjectionem voluntariam, qua homo subjicitur Deo glorificatus, in eo deputandam esse ad gloriæ minorationem: consideret in synodo apud Sirmium per orthodoxos patres contra Photinum, Sabellium, & Arium celebrata, secundum ipsam quoque divinitatem, unigeniti subjectionem prædicatam: qua Patri Filius legitur subjectus; neque tamen ex illa subjectione in sua divinitate vel divinitatis gloria minor est intelligendus. Ita enim legitur in synodo illa: „ Si quis „ Dominum & Dominum, Patrem & Filium intelligat, quia Dominum a Domino duos dicat „ Deos, anathema sit. Non enim ita exæquamus „ vel comparamus Filium Patri; ut subjectum non „ intelligamus. Neque enim descendit in Sodomam „ sine Patris voluntate: neque pluit ex se, sed a „ Domino, auctoritate scilicet Patris; nec sedet „ a dextera a semetipso, sed audit dicentem Patrem: sede ad dexteram meam. „

III. Hanc sententiam synodalem beatus Hilarius dilucidans in libro de Synodis ita dicit: „ Et superiora & consequentia suspicionem, si qua esse „ in his dictis videbitur, penitus excludunt: ne „ diversitas dissimilium distantium in Domino & „ & Domino, prædicetur, & in eo non comparatur, quia duos Deos impium dici sit. Cum „ enim anathema sit Christum Deum denegans, „ non potest idcirco profanum videri, duos Deos „ connominari, ne & Christus Deus prædicetur: „ cum per essentiæ naturalis proprietatem idcirco „ Deus unus est, quia ex innascibili Deo Patre, „ qui unus est Deus, unigenitus filius Dei natus, „ non aliunde quam ex Deo habeat esse, quod est „ Deus. Et indifferens ejus, qui genitus est ab „ eo, qui genuit, essentia non potuit esse. Nam „ indifferentis unum nomen essentiæ est, & naturæ. Et vel in eo maxime non comparatur, nec „ coæquatur filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est; dum pluit Dominus a „ Domino; dum ad dexteram Dei consedit: cum „ sibi, ut consideret, dictum sit; dum mittitur; „ dum accipit; dum in omnibus voluntati ejus, „ qui se misit, obsequitur. Sed pietatis subjectio „ non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam. Cum per id quod, „ cum & innascibilis pater Deus est, & unigenitus filius Dei Deus sit, & subjectio filii doceatur, & dignitas, dum ei ipsi illi nonnisi filius „ nuncupandus subjicitur. Qui cum Dei patris sit, „ tamen sibi ex natura sit, nomen habens non alienum; sed ejus, cujus & filius est: & sit Patri „ & obsequio subjectus & nomine; ita tamen, ut „ subjectio nominis, proprietatem naturalis atque „ indifferentis testetur essentiæ. „

IV. Secundum hæc dicta synodalia, per sanctum A Hilarium proposita & exposita, satis claret: quod sicut ipse ait, *pietatis subjectio non est essentiæ diminutio; nec religionis officium degenerem facit naturam*. In quo & subjectio filii docetur, & dignitas dum is, qui Patri subjicitur, filius, non servus, nuncupatur: & tamen Patri subjectus memoratur, dum pluit Dominus a Domino, dum mittitur, dum in omnibus voluntati ejus, qui se misit, obsequimur. Neque in his omnibus derogatur ejus dignitati in qua Patri mittenti ipse missus est coæqualis. Cum ergo nec in natura divina subjectionem subsequatur indignitas, ubi divinitas ipsa nec minorata, nec provecta est: quia in se ipsa impermutabilis minui vel augeri seu magnificari non B potest; eodem modo in natura humana, quæ Deo se per omnia subdendo non ad mensuram clarificata & magnificata est; ita ut contumelia transierit in gloriam, infirmitas in virtutem; subjectio non parit indignitatem aut gloriæ minoritatem: cum ut jam supra memoravimus, hæc ipsa subjectio secundum Hilarium in undecimo libro hinc disputantem non sit aliud, quam *naturæ inferioris in naturæ superioris gloriam provectio*, in illa persona; quæ una cum Patre ac Spiritu sancto ab angelis & hominibus beatis tota est adoranda indissimili adoratione, ut in sequentibus Deo donante monstrabitur. Et hæc quidem nunc dicta sufficiant secundum sensum Hilarii de illa subjectione, quam copiose C idem pertractat in undecimo libro.

V. Beatus vero Ambrosius in libro ad Gratianum imperatorem hanc subjectionem Christi membris assignat: ut cum illa fuerint subjecta, tunc & ipse inveniatur Deo patri subjectus, eadem veritate, qua nunc esurit, sitit, infirmatur in eisdem suis membris. De quibus dicturus est, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Dicit enim inter cetera: „ Apostolicum capitulum recenseamus. Novissime, inquit, inimica destruetur mors. Omnia enim „ subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat: omnia „ subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui sibi „ subjecit omnia. Cum autem subjecta illi fuerint D „ omnia, tunc & ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia. Videmus igitur, quia nondum subjectum, sed subjiciendum esse scriptura commemorat. Sicut enim in me si concupiscat caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; non „ videor esse subjectus: ita quia omnis ecclesia unum „ corpus est Christi, quamdiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa „ membra, sed unus spiritus, tunc & ipse subjectus erit: ut per ipsius objectionem sit Deus omnia in omnibus. *Item post pauca*: Sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ sa- E „ lutis, sedere nos apostolus in cælestibus dixit, „ utique non sedentes: sic & ille per nostræ assumtionem naturæ dicitur subjectus in nobis. *Item*. „ Scriptum est; quia cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo: cujus gratia „ estis salvi facti. Et simul suscitavit, simulque fecit sedere in cælestibus in Christo Jesu. Agnosco „ scriptum, sed non ut homines ad dexteram sedere sibi patiatur Deus, sed ut in Christo sedere: quia ipse est omnium fundamentum, & caput ecclesiæ, in quo communis secundum carnem „ natura prærogativam sedis cælestis meruit. In „ Christo enim Deo caro, in carne autem humani „ natura generis, omnium hominum particeps honoratur. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ, ita & illi qui per

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.



,, susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est, cum maledictum utique in benedictum Dei filium non cadat: ita inquam & ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis; cum Gentilis crediderit; cum Judæus agnoverit quem crucifixit; cum Manichæus adoraverit quem in carne venisse non credidit; cum Arianus omnipotentem confessus fuerit quem negavit; cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, caritas, resurrectio. Per sua ergo opera Christus & genera diversa virtutum erit in nobis Patri subditus: cum vitiis abdicatis, & feriante delicto, unus in omnibus Deo cœperit uno sensu populorum omnium spiritus adhærere. Tunc erit Deus omnia & in omnibus. Conclusionem ergo totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosæ subjectionis excludit. Evacuatio potestatum & victoria de morte quæsita triumphatoris utique non minuit potestatem. Subjectionem operatur obedientia; obedientiam Christus assumsit; obedientia usque ad crucem, crux ad salutem. Cum igitur omnia Christo subjecta fuerint per obedientiam Christi, ut in nomine ejus omne genuflectatur; tunc erit ipse omnia in omnibus. Nunc enim quia non omnes credunt, non videntur omnes esse subjecti. Cum omnes ergo crediderint, & Dei fecerint voluntatem, erit omnia & in omnibus Christus. Cum Christus fuerit omnia & in omnibus, erit omnia & in omnibus Deus: quia Pater manet semper in Filio. Hæc est piæ subjectionis interpretatio. *Item*: Quod si quæris, quemadmodum sit subjectus in nobis? ipse ostendit dicens: in carcere eram, & venistis ad me; infirmus eram, & visitastis me. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; in eo infirmus, in quo subjectus. ,, Hucusque Ambrosius.

VI. Hieronymus vero inter hos duos medius incedit: nam & Hilarium collaudat, & Ambrosii sensum suis verbis iterat, ita scribens ad Amandum presbyterum: *Propositio fuit de apostoli epistola; ubi de resurrectione disputans venit ad eum locum, ubi scriptum est: oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus*. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. ,, Novissime inimica destruentur mors. Cum autem dixerit, quoniam omnia subjecta sunt ei, haud dubium, quia præter eum, qui subjecit ei omnia. Cum vero subjecta ei fuerint omnia, tunc ipse filius ei subjicitur, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Et miror te quærere hoc a me voluisse, cum sanctus Hilarius episcopus Pictaviensis undecimum librum contra Arianos hac quæstione & solutione compleverit. Tamen saltem pauca dicamus. Omne in hoc scandalum est, cur filius patri dicatur subjectus? Quid est turpius vel inferius patri subjici; quod sæpe pietatis est, & in psalmo scriptum est: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* an crucifigi & maledictum crucis afferi? *maledictus enim omnis qui pendet in ligno*. Qui ergo maledictus pro nobis factus est ut nos de maledicto liberaret, miraris si pro nobis subjectus sit ut nos patri faciat subjectos, dicens in evangelio: *Nemo vadit ad patrem nisi per me, & cum exaltatus fuero omnia traham ad me?* Christus in his qui fideles sunt subjectus est patri: quoniam omnes credentes, immo omnium hominum genus, corporis ipsius membra reputantur. In his autem qui increduli sunt Judæis & ethnicis & hæreticis insubjectus dicitur, quoniam pars membrorum ejus non est subjecta fidei. In fine autem mundi cum omnia membra viderint in subjectis Christum, id est corpus suum, & ipsa subjicientur Christo, id est corpori suo: ut omne Christi corpus subjiciatur Christo & patri, ut sit Deus omnia in omnibus. Non ait, ut sit pater omnia in omnibus; sed ut sit Deus omnia in omnibus: quod proprium est nomen trinitatis, & tam ad patrem quam & ad filium & Spiritum sanctum referri potest, ut humanitas subjiciatur divinitati. Humanitatem in hoc loco dicimus, non mansuetudinem & clementiam, quam Græci *philanthropiam* vocant, sed omne hominum genus. Porro quod ait, *ut sit Deus omnia in omnibus*, hoc sensu accipiendum est, Dominus itaque salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia; in Salomone sapientia, in Davide bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paullo zelus, in Joanne virginitas, in ceteris cetera. Cum autem omnium rerum finis advenerit; nunc omnia in omnibus erit: ut sanctorum singuli omnes virtutes habeant, & sit Christus totus in omnibus. ,,

CAPUT IV.

Dictæ doctrinæ non repugnat sanctus Augustinus, nec contumeliæ Christo illatæ. Stabilitur amplius discrimen inter humanitatem, quæ homo est quæque hominis est, & inter humanitatem qua homo est.

I. Videtur autem beatus Augustinus his tribus orthodoxis patribus oppositus, in primo libro de sancta Trinitate ita dicens: ,, Contemplabimur Deum patrem & filium & Spiritum sanctum, cum mediator Dei & hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum Deo & patri; ut jam non interpellet pro nobis mediator & sacerdos noster filius Dei & hominis. Sed ipse in quantum sacerdos est, assumta propter nos forma servi, subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, & cui subjecit omnia: ut in quantum Deus est cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos nobiscum illi subjectus. ,,

II. His Augustini verbis insinuatur nobis ineffabile sacramentum pietatis id credentibus & sperantibus: quod hic sacerdos magnus in diebus mortalitatis suæ obtulit in cruce sacrificium propitiationis patri obediens & subjectus; ipse in diebus æternitatis offeret holocaustum sempiternæ laudis & gratiarum actionis pro nobis & nobiscum; in hoc ipso nobiscum subjectus patri, quod nos in ipso & per ipsum mediatorem Deo gratias agemus, ipso præcentore in ista gratiarum actione. Cujus natura humana hoc totum per gratiam accepit, quod ipse in sua divinitate habuit per naturam. Gloriosa igitur erit hæc subjectio, plena mysterio pietatis & gloriæ; qua glorificatus homo est in Deo postquam transivit ad patrem, gratias illi acturus pro natura humana in se ac membris suis glorificata, & in fine mundi ad plenum glorificanda, quando Deo subjecta erunt omnia ipsius membra. Nam & ante hunc transitum paschalem, cum adhuc esset minoratus ab angelis per passibilitatem & mortalitatem, subjectio illa qua subjectus legitur parentibus mortalibus ipse adhuc mortalis, quia magnum fuit sacramentum pietatis, non obfuscat ipsius dignitatem, quæ magis clarificata est per hanc ejus inæstimabilem dignationem. Sic sic in pallore auri, cum di-

vinitatis in eo dignitas & majestatis fulgor disparuit, quasi exinanita ipsius dignitate, tunc dignationis ejus claritas magis apparuit.

III. Quid dicam de illo ejus diademate, quo coronavit eum mater sua Synagoga, imponendo ei spineam coronam? Nonne tunc in hoc diademate capitis Aaron semet ipsum Deo patri sacrificantis lapides pretiosi fulgebant, dum perficeretur opus Dei & consummaretur, itaut ipse pontifex diceret: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*; & in cruce ait: *consummatum est*? Opus itaque tunc perfectum & consummatum est, opus pietatis, caritatis, miserationis, & tantæ compassionis, ut ille servus Isaiæ pateretur se immolari pro liberando servo impio, & inimico ancillæ filio, quem sibi tali morte ascivit coheredem. Quis ergo digne pensare valeat, quam pretiosi lapides in illo spineo diademate fulgebant ubi radiabat inæstimabilis caritas, immensa pietas, infinita misericordia, quæ ab æterno usque in æternum porrecta, quos agnovit in se prædestinatos a patre suo æterno, ipse per mortem, mortem autem crucis, ad æternam vitam redemit, venumdatos gratis, quia fraudati sunt promissis mendacissimi hostis promittentis Dei similitudinem, ut eos pertraheret ad sui conformitatem? Fulgorem procul dubio istorum aliorumque pretiosorum lapidum in diademate capitis Aaron tunc radiantium, solis claritas ferre non potuit, qui obscuratus est ab hora sexta usque in horam nonam. Gaudeat ergo tellus tantis irradiata fulgoribus lapidum pretiosorum. Lætetur & mater ecclesia delectata in splendoribus sanctorum lapidum, quorum fulgore dæmonum & hominum gloriæ Christi detrahentium lippientes oculi cruciantur, & certe convincuntur eum non diligere. Quia si diligerent, gauderent utique, quia tam gloriose coronatus vadens ad patrem, pro spinea corona coronatus est quasi aurea lamina Dei nomine insignita, dato sibi nomine quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris, vera humanitate verus homo, & vera divinitate verus Deus, æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Secundum humanitatem dico *qua homo est*, non secundum humanitatem *quæ homo est*. Quia licet *humanitas qua homo est* non creverit, quæ utique crementi capax non est: homo tamen qui ea est homo, ita crevit ut in eo completa sit Danielis visio, qui vidit lapidem de monte sine manibus abscissum crevisse in montem magnum, itaut impleret universum mundum. Sic etiam parvulus David, cum fuisset unctus in regem crevit, non in statura sed in virtute & fortitudine, ita ut ora leonum frangeret, brachia ursorum dissiparet, metuendum cunctis Philistæum gladio suo jugularet. Sicut ergo ille auctus est non in natura humanitatis qua homo fuit, quæque homo non fuit; sed in gloria regali, factus tandem rex Judæorum: sic & Christus filius ejus præ suis consortibus unctus, permanente in eo natura humanitatis veræ, secundum quam prædicatur parvulus, factus est rex magnus, qui contra leones & ursos aliasque bestias infernales, atque contra ipsum diabolum principem dæmoniorum, Philistæum incircumcisum jam triumpho potitus, rex est Judæorum, id est omnium confitentium quod ipse est in gloria Dei patris.

IV. Homo, inquam, est in gloria Dei, quia homo ille Deus est, & numquam fuit homo non Deus; A quia ex quo cœpit esse homo perfectus ex anima rationali & humana carne subsistens, erat etiam perfectus Deus in se ipso æternaliter exsistens. Homo subsistens ex multis quæ non sunt homo, Deus vero exsistens in semet ipso ab æterno. Quoniam sicut ait Boetius, homo non integre ipsum homo est: quod enim est, aliis debet quæ non sunt homo. Ut verbi gratia partes ejus aut formæ, de quibus consistit homo, quarum tamen nulla est homo. Deus vero, ait idem auctor, hoc ipsum Deus est. Nihil enim aliud est nisi quod est, ac per hoc ipsum Deus. Congruitque illi soli septima regula in Boetio, quæ dicit: „ Omne simplex *est* esse „ suum, & id quod est unum habet. „ Quod vero B in octava regula dicitur: „ Omni composito „ aliud est esse, aliud ipsum est; “ homini coaptari potest, cui aliud est esse quo est, aliud ipse; quia humanitas qua est homo, ipsa non est homo: sicut etiam corporeitas qua est corpus, ipsa non est corpus, & cetera in hunc modum plura inveniuntur in homine quæ sunt hominis, & ipsa non sunt homo, v. g. memoria, mens, intelligentia, voluntas. Nihil autem invenitur in Deo quod non sit Deus, quia Dei voluntas Deus est, ipsaque ipsius divinitas Deus est. Non autem sic in homine, cujus nec voluntas homo est, nec humanitas homo est: quia talia in homine non sunt homo, sed sunt C hominis. Unde Augustinus in xv. libro de Trinitate ait: „ Invenimus & in homine trinitatem, id „ est mentem & notitiam qua se novit, & dile- „ ctionem qua se diligit. Sane hæc tria sunt in „ homine, ut non ipsa sint homo. Homo est enim „ sicut veteres diffinierunt; animal rationale, mor- „ tale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa „ sunt homo: & una persona, id est singulus ho- „ mo habet illa tria in mente. Quod si etiam sic „ diffiniamus hominem, ut dicamus; Homo est „ substantia rationalis constans ex corpore & ani- „ ma: non est dubium, hominem habere animam „ quæ non est corpus, habere corpus quod non est „ anima. Ac per hoc tria illa non homo sunt, sed D „ hominis sunt, vel in homine sunt. „ Hæc dicente sancto Augustino, assertio nostra illi consonat, qua distinguimus humanitatem qua homo est, quæque hominis est & ipsa homo non est, ab humanitate quæ homo est, quamquam in sanctorum tractatibus nomen humanitatis inveniatur in utraque significatione positum. Ubi enim prædicatur humanitatis assumtio in Deum, nomine humanitatis homo significatur sic assumtus in Deo, ut sit Deus. Ubi vero prædicatur idem homo æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem, nomine humanitatis natura humana qua homo est homo, quæque hominis est & ipsa non E est homo, sane intelligitur.

CAPUT V.

Christus qui est divinitate Deus & humanitate homo est, non potest vero intellectu intelligi homo, nisi cum Verbo quod caro factum est.

I. QUam videlicet naturam Photinus putavit in Christo solam, dicens illum esse hominem non Deum. Sed Eutyches putavit confusam, docens ex duabus, non in duabus naturis consistere Christum. Apollinaris vero eamdem naturam humanam in Christo sic mutilavit, ut ei detraheret animam rationalem, docens pro anima in Christo fuisse ipsam divinitatem. De quo errore confutatus ipsius Christi verbo, dicentis: *Tristis*

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

est anima mea usque ad mortem, concessit illum habuisse animam quæ corpus vivificaret, sed rationalitate humana careret; eo quod illa non indigeret, quia divinitatem pro ratione haberet. Porro Nestorius integram confitens in Christo humanitatem, sic eam divisit ab divinitate, ut aliam Dei & aliam faceret hominis personam: filium Dei prohibens dici filium hominis, non concedens ex homine Deum potuisse generari. Unde Christi matrem vetuit nominari Theotocon, id est Dei genitricem.

II. Inter quæ monstra diversarum hæresum sancta catholica ecclesia tenuit ac tenet medium veritatis iter, non declinans ad dexteram vel ad sinistram, distinguendo in Christo naturam divinitatis a natura humanitatis; in eo quod neque divinitas est humanitas, neque humanitas divinitas: & tamen credendo quod unus idemque Dei & hominis filius vera & integra humanitate homo est, & omni plenitudine divinitatis Deus est; minor quidem patre secundum humanitatem qua homo est, sed æqualis patri secundum divinitatem qua Deus est. Et potest quidem utcumque divinitas intelligi sine humanitate, vel sine divinitate humanitas; ut cum de illa dicimus, quod caret initio; de ista quod habet initium. Sed ipse Christus, qui & divinitate Deus & humanitate homo est, non potest vero intellectu intelligi homo, nisi cum Verbo quod caro factum est; quia Verbum Deus hujus novi hominis caput: *Caput enim Christi Deus*, ait apostolus: Christus autem nomen est hominis, ut Petrus ait, Spiritu sancto & virtute uncti præ consortibus suis. Quem qui sine capite suo intelligit, quasi truncum illum fingit fide ficta, neque in illum credit fide non ficta. Sicut enim si quis hominem quemlibet habentem caput intelligeret sine suo capite, vel corporali quod ceteris membris præeminet, vel spirituali quod in anima præcellens mens dicitur, falsum haberet intellectum, seu & fidem fictam, si hoc ut intelligeret, immo se intelligere putaret, verum crederet. Sic etiam qui Christum credens hominem secernit ab eo suum caput quod est Deus, non regitur fide ficta, sed fallitur fide ficta, fingendo sibi pro vero Christo aliud, quod non est Christus. Quia sicut capite suo privatus homo, jam non est homo sed truncus, ita capite suo privatus Christus, jam non est Christus in fide illius qui eum talem credit, qualis ipse non est. Et certe sic intellectus, immo sic fictus Christus homo sine capite suo, revera minor est in gloria quam pater suus Deus, quia talis Christus non est Deus, atque ideo non est illi gloria Dei, quia Deus illi non est caput. Sed Christo per apostolos nobis annunciato caput est Deus, ac proinde in gloria divina patri suo Deo coæquandus est in fide fidelium. Non tamen id negandum, immo confitendum, quod is qui in sua divinitate patri est æqualis, eodem est minor secundum humanitatem.

III. Hinc est longa illa concertatio inter domum David & domum Saulis, quod domus David, sancta videlicet ecclesia non vult recipere alium Christum, nisi illum de cornu divinæ fortitudinis unctum. Domus autem Saulis, videlicet generatio prava & perversa quærit alium, qui unctus de lenticula vase fictili, per quod fides ficta figurata est, ille intelligi potest de quo Christus dicit: *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me; alius veniet in nomine suo, & illum accipietis*. Verus autem Christus de cornu salutis unctus, ille est de quo canimus: *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui*.

IV. Numquid primus ego aut solus hoc sentio, quod caput Christi Deus? Nonne apostoli sensum quem teneo tenet etiam Augustinus? In libro enim sexto de Trinitate inter cetera sic dicit: „ Quod „ est pater cum filio, caput est ei, quod est solus „ filius; cum filio enim pater Deus: solus autem filius Christus est, maxime quia jam Verbum caro factum loquitur. Secundum quam humilitatem ejus etiam major est pater, sicut dicit: „ *Quoniam pater major me est*. Ut hoc ipsum „ Deum esse, quod illi cum patre commune est, „ caput sit hominis mediatoris, quod ipse solus. „ Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est, tamquam caput humanæ substantiæ, „ cum ipso homo cum mente sit homo; cur non „ multo congruentius multoque magis Verbum cum „ patre, quod simul Deus est, caput est Christi, „ quamvis Christus homo nisi cum Verbo quod caro factum est intelligi non possit? „ Ecce in his dictis Augustini clare discerni potest inter illius humanitatis humilitatem qua Christo major est pater, quæ nec homo nec Deus est, quia quasi nuda sine divinitatis capite intelligi potest; & illam humilitatem quæ homo est, cui Deus caput est, atque ideo sine suo capite intelligi non potest vero intellectu, seu credi vera & non ficta fide. Quod autem humanitatis nomine interdum ipsa forma qua homo est, quæque homo non est, intelligi debeat, nemo sobrie philosophantium ignorat: qui considerat ratione mathematica formas rerum considerat, licet inabstractas, tamen abstractim speculandas, ut docet Boetius. Quod vero iterum vocabulo humanitatis anima & caro; quæ duo juncta sunt homo; interdum soleant significari, aperte docet Hieronymus in expositione catholicæ fidei dicens: *Sic confitemur in Christo unam filii esse personam, ut dicamus duas perfectas & integras esse substantias, id est deitatis & humanitatis, quæ ex anima & corpore continetur*. Ecce aperte heic ostendit, humanitatis nomine animam & corpus intelligi: quæ duo Dei filius assumsisse insinuatur, ubi hominem, sive humanitatem vel humanam naturam accepisse legitur.

CAPUT VI.

Mallet auctor exemplo sancti Hilarii, certum nomen hominis, quam nomen humanitatis ambiguum, positum esse in iis suorum scriptorum locis, in quibus dicit, Humanitatem in Deum glorificantem. *Ceterum Christum hominem non sola dulia, sed etiam latria adorandum esse ex patribus adstruit*.

I. HEic perstringenda videtur illorum simplicitas, qui de rebus ultra omnem rationem secretis & altis, ita ratiocinantur: Anima Christi plene ac perfecte sapiens fuit, nec tamen ipsi sapientiæ quam habuit, coæquata fuit. Quia longe aliud est sapientia sapere; atque aliud, sapientiam esse: quorum alterum, quod minus est, convenit homini assumto; alterum, quod majus est, Verbo assumenti hominemque assumtum regenti.

II. Sic loquendo vel de anima Christi, vel de ipso Christo habente sapientiam, non attendunt modum quo habet eam. Non enim ille habet sapientiam sicut Paullus aut alius quilibet sanctus per sapientiam illuminatus, cui & hæc ipsa sapientia est accidentalis, ac potest ab eo vero intellectu secerni: sed quomodo quilibet homo habet in corpore suo caput, vel in anima sua mentem, sic assumtus homo in Dei Filium, qui est æterna sapientia,



ipsam Dei sapientiam habet in se, non utcumque, A sed quasi caput, immo veræ caput subsistentiæ. Quapropter sicut absurdum est, hominem dicere minorem suo capite vel sua mente; sic absurdum est, filium hominis dicere minorem suo capite, suo scilicet principali, quod est æterna sapientia.

III. Cum ergo sit magna differentia inter humanitatem qua homo est, & humanitatem quæ homo est; ubicumque dixi aut scripsi humanitatem in Deum glorificandam, non aliud intellexi nisi hominem ex anima rationali & humana carne subsistentem, Deique Verbum caput habentem. De quo & sponsa dicit: *Caput ejus aurum optimum*. Cui B quia datum est nomen quod est super omne nomen, recte prædicavi, Eum Deo patri coæqualem secundum ejusdem nominis veritatem, secundum sui capitis æternam claritatem, non secundum humanitatem qua homo est, secundum quam semper est & erit minor patre ac seipso & Spiritu sancto. Itaque ubicumque in scriptis meis invenitur humanitatis nomine significatus homo, quia inde scandalizari possunt parvuli; de quorum scandalo nobis debet esse cura; seu etiam perversi, æmuli, detractores, invidi; quorum scandala sunt spernenda, quoniam de talibus dixit Christus, *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum*; nunc mallem certum nomen hominis positum, quam nomen humanitatis C ambiguum.

IV. Sic beatus Hilarius in IX. libro de sancta Trinitate nobis formam loquendi præostendit, dicens: *Id enim homini acquirebatur ut Deus esset*. Homini ait, non humanitati. Homini enim ut Augustinus affirmat datum est nomen quod est super omne nomen. Homini inquit, non humanitati, quia homini datum est ut nominetur & sit Deus altissimus. Quod videlicet nomen de forma servi, quæ est humanitas prædicari non potest: quamquam & hæc ipsa forma interdum significari soleat hominis nomine. Ut cum homo dicitur forma servi, qua major est forma D Dei, quæ intelligitur ipsa divinitas, qua formosus & speciosus est homo præ filiis hominum, in qua etiam forma non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo patri. Unde Hilarius in nono libro dicit: „ Sed manere in Dei unitate assumtus nullo „ modo poterat, nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet: ut per hoc quod in „ natura erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset; atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria „ Dei patris, si in gloriam Verbi caro esset unita, rediretque tunc in naturæ paternæ, etiam „ secundum hominem, unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumta tenuisset. „ Hucusque Hilarius. E


V. Notandum quod iste catholicus doctor ait *secundum hominem*, non ait, *secundum humanitatem*, ubi loquitur de gloria Christo secundum hominem data. Secundum hominem inquit, non secundum humanitatem: quoniam plura Christus habet secundum hominem, quæ non habet secundum humanitatem, qua ipse homo est. Homo quippe ille Deus est, sed humanitas ejus Deus non est. Homo qui & humanitate homo & divinitate Deus est, utrumque dicitur proprie, scilicet Deus & homo; ita ut conversim Deus de homine, ac de homine Deus recte prædicetur, dicaturque homo Deus & Deus homo. Sed humanitas qua homo est, neque homo est neque Deus: neque divinitas est ipsa humanitas, aut humanitas divinitas. Ubi ergo videro id necessarium, dilucidaturum spondeo me quod ambigue posui, quamquam id sano intellectu ego posuerim, & sano intellectu valeat intelligi, distinctione habita inter humanitatem qua homo est, & eam quæ homo est.

VI. Invenitur quoque humanitas, qua insinuatur clementia divina, ut illic: *Apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri Dei*. Quod de patre dictum esse declarant sequentia, cum dicitur: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum*. Ista humanitas, quam Græci philanthropiam vocant, tribus in trinitate personis cum sit omnino communis & in omnibus coæqualis, quis eam deneget homini assumto in Deum, per cujus passionem summæ clementiæ opus consummatum est: quique dicitur & est pastor bonus, non accidentali dono sed essentiali bono, ut ait beatus Gregorius? Neque enim clementia seu bonitas illi summo pastori pro suis ovibus occiso est accidentalis, ut aliis pastoribus bonis, quia non ad mensuram data est ei bonitas, qua nemo bonus nisi solus Deus. Est ergo summus Deus homo summe bonus una cum patre suo & Spiritu sancto. Et utique Deus homo qui omnia scit, potestque omnia quæ vult. Et plane Deus homo, qui est adorandus, non ut quidam vanissimi delirant, adoratione sola quæ *dulia* dicitur, sed ea quæ dicitur *latria* soli Deo summo exhibenda. Unde in synodo Ephesina cui præsedit magnus Cyrillus Alexandrinus cum ducentis episcopis legitur: „ Si quis audet dicere, assumtum hominem „ a Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere & „ conglorificari, & connuncupari Deum, tamquam „ alterum alteri adjectum; adjectio enim unius syllabæ, id est *Co* hoc cogit intelligi; & non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependerit, secundum quod „ Verbum caro factum est, anathema sit. „

VII. Item Augustinus ex sermone Domini dicentis, *Non turbetur cor vestrum*, ita dicit: „ Dicunt „ hæretici filium non natura esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum est, quia si filius „ non est Deus natura sed creatura, nec colendus „ est omnino, nec ut Deus adorandus, dicente apostolo: *Coluerunt & servierunt creaturæ potius quam creatori*. Sed illi ad hæc replicabunt & dicent. Quid est quod carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras, & ei non minus quam divinitati deservis? „ Responde ad hæc; Ego dominicam carnem, immo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia divinitate suscepta & deitati unita est: „ ut non alium & alium, sed unum eumdemque „ Deum & hominem, filium Dei esse confitear. „ *Et post pauca*: Humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum filium „ Deum verum & hominem verum si quis adorare contemserit, æternaliter morietur. „

VIII. Item Hieronymus in Jeremiam „: Si, *inquit*, mors absorpta est in victoria, quare non „ carnis humilitas quæ propter humanam salutem „ assumta est, in divinitatis transierit majestatem; „ ut fecerit utraque unum, & non adoremus creaturam, sed creatorem qui est benedictus in sæcula? “ Item Ambrosius in libro primo de Trini-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



tate: „ Probemus, *inquit*, creaturam non eſſe Dei filium. Audivimus enim in evangelio, Dominum mandaſſe diſcipulis ſuis, *prædicate evangelium univerſæ creaturæ*. Qui univerſam creaturam dicit, nullam excipit. Et ubi ſunt, qui creaturam Chriſtum appellant? Nam ſi creatura eſſet, ſibi mandaret evangelium prædicari, & ſubjectus eſſet vanitati, quia teſte apoſtolo omnis creatura vanitati ſubjecta eſt. Non igitur Chriſtus creatura eſt ſed creator, qui docendæ creaturæ diſcipulis mandat officium. „

IX. Hæc Ambroſii ſimulque Hieronymi dicta non debent ad hoc inducta videri, quaſi per hæc ſuadeatur credi, quod in Chriſto eſt creatum, conceptione vel glorificatione abſumtum ut non ſit: quia corpus animatum in Chriſto permanet creatum, ſicut Verbum increatum permanet increatum; ſed ut id quod eſt creatum non dubitetur in gloria increati Verbi exaltatum, ac proinde in gloria creatoris adorandum, neque inter creaturas vanitati ſubjectas reputandum. Quia ut ait apoſtolus, *etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus*. Non, inquam, novimus eum nunc inter omnia creata, ſed ſuper omnia Deum benedictum in ſæcula.

CAPUT VII.

Exemplo trium magorum, auctoritate Leonis & Auguſtini, hominem in Chriſto latriæ cultu adorandum eſſe confirmat.

I. Quid ergo dicemus de his qui Chriſtum adhuc mortalem adoraverunt, quorum præcipui fuerunt illi tres magi qui eum adhuc pannis involutum adoraverunt, & ei munera obtulerunt? Numquid ſic adorantes mortalem facti ſunt idololatræ, ſerviendo creaturæ potius quam creatori? Poſſet utcumque hoc putari ſi creator non eſſet factus creatura, & ſi creatura non eſſet creatori unita. Nunc autem quia Deus homine tamquam regali purpura indutus, & quaſi podere ſacerdotali ornatus apparuit, recte ac legitime illum adoraverunt, & ei aurum tus & myrrham obtulerunt. Aurum ſicut regi magno, tus ſicut Deo vero, myrrham ſepulturæ ejus. Ergo & illam in illo adoraverunt naturam cui ſepultura adhibenda erat. Et licet eum viderent in pannis quibus eum ſua mater involverat, ex qua etiam carnis & membrorum corporalium traxerat veſtimenta, non tamen his veſtimentis tardabatur obtutus adorantium, quo minus agnoſcerent in homine Deum, vel potius hominem Deum. Quia odor veſtimentorum iſtorum ſicut odor turis fragrabat in cordibus iſtorum fide ardentium, qua credebant quod homo in Deum natus, non adoptatus vel renatus ut ceteri ſancti, eſſet verus Deus, non deſiſtens homo eſſe propter innatam ſibi deitatem, nec deſiſtens eſſe Deus propter ſuſceptam in ſe humanitatem; ac proinde recte adorandus propter fragrantiam veſtimentorum ejus, quibus eum induerat mater ejus. Hanc fragrantiam præſentiens olim patriarcha Iſaac naſo prophetali, dixit Jacob filio ſuo Chriſti typum gerenti: *Eſto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ, & adorent te tribus*. Quid ergo mirum, quod magi præſentem ſenſerant fragrantiam cultu adorationis venerandam in vero Jacob ſupplantaturo hujus mundi principem, quam tam longe ante præſentiens patriarcha, monuit adorandam a tribubus, quarum iſti magi primitiæ fu-

A erunt, qui hanc fragrantiam de prope ſenſerunt? Puto jam tunc oculis fidei intuebantur in veſtimento & in femore ejus ſcriptum, *Rex regum & Dominus dominantium*. Cui tamquam regi regum obtulerunt aurum, quemque adoraverunt quaſi Dominum dominantium, cum viderent eum pannis involutum. Veſtimentum quippe ac femur ejus congrue intelligi poteſt caro illius, qua Verbum tegebatur, quæque ipſius Verbi omnipotentia ſuper omnes reges ornabatur, velut continens in ſe ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium. Quod inſidianti Herodi fuit abſconditum, ſed magis adorantibus manifeſtatum eſt.

B II. Unde ſicut ait Leo papa in ſermone de Epiphania: „ Quod cordibus credunt muneribus proteſtantur. Tus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, ſcientes humanam divinamque naturam in unitate venerandam. Quia quod erat in ſubſtantiis proprium, non erat in poteſtate diviſum. „ Item Leo papa in natali Domini: „ Recedant procul & in tenebras ſuas recidant hæreticarum monſtra opinionum, & inſanarum ſacrilegia falſitatum. Nos exſultans in laudes Dei cæleſtium multitudo, & inſtructi ab angelis docuere paſtores: ut cognitis naturæ utriuſque documentis, & Verbum in Chriſto homine, & Chriſtum hominem adoremus in Verbo. Nam ſicut C apoſtolus ait, *qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt*; quanto magis Verbum caro factum unus eſt Chriſtus, ubi nihil alterius eſt naturæ, quod non ſit utriuſque? Quia etſi unum manet ab æternitate, aliud cœpit a tempore; quæ tamen in unitate convenerunt, nec ſeparationem poſſunt habere nec finem; dum exaltans & exaltatus, glorificans & glorificatus ita ſibimet inhærent, ut ſive in omnipotentia ſive in contumelia, nec divina in Chriſto careant humanis, nec humana divinis. „ O! quam recte obtulit & quam recte diviſit iſte Romanus pontifex, naturas diverſas in Chriſto diſcernendo, ſed unam gloriam naturæ utrique aſſignando. Non ſic impii, non ſic; dum ſic D diſcerpunt Chriſtum, ut Verbo latriam, duliam vero affirment homini deberi. Et hoc firmare conanantur quaſi auctoritate Auguſtini exponentis illud in pſalmo, *Adorate ſcabellum pedum ejus*, credo excerptum prætendendo. Quod ſub nomine Auguſtini Petrus modernus gloſſator [1] intexuit ſuis gloſſis: ubi aſſignavit homini duliam, Verbo latriam, cum beatus Auguſtinus hoc minime ſenſerit. Qui tractans de prædicto ſcabello adorando, nullam penitus facit mentionem duliæ. Quod prædictus Petrus creditur poſtea deprehendiſſe. Quia in ſententiarum ſuarum libro tertio, ubi opiniones quorumdam ponit exiſtimantium Deo latriam, & homini duliam exhibendam in Chriſto, nullam facit menE tionem Auguſtini. Sed in eodem libro ubi Auguſtini ſententiam commemorat de adorando ſcabello pedum Domini, penitus nulla eſt mentio duliæ, ſicut iſti mendaces aſſerunt, homini aſſumto exhibenda.

III. Non enim egregius ille doctor ſic æſtimavit hominem Verbo unitum, quaſi extrinſecus adhærens veſtimentum. Quod exinde patet, quia in primo libro de ſancta Trinitate ait: „ Aſſumtus eſt homo, in qua forma ipſius Dei Verbi perſona præſentaretur: non ut haberet Verbum Dei ſicut alii ſapientes, ſed præ participibus ſuis. Non utique quod amplius haberet Verbum ut eſſet quam ceteri excellentiore ſapientia; ſed quod ipſum

1. Petrus Lombardus.

,, Verbum erat. Aliud est enim Verbum in carne, ,, aliud Verbum caro: id est aliud est Verbum in ,, homine, aliud est Verbum homo. Caro enim ,, pro homine posita est in eo quod ait: *Verbum* ,, *caro factum est*. ,, Idem in libro quarto exponens illud, *Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ*. ,, Aliter, *ait*, mittitur ut sit in ,, homine, aliter missa est ut ipsa sit homo. In ,, animas enim sanctas se transfert, atque amicos ,, Dei & prophetas constituit, sicut etiam implet ,, angelos, & omnia talibus ministris congrua per ,, eos operatur. Cum autem venit plenitudo tem- ,, poris, missa est non ut impleret angelos, neque ,, ut esset angelus; nisi in quantum consilium pa- ,, tris annuntiabat, quod & ipsius erat; nec ut es- ,, set cum hominibus aut in hominibus; hoc etiam ,, & antea in patribus & prophetis; sed ut ipsum ,, Verbum caro fieret. ,,

IV. Non sic impius docuit Nestorius dicens: ,, Propter indutum, indumentum collo; propter ,, occultum, adoro visibilem. Non per se Deus est ,, quod plasmatum est in vulva, quod creatum est ,, de Spiritu, quod sepultum est in sepulcro. Sic ,, enim essemus hominis cultores, & mortui cultores manifesti; sed quoniam in assumto Deus ex ,, assumente assumtus habet, ut assumenti copulatus Deus. *Item*: Inconfusam, *inquit*, naturam ,, custodimus, conjunctionem confitemur in homi- ,, ne Deum: veneramur divinæ conjunctioni, omnipotenti Deo, coadorandum hominem. ,, Sic ille blasphemus docuit; non hominem assumtum per se adorandum, sed Deo assumenti coadorandum. Et ob hanc ejus pestiferam doctrinam in synodo Ephesina recitatam proscriptus & damnatus est, orthodoxis patribus hoc præcipue cum ejus doctrina detestantibus, quod nimis dividens hominem assumtum ab assumente Deo, negavit ei cultum divinitatis exhibendum tamquam Deo: quia non hominem Deum, sed Dei asseruit vestimentum & templum; solummodo adoptione atque conjunctione sortitum nomen Dei, atque filium Dei dicens non oportere dici Deum, qui propter nos homines factus est: disputans etiam sicut in gestis concilii legitur, adversus reverendissimos episcopos, præsumsit dicere: *Ego bimestrem & trimestrem Deum non dico*. Cui doctrinæ pestiferæ penitus est contraria beati Augustini assertio præmissa, dicentis: *Aliud est Verbum in carne, aliud Verbum caro est; idest aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo* &c. uti supra usque ad *ut ipsum Verbum caro fieret*. Nonne hic eximius doctor Deum teneris indutum membris ita veneratur, ut vestimenta ejus de matre assumta in ipsius fide habeant odorem turis, ac proinde sint veneranda omni cultu divinitatis summæ?

CAPUT VIII.

Adoratio crucis redundat in Christum qui est filius Dei secundum hominem, non secundum humanitatem qua homo est; nec filius Dei adoptivus, sed naturalis. Distinguendum docet inter generationem naturaliter naturalem, & generationem mirabiliter naturalem, qua generatus est filius homo-Deus.


I. HÆc fides etiam flagrabat in illa beata femina quæ dixit: *Si tetigero fimbram vestimenti ejus salva ero*, & sic factum est: tetigit fimbriam & sanata est, audivitque continuo: *Fides* A *tua te salvam fecit*. Illa tetigit Jesum quem turba premebat: illa sensit gratiam salutis a salvatore in se venisse, atque ille sensit virtutem exisse de se: *Ego*, inquit, *sensi virtutem de me exisse*. De me, inquit, non de fimbria: neque dixit fimbriam, sed *me tetigit aliquis*: ut liquide animadverti possit, venerationem suæ carni & his quæ in carne gessit vel passus est, exhibitam redundare in ipsum Deum, de quo exiit & procedit virtus in omnes fideliter illum tangentes, & non cum turba illum prementes.

II. Hinc est quod adorantes vestigia pedum ejus, ipsum nos credimus adorare. Adoramus & crucem B venerantes in ea crucifixum, quæ sicut ait beatus Andreas, in corpore Christi dedicata, & ex membris ejus tamquam margaritis ornata recte proponitur in ecclesia sapientibus & simplicibus adoranda. Neque talis adoratio facit idololatras; quia in ipsum tendit qui pependit in ea, cui non dulia ut ceteris divis, qui multi sunt, sed latria exhibenda est tamquam Deo vero in utraque natura Dei patris unico, non adoptivo. Unde Augustinus in Enchiridio: ,, Quid enim natura humana in Christo ,, meruit, ut in unitatem personæ unici filii Dei ,, singulariter esset assumta? Quæ bona voluntas, ,, cujus boni propositi studium, quæ bona præ- ,, cesserunt opera, quibus mereretur iste homo una C ,, fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit ho- ,, mo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, ,, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex ,, quo homo esse cœpit, neque aliud cœpit esse ,, quam Dei filius, & hoc unicus, & propterea ,, Dei Verbum quod ab illo suscepto caro facta est, ,, utique est Deus: ut quemadmodum est una per- ,, sona quilibet homo, anima scilicet rationalis & ,, caro; ita sit Christus una persona, Verbum & ,, homo. *Item*. Proinde sicut confitemur, Domi- ,, nus noster Jesus, qui de Deo Deus, homo autem ,, natus ex Spiritu sancto & virgine Maria, utra- ,, que substantia divina scilicet & humana, filius D ,, est unicus patris Dei omnipotentis, de quo pro- ,, cedit Spiritus sanctus. ,,

III. Cum ergo ut ostensum est, Christus in utraque natura sit patris unicus filius, obmutescant blasphemi hoc affirmantes, quod filius hominis non sit filius Dei secundum hominem; non dico secundum humanitatem, ne quis putet me affirmare humanitatem divinitati æqualem esse, quod ego minime affirmavi. Sed aliquoties nomine humanitatis de homine Deo agens, ipsum glorificatum in gloria sibi data, Deo coæquatum asserui: ita ut sit in gloria Dei patris, minor quidem patre secundum humanitatem, sed æqualis illi secundum innatam si- E bi divinitatem. Quæ non post conceptum, sed in conceptu ei per Spiritum sanctum provenit, ut sit homo ille Deus immensus, non dico secundum humanitatem qua homo est, quæque homo non est, sed dico secundum hominem cui data est divinitatis gloria: ut intelligas hominem illum esse Dei patris filium, quem pater sanctificavit & misit in mundum.

IV. Si enim scriptura solvi non potest, in qua vocat Deos & filios excelsi veritas quæ non mentitur, illos ad quos factum est verbum Dei, sive sermo Dei; quanto magis recte homo Verbum Dei factus dicitur Deus, & Dei filius naturalis, cum ipse sit Verbum Dei, non adoptivus, ut illi ad quos factum est verbum Dei? Quippe illos adoptavit in filios, cum essent prius natura filii iræ,

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



a qua ira liberati sunt, & liberantur non generatione sed regeneratione. Iste vero a patre sanctificatus in utero matris longe amplius quam Jeremias vel Joannes, quos legimus in uteris matrum sanctificatos, nascendo accepit ut esset filius Dei. Nascendo inquam in utero matris, operante Spiritu sancto divino amore. Unde etiam antequam de clauso matris utero tamquam sponsus procederet, angelus dixisse legitur de Josepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto &c.* Item angelus ad Mariam: *Quod*, inquit, *nascetur ex se sanctum vocabitur filius Dei.* Præmiserat autem caussam dicendo: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Itaque ille homo quem sancti Spiritus, idest amoris divini operatione in suæ carnis conceptione sanctificavit pater, & misit in mundum, absque blasphemia prædicatur Deus, Dei naturalis & proprius filius, etiam secundum quod homo est: sicut idem prædicatur filius hominis, etiam secundum quod Deus est.

V. Quod quia Nestorius fuit ausus negare, vetans Mariam dici Theotocon, id est Dei genitricem, quasi hominem solummodo & non Deum genuerit, jure damnatus & hæreticus judicatus est. Similiter Photinus, quia docuit, Christum solummodo esse filium hominis & non Dei, ac proinde non ipsum Deum, sed inter sanctos præcipuum, in quo quidem habitaret præ ceteris sanctis omnis plenitudo divinitatis, neque tamen ipse Deus esset. Sic enim doctrinam ejus perstringit sanctus Hieronymus in Jeremiam. Damnatus est etiam ipse cum omnibus suis sectatoribus, hominem de virgine genitum negantibus esse Deum Dei filium proprium, non adoptivum. Sed obsistit adversarius aliquis Photinianus, hominem Deum sua deitate spolians, hominis filium solummodo affirmans esse hominem, neque dici posse Deum vel Dei filium: nisi forte, ut ajunt, per adoptionem vel unionem. Quia ut ajunt, si est homo Dei filius naturalis in quantum homo est, igitur est homo Deo patri suo consubstantialis; quomodo in naturalibus quilibet patri suo consubstantialis est. Verbi gratia, Isaac Abrahæ consubstantialis est. Non est autem Christus secundum humanitatem Deo patri consubstantialis, ergo nec filius ejus naturalis. Adhuc autem sequitur inconveniens. Etenim si unus filius tam dispares habet parentes, videlicet Deum patrem naturalem, & hominem matrem naturalem, similis est mulo diversarum naturarum parentes habenti, & neutri parenti connaturali. Est etiam quasi spurius homo de nobiliori patre quam matre generatus. Quæ inconvenientia per hoc ajunt effugienda, ut Verbum de solo Deo genitum, & hominem de sola Virgine fateamur generatum, sed Verbo sic unitum ut ex adoptione vel unione potius, quem ex generatione habeat nominis illius consortium, quo Verbum Dei dicitur Dei filius. Quia impossibile, inquiunt, est ut vel spiritus de carne, vel caro de spiritu nascatur. Addunt etiam ex insensibili constat nil sensibile nasci.

VI. De talibus talia dicentibus conatus est mihi probare quidam ceteris importunior, quod si homo Dei filius esset, cum quod nascitur de spiritu spiritus sit, carnem & ossa non haberet homo natus de Deo, qui spiritus est. Qui hæc dicunt & sentiunt, non discernunt inter generationem naturaliter naturalem, & generationem mirabiliter naturalem. Nam verbi gratia generatio Ismaelis ex Abraham, quia secundum carnem fuit, naturaliter naturalis exstitit, quia ut juvencula de viro licet sene concipiat satis admittit natura. Generatio vero Isaac naturalis quidem fuit, quia ex sanguinibus & ex voluntate carnis & ex voluntate viri conceptus & natus est ipse Isaac; sed hoc ultra naturam, non naturaliter sed mirabiliter evenit, ut de sene jam frigido sterilis anus cui desierant fieri muliebria conciperet. Unde apostolus ad Hebræos ait: *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit qui promiserat.* Propter quod & ab uno orti sunt, & hoc emortuo, tamquam sidera cæli in multitudine, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Item apostolus alibi: *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera. Et qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem.* Verbum autem repromissionis ad Abraham hoc fuit: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Item: *Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Isaac.* Sic promittenti Deo credidit Abraham, & reputatum est ei ad justitiam. Unde omnes posteri Abrahæ fidei hujus consortes & heredes, recte dicti sunt filii repromissionis potius, quam filii carnis. *Non enim*, ut idem ait apostolus, *omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed, in Isaac vocabitur tibi semen. Id est, Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est: secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Et quomodo tunc qui secundum carnem natus est persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc.*

VII. Manifesta in his verbis apostoli distinctio claret filiorum carnis & filiorum promissionis, qui etiam filii Dei nominantur & sunt, licet nondum appareat, quod sunt & quod erunt: quorum caput est Christus homo Deus, patribus antiquis promissus & filius datus. Qui & dicunt: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Natus est inquam nobis Deus de Deo & homo de homine, Dei filius idemque filius hominis. In cujus nativitate licet hoc sit naturale, quod homo de homine ac Deus de Deo est genitus; tamen hoc est ultra naturam per admirabilem & ineffabilem gratiam, quod homo Dei filius & Deus hominis est filius, quodque femina Dei genetrix, & Deus altissimus in veritate prædicatur genitor hominis, cui & dicit: *Ego hodie genui te:* cui & Petrus dixit, *Tu es Christus filius Dei vivi.*

CAPUT IX.

Sicut Deus Dei filius per æternitatem, sic & Christus per sacramenti unitatem fuit ante matrem suam: ac proinde qua ratione concessit eam Nestorius vocari Christotocon, eadem potuit & debuit concedere illam dici Theotocon.

I. IN hoc loco scandalizatus hæresiarcha Nestorius, cum diceretur Dei filius etiam hominis filius, noluit acquiescere virginem esse Dei genitricem. In cujus erroris affirmationem duo falsa induxit argumenta, sicut in scriptis ejus reperitur. Unum ejus fuit argumentum, quod nemo possit gignere antiquiorem se, Deus autem antiquior est virgine: unde vetuit eam nominari Theotocon vel Dei genitricem, satis concedens dici eam Christotocon sive Christi genitricem, eo quod Christus ante ipsam

non fuerit, ficut ipfe putavit, ignorans quod per A ineffabile myfterium unitatis Chriftus filius Dei ante Mariam fuit. Qui & legitur in deferto a murmurante populo tentatus, dicente apoftolo; *Neque tentemus Chriftum, ficut quidam eorum tentaverunt:* & a fanguine Abel jufti ufque ad fanguinem fuum in fuis membris multa eft paffus antequam natus. Qui etiam antequam fciret vocare patrem optivum & matrem propriam, ficut Ifajas loquitur, abftulit fortitudinem Damafci & fpolia Samariæ, ulcifcendo ac defendendo populum, de quo erat nafciturus. Unde recte vocatum eft nomen ejus, *Accelera, fpolia detrahe, feftina prædari* [a]: quia magna erat feftinantia iftius pueri fic prœliantis, antequam B fciret vocare patrem aut matrem fecundum eam naturam, in qua erat puer futurus & habiturus materem & patrem optivum. Fuit ergo puer ifte ante matrem, quæ illum licet fe antiquiorem genuit. Quod Neftorius quia poffibile non putavit, ipfam *Dei genitricem* vetuit nominari.

II. Contra cujus errorem loquens beatus Hieronymus in fermone de affumtione fanctæ Mariæ, dicit inter cetera: *In æternitate jam fe fuiffe, qui loquebatur per facramentum fuæ incarnationis infinuat.* Quod apoftolus Judas elucidare volens apertius; *Jefus*, inquit, *populum ex Ægypto falvans, fecundo eos qui non crediderunt, perdidit.* Et alibi C Paullus: *Neque tentemus Chriftum, ficut quidam tentaverunt* [b]. Non quod jam effet Jefus aut Chriftus natus ex Maria virgine, fed quia in illo unico filio Dei jam unitas perfonæ commendatur, quæ occulta erat in myfterio. Quod & alibi evidenter, *Qui nos elegit*, inquit, *ante mundi conftitutionem in ipfo:* quia profecto quidquid Deus fecit ab initio, Chriftus fecit totum per unitatem facramenti. Et ideo Jefus jam erat in filio, qui educebat populum, & Chriftus in eo qui tentabatur, quem femper per facramenti unitatem in Deo fuiffe non dubitatur. Alioquin nifi ita credideris, aut Chriftus Deus non erit omnino, aut contra prophetam Deus recens effe D videbitur.

III. Sed ne talibus quatiamur calumniis fcrutandæ funt fcripturæ, in quibus unitas in Chrifto commendatur perfonæ, quæ non præjudicat tempus ne unus femper dicatur. Hinc quoque beatus Petrus loquens de patribus ait: *Per gratiam Domini noftri Jefu Chrifti credimus falvari, quemadmodum & illi.* Namque illos folus Dominus ducebat, & non erat cum eo Deus alienus. Unde nec nobifcum Deus recens, quia unus idemque eft, qui & eorum ductor fuit, & nofter per paffionem carnis fuæ redemtor. Unus fiquidem in carne fua, unus in facramento atque unus in fpiritu, nec admittit omnino E ut alius filius hominis, alius filius Dei intelligatur; qui nec tempore præfcribitur, nec paffione feparatur. Sed totus Deus in Chriftum, & Chriftus in Deum tranfivit, ut quidquid Dei filius eft Chriftus dicatur: & quidquid in carne pertulit Chriftus, id Deus pertuliffe recte dicatur. Alioquin fi ad rationem refpicias, & ad fenfus humanos, nequaquam itatenus potuerunt inter fe convenire Deitas & humana conditio. Convenerunt tamen in Chrifto, & unus ex ambobus Emmanuel. Unde mihi videtur, quod altitudinem tanti myfterii diligere & videre non potuerint qui aut duos filios, certe aut aliud Chriftum quam Dei filium exiftimavere.

IV. Quapropter nec nos hominem feorfum colimus, quod nefas eft, nec adoramus; fed in femet ipfum qui unus & verus Dei filius femper erat. Idcirco non alium quam eumdem ipfumque Dei filium colimus & adoramus, qui nihil in fe pro affumto homine eft coactus, nihilque quod Verbum caro factum eft imminutus vel mutatus eft. Et ideo unus idemque femper cum Deo patre filius adoratur, non novus, non recens ex tempore, non alienus a natura vel genere. Quod fi tibi novum videtur, quod pro te hominem fufcepit; noveris quod hoc femper cum eo, & in ejus confilio fuerit, ut fic fieret. Et nunc quando plenitudo temporis venit, id factum eft quod in Chrifto femper fuit. Patet ex his quæ dicta funt, quod ficut Deus Dei filius per æternitatem, fic & Chriftus per facramenti unitatem fuit ante matrem fuam: ac proinde qua ratione conceffit eam Neftorius vocari Chriftotocon, eadem potuit concedere illam dici Theotocon. Quia vero unum horum conceffit, alterum negavit; cum in neutro ratio humana illi fuffragata fit, quia tam Chriftus quam Deus ante matrem fuam fuit, quæ tam vere Deum quam Chriftum genuit, quia Deus in Chrifto, immo & ipfe Chriftus Deus fuit quem virgo genuit: ac proinde quam vere Chrifti mater, tam vere Dei mater five genetrix nominatur & eft filii fui fe antiquioris; quod eft mirabile in oculis rationis, & venerabile in oculis fidei.

V. Similiter illa ratio Neftorii qua negavit, poffe virginem vere dici genitricem Dei fibi non coeffentialis filii, eo quod effentiam divinitatis non haberit a genitrice, ficut nec effentiam humanitatis habuerit a genitore, cui homo coeffentialis non eft, ficut nec genitrici Deus coeffentialis eft: ratione fidei fuperatur & caffatur; qua & homo Dei & Deus hominis filius creditur corde ad juftitiam, & ore prædicatur ad falutem. Qui nimirum Dei filius licet dicatur factus ex femine David fecundum carnem, feu factus ex muliere fecundum carnem; ut videlicet ficut exponit Ambrofius *factura non divinitati fed carni* adfcribatur: tamen ut ejus nativitas Dei potius quam carni operationi fciatur attribuenda, non fecundum carnem fed fecundum fpiritum natus afferitur ab eodem apoftolo, qui eum dicit factum fecundum carnem. Nam de Ifaac filio fterilis filioque promiffionis in typo Chrifti, quem virgo naturaliter fterilis manente virginitate genuit, loquens dicit eum natum fecundum fpiritum: ut Chriftum quem ille præfiguravit intelligas natum fecundum fpiritum. Natum inquam non factum fecundum fpiritum. Qui factus eft ex femine David fecundum carnem, non autem natus ex eodem femine David fecundum carnem, fed fecundum fpiritum, longe mirabilius concipiente per fidem virgine Deo credula Dei patris Verbum in fe humanandum, quam fterilis item per fidem promiffionis Dei credula conciperet a fene jam frigido, & ficut apoftolus ait, emortuum corpus habente. Quia tamen utrumque factum eft per miraculum Dei, & ille typicus & ifte verus Ifaac natus eft non fecundum carnem, fed fecundum fpiritum: ut quam proprie ille Abrahæ, tam proprie ifte vocetur Dei filius. Qui etiam eidem proprio filio fuo non peperit, fed pro nobis omnibus tradidit illum, ficut ille Abraham proprio filio fuo non pepercit, fed jubente Domino illum difpofuit immolare.

VI. Cum ergo filii promiffionis fint omnes ele-

[a] Ifaj. VIII. 3. [b] I. Cor. x. 9.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

cti, ab apostolo dicti filii Dei, utpote a Deo Abrahæ promissi; præcipue promissionis filius verus Isaac dicendus est filius Dei, ipsum naturaliter in divinitate generantis generatione ineffabili ac mirabili, & in ejusdem generationis virtute sic formantis hominem in Abrahæ filia præcipua, per Spiritum sanctum purificata & ineffabiliter nobilitata, ut mirabili virginitate naturaliter sterili sine viro solius Dei operatione concipiente, is qui conceptus est homo, unus cum Dei promittentis Verbo æterno sit filius unicus. Propter quod, cum legitur in tractatibus patrum, *Christus in cælo sine matre, in terra sine patre*, intelligendum est, sine patre homine. Quomodo hanc determinationem apponit beatus Augustinus in sermone de nativitate Joannis Baptistæ, dicens: *Ipse Dominus fecit sibi servum in utero sterili de sene patre, & de ancilla matre: & ipse idem Dominus fecit sibi carnem in utero virginis sine homine patre, qui fecit primum hominem sine patre & matre.* Cum dicit *sine homine patre*, satis innuit non sine Deo patre conceptum suæ sponsæ ac suum unigenitum.

CAPUT X.

In expositione sua psalmi XVII. v. 5. *quæ de thalamo, osculis, & nuptiis sponsi ac sponsæ dixit, sensu spirituali, non carnali accipienda esse monet: nec in expositione versus sexti ejusdem psalmi se aliud voluisse, quam quæ Augustinus & Hilarius de homine in Deum per gratiam assumto tradidere.*

I. Sed hoc, ut persensi, offendit quosdam carnales, quod in scriptis meis ubi commemoratur iste unigenitus tamquam sponsus de thalamo suo procedens; *tamquam* adverbium dixi potius veritatis, quam similitudinis esse significativum, ut illic: *Vidi agnum tamquam occisum*, id est vere occisum. Item: *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a patre*, pro eo ut diceretur, vere unigeniti. Similiter inquam, cum dicitur *tamquam sponsus*, intelligendus est vere sponsus: unde qui habet sponsam sponsus est. Qui & habet filios, de quibus dicitur: *Numquid possunt filii sponsi jejunare, quamdiu cum illis est sponsus?* Habet etiam sponsam, videlicet sanctam ecclesiam & quamlibet fidelem animam: sicut pater suus habuit sponsam antiquam synagogam, & in ea quamlibet fidelem animam seu personam. Fuit autem beata virgo Maria illius antiquæ synagogæ portio electissima, sic a Deo patre amata ut eam præ omnibus amore suo inflammaret, Verbo quoque suo fecundaret; quod in ea eructatum, & prius mente quam ventre conceptum, de illa processit tamquam sponsus de thalamo suo, amaturus novam ecclesiam, & in ea quamlibet fidelem personam, tamquam sponsam ornatam viro suo. Inter omnes vero sponsas præ omnibus fuit ac permanet ornata beata virgo Maria, tamquam consummatio synagogæ, utpote filia electissima patriarcharum, & post filium suum ecclesiæ sanctæ nova inchoatio, utpote mater apostolorum, quorum uni dictum est, *Ecce mater tua*.

II. Quod autem uni dictum est, omnibus dici potuit sanctis apostolis novæ ecclesiæ patribus. Et quia pro his qui credituri erant per verbum eorum, Christus oravit ut omnes unum sint; ad omnes fideles toto corde Christum diligentes pertinet, quod dictum est uni Christum diligenti, & inter ceteros magis dilecto. Quo omnes illa beata

A mater stans juxta crucem parturivit, quando pro his liberandis & salvandis unicum suum pati sciens, gladio compassionis pertranseunte ipsius animam, cruciabatur ut pareret. Non vana ergo spe clamamus ad illam, non solum, *Ave maris stella, Dei mater alma*; sed etiam quod additur: *Monstra te esse matrem*: propter duplicem videlicet maternitatem; unam qua unicum suum peperit sine dolore, alteram qua sibi & eidem unico suo peperit multos filios cum magno dolore ac tristitia sua, ac sui dilecti ejusque discipulorum. De qua tristitia potest congrue intelligi hoc sponsi dictum: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Item ad ipsam novellam sponsam, primitivam scilicet apostolici ordinis ecclesiam cujus beata Maria erat portio præcipua, idem sponsus tunc propter defectum vini beatificantis corda, inter cetera dixit: *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus*, & cetera usque, *tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quod pene idem est ac si dixisset: Aqua vestra convertetur in vinum. Quia jam tunc illa hora imminebat, qua per ejus passionem & resurrectionem natura humana & mortalis & velut aqua corruptibilis, convertenda erat in vinum beatæ immortalitatis, quo gustato gavisi sunt discipuli viso Domino.

B

C III. Inter quos illa mulier quæ una cum illis dum pareret amplius contristata vehementius doluerat, quia gladius doloris pertransierat animam ejus; non mirum si etiam amplius gaudebat viso Domino filio ac sponso dilectissimo, & jam gaudentibus nuptiarum istarum convivis propter vinum prægustatæ in Christo immortalitatis. Quo etiam vino inebriabuntur quicumque resurgentes immutabuntur in die illa universalium nuptiarum, in qua omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Qui vero immutabuntur, ipsi quoque inebriabuntur de torrente voluptatis; non ut quidam hæretici somniant, carnaliter per mille annos mansuræ, & postea desituræ: sed spiritualis & in æternum permansuræ in illis delitiis, de quibus

D dicitur in canticis canticorum, *Quæ est ista quæ ascendit delitiis affluens, & innitens super dilectum suum?* Delitias istas nuptiales jam tum præmeditabatur ipse Christus, cum suæ matri vinum desideranti, dixit; *Nondum venit ora mea.* Sed hac hora jam instante, ait: *Mulier, ecce filius tuus*: ad discipulum autem, *Ecce mater tua*. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Nam traditur hic ipse discipulus fuisse sponsus in illis nuptiis, in quibus deficiente vino aqua mutata est in vinum. Quod tunc fuit initium signorum, perfectio vero cum in spiritualibus nuptiis Christo compatientes, ut dilecta mater & dilectus discipulus juxta crucem stantes, eidem conresurgendo lætificabuntur, primo in

E spe deinde in re. Et cum de carnali carnalium copula scriptum sit, *voluptas vana est*; quam licet nuptialia bona excusent ut sit venalis, tamen extra connubium si voluntarie admittitur & studiose appetitur, est criminalis. In illa certe spiritali copula Christi & ecclesiæ, Verbi & animæ, veræ ac novæ sunt deliciæ, vera & non vana voluptas est: cujus inani umbra seductus arguetur is, qui ad spiritales nuptias vocatus dicit: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Tales enim cum audiunt nominari sponsum, thalamum & osculum, nesciunt cogitare nisi tantum carnalia, quippe carnales & ipsi.

IV. Verum quia mundis omnia munda, spiritales quoque mundi sunt, & amplius mundari cu-

piunt, in carnalibus nonnisi spiritalia intelligunt. A Verbi gratia, in sponso Deum rationalis creaturæ amatorem, in sponsa ipsam rationalem creaturam, electam in angelis & hominibus: in amore quo illam sponsam suam Deus amat, Spiritum sanctum; in semine quo eam fecundat, sobrie intelligunt ipsum Dei Verbum, per quod sicut facta sunt omnia quæ facta, sic & fecundantur omnia quæ sunt fecunda. Nam quia semel locutus Deus, ait; *Germinet terra*, ex virtute hujus verbi adhuc germinat terra herbam virentem lignumque pomiferum. Germinat inquam aliquando culta, & aliquando quod mirabilius est non culta. Hinc est quod illa virginea terra dedit fructum suum, quam vir nullus excoluerat: *quia virum non cognosco*, ait ad angelum qui ei nun- B tiaverat, Verbum in utero suo incarnandum, ut exinde procederet tamquam sponsus de thalamo suo.

V. De hoc thalamo cum agerem in psalmo XVII. vocabulis quidem utebar carnalibus, nominans thalamum & osculum, & cetera talia nuptiali thalamo convenientia. Sed nihil in eis intellexi aut intelligendum lectori proposui, nisi tantum spiritales delicias, in quibus est non similitudo, sed veritas æternæ voluptatis. De cujus torrente potabuntur veri veritatis amatores, Verbum Dei corde credendo concipientes ad justitiam, & ore confitendo ad salutem parientes. Quibus omnibus illa beatissima sponsa præfertur, in qua idem Verbum Dei conce- C ptum & incarnatum est. Nec debet offendere scriptorum meorum lectores quod eam sponsam Dei nominavi, & Verbo Dei fecundatam prædicavi; non in sermone ad populum, qui fortasse non caperet hoc verbum; sed in psalmi expositione spiritalibus competenti, si qui ex illis dignarentur nostra legere.

VI. In eodem psalmo ubi exposui; *A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*, inter cetera dixi: "Summam siquidem
,, gloriam quam in divinitate semper habuit, suæ
,, quoque humanitati plenissime obtinuit". Quod dictum ne quem forte offendat, sanctorum patrum D idipsum asserentium dicta legat & intelligat, simulque animadvertat nomine humanitatis hominem significari assumtum, cui datum est nomen quod est super omne nomen, ut vere nominetur quod est, videlicet Deus filius Dei unicus. Unde Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum dicit:
,, Hic homo ut a Verbo patri coæterno in unita-
,, tem personæ assumtus filius Dei unigenitus esset,
,, unde hoc mereretur? Quod bonum præcessit, ut
,, ad hanc ineffabilem excellentiam perveniretur?
,, Faciente ac suscipiente Deo Verbo ipse homo ex
,, quo esse cœpit, filius Dei unicus esse cœpit.
,, *Item idem*: Homo quicumque gratia fit Chri-
,, stianus, sicut gratia homo ille ab initio factus E
,, est Christus. *Item in libro* XIII. *de Trin.* Gra-
,, tia Dei nobis commendatur, quia nec ipse ut
,, in tanta unitate Deo vero conjunctus, una cum
,, illo persona, filius Dei fieret, ullis est præce-
,, dentibus meritis assequutus: sed ex quo homo
,, esse cœpit, ex illo & est Deus. Unde dictum
,, est, Verbum caro factum est".

VII. *Item Hilarius in decimo*. " Atque hanc
,, quidem & intemporalem & ininitialem, & omnem
,, humanæ intelligentiæ sensum excedentem unige-
,, niti generationem prædicantes, nati quoque in
,, hominem ex partu virginis Dei sacramentum
,, docuimus: demonstrantes secundum dispensatio-
,, nem carnis tum cum se forma Dei evacuans,
,, formam servi accepit, infirmitatem habitus hu-
,, mani Dei non infirmasse naturam, sed salva di-
,, vinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei
,, ad hominem potestatem. Namque cum in ho-
,, minem Deus natus est, non idcirco natus est
,, ne non Deus maneret, sed ut manente Deo ho-
,, mo in Deum natus sit. Nam & Emmanuel no-
,, men est ejus, quod est *Nobiscum Deus*: ut non
,, defectio Dei ad hominem sit, sed hominis pro-
,, vectus in Deum. Vel cum glorificari se rogat;
,, non utique naturæ Dei, sed assumtioni humili-
,, tatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat,
,, quam ante constitutionem mundi apud Deum
,, habuit. *Item post aliqua*: Evacuans se ex Dei
,, forma, & formam servi accipiens, & filius Dei
,, etiam filius hominis nascens, ex suaque virtute
,, non deficiens, Deus Verbum consummavit ho-
,, minem viventem. Nam quomodo filius Dei ho-
,, minis filius erit, natus vel manens in Dei for-
,, ma formam servi acceperit, si non potente Ver-
,, bo Deo ex se & carnem intra virginem assume-
,, re, & carni animam tribuere, homo Christus
,, Jesus animæ & corporis nostri perfectus est na-
,, tus, & corpus quidem ita assumserit, ut id ex
,, virgine conceptum formam esse servi effecerit?
,, Virgo enim nonnisi ex Spiritu sancto genuit quod
,, genuit. Quamvis tantum ad nativitatem carnis
,, ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum
,, corporum susceptis originibus impenderent; non
,, tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis
,, coaluit naturam: sed omnis caussa nascendi in-
,, vecta per Spiritum, tenuit in hominis nativita-
,, te quod matris est, cum tamen haberet in ori-
,, ginis nativitate quod Dei est."

VIII. *Augustinus in Enchiridio*. " Qui nascun-
,, tur ex Spiritu sancto, non aquæ filios eos dixe-
,, rit quispiam: sed plane dicuntur filii Dei patris
,, & matris ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto na-
,, tus, est filius Dei patris non Spiritus sancti:
,, *Et post pauca*: Profecto modus iste, quo natus
,, est Christus de Maria sicut filius, & de Spiritu
,, sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam
,, Dei, qua homo nullis meritis præcedentibus in
,, ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo
,, Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut
,, idem esset filius Dei qui filius hominis, & fi-
,, lius hominis qui filius Dei. Et sic in humanæ
,, naturæ susceptione fieret quodammodo ipsa gra-
,, tia illi homini naturalis, qua nullum posset ad-
,, mittere peccatum. Quæ gratia ideo per Spiritum
,, sanctum est figurata, quia ipse sic proprie est
,, Deus, ut sit etiam Dei donum. Per hoc ergo
,, quod de Spiritu sancto esse nativitatem Christi
,, dicitur, quid aliud quam ipsa gratia demonstra-
,, tur, qua homo mirabili & ineffabili modo Ver-
,, bo Dei est adjunctus atque concretus, & divina
,, gratia corporaliter repletus?"

IX. Animadverte prudens lector, quod afferente Augustino, gratia qua homo assumtus est ab initio Christus, illi homini quodammodo sit naturalis. Bene dicit *quodammodo*, id est mirabili modo. Quia non naturaliter sed mirabiliter factum est, ut virgine concipiente & credente verbum promissionis, nasceretur ex ea verus Isaac: non secundum carnem, ut non omnes filii ancillæ, filii Evæ; sed secundum spiritum. Et nos quidem qui eramus natura filii iræ, per eumdem spiritum sumus renati, ut nominemur & simus filii Dei. Ille autem non

renascendo, sed nascendo factus est filius Dei. Ac proinde ipsa talis filiatio illi homini est naturalis; ut videlicet sic natus dicatur in veritate filius Dei, non adoptivus: sicut hi qui cum prius fuissent filii perditionis, maledictionis, iræ ac gehennæ, postmodum vocantur & justificantur in filios adoptionis; non per naturam generationis, sed per gratiam regenerationis, qua ut ait Petrus, renati sumus non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.

CAPUT XI.

Quæ sit similitudo inter gratiam Dei, Unicum suum generantis, & filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Christus est filius Dei naturalis in utraque natura: in divina quidem naturaliter, *in humana vero* mirabiliter. *Quid sit illud Psal.*XCVIII. 5. Adorate scabellum pedum ejus.


I. EST autem quædam similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, & filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Sicut enim voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus; ita etiam voluntarie genuit novum hominem qui secundum Deum creatus est, ut sit filius & Verbum ejus, quia Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Et quomodo in sacramento regenerationis accedit verbum ad elementum & fit sacramentum, ipsum quodammodo visibile verbum: sic in sacramento generationis & conceptionis Jesu Christi filii David, accessit Verbum ad humanæ carnis elementum, & factum est magnum sacramentum; quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria. Vere utique manifestatum est in carne, quia Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Detrahe ab aqua verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Detrahe a carne humana Verbum, & quid est caro, nisi caro? Et certe talis caro non prodest quidquam. Spiritus autem carni unitus est, qui vivificavit: quia Verbum spiritus est, æque ut pater & Spiritus sanctus. Quod Verbum caro, id est homo factum, prædicatum & creditum, salus est credentium, sperantium, diligentium. Hoc est enim pietatis magnum sacramentum, credere Verbum incarnatum, credere hominem Dei filium, proinde naturalem, quia nascendo accepit ut sit filius unicus, quomodo quilibet Christianus accipit renascendo ut sit filius adoptivus.

II. Sicut autem regeneratio non aufert in baptismo renascentibus carnem & ossa; cum etiam in regeneratione corporum ad incorruptionem permanebunt in sanctis resuscitatis caro & ossa in sua natura, licet in alia gloria: ita generatio novi hominis qui secundum Deum creatus est, non abstulit ei carnem & ossa. Unde ille stultus est argumentator qui putat esse consequens, ut si homo Dei sit filius naturalis, neque carnem neque ossa habeat. Si enim filius liberæ qui apostolo affirmante secundum spiritum natus est; non minus habuit carnem & ossa quam filius ancillæ, qui secundum carnem natus est; quomodo filius virginis revera liberæ matris, qui secundum spiritum natus est, & de Spiritu sancto conceptus est, negandus est habere carnem & ossa? vel quare negandus est filius Dei naturalis & unicus per talem generationem cujus auctor est ipse Deus pater, qui misit Verbum suum in utero virginis incarnatum, sancto Spiritu operante qui est amor Dei patris, ut quod nasceretur

A ex ea sanctum vocaretur filius Dei? Si enim per adoptionem esset Dei filius, non esset unicus, quia tales filii multi sunt. Item quia per imitationem dicuntur aliquando filii, sicut illic; *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*: si non alter filius Dei esset homo de virgine genitus, non esset unicus, quia tales & taliter filii multi sunt; quorum unus dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

III. Cum ergo sit in utraque natura unicus filius ipse Christus, uti supra per auctoritates præmissas ostensum est, restat ut sicut in utraque natura est unicus, ita in utraque natura sit naturalis Dei filius: in divina quidem naturaliter, quia naturale B est omnibus gignentibus gignere sui generis prolem sibi connaturalem & consubstantialem, sed in humana mirabiliter, quia non in hac Deo patri consubstantialis, aut connaturalis est. Similiter cum Deum genuerit, ac proinde meruerit vocari Theotocos, id est Dei genitrix; ipse tamen Deus virginis filius non est in divinitate matri suæ consubstantialis, quemadmodum nec patri suo in humanitate consubstantialis est: cum sit tamen idem filius Dei & hominis, utriusque parentis proprius filius, videlicet non per adoptionem, sed per generationem filius naturalis; quod tamen est per miraculum, non per naturam. Neque enim hoc habet C natura, ut genitum a gignente discrepet in substantia vel natura. Quod enim de asino & equa nascitur mulus, de leone & parda leopardus, abusio est naturæ, servata tamen heic generis consubstantialitate, non naturæ identitate; si tamen sic placet accipi naturam, sicut eam describit Boetius, docens quod cujusque rei specificata differentia est ejus naturæ: sicut humanitas hominis, leonitas leonis, bovitas bovis est natura. Sed absit his naturalibus exemplis coaptari eam generationem, de qua scriptum est: *Generationem ejus quis enarrabit.* „ Quis enim, sicut ait beatus Gregorius, in„ vestigare sufficiat, quomodo corporatur Verbum? „ quomodo summus & vivificator Spiritus intra D „ uterum virginis animatur? quomodo is qui ex„ sistit, concipitur & nascitur? „ Revera insolubilis est ista corrigia calceamentorum ejus; quia mirabilis natura mirifice induta sic assumsit quod non erat, ut non desineret manere quod erat.

IV. Et quid mirum si natura divina quæ omnino est immutabilis permanet quod erat in Christo? cum etiam natura humana quæ mutabilis est naturaliter, per gratiam nunc facta est immortalis, & immutabilis permaneat in Christo; assumta quidem in divinitatis gloriam, sed non absumta per ipsam gloriam quantum attinet ad sui essentiam, secundum quam etiam subjectus est ipse filius Deo E subjicienti sibi omnia, ut sit subjectio secundum naturam in filio Dei creatam, non secundum gloriam, potentiam, sapientiam, bonitatem eidem collatam, non ad mensuram per ineffabilem & immensurabilem gratiam. Quam non bene mensuravit Photinus, confitendo quidem Christum hominem, sed negans eidem homini omnipotentiam. Unde beatus Ambrosius exponens illud in Luca, *Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine si vis potes me mundare. Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens, Volo; mundare.* Hoc inquam exponens Ambrosius dicit inter cetera: „ Imperat propter Arium, tangit propter Manichæum: „ Volo dicit propter Photinum. „ Quia enim Arius imparem patri afferebat filium, propter illum confutandum nulla prece ante præmissa imperat di-



cens: Mundare. Quia vero Manichæus corpus Christi afferebat phantasticum, quod nec tangi nec tangere potest, recte propter Manichæum tangit. Sed propter Photinum dicit, Volo, ut ostenderet se licet hominem, tamen suo patri coomnipotentem, de quo scriptum est, *Omnia quæcumque voluit fecit*.

V. Laudanda sane istius leprosi fides, qui procidens adoravit hominem quem non dubitabat esse omnipotentem. *Domine*, inquit, *si vis potes me mundare*. Adorabat non adoratione quæ dulia dicitur, qualis etiam licite angelis ante adventum Christi legitur exhibita. Qua etiam licenter adoravit Nathan propheta regem David, quem tamen peccatorem esse non ignoraverat, immo etiam pro peccato suo graviter increpaverat. Non inquam tali adoratione adoravit iste leprosus, quem confessus est omnipotentem, sed illa excellenti adoratione qua solus creator est adorandus. Et merito, quia homo iste licet sic creatus, tamen creatori sic est unitus, ut sic unicus Dei filius, ac proinde adorandus ut Deus. Unde legitur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*.

VI. Beatus Augustinus, ut quidam contendunt, interpretatur scabellum pedum Domini, hominem assumtum, quod etiam dicit adorandum, quoniam sanctus est ille cujus est scabellum. Sed beatus Hieronymus hebraicæ veritatis non ignarus, non dicit *Quoniam sanctum est*, sed quoniam *factum* est: videlicet scabellum ipsum, quod tamen vetat intelligi de homine assumto, interpretando scabellum Domini, sive loca ubi steterunt pedes ejus, sive animas beatas in quibus cernuntur vestigia ejus. Hominem vero assumtum docet esse dicendum potius thronum quam scabellum, ita dicens: „ Quid „ est hoc scabellum pedum Jesu, quoniam sanctum „ est? Legimus in hoc loco, *Cælum mihi thronus* „ *est, terra autem scabellum pedum meorum*: & „ nunc dicitur, *Adorate scabellum pedum ejus*. Si „ terra scabellum pedum Jesu, dicitur autem adorate scabellum pedum ejus; ergo terra adoranda „ est: quomodo legimus in apostolo, quia excepto „ creatore creaturam adorare non debeamus? *Adorare* in scripturis duobus modis dicitur. Dicitur „ enim adoratio quasi in Deum, & dicitur adorare Deum. Proprie adoratio in Deum ponitur. „ Quando autem in homine dicitur; verbi caussa, „ Adoravit Sara Abraham, & adoravit Elias Achab „ impiissimum regem: non dicitur quod Elias sic „ adoraverit Achab quasi Deum, sed hæc adoratio quasi salutatio ponitur. Ergo nunc videamus „ hoc quod dicit, *Et adorate scabellum ejus*. Secundum quem modum dicit, si adoramus scabellum pedum Dei? aut adoramus quasi Deum, aut „ salutamus quasi hominem. Legimus in lamentationibus Hieremiæ, legimus & in alio propheta, quomodo *inquit* sanctificavit Dominus scabellum pedum suorum, & ibi scabellum pedum „ ejus Jerosolyma dicitur sive templum. Igitur secundum historiam legimus & in alio loco, Et „ adorate scabellum ejus: sed pedes non stant nisi „ in scabello. Ergo quod dicitur, Et adoretis ubi „ steterunt pedes ejus, & de scabello dicitur. Ergo secundum literam possumus dicere; verbi caussa, ubi natus est, ubi crucifixus est, ubi resurrexit. Hoc incipientibus loquimur. Ceterum „ scabellum pedum Jesu, anima credentis est. Felix est ille in cujus pectore pedes quotidie ponuntur Jesu. Utinam & in meo pectore ponantur pedes Jesu: utinam vestigia ejus semper hæreant in corde meo! utinam & ego dicam cum „ sponsa: *Tenebo eum, & non dimittam eum*. „ Sponsus cito offenditur, semper munditias amat, „ ubicumque sordes viderit cito recedit. Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum „ est. Non omne scabellum pedum ejus, sed quodcumque sanctum est, quotquot in sanctitate perseverant. Verbi caussa, Adorate scabellum pedum ejus, Petrum & Paullum & ceteros apostolos adorate; hoc est honorate, quoniam sanctum est. Illos adorate qui in sanctitate perseverant. Ceterum qui scabellum fuerunt, & non „ sunt sancti, illos ne adoratis. Verbi caussa, Judas proditor scabellum ejus fuit, sed quoniam „ non est sanctus ne illum adoretis. „

VII. „ Legi in cujusdam libro, assumtio [1] inquit, humani corporis, hoc est hominem quem de Maria est dignatus assumere, ipsum inquit dico scabellum pedum ejus. Licet quidem assumtus sit homo, & ad comparationem Dei omnis creatura scabellum pedum ejus est; tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, & de essenti suo est. Videte quam rem audeam loqui. Ego ita adoro scabellum quod quondam fuit, sicut nunc thronum. Etsi enim novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus eum secundum carnem. Habuerit forsitan scabellum ante mortem, ante resurrectionem, quando comedebat, quando bibebat, quando nostros patiebatur effectus: postquam resurrexit, ad cælos victor ascendit; ego non intelligo aliud sedentem & aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quæ vis & dicis, quare vel quomodo? quomodo sit nescio, & tamen credo quod sit. Miraris si ignorem divinitatis mysteria, cum meipsum nesciam? Interrogas me quomodo & divinitas & incarnatio unum sit, cum ego nesciam quo modo vivam? Deum intellexisse, credidisse est: Deum nosse, honorare est. Sufficit mihi scire quod scriptum est. Sufficit mihi scire quod credo. Plus autem nec volo nec cupio. Si enim plus scire voluero, & hoc incipio perdere quod credo. Fideles dicimur, non rationales. Denique dicitur a Domino: *credis quod ego possim hoc facere*? Et dicitur ad mulierem, *Fides tua te salvam fecit*, non ratio, non inquisitio, non quare vel quomodo factum est; sed quia credidit “. *Huc usque Hieronymus*.

CAPUT XII.

Ejusdem Davidici versus expositio ex Augustino. In adoratione Christi nec homo a Deo, nec Deus ab homine separandus est. Epistola Brunonis Ep. Argentinensis, qua Gerhohi opusculum ad Adrianum papam commendat.

I. Augustinus vero super eumdem psalmum dicit: „ *Exaltate Dominum Deum nostrum*, „ *& adorate scabellum pedum ejus* &c. Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus. Suppedaneum dicitur scabellum. Quod dicunt Græci „ *hypopodion*, dixerunt Latini scabellum, & alii „ dixerunt suppedaneum. Sed videte fratres quid „ nos jubeat adorare. Alio loco scripturarum dicitur: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*. Ergo terram nos jubet adorare, quia dicit alio loco, quod sit sca-

1. Forte *assumtionem*.

SAECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

„ bellum Dei? Et quomodo adorabimus terram, „ cum dicat scriptura aperte: *Dominum Deum* „ *tuum adorabis, & illi soli servies*; & heic dicitur, adorate scabellum ejus? Exponens autem „ mihi quid sit scabellum pedum ejus dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me „ qui fecit cælum & terram. Rursum timeo non „ adorare scabellum pedum Domini mei, quia dicit Psalmus: *Adorate scabellum pedum ejus*. „ Quæro quid sit scabellum pedum ejus? Et dicit „ mihi scriptura: Terra autem scabellum pedum „ meorum. Fluctuans converto me ad Christum, „ quia quæro ipsum heic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de „ terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ virginis carnem suscepit. Et quia in „ carne ipsa ambulavit hic, & ipsam carnem dedit nobis ad manducandum; ad salutem autem „ nemo illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. „ Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus „ dicit, cum de ipsa commendatione terræ ejusdem loqueretur: *Spiritus est qui vivificat, caro* „ *autem nihil prodest*. „

II. His de scabello quod caro Christi est in veritate adoranda præmissis, etiam de alio scabello quod est hæc terra quam calcamus, idem Augustinus adjungit quod sequitur. „ Ideo, *inquit*, ad „ terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intueris, sed illum sanctum cujus pedum scabellum est quod adoras: „ propter ipsum enim adoras. „ In his dictis Augustini patet, non proprie intelligendam scabelli adorationem cum te inclinas atque prosternis, in terram quamlibet: verbi gratia, in pavimentum sanctificatæ domus Domini. Quam terram deosculando, non ipsam adoras adoratione qua solus Deus est adorandus: honoras tamen illam propter illum, cujus intelligitur scabellum, præcipue in sanctis locis ubi steterunt corporales pedes ejus, V. G. in monte oliveti, vel in valle Josaphat, vel in Bethania. Quæ nimirum loca sancta nonnulli corporaliter & multi spiritualiter osculis demulcent: adorando in his non ipsa loca, sed Christum, venerando vestigia pedum ejus. At ubi non terra quæ sub cælo est, sed supra cælos in una trinitatis persona exaltata super omnia creata eminet, cogitatur; absit ut in ejus adoratione vel ipsa distinguatur a sibi unita divinitate, vel divinitas ab ipsa. Quia hoc neque sensit aut docuit Augustinus: & hoc ipsum sub anathemate interdicit synodus Ephesina.

III. Huc accedit nostroque sensui satis concordat, quod in præmissis Hieronymi verbis legitur: *Hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, & de essenti suo est*. In quibus verbis, juxta idioma græci sermonis, *essens* pro persona Christi ex duabus vel in duabus naturis, divina scilicet & humana, sibi inseparabiliter unitis exsistentis posuit. Ex quo patet quod Deus homo, & homo Deus, ex duabus & in duabus naturis consistens unus Jesus Christus, tertia in trinitate persona, sic est adoratione una adorandus ut supra Ephesina synodus definivit, anathemate condemnans qui hominis adorationem a Dei adoratione distinguunt. Quod procul dubio anathema incidunt qui homini assumto duliam, sed Deo ad summum latriam dicunt exhibendam.

A De quo numero est ille blasphemus, qui Augustini verba depravata suis contra nos inseruit scriptis; affirmans quasi ejus auctoritate habendum pro idololatra quisquis a Verbo assumtum adoraret hominem adoratione quæ dicitur latria, quæ & soli creatori exhibenda est.

IV. Porro nos cum prædicto leproso adoramus Christum non dimidium sed totum: videlicet suscipientem Deum & susceptum hominem. Quia ut ait beatus Augustinus in libro de Trinitate, *Talis fuit illa susceptio quæ hominem faceret Deum & Deum hominem*. Item idem: *Utrumque Deus propter accipientem, utrumque homo propter acceptum*.
B Recte igitur adoravit hominem Deum tunc unus homo leprosus; recte & nunc ille magnus leprosus, videlicet mundus immundus, a lepra idololatriæ mundandus vel mundatus adorat hominem omnipotentem, altissimum, Dei omnipotentis, altissimi filium: in quo Deus exaltans & homo exaltatus, non duo sunt altissimi, sed unus altissimus, inseparabiliter & indivise adorandus: non homo propter Deum, sed homo in Deo & in homine Deus. Unde Joannes Damascenus: „ Unus, *ait*, „ Christus Deus perfectus & homo perfectus, quem „ adoramus cum Patre & Spirito sancto una adoratione, non carnem, non adorandam esse dicentes, adoratur enim in una Verbi persona, non
C „ creationem colentes; non enim sicut nudam carnem adoramus, sed sicut deitati unitam. „

IV. Ambrosius in libro de Trinitate ita dicit: „ Dicimus ergo factum esse hominem, & ad hominem hoc esse referendum. Denique & alibi „ habemus: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Secundum carnem utique David „ factus est ex semine. Nec tamen factum esse „ semper ad creationem refertur. Scriptum est „ enim: Domine refugium factus es nobis. *Et* „ *paullo post*: Ergo si factum esse frequenter ad „ aliquid aliud non ad facturam refertur; unde intelligimus heic illud quod de incarnatione Do-
D „ mini scriptum est: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, illud significare, quod ad redimenda opera patris Dominus „ ex virgine Jesus sit creatus. *Item in eodem*: „ Paullus, *inquit*, prohibet me creaturæ servire, & „ Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. *Paullus*, inquit, *servus Domini Jesu Christi*. Et bonus servus qui Dominum recognoscit, ipse creaturæ servire nos prohibet. „ Quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si „ Christum creaturam putaret? Vide ergo quomodo Christum factum & creatum secundum aliquid affirmat, quem tamen creaturam esse negat. “ Idem quoque in eodem libro, Christum
E non adoptivum sed naturalem filium esse testatur, dicens: „ Per adoptionem nos filii dicimur, ille per veritatem naturæ. Quomodo ergo ex nihilo qui ex nihilo omnia fecit? Ita oportet secundum testimonia scripturarum fidei vestigia formare, ut rectæ credulitati sinceræ confessionis „ puritatem adjungamus: atque in Christo non solum increatam naturam divinam corde credamus & „ ore confiteamur super cælos cælorumque virtutes „ altissimam; nec jam inter creaturas deputandam; „ sed super omnes creaturas adorandam eadem adoratione, qua Deus pater adoratur. „ In sancta enim synodo Ephesina sub anathemate interdictum legimus, ne humanitatem Christi Verbo Dei quis dicat coadorandam: quam sancti patres in eadem synodo prædicant adorandam simplici adoratione,

qua non homo a Verbo distinguatur. Sed ex duabus & in duabus naturis unus Emmanuel super omnia Deus benedictus colatur. Item legitur in libro diffinitionum ecclesiasticarum, quem quidam Augustino quidam Isidoro attribuunt, Homousion in divinitate patri filius, homousion patri & filio Spiritus sanctus; homousion Deo & homini unus filius, manens Deus in homine suo, in gloria Dei patris desiderabilis videri ab angelis: sicut pater & Spiritus sanctus adoratur ab angelis & omni creatura, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sicut Nestorius blasphemat; sed homo in Deo, & in homine Deus.

V. De hac adoratione aliisque nunc perstrictis quæstionibus tanta dicta sunt a nobis in opusculo ad papam Adrianum, ut eadem repetere videatur non necessarium, cum possint illic reperta satisfacere lectori benevolo: sicut perlecto eodem opusculo satisfactum est beatæ memoriæ domino Brunoni quondam Argentinensi episcopo, prudenti viro valenter literato. Qui etiam ad lecta & intellecta scripta nostra benigne respondit per epistolam, cujus hoc est rescriptum.

VI. „ Domino G. præposito, viro religioso & „ erudito B. peccator edere de manna abscondito. „ Inter pressuras graves & varios tumultus mundi „ labentis, & suos dilectores secum volventis, „ quantum licuit scripta vestra aspexi: zelum ve„ strum, studia vestra, agonem & eruditionem ad„ verti: & quod regina austri de rege Salomone „ dixit, de vobis veraciter & fiducialiter pronun„ ciandum judicavi. Videlicet quod minor est fa„ ma quæ de vestris laudibus loquitur, quam the„ saurus sapientiæ qui propius accedenti & altius „ fodienti manifestatur. Joannes baptista agnum „ Dei secundum aliquid sciebat & demonstrabat, „ & secundum aliquid nesciebat, quod per colum„ bam descendentem & manentem super eum co„ gniturus erat. Utique mihi tale aliquid circa vos „ accidit; quia vos cognoscebam, sed nec talem, „ nec totum. Scriptis igitur vestris quamvis ra„ ptim & in superficie gustatis, multo & ardenti „ desiderio exopto scriptorum vestrorum mihi gra„ tiam, pariter & vestram præsentiam dulcissimam „ exhiberi: ut quæ clausa sunt, vel quæstionem „ afferre videntur, mutua collatione & amica col„ locutione, quasi quibusdam clavibus aperiantur. „ Incolumitatem vestram, & omnium vobiscum „ in Christo degentium memorem nostri omnipo„ tens Deus longo tueatur ævo. „

VI. Hanc epistolam propter hoc inserui, ut exinde notum sit in ecclesia Babenbergensi ubi nunc pulsamur quæstionibus, aliquando nos habuisse locum in diversorio ad quiescendum apud fidelissimum tunc dominum & amicum, cujus memoria in benedictione mihi est: ut e regione illius memoria pluribus est in maledictione, qui nuper in eadem ecclesia scripta mendaciis & blasphemiis plena contra nos evomuit. Quæ tamen nobilis illa ecclesia sprevit, sicut etiam Pataviensis episcopus eadem sibi missa contemsit. Similiter cum in ecclesiam Salisburgensem suas misisset blasphemias ad dominum archiepiscopum, ad nihilum deductus est in conspectu illius ille malignus cum suis literis litura dignis; utpote mendacia contra nos multa continentibus, & etiam pervertentibus regulam fidei, qua docemur hominem Deum adorandum summæ venerationis adoratione, una cum sua & in sua divinitate, qua homo ille non inter omnia, sed super omnia prædicatur ab apostolo Deus benedictus in sæcula.

CAPUT XII.

Christus in sacramento eucharistiæ vere coram præsens & adorandus est, eisque anathema dicit auctor qui corpus Domini in duobus simul locis esse posse negant; cujusmodi post Berengarium fuit Folmarus, de cujus maledictis graviter queritur Gerhohus.

I. UT autem redeamus ad supra memoratum leprosum Christi adoratorem & omnipotentiæ ipsius confessorem; digne hic talis adorator est proponendus in exemplum fidelibus id credentibus, quod sicut tunc adorabatur in corpore suo, sic etiam nunc adoretur præsens in eodem corpore suo, potens mundare adorantem & manducantem se. Credat igitur mundus peccati lepra inquinatus, quod Christus Jesus corporaliter manens in cælo, nihilominus corporaliter sit in templo suo quod est ecclesia, quam pascit corpore ac sanguine suo; non solum sacramento tenus ut voluit quidam Berengarius, & adhuc vult prænotatus blasphemus ejusdem Berengarii pedissequus: sed in rei veritate, itaut ipsius Christi verum corpus de virgine sumtum, in altari præsentetur, immoletur, manducetur, ac proinde salubriter adoretur. Quia ut in præmissis Augustini verbis legitur, *nemo ad salutem carnem Christi manducat, nisi prius adoraverit*. Qui vero adorant eam in sacramento altaris, credunt eam illic præsentem, seseque manducantibus vitam dare, juxta illud: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Item: *Sicut genuit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me & ipse vivet propter me*. Non autem Christus manducatur nisi ubi præsens creditur. Præsentatur autem nunc assidue in templo suo quod est ecclesia, ut quondam præsentatus est in templo; juxta illud: *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis*. Accipiunt quoque illum in ulnas suas justi & timorati, stringentes illum ad se brachiis bonæ operationis: dum non in vacuum tantam gratiam, sanctam videlicet eucharistiam suscipiunt, in qua ipsum fontem gratiæ corporaliter præsentem credunt.

II. Quod quia negavit jam dictus Berengarius, ipse doctrinam suam hanc pestiferam damnare, atque abjurare coactus est in concilio publico, imposito sibi silentio. Sed nunc in ejus locum surrexit ille blasphemus, recte nominatus Folmarus, quasi follis amarus, dictis & scriptis affirmando, corpus Domini ex quo ascendit numquam fuisse sub cælo. Cui cum nos inter cetera objiceremus, quod multi sanctorum viderint eum corporaliter postquam ascendit in cælum, sicut corporaliter visus est Petro, quando ei dixit: *Venio Romam iterum crucifigi*; dixit, hoc totum esse fabulosum, neque canonicis fultum scripturis: forsitan pro canonicis nesciens habendum scripturis, quod Lucas refert in actibus apostolorum, Dominum Jesum Christum post ascensionum suam visum & auditum fuisse a Paullo apostolo. Unde ait ipse, *Nonne Dominum nostrum Jesum Christum vidi?* Et Ananias ait ad illum: *Dominus Jesus qui apparuit tibi in via, misit me ad te, ut videas & implearis Spiritu sancto*. Maxima vero nobis assistit auctoritas in fide universalis ecclesiæ, atque in scriptis orthodoxorum patrum,

SÆCUL XII. CIRCA ANN. CHR. *1169.*

Ambrosii, Hilarii, Augustini, Gregorii: quorum dicta inserere cum sint notissima, non putamus necessarium.

III. Sane hoc solerter est animadvertendum, quod licet status naturæ humanæ a patribus sanctis multiformiter inveniatur distinctus; videlicet qualis ante peccatum & post peccatum, & post reparationem intelligitur, ex quibus omnibus distinctis inter se statibus aliquid in se habuit homo assumtus, qui & sine peccato fuit, quod ad creationis pertinuit statum; & pœnas peccati habuit in similitudinem peccatoris, nec peccare potuit in similitudinem sanctorum post resurrectionem confirmatorum: attamen ultra omnes istiusmodi status illud habuit, quod suo sanguine peccata in se credentium potuit abolere, quod superexcellit omnem statum totius naturæ humanæ in Adam perditæ. Quia neque sanguis Abel, neque sanguis omnium justorum ante ipsum propter justitiam occisorum potuit auferre peccatum. Item, quod beatus Gregorius carnem triformiter distinguit; videlicet secundum peccatum, ut illic: *Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt*; secundum corruptionem, ut illic: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit*; secundum naturam, ut illic: *Et videbit omnis caro salutare Dei*: nomine carnis totum significans hominem, laudabile est satis contra eos qui disputabant contra carnis resurrectionem, quorum erat præcipuus Constantinopolitanus archiepiscopus ab ipso beato Gregorio tunc in urbe regia Legato confutatus.

IV. Attamen ultra omnes istas distinctiones carnis, est illa caro, quæ peccati & corruptionis, id est putredinis expers, licet naturaliter caro fuerit & sit, supra omnem tamen carnis humanæ habet naturam, ut non solum ipsa æternaliter vivat, sed etiam se participantibus vitam æternam conferat, vitam habens in se manentem, & de se manentem. Unde id quod in altari sacrosancta percipit ecclesia, non corpus hominis ut Nestorius hæreticus voluit, sed corpus Domini est nominandum. Quod quia negavit jam dictus Nestorius, in synodo Ephesina cum sua doctrina damnatus est: atque ad ejusdem pestiferæ doctrinæ confutationem patres orthodoxi dixerunt, & scriptum reliquerunt: „ Ad benedictiones mysticas accedimus, & sanctificamur „ participes facti corporis & pretiosi sanguinis „ Christi, omnium nostrum redemtoris effecti: „ non ut communem carnem percipientes, quod „ absit; nec ut viri sanctificati & Verbo conjuncti „ secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam „ possidentis habitationem; sed vere vivificatricem, „ & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus exsistens, quia proprie carni „ unitus est, vivificatricem eam esse professus est. „ Et ideo quamvis dicat ad nos; *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, non tamen „ eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? sed ut vere „ propriam ejus factam qui propter nos filius hominis & factus est & vocatus. *Item*: Si quis negaverit carnem Christi vivificatricem esse, tamquam ipsius Verbi Dei, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundum dignitatem, aut tam quam secundum quod „ solam habitationem habuerit; & non potius, „ sicut dixit, vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile „ est, anathema sit. „

V. Anathema igitur & alieni sint a sancta ecclesia, qui corpus Domini vivum & vivificum sic putant in uno aliquo loco cæli taliter circumseptum, & quodammodo, quod dictu nefas est, incarceratum, ut non possit uno eodemque momento multis in locis totaliter esse, prout vult & prout exigit salus hominum; propter quod idem corpus est essumtum in Deum. Deridet horum intelligentiam vel potius fatuitatem beatus Hieronymus ad Vigilantium, immo Dormitantium scribens, & inter cetera dicens: „ Lege evangelium: Deus Abraham, „ Deus Isaac, Deus Jacob, non Deus est mortuorum sed vivorum. Si ergo vivunt honesto justa „ te carcere claudantur. Ais enim, vel in sinu „ Abrahæ vel in locum refrigerii, vel subter aram „ Dei animas occisorum apostolorum, martyrum „ consedisse, nec posse suis tumulis & ubi voluerint præsentes adesse. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custudia, in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges ponis, tu & apostolis vincula injicis, ut usque ad diem judicii teneantur „ in custodia, nec sint cum Domino suo. De quibus scriptum est, *sequuntur agnum quocumque ierit*. Si agnus ubique, ergo & hi qui eum agnoscunt ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus & dæmones, qui toto orbe vagantur, & „ celeritate nimia ubique præsentes sint, martyres, „ post effusionem sanguinis sui ara operienter inclusi, & inde exire non poterunt? Dicis in libello tuo, quod dum vivimus mutuo pro nobis „ possimus orare; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum martyres adhuc in corpore constituti possint orare pro ceteris, quando de se debent „ adhuc esse solliciti; quanto magis post coronas „ & victorias & triumphos? Unus homo Moyses „ sexcentis millibus armatorum impetrat veniam a „ Deo, & Stephanus immitator Dei sui & primus „ martyr in Christo peccatoribus veniam deprecatur; postquam cum Christo esse cœperint minus „ valebunt? Paullus apostolus CCLXXVI. sibi dicit in navi animas condonatas; & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his qui in toto orbe ad suum „ evangelium crediderunt, mutire non poterit, „ meliorque erit Vigilantius canis vivens quam ille „ leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste opponeres, si Paullum in spiritu mortuum confiterer. “

VI. Hæc Hieronymus ad sui temporis Vigilantium immo Dormitantium. Nos autem ad hujus temporis Dormitantium Folmarum dedignamur scribere. De ipso tamen favente Domino scribemus, nisi desinat garrire verbis malignis in nos, immo & in Christum quem negat corporaliter esse in sacramento altaris perimendo quantum in ipso est fidem, ac spem totius ecclesiæ credentis, quod Christus ascendens in cælum suæ promissionis memor non relinquet nos orphanos, sed venit ad nos iterum, non solum in spiritu, sed etiam in carne sua. Unde Hilarius in octavo libro de trinitate; „ Si „ vere Verbum caro factum est, & naturam carnis nostræ jam inseparabilem homo natus assumsit; & naturam carnis suæ ad æternitatis naturam sub sacramento nobis communicandæ carnis „ admiscuit, & vere nos Verbum carnem cibo dominico summimus: quomodo non naturaliter in

„ nobis manere existimandus est? Ita enim omnes „ unum sumus, quia & in Christo pater est, & „ Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter „ patrem negabit in Christo, neget prius vel se „ Christo vel Christum sibi inesse: quia in Christo pater, & Christus in nobis: unum in his „ nos esse faciunt. Si vere igitur carnem corporis „ nostri Christus assumsit, & vere homo ille Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis summimus, & per hoc unum erimus, quia „ pater in illo est & ille in nobis: quomodo voluntatis tantum unitas asseretur, cum naturalis „ per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque imprudentem prædicationem cælestium „ dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas. De naturali enim „ in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo „ didicerimus, stulte atque impie dicemus. Ipse „ enim ait: *Caro mea vere cibus est, & sanguis meus vere potus est. Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius „ Domini professione, & fide nostra vere caro est, „ & vere sanguis est: & hæc accepta atque hausta efficiunt, ut nos in Christo & Christus in nobis sit. Est ergo Christus in nobis per carnem. „ Quam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, testatur dicens: „ *Vos autem me videbitis; quia ego vivo, & vos vivetis. Quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit? „ nisi ut cum ille in patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus „ nativitatem, & ille rursum in nobis per sacramentum esse crederetur: ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in patre; & in patre manens, maneret in nobis, & ita ad unitatem proficisceremur, cum quod in eo naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam autem in nobis naturalis humanitas sit, ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Non enim in eo erit quis, „ nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum habens in „ se assumtam carnem, qui suam sumserit. „

CAPUT XIV.

Plura de vitiis & hæresi Folmari Christum in missa esse ex Augustini loco male intellecto & corrupto pernegantis.

I. Lætatus sum in his quæ dicta sunt a sancto Hilario contra *follem amarum*, necdum natum, immo necdum projectum ab utero matris ecclesiæ, vel etiam ab utero congregationis religiosæ, falso habendo nomen canonici regularis; cum contra regulam vivat, quæ ait: „ In incessu, in statu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod „ cujusquam offendat aspectum; sed quod vestram „ deceat sanctitatem „. Quam vero indecens ejus tonsura sit, nos ipsi vidimus: de conversatione autem ejus vana & vaga, satis ab aliis audivimus. Unde non immerito dicimus, eum abalienatum ab utero matris suæ. Nisi enim desinat loqui perversa quæ loquitur, vere est unus illorum de quibus canimus: *Erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa*, & cetera usque, *supercecidit ignis & non viderunt solem*. Viderunt autem illi qui dicere potuerunt. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratia & veritate*. Vidit Petrus eumdem solem nube adhuc mortalitatis vestitum, cum de hominis filio interrogatus diceret: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Et nunc mortalitatis velamento remoto radiantem hunc solem justitiæ vespertilio Folmarus videre non valens, audet contendere adversus aquilas claro intuitu fidei aspicientes hunc solem, non solum in cælo sed etiam in terra fulgentem, & suæ claritatis fulgorem puris & mundis cordibus, tamquam speculis bene politis imprimentem: ita ut aliquis talium dixisse legatur; *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Numquid vero in solo Paullo Christus loquutus est, aut in illo solo habitavit?

II. Audi Leonem papam in sermone ad populum: „ Non est *inquit* dubium, dilectissimi, naturam humanam in tantam connexionem a Dei „ filio esse assumtam, ut non solum in illo homine qui est primogenitus totius creaturæ, sed & „ in omnibus sanctis suis unus idemque sit Christus; „ & sicut a membris caput, ita a capite membra „ dividi non possunt. Quamvis enim non istius vitæ sit sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus: tamen etiam modo templi sui, quod est ecclesia, indivisus habitator est, secundum quod „ ipse promisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ usque ad consummationem sæculi*. Quibus apostolus addit: *Ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliari omnia in ipso*. „ Item: Amplectentes igitur dilectissimi Christianæ spei unicum pignus, non divellamur a compage corporis Christi, in quo habitat sicut ait „ apostolus, omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in ipso repleti. Nam cum incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in „ Christo habitat, nisi quia caro nostri generis facta est caro Deitatis, ita ut in illo simus Deo „ repleti?

III. Fertur autem prædictus Folmarus inniti verbis Augustini scribentis ad Dardanum, quem instruit qualiter debeat cogitare de Christo, secundum veritatem corporis in aliquo loco cæli manente. Sed miror quod idem non attendit illic præmissum, & diligenti assertione monstratum, quod idem Christus est in templo suo quod est ecclesia, quæ est corpus ejus. Neque enim beatus ille usquam dixit aut scripsit, corpus Domini esse clausum in cælo cum plurimis in locis afferat illud esse in missa. Unde in sermone de corpore Domini dicit inter cetera: „ Recolite nomen, & advertite „ veritatem. Missa enim dicitur, eo quod cælestis „ missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat, juxta dictum sacerdotis dicentis: Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti „ angeli tui in sublime altare tuum, & cætera. „ Idcirco nisi angelus venerit, Missa nequaquam „ jure vocari potest. Numquid enim si hoc mysterium hæreticus fuerit ausus usurpare, angelum „ de cælis mittit Deus oblationem ejus consecrare? Maxime cum eisdem per prophetam comminatur sic dicens: *Maledicam benedictionibus vestris*. Quod si benedictionibus eorum se asse-

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.

„ rit maledictorum, quid erit de hostia? Ergo dicemus illam posse ab illo benedici, quem scimus à Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit, & simoniacus benedixerit, quis eorum prævalebit? Numquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verissima verba comminantis Dei? *Item Augustinus de Verbis Evangelii:* Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen invitans nos ad manducandum, ait: *Qui manducat me vivit propter me*. Non occiditur Christus, ut manducetur, sed mortuus vivificat. Quando manducatus reficit, non deficit. Vivit manducatus, surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus, & quidem in sacramento sic fit. *Item:* Norunt fideles quomodo manducent carnem Christi; unusquisque accipit partem suam: unde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur sacramenta; quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. *Item de verbis evangelii:* Quid est Christum manducare? Non solum hoc in sacramento corpus ejus accipere; multi enim indigne accipiunt; sed in ipso manere, & habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat qui in unitate Christi & ecclesiæ quam sacramentum significat, manet. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat nec sanguinem bibit, etsi rei tantæ sacramentum ad judicium quotidie accipiat. “

IV. Ex his colligitur quod in ecclesia sola corpus Christi præsentatur, ubi a sacerdotibus catholicis missa ritu ecclesiastico [1] celebratur. In quorum consortio non reputantur Simoniaci, & sub excommunicatione interdicti; Nicolaitæ videlicet sacerdotes & reliqui altaris ministri manifeste incestuosi. Dicitur quippe incestus, non solum cum consanguinea, sed etiam cum sacrata persona perpetrata fornicatio. Taliter incestuosorum & Simoniacorum nimia numerositas facit hæc tempora periculosa, in quibus regnat immunditia & simonia, tamquam Jezabel immunda juxta nomen suum, quod interpretatur *sterquilinium*, seu *fluxus sanguinis*; & filia ejus Athalia tyrannizans in Judæa. Quia sicut illa præter unum solum parvulum furtim subtractum interfecit omne semen regium, ut regnaret ipsa sola in Judæa; sic & nunc simonia interimit regimen legitimum, ut sola ipsa regnet in ecclesia, divina officia simoniace & ambita & obtenta celebrantibus interdictis & anathematizantibus: quorum sacrificia Deus non respicit, quia de talibus Moyses Deo dixit: *Ne respicias sacrificia eorum*. Sicut ergo illiciti sacrificatores tunc perierunt, sic & modo eorum similes peribunt, nisi pœnitentiam agant. Caveat ergo Folmarus a synodo Ephesina damnatus & anathematizatus, ne missam celebret; in qua velut alter Berengarius cum suæ doctrinæ sectatoribus damnatus, negat esse corpus Domini verum, quod solummodo in cælo asserit esse, ac non alibi usque ad diem judicii, donec sæculum finiatur.

V. Puto autem quod hic deceptor deceptus sit in verbis Augustini dicentis in Joannem: „ Sursum est Dominus, sed tamen etiam heic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo surrexit uno loco esse potest, veritas autem ejus ubique est. „ Mendosi codices habent, *uno loco esse oportet*. Per quod verbum *oportet*, quasi necessitatem inducunt aliqui, tamquam sic oporteat, id est necessarium sit intelligi, ut corpus Domini sit solummodo in uno aliquo cæli secreto loco, nec possit uno eodemque momento multis in locis totaliter præsentari. Quo contra nos veram liberam [2] tenentes asserimus cum Augustino, quod corpus Christi uno in loco cæli *esse potest*: veritas tamen ejus, id est divinitas ubique est. Veritas etiam ejus id est verum ejus corpus in omni altari est, ubicumque intra catholicam ecclesiam celebratur missa. Unde idem Augustinus in libro sententiarum Prosperi: „ Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium ecclesiæ duobus confici, duobus constare; visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine: sacramento & re sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur sacramentum & res sacramenti, id est corpus Christi. „ Item idem in sermone de verbis evangelicis: „ Sicut per spiritum vera caro sine coitu creata est, ita per eumdem ex substantia panis & vini idem corpus Christi & sanguis conficitur. „

VI. His & similibus beati Augustini dictis possunt instrui lectores ejus benevoli & attenti, ne solis verbis ejus ad Dardanum plus justo intentis, æstiment illum negare quod Christus sit corporaliter in ecclesia, quam pascit corpore ac sanguine suo. Quod corpus non sicut mendosi codices habent, uno in loco esse oportet, quasi alibi esse non possit, sed sicut emendatiores codices apud nos habent, ita uno in loco esse potest, ut tamen, prout salus prædestinatorum exigit, nusquam illis desit. Unde etiam ad quorumdam sanctorum exsequias legitur venisse: nec tamen cælum deseruisse credendus est, etiam dum corporaliter videretur sub cælo. Sic beatus Gregorius refert, illum venisse ad obitum sanctæ Tharsillæ amitæ suæ. Sed ille Folmarus talia dicit fabulosa, contendens eum sub cælo nec visum nec videndum ante diem judicii, quando apparebit etiam iis qui eum transfixerunt: interim vero, ut ait, oportet eum esse in loco uno.

VII. Deceptus est per verbum *oportet*, in quo nos habemus *potest*. Nam revera sic potest esse in uno loco is, qui ascendit, ubi erat prius, ut tamen loci unius locali circumscriptione minime sit coarctatus: ita ut non possit corporaliter adesse, vel potius inesse suum corpus manducantibus, prout ipse ait: *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo*. Quisquis autem propter jam dictum verbum *oportet*, necessitatem inducit, quasi necessarium sit loco uno contineri corpus Christi, sive corpus Christum, fragili ramusculo, videlicet verbo a falsatoribus interposito stulte innititur: quia fracto isto ramusculo cadet in barathrum perditionis, innodatus hæresi Berengarii Andegavensis diaconi, quæ damnata & anathematizata est a papa Nicolao cum omnibus ejusdem pravæ doctrinæ sectatoribus, verum Christi corpus negantibus in altari sacerdotum manibus in veritate tractari, frangi, & fidelium dentibus at-

1. Hæc, ut alibi monuimus ad hunc auctorem, cum mica salis accipienda. Quod enim de fructu & utilitate proprie dicitur, videtur Gerhohus paullo audacior ad *realitatem* transferre. Sed indulgendum zelo hominis temporibus satis calamitosis viventis.

2. Forte *literam*.

veri. Sectator vero doctrinæ hujus pestiferæ esse jam A dictus Folmarus deprehenditur in dictis & scriptis, quæ contra nos evomuit, vel potius quasi *follis amarus* amaritudine plena efflavit, putans fortasse ille miser, quod ei sit liberum quæcumque voluerit contra nos gannire seu garrire; pro eo quod sedes apostolica nunc est perturbata, & quassatur Petri navicula.

CAPUT XV.

Folmarum a corrigendis & censendis suis scriptis arcendum esse, nec se umquam dimoveri passurum a sententia sanctorum patrum, Christum exaltatum esse usque ad altissimi Dei patris consessum affirmantium. B


I. Ignosce lector acriter loquenti, & quasi multo sale fœtentis erroris putredinem fricanti: neque putes oblitum quod in exordio hujus opusculi promisi, oleo sacrificium scriptorum meorum superfundendum. Cum enim sit oleum vera veritatis caritas, hæc ipsa numquam caret illa æmulatione de qua dicitur: *Fortis est ut mors dilectio, dura velut infernus æmulatio.* Hac nimirum dura caritatis æmulatione infectandus est hæreticus, & quasi vulpes demoliens vineam, videlicet ecclesiam Wirtzelburgensem, in qua latitat nectens truffas in loco C qui dicitur Trusenstain, pertrahendus est de fovea sua Domino volente ad lucem, cum sancta Romana ecclesia, ut speramus habebit pacem. Confidimus enim Christum qui nunc dormire videtur, cito surrecturum & imperaturum ventis & navi, ut fiat tranquillitas magna. Tunc si Dominus voluerit, & si vixero, ipso adjuvante, Romano pontifici hoc ipsum libellum vel per me vel per certum nuntium præsentabo. Interim vero semotis æmulis meis hoc diffamantibus, quod ego in conflictu Babenbergensi omnino defecerim, quod falsum esse tu nosti, quod eidem conflictui præsens adfuisti, quique ut offendicula quædam exemplo D beati Augustini retractarem, post conflictum illum rogasti, consulendo potius quam præcipiendo, idipsum quoque consulente domino Babenbergensi aliisque tunc, ut putavi, amicis, verum sicut postea comperi non plane amicantibus: quia per unum illorum libellus ille repudio dignus contra me scriptus, quem ego numquam vidi aut legi, missus est domino Petro Wiensi ad ampliationem lacerationis famæ meæ quam non debeo negligere, quia ut ait Augustinus, *qui famam suam negligit crudelis est.* Emissor itaque hujus libelli quisquis ille est, non velut judex in scriptis nostris admittendus, sed quasi detractor cavendus est. Hujusmodi E ergo æmulis non quidem a lectione, sed a correctione scriptorum meorum sequestratis, contentus ero judicio tuo, venerande pater Heberarde, Juvaviensis ecclesiæ archipræsul, cui si quid rationabiliter displicuerit in hoc ipso tractatu meo, paratus ero favente gratia Dei emendare in melius. Quando & in ceteris meis opusculis, quæ tibi displicere cognosco vel cognovero, vel corrigere vel rationabili sensu dilucidare, aut certe omnino auferre non gravabor, salva in omnibus fide mea, qua per doctores orthodoxos didici, Christum exaltatum usque ad altissimi Dei patris consessum, juxta sanctorum patrum dicta subter annexa.

II. Cajus papa & martyr: „Cum unus sit Dominus Jesus Christus, & veræ deitatis veræque „humanitatis in ipso uno una prorsus eademque „persona sit; nec hujus unitionis soliditas, ulla „possit divisione sejungi, exaltationem, qua illum „ut doctor gentium dicit exaltavit Deus, donavit „illi nomen quod est super omne nomen; ad eam „intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat „tantæ glorificationis augumento. In forma quippe Dei æqualis erat Patri filius, atque inter genitorem & inter unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas: nec „per incarnationis mysterium aliquid decesserat „Verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis Deitas „sacramentum magnæ pietatis implevit, humana „humilitas est, quæ in gloriam divinæ pietatis „evecta est, in tanta unitate ab ipso conceptu virginis, deitate & humanitate conserta, ut nec „sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur exaltatus.„

III. Hæc ipsa Caii papæ sententia invenitur in fide Leonis papæ ad sanctum Flavium contra Eutychetem & Nestorium, quam beatus Gregorius papa mirabiliter laudat, in epistolis suis dicens: „Quisquis fidem sancti Leonis papæ auget vel minuit, vel usque ad unum atomum pleniter non „amplectitur, non modo episcopus non est dicendus, sed anathemate sempiterno plectendus.„ Dicit autem idem Leo in ejusdem suæ fidei expositione: „Nec Verbum in carnem, nec in Verbum caro mutata est; sed utrumque in uno manet, & unus in utroque est: nec diversitate divisus, nec permixtione confusus, nec alter ex „patre, alter ex matre: sed idem aliter ex patre „ante omne principium, aliter de matre in fine „sæculorum; ut esset mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, in quo inhabitaret plenitudo divinitatis corporaliter. Quia assumti non assumentis „provectio est, quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Nec „interest, ex qua Christus substantia nominetur; „cum inseparabiliter manente unitate personæ, „idem sit, & totus filius hominis propter carnem, „& totus Dei filius propter unam cum patre deitatem: & nullum est in hac unitate mendacium, „dum invicem sunt, & humilitas hominis & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur „miseratione, ita homo non consumitur dignitate. „Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exsequente quod carnis est. Quamvis in domino Jesu Christo Dei & „hominis una persona est, aliud tamen est unde „in utroque communis est gloria.„

IV. Item idem Leo papa in sermone ad populum dicit: „Deus Dei filius sempiternus manens in forma servi, incommutabiliter atque intemporaliter „habens non aliud esse quam pater, formam servi „sine detrimento suæ majestatis accepit: ut in sua „nos proveheret, non in nostra deficeret. Unde „utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti „tanta est unitatis facta communio, ut quidquid „ibi Dei est non sit ab homine separatum, & quidest hominis non sit a Deitate divisum. *Item idem:* Absint a cordibus nostris, dilectissimi, diabolicarum inspirationum virulenta mendacia: & „scientes quod sempiterna filii Deitas nullo apud „patrem crevit augmento, prudentes advertite, „quod cui naturæ in Adam dictum est, *Terra es & in terram ibis*; eidem in Christo dicitur, *Sede a dextris meis.* Secundum illam naturam qua

SECUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



„ Christus æqualis est patri, numquam inferior fuit (A) unigenitus sublimitate generatoris. Nec temporalis est dextera Dei patris, de qua in Exodo dicitur: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute*. Et in Isaia: *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* „ Item Leo papa in sermone de passione Domini. „ Unigenitus patris summi tale iniit cum humana humilitate consortium, ut suscepta nostræ carnis animæque substantia, unus atque idem filius permaneret, nostra augendo non propria. Quia infirmitas erat provehenda, non virtus: ut cum suo creatori creatura esset unita, nihil assumto divinum, nihil assumenti deesset humanum. „

V. Idem in sermone de Spiritu sancto: „ Dicente beato apostolo Joanne, *nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat clarificatus*: Domini ascensio dandi Spiritus erat ratio, quem ille necesse est neget datum, qui ad consessum paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse provectum. Nos autem, dilectissimi, ad beatam æternitatem & animæ & corporis per generationem sancti Spiritus adoptat sacratissimum hujus diei festum. Rationabili obsequio celebremus; confitentes cum beato Paullo apostolo, quod Dominus Jesus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus: ut evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus est in gloria Dei patris. *Item*: Ad sananda fidelium cordium vulnera, clavorum & lanceæ servata erant vestigia: ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro. *Et post pauca*: Tunc *inquit*, ad æqualem patri filium eruditior fides gressu cœpit mentis accedere, & contrectatione corporeæ in Christo substantiæ, quæ patre minor est, cœpit non egere, quoniam glorificati corporis manente natura eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali intellectu par genitori unigenitus tangeretur. *Item*: Magna & ineffabilis erat caussa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cælestium dignitatem, humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, & ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in filio. Quia ergo Christi ascensio nostra provectio est, & quo præcessit gloria capitis eo spes vocatur & corporis; dignis dilectissimi, exsultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei filius ad patris dexteram collocavit. „

VI. Hilarius in libro nono de Trinitate: „ Hæc humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & prædicare Verbum & carnem confiteri: neque Deum nescire quod & homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens, homo nascitur; jam non est contra naturam spei nostræ, ut natus homo Deus maneat: cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet inferiorem in naturam posse nasci potiorem. *Et subinfert*: Confessio itaque hæc erit in gloria Dei patris: & natum in homine non jam in infirmitate corporis nostri manere, sed in Dei gloria. Et hæc lingua omnis confitebitur, & cum cælestibus terrestria genu flectent. *Item Augustinus de bono perseverantiæ*: Qui fidelis est in eo, veram humanam naturam credit, suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscepit & quod suscepit una esset in trinitate persona, assumtione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo & homine veritatem. *Item in psalmo* LXVIII. Defecerunt oculi (B) mei ab sperando in Deum meum. Absit hoc ut de persona capitis accipiamus. Absit ut defecerint oculi ejus ab sperando in Deum ejus, in quo magis Deus erat mundum reconcilians sibi, & quia Verbum caro factum est & habitavit in nobis, ut non solum in illo Deus esset, sed etiam ipse Deus esset. „

CAPUT XVI.

Auctoris de divina filii hominis gloria doctrina tum veterum tum recentiorum doctorum testimoniis roboratur.

(C) I. Ambrosius exponens illud, Ubi angelus de nascituro filio virginis ait: *Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur*. *Non ideo*, inquit, *erit magnus quod ante partum virginis magnus non fuerit; sed quia potentiam quam Dei filius naturaliter habet, homo erat accepturus ex tempore: ut una sit persona Deus & homo*.

II. Maximus episcopus de Natali Domini: „ Verbum caro factum est, ut non Deus vacuaretur in hominem, sed ut homo glorificaretur in Deum. *Idem*: Quomodo comprehendere homo valet Deum? factus ingenitum? mortalis æternum? Si investigare niteris qualiter Deus in hominem, vel homo (D) transivit in Deum, investiga prius si potes, quomodo ex nihilo factus est mundus. *Idem*: Decreto quodam incomprehensoque conceptu procedit de mortali femina divina progenies. Nec mirum sane si exstitit divina nativitas, ubi non erat humana conceptio. Igitur Deus qui apud Deum erat, prodivit a Deo, & caro Dei quæ in Deo non erat, processit ex femina. “

III. Augustinus de Symbolo: „ Quod sedere pater dicitur, non flexis polpitibus putandum est, ne incidamus illud sacrilegium, in quo exsecratur apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis (E) hominis. Tale enim simulacrum nefas est Christiano in templo collocare: multo magis est nefarium in corde, ubi verum Dei templum est, si a terrena cupiditate atque errore emundetur. Sedens ergo Deus quod dicitur, non membrorum positionem, sed judiciariam figurat potestatem: qua illa majestas numquam caret, semper digna dignis tribuendo. Dextera illius est summa beatitudo, ut sinistra, miseria in qua hœdi constituuntur. *Idem in libro* XX. *de Civitate Dei* XIII. *capite*: Quædam vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur quidquid ea faciente recolitur. Sicut ait apostolus: *Omnes enim stabimus ante tribunal Domini, ut referat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum*: tribunal Domini appellans majestatis ejus

„ excelsitudinem, quæ omnibus ubique in omni- A „ bus apparebit. Qua manifestata videbunt impii „ in quem pupugerunt, & plangent se omnes tri- „ bus terræ: "

IV. Ambrosius exponens illud: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*. „ Consumaturus „ præcepta Dominus, fidem ac misericordiam te- „ stamenti sui fine concludit. Fidem in eo, ut Chri- „ stum Deum & dominum nostrum, & ad dexte- „ ram Dei sedere credamus; non quod corporaliter „ sedeat qui ubique est. Denique ipse in patre quia „ una substantia Dei, quia una virtus, una maje- „ stas. Ipse ergo in patre, & in ipso pater: quia „ Deus in Verbo est, & Verbum in Deo est. In B „ patre ipse sedens ad dexteram patris, quia patri „ consors, nulli secundus. Ipse missus a patre quia „ descendit de cælo patris impleturus arbitrium. „ Tolle hinc perfidiæ quæstiones, & plena religio „ est. Nec præfertur quia ad dexteram sedet, nec „ injuriam patitur quia mittitur; gradus non quæ- „ ritur dignitatis, ubi plenitudo est divinitatis. "

V. Beda exponens illud: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est*: dicit in homilia. „ Majus au- „ tem omnibus quod mediatori Dei & hominum „ homini Jesu Christo pater dedit, hoc est ut sit „ unigenitus ejus filius, in nullo gignenti vel na- „ tura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempo- C „ re posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse „ Dominus in divinitate habuit priusquam mun- „ dus esset apud patrem, ipse in humanitate ex „ tempore incarnationis accepit. "

VI. Hieronymus ad Paullam & Eustochium in sermone de assumtione sanctæ Mariæ: „ Obsecro „ vos, o filiæ, tantam ac talem gratiam ne in „ vacuum recipiatis, quæ est in Christo Jesu, in „ quo Deus & homo sic est unitus in una eadem- „ que persona, ut legatur quam sæpe in divinis „ scripturis homo Deo coæternus propter unitionem „ subsistentiæ, ac deinde Deus homini compassus: „ cum nec ininitiabilis sit homo, nec passibilis Deus. D „ Tamen sic unitus est Deus suo corpori ut nul- „ lam patiatur fieri inter Deum & hominem hu- „ mana opinione distantiam; ne forte, quod absit, „ alius filius Dei & alius filius hominis credatur. „ Præsertim quia scriptura connectit & concorpo- „ rat Deum & hominem, ut nec in tempore ho- „ minem quis a Deo, nec in passione possit ab ho- „ mine Deum discernere. "

VII. Augustinus in libro quæstionum Novi Te- stamenti: „ Christus Dei filius ex æterno est se- „ cundum Spiritum sanctitatis: juxta carnem vero „ ex semine David natus est filius Deo, ut in utro- „ que non factus Deo filius habeatur, sed natus. Et „ *post aliqua*: Salvator ergo & natus est secundum E „ carnem filius Dei. Non enim poterat, quod de „ sancto sanctum natum est, non de Deo nasci. „ *Idem in epistola ad Romanos ait*: Recte Christus „ dicitur non prædestinatus secundum id quod est „ Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim „ prædestinaretur, cum jam esset sine termino sem- „ piternus? Illud autem quod nondum erat ante „ tempora, prædestinatum erat ut in tempore fie- „ ret. Itaque secundum quod est homo prædestina- „ tus, est non solum ut sine meritis esset caput no- „ strum, & ut nec origine traheret nec voluntate „ perpetraret peccatum, & ut ex mortali natura „ clarificaretur in immortalem, sed etiam ut esset „ filius Dei in virtute. Qui ex quo homo esse cœ- „ pit, filius Dei cœpit unicus esse. Quæ tam cel- „ sa est & summa provectio, prædestinata humanæ „ naturæ, ut quo tolleretur altius non haberet. „ Unde etiam secundum Spiritum sanctificationis di- „ citur facta. Non enim carnis cupidine, sed so- „ lo Dei munere, Dei filius unigenitus conceptus „ est & natus. „

VIII. Ambrosius: „ Volvi & revolvi scripturam „ divinam, & filium Dei nusquam inveni adopti- „ vum. Sed sicut Christus in quantum Deus est, „ naturaliter habet ut sit naturalis filius & sit Deus; „ ita in quantum homo est, per gratiam habet ut „ sit idem filius Dei naturalis. „

IX. Hæc sanctorum testimonia credibilia facta sunt nimis, id contestantia quod domum Dei non manufactam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Sed ut firmius credantur, addatur illis testimonium Dei patris de cælo clamantis: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Sanctus Ambrosius hoc testimonium patris de cælo filium commendantis in Luca exponens, & in eodem testimonio filii appellationem ad totam & ex toto divinam Christi generationem referens, „ Quod, *inquit*, evidentius divinæ generationis indicium, „ quam quod de generatione Christi dicturus, ipsum „ patrem præmisit loquentem: *Hic est filius meus* „ *dilectus in quo mihi complacui*? Cum dicit *in quo* „ *complacui*, non aliena in filio sed sua laudat. „ *Item in eodem*: Qui fidei auctor est, ipsum as- „ serere scriptura quoque debuit divinæ generatio- „ nis auctorem: unde & Lucas ad Deum putavit „ originem ejus referendam, quod verus Christi ge- „ nerator Deus sit, vel secundum veram genera- „ tionem pater, vel secundum lavacri regeneratio- „ nem mystici auctor muneris. Et ideo non a pri- „ mo generationem ejus cœpit describere, sed post- „ eaquam baptismum ejus explicuit, auctorem o- „ mnium Deum per baptismum cupiens demonstra- „ re, Christum quoque a Deo ordine manasse suc- „ cessionis asseruit; universa contexens, ut & se- „ cundum naturam & secundum gratiam, secundum „ carnem Dei filium demonstraret. „

X. Hæc dicente sancto Ambrosio, consentiente sibi etiam patris testimonio, & fidelis evangelistæ bono nuncio, funiculus triplex nectitur quo nostra pars confirmatur, & adversarius ligatur: dum Christus etiam secundum carnem Dei filius demonstratur, quando carnalis quoque ipsius ac temporalis propagatio usque ad Deum sursumversus continuatur. Speciosus ergo forma præ filiis hominum est iste homo, supergressus naturam omnium hominum, in tantum ut proprie ad ipsius totam personam pertineat illud testimonium patris de cælo intonantis: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Sufficere possent hæc patrum testimonia de hominis in Deum assumti gloria immensa, & divina ejus magnificentia super cælos elevata. Sed quoniam omnis scriba doctus similis est in regno cælorum patrifamilias qui profert de thesauro suo nova & vetera, veterum testimoniis addamus nova temporibus nostris edita.

XI. Rudpertus Tuitiensis abbas super Joannem exponens testimonium patris de cælo clamantis, *Hic est filius meus dilectus &c.* „ Hoc utique, *ait*, „ a principio non dixit, cum universa conderet, „ cum cæli fabricam extenderet, vel mari termi- „ num poneret, & omnia visibilia sive invisibilia „ mirabilis artifex componens, suo singula loco vel

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.

ordine distingueret. Et quidem placebant illi cuncta bona quæ fecerat, quia erant valde bona; sed numquam in omnibus illis seipsum sibi complacuisse insinuat. In hoc autem uno sibi complacet & dicit: *Mihi complacui*, quod longe aliud est quam si dixisset, Tu mihi complacuisti. Attendamus ergo quid in Christo factum sit, & videbimus quod vere pro magnitudine vel qualitate operis recte pater in illo sibi complacuerit. Videlicet cum Deus omnia fecisset ex nihilo, nihil omnino simile sibi vel æquale fecerat, quamquam ad imaginem & similitudinem sui hominem fecerit. Nec enim fieri poterat ut increato Deo similis vel æqualis formaretur creatura.

XII. ,, Non ergo benevolentiæ creatoris sufficiebat, quod ea quæ fecerat erant cuncta valde bona. Quia nihil inter omnia simile sibi vel æquale videbat, sed ut dictum est, tale quid omnino qualis ipse est creari non poterat. Quapropter multitudo creaturæ infirma, utpote de nihilo facta, partim corruerat, neque suis viribus ullo modo restaurari valebat. Suggessit igitur tunc ipsa quæ prius apparuit in specie columbæ, mitis & benevola patris caritas, quatenus ipsam virtutem, ipsum Verbum per quod omnia fecerat; quoniam nihil sibi æquale condiderat; facturæ suæ uniret, & sic unum quid cui nihil deesset in ordine naturæ produceret: essetque creatura, licet dispar conditione tamen compar creatori, fuimet in Deum assumtione & glorificatione. Quo facto gratulatur omnipotens bonitas, & applaudit sibimet dilectio columbina omnis invidentiæ nescia, quod ope sua compar sibi facta sit humana creatura: dignum laude judicans, quod inopi naturæ ejus de suæ naturæ divitiis adeo subvenerit, ut totum regnum patris regere, universam omnino cæli ac terræ rempublicam disponere, & in throno ejus dominari æque ut ipse deinceps idonea sit.

XIII. ,, Hoc opus suum adeo collaudat, & hoc sibi complacere in tantum judicat, ut cuicumque non complacuerit, quicumque cum laude & gratiarum actione non aspexerit; eum velut ingratum & vere superbum & invidum a salute sua, & ab ejusdem Christi filii sui regno repellat. Cujus utique regni, quia non est finis cum sit immensum; recte quoque ipse rex immensus prædicatur. Sicut ex opposito regulus dicitur cujus regnum coangustatum, etiamsi contingat ipsum gigantea statura extensum!. Christus autem, id est homo præ consortibus suis unctus in regem regni omnium sæculorum, licet parvulus in cunis apparuerit, jam in throno majestatis paternæ magnitudine suæ claritatis etiam angelos pascit, & toti curiæ patris gaudium facit. Ad quod gaudium discipulos suos adhuc mortalis invitabat dicens: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia ad patrem vado, quia pater major me est*. Cum enim ipse in divinitatem numquam patre minor exstiterit, luce clarius constat quod hæc dicens filius Dei, de natura hominis egerit: tamquam diceret; Quamdiu mortalis homo sum, pater major est: at postquam transibo ex hoc mundo ad patrem; exaltata videlicet humanitate mea usque ad paternæ gloriæ celsitudinem, a qua numquam discessi per divinitatem; ex tunc videbitis me Dominum & salvatorem vestrum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Igitur si diligeretis me, gauderetis utique transire me ab exsilio mundi, & æternaliter sessurum ad dexteram patris intrare in gloriam regni mei. Quia videlicet hactenus ex quo carnem indui major me est: & ego secundum mortalitatem ejusdem carnis, non solum patre sed etiam immortalibus paullo minor sum angelis. Postquam autem usque ad patris consessum exaltatus fuero, ex tunc implebitur quod scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo* & cetera. Item: *Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

XIV. ,, Quanta Jesum Christum diligentibus caussa est gaudendi! Magna plane & ineffabilis. Unde nec illi plane inveniuntur Christum diligere, qui de jam facta hominis usque ad patrem exaltatione, gaudentibus fidelibus nolunt congaudere: contendentes filium hominis eumdemque filium Dei adhuc minorem patre in sua quantumlibet glorificato humanitate. Quam sane minoritatem si referunt ad humanitatis naturalem conditionem, non ad ejusdem supernaturalem exaltationem, recte tolerantur: quoniam in hoc sensu neque nobis, neque fidei catholicæ adversantur. Verum si hominis in Deum jam glorificati arbitrantur non eamdem gloriam, omnipotentiam, omnisapientiam, omnivirtutem, omnimajestatem quæ est patris altissimi; timendum sine dubio est, ne a regno ipsius repellantur tamquam detractores invidi, cum illo consortium habituri, qui primus invidit altitudini hujus altissimi, dicens in corde suo: *Ero similis altissimo*."

XV. *Item Bernardus abbas Claravallensis*: ,, Verbum caro factum est: & justa prophetam, Omnis caro fœnum. At fœnum istud minime desiccatum est, nec ex eo occidit flos, quia requievit super eum Spiritus Domini. Propter hoc namque aliquando venit finis universæ carnis, quia spiritus recesserat vitæ. Denique ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*. Carnis nomine hoc loco vitium designari intelligimus, non naturam. Propter vitium ergo omnis caro fœnum, & omnis gloria quasi flos fœni. *Exsiccatum est*, inquit, *fœnum, & cecidit flos*: sed non ille flos qui de virga & radice Jesse descendit, eo quod super eum requievit Spiritus Domini. Nec illud fœnum quod Verbum factum est, pro eo quod sequitur in propheta: *Verbum autem Domini manet in æternum*. Si enim fœnum Verbum, & Verbum manet in æternum; fœnum quoque necesse est maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam præbet æternam si ipsum minime maneret in æternum? Ait enim: ***Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum***. Et quem panem dicat, aperit cum subjungit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Quomodo ergo æternaliter non est, quo æternaliter vivitur? Sed recole nunc mecum vocem filii ad patrem loquentis in ipso: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Haud dubium quin de corpore dicat, quod in sepulcro exanime jacebat. Hoc enim sanctum & angelus nominat, qui loquutus virgini nuntiavit dicens: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Quo igitur pacto sanctum fœnum videre poterat corruptionem, quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiam avidos angelorum in se figere possit obtutus perpetualiter & insatiabiliter oblectando? Perdat sane fœnum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit. Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum

„ pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis „ & lacrymosa mutatio! ut homo paradisi accola, „ dominus terræ, cæli civis, domesticus Domini „ sabaoth, frater beatorum spirituum, cælestium „ coheres virtutum, repentina se conversione inve- „ nerit & propter infirmitatem jacentem in stabu- „ lo, & propter pecorinam similitudinem indigen- „ tem fœno, & propter indomitam feritatem alli- „ gatum præsepio. Sicut scriptum est: *In chamo & „ fræno maxillas eorum constringe, qui non appro- „ ximant ad te.* Agnosce tu, o bos, possessorem, „ tuum; & tu, asine, præsepe Domini tui: ut „ prophetæ Dei fideles inveniantur, qui ista mira- „ bilia sunt prælocuti. Cognosce pecus, quem non „ cognovisti homo: adora in stabulo, quem fugie- „ bas in paradiso: honora præsepium, cujus con- „ temsisti imperium: comede fœnum quasi panem, „ qui panem angeli fastidisti: „

CAPUT XVII.

Dum indifferentiam gloriæ, quam in Christo natura humana cum divina indivise habet, docet; ipsas naturas cum Eutychete nequaquam confundit. De quibusdam Nestorianis in Synodo Frisacensi.

I. SUfficiant hæc patrum antiquorum & novorum dicta de indifferentia gloriæ, quam indivise habet in Christo humana natura cum divina. Sed ne prædicando indifferentiam gloriæ, gloriam dantis divinitatis, & accipientis humanitatis, videamur ipsas naturas confundere cum Eutychete; addamus pauca naturam Verbi & carnis distinguentia.

II. Nam ut ait beatus Ambrosius, etsi credamus a Verbo carnem assumtam, non tamen discernamus naturam Verbi & carnis. Et nobis dicitur: *Si recte offeras, & non recte dividas, peccasti.* Atque ideo licet in Christi persona tantam veneremur hominis cum Deo & Dei cum homine unionem, ut & homo divinorum, & Deus humanorum actuum habuerit communionem; quoniam ut Caji papæ aliorumque sanctorum auctoritas affirmat, nec sine Deo humana nec sine homine gerebantur divina; tamen ipsorum actuum proprietas est ita distinguenda, ut reddamus Deo quæ Dei sunt, & homini quæ hominis sunt, in una eademque persona operante divina & humana. Hinc est quod licet Dominum gloriæ legamus crucifixum; homini tamen proprie assignamus crucis supplicium, quod non cadit in impassibilem Dominum gloriæ, quem tamen ut dixi legimus crucifixum. Et licet homo dicat: *Videbam quasi fulgur satanam de cælo cadentem*; Deo tamen proprie assignamus hanc visionem, quæ fuit ante hominis creationem. Hæc omnia distinguendo convenienter, obviamus errori Eutychetis, unam tantum naturam, unam voluntatem, unam operationem in Christo prædicantis.

III. Sed ecce dum Scylla cavetur Eutychiani erroris, facile incurritur Charybdis monstri biformis Nestorianæ pestis. Nestorius quippe contrarius Eutychetis falsitati, nec tamen consonus catholicæ veritati, dum nimis Christum distinxit, beatam Mariam dici *Theotocon* vetuit; hominemque assumtum, non tamquam Deum adorandum, sed in Deo propter Deum Deo coadorandum, tamquam divinitatis inhabitatione sanctificatum, pestifero errore dogmatizavit. Contra quem collecta synodus Ephesina, hominem Verbo Dei personaliter unitum vere ac proprie docuit esse Deum, atque adoratione omnique cultu divinitatis dignissimum, utpote Deum,

A non divinitatis inhabitatione sanctificatum, & in divinitate adoptatum, sed ut dixi proprie ac vere Dei nomine honorificatum. Unde circa finem concilii ita legitur: *Si quis audet docere, assumtum hominem a Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere & conglorificari, & connuncupari Deum, tamquam alterum alteri adjectum*; adjectio enim unius syllabæ, id est *Co*, hoc cogit intelligi; *& non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependerit, secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit.*

IV. Magister Hugo, de Sacramentis: „ Multa B „ quæruntur de anima Christi. Ex quibus unum „ est; utrum videlicet æqualem cum divinitate „ scientiam habuerit? De qua quæstione, in alio „ opusculo, quod intitulatum est *De anima Christi*, prolixius disputavi. Heic vero hoc commemorare sufficit, quod eadem anima, sicut plenam & perfectam Dei sapientiam unitam habuit, „ ita plene & perfecte ex ipsa, & per ipsam sapientiam sapiens fuit: nec tamen ipsi sapientiæ „ natura æqualis fuit. Quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse. Ex quo „ enim divinitas humanitati conjuncta est, ex ipsa „ divinitate humanitas accepit per gratiam totum, „ quod divinitas habuit per naturam: ita ut se- C „ cundum illam ineffabilem unionem, & Dei esset „ in humanitate sua totum quod humanitatis erat, „ & hominis esset in divinitate sua totum quod divinitatis erat. “

V. In his verbis magistri Hugonis caute naturæ humanitatis & divinitatis invenitur distincta, & utriusque naturæ indistincta sapientia. Dicens enim; quia *longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse*; competenter ostendit, quod anima Christi æternæ sapientiæ non fuit æqualis in natura, cui tamen quam fuerit æqualis in virtute, ab ipsa etiam conceptione virginis hominem Deum D concipientis, idem consequenter demonstrat cum subnectit: „ Sic ergo humanitatem Verbi in anima rationali a prima conceptione sua, & ineffabili unione divinitatis plenam & perfectam sapientiam & potentiam, & virtutem & bonitatem accepisse credimus, & ipsam sicut in unione divinitatis inseparabiliter, sic in ipsa quæ ex „ unione erat plenitudine virtutis incommutabiliter „ permansisse confitemur. “ Neque enim idcirco Deus homo inter homines conversari voluit, ut quasi per intervalla temporum sapientia aut virtute proficiens, meritum sibi separaret, & seipso melior fieret; sed ut ea sapientia & bonitate, quam ipse in divinitate sua plenam & perfectam semper E habuit, & in humanitate sua plenam & perfectam semel & simul accepit, dispensatione salutis humanæ secundum ineffabilem ordinationem suam compleret. Quapropter id quod dicit evangelista, quia proficiebat Jesus ætate, sapientia & gratia, non ita accipitur, quasi semet ipso melior factus sit; sed quia hominibus quam ipse habebat sed latebat sapientiam & gratiam, prout ratio temporum postulabat, magis ac magis semper aperuit. Ita apud homines ipse proficiebat, quantum homines in ejus cognitione profecerunt: apud Deum autem profecit in eo, quod dum se sapientia & gratia Dei plenum ostenderet, eos ad laudem Dei patris, a quo hoc esse testabatur, magis semper ac magis provocavit.

VI. Præmissis patrum testimoniis, nos eisdem consona sentiendo, Christum non inter creaturas

computamus ; immo super omnes creaturas Deum benedictum, ac proinde adorandum prædicamus, Deo patri suo in omni potentia coæquatum, & omnibus adoptivis diis & filiis prælatum, ac tanto meliorem effectum, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.

VII. Quidam prudens apud semet ipsum & in oculis suis magnus, in capitulo Frisaci habito protulit maledicta in eos qui a fide sua quam ibidem recitaverat, dissentirent. Alius quoque eidem consona loquens, magis scholastice quam ecclesiastice peroravit. Quibus pro tempore satis responsum est a duobus fratribus nostris, qui illic aderant ; partim B approbantes & partim improbantes quæ dicebantur ab ipso : nimirum scientes reprobare malum & eligere bonum. Nam quod Jesum Christum professus est ex duabus & in duabus naturis exsistentem, Deo patri æqualem secundum divinitatem & minorem patre secundum humanitatem, potest approbari utpote sane dictum & catholicæ fidei consonum. Sed quod homini assumto negat omnipotentiam & cetera divinitatis bona potiora, in quibus patri suo Deo factus æqualis, jam sedet & quiescit, conregnat in dextera ipsius Dei patris; omnino consonat Paulli Samosateni & Nestorii, simulque Photini hæresibus in Ephesino concilio damnatis & anathematizatis, cum omnibus ipsius Paulli, Nestorii & C Photini sectatoribus. Quos & olim per Jeremiam prophetam fuisse maledictos, ostendit illustris vir Hieronymus exponens illud : *Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* „ Si, *inquit*, maledictus est omnis homo qui confidit in homine; Paullus autem Samosatenus & Photinus quamvis sanctum & cunctis excelsum virtutibus prædicent salvatorem, tamen hominem confitentur : ergo maledicti erunt spem habentes in homine." Ecce in dictis in Jeremia positis & ab Hieronymo expositis aperte ostenduntur maledicti maledictores nostri, qui nos maledicunt, pro eo quod aliter sentimus quam senserint Paullus & Photinus. Quos etiam sequendo impius Ne- D storius, & ipse in Ephesino concilio meruit condemnari & anathematizari cum suæ doctrinæ sectatoribus, quales nunc multi prodeunt, quasi vulpeculæ demolientes vineam Domini sabaoth.

VIII. A quibus ne forte & nobis impingatur maledictio, confidentibus & spem ponentibus in homine hominis filio; ipse Hieronymus nos defendit & hoc annectit : „ Quod si nobis oppositum fuerit, „ quod & nos credamus in eo qui dicit : *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem loquutus sum vobis, quam audivi a Deo : Hoc Abraham non fecit, vos facitis opera patris* E *vestri*. Respondebimus illud apostolicum : *Etsi Christum aliquando juxta carnem cognovimus, sed nunc jam non novimus*. Denique idem apostolus in principio epistolæ suæ scribit ad Galatas : *Paullus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum patrem, qui suscitavit eum a mortuis ; & qui mecum sunt omnes fratres*. Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas quæ propter humanam salutem assumta est, in divinitatis transierit majestatem, ut fecerit utraque unum, & non adoremus creaturam, sed creatorem qui est benedictus in sæcula?"

IX. Hæc dicente sancto Hieronymo, satis excusamur nos ab idololatria, qui adoratione soli Deo debita illum hominem adoramus, qui est non inter A omnia, sed super omnia Deus benedictus in sæcula, utpote altissimi filius ab angelo annunciatus. Eo quod virtute altissimi obumbrante virginem, in ejus conceptione non amor viri, sed amor Dei patris, videlicet Spiritus sanctus fuerit operatus ut quod nasceretur ex ea, filius altissimi vocaretur. *Filius* inquit *altissimi* : scilicet patris æterni, qui semel loquutus eum semel quidem genuit, sed in una ejus genitura duo hæc audiri fecit; unum, quia potestas Dei est; alterum, quia tibi Domine misericordia : ut scias in uno eodemque Dei & hominis filio indissimiliter venerandam & potentiam qua de nihilo creatus, & misericordiam qua de perdito reparatus per ipsum Dei & hominis filium, patris & matris unum unigenitum.

X. Neque enim Spiritus sanctus operatus est in utero virginis, ita ut illic ipse fuisset pro semine; ut me sentire quidam falsiloqui susurrant; sed æternæ Dei sapientiæ sibi domum fabricanti ex humana carne, ita virtus & Spiritus ejus cooperabatur, ut ipsa domus per septem columnas altissimas exaltata in sui celsitudine, altissimo patre non fuerit inferior; quamvis in sui conditione, utpote creatura creatore minor etiam tunc fuerit & nunc sit, neque umquam eidem coæquari possit quantum ad sui conditionem, coæquata tamen per ineffabilem sui provectionem in omnipotentia, in scientia, & omni altissimæ divinitatis gloria, ipsam gloriam habens tam plene in humana natura quæ hanc ex tempore accepit, quam & in divina quæ hanc æternaliter habuit. Est quippe in utraque natura unicus Dei patris filius: quia non sic operatus est ejus in virgine conceptionem Spiritus sanctus, ut quod nasceretur ex ea filius esset aut Spiritus sancti aut Verbi æterni, sed filius altissimi patris, qui Verbum suum eructavit in cor & uterum virginis incarnandum Sancti spiritus operatione. Quæ nimirum operatio etiam ipsius patris & Verbi erat, quia inseparabiliter operabatur summa trinitas. Quæcumque enim pater facit, hæc & filius similiter facit : item quæcumque pater aut filius facit, hæc & amborum Spiritus similiter facit.

XI. Est igitur opus totius trinitatis, quod homo in virgine conceptus, est filius altissimi, patris unicus, unigenitus & primogenitus : ultra omnes angelos & homines beatos in infinitum superexaltatus, ea natura jam sedente in excelso throno, quæ jacuerat in sepulcro, ut ait Leo magnus. In ea quippe natura in qua Dei filius factus est, omnibus angelis tanto melior effectus est, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim angelorum a Deo dictum est, filius meus es tu? Vel cui hominum dicere congruit Deo, Pater meus es tu? nisi huic soli unigenito, a Deo patre facto & genito : facto videlicet non in animam viventem sicut Adam, sed in spiritum vivificantem ; genito quoque non in filium adoptivum, sed in filium proprium juxta illud : *Proprio filio suo non pepercit Deus*. Genito inquam & unigenito, cui soli congruit dicere Deo, *Pater meus es tu*. Quod nimirum in textu sancti evangelii satis claret : quia ubicumque cum possessivo pronomine dicit *pater meus*, æqualem se faciens Deo talia loquitur in quibus Deo patri non impar invenitur. Verbi gratia : *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Item : *Vos estis qui permansistis mecum in tentatione. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum*.

XII. Propter dicta hujusmodi, quibus filium Dei

se nominans indicavit se æqualem patri suo, cum A esset similis nobis passibilis; accusatus est a pontificibus & Judæis dicentibus: *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit*. Item: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis seipsum Deum*. Item evangelista: *Propterea persequebantur eum Judæi, quia non solum solvebat sabbathum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Alias autem, ubi se suis membris contemperat, sine possessivo pronomine dicit *pater*, non addens *meus*. Verbi gratia: *Ut cognoscat mundus quia diligo patrem; & sicut mandatum dedit mihi pater, sic faciam*. Item: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant*. Sic absque B nomine possessivo patrem nominans, non se patri coæquavit: sed mandatum patris observando, tamquam servus in forma servi obtemperans illi, se humiliavit factus obediens usque ad mortem. Bene dico *usque ad mortem*. Nam post mortem Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus flectatur omne genu cæleſtium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. In gloria Dei Deus, in gloria patris filius unigenitus, a diis & filiis adoptivis ineffabili glorificatione distinctus.

CAPUT XVIII.

Disputat contra theologos scholasticos, Paullo Samosateno, Nestorio & Photino faventes, & asserentes, Homini assumto nec cultum latriæ, nec dilectionem super omnia ut Deo adhiberi.

I. Frustra igitur hujus temporis Photiniani & Nestoriani homini divinitus concepto, & neque ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo in verum Deum nato suam detrahunt divinitatem: non confitentes hominem Deum, sed habitaculum Dei, in quo sit Verbum Dei, non quod ipse sit Verbum Dei: non attendentes quod aliud est Verbum in carne, & D aliud Verbum caro; aliud Verbum in homine, aliud Verbum homo. Nam Verbum in homine, verbi gratia in Isaia fuit: sed ipse Verbum Dei aut filius Dei unigenitus non fuit, sicut iste homo: qui nimirum solus inter homines dicere potest omnipotenti Deo, *Pater meus es tu*. Et, *Ego primogenitum ponam illum præ regibus terræ*.

II. Est ergo magna distinctio inter paternitatem illam singularem, quæ soli congruit primogenito & unigenito: & illam communem qua invocamus eum dicendo, *Pater noster qui es in cælis*. Nam per illam insinuatur gloria filii unigeniti a patre, pleni gratia & veritate: per istam commendatur adoptio- E nis gratia, qua de filiis iræ fiunt filii Dei. Qui nimirum licet magni vocandi sunt in regno cælorum, juxta illud: *Qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum*. Nullus tamen eorum æquabitur unigenito: quia illis ad mensuram, sed unigenito non ad mensuram Spiritus datus est. Qui & in Spiritum vivificantem factus, in infinitum superexcellit omnem hominem, qui factus est in animam viventem. Quod enim primus homo legitur factus in animam viventem, sonat inopiam nimiam. Quia videlicet sic factus homo nec per se vivere, nec alicui vitam conferre potuit. Quod autem secundus Adam legitur factus in spiritum vivificantem, sonat immensas divitias, quibus homo in Deum natus, & in Deo ditatus, potuit & potest non solum per se vivere, sed & alios vivificare. Hinc est quod sicut divinitas ejus æterna se participantibus angelis in cælo vitam confert æternam; sic etiam caro ejus digne se participantibus in terra vitam confert æternam. In qua post universalem resurrectionem, sicut spiritus humanus conformabitur Spiritui Deo se vivificanti; sic & corpora sanctorum configurabuntur corpori claritatis Christi, ad similitudinem scilicet non ad æqualitatem. Quis enim in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios hominum? solus ille homo qui non filius hominum, sed filius hominis vere prædicatur: eo quod cum habeat hominem matrem, non habet hominem patrem. Qui quod filium Dei se nominat, & gloriatur patrem se habere Deum, sibi hoc privilegium recte vendicat, ut in regno patris sui æquali potentia cum patre suo dominetur, habens in vestimento & in fœmore suo scriptum, *Rex regum & dominus dominantium*.

III. Cui assertioni sicui videtur contrarium, quod beatus Augustinus in libro de Trinitate affirmat, creaturam creatori numquam posse coæquari licet glorificatam, & ab omni languore sanatam. Perpendat illum illic egisse de creatura in Adam sauciata & per Christum reparata, non de creatura creatori unita & numquam sive originali sive actuali C peccato sauciata. Quæque, ut jam superius Ambrosii & Hieronymi verbis ostendimus, jam non est creatura dicenda: quoniam super omnes creaturas exaltata, in dextera Dei consedit, creatoris omnipotentis omnipotentiam consequuta, ac virtute altissimæ divinitatis præcincta, juxta illud: *Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*. In qua præcinctione licet creatum permanserit creatum, sicut ait Joannes Damascenus, tamen ut supra Hieronymi auctoritate ostensum est, carnis humilitas in Dei filio sic in divinitatis transivit majestatem, ut fecerit utraque unum: & non adoremus creaturam, sed creatorem, qui est super omnia Deus benedictus.

IV. Contra Photinum & Paullum Samosatenum sic disseruit illustris vir Hieronymus. Qui ambo docebant, hominem Christum non adorandum, eo quod illum non credebant esse Deum super omnia benedictum, sed inter omnia sanctis ceteris prælatum, neque tamen creatoris gloria honorificatum, ac proinde ut ipsi volebant minime adorandum: ne videlicet spem quis ponens in homine, atque adorans creaturam subjaceret maledictioni tamquam idololatra. Sed ipse Deus homo in se hominem credendum esse docet, ubi dicit: *Creditis in Deum, & in me credite*. Consequens est enim, ait beatus Augustinus, ut si in Deum creditis & in me credere debeatis. Quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Contra quos ut supra memini, in expositione Jeremiæ disputans jam dictus Hieronymus, dicit inter cetera; *Si maledictus est omnis homo qui confidit in homine; Paullus autem Samosatenus* &c. uti habetur supra.

V. Hoc testimonium ejus (sancti Hieronymi) nemo accepit inter scholasticos & scholares, Paullum Samosatenum, Photinum, Nestorium simulque Bonosum hæresiarchas imitantes in doctrina sua; qua istos hæreticos jamdiu sepultos, in diebus nostris resuscitant in suis disputationibus & scriptis asserendo, Christum secundum quod homo est, non esse adorandum adoratione quæ latria dicitur, quaque solus creator est adorandus. Concedunt vero illi

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1169.

adorationem quæ græce dulia dicitur, quæque non A solum sanctis hominibus, verum etiam perversis hominibus potest exhiberi. Sicut legimus, fratres Joseph adorasse ipsum quem putabant iniquum: & Nathan propheta regem David adoravit, quem non ignoravit peccatorem. Tale * adorationem concedunt homini assumto exhibendam, paullo tamen excellentius quam ceteris hominibus. Item sicut in sententiis magistralibus a Petro Longobardo collectis legitur, non concedunt illum secundum quod est homo diligendum, dilectione qua Deus diligitur juxta maximum & primum mandatum: sed qua diligitur proximus, eo quod sit ipse ille proximus qui fecit misericordiam in illum vulneratum semi- B vivum; per quem significatur genus humanum Christo mediante sanatum. Propter quod singulare ejus beneficium, concedunt eum aliquanto amplius quam ceteros proximos diligendum: sed non tamen ut Deum, quem jubemur ex toto corde & ex tota anima & ex tota fortitudine diligere dilectione præcipua, quam negant homini assumto exhibendam: favendo in hoc prænominatis hæreticis, hominem assumtum a cultu summæ divinitatis excludentibus. Animam quoque ipsius asserunt accepisse quidem scientiam divinam, sed non divinam omnipotentiam: ne si dicatur omnipotens anima humana vel ipse homo, consequenter & Deus esse intelligatur, quod putant inconveniens, eo quod so- C lus Deus est omnipotens: cujus omnipotentiam negant homini assumto datam, nisi ut dicunt, in persona: quasi non homo sed in homine Verbum sit persona. Cum secundum fidem catholicam Deus & homo sit una indivisa & individua persona, cum patre Deus cum matre homo. Multa in hunc modum dicunt, in quibus prænominatis hæreticis consentiunt. Item quod apostolus dicit, *Habitu inventus ut homo*, exsiliter interpretantur: indumento forinseco, assimilando in Dei filio humanam naturam; non attendentes Deum sic homine vestitum, ut ipse quoque homo legatur Deo seu divinitate vestitus. Nam quæ est illa fortitudo qua homo ille D indutus, & virtus qua canitur præcinctus, nisi æterna divinitas qua ornata est in Dei & hominis filio humanitas?

VI. Quod ne primus aut solus videar sentire, libet commemorare, quod sanctus Ambrosius in Lucam dicit: „ Quid *inquit* sibi vult, quod Joseph & Nicodemus Christum sepeliunt, unus justus & constans, alter in quo dolus non erat? Justus autem corpus Christi operit sindone, innocens ungit unguento. Vesti ergo & tu Domini corpus gloria sua, ut ipse sis justus. Etsi mortuum credis, operi tamen divinitatis suæ plenitudine. Unge illud myrrha & aloe, ut bonus odor Christi sis. " E Idem in eodem exponens illud: *Mulierem fortem quis inveniet*? „ Videamus quid hæc viro suo faciat, quod opus ejus, quod sit obsequium, cur confidit in ea Christus? Bona uxor virum suum vestit. Vestiat Jesum fides nostra corpore suo: vestiat carnem ejus divinitatis suæ gloria, sicut & illa bina vestimenta fecit viro suo, ut & in præsenti & in futuro sæculo honorificet illum. "

VII. Sed hæc novi disputatores minime attendentes, ita Deum prædicant in hominis habitu inventum, quasi non sit & homo in habitu Dei nunc in cælo ad dexteram Dei patris altissimi sedens inventus, & posthac ab electis in sede majestatis suæ judicans inveniendus. Quando eum viderit omnis oculus & qui eum pupugerunt, in cruce clavis illum vulnerando ac lancea: & nunc in scholis dyscolis indisciplinate quæstionando illum pungere non verentur. Qui etiam tunc tollentur ne videant gloriam ejus electis tunc ostendendam, & illis abscondendam qui nunc eam non amant, & maxime his qui contra eam disputant. Nam & illud, quod hominem assumtum, non generatione aut adoptione sed unione dicunt filium Dei vel Deum nominandum, nimis consentit Nestorio. Qui propter conjunctionem hominis ad Deum, dixit hominem Deo coappellandum & coadorandum. Et bene quidem removent adoptionem ab unigenito. Sed quod eidem negant generationem, cum sit & in divinitate sua unigenitus, & in humanitate primogenitus in multis fratribus; nimium consentit prænominatis hæreticis: qui hominem assumtum prædicaverunt in Dei filium, non genitum sed adoptatum. Et quidem persæpe a sanctis tractatoribus scripturarum agitur de unitate personæ illius in trinitate, quæ Deus est & homo, quibus in duobus nominibus intelliguntur non duo quidam, sed duo quædam. Quæ duo quædam adunata sunt in unum quemdam, qui est Christus geminæ gigas substantiæ, absque geminatione personæ ac sine substantiarum confusione: itaut in ipso & personæ unitas & naturarum sit unio veneranda. De hac personali unitate ac naturarum inconfusibili unione, in opusculo ad papam Adrianum, prout Deo donante potuimus, differuimus, contra jam notatos disputatores, qui se dici volunt magistros & dialecticos, imitando antiquos & jam olim damnatos hæreticos, forma humani habitus deceptos.

VIII. De hoc habitu loquens Augustinus ait: „ Nomine habitus satis significavit apostolus qualiter dixerit, *in similitudinem hominum factus*. Quia non in transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est hominem. Quem sibi uniens quodammodo atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. " Idem in quarto libro de trinitate ait: „ Si quæritur ipsa incarnatio quomodo facta sit, ipsum Verbum dico carnem factum, vel hominem factum. Non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum: sed carne ut carnalibus congruenter appareret indutum. " Heic novi scholastici sive scholares eorum discipuli, quasi rapientes verbum de ore Augustini; Ecce, ajunt, quomodo Augustinus dicit hominem Deo indutum! quasi aperte contestans, hominem esse Dei vestimentum. Quod & alias dicit purpuram, quasi vestem regiam, non extra personam regis regali honorificentia, sed in persona regis honorandam. Unde ad me quidam amicorum meorum ita scripsit: „ Licet humana natura exaltata sit super omnem creaturam in Christo, manet tamen creatura. Quæ sine impietate adoratur in Christo, sicut purpura in rege adoratur, vel ipse purpuratus. Similiter humanitas adoratur, id est ipse humanatus Deus adoratur latria. " Præmiserat autem de natura humana in Christo, quod non adoranda sit latria ut Deus, sed majori specie duliæ. Hæc & similia scholastice potius quam ecclesiastice dicuntur a novis disputatoribus, cultum divinitatis homini assumto in Deum denegantibus, nisi quantum attinet ad indumentum; quod propter indutum, sive in induto non negant adorandum latria: sic tamen ut ipsa latria non indumento, sed induto sit exhibenda. Quia ut ajunt, vestimento Dei, quod est homo, non debetur latria sed dulia.

CAPUT XIX.

Virginis filius vere Deus est, licet non a se, per se tamen: atque adeo homo non est Deo coadorandus, ut Nestorius voluit, sed omnino una simplici adoratione adorandus.

I. DE his loquens Petrus Lombardus in tertio libro sententiarum suarum dicit: „ Quibusdam videtur, non illa adoratione quæ latria „ est, carnem Christi vel animam esse adorandam: „ sed illa quæ est dulia. Cujus duas species vel „ modos esse dicunt. Est enim cujusdam modi du- B „ lia, quæ creaturæ cuilibet exhiberi potest: & „ est quædam soli humanitati Christi exhibenda, „ non alii creaturæ. Quia Christi humanitas su„ per omnem creaturam est veneranda & diligen„ da, non tamen adeo ut cultus divinitati debi„ tus ei exhibeatur. Qui cultus in dilectione & „ sacrificii exhibitione, atque reverentia consi„ stit. Qui latine dicitur *pietas*, græce autem „ *theosebia*. "

II. Hæc dicens ille magister Petrus, egregius multarum & diversarum ecclesiasticarum & scholasticarum tam antiquarum, quam & novarum sententiarum collector, non suam hanc sententiam esse indicat, sed aliorum de Nestorii fece aliquid habentium. Cujus quidem perversa doctrina condemnata est, verumtamen fex ejus non est exinanita, de qua bibunt peccatores terræ, asserentes terram non adorandam in filio Dei, nisi tamquam scabellum propter illum cujus est scabellum, putantes in hoc sensu beatum sibi consentire Augustinum. Qui ut supra meminimus, ubi carnem Christi asseruit adorandam, postea subjecit: „ Ideo & ad „ terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intueris, sed illum Sanctum cujus pedum scabellum est, quod adoras. „ Propter ipsum enim adoras. Non heic intelli„ genda est adoratio, qua solus Deus est adoran„ dus; cum te inclinans atque prosternens ad quam- D „ libet terram ipsam adoras, id est honoras genua „ in ea flectendo ipsamque deosculando. Hoc enim „ totum facis propter ipsum, cujus terra hæc sca„ bellum est. Sed cum terram, id est carnem Chri„ sti adoras, ne cogitatione in terra sive in carne „ remaneas, *ait idem Augustinus*, & a spiritu non „ vivificeris. Spiritus etenim est qui vivificat, ca„ ro autem non prodest quidquam. "

III. Sic distincte agens de scabello Dei adorando, aliter in terra quæ sursum est in cælo, quæque digne adoratur in Deo cujus est propria caro; aliter in terra deorsum calcanda non solum a pedibus Dei, qui sunt ad vitam electi, sed etiam ab E impiis & pecudibus: nullum datum patrocinium Nestorianis, Christi carnem sive potius Christum carnem sive hominem, quasi non Deum, sed deitatis indumentum seu scabellum, docentibus non adorandum latria soli Deo debita, sed sola dulia ut præostensum est. Quibus errorem Nestorii vetustum resuscitantibus respondens ejusdem erroris expugnator præcipuus Cyrillus episcopus, qui vice papæ Cælestini synodo præsidens Ephesinæ contra Nestorium inter cetera hoc inseruit. „ Recusamus di„ cere de Christo, Propter indutum indumentum „ veneror: propter invisibilem adoro quod vide„ tur. Pavore plenum ad hoc & illud dicere: „ Assumtus assumenti coappellatur Deus. Qui enim A „ hæc dicit secat in duo Christum; & hominem „ statuit per partem specialiter & Deum similiter. „ Denegat enim evidenter unitionem, secundum „ quam non ut alter alteri coadoratur quis, ne„ que quidem coappellatur Deus: sed unus intel„ ligitur Jesus Christus filius unigenitus, una ado„ ratione adorandus cum sua carne. *Item in eodem concilio legitur cap.* v. Si quis audet dicere „ deiferum hominem Christum, & non magis Deum „ esse secundum veritatem, sicut filium unum & „ natura, secundum quod factum est caro Verbum, „ & communicavit similiter nobis in sanguine & „ carne, anathema sit. *Item cap.* vii. Si quis ait „ ut hominem operationem suscepisse ex Deo Ver„ bo Jesum, & unigeniti gloriam appositam esse „ tamquam alteri præter eum exsistenti, anathema „ sit. *Item cap.* viii. Si quis audet dicere assum„ tum hominem coadorari oportere Deo Verbo & „ conglorificari, & coappellari Deum, ut alterum „ alteri adjectum; adjectio enim unius syllabæ *Co* „ hoc intelligi cogit; & non magis una adoratio„ ne honorificat Emmanuel, & unam ei glorifica„ tionem defert, secundum quod Verbum factum „ est caro, anathema sit. *Item cap.* ix. Si quis ait „ Dominum Jesum Christum glorificatum a Spiri„ tu, quasi aliena virtute quæ per eum est utens, „ & ab ipso accepisse operari posse contra spiritus C „ immundos, & adimplere in homine deitatis mi„ racula; & non magis proprium ejus esse spiri„ tum dicit, per quem & operatus est deitatis si„ gna, anathema sit. *Item cap.* xi. Si quis non „ confitetur carnem Christi vivificatricem (*sive ut quidam codices habent*) vivificatoriam esse, „ & propriam ipsius ex Deo patre, Verbi scili„ cet velut alterius præter ipsum copulati, ana„ thema sit. "

IV. Nonne si capitula hæc sereno intuitu inspiciantur, magis ostendunt hominem Deo, quam Deum homine vestitum? præcipue ubi vetant hominem dici deiferum, aut quasi habentem in se Dei habitationem, quod hæretici Photinus, Paullus & Nestorius docebant, qui hominem Deum negabant; sed vestimentum aut habitaculum Dei, aut organum divinitatis hominem de Virgine genitum prædicabant. Quos nimirum eorumque sequaces Ephesina Synodus manifeste coarguit in prædictis capitulis & multis epistolis in ea recitatis & approbatis. De quibus non est modo dicendum per singula, contenti hoc loco maxime illud improbare, quod ut supra perstrinximus, Nestorius dixit, immo & scriptum reliquit: *Propter indutum indumentum colo; propter occultum adoro visibilem: inseparabilis a visibili Deus; propter hoc indivisi honorem non divido: divido naturas, sed unio adorationem.*

V. Poterant videri utcumque tolerabilia hæc dicta, sed hæreticum ejus intellectum produnt sequentia, cum dicit: *Non per se Deus est quod plasmatum est in vulva: non per se Deus est, quod creatum est de Spiritu: non per se Deus est, quod sepultum est in sepulcro; sic enim essemus hominis cultores, & mortui cultores manifeste; sed quoniam in assumto Deus, ex assumente assumtus, ut assumenti copulatus coappelletur Deus.* Hæc dicens hominem assumtum secernit ab adoratione, negans per se Deum, quem tamen assumenti asserit coappellandum Deum. Nos autem corde credimus ad justitiam & ore confitemur ad salutem, virginis filium vere Deum esse, licet *non a se*, tamen *per se*. Non a se, quia nec in humanitate nec in divini-

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



tate aliquid habet nisi a patre; a quo ei est non A solum Deum Dei filium, sed & hominis filium esse. Attamen quod a patre habet, in utraque natura per se habet. Habet ipse homo divinitatem quam accepit: habet idem ipse Deus humanitatem quam suscepit: ita ut & homo vera divinitate Deus, & Deus vera humanitate sit homo; cum tamen nec divinitas sit humanitas, nec humanitas divinitas in una eademque persona, quæ non dimidia sed tota est adoranda, utpote una in trinitate persona. In qua non homo Deo est coadorandus, ut voluit Nestorius hæresiarcha, sed omnino una simplici adoratione adorandus; utpote verus & non falsus Deus, unicus naturalis & non adoptivus Dei filius. In quo licet creatum permaneat creatum, secundum quod B idem filius inventus est habitu ut homo; tamen increato Verbo sic est unitum, ut neque in adoratione, neque in ulla divini cultus veneratione sit ab illa distinguendum, aut minus, quam creator, diligendum, sicut illi somniant qui in Christo minus hominem, quam Deum scriptitant esse diligendum.

VI. In consilio illorum non veniat anima mea, qui vero Joseph ingrati & invidentes gloriæ ipsius in qua est adorandus, denudant eum sua tunica desuper contexta; quæ apte intelligi potest ipsa divinitatis gloria, quam illi pater suus dedit, qui eum præ omnibus filiis ceteris dilexit. Sed velint nolint illi, ipse vivens vita æterna dominatus in to- C ta terra Ægypti, immo in cælo & in terra: vestitus nimirum longe melius quam primus homo, qui perdito innocentiæ simulque obedientiæ ornatu, sua nuditate confusus fugit ad Deo. At iste formosus forma divinitatis in Deo est ornatus illo vestimento, in quo habetur scriptum, *Rex regum & Dominus dominantium*. Quod nomen regis regum, & Domini dominantium, superexcellens omne nomen, dum vestimento ejus quasi aureis, immo divinis literis inscriptum cernitur ab ipsis dilectoribus, gaudent ipsum vestimentum pro fulgore divinæ inscriptionis ita vestitum, ut hujus nominis, vel hujus tituli inscriptionem sciant non esse corrumpendam, vel a vestimento isto abolendam; quan- D tumlibet (errent) introductores duliæ in ejus adoratione. Qui tamen tandem velint nolint omne genu flectetur, & ipse a fratribus qui eum vendiderunt, adorabitur, digneque adorandus agnoscetur; quando ipse homo videbitur amictus lumine sicut vestimento, juxta illud Isaiæ: *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit*. Quænam est luna quæ tunc lucebit sicut sol absque varietate crementi & decrementi, quibus nunc variatur in isto sæculo, nisi ecclesia quæ tunc erit similis soli suo, Deo suo? *Scimus*, inquit Joannes, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quo- E niam videbimus eum sicuti est*. Ipsa autem lux solis quanta erit? sicut lux septem dierum, inquit: quod est dicere: Quantæ claritatis erat Verbum cum sex diebus fierent omnia, & septimo die compleretur opus suum per ipsum; tantæ claritatis in carne sua, scilicet in homine assumto tunc erit apud patrem suum. Hoc enim & ipse orabat dicens: *Et nunc clarifica me, pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te*. Quæ verba orantis pro clarificatione suæ carnis exponens Hilarius in libro tertio de Trinitate, ait: „ Nunc autem quid quod apud patrem „ clarificationis exspectat? Nempe hoc quod ha„ buit apud eum priusquam mundus esset. Habuit „ plenitudinem divinitatis, atque habet; namque „ Dei filius est: sed qui erat Dei filius, & ho„ minis esse cœperat filius. Erat enim Verbum „ caro factum: non amiserat quod erat, sed cœ„ perat esse quod non erat. Non de suo destiterat, „ sed quod nostrum est acceperat. Profectum ei „ quod accepit ejus claritatis expostulat, unde non „ destitit. Ergo quia filius est Verbum, & Ver„ bum caro factum est, & Deus Verbum, & hoc „ in principio apud Deum, & Verbum ante con„ stitutionem mundi filius, nunc caro factus ora„ bat, ut hoc patri caro inceperet esse quod Ver„ bum; ut id quod de tempore erat, gloriam ejus „ quæ sine tempore est claritatis acciperet; ut in „ Dei virtutem & spiritus incorruptionem transfor„ mata carnis corruptio absorberetur. "

VII. Heic notandum quod non carnem, sed carnis corruptionem docet Hilarius absorbendam: quæ etiam in sanctis resurrectione glorificatis absorbebitur, manente tamen carnis natura, in gloria illius resurrectionis, cujus vox est: *Ego sum resurrectio & vita*. Quanto magis ergo in sua propria carne fulgebit resurrectionis claritas, cum sit ipse ipsa resurrectio & vita? In quem qui credit, non morietur in æternum; quia in resurrectione ac vita manebit, ac resurrectio & vita in eo, juxta illud promissum ejus: *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo*. Item: *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum*. Quanto ergo expressius, immo impressius, homo in Deum assumtus, manet in Deo & Deus in eo, non quasi alius in alio, quia idem Deus est qui homo, licet non inde Deus, unde homo? Est quippe divinitate Deus, humanitate homo: in quo & naturarum diversarum permanent essentiales differentiæ, cum altera increata sit & altera creata, & earumdem naturarum unitio; ut utraque natura quod suum est operetur cum alterius communione, manente Deo in forma humana, in qua est primogenitus mortuorum, & homine manente in forma divina, in qua est genitus ante luciferum, primogenitus omnis creaturæ.

CAPUT XX.

In filii hominis conceptione ac generatione, vera fides habet, quod natum est in virgine per conceptionem & ex virgine per generationem, totum esse filium altissimi & totum filium virginis: ita ut recte dicatur & Deus filius hominis, & homo filius Dei.

I. Quia vero nonnulli affirmant, unitione potius quam generatione hominem Dei filium nominandum; consideremus nunc modos unitionis, quo aliquid alicui unitur, ut evidenter clarescat eos errare, qui unitionem qua Deo est homo unitus, distinguunt ab hominis in Deum generatione, dicendo potius unitione, quam generatione hominem Dei filium factum. Quod fortasse recte diceretur, si non ipsa generatio esset naturalis & nativa unitio, qua de diversis essentiis per nativitatem unitis consistit unus filius. Verbi gratia: qui nascitur ex sanguinibus & ex voluntate carnis & ex voluntate viri, nec totam ex patre, nec totam ex matre corporis habet essentiam, & a neutro habet spiritum, sed ab illo quem apostolus nominat patrem spirituum, dicens: *Patres quidem carnis habebamus & reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & vivemus?* Cum ergo diversæ diversorum sanguinum sine essentiæ una cum spiritu rationali unitæ; non ta-

men est filiatio divina in uno filio, ut sit ex parte A filius patris ex parte filius matris, homo natus de muliere, sed totus filius patris & totus filius matris. Esset totus quoque filius patris omnium spirituum rationabilium, si spiritus rationalis de Dei patris essentia datus, & non de nihilo creatus, esset corpori humano unitus, ut putabant Manichæi ob hoc ipsum damnati & anathematizati, quod animam rationalem docebant esse coessentialem Deo. Nunc autem quia in creatione animæ corpori unitæ, solius Dei absque hominis ministerio cognoscitur operata potentia, recte dicitur ab apostolo ipse Deus pater spirituum, non corporum.

II. Porro in illius hominis conceptione ac gene- B ratione; cujus constat essentia non solum de humano corpore sumto ex virgine, ac de anima humana ex nihilo creata, sed etiam de Verbo Dei Deo patri coessentiali; vera fides habet, Quod natum est in virgine per conceptionem, & ex virgine per generationem, totum esse filium altissimi & totum filium virginis: ita ut recte dicatur & Deus filius hominis, & homo filius Dei; cum nativa unitione de satis tribus, Verbo Dei, anima rationali & carne, in unum fermentatis, unus de thalamo suo sponsus processerit geminæ gigas substantiæ. In qua tria sata quæ Deus conjunxit homo non separet, ita ut exemplo Nestorii fecet in duos filios unum Dei & hominis filium, nativa, sive ut Boetius ait, C naturali unitione de diversis essentiis, divina scilicet atque humana, unitum. Quod etsi factum sit supra naturam, non est factum contra naturam: quia homini ad imaginem & similitudinem Dei creato est naturale, ut sapientiam Dei per quam & ad quam creatus est, possit capere, sicut bona terra capit semen bonum. Quæ autem fuit umquam terra magis bona, quam virgo Maria? quæ nullo virilis operis aratro exculta ita erat fertilis, ut semen Dei, quod est Verbum Dei, annuntiante angelo cadens in eam, sic humanæ substantiæ unitum excrevit, ut homo natus in ea filius altissimi nominetur & sit. Filius inquam, non adoptivus, ut Photinus & Bonosus hæreticus docuerunt, D sed filius proprius, unigenitus, unicus patri & matri suæ. In qua nativa unitione unum factum est electrum, sancti Spiritus igne conflatum de argento humanæ simulque de auro divinæ substantiæ. In quo, fulgore auri ad tempus exinanito, & quasi pallescente in ipso pallore auri per mortem crucis aliasque contumelias, pallescentis consumata est claritas argenti usque adeo, ut impleta sit oratio dicentis: *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Item: *Clarifica me tu pater apud temet ipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.*

III. Neque vero mirum est, hujusmodi humanæ E substantiæ argentum auro divinitatis unitum, eidem conglorificatum seu conclarificatum. Quoniam cum scriptum sit: *Habet argentum venarum suarum principium, & est auro locus in quo conflatur.* Istius argenti principium sic fuit æternaliter præordinatum, ut in virginalis uteri conflatorio una cum auro divinitatis æterno in unum fabricaretur electrum nativa unitione. Post quam de virgine peractam, nullus potuit aut poterit ipsi Dei & hominis filio accedere vel assignari habitus, qui seorsum, abstractim, & mathematice intellectus, filius Dei aut hominis vere nominetur aut sit, licet & in alia & alia effigie, diversos in se habitus exhibuerit; nunc se hortulanum, nunc peregrinum, seu etiam velut agnum septem cornuum, septem quoque oculorum suis dilectoribus ostendendo: quia tales habitus non effecit nativa unitio, quia accesserunt jam nativo filio.

IV. Quod si placet per aliqua similia demonstrari; quæ diximus de divinis ac supernaturalibus, patent in humanis atque naturalibus. Esto enim: Sit alicui homini filius unicus, unigenitus, proprius, naturalis. Huic filio de homine genito si aliquid unitur, vel sic unitur ut in ejus vertatur substantiam; sicut panis qui mutatur & mutat, quia versus in carnem facit de macra pinguem; vel sicut annulus, qui nec mutatur nec mutat a suo esse filium annulatum: vel sicut sapientia faciens de fatuo filio sapientem, quæ ipsum mutans, non mutatur: vel sicut vestis quæ filium nudum vestiens, ipsum non mutat, sed ipsa mutatur; quia extra corpus complicata, si corpori coaptatur, secundum illud sic distenditur, ut recte habitus hominis dicatur. Ex quo habitu v. g. purpuratus aut loricatus, aut aliud hujusmodi valeat dici. Sed numquid vel panis quem filius comedit, vel annulus quem assumsit, efficitur filius patris qui eumdem filium genuit? minime. Item sapientia quæ filium de fatuo sapientem; vel purpura quæ illum de nudo vestitum exhibuit, numquid de filio filii seu filiæ nomen accepit, seu accipere potuit? nequaquam. Ipsa tamen purpura inducta membris accepit formam, quam non habebat exuta: cui etiam in regis persona exhibendus est honor, qui eidem exutæ non exhibetur.

V. Cujus rei similitudinem beatus Augustinus incarnationis mysterio coaptans in libro de octuaginta tribus quæstionibus dicit: „ Multis modis habitum „ dicimus. Vel habitum animi; sicut disciplinæ „ perceptionem usu firmatam: vel habitum corpo„ ris; sicut dicimus alium alio validiorem: vel ha„ bitum eorum quæ membris accommodantur ex„ trinsecus; ut cum dicis aliquem vestitum, cal„ ceatum, & hujusmodi. In quibus omnibus ge„ neribus manifestum est, in ea re dici habitum, „ quæ accidit vel accedit alicui, itaut eam possit „ etiam non habere. Hoc autem nomen dictum „ est ab illo verbo quod est *habere*. Habitus ergo „ in re dicitur, quæ nobis ut habeatur vel accidit „ vel accedit. Verumtamen hoc interest, quod quæ„ dam eorum quæ accidunt vel accedunt ut habi„ tum faciant, non mutantur, sed ipsa mutant, „ in se integra & inconcussa manentia. Sicut sa„ pientia accedens homini, non ipsa mutatur sed „ hominem mutat, quem de stulto sapientem fa„ cit. Quædam vero sic accidunt vel accedunt, „ ut mutent & mutentur; ut cibus qui amittens „ speciem suam, in corpus vertitur, & nos cibo „ refecti, ab exilitate & languore in robur atque „ valentiam mutamur. Tertium genus est, cum ea „ quæ accidunt vel accedunt, non mutant ea qui„ bus accidunt, nec ab ipsa mutantur; sicut an„ nulus positus in digito: quod genus rarissime in„ venitur. Quartus genus est cum ea quæ accidunt „ mutantur, non a sua natura, sed aliam speciem „ ac formam accipiunt, ut est vestis, quæ deje„ cta atque deposita, non habet eam formam quam „ sumit inducta: induta, non habet exuta. Quod „ genus congruit huic comparationi. Dei enim fi„ lius semet ipsum exinanivit, non formam suam „ mutans, sed formam servi accipiens: neque con„ versus aut transmutatus in homine amissa incom„ mutabili stabilitate, sed in similitudinem homi-

„ num factus est. Ipse susceptor verum hominem suscipiendo, & habitus inventus est ut homo, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit. Quod autem dicit *Ut homo*, veritatem exprimit. Nomine ergo habitus satis significavit apostolus qualiter dixerit; *In similitudinem hominum factus*. Quia non in transfiguratione in homine, sed habitu factus est, cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo immortalitati æternitatique sociaret. Non ergo oportet intelligi, mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet."

VI. His verbis aperte innuere videtur Augustinus, Deum dici factum hominem secundum habitum. Qui etiam ipsius incarnationis modum volens exprimere, quærentibus in IV. lib. de Trinitate ait: „ Si quæritur ipsa incarnatio quomodo facta sit. Ipsum Verbum Dei dico carnem factum, sive hominem factum, non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum: sed carne, ut carnalibus congruenter appareret, indutum. Ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei & hominis caro, sed & rationalis anima hominis, atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum & homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur a peccatis abstinendo & bona operando; difficilia enim sunt hæc."

VII. Idem in libro de fide ad Petrum: „ Dei filius cum sit Deus æternus & verus, pro nobis factus est homo verus & plenus. In eo verus, quia veram habet ille humanam naturam: in eo vere plenus, quia carnem humanam suscepit & animam rationalem. *Item*: Non aliud fuit illa Dei summi exinanitio, nisi formæ servilis, id est naturæ humanæ susceptio. Utraque igitur est in Christo substantia, divina scilicet & humana. *Item in libro contra Maximinum*: Cum esset per se ipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est. *Item in eodem*: Nos Christum Dominum verum hominem suscepisse credimus, & in ipso visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, & in ipso inter homines conversatum fuisse; in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse."

VIII. Hilarius in libro de trinitate: „ Quomodo Dei filius natus ex Maria est, nisi quia Verbum caro factum est? scilicet quod filius Dei cum in forma Dei esset formam servi accepit. Unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumtione profitemur, & in forma Dei per naturam divinam, & in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse. Non fuit habitus ille tamen hominis, sed ut hominis: neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati."

IX. His Augustini simulque Hilarii dictis caute pensatis, invenimus Dei filium inventum in habitu hominis: cum tamen habitus ille, ut Hilarius ait, non fuerit hominis, sed *ut hominis*; docente apostolo, quod filius Dei humiliavit seipsum formam servi accipiens, & habitu inventus *ut homo*. Id est, habendo in se hominem: inventus est ut homo, quia indutus est hominem, quem sibi uniens A quodammodo atque conformans, ut ait Augustinus, immortalitati æternitatique sociaret. Sed numquid hæc talis unitio, conformatio & associatio contulisset, aut conferre potuisset homini assumto esse Dei filium naturalem, proprium & unicum, sine generationis illius consortio de qua dicitur: *generationem ejus quis enarrabit*? Unum quippe Deus pater filium sibi connaturalem & coæternum, tamquam sol splendorem gloriæ suæ, genuit: quia semel loquutus, Verbum bonum de corde suo eructavit. Sed in hac una loquutione duo hæc audivit psalmista, quia videlicet potestas Dei est & misericordia. Potestas Dei, in qua idem Verbum semel dictum, filius Dei nominari dignatum est: B misericordia, in qua item idem Verbum, filius hominis nominari & esse dignatum est.

X. Conferamus nunc in uno eodemque Dei filio dignitatem potentiæ ac dignitatem misericordiæ in ea lance veritatis, ut neutrum altero minus vel majus, anterius vel posterius judicemus. Et certe inveniemus, verum sensisse beatum Hilarium in nono libro de trinitate dicentem: „ Ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel spiritum Deum, vel carnem Christi corporis denegare. Mediator ipse in se ad salutem ecclesiæ constituitur; & ipso inter Deum & homines mediatoris sacramento utrumque unus exsistens, dum ipse ex C unitis in id ipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque; ne forte Deus esse nascendo desineret, & homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum nescire quod homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens homo nascitur; jam non est contra naturam spei nostræ ut natus homo Deus maneat: cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem in naturam nasci posse potiorem."

D XI. *Idem in decimo*. „ Accepisse autem formam servi eum qui esset in Dei forma, de contrariis comparatur: ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi. Ad proprietatem enim naturæ intelligendam, significatione verbi ad id communis impellimur. In forma enim servi est, qui & in forma Dei est. Et cum hoc naturæ, illud dispensationis sit, in ejusdem tamen est veritatis proprietate quod utrumque est, ut tam verus sit in Dei forma, quam verus in servi. Ut vero assumsisse formam servi non aliud est, quam hominem natum esse; ita in forma Dei esse non aliud est, quam Deum esse. Unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis asE sumtione profitentes, & in forma Dei per naturam divinam, & in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum habitum hominis repertum fuisse."

CAPUT XXI.

Idem pluribus firmatur, ostenditurque Verbum per unionem cum natura humana nullo modo fuisse in se mutatum, hominemque natum esse in Dei patris unicum filium, quod assumtio sola vel habitus illi conferre non poterat.

I. HIS diligenter pensatis apparet, non tam ex unitione quæ in aliquo habitu consideratur, hominem filium Dei vel Deum filium hominis no-

minari, quam ex nativitate qua, sicut affirmat Hilarius, " Deus manens, homo nasci dignatus ,, est: & natus homo, Deus manet; itaut potior ,, natura in inferiorem nata, fidem præstet, inferio- ,, rem in naturam nasci potuisse superiorem. Cum ,, assumsisse formam servi non aliud sit, quam ho- ,, minem natum esse: atque in forma Dei esse non ,, aliud sit, quam Deum esse. " Sicut ergo ex nativitate Deus de Deo genitus, est ejus filius; ita nihilo minus ex nativitate idem Deus factus est filius hominis, nascendo videlicet ex homine divinitus potius quam humanitus, quia virgo illum non viro, sed Deo per suum Spiritum operante concepit. Unde Augustinus in libro de fide ad Petrum: ,, Natura æterna atque divina non posset tempo- B ,, raliter concipi & nasci ex natura humana, nisi ,, secundum susceptionem veritatis, veram tempo- ,, raliter conceptionem & nativitatem ineffabilis in ,, se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus ve- ,, raciter secundum tempus & conceptus & natus ,, ex virgine. "

II. Quæ cum ita sint, conceptio & nativitas potius quam habitus contulit homini esse filium Dei, & Deo esse filium hominis: quamquam in illa nativa unitione qua Deus in hominem, & homo in Deum natus est, multa inveniatur similitudo ad præostensos habitus. Nam in eo quod filius annulatus ferendo annulum non mutatur in illum, nec annulus in ipsum, signari potest assumentis & as- C sumtæ naturæ permanentia, permanente in Christo utraque natura, Divina scilicet & humana. Quod etiam Boetius insinuavit contra Eutychetem scribens introducendo similitudinem coronæ de auro & gemmis compositæ, in qua unitione auri & gemmarum natura permanet: sicut & in annulo gemmato, cum sit naturarum diversarum quædam unitio, nulla invenitur earumdem naturarum vel confusio vel commixtio; sed nec talis divisio, ut vel aurum sine gemma vel gemma sine auro dici valeat annulus gemmatus. Ita & innovator naturæ Deus homo factus est, id quod fuit permanendo, & quod non erat assumendo, non commixtionem passus neque divisionem. Commixtionem seu confusionem D docuit Euthyches hæreticus, divisionem vero asseruit Nestorius. Et uterque a sancta ecclesia repudiatus est per eam fidem qua creditur, Christus ex duabus & in duabus naturis exsistens, perfectus Deus, perfectus homo; unus omnino non confusione substantiæ sed unitate personæ.

II. Item de habitu interiori sicut est habitus animi sapientiam habentis, ipsa sapientia intellectu percepta & usu firmata, magna invenitur similitudo in homine Deo: cujus intellectus humanus æternæ sapientiæ perceptione informatus & usu firmatus, non sapit in aliquo minus, quam ipsa æterna sapientia, qua est informatus & firmatus. Quia E omnis homo sapiens tantum sapit, quantam habet sapientiam; si parvam parum, si multam multum, secundum suæ sapientiæ habitum intrinsecum. Non ipsa tamen sapientia ejus mutatur in illum, sed mutat illum, faciens de stulto sapientem. Sic æterna Dei sapientia homini unita, & in habitum sempiternum illi data, non est in illo mutata, cum sit immutabilis & nullius mutationis capax. Neque enim & ullo modo susceptibilis accidentium, per quæ solummodo fit mutatio rerum subjacentium formis. Immo ipsa est æterna forma carens materia, quæ permanens immutabilis mutat hominem, juxta illud Sapientis dictum: *Stabilisque manens das cuncta moveri*. Felicissime autem cælos illos facit moveri, de quibus dicitur: *Opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es. & anni tui non deficient*. Significantur quippe nomine cælorum sancti, & homines & angeli qui sunt amictus Dei; quia his tamquam vestimento suo Dei sapientia ornatur. De his etiam constat tunica illa inconsutilis, desuper contexta per totum; sancta videlicet ecclesia unguento illo perfusa; quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus. Unde etiam si de interiori habitu mentis ad exteriorem considerandum nos vertamus, juxta quem in corpore dicimus alium alio validiorem, vel alium alio melius vestitum, calceatum, armatum; sapientia æterna quæ sibi univit non solum spiritum sed & corpus humanum, longe in infinitum beatius beatis angelis & hominibus, mutavit hominem sibi unitum: ita ut tria sata, Verbum, caro & anima, sint unus panis qui de cælo descendit, Verbo quod est & quod erat immutabiliter permanente, anima vero & carne humana sic mutata, ut licet permanente illarum essentia & essentiali differentia, qua differt a creatore creatura, sit tamen eis divina potentia, sapientia, virtus & gloria in una trinitatis persona, quæ Deus & homo, filius Dei & hominis, utrumque habens per nativitatem potius quam per habitum.

IV. Qui enim habendo in se Deum propter habitum hunc dicti sunt dii sesu filii Dei; sicut Moyses dictus est Deus Pharaonis, & hi ad quos factus est sermo Dei dicti sunt dii & filii Excelsi: non erant fili Dei sive dii naturaliter, quia non acceperant nascendo ut essent quod dicebantur, sed jam natis & formatis indulta est aliquantula participatio sanctitatis illius, qua pater illum sanctificavit, & misit in mundum, quem constat esse sanctum sanctorum. De quo & angelus ad Mariam *quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Non dixit quod nascetur ex te sanctus vocabitur filius Dei, ne ad solius Verbi personam putes pertinere quod dicitur filius Dei: sed quod nascetur, inquit, ex te sanctum; videlicet corpus anima rationali animatum, Verbo Dei unitum, vocabitur filius Dei, non quasi Deum in se habendo, ut docuit Photinus, & Paullus Samosatenus atque Nestorius hæresiarchæ, sed vere verus Deus, & Dei filius unicus exsistendo. Unde Augustinus de bono perseverantiæ ait: *qui fidelis est, in eo veram naturam humanam credit suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscepit & quod suscepit, una esset in trinitate persona, assumtione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo & homine veritatem*. Idem in Enchidio: ,, Christus Jesus Deus ,, de Deo est, homo autem natus de Spriritu sancto ex virgine Maria, utraque substantia, divi- ,, na scilicet & humana, filius est unicus Dei patris ,, omnipotentis. *Idem in libro de prædestinatione* ,, *Sanctorum*: Ille homo ut a Verbo patri coæter- ,, no in unitate personæ assumtus filius Dei uni- ,, genitus esset, unde hoc mereretur? quod bonum ,, ejus præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellen- ,, tiam perveniret? faciente ac suscipiente Deo Ver- ,, bo ipse homo ex quo esse cœpit filius Dei uni- ,, cus esse cœpit. "

V. Hæc dicendo sanctus Augustinus hominis in Deum Dei filium signanter exprimit nativitatem, quæ sola hominem assumtum Dei fecit unicum, ut

SÆCUL. XII CIRCA ANN. CHR. 1169.



sicut ipse ait, sicut unicus in utraque substantia, divina scilicet & humana. Quod ei non potuisset conferre assumtio sola extrinseco habitui assimilata, non falso intellectu, sed vero, nec tamen divinæ hominis nativitati contrario. Quia sic est homo in Deum assumtus, ut sit etiam in Deum natus: & sic est a Deo creatus, ut sit etiam in Deum natus: ex altero dicens, *Ascendo ad patrem meum*; ex altero addens, *Et ad Deum meum*.

VI. Pater quippe factus est hominis Deus, illius conceptionem & nativitatem per suum Spiritum supernaturaliter operando: qui etiam Deus ejus fuit, inter ceteras creaturas eum creando. Assumtus est igitur homo creatus a Verbo increato, quasi habitus, in quo est inventus ut homo, qui Deus erat, sed natus est in Dei patris unicum filium, quod assumtio sola vel habitus illi conferre non poterat. Nam quos Deus assumsit, & non genuit, verbi gratia Moysen & Aaron, quos ad hoc assumsit ut adduceret populum suum de figurali Ægypto; quod facere non potuissent nisi eos Deus ad hoc ministerium assumsisset: licet filii Dei nominentur inter eos, ad quos factus est sermo, seu Verbum Dei; nullus tamen eorum factus est Verbum Dei, nisi tantummodo hic unigenitus virginis, non sulummodo assumtus in ministerium, sed etiam natus in filium. Unde non solum tamquam servus ministravit dicens: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat*; sed etiam tamquam filius & Dominus imperavit ventis & mari, submerso in sanguine ipsius Pharaone tenebrarum principe. Quod facere non potuisset, nisi omnipotens omnipotentis patris filius esset; qui & in cruce pendens ac moriens, inventus est homo; & infernum spolians, ac de sepulcro surgens, inventus est ut Deus. Nam & Deus inventus est in forma servi humana patiendo, & homo inventus est in forma Dei divina opera faciendo, quæ nemo alius fecit, quia etiam solo nutu omnia quæcumque voluit fecit. Sicut ex aqua vinum fecit, non saltem dicendo; Fiat ex aqua vinum: quia tacitum sui Domini sensit creatura imperium. Sic etiam tacito nutu ad se traxit mulierem peccatricem. Quia sicut ait beatus Gregorius papa, *Ipse illam intus traxit qui eam foris misericorditer suscepit*. Mulier hæc typum gessit ecclesiæ de gentibus collectæ, quam & pater trahit ad filium, & filius trahit ad se ipsum simulque ad patrem per se ipsum, juxta illud: *Nemo venit ad me; nisi pater meus traxerit eum*. Item: *Nemo venit ad patrem, nisi per me*. Nestorium hæreticum non traxit pater ad filium, neque filius illum traxit ad seipsum: qui hominem assumtum non credidit esse Dei filium, sed Dei vestimentum. *Propter indutum* inquit *indumentum veneror*. Quasi homo in Deum natus, non sit Deus Dei filius propter seipsum colendus æque ut pater ejus. At ille hominem separans a Deo Dei filio, velut indumentum ab induto, non magis credidit hominem assumtum Dei filium, quam quodlibet indumentum in quolibet filio filius est patris illius. Non ergo pater illum traxit ad hominem, cujus non credidit esse patrem altissimum, sola indumenti similitudine deceptus: quo & nunc multi sequaces ejus falluntur, dum non pertrahuntur ad hanc fidem, qua creditur homo, non solum sic assumtus ut sit Dei vestimentum; sed etiam sic natus de virgine ut sit Dei filius, non propter alium, sed propter seipsum colendus & adorandus, utpote verus Deus Dei filius.

VII. Unde patres in Ephesino concilio collecti, prout etiam supra commemoravimus, hoc dixerunt & scriptum reliquerunt: „ Recusamus dicere de Christo, *Propter indutum indumentum veneror, propter invisibilem adoro quod videtur*. „ Pavore plenum ad hoc & illud dicere: *Assumtus assumenti coappellatur Deus*. Qui enim hæc „ dicit, secat in duo Christum, & hominem statuit per partem specialiter, & Deum similiter. „ Denegat enim evidenter unitionem, secundum quam non ut alter alteri coadoratur quis, neque „ quidem coappellatur Deus; sed unus intelligitur „ Christus una adoratione honorandus cum sua carne. “ Item, prout superius perstrinximus, & nunc iterare non piget; in eodem concilio legitur Cap. V. „ Si quis audet dicere Deiferum hominem Christum, & non magis Deum esse secundum veritatem, sicut filium unum & natura, secundum „ quod Verbum factum est caro, communicavit similiter nobis in sanguine & carne, anathema „ sit. “

VIII. Istos venerandos patres traxit pater ad filium, quia hominem crediderunt a Deo non solummodo assumtum velut indumentum, sed etiam natum in Deum Dei filium. Similiter patrem Augustinum traxit pater ad filium: qui cum dixisset quod Deus indutus est hominem, addidit: „ Quem „ sibi uniens quodammodo atque conformans, im„ mortalitati æternitatique sociaret. “ Idem super sermonem Domini ubi dicit; *Non conturbetur cor vestrum*, ita dicit: „ Ego Dominicam carnem, im„ mo perfectam in Christo humanitatem ideo ado„ ro, quia a divinitate suscepta, & deitati unita „ est: ut non alium & alium, sed unum eumdem„ que, Deum & hominem, filium Dei esse confi„ tear. “ Et post pauca: „ Humanitatem non so„ lam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet „ unum filium, Deum verum & hominem verum „ si quis adorare contemserit, æternaliter morietur. “

IX. Attende in his dictis Augustini, quod cum adorari docuisset humanitatem divinitati unitam, ne quis in humanitate divinitati unita intelligeret aliud quam Dei filium; consequenter exponens quid ipse intellexerit, addidit: Scilicet unum filium, Deum verum & hominem verum si quis adorare contemserit, æternaliter morietur. Traxit ergo illum pater ad filium, quia hominem credidit, & confessus est esse Dei filium, licet habitus ejus humanus recte inveniatur assimilatus purpuræ non extra personam regis jacenti, sed in persona regis adorandæ. Qui cum sit rex regum, habet etiam in vestimento & in femore suo scriptum, *Rex regum & dominus dominantium*: ne quis putet cum Nestorio sentiendum, quod ipse homo cum sit Dei vestimentum, non sit etiam rex regum & dominus dominantium vere adorandus, non propter Deum quasi alter propter alterum, sed in Deo Dei Verbo, cui sic est homo unitus, ut sit Deus, Dei filius proprius & unicus.

CAPUT XXII.

In Christi persona homo Deus & Deus homo est: quoniam & Deus homo est humanitate quam suscepit, & homo Deus divinitate quam accepit.

I. Cujus cum de persona quæritur quis ipse sit, recte respondetur, *Deus & homo*. Si autem quæritur, an in Christi persona homo Deus

& Deus homo sit, recte respondetur utrumque verum esse: quoniam & Deus homo est humanitate quam suscepit, & homo Deus divinitate quam accepit. Item cum dicitur: Homo est Deus; & Deus est homo: si quæritur quid subjiciatur aut quid prædicetur, non incongrue dicitur, persona subjici & natura prædicari. Quoniam & homo qui cum Verbo est una persona in trinitate, habet naturaliter insitam sibi divinitatis naturam nativitatis naturali virtute, per Spiritum sanctum virtute altissimi obumbrante acceptam: & filius Dei Deus qui cum homine assumto est una persona, humanitatis naturam nascendo ex homine sic sibi univit nativa unitione, ut recte ipse filius Dei & filius hominis dicatur. Unde hac persona supposita, rectissime de illa prædicatur utraque sua natura, divina scilicet & humana. Quoniam & Deus de Deo est essentiæ suæ natura, & idem homo est nativitatis ex homine gratia simul & natura: quia hoc habet nascentium natura, ut sint gignentibus connaturalia. Hinc est & homo ex Deo natus, Deo patri in divinitate connaturalis; & Deus ex homine natus, virgini matri est in humanitate connaturalis. Supposita itaque persona, sive per nomen Dei sive per nomen hominis, recte de illa persona prædicatur utraque natura; ut dicatur & Deus esse Deus & homo, & homo esse homo & Deus; quamquam homo, non inde Deus unde homo; & Deus, non inde homo unde Deus. Quoniam & homo divinitate sua Deus est, humanitate homo: & Deus humanitate sua homo, divinitate sua Deus.

II. Concordant his quæ diximus patrum dicta, quæ sequuntur. Hilarius libro decimo: „ Nati quoque in hominem ex partu virginis Dei sacramentum docuimus, demonstrantes secundum dispensationem carnis assumtæ, tum cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habentis, humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque cum in hominem Deus natus sit, non idcirco natus est ne non Deus maneret, sed ut manente Deo, homo natus in Deum sit. Nam & Emmanuel nomen est ejus quod est, *Nobiscum Deus*: ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis provectus ad Deum. Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumtioni humanitatis hoc proficit, Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit. *Item idem in eodem.* Et arguere nos solent, quod Christum dicamus esse natum non nostri corporis & animæ hominem, cum nos Verbum carnem factum, & se ex forma Dei evacuantem Christum, & formam servi assumentem perfectum secundum habitum conformationis humanæ & similitudinis, natum hominem prædicemus, ut vere Dei filius hominis filius natus sit: neque non natus ex Deo homo, neque quia natus ex Deo homo, ideo Deus esse deficiens. Sed ut per se sibi assumsit ex virgine corpus, ita ex se sibi assumsit quæ utique numquam ab homine gignentium originibus præbentur. Si enim conceptum carnis nisi ex Deo virgo non habuit, longe magis necesse est, anima corporis nisi ex Deo aliunde non fuerit. Et cum ipse ille filius hominis ipse sit qui & filius Dei, quia totus filius hominis totus Dei filius sit, quam ridicule præter Dei filium qui Verbum caro factum est, alium nescio quem, tamquam prophetam Verbo Dei animatum prædicemus, cum Dominus Jesus Christus & hominis filius & Dei filius sit? “

III. Ex symbolo Ephesini concilii CC. episcoporum: „ Unum adoramus filium & Dominum Jesum Christum, neque per partes ponentes & dividentes hominem & Deum, quasi conjunctos ad invicem dignitatis & auctoritatis unitione. Novitas enim vocis hoc est, & aliud nihil. “


IV. Augustinus in lib. Quæst. novi testamenti: „ Christus Dei filius ex æterno est: secundum spiritum vero sanctitatis juxta carnem ex semine David natus est filius Deo: ut in utroque non factus Deo filius habeatur, sed natus. *Et post aliqua*: Salvator ergo natus est & secundum carnem filius Dei. Non enim poterat, quod de sancto sanctum natum est, non de Deo nasci: *Florus ex decadi*: *Exaltate Dominum Deum nostrum.* Quantum debet exaltari? & *adorate*, inquit, *scabellum pedum ejus*. Scabellum pedum Christi; caro illa sancta non ex voluntate viri, sed Spiritu sancto & virtute altissimi ex virginali utero suscepta, in qua hic ambulavit, intelligenda est. Ipsa enim nobis manducandam dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: Verbum enim caro factum est, & habitavit in nobis. Nec dividendum est ab adoratione quod conjungitur unitate, quia Deus & homo, Verbum & caro unus est Christus. “

V. Ex sermonibus abbatis Claravallensis in Evangelium, *Missus est angelus Gabriel*. *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*: „ quod est dicere, quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies. Concipies autem virtutem altissimi, hoc est filium Dei, ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. *Idem*: Non solum qui de sinu patris in uterum tuum veniens obumbravit tibi, sed etiam quod de sua substantia sociabitur tibi ex hoc vocabitur filius Dei. Quemadmodum & is qui a patre est ante sæcula genitus, tuus quodammodo [1] reputabitur filius. Sic autem & quod natum est ex ipso erit tuus; & quod ex te nascetur ejus; ut tamen non sint duo filii sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque filius erit. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Attendite quæso quam reverenter dixerit, *Quod nascetur ex te sanctum*. Ut quid enim tam simpliciter sanctum, & absque additamento? Credo, quia non habuit quid proprie digne nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet virginis carne cum sua anima unico patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans; quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite *Sanctum*, quia quidquid illud sit quod virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumtionem. “

VI. His dictis patrum caute pensatis, patet eos intellexisse, vel ultra intellectum credidisse hominem Deum & filium Dei, Sanctum sanctorum. Quem quia pater sanctificavit & misit in mundum; non blasphemamus nos, qui eum prædicamus Deum, Dei filium unicum & naturalem ac proprium: utpote cui nativitas non adoptio contulit esse Deum Dei filium in utraque natura unicum. Sicut ostensum est jam supra dictis Augustini & aliorum patrum, una reverentiæ adoratione docentium ado-

1. Lege *quoque amodo*.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1169.



randum hominem qui est Sanctus sanctorum, sive ut expressius dicatur, sanctum vel sanctitas omnium sanctorum. Qui sicut Augustinus ait, *Factus est nobis a Deo sapientia, & justitia & sanctificatio & redemtio*. Ad hoc & pertinet illud in lege dictum: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Quod sicut affirmat Ambrosius in Lucam, de solo virginis primogenito proprie dictum est: quia hic solus aperuit vulvam, & vocatur Sanctum sanctorum, cui sanctitas non est accidentalis; & quod de omni primogenito improprie dicitur, quia multi primogeniti non sancti fuisse leguntur. Sed tamen propter unum primogenitum vere ac substantive sanctum, dicebatur in lege omne masculinum adaperiens vulvam, *Sanctum Domino vocabitur*: cum id conveniat solummodo illi primogenito quem de Spiritu sancto concepit virgo.

VII. Sed & illud in epistola Joannis dictum: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat illum*, proprie huic soli homini convenit, qui solus inter homines originali pariter & actuali peccato caruit. Quia cum sit ex Deo natus, generatio Dei conservavit illum sine peccato in omnibus & per omnia purum & sanctum: quod illi contulit generatio, sicut filiis adoptivis regeneratio confert sanctitatis ejus participium per remissionem peccatorum. Quorum tamen nullus quantumcumque sanctificatus, dicitur sanctus sanctorum: quia nullus eorum sanctus est essentiali sanctitatis bono, quamtumlibet sanctificatus accidentali dono, ut Joannes A Baptista vel Jeremias. Qui licet legantur in uteris matrum sanctificati, non tamen caruerunt macula originalis peccati ex conceptione contracti. Sed hic solus de Spiritu sancto conceptus, non accidentaliter sed essentialiter dicitur sanctus, aut quod sensum valentius exprimit, *sanctum*, cui hoc est esse, quod sanctum esse. Propterea conceptionem ejus annuncians angelus, non dixit: Qui nascetur ex te sanctus; sed, *Quod nascetur ex te sanctum*. Quasi diceret, quod non accidentaliter sed essentialiter erit sanctum, sufficiens ad sanctificandum cunctos in se credentes.

VIII. Piget respondere strophis illorum, qui cum B de Deo prædicantur humana, vel de homine divina, ut evacuent sensum veritatis, inducunt varios tropos & figuras loquendi: v. g. Deus, inquiunt, passus & mortuus est in cruce; non in veritate sed ratione consortii: quasi homo in cruce pendens, non ipse fuerit Deus per se, sed habens Deum in se. Quem nos credimus Deum per se, licet non a se. Atque ideo cum homo ille passus est, ipse Deus passus est: non tamen secundum suam impassibilem divinitatem, sed secundum suam tunc passibilem humanitatem. Item inquiunt, Cum homo dicitur omnipotens, tropus est accidentalitatis, quia prædicamentum non redditur ad caussam. Neque C enim inde omnipotens unde homo. Sicut etiam in humanis patet, cum dicitur coloratus intelligere. Sic sic alienant hominem a Deo suis tropis falso intellectu.

EXPLICIT.

Sæcul. XII. circa Ann. Chr. 1200.

*EPISTOLA I.

PETRI BLÆSENSIS

IN PERSONA TURONENSIS ARCHIEPISCOPI.


Ut Rex Angliæ a vinculis liberetur.

Reverendo patri & domino Cæleſtino Dei gratia A ſummo pontifici, *B.* divina permiſſione Turonenſis archiepiſcopus, ſalutem & miſericordiæ reminiſci.


Silere decreveram, ne inſolentiæ, & præſumtionis arguerer, ſi forte adverſus principem ſacerdotum verbum aliquod minus cautum abundantia cordis, & vehementia doloris eliceret. Hinc non multum ab inſania differt dolor, dum in impetu ſuæ accenſionis eſt, dominos non agnoſcit, ſocium non veretur, nec defert, nec parcit alicui, ſed non ſibi. Nemo ergo miretur, ſi verborum modeſtiam vis doloris exaſperet, jacturam enim plango publicam, ſed & familiaris dolor in ſpiritus mei præ- B cordiis inconſolabiliter radicavit. Sagittæ enim Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Gentes divulſæ, populi lacerati, provinciæ deſolatæ, & generaliter tota occidentalis Eccleſia confecta lamentis in ſpiritu contrito & humiliato ſupplicat vobis, quem conſtituit Deus ſuper gentes, & ſuper regna in omni plenitudine poteſtatis. Afflictorum, quæſo, clamor introeat in aures veſtras: calamitates enim noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper numerum, nec iſta diſſimulare poteſtis citra criminis, & infamiæ notam, cum ſitis vicarius Crucifixi, ſucceſſor Petri, ſacerdos Chriſti, chriſtus Domini, deus Pharaonis. De vultu tuo, Pater, judicium prodeat, oculi tui videant C æquitates. De arbitrio veſtro, & clementia veſtræ ſedis pendent vota populi, & niſi maturius arripiat manus veſtra judicium, tota redundabit in vos tragœdia hujus mali, cum ſitis pater orphanorum, & judex viduarum, mœrentium & dolentium conſolator, & omnibus civitas refugii, in tanto cumulo miſeriarum unicum, & commune omnibus exſpectatur de veſtræ poteſtatis auctoritate ſolatium. Filii Iſrael Moyſem, cujus agitis vices, conſultabant in duris, ad tabernaculum fœderis confugiebant in anguſtiis ſuis. Rex noſter in arcto eſt, & undique anguſtiæ premunt eum. Videte ſtatum, aut potius caſum regni, malitiam temporis, tyranni ſævitiam, qui de fornaci avaritiæ arma iniqui- D tatis inceſſanter fabricat contra regem, quem in ſancta peregrinatione in protectione Dei cæli, & tuitione Romanæ Eccleſiæ, captum, & vinculis carceralibus coarctatum tenet, occiditque tenendo. Contemnit enim Dominum, & terribilia judicia ejus, prædæ incubat, nec eſt qui de manu ejus poſſit eruere. Si eccleſia .... comploſis manibus, ad tantas injurias Chriſti ſcilicet. Exſurgat Deus, & judicet cauſſam noſtram, reſpiciat in faciem Chriſti ſui. Ubi eſt zelus Eliæ in Achab, zelus Johannis in Herodem, zelus Ambroſii in Valentem, zelus Alexandri III. qui, ſicut audivimus, & vidimus, patrem iſtius principis Fredericum plena auctoritate apoſtolicæ ſedis, ſolemniter, & terribiliter à fidelium communione præſcidit? Porro tyrannus apoſtolicas claves habet ludibrio, nec niſi verba reputat legem Dei. Sed tanto conſtantius deberetis arripere gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Scriptum eſt: *Qui vos ſpernit, me ſpernit:* ideo ſi veſtram non vultis, aut timetis perſequi injuriam, vobis tamen diſſimulare non licet Petri opprobrium, & injuriam Chriſti. Non ſit ergo alligatum in ore veſtro verbum Domini, nec in vobis timor humanus obruat ſpiritum libertatis. Tolerabilius eſt incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei. Confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus, & gloria eorum in confuſione. Quicquid eccleſiarum, & pauperum neceſſitati ſubtrahitur, inſatiabiliter avaritiæ vorat ingluvies. Sed prope eſt ut in eos manus Domini tempeſtiva exerceat ultionem, & eveniet quod beatus Job de prædicto impio proteſtatur: Divitias quas devoravit evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus; luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Quod ſi ad tempus humanum evadunt judicium, divinum terribilius eſt, quod imminet eis, quorum gaudium præſens ad inſtar puncti, interminabilis vero pœna ignis & vermis. Quis enim umquam perſecutor innocentiæ ultricem illius manum qui aufert ſpiritum principum, potenteſque potenter punit, legitur evaſiſſe? Ut de pœna taceam gehennali, ſæpe legimus quomodo digitus Dei pro arbitrio ſuo regna & imperia transfert, quas etiam vult & erigit & dejicit poteſtates. Non deterreat aliqua vos ſæcularis elatio. Superbus eſt Moab, & major eſt ſuperbia ejus, quam fortitudo illius; e contrario autem nomen Domini plurima fortitudo. Illud vero publice contriſtat Eccleſiam, populique murmur excitat non mediocriter, militat in diſpendium veſtræ opinionis, quod in tanto diſcrimine, in tot lacrymis, in tot provinciarum ſupplicationibus, nec unum nuntium ad principes illos a veſtro latere deſtinaſtis. Sæpe pro cauſſis mediocribus veſtri cardinales in magna poteſtate etiam ad partes barbaras legatione funguntur: in cauſſa vero tam ardua, tam lamentabili, tam communi, nec unum ad hæc ſubdiaconum, aut acolytum deſtinaſtis. Legatos enim hodie facit quæſtus, non reſpectus Chriſti, non honor Eccleſiæ, non regnorum pax, aut populi ſalus. Quis quæſtus vobis, aut proventus glorioſior poſſet eſſe, quam in hac liberatione regis ſummi pontificatus apicem ſupra ſacerdotium Aaron & Phinees exaltare? Sane non multum humiliaſſet ſedis apoſtolicæ dignitatem, ſi in propria perſona ad tanti liberationem principis in Germaniam deſcendiſſet: quem enim tam indefeſſe colebat in proſperis, tam deſidioſe deſerere non debuit in adverſis. Quare non appenditis in libra juſtitiæ beneficia, quæ bonæ memoriæ Henricus pater iſtius regis, vobis, ſicut vidimus, in articulo ſummæ neceſſitatis

* Ex Martene, Theſaur. Anecd. tom. I, pag. 639.

SÆCUL. XII. CIRCA ANN. CHR. 1200.



exhibuit, & e diverso tyrannidem Frederici, quam in vos, & Ecclesiæ Romanæ possessiones, & in omnes qui vobis fideliter adhærebant exseruit. Cum enim prænominatus Fredericus fautor schismaticæ dissensionis & auctor, contra Alexandrum III. canonice, sicut scitis, electum, in partem apostatæ Octaviani jurasset, atque sub illa schismatis concussione generaliter ubique terrarum Ecclesia laboraret, reges Franciæ & Angliæ variis ex utraque parte legationibus tentabantur: cumque sententiæ regis Franciæ consiliorum varietate cui faveret parti fluctuans dubia vacillaret, rex Henricus dolens Christi tunicam diutius scindi, primus Alexandro papæ consensit, multaque cautela trahens regem Françorum pariter ad consensum, apostolicum & suos munivit consiliis, firmavit auxiliis, & sic navem Petri jam sub certo discrimine naufragantem in secura littoris statione locavit. Hæc apud Castrum Radulphi vidimus, ubi & Romanorum votis, sicut ipsi pro miraculo publice prædicant, plenioribus exeniis auri & argenti regia munificentia satisfecit. Notabiliter igitur dehonestat gloriam sedis apostolicæ, quod aliqua numquam ingratitudo tanti beneficii memoriam potuit abolere. Quandoque poterit ex caussa consimili (quod Deus avertat) schismatis pullulare meritum, vestræque præsentis desidiæ & defectus recordatio, poterit tunc aliquibus cedere in singultum. Licet enim liberationem regis ille veterator serpens, ille coluber tortuosus machinationibus præstigiosis impediat: confidimus tamen in Domino, quod tempestive respiciat in faciem Christi sui, & dabit imperium regi suo; exspectatio siquidem nostra in spe certa & fide firma convaluit. Fit enim incessanter oratio ab Ecclesia ad Deum pro eo. Deus autem, qui in tempore accepto exaudit, & adjuvat in die salutis, respiciet in orationes humilium, & non spernet preces eorum, multum enim valet deprecatio justi assidua. Sol ad preces Josue stetit, & luna contra vallem Achilon non est mota: quia justi precibus obtinetur, ut a corde peccatoris Sol justitiæ non recedat, & mens hominis, quamvis in defectu prona sit, virtutum tamen stabilitate firmetur. Non enim tantum remittitur oratione peccatum, sed pœna peccati declinatur beneficio precum. Ideo bonum est regi præstolari cum silentio salutare Domini; nam si nunc in fornace tribulationis purgatur a Deo, qui circa eum adversa & prospera saluberrima moderatione dispcnit, vexatio transibit in gloriam, atque pro confusione duplici, & rubore in terra sua duplicia possidebit. Beatus itaque vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Sane sicut nunc ei publici gemitus, & generales impenduntur lacrymæ, sic desideratus gentibus tempestive communibus excipietur votis in exsultatione universæ terræ. Domine in virtute tua lætabitur rex, & Ecclesia Romana, quæ nunc nimis culpabiliter in ejus liberatione lentescit, non sine lacrymis erubescet, quod in tantis angustiis tantum filium non adjuvit.



EPISTOLA II.

PETRI BLÆSENSIS

AD C. MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Conqueritur de captione regis Angliæ.

Reverendo patri & domino C. Dei gratia Moguntino archiepiscopo, P. Blæsensis Bathoniensis archidiaconus salutem in auctore salutis.

Quia quandoque in scholaribus castris militavimus sub eodem doctore, & ex diuturna ejusdem hospitii cohabitatione socialis amicitiæ jura contraximus, fiducialius vobis scribo. Excursus enim modici temporis vestro non præscribit amori, nec apud me mutationem vestri status agnoscit affectio. Sane postquam desideratissimam faciem vestram novissime vidi, vos in archiepiscopalis eminentiæ gradum dispensatio divina promovit: sed si bene recolo, quam solida semper apud me fuerit fidei vestræ & amoris integritas, certus sum quod honoris assumtio circa statum amicitiæ vestræ nullum præjudicium mihi facit. Cum itaque hinc amor audaciam loquendi mihi pariat, inde vero me ad planctum & gemitum dolor singultuosus urgeat violenter; indulgete mihi, si in aliquo verbo sobrietatem modestiæ, & limites honestatis excedo. Ex abundantia enim cordis os loquitur, nam in amaritudine est anima mea, quæ totum hujus epistolæ cursum mihi de doloris atramentario subministrat. Quis vero inter communes lacrymas dolorem dissimulet, aut supprimat planctus, ubi clerus dolet, lamentatur religio, gemit populus, nobilitas anxiatur? Non potest omnium mœrore non plangi, qui colitur & fovetur amore communi. Decidit corona capitis nostri, in luctum versus est chorus noster. Rex noster in frixorio est, & occasione illius in quamplures provincias hujus malitiæ sartago desævit. Suo domino patienti contabescit, & commoritur universitas, & per compassionem afflictio capitalis in membra discurrit. Vir sanguinum & cruentæ conscientiæ dux Austriæ non est veritus in christum Domini sacrilegas manus mittere, & pedes calciatos in evangelium pacis ferreis humiliare compedibus. Terribilis in judiciis Deus destruat illum in finem, evellat de tabernaculo suo, & radicem ejus de terra viventium, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, sed persecutus est hominem innocentem, & peregrinum adhuc in obsequio Crucifixi, & in procuratione reipublicæ constitutum. Cum enim pro testamento Dei labores anxios tolerasset, exhaustis bellicis sudoribus & expensis, ad propria remeabat, ut denuo majus testimonium fidei redditurus prudentiore consilio & felicioribus auspiciis viam secundæ peregrinationis instrueret. Et nunc reges intelligite, reminiscimini qui judicatis terram, si umquam ab infantia nescentis Ecclesiæ aliquis rex pacificus, fidelis, innocens, peregrinus, tam subdole captus, tam malitiose detentus, tam crudeliter est venditus, tam indigne afflictus, & cum populis suis tam cupida, & detestabili exactione gravatus. Ubi



est lex naturæ? ubi est æquitas? ubi peregrinorum reverentia, quos etiam Christi crucifixores venerati sunt, dum in agrum figuli, ob peregrinorum sepulturam, Christi venditi pretium transtulerunt? Porro cum Abraham peregrinaretur in terra Chanaan, rex Abimelech ei gratiam plenæ humanitatis exhibuit. Jacob apud Laban, Moyses apud Jetro, David apud regem Achis, & ceteri Patres antiqui, nondum acceptis repromissionibus, sed longe eas exspectantes, & confitentes quia essent peregrini & hospites super terram, apud barbariem gentium multiplex suæ peregrinationis solatium invenerunt. Et qui eum vendidit, & qui emit in sortem Judæ Iscariotis, & in maledictione fraudis Judaicæ reputentur, ut sit cum eis ipsorum pecunia in perditionem, cum Dathan, & Abiron terra eos viventes absorbeat, successores Judæ, filios avaritiæ, servos mammonæ, semen Chananæi, genimina viperarum, membra diaboli, ministros Satanæ, præambulos antichristi. Sæviente in populos istorum tyrannide, publica mortalitas invalescit, urbes evacuantur pestilentia & fame, quæ superveniunt universo orbi. Nec dissimulare possumus, aut tacere quod juxta verbum Apostoli, jam ministerium iniquitatis antichristus operatur, ut reveletur in tempore suo: abundat enim iniquitas, & refrigescit caritas multorum. Optimus est qui non est nimis malus: in argumentum adventus illius filii perditionis generaliter mundus in maligno positus est, desævit morbus pestilens, & edulitas invalescit. Legitur quod mors cum eo est, & faciem ejus præcedit egestas, nobis in germana Germania hæc mala germinant universis. Heu! heu! principes aquilonis, vere ab aquilone panditur omne malum; sed hoc malum regi bene utenti convertetur in bonum. Nam Judex innocentiæ Deus faciet in proximo judicium injuriam patienti, faciet Dominus misericordiam christo suo: zelus Domini exercituum faciet hoc, & scient omnes quia sunt reliquiæ homini pacifico. Domine in virtute tua lætabitur rex. Justus de angustia sua liberabitur, cadet anima ipsius in laqueum quem tetendit, & in virtute ipsius iniquitas ejus descendet. O rubigo animarum avaritia! o tinea cordium cupiditas, quæ sic homines excæcasti, ut Dei, & judiciorum ejus obliti, neque suæ parcerent animæ, neque famæ! Consumetur quidem pecunia, sed nota proditionis non delebitur. Tanti sceleris immanitas derivabitur ad posteros, & in ungue adamantino hæc iniquitas filii Pharaonis æterne. Non de fiscali ærario, non de thesauris regalibus hæc accipiunt, sed de patrimonio Crucifixi, de sustentatione pauperum, de viduarum lacrymis, de substantia religiosorum, de pupillorum alimentis, de dotibus virginuum, de ecclesiarum utensilibus, de crucibus, & calicibus consecratis. Quot solidos sibi congregant, tot accumulant sibi maledictiones, tot interminabiles cruciatus sibi in die iræ terribilis thesaurissant. Quicquid ad decorem domus Dei venerandæ antiquitatis munificentia erogavit, nunc avaritiæ inexpiabilis hiatus absorbet, ut hereditate possideant sanctuarium Dei, & tot sacrilegiis exsecrabiles fiant, quot in partibus occiduis Ecclesiæ profanantur. Exsurge homo Dei, exsurgant & alii Patres conscripti, quibus dati sunt gladii ancipites in manibus eorum, succurrite plagæ ecclesiæ, arripiat judicium manus vestra, & evaginato linguæ gladio zelum quem Petrus in Ananiam, & Sapphiram censu ecclesiastici fraudatores exercuit, in publicos ecclesiarum prædones, & invasores sacrilegos exercete. Rex illustrissimus catenis carceralibus, & fame torquetur, ferrum pertransiit animam ejus. Sedet enim in mendicitate & ferro, & non est qui moveatur super contritione Joseph. Pallescit in jejunio speciosa facies victualibus interdictis, virtusque corporis in robur animæ migratura, & vernans in facie decor natura succumbente marcessit. Si qua ergo in vobis benignitas, si quod solatium caritatis, si quis respectus ad Christum, si qua viscera miserationis, si qua memoria judiciorum Dei, excitetur in vobis piæ compassionis affectus, ascendite ex diverso, cursumque tam detestabilis sacrilegii cohibeat pontificalis auctoritas, ne vestri principes malignentur in sancta, ne diutius occidentales populi doloribus intabescant & fletu, ne de manu vestra sanguis innocens requiratur.

EXPLICIT.

INDEX
LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

EXODUS.

LEVITICUS.

NUMERI.

DEUTERONOMIUM.

I. REGUM.

JOB.

PSALMI.

PROVERBIA.

ECCLESIASTES.

CANTICA.

Vide quoque indicem Appendicis.

I N D E X

RERUM ET PERSONARUM.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

Z

APPENDIX

COMPLECTENS

VETERUM QUORUMDAM SCRIPTORUM

MONUMENTA NOVA.

VIDELICET

ORIGENIS, DIONYSII Alexandrini, GREGORII Thaumaturgi, HELENÆ & CONSTANTINI, PAPHNUTII, NECTARII Constantinopolitani, JOANNIS CHRYSOSTOMI, SEVERIANI Gabalitani, CYRILLI Alexandrini, & MAXIMI monachi.

Omnia fere nunc primum græce edita, & latinitate donata.

S E R I E S
S C R I P T O T U M,

qui in hisce Analectis continentur.

PROLEGOMENA

IN SUBSEQUENTIA ANALECTA.

CUM absolvendæ Venetæ Patrum Ecclesiastico- A rumque Scriptorum Gallandianæ Bibliothecæ provinciam administrarem, nihil reliqui facere visum est, quo pro tenuitate ingenii mei & lectorum vota adimplerem, & quam dederat Gallandius ipse ὁ μακαρίτης fidem amplissimam diligentissime liberarem. Itaque non consulendæ modo fuerunt Bibliothecæ, & quæ V. C. sua manu exarata nobis reliquerat adversaria, quemadmodum etiam alibi a nobis dictum est: verum etiam; ut ne a sententia illius longius abripe-remur; inter plurimos scriptores ecclesiasticos, quorum ille nomina & opera examinanda indicaverat, ii nobis præcipue eligendi fuerunt, qui præstantissimi omnium viderentur, aut ab editis Bibliothecis ceterisque Collectionibus fere abessent, sive rarioris essent inventus, & studia virorum eruditorum sollicitare possent. Sed cum in ea sæcula inciderimus, præsertim pro absolvendo XIV. eodemque postremo volumine, quibus bonæ frugis scriptores, aut qui eamdem cramben eodem propemodum igne non recoquant, pauci admodum reperiuntur, aut si qui sunt hujusmodi, multoties jam multisque in locis recusi sunt: factum ex eo est, ut plures adhuc, præter quos elegeramus iterum edendos, deessent nobis, ad explendum numerum foliorum, quibus singula quæque volumina ex data jam a typographo fide constare debent. Examinari iterum indices & elenchos Scriptorum; si qui ex titulo operis digni credebantur, ipsosmet relegere visum est: adhuc tamen satis nihil reperi, quod explendo hiatui par esse censeretur. Angebar ex eo, quod si opus universum ex recensitis a Gallandio Scriptoribus absolvissem, magis in aprico res mea esse videbatur, nec tantopere metuenda erant hominum judicia, quibus universis cumulate satisfacere sciebam non esse ingenii & studii mei: aliunde vero nihil a mente clarissimi auctoris abhorrebat magis, quam si quod suæ Bibliothecæ volumen inutiliter spissum in lucem prodiret.

Hæc cum animo versarem, statui apud me ipse aliquammulta ex apographis Bongioannianis quæ apud Gallandium reperta sunt, seligere, latinitate donare, atque eo pacto postremum Bibliothecæ volumen absolvere. Sciebam equidem & mentem illius fuisse ex multis monumentis a Bongioannio descriptis plura velle publici juris facere, nonnulla etiam alias ipsummet Gallandium edidisse constat. Quare ne sic quidem a concilio V. C. abripiendus videbar, tametsi in adversariis ejus nihil ea de re notatum repererim. Sed illud in hac parte accedebat incommodi, quod mihi tantis rebus occupato, vix satis temporis suppetebat ad rem non utique leviusculam pro ætatis nostræ hominum morositate aggrediendam; præsertim quia græca ipsa nostra manu iterum erant describenda, ut ordinarentur & ab operis intelligi possent, typographus vero urgebat, & ad finem festinanter proponebat. Difficultate itaque explendi voluminis, novorumque Analectorum utilitate proposita adductus, constitui tandem & hunc supremum laborem subire; atque ita a suscepta provincia discedere, ut saltem vota & conatus nostri pro juvandis viris studiosis, amplificandisque Scriptoribus ecclesiasticis, quibus & disciplina & fides ac traditio Christiana semper stetit, cunctis liquido petescerent.

Universim igitur hæc sunt quæ præstiti. Inter plurima quæ Bongioannius ex aliis atque aliis Codicibus descripsit, ea tantum elegi quæ maxime ad institutum nostrum accederent, atque ex iis ipsis nonnisi potiora accipienda constitui. Quæ accepi iterum græce describenda fuerunt: tum quia Bonjoannius manu utebatur typothetis nostris minus cognita, tum etiam quia ex aliis atque aliis plagulis in continentem seriem plurima dirigenda fuerunt. Sic descripta, qua potuimus diligentia & ratione, latinitate donavimus, sin minus eleganter, fide certe haud exigua, usque adeo ut possit quisque ex nostra versione genuine ac sincere mentem græci scriptoris nullo assequi labore. Si qua σφάλματα amanuensium occurrerunt, quæ Bongioannius maluit in suis apographis retinere: horum quam optimam existimavimus emendationem, latine quidem sequuti sumus, græce vero ad calces paginarum rejecimus. Et quia Analecta hæc nostra fere exhibent monumenta adhuc inedita, vel edita tantum græce, Patrum Scriptorumve priorum sæculorum: iccirco loca universa Scripturæ in illis extra certam sedem occurrentia diligenter excitavimus, & in indicem collegimus, quod necessarium visum est sin minus ratione interpretationis, certe vel quia bonæ occurrunt variantes sæpe lectiones, vel quia libros Scripturæ aliquando in controversiam vocatos auctoribus illis loco canonicarum Scripturarum fuisse produnt. Excipit hunc indicem alius rerum atque verborum & personarum amplissimus, quem cum reliquo totius voluminis miscere non licuit, præsertim quia Typographo visum est in commodum studiosorum nostra hæc Analecta etiam separatim comparanda proponere. Sed jam pro more de singulis quæ nunc publici juris facimus scriptorum monumentis aliqua breviter annotemus.

§. I.

De Origene Adamantio.

Origenes Alexandriæ ortus circa annum Christi CLXXXV. patrem habuit Leonidam [1], qui sub Severo imperatore anno Christi CCII. martyr occubuit: præceptorem, Clementem Alexandrinum [2]: encomiastem, Gregorium Thaumaturgum [3]. Per invidiam Demetrii episcopi circa ann. Chr. CCXXXI. Alexandria pulsus, Cæsaream concessit, ubi jam triennio ante ab Alexandro & Theoctisto presbyter ordinatus fuerat. Sub Maximini Deciique persequutione varie vexatus, & in alia atque alia loca actus extorris, Tyri denique supremam diem obiit anno Christi CCLII. annos natus circiter duodeseptuaginta. De eo plura apud Eusebium [4] Socratem [5] Huetium [6] in Origenianis, & Tillemontium [7], præter Cavæum & Fabricium. Usque adeo erat laboris petiens, atque literis egregiam assiduamque navavit operam, ut inde cognomina acceperit *Philoponi* & *Adamantii*, laboriosi hominis

1. Euseb. H. E. tom. VI. c. I.
2. *Id.* cap. 6.
3. Vide ejus Panegyr. Biblioth. Gall. tom. III.
4. H. E. lib. VI. passim.
5. Lib. VI. cap. 13.
6. Lib. I.
7. Tom. III. par. 3.

nempe & indomabilis: *Chalcenteri* item & *Syntacterii*, hoc est ænei & compositoris librorum. De eo S. Hieronymus scripsit [1]: *Vellem cum invidia nominis ejus habere etiam scientiam scripturarum*. Equidem dum in vivis agebat, invidiæ admirationique omnibus fuit: at post fata naturæ, fortunæ etiam fata admodum varia subire visus est. Quam profecto litem dirimeret quis, si duo modo attendat diligenter etiam atque etiam. Primo ab hæreticis pro Origenis fœtibus venditari potuisse quædam quæ ab illo vel non omnino, vel eo modo profecta non erant. Deinde distinguenda esse, ut loquitur S. Athanasius [2], quæ Origenes ipse tamquam ex propria sententia dixit, ab iis quæ in medium profert, tamquam ab alieno penu depromta. Sed hæc ad nos minus pertinere videntur.

Tria sunt præcipue interpretationis genera ab ipso usurpata. Quædam res ipsas prolixius commentantur. Aliæ sunt Homiliæ. Quædam sunt veluti notæ, & scholia breviora, quasique compendiariæ locorum interpretationes. Talia porro sunt, quæ nos nunc primum publici juris facimus, sive vetus sive novum respiciant testamentum. Equidem collectores Catenarum, ex quibus universa hæc depromta sunt, videntur aliquando in compendium ipsius Origenis verba contraxisse, aliquando etiam cum alienis miscuisse. Ad hoc postremum quod attinet, tantum absumus a placitis Huetii & de la Rue, qui Viri eximii supremis hisce temporibus procurandæ Origenis editioni strenuissimam navarunt operam; ut potius quovis pignore contendamus, inde liquido apparere, undenam posteriores sua sensa depromserit. Id nobis planum manifestumque fiet, si modo animadverterimus, quæ adnotavimus Photium adversus novos Manichæos communia habere cum Origene. Nihilominus si qua Origeni aliisque attributa vidimus, tam ad calcem paginarum, quam in Indice loca universa indicavimus, ut habeant studiosi in promtu quæ invicem conferenda videbantur. Ad primum vero quod attinet, id rarius factum fuisse apparet: ut fere generatim affirmare liceat nos commentariola Origenis totidem verbis habere, quibus ab illo scripta fuerunt. Utinam porro exoriretur vir aliquis novus, & ipse *adamantius*, qui Adamantii nostri scripta hujusmodi universa in veterum Catenis sparsa, aut in forulis pluteisque Bibliothecarum adhuc delitescentia, colligere posset, & integra hujusmodi scholia nobis contexere, atque publici juris facere.

Quæ nos heic exhibemus fragmenta, satis illa quidem ampla, & quæ cum reliquis Origeni attributis, parentem illum suum ubique clamant; pro γνησιότητι sua luculenta quoque habent argumenta & testimonia. In Genesim namque scripsisse Origenem testes sunt Eusebius [3], Nicephorus [4], Suidas & alii. Quin & Origenes hujusmodi exegetica sua pluries commemorat [5]. Scholiorum sive excerptorum in Exodum mentio fit ab Hieronymo, & Origene ipso contra Celsum [6].

De Scholiis in Leviticum & Numeros ac Deuteronomium loquitur abunde Huetius.

De excerptis in Josue satis constat ex Philocaliæ capite XV.

Pro commentariis in libros Regum fidem faciunt Homilia de Engastrimytho quam vertit Allatius, & Cassiodorus [7], qui etiam de Homiliis in Deuteronomium, & in Reges atque Paralipomena testatur.

A Pro expositione in Proverbia adsunt fragmenta apud Pamphilum in Apologia, & in Catena Mazariniana in Lucam cap. VIII. v. 4. a Fabricio [8] memorata.

De Jobo & Psalmis res est extra controversiam posita, sicut & de Commentariis in Matthæum & Lucam.

Nemo itaque jure de sinceritate monumentorum quæ afferimus ambigere potest, accedente præsertim Marcianorum codicum nostrorum, ex quibus propemodum universa accepta sunt, auctoritate apud omnes satis commendata. Accedit illud quod & in Nannianis Codicibus, quorum Catalogus brevi B prodibit, eadem aliquando recurrunt totidem verbis, & universus commentandi modus Origenem ubique redolet ac prodit.

Illud quoque ad commendationem fragmentorum horum silentio non est prætereundum, quod præter erudita multa, nec alibi fortasse invenienda; dogmata etiam Christiana adversus adgressores eorum feliciter afferuntur. Primi generis fuerit illud, quod legis ad Matth. cap. XXVII. v. 17. Barabbæ nomen fuisse *Jesum*, itaque legisse vetustissima exemplaria: *Quem vultis de his duobus dimittam vobis? Jesum Barabbam, vel Jesum qui dicitur Christus?* Quæ sane lectio videtur modo loquendi evangelistæ heic usurpato admodum congruentissima. Item illud Psal. XXXVI. C v. 24. ubi dicitur, in agonibus aliquando qui cadit *vincere tria*. Quo mirifice eorum sententia confirmatur, qui docent ad referendam palmam victoriæ in agonibus athleticis ter opus fuisse profligare adversarium, de quo nonnulli immerito dubitant apud Poterum loco a nobis ad illum versiculum excitato. Quid item sit στηλογραφία in titulo Psal. XV. & qui ejus usus apud veteres, ex hisce scholiis apparet. Sinceritas quoque ac γνησιότης versiculi de sudore Christi stabilitur: quæ similiter confirmatur ex æque vetusto interprete, ut §. sequenti suo loco dicemus. Variantium quoque lectionum bona seges, & Samaritani codicis auctoritas identi- D dem nobis proponitur, ut cetera missa faciamus.

Dogmata fidei Christianæ, traditionis item Ecclesiasticæ, & *non scriptæ* exstantiam ac veritatem per hujusmodi fragmenta cumulate confirmari ac stabiliri liquet. Deum esse incorporeum & quæ corporaliter de illo dicuntur, ut Deum addecet esse intelligenda, nihilque inde juvari Anthropomorphitarum deliria, patet ex scholiis in Psal. XIII. v. 2. Dei providentiam ad minima quæque se extendere, constat ex commentariis in Job XL. 3. Vim ac necessitatem gratiæ, libertatem item arbitrii, passim comendata invenies.

Sed hæc satis videntur. Neque enim alia instituti nostri ratio esse debuit, quam ut particulas ex scri- E ptis Doctorum ecclesiasticorum, quotquot in adversariis Bonjoannianis invenissemus melioris notæ, supplendisque eorumdem editionibus necessaria visa fuissent, collecta & latine reddita exhiberemus. Fatendum, videri alia adhuc quædam Origeniana in Marcianis codicibus delitescere, quæ vel Bonjoannius non descripsit, vel a plagulis ejus interciderunt. Excussissemus utique libenter codices illos diligentius, adjuti præsertim ope strenuissimi atque amicissimi hominis Jacobi Morellii Bibliothecarii nostri, si per tempus licuisset, sed istuc per me tantis rebus occupato fieri nullo modo potuit, typographo quotidie magis ad finem operis properante.

1. Præf. in lib. de nomin. Hebraic.
2. De Synod. Nicæn. tom. I. pag. 277.
3. H. E. VI. 24.
4. Lib. XV. cap. 5.
5. Fabric. Bibl. Gr. tom. V. pag. 231.
6. Pag. 195.
7. Div. Instit. capp. 1. & 2.
8. Loc. cit.

Illud modo eruditos monitos velim: reperiſſe me deſcripta a Bonjoannio commentaria quædam in Lucam ſub nomine Titi Boſtrenſis & Origenis. At cum vidiſſem ea totidem fere verbis inveniri in Biblioth. Pariſina [1], ab illis recudendis temperavi. Ubi Lectores advertant, commentaria illa quæ in Bibl. Pariſina ſoli Boſtrenſi tribuuntur, in Marciano Codice & Tito & Origeni ferri accepta, ac fortaſſe Titus dumtaxat ſynopſeos auctor habendus eſt.

§. II.

De Dionyſio Alexandrino.

Quidquid paſſim ab aliis editum fuerat de Operibus Dionyſii Alexandrini, collegit jam Gallandius in ſua Bibliotheca [2], cujus etiam erudita prolegomena conſuli poterunt. Reperi præterea tria illius fragmenta a Bonjoannio deſcripta. Primum complectitur ſcholia commentariorum ejus ad initium Eccleſiaſtæ, videlicet a Capite I. ℣. I. ad Caput III. ℣. II. Revera Dionyſium noſtrum in principium Eccleſiaſtæ fuiſſe commentatum, liquet ex Euſebio [3], ubi ait de Dionyſii epiſtolis loquens: Βασιλείδῃ τῶν κατὰ Πεντάπολιν παροικιῶν ἐπισκόπῳ γράφων, φησὶν ἑαυτὸν εἰς τὴν ἀρχὴν διήγησιν πεποιῆσθαι τοῦ Ἐκκλησιαστοῦ. *Ad Baſilidem Pentapolitanarum eccleſiarum epiſcopum ſcribens ait, ſe elucubraſſe enarrationem in principium Eccleſiaſtæ.* Quo quidem in loco nonnulli legunt Ἐκκλησιαστικοῦ: ſed Ἐκκλησιαστοῦ legendum eſſe præter fidem ſcholiorum noſtrorum, & veterem Chriſtophorſoni interpretationem, teſtimonio eſt etiam Procopius Gazæus, qui ad Geneſ. Cap. III. pag. 76. allegat hujuſmodi ſcholia Dionyſii noſtri in Eccleſiaſten.

Alterum Dionyſii fragmentum, eſt illius expoſitio in Caput Lucæ XXII. vv. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. Equidem non aliunde, quod ſciam, conſtat, Dionyſium noſtrum in Lucam ſcholia ſcripſiſſe. Fieri tamen vel iſtud potuit, cum jam aliquammulta ſcriptorum ejus intercidiſſe conſtet: vel etiam ex aliis ejus operibus auctor Catenæ Codicis noſtri potuit lacinias illas decerpſiſſe, & illis verſiculis ſubjunxiſſe. Certe in Catena a D. Thoma collecta Dionyſius locum ſuum paſſim obtinet. Quamobrem nihil eſt, cur fragmentum illud noſtro ſcriptori abjudicemus.

Equidem in eis Chriſtum nequaquam ſanguine ſudaſſe ſibi velle videtur, ſenſumque Evangeliſtæ fuiſſe proverbiali loquutione innuere, *Quod non tenuibus quibuſdam guttulis, quaſique ad indicium modo apparentibus, dominicum corpus perſtillaverit; ſed quod vere uberiorum guttarum inſtar totum ſudoribus perfundebatur.* Proinde ab eo dictum fuiſſe ὡς οἱ θρόμβοι, *ut grummi ſanguinis.* Alioquin non fuiſſe dicturum *adinſtar* horum fuiſſe ſudores Chriſti. Quidquid porro ſit de hujus interpretationis veritate, quæ fundamento innititur ſatis infirmo; inde tamen loci ipſius γνησιότης liquido confirmatur, nec adverſum veras Chriſti paſſiones quidquam Marcio, Valentinus aliique veterum hæreticorum filii extundere poſſunt, cum præſertim ſtatim ſubjiciat Dionyſius: *Oſtendebatur etiam per ſudorum craſſitiem, quia naturaliter, & reipſa, non vero ſpecie tenus & phantaſtice homo erat Salvator, & naturalibus hominum, inculpatis tamen, ſerviebat paſſionibus.* Sunt & alia quædam in his fragmentis ad confirmanda dogmata Chriſtiana opportuniſſima, cujuſmodi eſt illud quod in *tertio* fragmento occurrit de filii ὁμοουσιότητι. Quod quidem etiam Gallandius edendum curavit [4]: ſed nos propter nonnullas diſcrepantes lectiones, & novi Codicis novam auctoritatem ſubjungendum antecedentibus cenſuimus.

§. III.

De S. Gregorio Thaumaturgo.

Univerſa S. Gregorio Neocæſareæ Ponti epiſcopo cognomine Thaumaturgo paſſim attributa opera, in unum collecta exhibuit noſter Gallandius, & præloquiis ornata publicavit ſuæ Bibliothecæ volumine III [5]. Adjicimus nos unum adhuc fragmentum, quod Bonjoannius ex Miterelliano Cod. CLVIII. Catenæ in Matthæum acceperat. Explicantur in eo vv. 22. & 23. capitis VI. Matthæi. Breve quidem eſt & moralem exhibet interpretationem, ſed non erat a reliquis S. Doctoris operibus ſejungendum.

§. IV.

De epiſtolis Helenæ & Conſtantini.

Occurrunt acta S. Silveſtri græce in duplici Naniano Codice, quantum quidem notatum inveni a Bonjoannio: in altero quorum ſignato G. numero XVII. occurrunt dumtaxat pag. 8. prælaudatæ epiſtolæ. Recentior manus adſcripſit titulum, quem habes heic pag. 120. atque hauſtas illas fuiſſe ex Euſebio in vita S. Silveſtri papæ & Magni Conſtantini. Equidem circumferuntur paſſim Acta Silveſtri auctore Euſebio latine edita, puta apud Mombritium [6] Lipomanum [7] Surium [8], præter alia a Metaphraſte deſumta. Repetit & ex actis a ſe editis Combefiſius in Bibliotheca Concionatoria [9], & quidem tamquam *ex ejus actis primariis & antiquis* ex Cod. Mazar. vulgatis, partem quamdam diſputationis a S. Silveſtro habitæ cum Zambre Judæo præſente Conſtantino, adverſus eoſdem Judæos.

Verumtamen ſpuria eſſe hujuſmodi acta Euſebioque perperam ſuppoſita, dubitare nos non ſinit Gelaſii papæ decretum dicentis: *Acta Silveſtri incerto Auctore deſcripta*, ut notat etiam Baronius ad Martyrolog. ſub die 31. Decemb. Non tamen inficiandum videtur, in opere illo utut ſuppoſititio, quippe antiquiſſimo, quædam vera poſſe reperiri propter ſcriptoris vetuſtam ætatem, qui vera falſis, aut ex rumore, aut ex certis monumentis accepta immiſcere potuit, ut ſuæ merci fidem & robur conciliaret. Hinc factum videtur, ut inde auctoritatem depromſerit Hadrianus primus aliique nonnulli VII. & VIII. ſeculi ſcriptores, iiſdemque uſæ fuerint quædam eccleſiæ vetuſtam conſuetudinem reveritæ.

Nicephorus ubi de Conſtantino agit refert paſſim ea, quæ ſi vera eſſent & genuina, omnem fidem fragmentis noſtris affererent: puta inter Helenam & Conſtantinum filium ultro citroque epiſtolas diſcurriſſe: morbo graviſſimo laboraſſe Imperatorem: juſſiſſe, ut recutiti Romam convenirent coram ſe de religione diſputaturi. Sed hæc Nicephorus ex adulterinis illis actis more ſuo depromſerit. Quamobrem cum omne genus quiſquiliis ſuam

1. Tom. III. pag. 762.
2. Tom. III. pag. 481.
3. H. E. lib. VII. cap. 26.
4. Tom. III. pag. 497. A.

5. Pag. 385.
6. Tom. II. 7. Tom. V.
8. Ad diem 31. Decembr.
9. Tom. II. in Dom. I. Quadr. pag. 491. Edit. Venet.

historiam oneraverit Nicephorus, judicibus Casaubono & Cavæo; ex hominis istius fide nihil momenti accedere possit ad stabiliendam sinceritatem horum monumentorum.

Illud modo favere aliquatenus potest, quod Helenam matrem suam, *cum antea pietatem minime esset imbuta*, Constantinum piam admodum reddidisse scripserit Eusebius [1]: ex quo potuisse aliquando eam a calumniis Judæorum in fraudem induci, minime abhorret. Adde revera in suis pandectis veternosos illos homines passim blasphemare, Christum nostrum propter maleficia fuisse cruce multatum. Deinde, cum quæ hactenus exstant acta Silvestri sinceriora, edita, sive manu exarata, vel illas epistolas habeant, vel saltem rem ipsam quæ in illis continetur exponant, [2]: vix suaderi alicui potest, historiam integram proprio marte excogitasse antiquum illum scriptorem, qui actuum ipsorum primus parens fuit: qui certe ab ipsa Constantini ætate haud nimium remotus esse debet, quod Gelasii decretum abunde suadet.

Si qua ergo fides hujusmodi conjecturis pro adstruenda γνησιότητι harum epistolarum; possumus etiam ætatem earumdem assequi. Apparet enim sub primis Constantiniani Imperii temporibus fuisse exaratas. Nec tamen adeo solliciti fuimus de sinceritate horum monumentorum, quam ut qualiacumque haberi demum velint, prorsus non intercciderent.

§. V.

De vita S. Onuphrii auctore Paphnutio.

Monumenta quædam ad S. Paphnutium pertinentia, in regulis monasticis, cum aliis tamen scriptoribus admixta, nec facile distinguenda vulgavit Gallandius [3]. Fuit porro Paphnutius; de eremita loquor; natione Ægyptius, a juventute monachus in monasterio Pisperiensi inferioris Thebaidis, sub disciplina magni Antonii [4]. Subinde desertum adiit, in quo aliquot tantum dies mansisse videatur [5]: sic Deo disponente, ut & monita pietatis a S. Onuphrio reciperet, & celeberrimi illius anachoretæ vitam addisceret mox a se vulgandam, ejusque funeris procurandi sollicitudinem gereret.

Quæ de brevissima illius in deserto mansione ex vita S. Onuphrii adnotavimus, favent sententiæ & opinioni eorum, qui Paphnutium anachoretam quo de agimus, a Paphnutio episcopo Thebaidos, vel potius Thmueos non distinguunt [6]. At enim cum Palladius asserat, S. Paphnutium diem obiisse supremam circa Heracleotas paullo ante quam ipse in Thebaidem veniret [7]: is vero eo se contulerit circa annum Christi CCCXCIII. [8] consequitur, diem ejus emortualem haud ante ann. Christi CCCLXXX. vel etiam serius debere consignari. Cum autem Paphnutius qui episcopum gessit in superiori Thebaide, jam summum illud sacerdotium suum adierit aliquot annos ante persequutionem Galerii & Maximini, cum unus ex illis fuerit confessoribus, qui eruto oculo & succiso poplite ad metalli fodinas damnati fuerant [9]: vix credi potest Paphnutium anachoretam ab episcopo non est distinguendum.

Cui porro, si duplex Paphnutius est agnoscendus, ex hisce duobus accepta ferenda sit vita S. Onuphrii, haud facile dixeris. Anachoretæ vulgo tribuunt Cavæus [10] & Fabricius [11]. At si quo firmo fundamento nituntur conjecturæ eruditorum, Sancti Onuphrii mortem consignantes post annum Christi CCCLXX. [12] etiam Paphnutio episcopo, si ab eremita distinguendus est, tribui poterit.

Eam porro vitam habes latine, interprete anonymo apud Rosvveidum [13], Lipomannum [14], Surium [15] ex Metaphraste. Græce & latine cum notis criticis & commentariis suis edidit Sanningius [16]. Eam iterum produximus, quia non videbatur a Gallandio fuisse omittenda.

§. VI.

De S. Nectario CPolitano.

Nectarius gente Cilix, patria Tarsensis, professione Laicus, dignitate Senator ac Prætor Constantinopolitanus fuit [17]. Cum jam anno CCCLXXXI. per Nazianzeni abdicationem sedes CPtana vacaret, Nectarius in patriam suam rediturus Diodorum Tarsensem adit, qui tum pro constituendo episcopo inter CL. patres CPoli erat, ut si quas literas ad suos mittere vellet, sibi deferendas traderet. Diodorus sive hominis venerandam canitiem & mores eximios Dei impulsu suspiciens, sive etiam, ut ait Socrates loco excitato, abreptum a populo, & ad summum sacerdotium postulatum ita suscepit, ut CPtanæ sedi præficiendum feliciter allaborarit. Erat tunc Nectarius necdum baptizatus. Mox igitur divino fonte ablutus, sacrisque rite initiatus, episcopus constituitur: quam dignitatem vir eximius ad annum usque duodequadringentesimum obtinuit [18]. Bibliographi vulgo illi acceptam ferunt homiliam quamdam de laude S. Theodori martyris & de eleemosyna ac jejunio agentem: in qua docet, cur sancti martyris Theodori festum celebretur sabbato primo in quadragesima. An ad Germanum quo de loquimur homilia illa pertineat nec ne, subdubitare videtur Cavæus. At tot codicum testimonio, in quibus illa homilia reperitur, liquet eam dubitationem esse sine gravi fundamento.

Et sane haud procul ab exordio suæ narrationis ait, I. miraculum S. Theodori νῦν τελούμενον, nuper contigisse. II. Excitatum se ad enarrandum illud miraculum a fidelibus ac piis hominibus, qui & monumenta servabant literis consignata tempore ipso firmitatem habentia, & oculatos prodigii testes sese fuisse certam fidem faciebant. Ex quibus verbis satis apparet non admodum recentem eventum illum fuisse: præsertim cum a vulgo hominum ignoraretur caussa celebrandi illius festi sabbato primo in quadragesima: adeo ut illud νῦν τελούμενον vel sic accipiendum est, ut significet novissimum illud fuisse miraculum quod CPoli visum esset, vel potius vitiosa est lectio codicis, ac pro παρ' ἡμῶν νῦν, legendum παρ' ἡμῖν, apud nos.

Contigit porro miraculum ipsum furente Juliani apostatæ persequutione, videlicet an. Chr. CCCLXII. vicennio nempe antequam Nectarius episcopalem sedem obtinuisset, aut circiter. Si ergo Nectarius

1 In vita Constant. lib. III. cap. 47. al. 46.
2. Vide præsertim Surium in Silv.
3. Tom. VII. pag. 243.
4. Rosvveid. V. PP. pag. 50.
5. Ipse in V. S. Onuph.
6. Vide Baillet ad diem XI. Septemb. & Pallad. Hist. Lausiacæ capp. 62-65.
7. Cavæus pag. 149. 8. Idem p. 241.
9. Socrat. lib. I. cap. 10. Theodor. lib. I. c. 7.
10. Pag. 149. 11. Tom. VI. p. 551. & IX. p. 128.
12. Baillet in vitis SS. tom. IV. pag. 665.
13. Tom. I.
14. Ad diem I. Junii.
15. Ad diem XI. Junii.
16. Jun. tom. II. pag. 519.
17. Sozom. tom. VIII. c. 8. Socr. tom. V. c. 8. Tillem. tom. IX. pag. 486.
18. Cavæus in illo.

ipse rem ignorasse videtur, quam a viris longævioribus didicit, id in caussa fortasse fuit, vel quia res Christianorum gentilis adhuc difficilius penetrabat, vel quia Tarsi aut alibi per ea tempora degebat, quando miraculum accidit. Potuit eximius ille Patriarcha orationem suam habere aliquanto serius, puta anno 396. vel 397. sicque ab eventu anni præterlapsi fuerant plus minus 35. Quamobrem nec mirum si vulgus festi originem ignorabat.

Præter facti ipsius eruditionem, continet hæc homilia eximium de invocatione & intercessione Sanctorum testimonium, & ad veri jejunii commendationem argumenta utique non vulgaria. Latine occurrit Perionio interprete inter opera Chrysostomi, apud Surium item & Lipomannum: græce in variis quoque Bibliothecis msf. legitur, typis impressa, quod sciam nusquam comparet. Eam proinde inter analecta nostra accensendam existimavi.

§. VII.

De duabus homiliis S. Joannis Chrysostomi.

Quædam ad Chrysostomum pertinentia, quæ in postrema ejusdem editione minime occurrunt, habes apud Gallandium [1]. Subinde ad manus nostras aliæ duæ homiliæ pervenerunt, quæ in MSS. Codd. sancti doctoris nomen præseferunt: dignæ certe quæ Chrysostomo non abjudicentur.

Prima occurrit in Nanniano quodam Codice: quæ quidem erroribus amanuensis scatet, quos sese emendasse ad marginem sui apographi adnotavit V. C. Bongioannius. Quidam tamen adhuc supererant, quos ipse ad calcem paginarum rejeci, & quomodo loca mihi legenda viderentur adnotavi. Commendat heic auctor granditatem eleemosynæ, verbis certe ῥητορικωτάτοις, nec diffidet admodum a sensis Nectarii, qui & ipse hanc provinciam administravit in sua homilia de S. Theodoro. Quare videtur Chrysostomus illam legisse. Amplificat more suo divitis luxum & Lazari languorem: describit verbis evangelicis divitis postulationem, & quam immerito refrigerium exoret, ostendit. Denique brevi exhortatione ad suos auditores, orationem claudit. Nihil sane in ea homilia occurrit, quod S. Doctorem non sapiat.

Alteram homiliam græce tantum edidit Lipsiæ anno 1779. in suis Lectionibus Mosquensibus Christianus Fridericus Matthæus, a se repertam in Codd. MSS. Moscoviæ. Eam si non acceptam velis S. Doctori, antiquissimo certe scriptori, quisquis tandem is fuerit, tribuenda est. Numero enim II. cum dixisset altare vices præsepis gerere, adjunxissetque ibi jacere corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum, sed undique Spiritu sancto circumamictum, statim subinfert: *Norunt initiati quæ dicamus.* Quæ sane formula, disciplinam illam arcanam, quæ vetustis sæculis obtinebat, celandi catechumenos aliosque mysteria nostra, prorsus redolent.

Sunt in ea homilia pleraque omnia ad confirmandum dogma catholicum de reali Christi præsentia in Eucharistia opportunissima. Cum enim ostendere propositum sit auctori, gravissimi criminis reos esset illos, qui peccatorum conscii ad sacram mensam vel semel quotannis accedunt, ea passim in medium producit, quæ Christi in sacramento hoc præsentiam realem evidenter ostendant. Et sane si nudum symbolum & figura cor- A poris Christi essent divina illa mysteria, quid necesse erat solis initiatis manifestum facere, quod in sacra mensa adsit corpus Christi?

1. Tom. VIII. pag. 239.
2. Num. III.
3. Ibidem.
4. Rich. Motacutius Orig. Eccl. tom. I. p. 212. apud

Habita est, ut ex titulo & ipsa homilia patet [2], die quinto ante Natale Domini: quam etiam solemnitatem, arcem quasique seminarium omnium solemnitatum esse demonstrat. Ex Magorum itinere, quos ex Perside advenisse docet, hortatur suos, ut ad ecclesiam accedant eo die. Variis appositisque exemplis, puta Ninivitarum ac mulieris peccatricis, ostendit, conversionem peccatorum longa temporis spatia non postulare. Ubi illud testatur & spondet, [3], quod si quis a vitiis B prioribus recedens, cum veritate promittat Deo, se amplius non peccaturum, οὐδὲν ἕτερον ὁ Θεὸς ζητήσει πρὸς ἀπολογίαν μείζονα, *Nihil aliud Deus postulabit ad justificationem majorem*. Ubi nemo sibi persuadeat, aut opera pœnitentiæ, aut confessionem, ut loquimur, peccatorum præter illud sincerum propositum non postulare S. Doctorem. Nam præterquam quod obviaret turpiter utriusque testamenti regulis, ac omnium Patrum totiusque ecclesiæ Christianæ placitis & consuetudini, post delicta pœnitentiam qua privatam qua publicam postulantibus; sibi etiam ipse contrarius esset. Etenim *num.* V. subdit, ut communicaturi, ante plures dies expurgent sese *per pœnitentiam*, *& pre-* C *ces*, *& pia opera*, *ac rebus spiritualibus vacando*. Quæ profecto verba manifestum faciunt rhetorica quadam insinuatione dixisse supra S. Doctorem, quod ex numero tertio allegavimus de brevitate temporis sufficienti ad purgationem sui apud Deum. Ubi advertendum est illud, quod voci ἀπολογίας, quæ latine justificatio aut purgatio sui reddi solet, non ea subjecta sententia est, quæ justificationem innuat quæ fit per gratiæ infusionem ac remissionem peccatorum: sed quæ reum apud judicem suum veniam deprecantem, facinusque suum excusantem, ejus ipsius obtinendæ veniæ haud indignum insinuet. Quæ sane justificatio nec pœnitentiam nec exomologesin excludit. D

§. VIII.

De Severiano Gabalitano.

Fuit Severianus Gabalorum in Syria episcopus, ob auream eloquentiam & ipse Chrysostomus a Græcis aliquando appellatus [4]. CPolim veniens cum Joanne Chrysostomo amicitiam iniit, cui carus admodum fuit, factus item Imperatori & Augustæ familiaris. Offendit apud Joannem Serapionis diaconi delationibus: ac ubi CPolim Epheso rediisset, Severianum civitate exegit. Mox annitente Eudoxia E Augusta in urbem revocatus & Joanni reconciliatus est. Haud tamen ita multo tempore pax stetit. Inita cum Theophilo Antiocheno aliisque conjuratione, Joannis abdicationem machinatus est. At plebe ob Joannis desiderium in conjuratos insurgente, Severianus fugam arripere coactus, Antiochiam venit: ubi Porphyrium, accepta pecunia, episcopum ordinasse dicitur. Quo scelere commotus populus Antiochena illum civitate exegit [5]. Quam postea fortunam tulerit, haud facile dictu est. Si Gennadio fides [6] *Moritur minore Theodosio filio suo in baptismate imperante*, h. e. ante annum CCCCL.

Erat Severianus vir Scripturarum peritissimus, in dicendo disertus & vehemens usque adeo, ut Joanni anteferendus visus sit, qui auditorum animos

Fabric. B. G. tom. IX. pag. 267.
5. Vid. Socrat. l. VI. c. 11. 23. Soz. VIII. 10. Tillem. XI. p. 171. & Pallad. in vita Chrysost.
6. Apud Fabr. l. c.

ad se facile attraheret: quæ etiam prima fuit illi cum Joanne dissidiorum caussa. Plura a Bibliographis recensentur scripta illius, pro majori parte adhuc in forulis Bibliotecarum delitescentia. Quam heic repræsentamus homiliam, in epiphania Domini habita est, sive CPoli, sive apud Gabalos, sive etiam alibi. Ostendit, Christum omnibus omnia factum, omnes ecclesiæ gradus suo munere & œconomia condecorasse. Eleganter ex vaticinio Ezechielis Baptistam magnum ostendit ascetam & vatem [1], aliaque multa oratio continet, quæ hominis ingenium & dexteritatem in interpretandis scripturis commendant. Illud etiam apparet [2], Severiani temporibus in vigilia Epiphaniæ a vespera ad multam jam diem vigilatum fuisse, animi pietate corporis debilitatem vincente. Hanc quoque ex Mosquensibus Codd. græce edidit Matthæus.

§. IX.

De S. Cyrillo Alexandrino.

Cyrillus consobrinus sive nepos Theophili archiepiscopi Alexandrini fuit. Apud avum suum diligenter institutus, multum in divinis præsertim literis profecit. Aliquamdiu inter monachos Nitriæ degisse docet Renaudotius [3]. Cum anno 412. idib. Octob. Theophilus fatis concessisset, triduo post ad Alexandrinam avi sedem evectus est. Strenuissime adversus Nestorium pugnavit, quem in Synodo Ephesina CCLXX. episcoporum cui pro Cælestino papa præsidem egit, anno Christi 431. exauctorandum curavit. Offendit propterea haud leviter apud plures Orientalium, Joannem præsertim Antiochenum, & Theodoritum Cyrensem. Obiit anno Christi 444.

Scripta illius, & qui de eo egerint recensent diligenter Bibliographi, Fabricius in primis [4]. Epistolam ejus ex Cod. Ven. 504. pag. 281. a Bonjoannio descriptam heic cum nostra versione exhibemus, utpote quæ inter edita opera Cyrilli non compareat. Scribit ad Eusebium presbyterum, qui ægro animo ferebat initam ecclesiæ pacem, quasi quæ aliter, atque ratio postulabat, fuisset inita. Sed illum de omnibus certiorem facit: qua nempe conditione Joanni Antiocheno communionem reddiderit: quod contumelias adversum se usurpatas ob pacis bonum remiserit: quod adversarii sanctam virginem *Deiparam* scripto confessi sint, & duas esse in Christo naturas cum singularitate personæ ecc.

Excipit hanc epistolam brevior alia ex Nanniano Cod. 96. descripta, atque ad Joannem Antiochenum data: in qua queritur ex Danielis presbyteri relatu, de Theodoreti calumniis & infrunito in eum animo, suadetque compescendos hominis impotentissimi motus temerarios. Brevis est epistola, exstatque etiam græce & latine in Garneriano auctario Theodoreti, paucis variantibus.

§. X.

De sancto Maximo.

Ortus est S. Maximus CPoli anno Christi 582. clarus nobilitate generis [5]. Omnibus disciplinis excultus, factus est Heraclii imp. primus a secretis. Sive ob imperatoris lapsum in hæresin Monothelitarum, sive potius ob solitudinis amorem, relicta

A aula, in monasterium Chrysopoliticum haud longe a CPoli recessit. Monothelitis Persisque per Orientem grassantibus, circa an. Chr. 640. Africam petiit. Anno 645. habita ibi disputatione, Pyrrhum expatriarcham CPranum confutavit. Anno 649. sub Martino papa interfuit Concilio Lateranensi. Jussu Constantis imp. anno 655. a militari manu Roma CPolim ductus est cum Anastasio discipulo suo, & in vincula conjectus. Cum typo imperatoris, quo silentium de monothelitismo utrique servandum parti mandabatur, subscribere renuisset, Bizyam vicum Thraciæ relegatur, ubi cum Theodosio episcopo disputationem habuit. Per Paullum consulem ad Rhegiense monasterium deductus, iterum disputare coa-
B ctus est. Mox imperatoris jussu Perberim deportatur: & anno 662. in castrum Shemrense apud Alanos. Ubi die XIII. Augusti fatis concessit. Multa de eo habes in Collectaneis Anastasii Biblioth. apud Gallandium [6]. Insignem operum ejus editionem Combefisio debemus.

Multa adhuc tamen supersunt inedita, sin minus incognita. Hujusmodi est apospasmatium quod heic exhibemus descriptum a Bonjoannio ex Cod. Ven. 136. pag. 196. Pertinet ut videtur ad ἄπορα sive dubia loca & quæstiones circa Orationes S. Gregorii Naz. quem doctorem ac magistrum passim appellat. Quædam ex illo opere latine vertit etiam Joannes Scotus Erigena jussu Caroli Calvi, sæculo
C nono ad senium vergente. Habuisse se opus illud ex regio Cod. & contulisse cum MS. alio abbatis Gerasimi Blacchi Venetiis ad se transmisso, testatur Combefisius qui idem in prospectu operum ejusdem S. Maximi, vocat illud jure *Opus spissum atque arduum*.

Docet in eo quod producimus fragmento, animas esse corporibus coævas: id est neque animas post corpora creari, nec ante illa exstitisse, sed uno eodemque tempore. Quo videtur velle se conficere opinionem illam, quam nonnulli habuerunt, de præexsistentia animarum: simulque ostendere & confirmare dogma catholicum de incarnatione, quo docetur sic eodem momento divinitatem unitam hu-
D manitati, ut quamvis Verbum Deus ab æterno fuerit quin esset homo, Christus tamen numquam homo fuerit, quin esset Deus, proindeque Mariam verissime deprædicari Deiparam. Docet præterea, rerum omnium rationes ab æterno fuisse in Deo, nihilque novum ejus præscientiæ accidere, & omnia ex Dei arbitrio fuisse condita: animas insuper cum corporibus interminabili gloria in cælis esse cumulandas, proindeque corpora in nihilum non abire &c.

Hæc sunt, quæ inter pleraque alia a Bonjoannio descripta ex diversis Codd. utpote potiora nobis visa, Gallandiano operi subjungenda censuimus. Habent lectores ubique versionem nostram,
E fidelem illam quidem, sin minus elegantem, præsertim ubi loca Scripturæ vertenda fuerunt. Cum enim veteres scriptores vel eo nomine maximi fiant, Origenes præsertim, quia variantes aliquot lectiones sacri textus nobis suppeditant: idcirco a rigorosa verborum translatione in hac maxime parte recedere religioni duxi, quidquid in contrarium clamare possent grammaticorum nostrorum filii. Propterea etiam indices locupletissimos adornandos censui, ut quantum per me fieri posset, studiosorum vota juvatum irem.

1. Num. X. XI.
2. Ex fine num. XI.
3. Hist. Patriarch. Alex. pag. 106.
4. Tom. VIII. pag. 553.
5. Vita ejus Operib. præmiss.
6. Bibl. PP. tom. XIII. pag. 21.

ΩΡΙΓΕ-

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ
ΤΟΥ ΑΔΑΜΑΝΤΙΟΥ
ΕΞΗΓΗΤΙΚΑ
ΗΓΟΥΝ
ΣΧΟΛΙΑ καὶ ΕΚΛΟΓΑΙ



ORIGENIS
ADAMANTII
COMMENTARII
SIVE
SCHOLIA & ANNOTATIONES.

[1] ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ Α

Εκλογαὶ εἰς τῆς Γενέσεως

[2] ΚΕΦ. Ζ'.

Στιχ. δ'. Εγὼ ἐπάγω ὑετὸν (ἐπὶ) τὴν γῆν τεσσαράκοντα ἡμέρας, καὶ τεσσαράκοντα νύκτας. καὶ ἐξαλείψω πᾶσαν τὴν ἐξανάστασιν, ἣν ἐποίησα, ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους.

ΤΙ' δήποτε τῷ κατακλυσμῷ τὰ τῶν ἀνθρώπων πλήθη διέφθειρεν; ἐξαλεῖψαι τοῦ Καῒν τὸ γένος ἠθέλησε, ἀνεμίγη δὲ αὐτῷ καὶ τῶν εὐσεβῶν ἡ φυλή· διὸ καὶ τῆς τιμωρίας μετέσχηκεν. ἀρχὴν δέ τινα καινοῦ βίου ποιήσασθαι βουληθεὶς, τὸν Νῶε καὶ τοὺς ἐκείνου παῖδας σὺν ταῖς γυναιξὶ διετήρησεν, εὐσεβῆ ὄντα καὶ δίκαιον, καὶ ἐκ τῆς τῶν συγγενῶν εὐσεβείας βλαστήσαντα, καὶ τὴν τῆς παρανομίας ἐπιμιξίαν μισήσαντα. οὐ μὴν ὥς τινές φασιν ὀργῇ [3] τινι καὶ μεταμελείᾳ ταῦτα πεποίηκε. ταῦτα γάρ τοι ἀνθρώπινα πάθη, ἡ δὲ θεία φύσις, ἐλευθέρα παθῶν. ἄλλως τε ἡ μεταμέλεια τοῖς μετὰ τὴν πεῖραν μανθάνουσι τῶν πραγμάτων τὴν φύσιν κατάλληλος. εἶτα τῇ πείρᾳ μανθάνοντες ὡς οὐκ ὀρθῶς ἐβουλεύσαντο, μεταμελοῦνται· ὁ δὲ Θεὸς οὕτως ὁρᾷ τὰ μετὰ πολλὰς ἐσόμενα γενεὰς, ὡς ἤδη γεγενημένα. ὡς προορῶν τοίνυν καὶ προγινώσκων, οὕτως ἅπαντα πρυτανεύει. τί δή ποτε τοίνυν μεταμέλεται, ἅπαντα πρὸς τὴν πρόγνωσιν τὴν οἰκείαν οἰκονομῶν; οὐκοῦν ἐπὶ Θεοῦ μεταμέλεια, οἰκονομίας μεταβολή. μεταμέλομαι γάρ φησιν, ὅτι κέχρικα τὸν Σαοὺλ εἰς βασιλέα[a]· ἀντὶ τοῦ, ἐδοκίμασα μὲν παῦσαι τοῦτον, ἕτερον δὲ χειροτονῆσαι. οὕτω κἀνταῦθα· ἐνεθυμήθην, ὅτι ἐποίησα ἄνθρωπον, ἐδοκίμασα διολέσαι τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος. ἀλλὰ φιλάνθρωπος ὢν, σπέρμα τὸν Νῶε τῇ φύσει τετήρηκεν. ἐπειδὴ

ORIGENIS

Annotationes in Genesis

Caput VII.

V. 4. *Ego adduco pluviam super terram quadraginta dies, & quadraginta noctes. Et delebo omnem exsurrectionem *, quam feci, a facie terræ, ab homine adusque jumentum.*

CUrnam diluvio hominum multitudines perdidit? Delere Caini genus voluit: commixta cum eo fuerat piorum quoque tribus: propterea pœnæ etiam participium habuit. Initium vero aliquod novæ vitæ efficere cum vellet, Noe ejusque liberos cum uxoribus servavit, quippe qui pius erat & justus, originemque suam ducebat a consanguineorum pietate, odio quoque prosequebatur eam generum mixturam, quæ contra leges erat. Haud vero, ut quidam dicunt, ira quapiam vel pœnitentia isthæc effecit. Sunt enim hæ affectiones humanæ: at divina natura ab affectionibus immunis est. Præterea etiam pœnitentia cadit in eos, qui post experientia quæ fit rerum natura didicerunt: qui postquam experimento didicerint, se haud recte consuluisse, tunc demum pœnitentia ducuntur. At Deus sic intuetur res post multas generationes futuras, ut eas quæ jam factæ sunt. Ceu prævidens itaque & præcognoscens, sic universa moderatur. Quei igitur pœnitet eum, qui omnia ex propria prænotione administrat? Pœnitentia igitur in Deo, mutatio est providentiæ. *Pœnitet me*, inquit, *quod judicavi Saul in regem* [a]; quod est, Visum mihi hunc quidem abrogare, alium vero eligere. Haud aliter hoc loco: Recogito me hominem fecisse; visum est hominum genus e medio tollere. At enim benignus cum sit, Noachum semen na-

[a] 1. Reg. xv. 11.

1. Ex Cod. Veneto xv.
2. Capita & ꝟꝟ. numeros ipse adnotavi ubique, ad editionem Cod. Alexandrini Breitingerianam, Tiguri 1730.
3. ὀργῇ.

* H. e. substantiam vel naturam. Sic belle exhibetur hebraicum יקום.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

δὲ καὶ τῶν ἀλόγων τὰ γένη τῆς τῶν ἀνθρώπων εἵνεκα δεδημιούργηκε χρείας· καὶ ταῦτα τοῖς ἀνθρώποις συνδιεφθάρη, πλὴν τῶν ἐν τῇ κιβωτῷ σὺν τῷ Νῶε διαφυλαχθέντων. ἐκέλευσε γὰρ ὁ δεσπότης Θεὸς, ἀνὰ δύο μὲν ἐξ ἑκάστου γένους τῶν δοκούντων ἀκαθάρτων διασωθῆναι, ἀνὰ ἑπτὰ δὲ τῶν καθαρῶν. ἐπειδὴ γὰρ ἤμελλε συγχωρεῖν τοῖς ἀνθρώποις μεταλαμβάνειν κρεῶν, ἤμελλον δὲ καὶ θυσίας αὐτῷ προσφέρειν τῆς εὐσεβείας οἱ τρόφιμοι, πλείονα τὰ καθαρὰ φυλαχθῆναι προσέταξε. τὰς μὲν τρεῖς συζυγίας, εἰς τὴν αὔξησιν τοῦ γένους, τὸ δὲ ἓν τὸ περιττὸν, εἰς θυσίαν. εὐθὺς γὰρ ὁ Νῶε μετὰ τὴν παῦλαν τῆς τιμωρίας, θυσίαν τῷ Θεῷ εὐχαριστήριον προσενήνοχεν· ἀπὸ πάντων φησὶ κτηνῶν τῶν καθαρῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν τῶν καθαρῶν. ὡς εἶναι δηλονότι τούτου χάριν, ἀνὰ ἑπτὰ προσέταξεν ἐξ ἑκάστου γένους τῶν καθαρῶν εἰς τὴν κιβωτὸν εἰσαχθῆναι, ἵνα τὸ ἓν ζῶον ἐξ ἑκάστου γένους ὁ Νῶε προσφέρων, μὴ διαφθείρῃ τὰς συζυγίας.

A xuræ conservavit. Cum porro brutorum genera in usus hominum condidisset; ea quoque cum hominibus simul interiere, exceptis iis, quæ in arca cum Noacho conservata sunt. Jussit enim Dominus Deus, bina quidem de omni genere eorum, quæ immunda esse videbantur, servari, septena vero de mundis. Cum enim indulturus esset hominibus, ut carnibus vescerentur, iique qui pietatem colerent victimas ei essent oblaturi, plura ex mundis asservari præcepit. Tria scilicet paria ad incrementum generis, unum autem impar, ad sacrificium. Statim namque Noe simul atque pœna cessavit, hostiam Deo pro gratiarum actione obtulit. *Ex omnibus*, inquit, *pecudibus mundis*, & *ex omnibus* B *volucribus mundis* [a]. Ex quo nempe fit, ut hujus rei gratia septena præceperit ex omni mundorum genere in arcam induci, quo singulare animal ex omni genere offerens Noe, paribus illis nihil inferret damni.

[1] Στ. ιϛʹ. Καὶ ἔκλεισε κύριος ὁ Θεὸς ἔξωθεν αὐτοῦ τὴν κιβωτόν.

v. 16. *Et clausit Dominus Deus extra illum arcam.*

Θειοτέρας τινὸς δυνάμεως ἔχρῃζεν ἡ ἀσφάλεια τῆς θύρας κλειομένης.

Diviniori quadam potentia opus habebat tutamen clausi hostii.

ΚΕΦ. ΙΘʹ.

CAPUT XIX.

Στιχ. κεʹ. Καὶ κατέστρεψε τὰς πόλεις ταύτας, καὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον, καὶ πάντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν ταῖς πόλεσι.

Στιχ. κϛʹ. Καὶ ἀπέβλεψεν ἡ γυνὴ αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἐγένετο στήλη ἁλός.

C v. 25. *Et subvertit civitates has, omnemque circumpositam regionem, & universos habitantes in urbibus.*

v. 26. *Et respexit uxor ejus in posteriora, & fuit cippus salis.*

Ὁ κύριος οὐ μόνον τοὺς ἀσεβεῖς ἀπόλλυσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς τροφὰς αὐτῶν οὔσας Σοδομιτικὰς καὶ ἐπιβλαβεῖς, ἐν αἷς ἐστι καὶ ἄμπελος. περὶ ἧς γέγραπται· ἐκ γὰρ ἀμπέλου Σοδόμων ἡ ἄμπελος αὐτῶν, καὶ ἡ κληματὶς αὐτῶν ἐκ Γομόῤῥας. [2] Ἅμα τε εἰς τὴν πόλιν ἀπεσώθη, καὶ τὸ πῦρ ἐπεφέρετο ταῖς πόλεσι, σημεῖον τῆς μελλούσης συντελείας. Στήλη οὐχ ἁπλῶς ἐγένετο, ἀλλὰ μάλιστα στήλη ἁλὸς, διὰ τὸ, ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς. ἐφαρμόσῃ δὲ τῇ στήλῃ τοῦ ἁλὸς τό· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ; οὐκ ἀθρόως ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος κατὰ τὰ εἰρημένα αὐτῷ, ἀλλὰ πρῶτον εἰς Σηγὼρ γίνεται, καίτοιγε μὴ θαῤῥήσας ἑαυτῷ περὶ τοῦ ἀναβῆναι εἰς τὸ ὄρος.

Dominus non modo impios perdit, sed & escas eorum, quæ Sodomiticæ sunt & noxiæ; in quibus vitis quoque censetur. De qua scriptum est: *Ex vite enim Sodomorum vitis ipsorum, & propago ipsorum ex Gemorrha* [b]. Simulatque in civitatem evasit, etiam ignis urbibus inferebatur, signum futuræ consummationis. *Cippus* haud simpliciter effecta est, sed potius *cippus salis*, propter illud: *Vos* D *estis sal terræ* [c]. Congruat vero cippo salis illud: *Sin autem sal desipuerit* [d]? Non confestim in montem ascendit, juxta ea quæ ipsi dicta fuerant: sed prius in Segor est, quandoquidem sibi non fideret in montem ascendere.

ΚΕΦ. ΚΓʹ.

CAPUT XXIII.

[3] Στιχ. ιεʹ. Γῆ τετρακοσίων διδράχμων.

v. 15. *Terra quadringentarum didrachmarum.*

Σημειωτέον, ὅτι τάφου τιμή ἐστι τὰ τετρακόσια, τῷ κακωτικὴν εἶναι τὴν τετράδα καὶ ἑκατοντάδα. καὶ ζητήσας τὰ ὅμοια ἐκ τῶν γραφῶν εὑρήσεις.

Advertendum, quod sepulcri pretium sint quadringenta, propterea quod ad noxam pertinent quaternio & centuria. Et sane si requiras, similia ex E scripturis invenies.

ΚΕΦ. ΛΖʹ.

CAPUT XXXVII.

[4] Στιχ. ιʹ. Ἆράγε ἐλθόντες ἐλευσόμεθα ἐγώ τε καὶ ἡ μήτηρ σου, καὶ οἱ ἀδελφοί σου προσκυνῆσαί σοι ἐπὶ τὴν γῆν;

v. 10. *Numnam venientes veniemus egoque & mater tua, & fratres tui adorare te super terram?*

Σαφῶς ἡ μήτηρ τοῦ Ἰωσὴφ πρὸ τῶν ἐνυπνίων ἐτελεύτησεν. μήποτε οὖν δυνάμεθα τὴν Μαριὰμ καὶ τὸν Ἰωσὴφ εἰπεῖν προφητεύεσθαι προσκυνήσειν τῷ Χριστῷ;

Manifeste mater Joseph antequam is somnia videret, obierat. Num ergo possumus dicere, quod vaticinio futurum prædicatur, ut Maria & Joseph Christo adorationem adhibeant?

a Gen. VIII, 20. b Deut. XXXII, 32. c Matth. V. 13. d Ibid.

1. Ex Cod. 534. pag. 24.
2. Confer huc Nyssenum,
3. Cod. 534. pag. 39.
4. Ibid. pag. 56.

A

ΚΕΦ. ΜΓ΄.

[1] Στιχ. κβ΄. Εἶπε δὲ αὐτοῖς· ἵλεως ὑμῖν, μὴ φοβεῖσθε.

Ἔοικεν ὠφεληθῆναι ὁ ἄνθρωπος οὗτος εἰς θεοσέβειαν παρὰ τῷ Ἰωσήφ.

CAPUT XLIII.

v. 22. *Ait autem illis: Propitius vobis. Neu timueritis.*

Videtur adjutus homo iste ad Dei cultum apud Joseph.

ΚΕΦ. Μϛ΄.

[2] Στιχ. λδ΄. Ἄνδρες κτηνοτρόφοι ἐσμέν.

B Βδέλυγμα Αἰγυπτίοις πᾶς ποιμὴν προβάτων, ἀλλ᾽ οὐχ Ἑβραίοις. εἰ μὲν οὖν ὡς ποιμὴν ἐφέστηκεν ἡμῖν, βδέλυγμά ἐστιν Αἰγυπτίοις, εἰ δὲ ὡς μισθωτὸς, τάχα καὶ φίλος Αἰγυπτίοις.

CAPUT XLVI.

v. 34. *Viri nutritores pecudum sumus.*

Opprobrium Ægyptiis quisque pastor ovium erat, sed non Hebræis. Si igitur ut pastor sistatur nobis, opprobrium Ægyptiis fiet; sit ut mercenarius, facile amicus Ægyptiis erit.

ΕΚΛΟΓΑΙ ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΞΟΔΟΝ.

ΚΕΦ. ΙΕ΄.

Στιχ. κε΄. Ἐκεῖ ἔθετο αὐτῷ ὁ Θεὸς δικαιώματα καὶ κρίσεις, καὶ ἐκεῖ αὐτὸν ἐπείραζε.

C Ἐπ᾽ ὠφελείᾳ πειράζει ὁ Θεός. ἀπείραστος γάρ ἐστι κακῶν. ἀλλὰ διὰ τοῦτο πειράζει, ἵνα ἐὰν ὑπακούσωσιν αὐτῷ, τύχωσιν ἀγαθῶν, καὶ ἀπαλλαγῶσι κακῶν.

ANNOTATIONES IN EXODUM.

CAPUT XV.

v. 25. *Ibi posuit illi Deus jura & judicia: & ibi eum tentabat.*

PRo utilitate tentat Deus. Intentabilis est enim malorum. Sed propterea tentat; ut si obaudiant ei, bonorum compotes fiant, & a malis liberentur.

ΚΕΦ. Κ΄.

Στιχ. δ΄. [3] Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον.

Ἄλλο εἴδωλον, καὶ ἕτερον ὁμοίωμα. ὁμοίωμα γάρ ἐστιν, ἐὰν ποιῇς ἰχθύος ἢ τετράποδος, ἢ θηρίου, ἢ διὰ τεχνουργίας ἢ διὰ ζωγραφίας ὁμοίωμα. εἴδωλον δὲ, ὅσα ἀνατυποῦσα ψυχὴ ποιεῖ ἐξ οὐχ ὑπαρχόντων πρωτοτύπως. οἷον, ἀναμεμιγμένον τι ζῶον ἀπὸ ἀνθρώπου καὶ ἵππου.

D Στιχ. δ΄. Ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς. οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς.

Ἄλλο προσκυνεῖν, καὶ ἄλλο λατρεύειν. ὁ μὲν γὰρ ἐξ ὅλης ψυχῆς δουλεύων τούτοις, οὐ μόνον προσκυνεῖ, ἀλλὰ καὶ λατρεύει· ὁ δὲ καθυποκρινόμενος, καὶ διὰ τὰ ἔθη ποιῶν, οὐ λατρεύει μὲν, προσκυνεῖ δέ. εὑρήσεις δὲ τοιούτους ἐν τοῖς Ἀριθμοῖς χαριζομένους γυναιξὶ, καὶ εἴδωλα προσκυνοῦντας.

CAPUT XX.

v. 4. *Non facies tibi idolum.*

Aliud idolum est, & aliud similitudo. Similitudo namque est, si facias piscis aut quadrupedis, aut feræ, sive per artificium sive per picturam, similitudinem: ast idolum, sunt quæcumque figurans anima, facit ex non exstantibus forma primigenia; puta, mixtum aliquod animal ex homine & equo.

v. 4. *Quæcumque in cælo supra, & quæcumque in terra infra, & quæcumque in aquis subtus terram. Non adorabis ea, nec etiam coles ea.*

Aliud est adorare, aliud vero colere. Qui enim ex tota anima servit istis, non solum adorat, verum etiam colit. Qui autem simulanter agit & propter consuetudinem, non colit quidem, sed adorat. Invenies porro viros hujusmodi in Numeris, qui gratificati sunt mulieribus, & idola adoravere.

ΚΕΦ. ΚΗ΄.

E Στιχ. λ΄. Ἐπειδὴ προσήκει τὸν ἀρχιερέα, καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν καθάπερ ἀσπίδα περιφέρειν τὴν προφυλακτικὴν ἐπιμέλειαν, μή πού τις ἐναντία βουλὴ τῶν τῆς πονηρίας πνευμάτων τὸ λογικὸν τρώσειεν, καὶ τὸ δόκιμον τῶν κρίσεων συνταράξῃ, καὶ τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν τῇ ἐπιμιξίᾳ τῆς κακίας ἀποστῆναι ποιήσειεν.

CAPUT XXVIII.

v. 30. Siquidem par est, ut pontifex & ante & retro, quasi clypeum, ferat cautam sollicitudinem; ne qua forte contraria voluntas spirituum nequam rationalem animæ portionem vulneret, commendabilesque sententias perturbet, *declarationemque ac veritatem* * mixtura malitiæ abscedere efficiat.

ΚΕΦ. ΛΑ΄.

Στιχ. α΄. Καὶ ἐλάλησε κύριος πρὸς Μωϋσῆν.

Ἐν ὅλαις τεσσαράκοντα ἡμέραις δοῦναι τὸν νόμον

CAPUT XXXI.

v. 1. *Et loquutus est Dominus ad Moysen.*

Totis quadraginta diebus quo legem daret Moy-

1. Cod. 534. pag. 63. 2. Ibid. pag. 66. 3. Edidit Montfauc. in Hex. Est in Cod. 534. p. 100.

* Vulgata, *Doctrinam & veritatem*: heb. *Urim & thummim*, luces & perfectiones: quod est, gemmas pellucidas & p[illegible].

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

κατεῖχε τὸν Μωϋσῆν [1] ὁ πάνσοφος Θεὸς, καίτοι δυνατῶς ἔχων ἐν τρισὶν ἡμέραις δοῦναι τὸν νόμον, ἀλλ᾽ ἵνα τὸ κεκρυμμένον τῆς ἀσεβείας ἐν τῷ βάθει τῆς καρδίας τῶν Ἰουδαίων ὁ χρόνος τῆς ἀπουσίας Μωσέως ἐλέγξῃ.

A sen detinuit sapientissimus Deus, tametsi posset vel tribus tantum diebus dare Legem. Id porro factum est, ut delitescentem impietatem in imo cordis Judæorum tempus absentiæ Moysis retegeret.

ΕΚΛΟΓΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΛΕΥΙΤΙΚΟΝ.

ANNOTATIONES IN LEVITICUM.

ΚΕΦ. Δ΄.

Στιχ. κζ΄. Ψυχὴ ἐὰν ἁμάρτῃ ἀκουσίως, φησὶ, καὶ μὴ ποιήσῃ ἀπὸ πασῶν τῶν ἐντολῶν Κυρίου, ὧν δεῖ ποιεῖν.

[2] Εἰ δὲ κατὰ φύσιν ἔχει. ἔστι τάχα τινὰ προστάγματα Κυρίου, ἃ οὐ δεῖ ποιεῖν, κατὰ τό· ἔδωξαν αὐτοῖς προστάγματα οὐ καλά. ψυχὴ οὖν ἁμαρτάνει ἀκουσίως, ὅτε προφάσει εὐσεβείας τὸ μὴ δέον τηρεῖ. καὶ δεῖται θυσίας πρὸς ἄφεσιν, οὐ δεομένου θυσίας τοῦ δρῶντος ἐξεπίτηδες. ὡς ὁ γεγονὼς Ἰουδαῖος, ἵνα Ἰουδαίους κερδήσῃ, καὶ περιτεμὼν τὸν Τιμόθεον.

Caput IV.

v. 27. *Anima si peccaverit non sponte*, ait, *& non fecerit de omnibus præceptis Domini, quæ oportet facere.*

B Ita natura comparatum est. Sunt omnino quædam mandata Domini, quæ non oportet facere, juxta illud: *Dedit eis præcepta non bona* [a]. Anima igitur peccat non sponte, quando pietatis prætextu servat quod minime oportet. Indiget itaque hostia ad remissionem, dum hostia non indiget is, qui sponte facit: puta *, is qui factus est Judæus, ut Judæos lucrifaceret, & circumcidit Timotheum.

Στιχ. κη΄. Σημαίνει οὖν, ὅτι ἁμαρτία καλεῖται καὶ αὐτὸ τὸ προσαγόμενον. οὕτω νοητέον τό· ἁμαρτίας λαοῦ μου φάγονται. εἰ οὖν ὁ ἁμαρτάνων αὐτὴν δοκεῖ θύειν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῷ μετανοεῖν, οὐκ ὀφείλει τοῖς αὐτοῖς περιπίπτειν, ἐπεὶ ἀναζῇ ἡ ἁμαρτία. οὕτω δυνατὸν, τὸν Χριστὸν καλεῖν ἁμαρτίαν, ὡς ὑπὲρ τῆς πάντων ἁμαρτίας τυθέντα.

v. 28. Indicat ergo *peccatum* dici etiam hostiam, quæ offertur. Sic intelligendum est illud: *Peccata populi mei comedent* [b]. Si igitur qui peccat, ipsum videtur sacrificare peccatum, dum eum pœnitet; non debet in eadem prolabi, quandoquidem revivisceret C peccatum. Hoc pacto licet Christum appellare *peccatum*, eo quod pro omnium peccatis immolatus est.

ΚΕΦ. ΙΒ΄.

Στιχ. β΄. Γυνὴ ἥτις ἐὰν σπερματισθῇ, καὶ τέκῃ ἄρσεν.

Παρέλκειν δόξει τό, ἐὰν σπερματισθῇ, προτασσόμενον τοῦ· καὶ τέκῃ ἄρσεν. ἀλλ᾽ ἐφίστημι μή ποτε ἵνα προφητικῶς ἡ Μαρία οὐκ ἐκ τοῦ σπερματίσθαι [3] τεκοῦσα ἄρσεν, μὴ νομισθῇ ἀκάθαρτος εἶναι, γεγεννηκυῖα τὸν σωτῆρα, εἴρηκεν ὅλον τοῦτο. ἐδύνατο δὲ καὶ μὴ προκειμένου τοῦ· ἐὰν σπερματισθῇ· νοεῖσθαι μὴ οὖσα ἀκάθαρτος ἡ Μαρία. οὐ γὰρ ἁπλῶς γυνὴ, ἀλλὰ παρθένος.

Caput XII.

v. 2. *Mulier quæcumque, si semen susceperit, & pepererit masculum.*

Redundare videatur illud, *Si semen susceperit*, quod præmittitur ante *& pepererit masculum*. At enim inclinor animo ut suspicer, prophetice Mariam, quippe quæ non suscepto semine peperit masculum, ne putetur immunda fuisse propterea quod salvatorem ediderit, hoc totum dixisse. Poterat D nihilominus etiam non præposito, *Si semen susceperit*, reputari non immunda fuisse Maria: non enim simpliciter mulier erat, sed virgo.

ΚΕΦ. ΙΓ΄.

Στιχ. με΄. Καὶ ὁ λεπρὸς, ἐν ᾧ ἔστιν ἁφὴ, τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἔσται παραλελυμένα, καὶ ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἀκάλυπτος.

Διατί τοῦ λεπροῦ ἀκάλυπτον εἶναι κελεύει τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰ ἱμάτια παραλελυμένα; ἵνα γνώριμος ᾖ, καὶ μὴ μεταλαγχάνωσι τῆς ἀκαθαρσίας οἱ προσπελάζοντες, οὕτως ὁ ἀπόστολος περὶ τῶν ἁμαρτανόντων ἔφη· στέλλεσθε ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν, ἣν παρελάβετε παρ᾽ ἡμῶν. καὶ, ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος, ἢ πόρνος, ἢ πλεονέκτης, ἢ εἰδωλολάτρης, ἢ μέθυσος, ἢ λοίδορος, ἢ ἅρπαξ· τῷ τοιούτῳ μὴ συνεσθίειν.

Caput XIII.

v. 45. *Et leprosus, in quo est tactus* **, *vestimenta illius erunt dissoluta & caput ejus detectum.*

Ut quid leprosi detectum jubet esse caput, & vestimenta dissoluta? Ut innotesceret, nec participarent immunditiei qui ad eum accessissent. Sic apostolus de peccantibus: *Secedite ab omni fratre in-* E *ordinate incedente, & non secundum traditionem quam accepistis a nobis* [c]. *Et si quis frater nominatus* ***, *vel fornicator, vel avarus, vel idololatra, vel vinolentus, vel conviciator, vel rapax: cum hoc non comedere* [d].

a Ezech. xx. 25. *b* Osee IV. 8. *c* II. Thess. III. 6. *d* I. Cor. V. 11.

1. Cod. 534. ἐπεῖχε τῷ Μωϋσῇ. Mox in Cod. 534. εἰσὶ γὰρ τάχα τινὰ καί. Et ἔδωκε, pro ἔδωξαν.
2. Cod. 534. non habet εἰ δέ. Videtur legendum ὧδε,
3. Cod. al. ἐσπερματίσθαι.

* Hæc refer ad distinctionem *non sponte & ex prætextu* vel *motivo* agentis, non vero ad id quod inquit, *indiget* vel non *indiget hostia pro venia*. Alioqui sequeretur Paullum in his non laudabiliter egisse.

** Hebr. *naghah*, & tangere & plaga afficere significat.

*** Hoc est, difamatus, infamis.

ΚΕΦ. ΚΓ'. A

Στιχ. β'. Αὗται αἱ ἑορταὶ κυρίου.

Πᾶσα ἱλαρὰ ἡμέρα, ἐν ᾗ προτέτακται [1], ὡς ἐν ἁγίᾳ τά δέ τινα ποιεῖν παρὰ τὰς λοιπὰς ἐξαίρετα, ἑορτὴ καλεῖται. οὐ πᾶσα δὲ ἐστὶ πανήγυρις, ἀλλὰ κατὰ τοὔνομα, ὅτε ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναθροίζονται πανταχόθεν. ὥστε ἡ μὲν πανήγυρις, ἔστι καὶ ἑορτή· οὐκέτι δὲ ἑορτὴ καὶ πανήγυρις. οἷον· σάββατα καὶ νουμηνίαι, ἑορταί εἰσιν· ἄζυμα δέ, καὶ ἡμέραι τῶν ἑβδομάδων, καὶ σκηνοπηγία, οὐ μόνον ἑορταί, ἀλλὰ καὶ πανηγύρεις.

CAPUT XXIII.

v. 2. *Hæc sunt festa Domini.*

Omnis lætus dies, in quo præceptum est, ut tamquam in die sancto talia quædam fiant, præceteris diebus distincta, festum nuncupatur. Non tamen omne festum est solemnitas; sed tunc demum, ut nomen per se sonat, quando undique in unum coeunt. Itaque solemnitas & ipsa est festum; non tamen festum, solemnitas. Puta, sabbata & calendæ, festa sunt; azyma vero, & dies pentecostes, & tabernaculorum, non modo festa sunt, & etiam solemnitates.

B

Στιχ. μ'. Καὶ κάλλυνθρα φοινίκων.

Πάρεστι διὰ τούτων νοεῖν, [2] καὶ πάλιν ἡμῖν ἐν Χριστῷ τὰς ἐν παραδείσῳ τρυφὰς ἀπονέμει Θεός. φυτῶν δὲ τῶν ἀειθαλῶν οἱ κλάδοι, τὸ διηνεκὲς τῆς χάριτος, καὶ τὸ ἀμάραντον τῆς ἐλπίδος ἐφ' ἑαυτοῖς σημαίνουσι.

v. 40. *Et rami palmarum.*

Hinc licet intelligere, quod iterum quoque nobis in Christo paradisi voluptates largitur Deus. Plantarum ergo semper virentium rami, perennitatem ejus gratiæ, spemque immarcessibilem in se ipsis significant.

ΚΕΦ. ΚΖ'.

Στιχ. ιε'. Ἐὰν δὲ ὁ ἁγιάσας αὐτὴν λυτρῶται τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, προσθήσει ἐπ' αὐτὸ τὸ ἐπίπεμπτον τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς, καὶ ἔσται αὐτῷ.

CAPUT XXVII.

v. 15. *Quod si qui sanctificavit eam, redimat domum suam; adjiciet ad hoc quintam partem argenti pretii, & cedet illi.*

C

Εἰ δὲ μὴ τιμὴν οἰκίας, ἢ ἀγροῦ τις, ἀλλ' αὐτὰ ἁγιάσαι Θεῷ, τὴν τιμὴν καθήσει μετὰ τοῦ πέμπτου λυτρούμενος αὐτά, καὶ καθέξει τὰς κτήσεις. ἑτέροις δὲ οὐκ ἀποδώσεται. ἀλλὰ κἂν ἀποδῶται, μέχρι τοῦ ἰωβηλαίου καθέξει ὁ πριάμενος, καὶ μετὰ τοῦτον ἔσται Θεοῦ.

Spiritualia enim spiritualibus comparantur [c]. *Animalis autem homo non suscipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est ipsi* [d]. Quæcumque enim per parabolas & obscuros sermones Spiritus sanctus per prophetas loquutus est, ea iis qui participant & communicant Spiritui sancto facile fiunt nota, cum ab eodem Spiritu illa edoceantur. Qui enim signatus non est & regimine caret, divinas scripturas intelligere non valet.

Στιχ. ζ'. Ἀρχὴ σοφίας, φόβος κυρίου.

v. 7. *Principium sapientiæ, timor Domini.*

C Τὸ τῆς ἀρχῆς ὄνομα δηλοῖ καὶ τὴν ἡγεμονίαν, ὡς ἐν τῷ· μετὰ δικαιοσύνης ἑτοιμάζεται θρόνος ἀρχῆς. καὶ τὴν τινος διδασκαλίας εἰσαγωγὴν. ὡς ἐν τῷ· ἀρχὴ ὁδοῦ ἀγαθῆς ποιεῖν τὰ δίκαια, τουτέστιν τὰ ἠθικὰ παιδεύματα. ὁδὸν δὲ λέγει ἀγαθὴν, τὴν ἐπὶ σοφίαν ἄγουσαν θεωρίαν. ἀρχὴ, καὶ ἡ τινος ὑπάρξεως αἰτία, ὡς ἐν τῷ· ἐγώ εἰμι ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος. ἀρχὴ μὲν ὡς τὸ εἶναι διδοὺς, τέλος δὲ ὡς τελειώσεως ἀφορμή. νῦν οὖν ἀρχὴ, ἡ εἰσάγουσα εἰς τὴν σοφίαν μάθησις, κατὰ τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον συνισταμένη. φόβος γὰρ παθητικὸς μὲν, δεινῶν προσδοκία. ἐγγινόμενοι τῷ φόβῳ κολάσεως ἐκκλίνουσι τὴν κακίαν. τοῦτον οὐδὲ φόβον Θεοῦ κυρίως προσαγορευτέον, εἰ καὶ ἅπτεται τῶν φοβουμένων τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. ὃν D ἐκβάλλει ἡ τελεία ἀγάπη. Θεοῦ δὲ φόβος ἀληθὴς, ἡ κατὰ σεβασμὸν εὐλάβεια, καθ' ὃν θέλει τις σφόδρα ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ πόθῳ γνησίῳ, εἰς ἔργα μεταβάλλων αὐτὰς, καὶ ἀρχὴ σοφίας Θεοῦ γινόμενος κατ' εἰσαγωγὴν. πληρέστατον γὰρ τοῦτον εὑρήσεις ἐν τῷ κατὰ σοφίαν τετελεσμένῳ, καθ' ὃν λέγεται· μὴ εἶναι ὑστέρημα τοῖς φοβουμένοις τὸν Θεόν.

Principii nomen declarat & ducatum, ut in illo: *Cum justitia præparatur thronus principii* [e]: Et rudimenta alicujus doctrinæ, ut in illo: *Principium viæ bonæ, facere quæ justa sunt* [f], id est moralia documenta. Viam autem bonam dicit, theoriam quæ ad sapientiam ducit. Principium est quoque, caussa alicujus exsistentiæ, ut in illo: *Ego sum principium & finis* [g]: Principium quidem, tamquam qui esse tribuit, finis vero, ut perfectionis motivum. Hoc igitur loco Principium, est doctrina introducens ad sapientiam, juxta Dei timorem consistens. Timor enim qui passio quidem sit, est infortuniorum exspectatio. Qui sunt in timore pœnæ, evitant pravitatem. Neque hunc proprie Dei timorem appellare oportet, etsi afficit *metuentes eum, qui potest & animam & corpus perdere in Gehennam* [h]. Eum ejicit perfecta caritas. Timor igitur Dei verus, est pietas religiosa, juxta quam religionem *vult* quis *vehementer in mandatis ejus* [i] desiderio sincero, ad opera redigens illa, quique fit principium sapientiæ Dei secundum initiationem. Pleniorem etenim eum invenies, in eo qui secundum sapientiam jam perfectus est, de quo dicitur: *Non esse deficientiam timentibus Deum* [k].

Στιχ. ζ'. Εὐσέβεια δὲ εἰς Θεὸν, ἀρχὴ αἰσθήσεως.

v. 7. *Pietas autem in Deum, principium sensus.*

E Τῆς θείας αἰσθήσεως, τῆς κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, καθ' ἣν ὁρῶν [1] μὲν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, καὶ ἀκούομεν τῶν κεκρυμμένων λογίων, καὶ τρεφόμεθα τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, ἀντιλαμβανόμεθά τι εὐωδίας Χριστοῦ, καὶ ἁπτόμεθα τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. ταύτης ἀρχὴ τῆς αἰσθήσεως, ἡ πρὸς Θεὸν εὐσέβεια, τουτέστιν ἀτί [2].

Divini scilicet sensus, ejus qui est nempe secundum interiorem hominem: secundum quem videmus lucem veram, & audimus secreta oracula, & nutrimur pane vitæ, & participamus fragrantiæ Christi, & attingimus verbum vitæ. Principium hujus sensus, est pietas in Deum, nempe *inconcussa*.

Στιχ. η'. [3] Υἱὲ νόμους πατρός σου, καὶ μὴ ἀπώσῃ θεσμοὺς μητρός σου.

v. 8. Audi *fili leges patris tui*, *neque repudies constitutiones matris tuæ.*


Πατρὸς μὲν ἀκούομεν λόγους, τῆς γραφῆς· μητρὸς

Patris quidem leges audimus, scripturæ nempe:

a Psalm. LXVIII. 3. *b* Ibid. ℣. 15. *c* I. Cor. II. 13. *d* Ibid. ℣. 14. *e* Prov. XVI. 13. *f* Ibid. ℣. 5. *g* Apoc. I. 8. *h* Matth. x. 28. *i* Psalm. CXI. 1. *k* Psalm. XXXIII. 10.

1. ὁρῶμεν. 2. Forte ἀπτακτος. 3. Deest ἄκουε. Mox videtur legendum ἀπώσῃ cum Cod. Alex.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.



δὲ, τὰς ἀγράφους παραδόσεις τῆς ἐκκλησίας· ὁποῖον τὸ νηστεύειν ἐν παρασκευαῖς, καὶ ἕτερα τοιαῦτα. ὥστε φησί· μὴ πάντα θέλε ἀπὸ γραμμάτων ἀκούειν. ἔστι δὲ καὶ τοὺς φυσικοὺς νοεῖν πατέρας, ἢ καὶ τοὺς πνευματικοὺς νοεῖν διδασκάλους. καὶ γὰρ τούτων μήτηρ ἡ ἐκκλησία.

A matris vero, non scriptas traditiones ecclesiæ; cujusmodi est jejunare sextis feriis, & alia hujusmodi. Unde dicit: *Noli omnia a litteris audire*. Licet & naturales intelligere patres, vel intelligere spirituales doctores. Horum est enim mater Ecclesia.

Στιχ. θ΄. Στέφανον γὰρ χαρίτων δέξῃ σῇ κορυφῇ.

v. 9. *Coronam enim gratiarum accipies tuo capiti.*

Ἀλλὰ καὶ χάρισι Θεοῦ πολλαῖς σωζόμεθα.

Sedenim gratiis Dei multis salvamur.

ΚΕΦ. Δ΄.

CAPUT IV.

Στιχ. κε΄. Οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθὰ βλεπέτωσαν. B

v. 25. *Oculi tui recta aspiciunto.*

Ὀρθὰ ὁρῶσιν, οἱ λογισμοὺς ἔχοντες ἀπαθεῖς, καὶ δόγματα ἀληθῆ. ὅτ' ἂν λέγῃ, οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθὰ βλεπέτωσαν· τὴν ὅρασιν δηλοῖ τῆς ψυχῆς. καὶ ὅτ' ἂν παραινεῖ· φάγε μέλι υἱὲ, ἵνα γλυκανθῇ ὁ λάρυγξ σου. μέλι τροπικῶς τὴν θείαν λέγει διδασκαλίαν, ἥτις τὴν πνευματικὴν καταρτίζει γνῶσιν. ἀλλὰ καὶ ἅπτεται ψυχῆς ἡ σοφία. ἐράσθητι γὰρ αὐτῆς, ἵνα σε παραλάβῃ. ψυχὴ δὲ διὰ περιπλοκῆς σοφίᾳ ἑνωθεῖσα, ἁγιασμοῦ πληροῦται καὶ καθαρότητος. ἔτι γε μὴν τῶν Χριστοῦ μύρων ἡ τῆς ψυχῆς ἀντιλαμβάνεται ὄσφρησις. C

Recta aspiciunt, qui cogitationes habent nequaquam passionibus obnoxias, & veracia dogmata. Quando dicit, *Oculi tui recta aspiciunto*, visum innuit animæ. Et quando hortatur: *Comede mel, fili, ut dulcoretur guttur tuum* [a]; mel figurate dicit divinam doctrinam, quæ spiritualem componit notitiam. Verumtamen afficit quoque animam sapientia: *Dilige enim illam, ut te assumat* [b]. Anima autem per complexionem sapientiæ unita, sanctificatione repletur & puritate. Adhuc tamen unguentorum Christi olfatum animæ sensus percipit.

ΚΕΦ. Ε΄.

CAPUT V.

Στιχ. γ΄. Μὴ πρόσεχε φαύλῃ γυναικί. μέλι γὰρ ἀποστάζει ἀπὸ χειλέων γυναικός.

v. 3. *Ne attendas malæ mulieri: mel enim stillat a labiis mulieris.*

Μὴ πρόσεχε ἀπατηλῇ διδασκαλίᾳ διὰ τῆς χρηστολογίας δελεαζούσῃ.

Ne attendas seductrici doctrinæ, per bella verba inescanti.

Στιχ. δ΄. Ὕστερον μέν τοι πικρότερον χολῆς εὑρήσεις, καὶ ἠκονημένον μᾶλλον μαχαίρας διστόμου.

v. 4. *Postea tamen amarius quid fele invenies, & acutum magis quam gladius anceps.*

Μάχαιραν λέγει τὴν τιμωρίαν, κατὰ τό· τραυματίαι μαχαίρας μου ἐστέ. ἢ τὴν κρίσιν, ἥτις ἐστὶν ὡς μάχαιρα ὀξεῖα ἐξερευνῶσα τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας. D

Gladium dicit pœnam; juxta illud: *Vulnerati gladii mei estis* [c]. Vel judicium, quod est sicut gladius acutus perquirens occulta cordis.

Στιχ. ϛ΄. Σφαλεραὶ δὲ αἱ τροχιαὶ αὐτῆς, καὶ οὐκ εὔγνωστοι.

v. 6. *Fallaces autem orbitæ illius, & quæ non facile noscantur.*

Σφαλεραὶ αἱ τροχιαὶ αὐτῆς, καὶ οὐκ εὔγνωστοι, διότι ἀπὸ κακῶν εἰς κακὰ ἀνακυλιομένη ἐκ τῆς μακρᾶς τῶν ἀγαπώντων αὐτὴν συνηθείας. σφαλερὰ οὖσα, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἀποστεροῦσα, καὶ εἰς γέενναν παραπέμπουσα.

Fallaces orbitæ illius, & quæ non facile noscantur, propterea quod a malis in mala devolvatur ex longa amantium eam consuetudine. Fallax est & regno cælorum privat, & in Gehennam detrudit.

Στιχ. ια΄. Ἡνίκα ἂν κατατριβῶσι σάρκες σώματός σου. E

v. 11. *Quando conterantur carnes corporis tui.*

Διὰ τοῦ κατατριβῶσαι τὰς σάρκας, τὴν ἀκολασίαν δηλοῖ φθοράν τινα οὖσαν. διὰ δὲ τῶν κακιῶν οἱ πολλοὶ κατατρίβουσι τὰς τοῦ Χριστοῦ σάρκας, καὶ τὸ αἷμα καταναλίσκουσι, κοινὸν αὐτὸ ἡγησάμενοι.

Per carnium contritionem intemperantiam denotat, quæ est quædam corruptio. Per crimina autem quidam conterunt Christi carnes, & sanguinem absumunt, profanum ipsum arbitrantes.

Στιχ. ιδ΄. Παρ' ὀλίγον ἐγενόμην ἐν παντὶ κακῷ.

v. 14. *Propemodum fui in omni malo.*

Παρ' ὀλίγον ἐγενόμην. ἦν ὅτε οὐκ ἦν κακία, καὶ ἔσται ὅτε οὐκ ἔσται. οὐκ ἦν δὲ ὅτε οὐκ ἦν ἀρετὴ, οὐδὲ ἔσται ὅτε οὐκ ἔσται. ἀνεξάλειπτα γὰρ τὰ σπέρματα τῆς ἀρετῆς. πείθει δέ με καὶ οὗτος. παρ' ὀλίγον, καὶ οὐκ ἐν παντὶ κακῷ γεγονώς. καὶ ὁ πλούσιος ἐν τῷ ᾅδῃ διὰ τὴν κακίαν κρινόμενος, καὶ οἰκτείρων τοὺς ἀδελφούς. τὸ δὲ ἐλεεῖν, σπέρμα τὸ κάλλιστον τῆς ἀρετῆς.

Propemodum fui. Aliquando vitium non erat, futurumque est ut non sit. Numquam vero virtus non fuit, nec futurum est ut non sit. Semina namque virtutis deleri non possunt. Persuadet vero me & iste: *Propemodum, & non in omni malo fui*. Et dives in inferno damnatus propter improbitatem, & quem miseret fratrum. Misereri porro, pulcherrimum semen est virtutis.

a Prov. XXIV. 13. b Prov. IV. 6. c Sophon. II. 12.

A

Κ Ε Φ. ς'.

Στιχ. κδ'. Τοῦ διαφυλάσσειν σε ἀπὸ γυναικὸς ὑπάνδρου.

Τῆς τῶν ἑτεροδόξων διδασκαλίας, καὶ τοῦ συκοφάντου αὐτῶν λόγου.

Στιχ. κε'. Μηδὲ συναρπασθῇς ἀπὸ τῶν αὐτῆς βλεφάρων.

Μή τε συναρπάσῃ τὰ γοητεύματα τῆς κεκομψευμένης φράσεως.

B

Κ Ε Φ. Ζ'.

Στιχ. ε'. Ἀπὸ γυναικὸς ἀλλοτρίας καὶ πονηρᾶς, ἐάν σε λόγοις τοῖς πρὸς χάριν ἐμβάληται.

Τῆς πολυθέου διδασκαλίας. ἡδέα γὰρ διδάσκει στωμύλος οὖσα, ἡδονὴν καὶ φιλοχρηματίαν.

Κ Ε Φ. ΙΑ'.

Στιχ. κθ'. Ὁ μὴ συμπεριφερόμενος τῷ ἑαυτοῦ οἴκῳ, κληρονομήσει ἄνεμον.

C

Γυναικὶ μὲν, ὡς ἀσθενεστέρων [1] σκεύει· τέκνοις, ἵνα μὴ ἀθυμῇ· ἀδελφῇ ἐν ἀνάγκαις γινόμενον χρήσιμον· δούλοις τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα παρέχοντα.

Κ Ε Φ. ΚΓ'.

[2] Στιχ. α'. Ἐὰν καθίσῃς δειπνεῖν ἐπὶ τραπέζης δυνάστου, νοητῶς νόει τὰ παρατιθέμενά σοι.
Στιχ. β'. Καὶ ἐπίβαλλε τὴν χεῖρά σου, εἰδὼς ὅτι τοιαῦτα ἔδει παρασκευάσαι.

Τράπεζα δυνάστου, οἱ λόγοι τῶν προφητῶν, οὓς δεῖ ἀκούοντα καὶ ἀνάγοντα ἀπὸ τῆς ἱστορίας εἰς θεωρίαν, οὕτως ἁρπάζεσθαι αὐτούς. μὴ στῇς, φησιν, ἐπὶ μόνου τοῦ πράγματος, μηδὲ τῇ πρώτῃ ἀρκεσθῇς τροφῇ. δειπνῆσαι γὰρ, οὐκ ἀριστῆσαι πρόκειται. μὴ τοσοῦτον ἱστορικὸν, ὅσον διανοητικὸν ζήτει. δυνάστου γὰρ προκειμένης τραπέζης, μηδὲν χαμαίζηλον, μηδὲν γεῶδες ἐπιζήτει τρέφεσθαι, ἀλλ' εἴ τι πνευματικὸν καὶ οὐράνιον.

Κ Ε Φ. Λ'.

Στιχ. ιε'. Τῇ βδέλλῃ τρεῖς θυγατέρες ἦσαν.

Βδέλλα ὁ διάβολος, ὡς τὸ τῶν ψυχῶν αἷμα, τουτέστι τὴν ζωτικὴν αὐτῶν δύναμιν, ἐκμυζῶν. ἔχει δὲ θυγατέρας, καὶ οὐχὶ υἱούς. οὐδὲν γὰρ ἀνδρεῖον, ἀλλὰ πᾶσαν ἡδονὴν ἐκτεθηλυσμένην. ᾅδης, ἡ κακία θυγάτηρ οὖσα τοῦ διαβόλου, ἀναιροῦσα ψυχὰς καὶ κόρον οὐ λαμβάνουσα. γυναικὸς ἔρως, ἡ ἄθεος διδασκαλία τῆς ἀπάτης μὴ πληρουμένη· γῆ τε οὐκ ἐμπιπλαμένη ὕδατος, ψυχὴ ψαμμώδης καὶ ἄγονος, ποτιζομένη μὲν ἀεὶ ταῖς γραφαῖς, μηδὲν δὲ βελτιουμένη· ἐφ' αἷς πάσαις τὸ πῦρ ἐστι τῶν κολάσεων.

C A P U T VI.

v. 24. *Ad custodiendum te a muliere subjecta viro.*

Ab heterodoxorum doctrina, & calumniatore eorum sermone.

v. 25. *Nec corripiaris a palpebris ejus.*

Ne te arripiant fascinamenta ornatae orationis.

C A P U T VII.

v. 5. *A muliere aliena & mala, si te sermonibus ad gratiam invadat.*

Ab idololatrica doctrina. Jucunda enim docet cum sit elegans atque diserta, voluptatem nempe & divitiarum amorem.

C A P U T XI.

v. 29. *Qui non attemperat se domui suae, hereditabit ventum.*

Uxori nempe, veluti *vasi infirmiori* [a]; filiis, ut animum non despondeant; sorori in necessitatibus id quod utile sit; & servis quod justum ac par exhibentem.

C A P U T XXIII.

v. 1. *Si sederis coenare in mensa potentis, considaranter considera quae sunt apposita tibi.*
v. 2. *Et injice manum tuam, sciens quod talia oportebat praeparare.*

Mensa potentis, sunt sermones prophetarum, quos
D oportet audientem revocantemque ab historia ad speculationem, sic demum eos arripere. Ne insistas, inquit, in sola re, nec sis contentus prima esca: coenare enim, non prandere propositum est. Non tam quod historicum, quam quod intellectuale est, require. Potentis enim proposita mensa, nihil humile, nihil terrestre in escam require; sed si quid spirituale sit atque caeleste.

C A P U T XXX.

ỷ. 15. *Hirudini tres filiae erant.*

Hirudo, est diabolus, quia animarum sanguinem,
E id est vitalem earum virtutem exsugit. Habet autem filias & non filios: nihil enim habet virile, sed omnem effeminatam voluptatem. Infernus, vel improbitas, quae filia est diaboli, interficiens animas, & satietatem non capiens: mulieris amor, vel impia doctrina, quae errore non repletur: terra quae non repletur aqua, anima nempe glareosa & infecunda, irrigata quidem semper Scripturis, sed quae nihil melioratur. Pro his omnibus est ignis punitionis.

a I. Petr. III. 7.

1. ἀσθενεστέρῳ.

2. Ex Cod. xxiii. col. 97.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΑΔΑΜΑΝΤΙΟΥ

εἰς τὸν Ἐκκλησιαστήν.

ΚΕΦ. Γ'.

[1] Στιχ. γ'. Καιρὸς τοῦ καθελεῖν, καὶ καιρὸς τοῦ οἰκοδομεῖν.

Τὴν μοχθηρὰν οἰκοδομὴν καθελεῖν, ἀνοικοδομεῖσθαι [2] καὶ τὴν βελτίονα.

Στ. ζ'. Καιρὸς τοῦ ῥῆξαι, καὶ καιρὸς τοῦ ῥάψαι.

Εἰρηνεῦσαι τοὺς μαχομένους, ὅ ἐστι ῥάψαι· ῥῆξαι B δὲ, ὅταν ἐξαίρωμεν τὸ πονηρόν. καὶ ἕκαστος δὲ τῶν εὐαγγελιστῶν καὶ ἀποστόλων ῥήξας ἀπὸ νομικῆς ἢ προφητικῆς φωνῆς, ἔῤῥαψεν ἐπὶ ἀποστολικὴν καὶ εὐαγγελικὴν φωνήν· οὐ παλαιῷ προσράψας καινῷ [3], πάντα γὰρ πνευματικά· καὶ αἱρέσεως δὲ ἀποσχιζόμενοι, τῇ ἐκκλησίᾳ προσραπτόμεθα.

Στ. ιϛ'. Καὶ ἔτι εἶδον ὑπὸ τὸν ἥλιον [4] τῆς κρίσεως· ἐκεῖ ὁ ἀσεβής· καὶ τόπον τοῦ δικαίου, ἐκεῖ ὁ ἀσεβής.

Στ. ιζ'. Εἶπον ἐγὼ ἐν καρδίᾳ μου· σὺν τὸν δίκαιον καὶ σὺν τὸν ἀσεβῆ κρινεῖ ὁ Θεὸς, ὅτι καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι, καὶ ἐπὶ παντὶ νοήματι.

C

Ἐν τόπῳ μὲν οὖν κρίσεώς φησιν εἶναι τὸν ἀσεβῆ, οὐκέτι δὲ καὶ τὸν δίκαιον. ἀκόλουθον δὲ τῷ τοῦ δικαίου ἀντιτάξαι τόπῳ τὸν τοῦ ἀδίκου, εἰ μὴ τὸν τῆς κρίσεως. τὸ δὲ σὺν ἐν τόπῳ παραλαμβανόμενον, παρίστησιν ὅτι οὐ καθ' ἕνα κρινόμεθα, ἀλλ' ὑφ' ἕνα καιρὸν πάντες.

ORIGENIS

In Ecclesiasten.

CAPUT III.

v. 3. *Tempus diruendi, & tempus ædificandi.*

Malum ædificium diruendi, ædificandi vero aliud quod præstabilius sit.

v. 7. *Tempus scindendi, & tempus suendi.*

Pacificandi belligerantes, quod est suere: scindendi vero, quando auferimus quod malum est. Quisque porro ex evangelistis & apostolis, scindens a legali aut prophetica voce, suit in vocem apostolicam & evangelicam. Non [a] veteri assuens novum: omnia enim sunt spiritualia. Præterea ab hæresi divulsi, ecclesiæ coaptamur.

v. 16. *Et adhuc vidi sub sole* locum *judicii, ibi impius; & locum justi, ibi pius.*

v. 17. *Dixi ego in corde meo, simul justum & simul impium judicabit Deus: quia tempus omni rei, & in omni cogitatione.*

In loco quidem judicii, dicit esse impium, non item vero etiam justum: consequens erat, ut loco justi responderet injusti locus, si non locus judicii. Græcum quod heic occurrit σὺν alius particulæ loco usurpatum, significat, quod non singillatim judicamur, sed sub unum tempus omnes.

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ

Ἐξηγητικῶν εἰς τὸν Ἰώβ.

D

ΚΕΦ. Α'.

[5] Στιχ. ι'. Οὐ σὺ περιέφραξας τὰ ἔξω αὐτοῦ;

Πόθεν οἶδας, ὅτι πέφρακται; οὗτος ὁ ἀντίδικος ἡμῶν ὁ διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος περιπορεύεται, ζητῶν καταπιεῖν τινα. ἦλθεν οὖν καὶ περὶ τὸν Ἰὼβ, βουλόμενος τὰ αὐτὰ ποιῆσαι. ὕστερον λαβὼν ἐξουσίαν, ταῦτα πεποίηκε. καὶ ὅτι πάντα περιπεφραγμένα ἦν, καὶ ταῦτα νοήσας ἐκ τοῦ κεκωλῦσθαι· βουλόμενος ποιεῖν τὰ περὶ τοῦ Ἰὼβ, εἶπε· σὺ περιέφραξας τὰ ἔσω αὐτοῦ καὶ τὰ ἔξω αὐτοῦ. πάντα οὖν ἐφ' ὅσον οὐ δίδοται τῷ διαβόλῳ, σὺ περιέφραξας.

Στ. ιή. Ἔτι τούτου λαλοῦντος, ἄλλος ἄγγελος [6] λέγων τῷ Ἰώβ· τῶν υἱῶν σου καὶ τῶν θυγατέρων σου ἐσθιόντων καὶ πινόντων παρὰ τῷ ἀδελφῷ αὐτῶν τῷ πρεσβυτέρῳ.

Στ. ιθ'. Ἐξαίφνης πνεῦμα μέγα ἐπῆλθεν ἐκ τῆς ἐρήμου, καὶ ἥψατο τῶν τεσσάρων γωνιῶν τῆς οἰκίας

ORIGENIS

Enarrationum in Job.

CAPUT I.

v. 10. *Non tu circummunisti exteriora ejus?*

Unde scis, quod munitus fuerit? Iste *adversarius noster diabolus, tamquam leo rugiens circumit, quærens deglutire aliquem* [b]. Venit ergo & circa Job, volens eadem facere. Postea accepta facultate, hæc fecit. Sed quia omnia circummunita erant; sic enim reputavit ex eo, quod prohibitus fuit; cum vellet perficere ea quæ de Jobo erant inquit: *Tu circummunisti interiora ejus & exteriora ejus* [c]. Universe igitur, quatenus non traditur E diabolo, tu circummunisti.

v. 18. *Adhuc isto loquente, alius nuntius adest, dicens Jobo: Filiis tuis & filiabus tuis comedentibus & bibentibus, apud fratrem suum seniorem;*

v. 19. *Repente ventus magnus supervenit e deserto, & tetigit quatuor angulos domus, & cecidit domus*

a Luc. V. 36. *b* I. Petr. V. 8. *c* Job I. 10.

1. Ex catena Ms. Procopii Sophistæ, in Cod. Venet. XXII. pag. 67. v.
2. δέ.
3. καινὰ vel καινόν.
4. Deest τόπον.
5. Ex Cod. Ven. 538.
6. Deest ἔρχεται vel ἦλθε. Hi duo ẏẏ. sunt ex Cod. Naniano Commentar. in Job.

καὶ ἔπεσεν ἡ οἰκία ἐπὶ τὰ παιδία σου, καὶ ἐτελεύτησαν. ἐσώθην δὲ ἐγὼ μόνος, καὶ ἦλθον τοῦ ἀπαγγεῖλαί σοι.

A *super filiolos tuos, & mortui sunt. Evasi autem ego solus, & veni ut renuntiarem tibi.*

[1] Τὰς μὲν οὖν καμήλους πεποίηκε γενέσθαι ὑπὸ τοὺς ἱππεῖς, τοὺς ὄνους δὲ καὶ τὰ ζεύγη τῶν βοῶν, ὑπὸ τοὺς αἰχμαλωτίζοντας, τὰ πρόβατα δὲ ἐμίσει. διὰ τοῦτο πῦρ ἐπ' αὐτὰ κατήγαγεν. ἀλλὰ καὶ τοῖς υἱοῖς ἐπεβούλευσε, καιρὸν ἐζήτει τοῦ αὐτοὺς ἀπολέσαι. εἰ εὑρήκει ἀναγινώσκοντας, οὐκ ἂν ἥψατο τῆς οἰκίας, οὐδὲ τόπον εἶχε τοῦ αὐτοὺς ἀποκτεῖναι. εἰ εὑρήκει προσευχομένους, οὐδὲν ἠδύνατο ποιῆσαι κατ' αὐτῶν, ἀλλ' ὅτε [2] εὗρεν εὐκαιρίαν, ἴσχυσε. ποῖος οὖν ὁ καιρός; μέθη ἦν, συμπόσιον ἦν. τὸ, τῶν γωνιῶν τῆς οἰκίας ἅψασθαι τὸ πνεῦμα, ἐπίστησον ὅτι B ἐν ταῖς τῶν γωνιῶν πλατείαις οἱ ὑποκριταὶ ἑστῶτες, προσεύχονται· πᾶς δὲ ὁ μὴ ἐπιβεβηκὼς εὐθείας ὁδοῦ, ταῖς γωνίαις κέχρηται. πλατεῖα δὲ γωνία, ἡ πολλὴ καὶ ἀνειμένη κακία.

Camelos esse fecit in potestate equitum, asinos & juga boum in potestate captivantium, oves hodio habuit. Propterea ignem super ipsas deduxit. Quin etiam liberis insidias struxit, tempus quærebat eos perdendi. Si invenisset legentes, domum utique non tetigisset, neque locum habuisset illos interficiendi. Si invenisset orationi vacantes, nihil potuisset contra eos facere. Sed quia opportunitatem reperit, prævaluit. Cujusmodi igitur tempus erat? Ebrietas erat, convivium erat. Quod ventus angulos domus tetigerit; scito quod in angulorum plateis hypocritæ stantes orant. Quicumque vero non est ingressus rectam viam, angulis utitur. Latus autem angulus, est multa ac dissoluta improbitas.

ΚΕΦ. Β'.

Caput II.

[3] Στιχ. β'. Καὶ εἶπεν ὁ κύριος τῷ διαβόλῳ· πόθεν σὺ ἔρχῃ;

v. 2. Et dixit Dominus diabolo: Unde tu venis?

Ἑώρα ὁ Θεὸς, ὅπως αἰσχυνθεὶς διεπονεῖτο ὁ σατανᾶς. ὅταν δὲ ἐπερωτῶν ἴδῃ ἀγνωμονοῦντα, τότε ἐλέγχει κακουργοῦντα, ὡς ἤλεγξε τὸν Κάϊν.

Prospiciebat Deus, ut confusus defatigaretur satanas. Quando autem interrogans novit insensibi- C lem esse; tunc malefacientem arguit, sicut arguerat Cainum.

[4] Στ. θ'. Χρόνου δὲ προβεβηκότος, εἶπεν αὐτῷ ἡ γυνὴ αὐτοῦ.

v. 9. Tempore autem procedente, dixit ei uxor ejus.

Ὅρα τὸ κακοῦργον. ὅτε πολὺς διῆλθε χρόνος, τότε ἐπιτίθεται. τότε γὰρ μάλιστα τῆς δυνάμεως ἐξασθενεῖ. διπλᾶ τὰ τῆς ἀσθενείας ἦν, τῷ τε τὸν φέροντα ἀσθενέστερον γενέσθαι τῷ μήκει τοῦ χρόνου, καὶ τῷ τὴν ἐλπίδα ἀπογνωσθῆναι μᾶλλον. καὶ μετ' ὀλίγα: μὴ τοίνυν τοῦτο ἴδωμεν ὅτι γυνὴ, ἀλλὰ τί συμβουλεύει. τοῦτο καὶ τοῖς νῦν ἀνθρώποις παραινῶ, μὴ πρὸς τὰ τῶν προσώπων ἀξιώματα βλέπειν, ἀλλὰ D πρὸς τὸν τρόπον τῆς συμβουλῆς. γυνή ἐστιν ἵνα βοηθῇ, οὐχ ἵνα ὑποσκελίζῃ.

Vide malitiam. Cum multum tempus præteriisset, tunc impetit. Tunc enim maxime virtute infirmatur. Duo erant quæ infirmiorem facerent: tum quia ferendo languidior reddebatur diuturnitate temporis, tum quia magis despondebat animum. *Et paullo post.* Ne igitur attendamus quia uxor erat, sed quid consulat. Hoc & nostræ ætatis hominibus moneo, ne ad personarum dignitates respiciant, sed ad consilii modum. Uxor est, ut adjuvet, non ut supplantet.

[5] Στ. θ'. Εἶπεν αὐτῷ ἡ γυνὴ αὐτοῦ· μέχρι τίνος καρτερήσεις;

v. 9. Dixit ei uxor ejus: Quamdiu sustinebis?

Τὸ πάντων μηχανημάτων τῶν προλαβόντων ἰσχυρότερον, ὕστερον ὁ διάβολος προσάγει. εἴθε καὶ ταύτην ἔλαβες, εἴθε μετὰ τῶν παίδων κατέχωσας. τινὲς δέ φασιν, οὐδὲ τῆς γυναικὸς εἶναι τὰ ῥήματα, ἀλλ' αὐτὸν εἰς αὐτὴν τυπωθέντα, ταῦτα φθέγγεσθαι. οὐδὲ γὰρ ἦν τὴν γυναῖκα τοῦ Ἰὼβ τοιαύτην εἶναι. πλὴν εἴ τις λέγοι, συμφορᾷ περιτραπεῖσαν, τοιαύτην αὐτὴν γενέσθαι. καὶ μετ' ὀλίγα. εἰκὸς E οὐ ταύτην πρώτην γεγενῆσθαι τὴν συμβουλὴν, ἀλλὰ πολλάκις πολλὰ τούτων ἀκοῦσαι χαλεπώτερα παρὰ τῆς γυναικός. ὅρα διαβολικὴν ἀπάτην. ἐνενόησε τὴν Εὔαν. τοῦτό φησι τὸν πρῶτον κατήνεγκεν ἄνθρωπον. τοῦτο καὶ τοῦτο περιγενέσθαι δυνήσεται. ἀλλ' ὦ ἄθλιε καὶ ἀνόητε· ἐκεῖνον ἥττονα γαστρὸς εὑροῦσα, ἐνέπνευσε τὸν ἑαυτῆς. τοῦτον δὲ ὁρᾷς φιλοσοφοῦντα, καὶ αὐτῆς περιγενόμενον τῆς φύσεως. οὐκ ἐπέκαμψεν αὐτὸν χρημάτων ἀπώλεια, οὐδὲ παίδων θάνατος ἄωρος, οὐδὲ βάσανος σώματος ἀπαραμύθητος, οὐδὲ χρόνου μῆκος τοσοῦτον. καὶ τὸν ὑπὸ πραγμάτων οὐχ ἁλόντα, τοῦτον ὑπὸ λόγων προσδοκᾷς χειρώσασθαι;

Omnium præcedentium machinarum fortissimam postremo loco diabolus adhibet. Utinam & hanc accepisses! Utinam cum liberis obruisses! Quidam vero dicunt, non esse uxoris ea verba, sed ipsum eam repræsentantem hæc fuisse loquutum: neque enim poterat uxor Jobi esse hujusmodi. Nisi quis dicat, calamitate mutatam, eam talem evasisse. *Et post pauca.* Videtur non hoc primum fuisse consilium, sed sæpe multa istis graviora ab uxore inaudivisse. Attende diabolicam seductionem. Recogitavit Evam. Hoc, inquit, primum præcipitavit hominem: hoc istum quoque superare poterit. Sed o miser & stolide! Illum ventri obnoxium nacta, venenum inspiravit suum. At hunc vides virtuti operam dantem, & ipsammet superantem naturam. Non eum inflexit facultatum amissio, non liberorum mors immatura, non corporis tortura inconsolabilis, nec temporis tanta diuturnitas. Ergone eum qui rebus ipsis victus non fuit, verbis te huncce subacturum existimas?

1. Confer de la Rue. 2. Forte ὅτι.
3. Ex eodem Cod. Nan. ubi adscribitur, Ὀλυμπιοδώρου, Ὠριγένους.
4. Ex Cod. Ven. xxi. Confer & Olympiodor.
5. Ex Cod. Venet. 538.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

A

Τοῦ αὐτοῦ.

Τί τὸν ἀθλητὴν ἐκλύεις; τί καταστέλλεις τὰς χεῖρας; δέον εἰπεῖν κατὰ τὸν ἀπόστολον· ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρόν.

[1] Στ. θ'. Ἀλλ' εἰπόν τι ῥῆμα εἰς κύριον, καὶ τελεύτα.

Μετὰ τὸ τὴν τραγῳδίαν ἀκριβῶς διηγήσασθαι, τότε τὴν ἀναίσχυντον ἐπιφέρει συμβουλήν. καὶ οὐδὲ αὐτῷ φανερῶς εἶπεν, βλασφήμησον. οἱ γὰρ πονηρὰ συμβουλεύοντες, οὐ τολμῶσιν ἀνακεκαλυμμένην εἰσάγειν τὴν συμβουλήν. τί λέγεις ὦ γύναι; δέον ἐξιλεώσασθαι, δέον καταλλάξαι, παροξῦναι μᾶλλον παραινεῖς; εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ταῦτα ἐποίησε, παρακαλέσαι αὐτὸν, οὐ βλασφημῆσαι δεῖ. πόθεν δὲ δῆλον, ὅτι καὶ ἐρώμενον [2] τελευτήσω; πλὴν ὅρα ὅπως εἶχε περὶ τῆς βλασφημίας ἡ γυνή. ὥσπερ παραχρῆμα αὐτὴν θάνατον ἐπάγειν ἱκανὴν ἡγεῖτο.

Ejusdem.

Quid athletam labefactas? Quid contrahis manus, cum oporteret dicere cum apostolo: *adhuc modicum, adhuc modicum* [a]?

v. 9. *Sed dic aliquod verbum in Dominum, & morere.*

Postquam luctuosum eventum diligenter exposuit, tunc impudens profert consilium. Neque ei manifeste dixit: blasphema. Qui enim maligna consulunt, non audent apertum afferre consilium. Quid B ais, o uxor? Cum necesse potius esset placatum reddere, cum necesse esset conciliare; irritare potius suades? Si enim hæc Deus fecit; exorare illum, non blasphemare oportet. Unde autem liquet, quod ubi exsecratus fuero, moriar? Verumtamen attende qua sententia esset isthæc mulier quoad blasphemiam. Reputabat scilicet eam posse statim mortem inferre.

[3] Στ. ι. Εἰ τὰ ἀγαθὰ ἐδεξάμεθα ἐκ χειρὸς κυρίου, τὰ κακὰ οὐχ ὑποίσομεν;

Ὁ γὰρ μακάριος οὗτος πανταχόθεν βαλλόμενος ἀσφαλέστερον ἵστατο, καὶ μυρία βέλη δεχόμενος, οὐκ ἐνεδίδου. ἀλλ' ἐκένωσε μὲν τοῦ διαβόλου τὴν βελοθήκην, αὐτὸς δὲ οὐ κατέπεσεν, οὐδὲ ὑπεσκελίσθη. ἀλλ' ὥσπερ ἄριστος κυβερνήτης, οὔτε μαινομένης τῆς θαλάσσης, καὶ τῶν κυμάτων διεγειρομένων κατεποντίζετο, οὔτε γαλήνης οὔσης ῥαθυμότερος ἐγίνετο. ἀλλ' ἐν ἑκατέρᾳ τῇ τῶν καιρῶν διαφορᾷ, ἴσην τὴν ἑαυτοῦ τέχνην διετήρησε. καὶ οὔτε πλοῦτος ἐκεῖνον [4] ἐφύσησεν, οὔτε πενία ἐταπείνωσεν, οὔτε κατὰ ῥοῦν τῶν πραγμάτων φερομένων, ὕπτιος ἦν καὶ ἀναπεπτωκώς, οὔτε ὅλης σχεδὸν τῆς οἰκείας [5] ἀνατραπείσης, καὶ πανωλεθρίας γενομένης διεταράχθη, καὶ τὴν ἀνδρείαν ἤλεγξε τὴν ἑαυτοῦ. ἀκουέτωσαν πλούσιοι, ἀκουέτωσαν πένητες. ἑκατέροις γὰρ τὸ διήγημα χρήσιμον, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ ἱστορία λυσιτελής· καὶ τοῖς ἐν εὐημερίᾳ, καὶ τοῖς ἐν συμφοραῖς. ἑκάτερα γὰρ τὰ ὅπλα μεταχειρίσας ὁ τῆς εὐσεβείας ἀγωνιστὴς, ὁ τῆς οἰκουμένης στεφανίτης, ἐν ἑκατέροις τὸ τρόπαιον ἔστησε, καὶ πρὸς πᾶν εἶδος πολέμου τοῦ δαίμονος ἐπελθόντος ἐκείνου, πρὸς ἅπαντα παρετάξατο, καὶ ἐν πᾶσιν ἀνεκηρύττετο· καὶ καθάπερ στρατιώτης γενναῖος, καὶ εἰδὼς νυκτομαχεῖν, τειχομαχεῖν, πεζομαχεῖν, ναυμαχεῖν, καὶ τοξεύειν, καὶ δόρυ σείειν, καὶ σφενδόναις καὶ ἀκοντίοις, καὶ παντὶ τρόπῳ μάχης περιγίνεσθαι τῆς [6] ἐναντίων καὶ πανταχοῦ κρατεῖν. οὕτω δὴ καὶ ὁ γενναῖος ἐκεῖνος ἅπαντα πειρασμὸν μετὰ πολλῆς ἤνεγκε τῆς ἀνδρείας, τὸν ἀπὸ πενίας, τὸν ἀπὸ λιμοῦ, τὸν ἀπὸ νόσου, τὸν ἐξ ὀδυνῆς, τὸν ἀπὸ παίδων ἀπωλείας, τὸν ἀπὸ τῶν φίλων, τὸν ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν, τὸν ἀπὸ τῆς γυναικὸς, τὸν ἀπὸ τῶν οἰκετῶν. οὐ γὰρ ἦν ἀνθρωπίνη συμφορὰ, ἣ μὴ εἰς τὸ σῶμα ἐξεκενώθη ἐκείνου. ἀλλ' ὅμως ἁπάντων ὑπερηνέχθη τῶν δικτύων, καὶ ὑψηλότερος γέγονε τῶν τοῦ διαβόλου καλάμων. καὶ τὸ δὴ θαυμαστότερον, ὅτι καὶ πάντα αὐτῷ, καὶ πάντα μεθ' ὑπερβολῆς, καὶ πάντα ὑφ' ἕν. μὴ γὰρ τοῦτο ἴδῃς, ὅτι τοσαῦτα ἔπαθεν· ἀλλὰ πρόσθες, ὅτι οὐδὲ κατὰ μικρὸν, οὐδὲ ἐκ διαστήματος, ἀλλ' ὑφὲν καὶ ὁμοῦ. οὐ μικρὰ δὲ αὕτη

v. 10. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus?*

Beatus iste undique circumpulsatus, securius stabat, & infinita suscipiens tela, non cedebat. Sed C evacuavit quidem diaboli pharetram, ipse vero nequaquam concidit, neque subversus est. Sed veluti optimus proreta, neque furente salo excitatisque fluctibus submergebatur; neque obtinente malacia, negligentior erat. Sed in utraque temporum vice, æqualem artem suam conservabat. Et neque divitiæ illum inflavere, neque paupertas dejecit animo, neque prono alveo rebus suis fluentibus, supinus erat & segnes. Quinimmo ne tota quidem propemodum eversa domo, & interitu contingente, conturbatus est, & suæ virtutis luculentia edidit testimonia. Audiunto divites, audiunto pauperes: utrisque enim narratio perutilis, & omnibus homi- D nibus historia est proficua, sive in prosperitate sint, sive in calamitatibus. Utraque enim arma adhibens hic pietatis agonista, hic orbis coronatus athleta; in utrisque tropæum erexit: & ad omne genus belli irruente dæmone illo, contra omnia in aciem descendit, & in omnibus victor pronunciabatur. Ac veluti miles generosus, qui sciret pugnare noctu, de mœnibus, inter pedites, inter epibatas, arcu sagittas emittere, hastam quatere, fundis & vallis uti, ac in omni genere pugnæ superare adversarios, & ubique vincere. Ita profecto & generosus ille omnem tentationem cum multa tulit fortitudine, tentationem inquam paupertatis, famis, E morbi, doloris, interitus filiorum: tentationem ab amicis, ab adversariis, ab uxore, a domesticis. Neque enim fuit humana calamitas, quæ in corpus ejus effusa non sit. Nihilo vero minus retia omnia superavit, ac sublimior fuit diaboli calamis *. Illud vero præ ceteris stupendum, quod omnia ipsi contigerint, & omnia cum excessu, & omnia in unum. Neque enim id attendas, quod tanta passus fuerit: sed adde, non paullatim, non ex intervallo; sed una & simul. Non est vero hæc mediocris tenta-

a Hebr. X. 37.

1. Cod. Ωριγ. εἰς τό. ἀλλ' εἰπόν τι ῥῆμα.
2. Forte ἐρώμενον.
3. Ex Cod. Nan. ubi titulus Χρυσοστόμου, Ωριγ. Chrysostomi potius videtur, de cujus commentariis in Jobum consule sis nostræ Bibl. tom. VIII. p. 243. & proleg. ibidem.
4. αὐτόν.
5. οἰκίας.
6. Forte τῶν.

* Phrases aucupii.

πειρασμῶν προσθήκη. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἕκαστ☉ ἀνθρώπων, πρῶτον μὲν οὐδεὶς ἂν εὑρεθείη πάντα ὑπομείνας ὁμοῦ, ἀλλ' εἰ καὶ πενίᾳ παλαίει, ὅμως ὑγείας ἀπολαύει. εἰ δὲ καὶ πενίᾳ καὶ νόσῳ περιεπάρη, ἀλλὰ γυναικὸς πολλάκις ἀπήλαυσε παραμυθουμένης τὰ δεινὰ, καὶ ἀντὶ λιμένος αὐτῷ γινομένης. εἰ δὲ μὴ γυναικὸς ἀπήλαυσε τοιαύτης, ἀλλ' οὐχ οὕτω συμβουλευθείσης ὀλέθρια, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τοὺς παῖδας ἀθρόον ἀπώλεσεν ἅπαντας. εἰ δὲ καὶ ἀθρόον, ἀλλ' οὐ τοιούτῳ τρόπῳ τελευτῆς. εἰ δὲ καὶ τοιούτῳ [τρόπῳ] τελευτῆς, ἀλλὰ φίλους ἔσχε παρακαλοῦντας. εἰ δὲ οὐκ ἔσχε παρακαλοῦντας, ἀλλ' οὐχὶ καὶ οὕτως ἐπεμβαίνοντας. εἰ δὲ καὶ ἐπεμβαίνοντας, ἀλλ' οὐχὶ καὶ οἰκέτας ὀνειδίζοντας. εἰ δὲ καὶ ὀνειδίζοντας, ἀλλ' οὐχὶ καὶ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐμπτύοντας. εἰ δὲ καὶ εἰς τὸ πρόσωπον ἐμπτύοντας, ἀλλ' οὐχὶ καὶ νόσῳ τοιαύτῃ περιεπάρει [1], ἀλλὰ δωματίου καὶ σκέπης ἀπήλαυσε, καὶ οὐκ ἐπὶ τῆς κοπρίας ἐκάθητο. εἰ δὲ καὶ ἐπὶ τῆς κοπρίας ἐκάθητο, ἀλλ' ἔσχε τοὺς χεῖρα ὀρέγοντας. εἰ δὲ μὴ ἔσχε τοὺς χεῖρα ὀρέγοντας, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ἐπεμβαίνοντας. οὗτ☉ δ' ἅπαντα ταῦτα ὑπήνεγκεν.

tionum acceſſio. Ceterorum namque hominum quilibet, primo nullus invenietur qui omnia ſimul ſuſtinuerit: ſed ſi cum paupertate luctatur, at ſanitate gaudet; ſi & paupertate & morbis vexatus eſt, at uxore ſæpenumero fruitus eſt, quæ calamitates ſolaretur, & quæ pro portu eſſet illi. Si nec uxore fruitus eſt hujuſmodi, at nec quæ tam pernicioſa conſuleret, at nec liberos junctim amiſit univerſos: ſi junctim univerſos, at non tali genere mortis: ſi tali genere mortis, at amicos habuit conſolatores, at neque ita illum appetentes: quod ſi & appetentes, at non etiam domeſticos laceſſentes: ſi etiam laceſſentes, at non etiam in faciem ſuam ſpuentes: ſi etiam in faciem ſpuentes, at non quoque morbo tanto conficiebatur, at domum tectumque habebat, nec in ſterquilinio ſedebat: quod ſi etiam in ſterquilinio ſedebat, at manum habebat porrigentes: ſi neque manum porrigentes, at non etiam in ſe irruentes. Iſte vero omnia iſthæc pertulit.

Στιχ. ια'. Παρεγένοντο ἕκαστος ἐκ τῆς ἰδίας χώρας πρὸς αὐτόν. Ελιφὰζ ὁ Θαιμανῶν βασιλεὺς, Βαλδὰδ ὁ Σαυχέων τύραννος, Σωφὰρ Μιναίων βασιλεύς.

v. 11. *Advenerunt quiſque ex propria regione ad illum. Eliphaz Thæmanorum rex, Baldad Saucheorum tyrannus, Sophar Minæorum rex.*

[2] Φιλικὴ μὲν ἡ παρουσία σου, φιλικὴ δὲ ἡ παραίνεσις. Ελιφὰζ· Θεός με διέσπειρεν, ἢ Θεοῦ μου φαυλισμός. Θαιμὰν, ἔκλειψις αὐτῶν. Σωφὰρ, σκοπὸς, ἢ φαυλισμός. Βαλδὰδ, παλαίωσις, καὶ ἐπίδοξ☉. Σωχαίων, ἀδολεσχία αὐτῶν.

Amica præſentia tua, amica & admonitio. Eliphaz, eſt Deus me diſſeminavit, aut, Dei mei contumelia. Thæman, defectus eorum. Sophar, ſcopus, vel, contumelia. Baldad, inveteratio, & glorioſus. Sauchæorum, gerrulitas eorum.

[3] Στιχ. ια'. Ακούσαντες δὲ οἱ τρεῖς φίλοι αὐτοῦ τὰ κακὰ πάντα, τὰ ἐπελθόντα αὐτῷ· παρεγένοντο ἕκαστος ἐκ τῆς ἰδίας χώρας πρὸς αὐτόν.

v. 11. *Audientes autem tres amici ejus mala omnia, quæ ſupervenerant ei: adfuerunt quiſque ex propria regione ad illum.*

Εἰ δέ τις ζητῇ, διατί μετὰ τοσοῦτον χρόνον οἱ φίλοι παραγεγόνασιν; ἐννοείτω πρῶτον μὲν ὅτι διαφόρους ᾤκουν χώρας, καὶ μετὰ πλεῖστον χρόνον πολλοὶ μὲν ἤκουσαν ἴσως. τὸ δὲ παράδοξον τῆς συμφορᾶς καὶ ἄπιστον ἐδόκει, εἰ καὶ ἐπὶ κοπρίας ὁ Ιὼβ καὶ ἀθεπικούρητ☉ κάθηται· καὶ πειρώμενοι διὰ πλειόνων πιστώσασθαι τὴν ἀκοὴν, ἢ καὶ ἐκπέμψαι καὶ ἰδεῖν, εἰ καὶ ἀληθῆ τὰ λεγόμενα. ἐν τούτοις οὖν ὁ χρόν☉ ἐτρίβετο. πρὸς δὴ τούτοις, ὅτε τὸ ἀληθὲς ἔγνωσαν, βασιλεῖς ὄντες καὶ ἐκδημεῖν μέλλοντες, ἀνάγκην εἶχον πρότερον εὖ διαθεῖναι τὰ κατὰ τὸν οἶκον, καὶ ἐπιστῆσαι τοῖς ἀρχομένοις τοὺς ἀνθ' ἑαυτῶν. ταῦτα πάντα αὐτοὺς ἀπησχόλει, καὶ ἐνεβράδυνον. καὶ εἰ μὴ σφόδρα γε ἀγαπητοί τινες ἦσαν καὶ δίκαιοι, οὐκ ἂν τὰς οἰκείας καταλιπόντες χώρας καὶ βασιλείας, ἀφικνοῦντο πρὸς τὴν ἐπίσκεψιν, ἀλλὰ δι' ἑτέρων τὴν χρείαν ἐπλήρουν. ἔστι δὲ ἐννοεῖν, ὡς καὶ οἰκονομία τις ἦν θεία, τῆς ἀφίξεως ἡ ἀναβολή. ἐπειδὴ γὰρ ὁμοῦ τῇ τῶν φίλων διαλέξει καὶ τὸ πᾶν τοῦ ἀγῶν☉ ἐλύθη, τοῦ Θεοῦ χρηματίσαντ☉, καὶ τὸν δίκαιον ἀνακτησαμένου καὶ στεφανώσαντ☉, οἰκονομία τις γέγονε θεία, ἐμβραδῦναι τοὺς φίλους, ἵνα παραταθῇ τὰ τοῦ νοσήματ☉, καὶ μείζονας ἄθλησας ὁ δίκαι☉, δικαιότερον ἀναρρηθῇ παρὰ τοῦ Θεοῦ.

Si quis querat, cur poſt tantum temporis amici advenerint; cogitet, primum quidem eos diverſas incoluiſſe regiones, ac poſt plurimum tempus multi fortaſſe audiverunt. Infortunium ultra opinionem ac fidem eſſe videbatur, ſi etiam in ſterquilinio Job ſederet, & inauxiliatus. Itaque exſpectaverunt ut pluribus confirmaretur fama; vel etiam ut mitterent ac viderent, ſi quidem vera relata eſſent. Interea igitur tempus terebatur. Ad hæc, ubi verum eſſe reſciverunt; cum reges eſſent, ac peregre profecturi, neceſſe habuerunt prius res ſuas domeſticas recte diſponere, ac præficere ſubditis vicarios ſuos. Hæc omnia ipſos occupatos tenebant, & remorabantur. Ac niſi vehementer dilecti fuiſſent & juſti, non utique domos ſuas relinquentes, regiones ac regna, veniſſet ad inviſendum illum, ſed per alios hoc officium impleviſſent. Cogitandum autem eſt, cujuſdam etiam divinæ diſpenſationis fuiſſe, ut adventus eorum differretur. Quia enim una cum amicorum diputatione etiam certamen univerſum diremtum eſt, reſpondente Deo, & juſtum hunc fovente & coronante; divina quæpiam providentia fuit, ut moras traherent amici, quo intenderetur morbus, & juſtus vir illuſtrius pugnans, potiori jure a Deo victor proclamaretur.

[4] Στιχ. ια'. Καὶ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν ὁμοθυμαδὸν, τοῦ παρακαλέσαι καὶ ἐπισκέψασθαι αὐτόν.

v. 11. *Et venerunt ad illum concorditer, ut conſolarentur, & inviſerent illum.*

Ὁ Σύμμαχ☉ οὕτως ἐξέδωκε· συνετάξαντο γὰρ ὁμοῦ ἐλθόντες συμπαθῆσαι αὐτῷ, καὶ παραμυθήσασθαι αὐτόν. ὅρα καὶ ἐντεῦθεν ὡς καὶ ἕτερ☉

Symmachus ita edidit: *Condixerant enim, ut ſimul venientes compaterentur ei, & conſolarentur illum.* Vide & hinc, quei aliud etiam prætererit

1. περιεπάρει.
2. Ex Cod. 538.

3. Ex Cod. Nan. ubi adſcribitur Ὠριγ. Ολυμπιοδ.
4. Ibid. eodem tit. adſcripto.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

παρῆλθε χρόνος, ἕως ὅτε πρὸς ἀλλήλους διαπεμ- A ψάμενοι, τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνόδοντε καὶ ἄφιξιν ἐποιήσαντο.

[1] Στιχ. ιβ'. Καὶ καταπασάμενοι γῆν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν.

Στιχ. ιγ'. Παρεκάθισαν αὐτῷ ἑπτὰ ἡμέρας, καὶ ἑπτὰ νύκτας.

Οὐκ εἶπε δὲ ἡ γραφή, ὅτι παρεκάθηντο ἑπτὰ ἡμέρας πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας, οὐδὲ ἑπτὰ νύκτας ἀφ' ἑσπέρας μέχρι πρωΐ. δῆλον οὖν, ὅτι τὸ πλεῖον τῆς ἡμέρας παρακαθεζόμενοι, ὑπεχώρουν τὰς ἀναγκαίας ἐκπληρώσοντες χρείας. καὶ πάλιν ἐπανήκοντες, μέχρι πολλοῦ τῆς νυκτὸς παρεκαθέζοντο, καὶ αὖθις B ἀπιόντες, πάλιν ὤρθριζον πρὸς αὐτόν. ὃ δὴ τῶν γνησιωτάτων καὶ συμπαθεστάτων φίλων ἴδιον. τῇ δὲ κοινῇ συνηθείᾳ χρωμένη ἡ γραφή, οὕτως ἀπολύτως εἶπε· παρεκάθισαν αὐτῷ ἑπτὰ ἡμέρας καὶ ἑπτὰ νύκτας. ἐπεὶ καὶ ὅτε λέγει τὸν Ἰακὼβ δεκατέσσαρα ἔτη δουλεῦσαι, καὶ συγκαίεσθαι τῷ καύσωνι τῆς ἡμέρας, καὶ τῷ παγετῷ τῆς νυκτός, ἆρα ὑπὸ στέγην οὐκ εἰσῄει ποτέ; ἆρα οὐδεμιᾶς ἀναπαύσεως ἔτυχεν ὅλῳ τῷ χρόνῳ; ταῦτα μὲν οὖν καὶ λεπτολογεῖν φλύαρον. ὡς γὰρ ἔφην, ἡ γραφὴ κοινῇ συνηθείᾳ χρῆται. ἐπειδὴ δέ τινες κωμῳδοῦντες τὴν γραφήν, καὶ ἐντεῦθεν αὐτὴν ὡς ψευδῆ διασύρουσιν, ὡς γὰρ ἄν φασιν ἄσιτοι διετέλουν καὶ ἄϋπνοι ἐπὶ τοσαύτας ἡμέρας; ἠναγκάσθημεν αὐτῶν συναπαχθῆναι τῇ ἀκαίρῳ στενοχωρίᾳ. C

ΚΕΦ. Γ'.

[2] Ἀλλ' ἐν τούτοις μὲν τὸ δεύτερον ἤνυσται κεφάλαιον. τοῦ τρίτου δὲ προθεωρίαν ποιούμενοι, φαμὲν ὡς ἀλγεῖ μὲν ὁ δίκαιος, καὶ οὐκ ἄν τις ἀρνήσαιτο· οὐ γὰρ τῶν ἀναισθήτων ἡ ἀρετή, ἀλλὰ τῶν ἐν τοῖς πάθεσι φιλοσοφούντων. οὐ διώκεται [3] δέ, κατὰ μὲν τὸ φαινόμενον, ὑπὸ τῆς ἐν σαρκὶ πληγῆς δριμυτάτως κεντούμενος, κατὰ δὲ τὸ νοούμενον, οἷα δίκαιος καὶ φιλόθεος ἀνὴρ ὁρῶν τινας σκανδαλιζομένους ἐπὶ τοῖς αὐτῶν [4] παθήμασιν, ὡς τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης ἐπ' αὐτῷ D διασυρομένης, εἰ ὁ δίκαιος ταῦτα ὑπομένει. καὶ γὰρ ὅτε λέγει· ἵνα τί ἔθου με κατ' ἐντεύκτην [5] σου; οὐκ αὐτὸς κατὰ τοῦ Θεοῦ ἐτύγχανε, μὴ γένοιτο· τίνι γὰρ εἶχεν ἐντυγχάνειν; ἀλλὰ τοῦτο ἐστιν ὅ φησιν· ἵνα τί δι' ἐμέ, δέσποτα, τὸ ὄνομά σου βλασφημεῖται; θορυβεῖται δὲ οὐδὲν ἧττον καὶ ἰλιγγιᾷ, μήπως τελείως ἐγκατάλειψιν ὑπέστη παρὰ Θεοῦ. οὐδὲ γὰρ οὕτω τιμωρεῖται ψυχὴ φιλόθεος, ὡς τὸ [6] ὑποπτεύειν καταλελεῖφθαι παρὰ Θεοῦ. καὶ μυριάκις αἱρεῖται τὸν θάνατον, ἢ μετὰ ἀλγηδόνων καὶ τοιαύτης ὑποψίας τοῖς ζῶσιν ἐγκαταλέγεσθαι. ἐπὶ μὲν οὖν τῇ τῶν κτημάτων ἀπωλείᾳ, καὶ τῇ τῶν παίδων ἀθρόᾳ τελευτῇ, οἵας ἀφῆκε χαριστηρίους φωνὰς ἠκούσαμεν, καὶ ὅπως τὴν γυναῖκα ἐξεπαίδευσεν ἀπρεπές τι περὶ τοῦ δεσπότου λογισαμένην, καὶ ποῖα B μετὰ πεῖραν καὶ ἐξουδένωσιν καὶ τὸ δριμὺ πάθος ἐφθέγξατο, καὶ ὡς οὐδὲν αὐτὸν τῶν ἀνθρωπίνων συμπτωμάτων διεθορύβησεν· ὡς δὲ οἱ φίλοι παρεγένοντο ἄνδρες δίκαιοι καὶ συμπαθεῖς, εὔκαιρον ᾠήθη θεωρῶν αὐτῶν τὴν ὑπομονὴν καὶ τὴν ἀγάπην ἐπ' αὐτῷ [7], εἰπεῖν καὶ δημοσιεῦσαι τὰς κατὰ ψυχὴν ἀλγηδόνας, καὶ φθέγγεται μὲν καθ' ἱστορίαν ἀκίνδυνον. ἓν γὰρ ἦν τοῦ διαβόλου τὸ σπούδασμα, τὸ παρασκευάσαι τὸν δίκαιον βλασφημῆσαι Θεόν. ὁ δὲ οὐδαμῶς φαίνεται τοῦτο διαπραξάμενος, ἀλλὰ καὶ

---

tempus; donec ad se invicem mittentes, concursum simul & adventum fecerunt.

v. 12. *Et spargentes terram super capita sua:*

v. 13. *Sederunt apud ipsum septem dies, & septem noctes.*

Non dixit vero scriptura, quod assederint septem dies, a mane usque ad vesperam; neque septem noctes, a vespera ad mane. Liquet ergo, quod cum maximam diei partem assedissent, recedebant necessariis usibus explendis: ac iterum revertentes, usque ad multam noctem assidebant, & iterum abeuntes, rursus mane veniebant ad eum. Quod sane verissimorum affectuosissimorumque amicorum proprium est. Communi autem consuetudine utens scriptura, ita absolute loquuta est: *Sederunt apud ipsum septem dies, & septem noctes.* Quoniam etiam quando dicit, Jacobum quatuordecim annos servisse, & exustum fuisse æstu diei, & gelu noctis; numquid tectum numquam subibat? numquid nullam habuit requiem toto illo tempore? De his subtiliter pertractare, nugatorium esset. Ut enim ajebam, scriptura communi consuetudine utitur. Quoniam vero quidam suggillantes scripturam, vel hinc ipsam ceu mendacem traducunt: quomodo enim, dicunt, sine cibo perseveraverunt & insomnes per tot dies? coacti sumus eorum nos accommodare importunæ subtilitati.

Caput III.

Ac in his quidem secundum caput absolutum est. Tertii vero quemdam veluti prospectum facientes, dicimus: Quod dolet quidem vir justus, & de hoc nemo inficias iret: Non enim insensatorum est virtus, sed eorum qui in passionibus ad eam studiose contendunt. Dolet vero, apparenter quidem, a corporali plaga acutissime stimulatus; at intellectualiter, tamquam justus & Dei amans, qui videbat nonnullos scandalizatos propter passiones suas, ut si Dei gloriæ in ipso detraheretur, justo hæc sustinente. Cum enim dicit: *Ut quid posuisti me obviantem tibi* [a]? Non ipse Deo obviavit, absit! cui enim poterat obviare? Sed quod dicit, illud est: Ut quid propter me, Domine, nomen tuum blasphematur? Turbatur tamen nihilo minus & æstuat, ne forte omnino a Deo desertus fuisset. Nihil enim tantopere excruciat animam Dei amantem, ut suspicari se a Deo esse desertam: quin infinities mori mallet, quam cum angoribus & suspicione hujusmodi inter vivos recenseri. Itaque propter jumentorum amissionem, & filiorum confertam mortem, quales emiserit plenas gratiarum actionis voces audivimus: quomodo etiam uxorem erudierit, quæ indignum nescio quod de Domino reputaverat: qualia item post tentationem & exinanitionem acerbamque passionem pronuntiaverit, & quo pacto illum nullus humanorum eventuum perturbaverit. Quando vero amici advenerunt, homines justi & affectuosi, opportunum arbitratus est, videns eorum tolerantiam & dilectionem erga se, enarrare atque exponere animi sui dolores, illosque historice referre putavit esse sine periculo. Unicum namque erat diaboli studium, efficere ut justus iste Deum blasphemaret. At vero nullatenus apparet eum istuc

a Job VII. 20.

1. Ibid. eodem titulo.
2. Ibid. eod. tit.
3. Legendum ὀδυνᾶται.
4. Forte αὐτοῦ.
5. κατεντεύκτην.
6. τῷ.
7. Forte αὐτόν.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

μᾶλλον εὐφημήσας, καὶ χαριστηρίους ἀναπέμψας φωνάς. καταρᾶται δὲ τὴν ἡμέραν τῆς γεννήσεως, καὶ τὸν θάνατον ἐπιποθεῖ, διὰ τὰς ἀνωτέρω λεχθείσας αἰτίας. πρὸς δὲ διάνοιαν, μυστήρια λαλεῖ. καὶ περὶ τῶν ἤδη προγεγονότων φιλοσοφεῖ, καὶ πληροφορεῖ τὸ μέλλον. τοιαῦται γὰρ ἀεὶ τῶν ἁγίων προφητῶν αἱ ῥήσεις. ἐπὶ δὲ αὐτῶν τῶν λέξεων γενόμενοι, σαφηνίσωμεν τὴν διάνοιαν, αὐτοῦ ποδηγοῦντος πρὸς τὴν ἑρμηνείαν, τοῦ καὶ τὸν ἅγιον Ἰὼβ πρὸς τοὺς ἀγῶνας ἐνισχύσαντος.

A fecisse, quin potius benedixisse & gratiarum actionis testes protulisse voces. Maledicit autem diem nativitatis, & mortem desiderat, propter superius allatas rationes. At rebus ad mentem relatis, mysteria eloquitur: & de iis quidem quæ jam antea evenerant, philosophatur; de futuris vero certiores reddit. Hujusmodi enim semper sunt sanctorum prophetarum dicta. Ad ipsa igitur verba accedentes, declaremus sensum eorum, eo ad interpretationem nos deducente, qui sanctum etiam Job ad certamina roboravit.

Στιχ. α'. Μετὰ τοῦτο ἤνοιξεν Ἰὼβ τὸ στόμα αὐτοῦ.

v. 1. *Post hoc aperuit Job os suum.*

B

Ὅτι δίκαιος ἀνοίγει τὸ στόμα, οὐχ ἁπλῶς οὑτωσὶ προσήκει προσέχειν τοῖς λεγομένοις, ἀλλὰ τὰ [1] ἐκ τῶν λόγων ἀναζητεῖν ὠφέλειαν. μεστὰ γὰρ ἀεὶ ὠφελείας τὰ τοιαῦτα ῥήματα τῶν ἁγίων. καὶ ἀνοίγων τὸ στόμα δίκαιος, κεκρυμμένους δημοσιεύει θησαυρούς. διὸ καὶ τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς ὁ Παῦλος ἐπιστέλλων φησί· τὸ στόμα μου ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς Κορίνθιοι. καὶ περὶ τοῦ κυρίου γέγραπται· ὅτι ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ ἐδίδασκε. καὶ ἁπλῶς ἐκεῖνος μαρτυρεῖται στόμα ἀνοίγειν, ὁ σιωπῆς μέτρα πρότερον διδαχθείς. οὐκοῦν καὶ Ἰὼβ ἀνοίγει τὸ στόμα μετὰ τοῦτο, τουτέστι μετὰ τὸ μέγα τρόπαιον, μετ' ἐκεῖνα τὰ πάθη, οὐκ ἀβασανίστως φθέγγεται περιαλγῶν τῷ σώματι, τῆς γλώττης φθανούσης τὸ τῆς φρονήσεως ἔνθεσμον, ἀλλὰ σωφρονῶν καὶ ταῖς φωναῖς ὑποδείκνυται. δηλοῖ δὲ καὶ τὴν γαλήνην τῆς ψυχῆς καὶ τῶν ῥημάτων τὸ εὐπρεπές, ἡ τοῦ ἀνοῖξαι τὸ στόμα αὐτοῦ μαρτυρία [2].

Quia justus os aperit, non inconsideranter oportet animum iis quæ dicuntur advertere, sed requirere quod ex verbis prodit emolumentum. Plena enim semper sunt utilitatis hujusmodi sanctorum dicta: & aperiens justus os, occultos depromit thesauros. Itaque & vas electionis Paullus scribens dicit: *Os meum aperuit se ad vos, Corinthii* [a]. Et de Domino scriptum est: *Aperiens os suum, docebat* [b]. Ac simpliciter de eo testimonium perhibetur, quod os aperiat, qui silentii modos antea edoctus fuit. Itaque & Job os aperit postea: id est, post magnum tropæum, post passiones illas, non sine examine loquitur toto corpore dolens, præveniente lingua prudentiæ leges, sed vel in ipsis vocibus sobrius ostenditur. Indicat etiam animæ tranquillitatem, ipsorumque verborum decorem, quod de illo perhibeatur aperuisse os.

C

ΚΕΦ. ΙΘ'.

CAPUT XIX.

[3] Στιχ. α'. Ἕως τίνος ἔγκοπον ποιήσετε ψυχήν μου;

v. 1. *Quousque laboriosam facietis animam meam?*

Ὥσπερ σώματα βαρέα ἐπιτιθέμενα ζώων σώμασιν, κάμνειν ποιεῖν τὰ βαστάζοντα· οὕτως εἰσί τινες λόγοι βαρεῖς, οὓς ἀκούσας τις κάμνει. ὡς ὑπὸ βάρους πιεζόμενος, τῆς δυνάμεως τῶν λόγων τῶν οὐ καλῶς, καὶ χαλεπῶς [4], ἢ ἐπὶ λοιδορίας εἰρημένων ὑπὸ τῶν ἄλλων δύο μετὰ Βαλδὰδ ἐληλυθότων οἱονεὶ φορτίου αἴσθησις [5] βαρέως, ὁ Ἰὼβ φησὶ καμὼν τῇ ψυχῇ ἐφ' οἷς εἰρήκασιν· ἕως τίνος ἔγκοπον ποιήσετε ψυχήν μου; καὶ μετ' ὀλίγον. Ὁρᾷς ὡς προγέγραπται ὁ Σαυχαίων τύραννος. τυραννικοὶ αὐτοῦ εἰσιν οἱ λόγοι, οὓς ἀκούσας ὁ Ἰὼβ, λέγει· ἕως τίνος ἔγκοπον ποιήσετε τὴν ψυχήν μου; οὐχ οὕτως καθικνεῖται ψυχῆς ἀνθρώπου ἄλλο τι, ὡς λόγος σκληρός. πολλάκις ὑπομείνας τὰς βασάνους σώματι προσφερομένας, λόγους οὐχ ὑπέμεινεν. ὁ μέντοι γε τέλειος ἀθλητής, εἰ καὶ κάμνων, ἀλλ' ὑπομένει τοὺς χαλεποὺς λόγους. ὕβριν γὰρ ὑπομένειν, μεγάλου ἀνδρός ἐστιν. διόπερ ἐν τοῖς ἀνδραγαθήμασιν ἑαυτοῦ ὁ ἀπόστολος λέγει· λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, δυσφημούμενοι παρακαλοῦμεν. ὥσπερ καθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. καὶ μετ' ὀλίγον φησὶ εἶτα, διὰ τὸ, ἕως τίνος ἔγκοπον ποιήσετε ψυχήν μου· ὁρᾷς; Ἰὼβ ἐστιν, οὗ καὶ τὸ βιβλίον οὐδὲν ἄλλο ἐξαιρέτως περιέχει, ἢ τὴν ἀνδρείαν αὐτοῦ καὶ τὴν ὑπομονήν. ἀλλ' ὅμως αἰσθάνεται τῶν καμάτων, ὧν κεκμήκει ἀπὸ τοῦ λόγου τοῦ σκληροῦ τῶν ἐληλυθότων αὐτὸν ἐπισκοπῆσαι.

Quemadmodum corpora gravia imposita animalium corporibus, gestantia defatigant: sic sunt quidam sermones graves, quos audiens quis fatigatur. Tamquam a sarcina oppressus, vi sermonum non male ac moleste, vel ad convicium dictorum ab aliis duobus, qui cum Baldado venerant, tamquam oneris sensu gravis, dicit Job defatigatus animo propter ea quæ dixerant: *Quousque laboriosam facietis animam meam?* Et post pauca: Vides quod descriptus fuerit Sauchæorum tyrannus. Tyrannici sunt ejus sermones, quos audiens Job ait: *Quousque laboriosam facietis animam meam?* Non ita afficit animam hominis aliud quid, ut sermo prædurus. Sæpe qui sustinuit tormenta corpori adhibita, sermones non sustinuit. Perfectus tamen hic athleta, etsi defatigatus, sustinet nihilominus molestos sermones. Contumeliam enim sufferre, magni est viri. Propterea in suis virtutibus apostolus recenset: *conviciis lacessiti, benedicimus; persecutionem patientes, tolleramus; blasphemiis proscissi, deprecamur. Tamquam purgamenta mundi effecti sumus, omnium peripsema usque modo* [c]. Et paullo post deinceps dicit, propter illud, *Usquequo laboriosam facietis animam meam?* Viden'? Job est: cujus etiam liber nihil aliud præcipue continet, quam robur & tollerantiam illius. Nihilominus sentit labores, quibus laboraverat propter durum sermonem eorum, qui venerant ad invisendum illum.

D E

a II. Cor. VI. 11. b Matth. V. 2. c I. Cor. IV. 12, 13.

1. Forte τὴν.
2. Nihil deinceps ex hoc Naniano codice descriptum inveni, nisi quædam in Venetis exstantia, quæ in eo quoque occurrere dicuntur.
3. Ex utroq. cod. Venet. Confer Rue II. 500. C.
4. Cod. XXI. ἀλλ' οὔτε ὀνειδιστικῶς καὶ χαλεπῶς.
5. Forte αἰσθόμενος.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

A

[1] Στιχ. γ'. Γνῶτε μόνον, ὅτι ὁ κύριος ἐποίησέ με οὕτως.

Α βλέπετε περὶ ἐμὲ, μὴ νομίσητε ἄλλοθεν ἐληλυθέναι μοι, ἢ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. φοβήθητε τοίνυν. ὁ γὰρ ἐμοὶ ταῦτα ἐπάγων, δύναται καὶ ὑμῖν ἐπαγαγεῖν.

Στιχ. γ'. Καταλαλεῖτέ μου. οὐκ αἰσχυνόμενοί με, ἐπίκεισθέ μοι.

[2] Πολλάκις καὶ καταλαλεῖ τις κακῶς ποιῶν. ὅτε ἂν δὲ οὐκ ἀπερυθριάσῃ, εἰς πρόσωπον λέγει ἐκείνῳ, οὐχὶ ἐλέγχων, οὐδὲ τ' ἀληθῆ λέγων, ἀλλ' ὀνειδίζων καὶ ὑβρίζων. τοῖς γὰρ ὑπὸ Θεοῦ τιμωρουμένοις ἐπεμβαίνειν οὐ χρὴ, ἀλλὰ θρηνεῖν καὶ φοβεῖσθαι.

B

[3] Στιχ. δ'. Ναὶ δὴ ἐπ' ἀληθείας ἐγὼ ἐπλανήθην, παρ' ἐμοὶ δὲ αὐλίζεται πλάνος, λαλῆσαι ῥῆμα, ὃ οὐκ ἔδει.

Εἶτά φησιν· καθ' ὑπόθεσιν ὑμῖν δίδωμι, ὡς ὑπολαμβάνεται, ὅτι διὰ τὰ ἁμαρτήματα ταῦτα πάσχω· ἆρ' οὖν ἐχρῆν ὑμᾶς οὕτω μοι ὀνειδίζειν; Παρ' ἐμοὶ δὲ αὐλίζεται πλάνος. εἰ καὶ καθ' ὑπόθεσιν τοιαῦτα ἐπεποιήκειν, οἷα οὐκ ἔδει· εἰ καὶ τοιοῦτος ἤμην, ἆρ' οὐκ ἐχρῆν ὑμᾶς βλέποντας μάστιγας, τοὺς ἰχῶρας, τοὺς σκώληκας, τὴν ἀπώλειαν τῶν ὑπαρχόντων, αἰδεσθῆναι; ἀλλὰ προσεπιβαίνετέ μοι μὴ ἐλεοῦντές με, μηδὲ συμπαθοῦντές μου τῇ περιστάσει.

C

[4] Στιχ. έ. Εα δὲ, ὅτι ἐπ' ἐμοὶ μεγαλύνεσθε, ἐνάλλεσθε δέ μοι ὀνείδει.

Οὐ μετρίως μοι ὀνειδίζετε, ἀλλ' ἐναλλόμενοι. ὡσπερεὶ ἐπιβαίνοντες καὶ καταπατοῦντές με ὀνειδίζετε.

[5] Στιχ. ς'. Οχύρωμα δὲ αὐτοῦ ἐπ' ἐμὲ ὕψωσεν.

D

Οἱονεὶ ὑπὸ τεῖχος τῆς περιστάσεώς εἰμι ὀχύρωμα, ὃ οὐ δύναμαι φεύγειν, ἕως οὐ κινεῖ ὁ Θεὸς καθελεῖν αὐτό.

Στιχ. ζ'. Ιδοὺ γελῶ ὀνείδει [6], καὶ οὐ λαλήσω.

Τοῦτό ἐστι τό· νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν.

Τοῦ αὐτοῦ. ἰδοὺ ἐπὶ τῷ ὀνείδει ὑμῶν γελᾶν, οὐ λαλεῖν νομίζομαι.

ΚΕΦ. Κ'.

[7] Στιχ. ς'. Εὰν ἀναβῇ εἰς οὐρανὸν αὐτοῦ τὰ δῶρα· ἡ δὲ θυσία αὐτοῦ νεφῶν ἅψηται.

E

Τοῦ ἀσεβοῦς ἐὰν ἀναβῇ τὰ δῶρα εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐὰν πάνυ ὑψωθῇ, ἐὰν ἡ θυσία αὐτοῦ νεφῶν ἅψηται. ὅτ' ἂν εὔξηται ὁ αἱρετικὸς, ὅτ' ἂν ἡ θυσία αὐτοῦ ἀναβῇ τῇ ὑψηγορίᾳ, ὅτ' ἂν δοκῇ κατεστηρίχθαι [8]. τότε εἰς τέλος ἀπολεῖται. ἡ γὰρ εὐχὴ αὐτοῦ, λογίζεται αὐτῷ εἰς ἁμαρτίαν, καὶ ἔστιν αὐτὴ ἡ εὐχὴ αὐτοῦ ἁμαρτία.

Στιχ. ζ'. Οτ' ἂν γὰρ δοκῇ ἤδη ἐστηρίχθαι, τότε εἰς τέλος ἀπολεῖται.

Ο῞μοιον, οἱ δὲ ἐχθροὶ τοῦ κυρίου ἅμα τῷ δοξα-

v. 3. *Agnoscite dumtaxat, quod Dominus fecit me sic.*

Quæ circa me cernitis, ne putaveritis aliunde evenisse mihi, quam a Deo. Metuite ergo. Qui enim mihi isthæc adducit, potest & vobis adducere.

v. 3. *Obloquimini de me: non reveriti me, incumbitis mihi.*

Sæpe & obloquitur quis perperam agens. Quando autem non erubescit, in faciem dicit illi, non evincens, neque vera loquens, sed conviciis utens & contumeliis. Non enim a Deo afflictis insultandum est, sed lamentandum potius & metuendum.

v. 4. *Næ sane in veritate ego aberravi, apud me autem degit erro: loqui verbum quod non oportebat.*

Deinde dicit ex hypothesi: Concedo vobis quod supponitis, me propter peccata hæc pati. An ergo oportebat vos me ita contumeliis exciperetis? *Apud me autem degit erro.* Et si per suppositionem hæc fecissem, quæ non erant facienda: etsi hujusmodi fuissem; an non oportebat vos intuentes flagella, tabum, vermes, bonorum amissionem, revereri? Verumtamen appetistis me non miserentes mei, neque compatientes meis calamitatibus.

v. 5. *Esto autem, quia contra me magnificamini, insultatis autem mihi contumelia.*

Non mediocriter mihi conviciamini, sed alii alios excipientes insultatis: tamquam irruentes & conculcantes me conviciamini.

v. 6. *Munitionem autem suam super me exaltavit.*

Tamquam sub murum calamitatis sum munitio, quam non possum evadere, donec judicet Deus diruere illam.

v. 7. *Ecce rideo convicio, & non loquar.*

Hoc illud est: *Vince in bono malum* [a].

Ejusdem. Ecce in convicio vestro ridere, non loqui arbitror.

Caput XX.

v. 6. *Si ascendant in cælum ejus dona; sacrificium autem illius nubes tangat.*

Impii si ascendant dona in cælum, si admodum eleventur, si sacrificium illius nubes tangat. Quandocumque oraverit hæreticus, quandocumque sacrificium illius ascenderit ex superbia, *quandocumque videatur fuisse confirmatus* [b] *tunc funditus interit. Oratio enim illius, reputatur ei in peccatum, & est ipsa oratio ejus in peccatum* [c].

v. 7. *Quandocumque enim videatur fuisse confirmatus, tunc in finem interit.*

Simile, *Inimici autem Domini simul atque glo-*

a Rom. XII. 21. *b* Ibid. ℣. 7. *c* Psalm. CVIII. 7.

1. Idem in utroque Cod.
2. Confer Rue.
3. Cod. uterque.
4. Cod. uterque.
Ejusdem. Sicut de Moyse scriptum est, quod *reverebatur aspicere contra Deum* [a], propter excessum splendoris ipsius: sic cogites velim, quod excessus erat Jobi profectus in sapientia; itaut qui ipsi auscultabant, non possent aciem intendere in fulgorem cogitatuum illius. Quod cum non possent, iccirco declinabant oculos suos, non valentes obsecundare profunditati cogitationis illius. Propterea dicit:

v. 11. *Oculus autem me videns declinabat.*

Aquila & Symmachus, *Testatus est de me*, ediderunt. Alii vero, *Oculus autem videns declinabat*: quod est, non valeat contradicere.

a Exod. III. 6.

1. Cod. xxi. διώδευσεν.
2. Unus Cod. tribuit Chrysostomo.
3. Deest in Cod. xxi. Similia apud Olymp.
4. Deest in xxi. Confer Rue.
5. Deest in uno. Initio legas τοιοῦτος.
6. Deest in Cod. xxi.
7. Forte νοήσαις, vel νοήσεις.
8. Forte βαθύτητι.
9. In Cod. xxi, Olymp.

* Id est, κατὰ βούτυρον, butyro.

A

[1] Στιχ. ιβ'. Διέσωσα γὰρ πτωχὸν ἐκ χειρὸς δυνάστου.

v. 12. *Salvavi enim pauperem de manu potentis.*

Ἴδωμεν αὐτοῦ τὰ ἀνδραγαθήματα, καὶ ἀπλώσωμεν. καὶ κατὰ τὸ ῥητὸν ἔχει λόγον τοῦτο, καὶ κατ' ἀναγωγὴν ἔχει πολλῷ μᾶλλον ἑρμηνείαν. κατὰ τὸ ῥητὸν, ὅση δύναμις ὀφείλομεν βοηθεῖν τοῖς πτωχοῖς, ὑπὸ τῶν δυνατῶν καταδυναστευομένοις.

Videamus illius fortia facta, & explicemus. Et ad literam hoc rationabiliter accipi potest, & multo magis anagogice explicari. Ad literam, pro viribus debemus opem ferre pauperibus, qui opprimuntur a potentibus.

Στιχ. ιε'. Ποῦς δὲ χωλῷ.

v. 15. *Pes autem claudo.*

Αὐτὸς ἐχαρίζετο καὶ τοῖς κεχωλωμένοις τὰς βάσεις, τῆς ψυχῆς πόδας, καὶ τῷ λόγῳ ἐγίνετο αὐτὸς αὐτῶν ποῦς.

Ipse largiebatur etiam claudicantibus bases, animae pedes: & sermone erat ipse pes illorum.

B

[2] Στιχ. ιϛ'. Δίκην δὲ ἣν οὐκ ᾔδειν ἐξιχνίασα.

v. 16. *Litem vero quam non noveram, investigavi.*

Διδάσκει ἡμᾶς πῶς δεῖ δικάζειν, ἐάν ποτε κληθῶμεν ἐπὶ δίαιταν ἀδελφῶν, ὥστε διαιτῆσαι τὰ κατ' αὐτούς.

Docet nos quomodo oporteat jus dicere, si quando vocemur ad arbitrium fratrum, quo judicemus negotia eorum.

Κ Ε Φ. ΛΒ'.

CAPUT XXXII.

Στιχ. α'. Καὶ ἐπαύσατο Ἰὼβ ῥήμασιν. ἡσύχασαν δὲ καὶ οἱ τρεῖς φίλοι αὐτοῦ ἔτι ἀντειπεῖν Ἰώβ. ἦν γὰρ Ἰὼβ δίκαιος ἐναντίον αὐτῶν.

v. 1. *Et cessavit Job verbis: quieverunt autem etiam tres amici ejus adbuc respendere Job. Erat enim Job justus coram illis.*

C

Οὐχ ἁπλῶς ἐπαύσατο. καρδία δὲ ἦν αὐτοῦ νοοῦσα τὰ θεῖα, οὐκ ἐπαύσατο. ἤδη γὰρ καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, καιρὸς τοῦ σιγᾶν καὶ καιρὸς τοῦ λαλεῖν. ὅτε οὖν καιρὸς τοῦ ἀποκρίνασθαι πρὸς τοὺς τρεῖς, ἔλεγεν· ὅτε ἦν καιρὸς, μετὰ τὸ ἐπιστομίσαι αὐτοὺς, ἐσίγησεν. καὶ οἶμαι ἐν ἐπαίνῳ λέγεσθαι τὸ, ἐπαύσατο ὁ Ἰώβ.

Non absolute cessavit. Cum enim cor haberet recogitans divina, non cessavit. *Jam enim tempus omni rei sub caelo: tempus tacendi & tempus loquendi* [a]. Quando igitur tempus erat respondendi tribis illis, loquebatur: quando fuit tempus, postquam obmutescere eos fecit, siluit. Ac puto ad encomium dici illud, *Cessavit Job*.

Στιχ. ζ'. Διὸ ἡσύχασα, φοβηθεὶς τοῦ ὑμῖν ἀναγγεῖλαι τὴν ἐμαυτοῦ ἐπιστήμην [3].

v. 7. *Propterea quievi, veritus ut vobis referrem scientiam meam.*

Ἐπιστήμην ἔχει, πῶς ἄνθρωποι πάσχουσιν, διατί ἄνθρωποι ἐν περιστάσεσί τισιν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ μόνῳ γίνονται, ὅτοι ἄδικοι ὄντες εὐτυχοῦσιν. ἴδον ἀδικοῦντας καὶ παρανομοῦντας, καὶ ἐμοῦ παρὰ μικρὸν ἐσαλεύθησαν οἱ πόδες. ἐὰν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ μόνον ἐνίδω, παρ' ὀλίγον ἐξεχύθη τὰ διαβήματά μου.

D

Scientiam habet, quomodo homines patiantur; cur homines in calamitatibus quibusdam in hac vita sola sint; quot injusti cum sint, feliciter fortunateque agant. *Vidi contra justitiam & legem agentes, & mei propemodum moti sunt pedes* [b]. Si in hac vita dumtaxat inspiciam, *propemodum effusi sunt gressus mei* [c].

Στιχ. ι'. Οὐχ οἱ πολυχρόνιοί εἰσιν σοφοί.

v. 10. *Non qui longaevi sunt sapientes.*

[4] Οὐ γὰρ ἀνάγκη φησὶν, τοὺς πρεσβύτας μόνους εἶναι σοφοὺς, ἀλλ' ἔστιν καὶ ἀπὸ νεότητος ἀκοῦσαί τι γενναῖον. εἰ γὰρ χρόνος ποιεῖ σοφοὺς, πολλῷ μᾶλλον Θεός.

Non enim necesse est inquit, ut senes soli sint sapientes; sed licet etiam ab juventute audire aliquid generosum. Si enim tempus sapientes facit, multo magis Deus.

Στ. ιη'. Ὀλέκει γάρ με τὸ πνεῦμα τῆς γαστρός.

v. 18. *Perdiderat enim me spiritus ventris.*

E

[5] Ὥσπερ τις ἔγκυος γίνεται, καὶ μορφωθέντος τοῦ γεννωμένου ἐν αὐτῷ [6], ἐπὶ ὠδῖνας ἔρχεται, μέχρις οὗ ἀπογεννήσει τοῦτο ὃ πρότερον συνείληφε. τοιοῦτόν τί μοι νόει γενέσθαι [7] καὶ ἐπὶ τῆς τοῦ φιλομαθοῦς ψυχῆς. συλλαμβάνει γὰρ τὸν λόγον ὃν ἀπαγγελλόμενον μορφοῖ καὶ τυποῖ αὐτὸν τῇ τάξει. ὅτ' ἂν δὲ μετὰ τὸ τυπῶσαι καὶ μορφῶσαι αὐτὸν ἕτοιμον γενόμενον, μὴ ὡς ἔκτρωμα ἀνέτοιμον καὶ ἀτελὲς παραδιδῷ, ἀλλ' ὡς πλεσφορηθὲν καὶ τετελειωμένον εἴποιμι ἄν.

Sicut quaedam gravida fit, & formato foetu in ipsa ad tormina venit, usque dum pariat quod prius conceperat. Tale quid tu mihi contigisse cogita, & in anima doctrinam diligentis. Concipit enim sermonem, quem enunciatum efformat & figurat ordine. Quando autem, postquam efformavit & figuravit eum edit; quia paratum, non tamquam abortivum imparatum ac imperfectum tradat, sed ut absolutum perfectumque, ego dixerim.

a Prov. III. 1. 7. b Psalm. LXXII. 2. c Ibid.

1. Deest in XXI.
2. Vide Olympiod.
3. Aquil. & Theod. γνῶσιν. Confer Rue.
4. Confer Olymp. & Rue.
5. Aliter in Rue.
6. Forte αὐτῇ.
7. In Cod. XXI. τοιοῦτόν μοι νόει γίνεσθαι.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

A

[1] Στιχ. ιθ'. Η δὲ γαστήρ μου ὥσπερ ἀσκὸς πλάνκος ζέων δεδεμένος.

Δοκεῖ μοι ἐντεῦθεν εἰρῆσθαι τὸ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· οὐδεὶς οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιοὺς βάλλει.

Στ. κ'. Λαλήσω ἵνα ἀναπαύσωμαι ἀνοίξας τὰ χείλη.

[2] Ο τυγχάνων συνετοῦ ἀκροατοῦ, καὶ ὢν πλήρης λόγων, λαλῶν ἀναπαύεται, καὶ λέγει· λαλήσω, ἵνα ἀναπαύσωμαι.

Στ. κβ'. Οὐ γὰρ ἐπίσαμαι θαυμάσαι πρόσωπον.

B

Οὐ γὰρ ἐπίσαμαι θαυμάσαι πρόσωπον. οὐκ ἔχω ταύτην τὴν ἐπιστήμην, ἵνα θαυμάσω πρόσωπον. ἀλλὰ καταφρονῶ ἀνθρώπων, καὶ τῆς παρ' αὐτοῖς αἰσχύνης βροτῶν, καὶ τῆς παρ' αὐτοῖς ἐντροπῆς.

Στ. κβ'. Εἰ δὲ μή, καὶ ἐμὲ σῆτες ἔδονται.

Ως τῶν σητῶν διεσθιόντων τοὺς λαμβάνοντας πρόσωπα ἀνθρώπων.

ΚΕΦ. ΛΕ'.

C

Στιχ. ς'. Εἰ ἥμαρτες, τί πράξεις;

Εὰν ἀναβλέψῃς εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ κατανοήσῃς τὰ νέφη, νοήσεις τί ἥμαρτες. τί σε πρᾶξαι δεῖ; προσέρχεσθαι τῷ ἀρχιερεῖ καὶ παρακαλεῖν, ἵνα ὁ ἀρχιερεὺς προσαγάγῃ θυσίαν περὶ σοῦ. ἐὰν γάρ τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτημάτων ἡμῶν.

Στιχ. ς'. Εἰ δὲ καὶ πολλὰ ἠνόμησας, τί δύνασαι ποιῆσαι;

D

[3] Τὸ τηλικοῦτον ποιήσεις· ἀναλώσεις σου τὰς πολλὰς ἀνομίας. διὰ τοῦτο ἐπὶ τοῖς ἀνιάτοις, οἷς ἑαυτοὺς ἰᾶσασθαι οὐ δυνάμεθα, ἦλθεν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν, ἵνα τὰ ἀνίατα ἰάσηται, καὶ γίνηται τό· μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἀπεκαλύφθησαν [4] αἱ ἁμαρτίαι.

Στ. ζ'. Επειδὴ οὖν δίκαιος εἶ· τί δώσεις αὐτῷ;

Ἀλλ' εἰ δίκαιος εἶ, ὡς πρὸς Θεὸν, τί ἔχεις δοῦναι κατὰ τὴν σὴν δικαιοσύνην;

[5] Εἰ δὲ καὶ ὡς λέγεις δίκαιος εἶ, τί προσθήσεις αὐτῷ;

E

Στ. ι. Ο κατατάσσων φυλακὰς νυκτερινάς.

[6] Εγκώμια τοῦ Θεοῦ, καὶ αἴνους καὶ ὕμνους αὐτοῦ διεξέρχεται. ὁ κατατάσσων φυλακὰς νυκτερινὰς αὐτὸς ὁ Θεός ἐστι.

[7] Θέλω ἰδεῖν, πῶς κατατάσσων ἐστὶν ὁ Θεὸς φυλακὰς νυκτερινάς. ὅλος ὁ αἰὼν οὗτος νύξ ἐστι, σκότος ἐστί· τὸ φῶς τηρεῖταί σοι. ὃ βλέπεις νῦν φῶς, δι' ἐσόπτρου βλέπεις· καὶ ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς. μέλλομέν ποτε βλέπειν αὐτό. οὐκοῦν νύξ ἐστι πᾶς ὁ αἰών. ἐπεὶ νύξ ἐστι, πόλεμοι [8] πολλοί, πολλὰ θηρία περιέρχεται.

v. 19. *Venter autem meus, tamquam uter musti, fervens ligatus.*

Videtur mihi hinc dictum illud in evangelio: *Nemo vinum novum in utres vetustos ponit* [a].

v. 20. *Loquar, ut requiescam cum aperuero labia.*

Cui contigit intelligentem habere auditorem, cum plenus sit sermonum, loquens requiescit, & dicit: loquar, ut requiescam.

v. 22. *Neque enim scio mirari personam.*

Neque enim scio mirari personam: non habeo hanc scientiam, ut personam admirer; sed homines contemno, & pudorem virorum apud ipsos, & verecundiam apud ipsos.

v. 22. *Si autem non; & me tineæ comedent.*

Ut si tineæ depascantur eos qui accipiunt personas hominum.

Caput XXXV.

v. 6. *Si peccasti, quid facies?*

Si respexeris in cælum, & consideraveris nubes, intelligesne quid peccaveris. Et quid te facere oportet? Accedendum est ad pontificem, & deprecandum, ut pontifex offerat victimam pro te. *Si quis enim peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris* [b].

v. 6. *Si autem & multa illegitima egisti, quid potes facere?*

Istud efficies: dissolves multas transgressiones tuas. Icciro propter insanabilia, a quibus nos sanare non possumus, venit Jesus Christus de cælis, ut insanabilia sanaret, fieretque illud: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum operta sunt peccata* [c].

v. 7. *Quoniam igitur justus es, quid dabis ei?*

At si justus es comparatione ad Deum, quid habes dare secundum justitiam tuam?

Quod si, ut ais, justus es; quid adjicies ei?

v. 10. *Qui disponit custodias nocturnas.*

Encomia Dei, & laudes, & commendationes ejus affert. *Qui disponit custodias nocturnas*, ipse Deus est.

Volo scire, quomodo Deus disponat custodias nocturnas. Totus hic mundus nox est, tenebræ est. Lux reservatur tibi. Quam vides nunc lucem, per speculum vides: *Et in lumine tuo videbimus lumen* [d]. Visuri sumus illud aliquando. Igitur nox est sæculum totum: quia nox est, inimici multi, feræ multæ circumcursant.

a Matth. IX. 17. b I. Joan. II. 1. 2. c Psalm. XXXI. 1. d Psalm. XXXV. 10.

1. Deest in uno Cod. Hinc hausit Olymp. Pro πλάκος, lege γλάκος.
2. Confer Rue.
3. Deest in Cod. XXI.
4. ἐπεκαλ.
5. In Cod. XXI. Olymp.
6. Deest in uno Cod. Confer Rue.
7. Ex Cod. XXI. In alio tribuitur Chrysostomo.
8. Forte πολέμιοι.

SECUL. III, CIRCA ANN. CHR. 230.

A

Στ. λβ'. Ὁ διορίζων με ἀπὸ τετραπόδων γῆς.

[1] Ἐὰν ᾖς ἁμαρτωλὸς, οὐ διωρίσθης ἀπὸ τῶν τετραπόδων γῆς. ἄνθρωπος γὰρ ἐν τιμῇ ὢν, οὐ συνῆκε, παρεσυνεβλήθη τοῖς κτήνεσι τοῖς ἀνοήτοις, καὶ ὡμοιώθη αὐτοῖς. ἐὰν ᾖς ἁμαρτωλὸς, οὐ διωρίσθης ἀπὸ τετραπόδων τῆς γῆς. ἀλλὰ λέγεταί σοι· μὴ γίνεσθε ὡς ἵππος καὶ ἡμίονος οἷς οὐκ ἔστι σύνεσις. καὶ μετ' ὀλίγα· ἐὰν ᾖς ἁμαρτωλὸς, ἐὰν ᾖς πόρνος, ἐὰν καταφερὴς, οὐ διορισθήσῃ ἀπὸ τῶν τετραπόδων. ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγεννήθησαν. διὰ τοῦτο θαῤῥῶν λέγει, ὅτι ἐχωρίσθη· ὁ διορίζων με ἀπὸ τετραπόδων γῆς.

v. 32. *Qui distinguit me a quadrupedibus terræ.*

Si sis peccator, non fuisti distinctus a quadrupedibus terræ [a]: *Homo enim cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, & assimilatus est ipsis.* Si sis peccator, non fuisti distinctus a quadrupedibus terræ, sed dicitur tibi: *Ne fueritis sicut equus & mulus, quibus non est intelligentia* [b]. Et post pauca. Si sis peccator, si sis fornicator, si præceps, non distingueris a quadrupedibus. *Equi luxuriosi nati sunt* [c]. Propterea audacter dicit, quia segregatus est; *qui distinguit me a quadrupedibus terræ.*

ΚΕΦ. Μ'.

CAPUT XL.

B

Στιχ. γ'. Μὴ, ἀλλὰ ζῶσαι ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφύν σου. δίδωμί σοι παῤῥησίαν. ἐγώ σε ἐρωτήσω· σὺ δέ μοι ἀπόκριναι.

v. 3. *Nequaquam, sed accinge, ut vir lumbum tuum. Do tibi loquendi veniam. Ego te interrogabo: tu autem mihi responde.*

[2] Ἤδη ἆθλον αὐτῷ δίδωσιν ὁ Θεός. ἄνθρωπον ἐρωτᾷ, ὅτι πυνθάνεται αὐτοῦ, ὅτι δίδωσιν ἐξουσίαν τῆς ἀποκρίσεως. εἰ μὴ ἦν νενικηκὼς, οὐκ ἐλάμβανεν. εἰ μὴ ἦν ὑπομείνας, οὐκ ἂν ἤκουσεν· ζῶσαι ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφύν σου, ἐρωτήσω δέ σε, σὺ δέ μοι ἀπόκριναι.

Τοῦ αὐτοῦ. Μὴ πρότερον ἀποκρινάσθω τις τῷ Θεῷ, ἐὰν μὴ γενόμενος ἀνὴρ, ζώσηται ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. ὅσον γὰρ ἡ ὀσφὺς αὐτοῦ οὐκ ἔζωσται, C ἀλλὰ λέλυται, καὶ οὐχὶ περιδέδεται, οὐδὲ συνέσφιγκται, οὐ δύναται εὐλόγως ἀποκρίνασθαι τῷ κυρίῳ.

Jam certamen ei dat Deus. Hominem interrogat, quia dignoscit illum, quia tribuit facultatem respondendi. Si non vicisset, utique non accepisset: si non tulisset patienter, non utique audivisset: *Accinge ut vir lumbum tuum; interrogabo autem te, tu vero mihi responde.*

Ejusdem. Ne prius respondeat quis Deo, nisi factus vir, succinxerit ut vir lumbum suum. Quatenus enim lumbus illius non est accinctus, sed dissolutus, nec circumcinctus, neque etiam constrictus fuit, non potest rationabiliter respondere Domino.

Στ. γ'. Ἐρωτήσω δέ σε· σὺ δέ μοι ἀποκρίθητι.

v. 3. *Interrogabo autem te: tu vero mihi responde.*

Τὰ μὲν τέλεια τῶν ἀγωνισμάτων τοῖς καλῶς ἀθλήσασι μετὰ τὸν βίον ἀπόκειται τοῦτον. οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ ἤδη ἡ χάρις ἡ τοῦ Θεοῦ ἀῤῥαβωνίζεται τοὺς ἀθλητάς. διὰ τοῦτο, ὅτε ἠγωνίσατο τὰ μέγιστα ὁ Ἰὼβ, ὅτε ἀποβαλὼν τὰ ὑπάρχοντα, ἐδόξασε τὸν δεδωκότα· ὅτε ἀποθέμενος τὰ τέκνα, ηὐχαρίστησεν τῷ παρειληφότι· ὅτε νοήσας ὡς σκώληκας ἀναγειν αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ σώματος, οὐ νενίκηται ἀπὸ τῶν πόνων. προοίμια καὶ ἀῤῥαβῶνα τῶν ἀθλητῶν δίδωσιν D αὐτῷ ὁ Θεὸς, χρηματίσας αὐτῷ διὰ λαίλαπος καὶ νεφῶν· ἀκούσας οὖν προτέρων λόγων, δέον ἀποκρίνασθαι πρὸς Θεὸν, σιωπᾷ, ὡς οὐκ ἔχων παῤῥησίαν ἀποκρίνασθαι πρὸς αὐτὸν. οὔπω γὰρ ᾔδει τὸ ὕστερον γεγραμμένον ὑπὸ Μωϋσέως, ὡς Μωϋσῆς ἐλάλει ὁ δὲ Θεὸς ἀπεκρίνατο αὐτῷ φωνῇ. ὡς μὴ ἐπιστάμενος τοίνυν τοῦτο, οὐ θέλει ἀποκρίνασθαι πρὸς τὸν Θεόν, ὁ δὲ Θεὸς δίδωσιν αὐτῷ παῤῥησίαν τοῦ λαλεῖν. καὶ μεθ' ἕτερα. τοσαύτη ἐστὶν ἡ χρηστότης τοῦ Θεοῦ, ὥστε ἀναλαβεῖν αὐτὸν πρόσωπον οὐ κρίνοντος, ἀλλὰ κρινομένου μετὰ τοῦ ἀνθρώπου. καὶ πολλαὶ τοῦτο ἐδίδαξαν γραφαί, δεῦτε, καὶ διαλεχθῶμεν, λέγει κύριος, καὶ λαός μου, μᾶλλον δὲ ὁ Θεὸς μετὰ τοῦ λαοῦ διαλεχθήσεται· λαός μου E τί ἐποίησά σοι, ἢ τί παρηνώχλησά σοι; ἀποκρίθητί μοι, καὶ τὰ ἑξῆς.

Perfecta certaminum præmia iis qui bene certaverunt post hanc vitam reservata sunt. Nihilo tamen minus jam etiam gratia Dei quasi arrham præbet athletis. Propterea quando maxima certamina sustinuit Job; quando amittens facultates datorem laudavit; quando amissis liberis gratias egit ei qui abstulerat; quando animadvertens quasi vermes succrescere de corpore ejus, non fuit victus a laboribus; primitias quasdam & arrham certantium dedit ei Deus, alloquutus eum per turbinem & nubes. Cum igitur priores sermones audisset, cum oporteret respondere Deo, silet, quasi facultatem non habens loquendi cum illo. Nondum enim norat, quod postea scriptum est a Moyse: *Moyses loquebatur, Deus vero respondebat ei voce* [d]. Tamquam igitur qui hoc nesciret, non vult respondere Deo. At Deus tribuit ei loquendi veniam. *Et post alia.* Tanta est Dei benignitas, ut induat personam non judicantis, sed caussam dicentis cum homine, idque multæ scripturæ docuerunt. *Venite, & disputemus, dicit Dominus* [e]. Et, *Popule meus,* atque adeo Deus cum populo disputabit, *popule meus, quid feci tibi, aut quid conturbavi tibi? responde mihi,* & cetera [f].

Στ. γ'. Μὴ ἀποποιοῦ μου τὸ κρίμα.

[3] Μὴ ἀποποιοῦ μου τοῦτο τὸ κρίμα. τούτου τοῦ ῥητοῦ ὡς χρησίμου μνημονεύσωμεν. ἀλλ' ὅτ' ἂν κρίνῃ ὁ Θεὸς παθεῖν τι ἡμᾶς, τέκνον ἀποβαλεῖν, ἄρχοντα ἀπολέσθαι, νοσῆσαι κατὰ τὸ σῶμα, ὅ, τι δή ποτε τοιοῦτον ὑπομεῖναι· οὐδὲν τούτων οἷόν τέ ἐστιν ἡμᾶς παθεῖν, μὴ κρίνοντος τοῦ Θεοῦ. οὐδὲ γὰρ στρου-

v. 3. *Ne repudies judicium meum.*

Ne repudies hoc judicium meum. Hujus dicti tamquam utilis meminerimus. At quando judicat Deus ut aliquid patiamur, ut filium amittamus, ut princeps intereat, ut corpore ægrotemus, aut quodcumque aliud hujusmodi sustineamus: fieri non potest ut quippiam horum nos patiamur, Deo non

a Psalm. XLVIII. 13. 21. b Psalm. XXXI. 9. c Jerem. V. 8. d Exod. XIX. 19. e Isai. I. 18. f Mich. VI. 3.

1. Confer Rue. 2. Confer Olympiod. 3. Confer eumdem Olympiod.

θίον πίπτει εἰς παγίδα ἄνευ βουλήματος τοῦ πατρὸς, τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἐπεὶ οὖν οὐδὲν τούτων γίνεται χωρὶς κρίματος τοῦ Θεοῦ, λέγεται πρὸς τὸν παθόντα· μὴ ἀποποιοῦ μου τὸ κρίμα, μὴ ἀπάρνῃ [1], ὅτι ἔκρινα περὶ σοῦ.

A judicante. Neque enim avicula cadit in laqueum sine voluntate patris, qui in cælis est. Quia igitur nihil horum fit sine judicio Dei, dicitur ad eum qui patitur talia: *Ne repudies judicium meum*, hoc est, ne negaveris me de te judicasse.

Στ. γ'. Οἴει δέ με ἄλλως σοι κεχρηματικέναι, ἢ ἵνα ἀναφανῇς δίκαιος;

v. 3. *Arbitraris vero, me aliter tibi respondisse, quam ut appareas justus?*

Ἀπολογοῦμαί σοι. δίκαιος ἦς, ἀλλ᾽ οὐκ ἦς φανερός. ὑπομονὴν εἶχες· ἔδει με ἀφορμὴν παρασχεῖν τοῦ λάμψαι σου τὴν ὑπομονήν. εἶχες ἀνδρείαν. ἀλλ᾽ ἐκέκρυπτο ἐν σοί. οἱ συμβεβηκότες πόνοι ἔδειξάν σου τὴν ἀνδρείαν. καὶ μετ᾽ ὀλίγα. μνημονεύωμεν τούτων ἐν τοῖς τῶν περιστάσεων καιροῖς, καὶ δόξωμεν τοῦ Θεοῦ ἀκούειν παρόντος, καὶ λέγοντος ἡμῖν· οἴῃ δέ με ἄλλως σοι κεχρηματικέναι, ἢ ἵνα ἀναφανῇς δίκαιος; μὴ ἀναφανῶμεν ἄδικοι, μηδὲ ἀσεβεῖς.

Apologiam tui facio. Justus es, at non es manifestus. Patienter tulisti. Oportebat me ansam præbere, quo tua patientia fulgeret. Habuisti fortitudinem: sed in te occultabatur. Qui tibi obvenerunt labores, ostenderunt fortitudinem suam. *Et post*
B *pauca*. Meminerimus horum tempore calamitatum, videmiburque audire Deum præsentem atque dicentem nobis: *Arbitraris vero, me aliter tibi respondisse, quam ut justus appareas?* Non appareamus injusti, neque impii.

Στ. ε'. Ἀνάλαβε δὴ ὕψος, καὶ δύναμιν.

v. 5. *Assume sane celsitudinem & vim.*

Στεφάνωσαι, ἔνδυσαι δόξαν, ἔνδυσαι τιμήν.

Cinge te corona, indue gloriam, indue honorem.

Στ. ς'. Ἀπόστειλον δὲ ἀγγέλους ὀργῇ. πάντα δὲ ὑβριστὴν ταπείνωσον.
Στ. ζ'. Ὑπερήφανον δὲ σβέσον.

v. 6. *Mitte autem angelos ira: omnem vero contumeliosum humilia.*
v. 7. *Superbientem vero exstingue.*

Ὁ ὑβριστὴς ἐστρατεύσατο κατὰ σοῦ· εἶπέν μοί ποτε ὁ ὑβριστὴς, ἀπόστειλον τὴν χεῖρά σου. εἶπέν μοι, ἅψαι πάντων ὧν ἔχει. εἶπέν μοι περὶ σοῦ, ὡς ἄρα εἰς πρόσωπόν με εὐλογήσεις· ἀλλ᾽ οὖν γε νενίκηκας. διὰ τοῦτό σοι λέγω, θάρρει. πᾶν δὲ ὑβριστὴν ταπείνωσον, καὶ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ ταπείνωσον. ὑπερήφανος ἐκεῖνος γεγένηται κατὰ σοῦ. ἀλλὰ σὺ ὑπερήφανον σβέσον. ἀσεβὴς ἐκεῖνος κατὰ σοῦ· ἀλλὰ σὺ σῆψον ἀσεβεῖς παραχρῆμα.

C Contumeliosus militavit contra te. Dixit mihi aliquando contumeliosus, *Mitte manum tuam* [a]: dixit mihi, *Tange omnia quæ habet* [b]: dixit mihi de te, quod utique *in faciem benedices me* [c]. At enim vicisti. Propterea dico tibi. Macte esto: omnino vero contumeliosum humilia, & angelos ejus humilia. Ille contra te superbus fuit: at tu superbum exstingue. Impius ille contra te: at tu fulmina impios actutum.

Στ. η'. Τὰ δὲ πρόσωπα αὐτῶν ἀτιμίας πλήρωσον.

v. 8. *Facies autem ipsorum ignominia repleto.*

Ἔλεγξον ἁμαρτωλοὺς, δεικνὺς αὐτοὺς ἁμαρτωλούς. πλήρωσον τὰ πρόσωπα αὐτῶν ἀτιμίας διὰ τοῦ ἐλέγχου τοῦ ἐν σοί.

Evince eos esse peccatores, eos peccatores ostendens. Repleto facies eorum ignominia, propter re-
D dargutionem quæ est in te.

Στ. ι'. Ἀλλὰ δὴ ἰδοὺ θηρία παρὰ σοί· χόρτον ἴσα βουσὶν ἐσθίει.

v. 10. *Sedenim ecce feras apud te. Fœnum perinde atque boves comedunt.*

Θηρία, αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις εἰσὶν, περὶ ὧν ηὔξατο ὁ προφήτης λέγων· μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις τὴν ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι. θηρία εἰσὶν αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις, ὧν εἴληφας, ὦ ἄνθρωπε, τὴν ἐξουσίαν. ἐὰν Θεῷ δουλεύσῃς, ἐπ᾽ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ.

Feræ, sunt contrariæ virtutes, pro quibus oravit propheta dicens: *Ne tradas feris animam confitentem tibi* [d]. Bestiæ, sunt contrariæ virtutes, quorum accepisti, o homo, potestatem. Si Deo servieris, *super aspidem & basiliscum ascendes* [e].

Στ. ι'. Ἀλλὰ δὴ ἰδοὺ θηρία παρὰ σοί.

v. 10. *Sedenim ecce bestias apud te.*

Τοῦ αὐτοῦ. Παρὰ σοὶ τῷ Ἰὼβ, παρὰ παντὶ ὑπομνητικῷ, παρὰ παντὶ τῷ νενικηκότι.

E *Ejusdem*. Apud te Jobum, apud omnem memorem, apud omnem victorem.

Στ. ι'. Χόρτον ἴσα βουσὶν ἐσθίει.

v. 10. *Fœnum perinde atque boves comedunt.*

Τοὺς σκώληκας λέγει, τοὺς ἐξ αὐτοῦ αὐτὸν κατεσθίοντας. συντέλεια γάρ φησι, τὴν χεῖρά μου ὑπὸ σοῦ· καὶ ἰδοὺ ὡς χόρτος [2] κατεσθίει.

De vermibus loquitur, qui ex ipso orti ipsum comedebant. *Perfectio enim*, inquit, * *manum meam a te, & ecce ut fœnum devorat*.

Στ. ια'. Ἡ δὲ δύναμις αὐτοῦ ἐπ᾽ ὀμφαλοῦ γαστρός.

v. 11. *Vis autem ejus in umbilico ventris.*

[3] Αὕτη πρώτη δύναμις κατὰ τοῦ ἀνδρός· πόρνον ποιεῖν ἐντεῦθεν ἄρχεται·

Hæc prima vis contra hominem. Hinc fornicarium facere incipit.

a Job. I. 11. 12. b Ibid. c Ibid. d Psalm. LXXIII. 19. e Psalm. XC. 13.

1. Forte ἀπαρνοῦ, vel ἀπαρνήσῃ. 2. Forte χόρτον. 3. Deest in Cod. XXI. Confer Olymp. * Stelletta senza nota.

SAECUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

Τοῦ αὐτοῦ. Ἵνα τὸ θῆλυ σημάνῃ, ἵνα δείξῃ, ὅτι στρατεύεται οὐ μόνον κατὰ τῶν ἐχόντων τὰ σπέρματα, πάνυ δὲ ἀπρεπέστατα ὠνόμασεν ὀσφὺν ἐπὶ ἄῤῥενος, καὶ ὀμφαλὸν γαστρὸς ἐπὶ γυναικός. ἰδοὺ δὴ ἡ ἰσχὺς, ὀσφὺς αὐτοῦ ἐν ἰσχύϊ· ἡ δὲ δύναμις αὐτοῦ ἐπ' ὀμφαλοῦ γαστρός. A

Ejusdem. Ut mulierem indigitet: ut ostendat, quod non militat solum contra habentes spermata, Congruentissime vero nominavit lumbum loquens de homine, & umbilicum ventris de foemina: *Ecce sane potentia, lumbus ejus in potentia: vis autem ejus in umbilico ventris* [a].

Στιχ. κε'. Μεριτεύονται δὲ αὐτὸ Φοινίκων ἔθνη.

v. 25. *Partiuntur autem illum Phoenicum gentes.*

[1] Ἐπεὶ πονηρίᾳ μεγάλῃ διαβάλλονται οἱ Χαναναῖοι, οἱ καὶ Φοίνικες· διὰ τοῦτό φησιν, μεριοῦνται δὲ αὐτὸν Φοινίκων ἔθνη. ἕκαστος μέρος τι λαμβάνει ἀπὸ τοῦ δράκοντος ἐὰν ᾖ τὸ γένος Χαναναῖος καὶ Φοίνιξ. B

Quia pravitate magna traducuntur Chananaei qui & Phoenices, propterea dicit: *Partientur autem illum Phoenicum gentes.* Quisque partem aliquam accipit a dracone, si sit genere Chananaeus & Phoenix.

Στιχ. κς'. Πᾶν δὲ πλωτὸν συνελθὸν, οὐ μὴ ἐνέγκωσι βύρσαν μίαν οὐρᾶς αὐτοῦ.

v. 26. *Omne autem navigabile conveniens, nequaquam ferant corium unum caudae illius.*

[2] Τὰ πλάτεα τοῦ δράκοντος καὶ τὰ ἔσχατα οὐ δύνανται νεκρῶσαι πάντα ἅμα πλωτά. οἱ ἄνθρωποι πλοίοις χρώμενοι τοῖς σώμασιν, οὐ δύνανται ἐνεγκεῖν βύρσαν μίαν οὐρᾶς αὐτοῦ. αὐτοὶ καθ' ἑαυτοὺς οὐ δύνανται, θείας δὲ δυνάμεως ἐπισκοπούσης, δυνάμεθα οὐ μόνον βύρσαν μίαν οὐρᾶς αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ ὅλον αὐτὸν κομίσαι, καὶ ὅλον αὐτὸν νεκρῶσαι. νεκροῦμεν δὲ ἕκαστος, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, τὸν διάβολον, κατὰ τὸ εἰρημένον παρὰ τῷ ἀποστόλῳ· ὁ δὲ Θεὸς συντρίψαι τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει. C

Extrema supremaque draconis non possunt mortificare omnia simul navigabilia. Homines utentes corporibus ceu navigiis, nequeunt ferre corium unum caudae illius. Ipsi per se nequeunt: at divina favente virtute, possumus non solum corium unum caudae illius, sed & totum ipsum portare, & totum ipsum mortificare. Mortificamus autem quisque, quantum in se est, diabolum, juxta quod apud apostolum dicitur: *Deus autem conterat satanam sub pedes vestros in celeritate* [b].

ΚΕΦ. ΜΑ'.

CAPUT XLI.

Στιχ. δ'. Τίς ἀποκαλύψει πρόσωπον ἐνδύσεως αὐτοῦ;

v. 4. *Quis reteget faciem indumenti ejus?*

Διατί οὐκ εἶπεν· τίς ἀποκαλύψει πρόσωπον αὐτοῦ; τί ποιεῖ ἐνθάδε καὶ ἡ ἔνδυσις; Τίς γὰρ ἀποκαλύψει, φησὶν, πρόσωπον ἐνδύσεως αὐτοῦ; ἵνα νοηθῇ τὸ λεγόμενον, παραδείγματι χρησώμεθα τῶν περιτιθεμένων προσωπείων, καὶ μὴ φαινομένων τοῦτο ὅ εἰσιν, ἀλλὰ θέλουσι δοκεῖν. ἀναλαμβάνουσι γὰρ προσωπεῖα, φέρε εἰπεῖν, οὗτοι ἐν ταῖς θυμέλαις ὑποκριταὶ, ποτὲ μὲν ἡγουμένων, ποτὲ δὲ ἄλλων βασιλέων, ποτὲ δὲ γυναικῶν. καὶ τὸ μὲν ἴδιον αὐτῶν πρόσωπον ἀποκέκρυπται, καὶ ὃ εἰσιν οὐ φαίνονται, ὃ δὲ δοκοῦσιν, βλέπονται. τοιοῦτός ἐστιν ὁ δράκων. οὐδέποτε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ δείκνυσιν· ἀλλὰ εἰ [3] πρόσωπον λαβὼν εἰς ἀπάτην τῶν ἀνθρώπων, ἐκείνο [4] χρῆται. καὶ ἔχειγε ὁ ἐχθρὸς οὗτος πολλὰ προσωπεῖα, καὶ καθ' ἑκάστην κακίαν πρόσωπον λαμβάνει ἀρετῆς. καὶ μετ' ὀλίγα εἰς τὸ ἑξῆς. D

Cur non dixit, Quis reteget faciem ejus? Quid facit heic & indumentum? *quis enim reteget*, ait, *faciem indumenti ejus?* Ut quod dicitur intelligatur, utamur exemplo larvarum quas induunt, nec comparent quod sunt, sed quod videri volunt. Assumunt enim larvas generatim ii qui in scenis personam aliquam simulant, aliquando ducum, alias aliorum regum, nonnumquam mulierum. Ac propria quidem eorum facies occultatur, & quod sunt non comparent; quod vero videri volunt, cernuntur. Talis est & draco. Numquam faciem suam ostendit: sed larvam assumens ad decipiendos homines, illa utitur. Habet porro adversarius iste larvas multas, & ad quolibet vitium larvam virtutis assumit. *Et post pauca in id quod sequitur.*

Τὰ ὑπόλοιπα τοῦ προγραφέντος στίχου.

Reliquum praescripti versus,

[5] Τὸ πρόσωπον ὃ ἐνεδύσατο τίς ἱκανὸς ἐλέγξαι; τίς ἱκανὸς ἀποκαλύψαι καὶ λῆξαι [6] ὅ,τι ἔνδον δράκων ἐστίν; τοιοῦτοί εἰσί τινες καὶ ἄλλοι μαθηταὶ αὐτοῦ, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔνδοθεν δὲ εἰσι λύκοι ἅρπαγες. E

Larvam quam induit, quis evincere possit? Quis possit detegere ac ostendere quid draco intus sit? Tales sunt & reliqui discipuli ejus, *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces* [c].

Στιχ. δ'. Εἰς δὲ πτύξιν θώρακος αὐτοῦ τίς ἂν εἰσέλθοι;

v. 4. *In plicam vero thoracis ejus quis ingredi queat?*

Ὁρᾷς; θώραξ οὗτος ὀνομάζεται, καὶ στῆθος· καὶ θώραξ, ὅπου ἐστὶν τὸ ἡγεμονικόν. οὐχ ἁπλοῦς ἐστιν ὁ θώραξ αὐτοῦ. οὐδὲν ἔχει ἁπλοῦν. δόλιός ἐστιν, ἐπτυγμένος ἐστίν. εἰς οὖν τὴν πτύξιν θώρακος αὐτοῦ τίς ἂν εἰσέλθοι; ἅγιος δὲ ἐλέγχειν αὐτὸν δύναται, καὶ δεῖξαι, ὅτι ἔπτυκται αὐτοῦ ὁ θώραξ, τοῦ δὲ ἁγίου οὐκ ἔπτυκται.

Vides? thorax iste nominatur, & pectus: & thorax ubi est moderatrix animae facultas. Haud simplex est thorax illius. Nihil habet simplex. Dolosus est, plicatus est. *In plicam* igitur *thoracis ejus quis ingredi queat?* Sanctus arguere eum potest, atque ostendere plicatum esse thoracem ejus, sancti vero non esse plicatum.

a Heic ℣. 11. b Rom. XVI. 20. c Matth. VII. 15.

1. Confer Olymp.
2. Deest in Cod. XXI. Heic quoque confer Olymp.
3. ἀλλ' ἀεί.
4. ἐκείνῳ.
5. Heic & infra confer Olymp.
6. δεῖξαι.

A

Στιχ. έ. Πύλας προσώπε αὐτῦ τίς ἀνοίξει;

Κρύπτει τὰ ἔνδον ἀποκείμενα. τίς οὖν ἀνοίξει τὰς πύλας τῦ προσώπε αὐτῦ; τίς ὗτός ἐστιν, ὥστε ἐλέγξαι καὶ δεῖξαι ὅσον δόλον, ὅσον ἰὸν, ὅσα κακὰ ἔχει ἀποκείμενα;

v. 5. *Portas faciei ejus quis aperiet?*

Occultat quæ intus reposita sunt. *Quis ergo aperiet portas faciei ejus?* Quis iste est, ut arguat & ostendat, quantam fraudem, quantum venenum, quanta mala habeat recondita?

Στιχ. έ. Κύκλῳ ὀδόντων αὐτῦ φόβος.

Περὶ ὧν λέγεται, ὀδόντας ἁμαρτωλῶν συνέτριψας. καὶ, κύριος συντρίψει τὰς μύλας τῶν λεόντων. ὐκ ἔστιν ὗτος ὁ φόβος τῦ Θεῦ. ἀλλ' ὁ φόβος, ὁ κύκλῳ τῶν ὀδόντων αὐτῦ. ἀλλ' ἐὰν ἔχῃς τὸν Χριστὸν ἐν σεαυτῷ, μὴ φρόντιζε τύτυ τῦ φόβυ. κύριον γὰρ τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ πλὴν αὐτοῦ μὴ φοβοῦ τὸν ἄλλον.

v. 5. *Circa dentes ejus timor.*

De quibus dicitur: *Dentes peccatorum contrivisti* [a]. Et, *Dominus conteret molas leonum* [b]. Non est iste timor Dei: sed *timor circa dentes ejus*. At si habueris Christum in teipso, ne curam geras il-
B lius timoris: *Dominum enim Deum tuum timebis: ac præter ipsum ne timeas alium* [c].

Στιχ. ς'. Τὰ ἔγκατα αὐτῦ, ἀσπίδες χαλκαῖ.

Τὰ δόγματα, τὰ νοήματα, τὰ ἀποκεκρυμμένα. πάντα ἰὸς ἀσπίδων ἐστὶ, πάντα τὰ ἔνδον αὐτῦ· καὶ ἀσπίδες εἰσὶν, ὐχ ἁπαλοί τινες, ἀλλὰ σκληραί. ἀσπίδες γάρ εἰσι σκληραί.

v. 6. *Interiora ejus aspides æreæ.*

Documenta, cogitata occulta: Omnia venenum aspidum sunt, universa quæ sunt intra illum. Et aspides sunt, non molles quædam, sed prædurae. Prædurae enim sunt aspides.

Στιχ. ί. Ἐκ στόματος αὐτῦ.

Αἱ βλασφημίαι, καὶ οἱ λόγοι τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀθέων διδασκάλων.

v. 10. *Ex ore ejus.*

Blasphemiæ, & sermones impiorum, atque irre-
C ligiosorum doctorum.

Στιχ. ί. Ἐκ στόματος αὐτῦ ἐκπορεύονται λαμπάδες καιόμεναι, καὶ διαρριπτῦνται ἐσχάραι πυρός.

[1] Οἶμαι μὲν καὶ πάντας τὺς ἀσεβεῖς ἀθέων δογμάτων εἰσηγητὰς, κυρίως ἂν εἶναι μέλη τῦ δράκοντος. καὶ τῶν μελῶν τῦ δράκοντος ὀνόματα εἰ θέλεις ἀκῦσαι, ποῖοί εἰσιν ὗτοι; τὸ στόμα τῦ δράκοντος εἴη δ' ἄν τι καὶ τροπικῶς νοόμενον, καὶ παρὰ τῦτο ὅθεν οἱ λόγοι οἱ ἀπολλύντες [ἐκ στόματος γὰρ αὐτοῦ λαμπάδες ἀπολλύονται πυρός.] ὅτι ἐκ στόματος αὐτῦ ἐσχάραι ἀπολλύονται πυρός. εἴ ποτε ἤκυσα τοῦ κατηγορῦντος λόγυ, προφάσει χριστιανισμῦ, κατηγορῦντος τοῦ δημιυργῦ, φέρε εἰπεῖν, πρεσβεύοντος τὰ Μαρκίωνος, πρεσβεύοντος τὰ Οὐαλεντίνυ, καὶ τὰ Βασιλείδυ. ὅτ' ἂν κακῶς λέγωσιν τὸν ποιητὴν ὐρανῦ καὶ γῆς, ὅτ' ἂν λέγωσιν αὐτὸν μὴ εἶναι, μηδὲ πνευματικῆς ὐσίας, ὁποῖά φασιν ὗτοι· ὄψῃ ἐκ στόματος τῶν τοιύτων ἐξέρχονται λαμπάδες καιόμεναι, καὶ διαρριπτῦνται ἐσχάραι πυρός. διὰ τῦτο ἡμεῖς εἰδότες, τηρῶμεν ἑαυτοὺς, μή ποτε ἐκεῖναι αἱ λαμπάδες ἡμᾶς καύσωσιν, μήποτε αἱ ἐσχάραι τοῦ πυρὸς ἡμῶν ἅψωνται.

v. 10. *Ex ore ejus procedunt lampades ardentes, & evibrantur foci ignis.*

Arbitror equidem universos etiam impios irreligiosorum dogmatum doctores, proprie esse draconis membra: ac membrorum draconis nomina, si vis audire, quales sunt isti. Os draconis possit & tropice intelligi præterea id, unde sunt sermones perniciosi. *Ex ore enim ejus lampades dispereunt ignis.* (*Quia ex ore ejus foci dispereunt ignis.*) Si quando audivi calumniantem sermonem prætextu christianismi, calumniantem Creatorem,
D vel ut verbo dicam, profitentem placita Marcionis, Valentini, Basilidis: quandocumque obloquantur de conditore cæli & terræ: quandocumque dicant ipsum non exsistere, nec essentiam spiritualem habere, ut isti dicunt: videbis ex ore talium procedere lampades ardentes, & evibrari focos ignis. Propterea nos scientes hæc, custodiamus nosipsos, ne umquam lampades illæ nos exurant, ne umquam foci ignis nos attingant.

Στιχ. ιγ'. Ἐν δὲ τραχήλῳ αὐτῦ αὐλίζεται δύναμις.

Ἔστι τις δύναμις πονηρά. ἀλλ' ἡ ἀσθένεια, ἣν ἀνέλαβεν δι' ἐμὲ ὁ σωτήρ μυ καὶ κύριος ἥτις λέγεται ἀσθένεια Θεῦ, ἐνίκησεν ἐκείνης τὴν δύναμιν. τὸ γὰρ ἀσθενὲς τῦ Θεῦ, ὁ μὲν ἀπόστολος λέγει, ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων, ἐγὼ δὲ ἂν εἴποιμι ἰσχυρότερον τῆς δυνάμεως τῦ δράκοντος.

v. 13. *In collo autem ejus degit vis.*

Est quædam vis mala. At infirmitas, quam as-
E sumsit propter me salvator meus & Dominus, quæ dicitur infirmitas Dei, superavit vim illius. *Infirmum enim Dei*, inquit quidem apostolus, *fortius est hominibus* [d]: ego etiam dixerim fortius vi draconis.

Στ. ιδ'. Σάρκες δὲ σώματος αὐτοῦ κεκόλληνται.

Ἐδύνατο εἰρηκέναι, σάρκες δὲ σώματος ἥνωνται. ὁ δὲ ὐκ εἶπεν. ὐ γὰρ ἥνωνται, ὐκ ἔστιν. τὸ ἓν παρ' ἐκείνῳ, πολλά ἐστιν. ἢ ἓν δοκῦντα κεκολλῆσθαι, διὰ τοῦ λέγοντος κεκόλληνται, ὐχ ἥνωνται.

v. 14. *Carnes autem corporis ejus, adhæserunt.*

Poterat dicere, Carnes autem corporis unitæ sunt: at hoc non dixit. Non enim unitæ sunt; non [illegible] est. Unum apud illum multa sunt: vel unum sunt, quæ videntur adhæsisse; propterea quod dicit *adhæserunt*, non *unitæ sunt*.

a Psalm. III. 8. b Psalm. [illegible] c Deut. VI. 13. d I. Cor. I. 25.

1. Confer edita.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

A

Στ. ιέ. Η' καρδία αὐτοῦ πέπηγεν ὡς λίθος, ἕστηκεν δὲ ὥσπερ ἄκμων ἀνήλατος.

v. 15. *Cor ejus concrevit ut lapis: stetit autem sicut incus indomita.*

Οὐκ ἐλαυνόμενος, οὐκ ἀκολουθῶν λόγῳ οἰκεῖοι [1] δὲ σκληρός ἐστιν ἀνήλατος, ἀνένδοτος. καὶ εἴ τις ἀπὸ διαβόλου ἀπέσπασε δύναμιν, καὶ τούτου τοῦ δράκοντος, αὐτὸς ἔχει τὴν καρδίαν ἀνήλατον, καὶ οὐχ ἐλαυνομένην. εἰ δέ τις χρυσός ἐστιν, ἀκολουθῶν τῷ λόγῳ χρυσοκῷ [2]. οὕτως εἴκει, ἕως ἂν γένηται πέταλον χρυσοῦν, καὶ δέξηται τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων τοῦ Θεοῦ, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Non exercitatus, non obsequens verbo. Proprie autem prædurus, indomitus est, non cedens. Ac si quis a diabolo in se derivavit vim, atque ab hoc dracone: hic habet cor indomitum, & non exercitum. Si quis autem aurum est, obsequens verbo quod veluti aurum conflat: is ita cedit, donec fiat lamina aurea, & suscipiat formas literarum Dei in Christo Jesu; cui gloria in sæcula, amen.

B

ΚΕΦ. ΜΒ'.

Caput XLII.

Στ. ί. Εδωκεν δὲ ὁ κύριος διπλᾶ, ὅσα ἦν ἔμπροσθεν Ἰὼβ εἰς διπλασιασμόν.

v. 10. *Dedit vero Dominus duplicia, quotquot erant antea Jobo in duplicationem.*

[3] Ο' γενναῖος ἀθλητὴς, καὶ πάντα πειρασμὸν ὑποστὰς, ἀνδρειότητος Ἰὼβ, ἆθλα λαμβάνει τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ, ὡς ἡ γραφή φησιν· πάντα διπλᾶ παρὰ τὰ πρότερα. ὁ δὲ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἆθλα δίδωσιν οὐχὶ διπλασίονα, ἀλλ' ἑκατονταπλασίονα. φησὶν γάρ· ὃς ἐὰν καταλείπῃ πατέρα ἢ μητέρα, οἰκίαν, ἀδελφοὺς, ἀδελφὰς ἕνεκεν ἐμοῦ, ἢ ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου, ὡς ἐν τῷ κατὰ Μάρκον γέγραπται, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν C αἰώνιον κληρονομήσει. οὐκ ἂν διπλάσια τῶν προτέρων ἔλαβεν, εἰ μὴ διπλασίονα τὴν ἀρετὴν ἐπεδείξατο.

Generosus athleta, quique omnem tentationem sustinuit, fortissimus Job, præmia consequitur patientiæ suæ, ut scriptura dicit: Omnia duplicia præ prioribus. At Dominus Jesus Christus præmia dat non in duplum, sed in centuplum. Ait enim *Quicumque reliquerit patrem vel matrem, domum, fratres, sorores propter me*, vel *propter evangelium* [a] ut in Marco scribitur, *centuplum recipiet, & vitam æternam hæreditabit* [b]. Non utique duplicia antecedentium accepisset, nisi duplicatam ostendisset virtutem.

[4] ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ

Εἰς τοὺς Ψαλμούς.

Ψαλ. Θ'.

Origenis

In Psalmos.

Psalmus IX.

D

Στιχ. ή. Ητοίμασεν ἐν κρίσει τὸν θρόνον αὐτοῦ.
Στιχ. θ'. Καὶ αὐτὸς κρινεῖ τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ· κρινεῖ λαοὺς ἐν εὐθύτητι.

v. 8. *Præparavit in judicio thronum suum.*
v. 9. *Et ipse judicabit orbem terrarum in justitia. Judicabit populos in rectitudine.*

Φοβητέον ἄρα τὸν τοιοῦτον κριτὴν, ψεκτάς τε πράξεις καὶ ἀσεβὲς φεύγοντα φρόνημα. οἰκουμένην δὲ νοήσεις τὴν ἐκκλησίαν, οἰκουμένην ὑπό τε πατρὸς καὶ υἱοῦ, κατὰ τό· ἐγὼ καὶ ὁ πατήρ μου ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιησόμεθα. λαοὺς δὲ, τοὺς λοιποὺς παρὰ τὴν ἐκκλησίαν.

Timendus est igitur hujusmodi judex, qui vituperabiles actiones, & impia cogitata aversatur. Orbem terrarum Ecclesiam intellige, quæ incolitur a patre & filio, juxta illud: *Ego & pater meus veniemus, & mansionem apud eum faciemus* [c]. Populos vero, intellige, reliquos præter ecclesiam.

Στ. ιβ'. Ψάλατε τῷ κυρίῳ, τῷ κατοικοῦντι ἐν Σιών.

v. 12. *Psallite Domino habitanti in Sion.*

E

Καὶ ἄλλως δὲ, ἐν πάσῃ ψυχῇ Σιὼν οὔσῃ καὶ σκοπευτηρίῳ Θεὸς κατοικεῖ. ἐκζητεῖ δὲ τὰ αἵματα τῶν ἐθνῶν ἀποκτεινάντων αὐτά. καὶ μιμνήσκεται αὐτῶν ἀναστὰς αὐτά. οὐκοῦν τό· ἀπώλετο τὸ μνημόσυνον αὐτῶν μετ' ἤχου, ἐπὶ τὰς ῥομφαίας ἀναφερχθήσεται. ἐκείνων δὲ μέμνηται, ὧν ἐγένετο καταφυγή.

Et aliter vero; In omni anima quæ Sion est sive specula, Deus habitat. Requirit autem sanguines gentium interficientium eos, & recordatur earum, resuscitans eos. Igitur illud, *Periit memoriale eorum cum sono* [d], ad gladios referri oportet. Eorum porro meminit, quorum fuit refugium.

Στ. λγ'. Ανάστηθι κύριε ὁ Θεός μου· ὑψωθήτω ἡ χείρ σου· μὴ ἐπιλάθῃ τῶν πενήτων σου εἰς τέλος.

v. 33. *Surge Domine Deus meus: exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum tuorum in finem.*

Ε'κ δὲ τῶν δυσσεβῶν τούτων ῥημάτων ἀνιαθεὶς ὁ προφήτης, πάλιν εὔχεται λέγων ταῦτα, δεῖξαι τῇ πείρᾳ τὸν Θεὸν αὐτῶν, ὡς οὐκέτι λέληστται τῶν πτω-

Ex impiis verbis istis dolore affectus propheta, iterum orat hæc dicens: experientia ostenderet quærens Deus, se necdum oblitum fuisse pauperum. Quin,

a Marc. x. 29. b Matth. xix. 29. c Joan. xiv. 23. d Heic ỽ. 8.

1. An οἰκείως. Et mox καὶ εἴ τις.
2. Forte χρυσοχοϊκῷ.
3. Multum differt ab editis Rue.
4. Ex Cod. Veneto XVII.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.



χῶν. καὶ τῆς τοῦ ἀσεβοῦς δὲ βλασφημίας ὑπέμνησε λέγων·

A etiam blasphemiæ impii commemorationem fecit inquiens :

Στ. λή. Τὴν ἐπιθυμίαν τῶν πενήτων εἰσήκουσας κύριε· τῇ ἑτοιμασίᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν πρόσεχε τὸ οὖς σου.

v. 38. *Desiderium pauperum exaudisti, Domine: præparationi cordis eorum adhibe aurem tuam.*

Επεθύμουν γὰρ συντριβῆναι τοῦ ἁμαρτωλοῦ τὸν βραχίονα, καὶ τῆς αὐτοῦ τυραννίδος ἐλευθερωθῆναι, ὃ δὴ καὶ γέγονεν. ἐπιθυμία δὲ διανοίας ἀγαθῆς, ἐνεργής ἐστι προσευχή. ἣν ἰδὼν ὁ καρδιογνώστης, ἐπλήρωσεν. ἑτοίμην γὰρ εἶχον πρὸς τὸ σωθῆναι καρδίαν, καὶ τῆς ἐπηγγελμένης βασιλείας τυχεῖν.

Desiderabant enim, ut contereretur brachium peccatoris, ac eriperentur de tyrannide ejus: quod & contigit. Desiderium porro bonæ cogitationis, efficax est oratio. Quam videns cognitor cordium, implevit. Paratum enim habebant cor ut salvarentur, & promissi regni compotes fierent.

Ψαλ. ΙΓ'.

B Psalmus XIII.

Στ. β'. Κύριος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκυψεν ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων· τοῦ ἰδεῖν εἰ ἔστι συνιὼν, ἢ ἐκζητῶν τὸν Θεόν.

v. 2. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, vel requirens Deum.*

Οσα σωματικῶς ἀσωμάτου τυγχάνοντος λέγοιτο περὶ τοῦ Θεοῦ, θεοπρεπῶς ἀκουστέον. οἷον, ἐν οὐρανοῖς λέγεται κατοικεῖν, ὡς ναῷ χρώμενος ταῖς θείαις δυνάμεσι, ταῖς ἐν οὐρανῷ. καλοῦνται γὰρ ὁμωνύμως τοῖς ἐν οἷς εἰσι τόποις· ὡς καὶ ἄνθρωποι γῆ χρηματίζοντες. ὡς ἐν τῷ· πᾶσα ἡ γῆ προσκυνησάτωσάν σοι. καὶ, πᾶσα ἡ γῆ βοᾷ μετ' εὐφροσύνης. ἐν οὐρανοῖς δὲ οἰκεῖ καὶ ἐν ἀνθρώποις ὢν, τοῖς φοροῦσι τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. ἀλλὰ καὶ ὡς δημιουργίας λόγῳ καὶ προνοίας ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τυγχάνοντος. ἐκ τῶν καλλίστων τοῦτο δηλοῦται μερῶν. ἔν τε τῷ, πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ, Θεὸς ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω. ἀλλὰ καὶ πολλαχοῦ τῆς θείας παιδεύσεως, ἡ τοῦ οὐρανοῦ προσηγορία δηλοῖ τὴν νοητὴν οὐσίαν, ἐν ᾗ μάλιστα Θεὸν προσήκει ζητεῖν. ὁ οὐρανὸς γὰρ τοῦ οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ. ἐκ τούτου συμβατικῶς ἐπισκοπεῖ τοὺς τῆς ὑποδεεστέρας καταστάσεως, τοῦ ἰδεῖν, εἴ τίς ἐστι συνετὸς, ἐκζητῶν τὸν Θεόν. ὡς ἂν εὑρὼν, τύχοι τῶν παρ' αὐτοῦ δωρεῶν. γίνεται δὲ τοῦτο, κακίας σὺν ἀσεβείᾳ κρατούσης, ὡς λεχθῆναι, οὐκ ἔστιν ἔλεος οὐδὲ ἀλήθεια, οὐδὲ ἐπίγνωσις Θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τὰ ἐπὶ τούτοις. οὕτω τῶν ἀνθρώπων βλαβέντων, πῶς οὐκ ἔδει τὸν ἀγαθὸν ἐπιβλέψαι σωτῆρα, ὡς ἂν ἀφορμήν τινα συνέσεως εὑρὼν, ταύτην πληθύνῃ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν ἐμφανίσειεν ἑαυτόν; ἐμφανίζεται γὰρ τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ.

Quæcumque corporaliter de incorporeo Deo dici possint, eo modo intelligenda sunt qui Deum deceat. Puta; in cælis dicitur habitare, ceu templo utens divinis potestatibus quæ in cælo sunt. Sic enim vocantur per cognominationem ex locis in quibus sunt: ut & homines, dum terra audiunt. Sicut in illo: *Omnis terra adorent te* [a]. Et, *Omnis terra clamat cum lætitia* [b]. In cælis porro C habitat etiam dum est in hominibus qui *portant imaginem cælestis.* [c]. Verum etiam creationis ac providentiæ ratione, in omni creatura exsistit. Quod ex pulcherrimis istis locis liquido apparet: *Pater noster qui es in cælis* [d]. Et, *Deus in cælo supra* [e]. Quin etiam multis in locis divinæ institutionis, cæli nomenclatura significat intellectualem essentiam, in qua maxime Deum quærere oportet. *Cælum* enim *cæli Domino* [f]: inde per condescendentiam respicit eos qui sequiori sunt conditione, *Ut videat si quis est prudens, requirens Deum.* Scilicet ut eum inveniens participem faciat bonorum suorum. At enim contingit, ut vitiis cum impietate obtinentibus dicatur, *Non est misericor-*D *dia, neque veritas, neque cognitio Dei super terra* [g] & quæ sequuntur. Cum homines usque adeo vitiati essent, quomodo non oportebat, ut bonus sospitator prospiceret, quo argumento aliquo intelligentiæ reperto, hoc multiplicaret augeretque, & requirentibus se manifestum faceret? *Manifestat enim sese iis, qui non sunt increduli ipsi* [h].

Στ. γ'. Πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν. οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.

v. 3. *Omnes declinaverunt: una inutiles effecti sunt. Non est faciens bonitatem, non est usque ad unum.*

Προφητεύει μεταβολὴν τῶν ἐθνῶν εἰς ἡμερότητα καὶ εὐσέβειαν. διὸ καὶ ἐρωτᾷ, μὴ τοῦ κυρίου ἐλθόντος οὐ παύσονται τοῦ θηριώδους βίου, καὶ ἐπιγνώσονται τὸν κύριον; λέγει γὰρ καὶ Ησαΐας· οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ ὄψονται, οἳ οὐκ ἀκηκόασι συνήσουσιν.

Vaticinatur mutationem gentium in mansuetudinem & pietatem. Iccirco etiam interrogat, Num nam adveniente Domino temperabunt a ferina vi-E ta, & cognituræ sint Deum? Ait enim quoque Isaias: *Quibus non fuerat nuntiatum de illo, videbunt: & qui non audierant, intelligent* [i].

Στ. έ. Εκεῖ ἐδειλίασαν φόβῳ, οὗ οὐκ ἦν φόβος· ὅτι κύριος ἐν γενεᾷ δικαίων.

v. 6. *Ibi expaverunt timore, ubi non erat timor. Quia Dominus in generatione justorum.*

Εσται γὰρ, φησιν, ὅτε οἱ προῤῥηθέντες φοβηθήσονται κύριον, παρ' οἷς οὐκ ἦν πρότερον φόβος. ἐκεῖ δὲ, ἐν τῇ μελλούσῃ συστήσεται γενεᾷ, περὶ ἧς ἐπάγει.

Erit enim aliquando, ait, ut prædicti timeant Dominum, penes quos non erat antea timor. *Ibi* autem, in futura consistet generatione, de qua etiam postea loquitur.

a Psalm. LXV. 4. *b* Isaj. XIV. 7. *c* I. Cor. XV. 49. *d* Matth. VI. 9. *e* Deut. IV. 39. *f* Psalm. CXIII. 16.
g Osee IV. 1. *h* Sapient. I. 2. *i* Isaj. LII. 15.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

A

Ψαλ. ΙΕ'.

Στ. ά. Στηλογραφία τῷ Δαβίδ.

Τῷ Δαβὶδ ἐπέγραψαν οἱ λοιποί. στηλογραφίαν δὲ ὁμοίως ἐξέδωκαν, τῷ περιέχειν προφητείαν αἰωνίας μνήμης ἀξίαν. ὥσπερ γὰρ οἱ μέγιστοι τῶν ἀγωνιζομένων ἐν σταδίοις ἀθληταὶ στήλης ἀξιοῦνται, καὶ τῶν ἐν πολέμοις κατορθωμένων, εἰς τὴν μετὰ ταῦτα μνήμην ἵσταται τρόπαια. οὕτω τὸ μέγα τρόπαιον τοῦ σωτῆρος, ὅπερ ἤγειρε καθελὼν τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, γραφαῖς ἄνωθεν ἐστηλιτεύθη προφητικῶς. διὸ καὶ Πέτρος τῶν ἐν αὐτῷ μνημονεύσας, ἐπήγαγεν· ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας πρὸς ὑμᾶς περὶ τοῦ πατριάρχου Δαβὶδ, ὅτι καὶ ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης. προφήτης οὖν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν καθίσαι ἐπὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ· προϊδὼν δὲ ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, ὅτι οὔτε ἐγκατελείφθη εἰς ᾅδην, οὔτε ἡ σάρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν. τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες.

Psalmus XV.

v. 1. *Stelographia Davidi.*

Reliqui inscripserunt *Davidis*, itidem vero transtulerunt *stelographiam*, eo quod contineat prophetiam æterna memoria dignam. Quemadmodum enim summi qui in stadiis certaverunt athletæ, *stele*, seu columna dignantur, & eorum qui in bellis fortiter feliciterque pugnaverunt, ad rei memoriam tropæa eriguntur: haud aliter magnum salvatoris tropæum, quod erexit, profligato eo qui imperium B habebat mortis, scripturis tot ante sæcula quasi *stelais* nobilitatum est propheticis. Quamobrem etiam Petrus facta mentione eorum quæ in ipso continentur, adjunxit: Viri fratres, fas est dicere cum libertate apud vos de patriarcha David, quod & mortuus est & sepultus, & monumentum illius exstat inter nos usque in præsentem diem. Cum igitur propheta esset, sciretque quod jurejurando juraverat ei Deus, ex fructu lumbi ejus secundum carnem surrecturum Christum, qui sederet super throno illius. Prævidens autem loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes C nos sumus testes [a].

Ψαλ. Ις'.

Στ. δ'. Διὰ τοὺς λόγους τῶν χειλέων σου, ἐγὼ ἐφύλαξα ὁδοὺς σκληράς.

Ὑπογραμμὸν ἡμῖν καὶ διὰ τούτων δίδωσιν ὁ σωτὴρ, μὴ φρονεῖν ἐφ᾽ ἑαυτοῖς δεομένοις τῆς παρὰ Θεοῦ βοηθείας. τρίβοι δὲ κυρίου, τῶν ἐντολῶν αἱ τηρήσεις. μᾶλλον δὲ αἱ κατ᾽ ἀρετὴν ἐνέργειαι, ὁμαλαὶ καὶ λεῖαι δειχθεῖσαι, ἐκ τοῦ συνεχῶς πατεῖσθαι πρὸς τῶν φθάσαι σπευδόντων ἐπὶ τὸ τέλος αὐτῶν, ὅπερ ἐστὶν ἡ μακαριότης, καὶ τῶν ἐπαγγελιῶν ἡ ἀπόδοσις. δράμωμεν τοίνυν κατ᾽ αὐτοὺς, οὐ σφαλλομένων τῶν διαβημάτων ἡμῶν, εἰ κύριος αὐτὰ καταρτίσειεν ἐν ταῖς τρίβοις αὐτοῦ. Ταύτης τῆς αἰτήσεως ὁ τυχὼν φησιν· ἄνευ ἀνομίας ἔδραμον καὶ κατηύθυνα. καὶ τὸ, ὁδὸν ἐντολῶν σου ἔδραμον, ὅτε ἂν ἐπλάτυνας τὴν καρδίαν μου.

Psalmus XVI.

v. 4. *Propter sermones labiorum tuorum, ego præcavi vias duras.*

Documentum nobis etiam per hæc dat salvator, ut in nobis ipsi non alte sapiamus, quippe qui indigeamus divino auxilio. Viæ porro Domini, sunt mandatorum observationes: atque adeo virtuosæ operationes, quæ planæ ac læves redduntur ex eo quod jugiter calcentur ab iis qui festinant pertingere ad finem suum, quæ est beatitudo, & promissionum assequutio. Curramus igitur cum illis, D non aberrantibus gressibus nostris, si quidem Dominus eos aptaverit in semitis suis. Qui hujus postulationis fit compos, dicit: *Sine iniquitate cucurri & direxi* [b]. Itemque illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, quandocumque dilatasti cor meum* [c].

Ψαλ. ΙΖ'.

Στ. ς'. Ὠδῖνες ᾅδου περιεκύκλωσάν με, προέφθασάν με παγίδες θανάτου.

Ἁρμόσει δὲ ταῦτα καὶ τῷ σωτῆρι, ἔχοντα πολλὴν οἰκειότητα πρὸς τὸ, νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται. καὶ, περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου.

Στ. ή. Καὶ ἐσαλεύθη, καὶ ἔντρομος ἐγενήθη ἡ γῆ. καὶ τὰ θεμέλια τῶν ὀρέων ἐταράχθησαν, καὶ ἐσαλεύθησαν, ὅτι ὠργίσθη αὐτοῖς ὁ Θεός.

Προδήλως δείκνυσι τοῦ Θεοῦ τὴν κατάβασιν διὰ τὰ προειρημένα, τόν τε θάνατον καὶ τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου. ἐξ οὗ δὲ καταβάντος, κατὰ τὸν Ἀκύλαν, ἐκινήθη καὶ ἐσείσθη ἡ γῆ. πᾶσα γὰρ ἀκοὴ ἑλληνικὴ καὶ βάρβαρος ἐπληροῦτο τῆς περὶ αὐτοῦ φήμης. γῆν γάρ ἐφη, τοὺς ἐπὶ γῆς. ὀρέων δὲ, τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων· αἱ τῇ πλάνῃ τῶν εἰδώλων τοὺς ἀνθρώπους ἐνέμοντο, τῆς τοῦ Θεοῦ καταπαυόμεναι γνώ-

Psalmus XVII.

v. 6. *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.*

Congruent hæc etiam salvatori, cum plurimum conveniant cum illis: *Nunc anima mea turbata* E *est* [d]. Et: *Tristis est anima mea usque ad mortem* [e].

v. 8. *Et agitata est, & tremens effecta est terra. Et fundamenta montium turbata sunt, & concussa sunt, quia iratus est eis Deus.*

Manifeste ostendit Dei descensum per prædicta; mortem item, & dolores inferni. Ex quo descendente, secundum Aquilam; *commota est & tremuit terra* [f]. Omnis enim auditus Græcus & barbarus replebatur fama de illo. Porro *terram* appellat eos, qui sunt in terra. *Montes*, sunt adversæ potestates: quæ errore idolorum homines conficiebant, erectæ contra Dei cognitionem. *Fundamenta*, quæ

a Actor. II. 29-32. *b* Psalm. LVIII. 5. *c* Psalm. CXVIII. 32. *d* Joan. XII. 27. *e* Matth. XXVI. 38. *f* Psalm. XVII. 8.

σεως ; τὰ θεμέλια, καὶ οἱ βαθεῖς διαλογισμοὶ, A αἰσθανόμενα τῆς τοῦ κυρίου δυνάμεως, ἐταράχθησαν ἀχθόμενα. ὡς [1] ὀργισθέντος τοῦ Θεοῦ, ἀνέβη καπνὸς καθάπερ ἐπὶ δαλοῦ. σβεννυμένων καὶ τοῦ πυρὸς παυσαμένων, ᾧ τοὺς ἀνθρώπους κατέφλεγον. τὸ πῦρ δὲ τοῦτο κατέσβεσε τῷ ἰδίῳ πυρί. καθὸ πῦρ καταναλίσκον εἴρηται Θεὸς παρὰ τῷ Μωϋσῇ. καὶ ἐν ψαλμοῖς· πῦρ ἐναντίον αὐτοῦ προπορεύσεται, καὶ φλογιεῖ κύκλῳ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ. καὶ πάλιν· ὁ Θεὸς ἐμφανῶς ἥξει, ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ οὐ παρασιωπήσεται. πῦρ ἐνώπιον αὐτοῦ καυθήσεται, καὶ κύκλῳ αὐτοῦ καταιγὶς σφοδρά. διὸ καὶ ἔφασκεν ὁ σωτήρ· πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη ; ταῦτα ἐποίησε κλίνας καὶ καταβὰς, οὐχ ἕνα μόνον οὐρανὸν, ἀλλὰ πάν- B τας, ὅσοι ποτὲ εἰσίν. τοῦ κλῖναι δηλοῦντος τὴν ταπείνωσιν τοῦ ὕψους αὐτοῦ, καὶ τὴν κένωσιν τῆς θεότητος. τῆς δὲ οἰκονομίας αὐτοῦ τὸ λεληθὸς καὶ ἀπόκρυφον, τῷ γνόφῳ καὶ τῇ ὁμίχλῃ δηλοῖ. εἶτα ἐπὶ τοῦ Χερουβὶμ ἀνελήφθη, καί τοι μὴ σὺν αὐτῷ καταβάς. ὃν μετὰ σώματος ἀναβαίνοντα αἱ θεῖαι θεωροῦσαι δυνάμεις, γεγονυῖαι περὶ αὐτὸν, ἐδορυφόρουν αὐτοῦ τὴν ἄνοδον, ἐπιλέγουσαι· ἄρατε πύλας, οἱ ἄρχοντες, ὑμῶν· καὶ ἐπάρθητε πύλαι αἰώνιοι, καὶ εἰσελεύσεται ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης. ἃ δὴ γέγονεν, ἡνίκα, ὡς ἐν ταῖς πράξεσι κεῖται τῶν ἀποστόλων, βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.

sunt profundæ cogitationes, dum sentiunt Domini potentiam, indignatæ turbantur. Quibus succensente Deo, ascendit velut fumus de torre: exstinctis nempe illis & a combustione cessantibus, qua homines exurebant. Hunc vero ignem exstinxit igne suo. Tamquam *ignis consumens* [a] dictus est Deus apud Moysen. Et in psalmis: *Ignis coram ipso præcedet, & inflammabit in gyro inimicos ejus* [b]. Et iterum: *Deus conspicue veniet: Deus noster, & non silentio præteribit. Ignis coram ipso succendetur, & in circuitu ejus procella vehemens* [c]. Ideoque salvator dicebat: *Ignem veni projicere in terram. Et quid volo, si jam accensus est* [d]? Hæc fecit inclinans & descendens, non unum modo cælum, sed omnes quotcumque sunt. Inclinandi verbo ostendente humiliationem celsitudinis ejus, & exinanitionem divinitatis. Providentiæ vero ejus occultam secretamque rationem tenebris & nebula declarat. Deinde super Cherubim assumtus est, quamvis cum illis non descendisset. Quem cum corpore ascendentem divinæ intuitæ essent potestates, adglomerantes illi stipabant ejus reditum, dicentes: *Tollite portas, o principes, vestras: & extollimini portæ æternæ, & ingredietur rex gloriæ* [e]. Quæ quidem tunc facta sunt, quando, ut in actis apostolorum relatum est, *videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum* [f].

C

Στ. ιβ΄. Καὶ ἔθετο σκότος ἀποκρυφὴν αὐτοῦ. κύκλῳ αὐτοῦ ἡ σκηνὴ αὐτοῦ.

ỳ. 12. *Et posuit tenebras absconsionem suam: in circuitu illius tabernaculum ejus.*

Τὸν ἐν σκηνῇ τίς οὐκ [2] ὄψεται μὴ γενόμενος ἔνδον ; οὕτως οὐδὲ τὸν Θεὸν, εἰ μή τις εἰσέλθοι τοῦ τῆς δυσκαταληψίας ἔνδον παραπετάσματος. καὶ Μωϋσῆς γὰρ εἰς τὸν γνόφον εἰσῆλθεν, οὗ ἦν ὁ Θεός. ἐπιστήσας γὰρ τῇ περὶ Θεοῦ δημιουργίᾳ τε καὶ προνοίᾳ, εἴσω τούτων ἔγνω περιέχεσθαι τὸν Θεόν. ὀλίγον γὰρ αὐτὴν διανοίξας, τὸν οὗ ἐστιν εἰκὼν, ἐκ τοῦ κατ' εἰκόνα μεμάθηκεν. ἐκ δὲ τῆς δημιουργίας καὶ προνοίας, τὸν δημιουργὸν καὶ προνοητήν.

Eum qui in tabernaculo est, quis videat nisi intus fuerit? Sic neque Deum, nisi quis ingrediatur intra velum incomprensionis. Moyses namque caliginem subiit, ubi erat Deus. Insistens enim ministerio circa Deum ejusque providentiæ, intra hæc intellexit contineri Deum. Paullulum siquidem eam adaperiens; illum cujus est imago, ex eo quod ad imaginem erat, intellexit: atque ex opificio & providentia, opificem & provisorem.

Ψαλ. ΚΒ΄. D

PSALMUS XXII.

Στ. γ΄. Ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

ỳ. 3. *Propter nomen suum.*

Στ. δ΄. Ἐὰν γὰρ καὶ πορευθῶ ἐν μέσῳ σκιᾶς θανάτου, οὐ φοβηθήσομαι κακὰ, ὅτι σὺ μετ' ἐμοῦ εἶ.

ỳ. 4. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quia tu mecum es.*

[3] Ἐντεῦθεν πρὸς Θεὸν ἀποστρέφει τὸν λόγον. ὁ μὲν οὖν καθεζόμενος ἐν σκιᾷ θανάτου, ἵδρυται ἐν αὐτῇ βεβαιωθεὶς ἐν κακίᾳ, καὶ δεόμενος τοῦ ἐξ ἐλέους ἀνατέλλοντος φωτός. ὁ δὲ πορευόμενος παρατρέχει, μεθ' οὗ καὶ συνοδεύει ὁ κύριος. περὶ δὲ τῆς καθίσεως εἴρηται· καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.

Hinc ad Deum convertit orationem. Qui igitur sedet in umbra mortis, firmus est in illa, obduratus in flagitiis, indigensque lumine quod ex misericordia oritur. At qui ambulat, prætergreditur; quocum etiam incedit Dominus. De sessione dictum est: *Sedentibus in regione & umbra mortis, lux orta est eis* [g].

Στ. δ΄. Ἡ ῥάβδος σου, καὶ ἡ βακτηρία σου, αὗταί με E παρεκάλεσαν.

ỳ. 4. *Virga tua, & baculus tuus, hæc me evocaverunt.*

Ἀμφότερα ἐπὶ μαστίγων, κατὰ τό· ἐὰν ἐγκαταλίπωσιν οἱ υἱοί σου τὸν νόμον μου, καὶ τοῖς κρίμασί μου μὴ πορευθῶσιν. ἐὰν τὰ δικαιώματά μου μὴ φυλάξωσιν· ἐπισκέψομαι ἐν ῥάβδῳ τὰς ἀνομίας αὐτῶν, καὶ ἐν μάστιγι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. τὸ δὲ ἔλεός μου οὐ μὴ διασκεδάσω ἀπ' αὐτῶν. οὐ διεσκέδασται γὰρ τὸ θεῖον ἔλεος ἀπὸ τοῦ δι' ἁμαρτίας μαστιζομένου. οὐ [4] γὰρ ἁμαρτάνοντα μὴ μαστίζει, οὐ

Utraque in flagellis, juxta illud: *Si deseruerint filii sui legem meam, & judiciis meis non incedant, si jura mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum. Misericordiam autem meam nequaquam dissipabo ab eis* [h]. Non est enim dissipata divina misericordia ab eo, qui propter peccata flagellatur. Peccantem enim non flagellaverit, nisi susciperet: *flagellans*

a Deut. IV. 24. b Psalm. XCVI. 3. c Psalm. XLIX. 3. d Luc. XII. 49. e Psalm. XXIII. 7. 9. f Actor. I. 9. g Isaj. IX. 2. h Psalm. LXXXVIII. 31-34.

1. ὅ.. 2. Redundat οὐκ, vel οὐ postponendum est. 3. Heic & infra confer Rue. 4. Forte οὐ pro οὐ.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.



παραδέχεται· μαστιγοῖ υἱὸν ὃν παραδέχεται. περὶ ὧν δὲ μὴ μαστίζει, λέγεται τό· ἐμοῦ δὲ παρὰ μικρὸν ἐσαλεύθησαν οἱ πόδες· παρ' ὀλίγον ἐξεχύθη τὰ διαβήματά μου. ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, καὶ στερέωμα ἐν τῇ μάστιγι αὐτῶν. διὰ τοῦτο ἐκράτησεν αὐτοὺς ἡ ὑπερηφανία. περιεβάλοντο ἀδικίαν καὶ ἀσέβειαν ἑαυτῶν. ἐὰν μὲν οὖν ᾖ τις πρόβατον ἁμαρτωλὸν, ῥάβδῳ πλήσσεται. ἐὰν δὲ ἄνθρωπος, βακτηρίᾳ, κατὰ τὸ Σολομῶντος· ὁ φειδόμενος τῆς βακτηρίας μισεῖ τὸν ἑαυτοῦ υἱόν. ταῦτα δὲ παρακαλεῖ τὸν τυπτόμενον. πέπεισται γὰρ, ὡς μαστιγοῖ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται.

filium quem suscipit [a]. De iis vero, quos non flagellat, dicitur illud: *Mei autem pene quassi sunt pedes, propemodum effusi sunt gressus mei. Quia non est arrectio in morte eorum, & firmamentum in flagello eorum. Propterea obtinuit eos insolentia: circumamicti sunt iniquitate & impietate sua* [b]. Si fuerit ergo quis ovis peccans, virga vapulabit: at si fuerit homo, baculo, secundum Salomonem: *Qui parcet baculo, odit filium suum* [c]. Hæc porro evocant vapulantem: persuasus est enim, quia *flagellat omnem filium quem suscipit* [d].

Ψαλ. ΚΓ'. — Psalmus XXIII.

Στ. β'. Καὶ ἐπὶ ποταμῶν ἡτοίμασεν αὐτήν.

v. 2. *Et in fluminibus præparavit eam.*

[1] Καὶ ἄλλως δὲ, πρὸ τῆς ἐπιδημίας Χριστοῦ, γνωστὸς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ μόνον ἦν ὁ Θεός. μετ' αὐτὴν δὲ, τοῦ κυρίου ἡ γῆ. ἀλλ' οὐδὲ πλήρωμα πρὸ ταύτης ἦν ἐν πάσῃ τῇ γῇ. μεστὰ δὲ ἦν αὐτῆς τὰ πλεῖστα κακότητος. μετ' αὐτὴν δὲ πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων ἐθνικῶν εἴποιεν ἄν· ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν. διόπερ αὐτοῦ καὶ πλήρωμα λέγοιντο. ἀλλ' οὐχ οἱ κενοὶ τῆς εὐαγγελικῆς πολιτείας. ἀλλὰ καὶ ἐν ἐρήμῳ ὁ ἁμαρτωλὸς κατοικεῖ. οἰκουμένην δὲ, ὁ τὴν ἐκκλησίαν οἰκῶν πεπληρωμένην τῆς ἁγίας τριάδος. καὶ ἔστι τοῦ κυρίου. ἀλλ' οὐχ ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ διαβόλου, καὶ μερὶς ἐκείνου γενόμενος.

Aliter: ante adventum Christi *notus in Judæa* dumtaxat erat *Deus* [e]: at post adventum *Domini est terra* [f]. Sed neque plenitudo ante illum erat in universa terra: quinimmo plena erat pro majori parte flagitiorum. Post illum vero, multi ethnicorum qui crediderunt, dicere possunt: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* [g]. Quare etiam & Christi plenitudo dici queunt. Sed non qui vacui sunt evangelica vivendi ratione. Quin potius in deserto peccator habitat. Contra autem orbem terrarum incolit, qui incolit ecclesiam repletam sancta trinitate, estque Domini. Non item qui ex diabolo natus est, aut pars illius effectus fuit.

Στ. γ'. Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸ ὄρος τοῦ κυρίου; ἢ τίς στήσεται ἐν τόπῳ ἁγίῳ αὐτοῦ;

v. 3. *Quis ascendet in montem Domini? vel quis stabit in loco sancto ejus?*

[2] Ἦ καὶ ὄρος κυρίου τὸ τελικὸν ἀγαθὸν καὶ τὸν Θεὸν λόγον. σπάνιος γὰρ ὁ πρὸς τὴν ἀκρώρειαν αὐτοῦ διὰ προκοπῆς ἀναβῆναι δυνάμενος.

[3] Ὁ γὰρ τελειωθεὶς μηκέτι περαιτέρω χωρεῖν οἷός τε ὢν, ἵσταται βέβαιος, καὶ χρηματίζων ἅγιος τόπος Θεοῦ. ὀπίσω γὰρ κυρίου πορευόμενος ἀναβαίνει. τῶν μὲν ὄπισθεν ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, τέλος ἔχων τὸ στῆναι μετὰ Θεοῦ ἐν τόπῳ ἁγίῳ αὐτοῦ, ἐφ' ὃν δεῖ ἀναβῆναι καὶ στῆναι τὸν εὐαγγελιζόμενον τῇ Σιὼν, πρὸς ὃν ἐφθακότι τῷ Μωϋσῇ φησιν ὁ Θεός· σὺ δὲ αὐτοῦ στῆθι μετ' ἐμοῦ. ἀλλὰ καὶ ἔστησεν ἐπὶ πέτραν τοὺς πόδας μου, ὡς ἐφ' ἕτερον ἁγίασμά φασιν οἱ προφῆται. ἐπεὶ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. ἀλλὰ τίς ὁ τῶν ἐπαγγελιῶν τούτων τευξόμενος, εἴρηται πλεώτερον ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ψαλμῷ.

Vel etiam interpreteris montem Domini perfectivum bonum, & ipsummet Deum Verbum. Rarus est enim, qui ad verticem ejus ex profectu ascendere queat.

Qui enim consummatus est, non amplius ulterius progredi valens, stat firmus, & vocatur sanctus locus Dei. Pone enim Dominum incedens, ascendit: *eorum quæ retro sunt, oblitus; ad ea vero quæ sunt ante, enixe contendens* [h], finem sibi proponens stare cum Deo, in loco sancto ejus: ad quem oportet ascendat & stet qui evangelizat Sion, & ad quem quum pervenisset Moyses, ait illi Deus: *Tu autem ibi sta mecum* [i]. Quin etiam, *statuit super petram pedes meos* [k], tamquam super aliud sanctuarium dicunt prophetæ. *Petra autem erat Christus* [l]. Jam vero quis harum promissionum compos fiat, dictum est melius in psalmo decimoquarto.

Στ. ς'. Αὕτη ἡ γενεὰ ζητούντων τὸν κύριον, ζητούντων τὸ πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Ἰακώβ.

v. 6. *Hæc generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.*

[4] Καὶ μὴν εἴπεν· οὐδεὶς ὄψεται τὸ πρόσωπόν μου, καὶ ζήσεται, ὡς ἀληθῶς γὰρ οὐκ ὄψεταί τις ἄνθρωπος ὢν, καὶ μὴ πᾶν ἀνθρώπινον ἀποθέμενος, καὶ μεταβαλὼν εἰς ἄγγελον καὶ Θεὸν, ὅπερ οὐκ ἔστιν ἐνθάδε. περὶ δὲ τῶν ἀγγέλων τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μικρῶν, ὁ σωτήρ φησιν, ὅτι διαπαντὸς ὁρῶσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Equidem dictum est: *Nemo videbit faciem meam, & vivet* [m]. Revera enim nemo videbit qui sit homo, & quod humanum est totum non exuerit, & mutatus fuerit in angelum & Deum, quod heic non fit. De angelis vero parvulorum qui sunt in ecclesia, salvator dicit: *Semper vident faciem patris qui est in cælis* [n].

Στ. θ'. Ἄρατε πύλας, οἱ ἄρχοντες, ὑμῶν, καὶ ἐπάρθητε πύλαι αἰώνιοι, καὶ εἰσελεύσεται ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης.

v. 9. *Tollite portas, o principes, vestras, & extollimini portæ æternæ, & introibit rex gloriæ.*

a Hebr. xii. 6. b Psalm. lxxii. 2. 4. 6. c Prov. xiii. 24. d Hebr. xii. 6. e Psalm. lxxv. 2. f Psalm. xxiii. 1. g Joan. I. 16. h Philipp. III. 14. i Exod. xxxiv. 2. k Psaml. xxxix. 3. l I. Cor. X. 4. m Exod. xxxiii. 20. n Matth. xviii. 10.

1. Confer Rue.
2. Adscribitur, *Origenis, Didymi, Eusebii*.
3. Origenis, Didymi.
4. Confer Rue.

Στ. ί. Τίς ἐϛιν οὗτος ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης; κύϱιος A τῶν δυνάμεων, αὐτός ἐϛιν ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης.

[1] Ὡς ἄρχοντα δὲ ϛρατοπέδων, δυνάμεων ἐκάλεσαν κύϱιον, ὅπερ ἐν τῷ ἑβραϊκῷ Σαβαὼθ εἴρηται. τοῦτο δὲ καὶ κύϱιον ϛρατιωτῶν οἱ Ο΄. καὶ παντοκράτωρ ἐν ταῖς γραφαῖς ἑρμηνεύουσι. καὶ τὸ νῦν ἄρα λεχθὲν, παντοκράτορα τὸν σωτῆρα δηλοῖ. οὕτως λέγει κύϱιος παντοκράτωρ· ὀπίσω δόξης ἀπέϛειλέ με πρὸς σέ. παντοκράτωρ γὰρ ὢν ὁ πατὴρ, τὸν υἱὸν ἀπέϛειλε παντοκράτορα. καὶ Ἰωάννης δὲ ἐν τῇ ἀποκαλύψει· τάδε λέγει, φησὶν, ὁ μάρτυς, ὁ πιϛὸς καὶ ἀληθινὸς, ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος· περὶ τοῦ σωτῆρος ὁμολογουμένως εἰπών.

[2] Τινὲς δὲ, οὐ πρὸς ὑψηλοτέρας πύλας, πρὸς δὲ B τὰς αὐτὰς, τὰ διττῶς εἰρημένα φασί.

v. 10. *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.*

Velut ducem exercituum, appellaverunt *Dominum virtutum*, quod in hebraico dicitur *Sabaoth*: quam vocem Septuaginta interpretantur in scripturis *Dominum militum*, vel etiam *Omnipotens*. Quod heic dicitur ergo, omnipotentem ostendit salvatorem. *Sic dicit Dominus omnipotens: pone gloriam misit me ad te* [a]. Cum enim omnipotens sit pater, filium omnipotentem misit. Joannes quoque in Apocalypsi ait: *Hæc dicit testis fidelis & verax, qui fuit, & qui est, & qui veniens* [b], de salvatore sine controversia loquens.

Quidam non ad sublimiores portas, sed ad easdem quæ dupliciter dicta sunt, dicta fuisse ajunt.

Ψαλ. ΚΖ΄.

PSALMUS XXVII.

Στ. ά Πρὸς σὲ, κύϱιε, κεκράξομαι· ὁ Θεός μου μὴ παρασιωπήσῃς ἀπ᾽ ἐμοῦ.

Εἰ μὲν ἐπίγειά τις αἰτεῖται παρὰ Θεοῦ, βραχείᾳ χρῆται φωνῇ, εἰ δὲ τὰ ἐπουράνια, κράζει τε καὶ βοᾷ. ὅθεν ἐν ταῖς γραφαῖς οἱ ἅγιοι πρὸς τὸν Θεὸν ἐκέκραξαν. κράζει δέ τις εἰσελθὼν εἰς τὸ ταμιεῖον ἑαυτοῦ, καὶ κλείσας τὴν θύραν. οὐ παρασιωπᾷ δὲ τοῖς ἁγίοις ὁ Θεός. ἐλάλει γοῦν Μωσῇ, καὶ Ἀαρὼν, καὶ Ἰησοῦ τῷ τοῦ Ναυί. ἐλάλει καὶ διὰ προφη- C τῶν, ἡνίκα ἦν ὁ λαὸς αὐτοῦ. ἃ δὲ λαλεῖ ὁ Θεὸς, οὐκ ἔξωθέν ἐϛιν, ἀλλὰ τὰ ἅγια, τὰ ἐπὶ τὴν καρδίαν ἡμῶν ἀναβαίνοντα, κατὰ τό· μακάϱιος ἀνὴρ, οὗ ἐϛιν ἀντίληψις αὐτοῦ παρὰ σοῦ κύϱιε, ἀναβάσεις εἰς τὴν καρδίαν αὐτοῦ. ἔχομεν δὲ ἄλλην ἀκοὴν καὶ θείαν αἴσθησιν, κατὰ Σολομῶντα, λόγου Θεοῦ ἀκούουσαν, ἡνωμένην αὐτῷ. ᾧ δὲ παρασιωπᾷ Θεὸς, ὁμοιοῦται τοῖς καταβαίνουσιν εἰς λάκκον. οὐδένα γὰρ τῶν ἁγίων ἴσμεν λάκκον ὀρύξαντα. φρέαρ δὲ ὤρυττεν ὁ δεόμενος ὕδατος. ἐντέλλεται καὶ ὁ Σολομῶν ἀπὸ φρεάτων πίνειν. Θεὸς δὲ διὰ τοῦ προφήτου τοῖς ἐκ λάκκων πίνουσιν ἀπειλεῖ, λέγων· ἐμὲ ἐγκατέλιπον πηγὴν ὕδατος ζῶντος, καὶ ὤρυξαν ἑαυτοῖς λάκκους συντετριμμένους. καταβαίνουσι δὲ εἰς λάκκον οἱ D τὰ ψυχρὰ τῆς ὕλης περιέποντες πράγματα. ἔνθα καὶ τῶν ἀνθρώπων ὁ πολέμιος δράκων, ὃς καὶ ψυχρὸς ὠνόμαϛαι, κατοικεῖ. πάντων γὰρ ζώων, τῶν ἐπὶ γῆς, ὁ δράκων ψυχρότερος. πᾶσα οὖν ἁμαρτία ψυχρά. τὰ δὲ θεῖα, ὡς ἔοικε, θερμά. ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα. καὶ πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ, τῷ πνεύματι ζέοντες. ὅτι δὲ οἱ ἁμαρτωλοὶ παρὰ λάκκοις εἰσὶν, ἐν τῇ Ἐξόδῳ φησίν· ἀπέκτεινεν ὁ Θεὸς ἀπὸ προσώπου Φαραὼ, ὃς κάθηται ἐπὶ τοῦ θρόνου, ἕως πρωτοτόκου τῆς αἰχμαλωτίδος, τῆς ἐν λάκκῳ. οὕτως οἱ καταβαίνοντες εἰς λάκκον, ἁμαρτωλοί εἰσι καὶ αἰχμάλωτοι. ἀλλ᾽ ὁ ἀγαθὸς Θεὸς καὶ τούτους καλεῖ, καὶ δίδωσιν ἄφεσιν. E πνεῦμα γὰρ κυϱίου ἐπ᾽ ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς. ἀπέϛαλκέ με κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν.

v. 1. *Ad te, Domine, clamabo: Deus mi, ne sileas a me.*

Si terrena quis a Deo postulet, brevi utitur voce: at si cælestia, clamat & vociferatur. Quare in scripturis, sancti ad Deum clamaverunt. Clamat vero quis ingressus promtuarium suum, & claudens januam. Non silet autem sanctis Deus. Loquebatur itaque Moysi & Aaron, & Jesu filio C Nave. Loquebatur etiam per prophetas, quando erat populus ejus. Quæ porro loquitur Deus, non externa sunt, sed sancta, quæ in cor nostrum ascendunt, juxta illud: *Beatus vir, cujus est auxilium illius a te, Domine: ascensiones in cor illius* [c]. Habemus autem alium auditum & sensum divinum, secundum Salomonem, verbum Dei audientem, ipsique unitum. At cui silet Deus, *assimilatur descendentibus in lacum* [d]. Nullum namque sanctorum scimus lacum effodisse: sed puteum effodiebat, qui aqua indigebat. Præcipit etiam Salomon de puteis bibere. Et Deus per prophetam de lacu bibentibus minitatur, inquiens: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi laqueos contritos* [e]. De- D scendunt porro in lacum, qui frigidas has materiales res sollicite curant: ubi etiam hominum inimicus draco, qui & frigidus nominatus est, incolit. Omnibus enim animantibus quæ sunt in terra, draco frigidior est. Omne igitur peccatum frigidum est: divinæ vero res, ut par est, calidæ sunt. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam* [f]. Et *ignem veni jacere in terram* [g]. Et, *spiritu ferventes* [h]. Quod autem peccatores apud lacus sint, in Exodo dicit: *Occidit Deus a facie Pharaonis, qui sedet in throno, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in lacu* [i]. Sic qui descendunt in lacum, peccatores sunt & captivi. Sed bonus Deus hos quoque vocat, eisque ve- E niam indulget. *Spiritus enim Domini super me, cujus caussa unxit me evangelizare pauperibus. Misit me prædicare captivis dimissionem, & cæcis visum* [k].

Στ. β΄. Εἰσάκουσον, κύϱιε, τῆς φωνῆς τῆς δεήσεώς μου, ἐν τῷ δέεσθαί με πρὸς σέ.

[3] Οἷς ἔτι ἐνδεῖ τινα, τούτων ἐϛὶν ἡ δέησις. ὅτε δὲ τὸ ἀξίωμα τοῦ Θεοῦ νοήσας, αἰτῶ τι παρὰ Θεοῦ, τότε προσεύχομαι. ὅτε δὲ φίλος ἐπὶ πλέον γένωμαι, τε-

v. 2. *Exaudi, Domine, vocem orationis meæ, dum ego oro ad te.*


Quibus adhuc quippiam deest, horum est oratio. Cum vero Dei majestatem recogitans, postulo aliquid a Deo; tunc deprecor. Quando magis ma-

a Zach. II. 8. b Apoc. III. 14. c Psalm. LXXXIII. 6. d Psalm. XXVII. 1. e Isaj. II. 13. f Hebr. I. 7. g Luc. XII. 49. h Rom. XII. 11. i Exod. XII. 29. k Isaj. LXI. 1.

1. Didymi, Origenis. 2. Origen. Euseb. Theodoret. 3. Orig. & Theodoret.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

τι εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ. ἐπεὶ καὶ Παῦλος ἀπὸ τῶν ἡττόνων ἐπὶ τὰ μείζω προβαίνων, φησί· παρακαλῶ πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας.


Στ. β'. Ἐν τῷ αἴρειν με χεῖράς μου πρὸς ναὸν ἅγιόν σου.

Ἐπαιρόμεναι χεῖρες πρὸς πράξεις θεοσεβεῖς, ἐν οὐρανῷ θησαυριζόμεναί εἰσι, δι᾽ ὧν νικᾷ τις τὸν νοητὸν Ἀμαλήκ. ὡς ὁ Μωσῆς, ὅτε ἐπῇρε τὰς χεῖρας ἀνέφερεν, ὁ λαὸς ἐνίκα· ὅτε δὲ καθίεσαν, ὁ Ἀμαλήκ. μὴ κατενέγκωμεν οὖν τὰς χεῖρας, ἐπεὶ νικηθησόμεθα.

B

Στ. ε'. Ὅτι οὐ συνῆκαν εἰς τὰ ἔργα τοῦ κυρίου, καὶ εἰς τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ.

Οὐδεὶς γὰρ ἄμεμπτος, οὐ νοήσας τὰ ἔργα κυρίου· ποίησιν γὰρ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. δίδωσι γὰρ ἀναλόγως τὸν τούτου θεωρῆσαι δημιουργόν.

Στ. ζ'. Καὶ ἀνέθαλεν ἡ σάρξ μου.

Ποία δὲ σὰρξ ἀνέθαλεν; ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ.

C

Ψαλ. Λϛ'.

Στ. α'. Μὴ παραζήλου ἐν πονηρευομένοις, μηδὲ ζήλου τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν.

Διαφέρει τὸ ζηλοῦν καὶ παραζηλοῦν. παραζηλοῦν μὲν γὰρ λέγεται τὸ ἐρεθίζειν, καὶ κινεῖν εἰς ζηλοτυπίαν, ὁποῖόν τὸ· αὐτοὶ παρεζήλωσάν με ἐπ᾽ οὐ Θεῷ. τουτέστιν ἐκίνησαν ἐν ἐμοὶ ζῆλον, καὶ οἷον εἰς ὀργήν με ἠρέθισαν εἰδωλολατροῦντες. ζηλοῦν δέ ἐστιν, τὸ βούλεσθαι καὶ ἑαυτῷ ὑπάρχειν, ὃ παρεῖναι τῷ πέλας νενόμικεν ἀγαθόν. τοῦτο οὖν λέγει· μήτε ἕτερον ἐρέθιζε πονηρευόμενον πρὸς τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν κατὰ σοῦ, ἤγουν, μὴ ποιήσῃς τοιαῦτα, ὡς τὸν πονηρὸν ζῆλον λαβεῖν κατὰ σοῦ, ἐπεὶ ἐπιβουλεύει σοι. οἷον D εἰ μετὰ γνώμης τοῦ Δαβὶδ τὸν ὕμνον ἔλεγον αἱ νεάνιδες, τὸ, ἐπάταξεν ὁ Δαβὶδ ἐν μυριάσιν αὐτοῦ· αὐτὸς ἦν ὁ παραζηλῶν ἐν πονηρευομένοις, τῷ Σαούλ. μήτε πάλιν μιμοῦ ἢ μακάριζε τοὺς τοιούτους, ἀνθοῦντας ὁρῶν. πρὸς ὀλίγον γὰρ ἀνθοῦντες, ξηραίνονται. πᾶσα γὰρ σὰρξ, χόρτος. τί οὖν ἔχουσι ζηλωτὸν, οἵτινες πρὸς ὀλίγον ἀνθήσαντες, αὔριον εἰς κλίβανον βάλλονται; καθά φησιν ὁ σωτήρ. οὐ γάρ τοι φαίην ἂν εἶναί πως ἀξιοζήλωτον τοῖς ἐθέλουσι ζῆν ἀξιοπρεπῶς, τὴν τῶν πονηρευομένων πρόσκαιρον εὐημερίαν, ἐννοεῖν δέ χρὴ μᾶλλον, εἰς οἷον ἐκβήσεται πέρας τὸ διαβιοῦν ἑλέσθαι κακῶς, μὴ τοίνυν ζήλου τοὺς τοιούτους φησὶ, μηδὲ κατερεθίζου πρὸς μίμησιν τῶν φιλαμαρτημόνων, κἂν εἰ δοκοῖεν ἔχειν E τὰς ἐν τῷ παρόντι βίῳ τρυφάς. φεῦγε οὖν τὴν ἰσοῤῥοπίαν, εἰς τὰ ἐσόμενα βλέπων· οὐ γὰρ ἐν τούτοις ἔσται διηνεκῶς τὰ πράγματα. διὸ ἐπάγει· ὅτι ὡσεὶ χόρτος ταχὺ ἀποξηρανθήσονται, καὶ ὡσεὶ λάχανα χλόης ταχὺ ἀποπεσοῦνται.

Στ. γ'. Ἔλπισον ἐπὶ κύριον, καὶ ποίει χρηστότητα, καὶ κατασκήνου τὴν γῆν, καὶ ποιμανθήσῃ τῷ πλούτῳ αὐτῆς.

A gis magisque amicus fio; tunc gratias ago Deo. Quia etiam Paullus a minoribus ad majora procedens, ait: *Hortor primum omnium fieri orationes, deprecationes, supplicationes, gratiarum actiones* [a].

v. 2. *Dum tollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

Sublatæ manus ad actiones religiosas, in thesauris cælestibus reconditæ sunt: per quas superat quis intellectualem Hamalec: sicut Moyses, quando manus sustollebat, vincebat populus, quando vero dimittebat, Hamalecitæ. Ne dimittamus igitur manus, quia vincemur.

v. 5. *Quoniam non intellexerunt in opera Domini, & in opera manuum ejus.*

Nemo enim inculpatus, qui non considerat opera Domini. *Opus enim manuum ejus annuntiat firmamentum* [b]. Tribuit enim ut cum proportione contemplemur ejus conditorem.

v. 7. *Et refloruit caro mea.*

Quænam vero caro refloruit? *Videbit omnis caro salutare Dei* [c].

PSALMUS XXXVI.

v. 1. *Ne exstimula in malignantibus, neque zela facientes iniquitatem.*

Differunt zelare & exstimulare. *Exstimulare* enim perinde est atque irritare, & movere ad zelotypiam, cujusmodi est illud: *Ipsi exstimulaverunt me in non Deo* [d]: idest, commoverunt in me zelum, quasique ad iracundiam me irritaverunt suis idolorum cultibus. *Zelare* vero, est velle habere bonum, quod proximum habere quis existimat. Sensus itaque est: Ne alium irrites malignantem, quo insurgat contra te. Vel, ne feceris talia, ut D malum zelum adversus te accipiat, quandoquidem tibi insidias struit. Puta: Si ex sententia Davidis hymnum dicebant puellæ illum, *Percussit David in decem millibus ejus* [e]; ipsemet erat exstimulator in malignantibus, Saulo nempe. Nec rursus imitare vel beatos prædices hujusmodi, felices eos videns. Parumper enim florentes, mox arescunt. *Omnis enim caro, fœnum* [f]. Quid ergo zelatorem habent, qui ad breve aliquod tempus vernantes, cras in clibanum mittuntur? sicut dicit salvator. Neque enim fas est dicere, æmulandam esse volentibus digne vivere, momentaneam malignantium felicitatem. Quin potius considerandum, quem finem habitura sit optio vitæ flagitiosæ. Ne igitur E zela, inquit, homines hujusmodi, neque exciteris ad imitationem eorum qui peccata diligunt, tametsi videantur habere hujus vitæ oblectamenta. Fuge igitur similes animi propensiones, quæ futura sunt considerans. Non enim in istis res perpetuo erunt. Propterea subjungit: *Quoniam tamquam fœnum cito arescent, & ut olera herbæ cito excident* [g].

v. 3. *Spera in Dominum, & fac bonitatem, & incole terram, & pasceris in divitiis ejus.*

* Τουτέστιν, ἀγάπησον τὸ εὐδοκιμεῖν. δίψησον

* Id est, dilige acceptum probumque videri: siti fa-

a I. Tim. II. 1. b Psalm. XVIII. 2. c Luc. III. 6. d Deut. XXXII. 21. e I. Reg. XXIX. 5. f Isaj. XL. 6. g Psalm. XXXVI. 2.

τῶν ἱερῶν χαρισμάτων τὴν κτῆσιν. ἀγάπησον τὰ A τοῖς ἁγίοις τετηρημένα καὶ παρὰ Θεῷ τεθησαυρισμένα. καὶ ποίει χρηστότητα. ὡς εἰ ἔλεγε τῷ ἀγρῷ· ποίει τόνδε τὸν καρπόν. οὕτως σοι τῷ ἀκροατῇ τῶν θείων μαθημάτων· δὸς ἀγρῷ, φησὶν ὁ λόγος, ποίει χρηστότητα, ἥτις μία ἐστὶ τῶν καρπῶν τοῦ πνεύματος. τὸ τῆς χρηστότητος ὄνομα ἐνταῦθα κατασημαίνει πάντα τρόπον ἀρετῆς. καὶ κατοίκει παρὰ τὴν γῆν. προσδιατρίβων τῇ τῆς ψυχῆς ἐπιμελείᾳ καὶ γεωργίᾳ· ὅτι ὃ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, ἐκεῖνο καὶ θερίσει. ἴσως δὲ γῆν, τὴν θεόπνευστον ὀνομάζει γραφὴν, ἐν ᾗ ὁ πλοῦτος τῶν ἁγίων, τουτέστιν αἱ ἐπαγγελίαι. καὶ παραινεῖ διαπαντὸς τῶν θείων ἔχεσθαι λογίων, ἔρωτι τῶν ἐν αὐτοῖς ἀποκειμένων τοῖς ἁγίοις ἀγαθῶν. ἤ, τὸ μὲν κατασκήνου τέθεικεν ἀν- B τὶ τοῦ κατασκηνώσεις. γῆν δὲ ἐκείνην λέγει τὴν τοῖς πραέσιν ἐπηγγελμένην δηλονότι, ἐν ᾗ γεγονὼς, ποιμανθήσῃ φησὶν ἐπὶ τῷ πλούτῳ αὐτῆς. πλοῦτος δὲ τῆς ἄνω πόλεως, ἡ τῶν θείων χαρισμάτων ἀμφιλαφὴς χορηγία. τάχα δὲ σκηνῇ ἀπεικάζει τὸν πρόσκαιρον βίον· καὶ βούλεται ἡμᾶς χρᾶσθαι αὐτῷ, ὡς σκηνῇ κατὰ πάροδον, κυριεύοντας αὐτοῦ, οὐ κυριευομένους ὑπ᾽ αὐτοῦ. καὶ πρὸς τὸ συμφέρον, οὐ πρὸς ἡδονὰς ἀποχρωμένους. οὕτω γὰρ ποιμανθησόμεθα ὑπὸ ποιμένι καλῷ, εἴ τις πλοῦτός ἐστι τῶν θείων δογμάτων, τοῦτον καρπούμενοι, ὥστε λέγειν· κύριος ποιμαίνει με, καὶ οὐδέν με ὑστερήσει.

A crorum charismatum possessionem: ama quæ apud sanctos in honore sunt, & penes Deum velut in thesauro recondita. *Et fac bonitatem*: ut si dixisset telluri; Fac hunc fructum. Sic tibi auditori divinorum documentorum; Da agro, dicit Verbum: fac bonitatem, quæ unus est ex fructibus Spiritus. *Bonitatis* nomen hoc loco significat omnem modum virtutis. *Et incole secus terram* [a]; insistens sollicitudini & cultui animæ: *Quia quodcumque seminaverit homo, illud & metet* [b]. Fortasse terram appellat divinitus inspiratam scripturam, in qua divitiæ sanctorum sunt, id est promissiones. Admonet etiam ut jugiter sectemur divina eloquia, amore bonorum quæ in illis reposita sunt pro san- B ctis. Vel posuit *incole*, pro *incoles*. Terram vero eam dicit, quæ mitibus scilicet promissa est; in qua cum fueris, pasceris inquit in divitiis ejus. Divitiæ porro supremæ civitatis, est divinorum donorum locuples largitio. Fortean tabernaculo assimilat temporariam hanc vitam: vultque ut nos ea utamur, veluti tabernaculo in transitu, imperantes illi, nequaquam vero eidem subjecti, utentesque ea ad id quod utile, non quod volupe fuerit. Hoc enim pacto pascemur sub pastore bono: si quæ sunt divinorum dogmatum divitiæ, ejusmodi fructus colligentes, ut dicamus: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit* [c].

Στ. δ΄. Κατατρύφησον τοῦ κυρίου, καὶ δώσει σοι τὰ C αἰτήματα τῆς καρδίας σου.

C v. 4. *Oblectare in Domino, & det tibi petitiones cordis tui.*

[1] Ἔθος τῇ γραφῇ, δύο ἀνθρώπους εἰσάγειν, καὶ σχεδὸν πάντα τὰ τοῦ χείρονος ἔχει καὶ ὁ κρείττων. ἔστι γάρ τις τροφὴ καὶ τοῦ ἔσω ἀνθρώπου, περὶ ἧς λέγεται· οὐκ ἐπ᾽ ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ἐν παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ. ἔστι τι καὶ ποτόν· πίνομεν γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας. καὶ ἔνδυμα· ὅθεν ὁ μὲν ἁμαρτωλὸς ἐνεδύσατο κατάραν ὡς ἱμάτιον, ὁ δὲ δίκαιος τὸν κύριον Ἰησοῦν, καὶ σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, καὶ πανοπλίαν Θεοῦ. οὕτως ὁ μὲν τῶν αὐτοῦ μόνον ἀκούων λόγων προτρεπτικῶν τρέφεται· ὁ δὲ ἐπιδιδοὺς ἑαυτὸν ἑρμηνείᾳ νόμου, διηγήσει προφητῶν, λύσει D παραβολῶν εὐαγγελικῶν, σαφηνείᾳ λόγων ἀποστολικῶν, κατατρυφᾷ τοῦ κυρίου· καὶ ἐσθίει οὐ πρὸς ἀνάγκην, οὐδὲ πρὸς μόνην τροφήν. διδάσκει οὖν ἡμᾶς κατατρυφῆσαι τοῦ κυρίου. καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἀπ᾽ ἀρχῆς βουλόμενος ἡμᾶς τρυφᾷν πνευματικῶς, ἐφύτευσε τὸν παράδεισον τῆς τρυφῆς, καὶ τὸν χειμάῤῥουν τῆς τρυφῆς ἐχαρίσατο. οὐδεὶς δὲ δύναται καὶ σαρκὶ καὶ πνεύματι τρυφᾷν. ἀλλ᾽ εἰ μὲν σαρκὶ ἐτρύφησεν, ὡς ὁ πλούσιος, στερηθήσεται τῆς μετὰ Ἀβραὰμ τρυφῆς. εἰ δὲ ἄρτον κακώσεως ἔφαγεν, ὡς ὁ πένης, ἐκεῖ τρυφᾷ καὶ ἀναπαύεται.

Mos est scripturæ introducere duos homines; & propemodum omnia quæ sunt sequioris, habet etiam qui præstantior est. Est enim quidam cibus interioris quoque hominis, quo de dicitur: *Non de pane solo vivet homo, sed in omni verbo procedente ex ore Dei* [d]. Est & quidam potus: *Bibimus enim de spiritali sequente petra* [e]. Itidem vestimentum. Quamobrem peccator *induit maledictionem sicut vestimentum* [f]: justus vero *Dominum Jesum* [g], & *viscera misericordiæ* [h], & *integram armaturam Dei* [i]. Eodem modo, qui ejus dumtaxat D hortatorios sermones audit, nutritur: at qui dedidit seipsum interpretationi Legis, enarrationi prophetarum, explicationi parabolarum evangelicarum, expositioni sermonum apostolicorum, oblectatur in Domino: & comedit non ob necessitatem, neque ob solum nutrimentum. Docet igitur nos, ut oblectemur in Domino. Deus enim ab initio volens nos spiritalem voluptatem percipere, voluptatis paradisum plantavit, & torrentem voluptatis dilargitus est. Nemo autem potest & carne & spiritu voluptatem percipere. Et si quidem carne voluptatem percepit, sicut dives ille, carebit voluptate cum Abraham. At si panem afflictionis comedit, ut pauper ille, ibi voluptatem percipit & requiescit.

Καὶ ἄλλως δέ. ὁ κύριος δικαιοσύνη ἐστὶν, ἀλή- E θεια, σοφία, ἁγιασμός· ἐὰν τρυφήσῃς οὖν καὶ ἐν τοῖς τῆς σοφίας θεωρήμασιν, ἐν ταῖς πράξεσι τῆς δικαιοσύνης, πεπλήρωται τό· κατατρύφησον τοῦ κυρίου. τρυφὴ τοιγαροῦν, τὸ ἔνοικον ἔχειν τὸν πάντα ζωογονοῦντα Θεὸν λόγον, τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς. καὶ αὐτὸν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς, ληψόμεθα πάντα τὰ αἰτήματα· οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ τὰ τῆς καρδίας. νοήσεις δὲ τὸ λεγόμενον, ἐὰν προσωποποιήσῃς ἕκαστον τῶν μελῶν, καὶ ἴδῃς πῶς κατὰ φύσιν αἰτεῖ. ὁ γοῦν ὀφθαλμὸς, εἰ εἶχε φωνὴν, ἔλεγεν ἄν σοι· αἰτῶ φῶς, αἰτῶ χρώματα βλέπειν κατάλλη-

E *Alio modo*. Dominus justitia est, veritas, sapientia, sanctificatio. Si igitur delicieris etiam in speculationibus sapientiæ, & in actionibus justitiæ, impletum est illud: *Oblectare in Domino*. Delitiæ igitur sunt, inhabitantem habere omnia vivificantem Deum Verbum, qui panis est vitæ: quem cum in nobis habuerimus, accipiemus omnes postulationes; non simpliciter, sed cordis. Intelliges porro quod dicitur, si prosopopœia utaris omnium corporis membrorum, videasque quomodo secundum naturam aliquid postulent. *Oculus* igitur si haberet vocem, diceret utique tibi: postulo lumen, postu-

a Psalm. xxxvi. 3. b Galat. vi. 7. c Psalm. xxii. 1. d Matth. iv. 4. e I. Cor. x. 4.
f Psalm. cviii. 18. g Rom. xiii. 14. h Coloss. III. 12. i Ephes. vi. 11.

1. Confer edita latina.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

λα ἐμοί. ἡ ἀκοὴ, αἰτῶ φωνὴν ἐμμελῆ, ἡδεῖαν· ἡ γεῦσις, αἰτῶ γλυκέα, φεύγω τὰ πικρά. ἡ ἀφὴ, αἰτῶ ἅπτεσθαι λείων, τρυφερῶν, προσηνῶν· οὐ πυρὸς, οὐ τραχέων, οὐδὲ κεντούντων. ὡς οὖν ἑκάστου τῶν αἰσθητηρίων ἐστὶν αἴτησις κατάλληλος καὶ φυγή. καὶ ὀφθαλμὸς μὲν αἰτεῖ τὸ φῶς, ἡ ὄσφρησις δὲ τὸ εὐῶδες, ἡ ἀκοὴ τὸ ἐμμελὲς, καὶ τὰ λοιπὰ ὁμοίως· οὕτως ἡ καρδία τὰ νοήματα, ἅπερ ληψόμεθα παρὰ κυρίου, ἐὰν μηδὲν ἀλλότριον τῆς αὐτοῦ τρυφῆς ἔχωμεν ἐν ταῖς καρδίαις. τότε δυνησόμεθα ἀποκαλύπτειν αὐτῷ τὴν ὁδὸν ἡμῶν. ἐποπτεύει γὰρ ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, τὴν τῶν σεβομένων αὐτὸν ἁγνὴν πολιτείαν. ἀποστρέφεται δὲ τὴν τῶν οὐκ ὀρθῶς ζῆν ἑλομένων. ὅθεν ἐπάγει·

A lo colores videre congruentes mihi. *Auditus*, postulo vocem concinnam, suavem. *Gustus*, postulo dulcia, fugito amara. *Tactus*, pustulo contrectare mollia, blanda, lenia: non ignem, non aspera, non pungentia. Quemadmodum igitur cuilibet sentiendi organo est quod sibi congruum postulet vel fugitet: & oculus quidem postulat lucem, olfactus suaveolentia, auditus concinna, & reliqua similiter: ita cor cogitationes, quas a Domino accipiemus, si nihil alienum a voluptate illius in cordibus habeamus. Tunc poterimus revelare ei viam nostram. Inspicit enim universorum Deus cultorum suorum sanctam conversationem, sicut aversatur mores eorum qui non recte vivere instituerunt. Qua-
B propter subdit:

Στ. ε΄. Ἀποκάλυψον πρὸς κύριον τὴν ὁδόν σου, καὶ ἔλπισον ἐπ' αὐτὸν, καὶ αὐτὸς ποιήσει.

Στ. ϛ΄. Καὶ ἐξοίσει ὡς φῶς τὴν δικαιοσύνην σου, καὶ τὸ κρίμα σου, ὡς μεσημβρίαν.

v. 5. *Revela apud Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.*

v. 6. *Et efferet ut lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem.*

[1] Ἔσο, φησὶν, φανερῶς τὴν ἀρέσκουσαν αὐτῷ βαδίζων ὁδὸν, τουτέστι, γυμνὴν καὶ ἀναμφίλεκτον τῷ Θεῷ τὴν σεαυτοῦ δεικνὺς πολιτείαν. καὶ ἔλπισον ἐπ' αὐτὸν, αὐτὸς δὲ ποιήσει. ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἐμφανῶς καταστήσει, καὶ οἷον περίοπτον ἀποφανεῖ, λαθεῖν οὐκ ἐῶν τῆς σῆς εὐζωΐας τὸ κάλλος. ἔσται γὰρ ἅπασιν ἐναργὴς ἡ δικαιοσύνη σου, δίκην φωτὸς ἀναλάμπουσα μεσημβρινοῦ.

[2] Μεσημβρία γε μὴν ὀνομάζεται τῆς ἡμέρας αὐτὸ τὸ μεσαίτατον. καὶ σε κρινεῖ ἄξιον εἶναι φωτὸς ἐκεῖ. ἐπειδὴ οὖν πᾶς ὁ φαῦλα πράσσων, οἷον ὁ πορνεύων, μισεῖ τὸ φῶς, καὶ τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, κρύπτει ἃ ποιεῖ, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ. θέλει γὰρ μὴ γνωσθῆναι τὴν πορνείαν αὐτοῦ. διὸ καὶ ἐπικρύπτει τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, ἣν ὥδευσεν. ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, οἷον ὁ σωφρονῶν, θέλει αὐτὴν φανερῶσαι, οὐκ ἀνθρώποις, ἵνα μὴ ἀπέχῃ τὸν μισθὸν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. διὰ τοῦτο εἴρηται· ἀποκάλυψον πρὸς κύριον τὴν ὁδόν σου, τουτέστι, δεῖξον αὐτῷ τὸν σὸν ἐπίμωμον βίον, καὶ αὐτὸς θεραπεύσει σε ἀπὸ τῶν τραυμάτων, καὶ ποιήσει τὸν ῥυπαρὸν καθαρόν. κἂν γένῃ καλὸς καὶ ἀγαθὸς, ἐγκαυχήσεταί σοι, καὶ ἐπεὶ μὴ ὢν κενόδοξος ἔκρυπτες τὴν δικαιοσύνην σου, αὐτὸς φανερὸν ποιήσει, καὶ οὕτως ἐπιφανῆ [3] ὥσπερ ἥλιον ἐν μεσημβρίᾳ. τότε γὰρ, φησιν, οἱ δίκαιοι λάμψουσιν ὡς ἥλιος.

Esto, inquit, manifeste ambulans placentem ei viam, idest, nudam & apertam Deo ostendens conversationem tuam: & spera in eum, ipse vero faciet. In futuro sæculo manifestum constituet, &
C quodammodo conspicuum omnibus demonstrabit, non patiens latere probæ vitæ tuæ pulcritudinem. Erit enim cunctis evidens justitia tua, instar luminis meridiani refulgens.

Meridies certe nominatur diei ipsum meditullium: teque judicabit ibi dignum esse lumine. Quoniam igitur *quicumque male agit*, puta fornicator, *odit lucem* [a], & quantum in se est, occultat quæ agit, *ut non arguantur* [b]: vult enim nesciri fornicationem suam, propterea etiam celat viam suam, cui institit. At qui facit veritatem, puta castimoniæ sectator, vult ipsam manifestam facere; non hominibus quidem, ut non habeat ab hominibus mercedem; sed Deo: propterea dictum est; *Revela apud Dominum viam tuam*, id est, ostende illi vi-
D tam tuam vituperabilem, & ipse curabit te a vulneribus, & efficiet mundas sordes tuas. Et si fueris probus, gloriabitur de te: & quia cum jactabundus non esses, occultabas justitiam tuam, ipse manifestam faciet, & usque adeo conspicuam, ut sol est in meridie. Ait enim: *Tunc justi fulgebunt sicut sol* [c].

Στιχ. ζ΄. Ὑποτάγηθι τῷ κυρίῳ, καὶ ἱκέτευσον αὐτόν.

v. 7. *Subjicitor Domino, & deprecare eum.*

Ὑποταγὴν οὖν ἐνταῦθα λέγει τὴν τῶν κακῶν ἀναχώρησιν. οὐδεὶς γὰρ ἁμαρτάνων ὑποτέτακται τῷ κυρίῳ. ἔστω, φησὶν, ὅτι ἤδη ὑπετάγθην· τί ποιῶ περὶ τῶν προτέρων; ἱκέτευσον αὐτὸν, λέγων· μὴ μνησθῇς ἡμῶν ἀνομιῶν ἀρχαίων. ὥστε οὐ δεῖ πρότερον περὶ ἁμαρτίας ἱκετεύειν, ἢ ὑποταγέντα τῷ κυρίῳ, τουτέστιν ἐκστάντα τῆς ἁμαρτίας. ἔτι γὰρ ὄντα ἐν ἁμαρτίαις ἄφεσιν ἁμαρτιῶν αἰτεῖν, πάνυ ἄλογόν ἐστι.

Subjectionem igitur hoc loco appellat recessum a malis. Nemo quippe peccans subjicitur Domino. Esto, ait, quia jam subjectus fuerim. Quid faciam de superioribus? Deprecare illum, dicens: *Ne recor-*
E *deris iniquitatum nostrarum antiquarum* [d]. Itaque non oportet prius pro peccatis exorare, quam quis subjiciatur Domino, idest a peccatis recedat. Quod enim veniam peccatorum petat is, qui adhuc peccatis adhæret, res omnino irrationabilis est.

Στ. ζ΄. Μὴ παραζήλου ἐν τῷ κατευοδουμένῳ ἐν τῇ ὁδῷ αὐτοῦ, ἐν ἀνθρώπῳ ποιοῦντι παρανομίαν.

v. 7. *Ne exstimuleris in eo qui fortunatus incedit in via sua, in homine faciente prævaricationem.*

Μὴ μιμήσῃ φησὶν, εὐδαιμονίαν ἐκ παρανομίας συγκροτουμένην. μηδὲ εἰς κακίαν ἐρεθίζου, κἂν ὁρᾷς τὸ κακὸν εὐοδούμενον, δέον λογίσασθαι, ὅτι ὁ αἰὼν οὗτος τούτων ἐστὶ τῶν μὴ ἐχόντων ἄλλην ἐλπίδα.

Ne imiteris, inquit, felicitatem ex prævaricatione provenientem: neque ad flagitia provoceris, tametsi videas pravitatem feliciter fausteque vertentem, siquidem cogitandum est, quod sæculum istud eorum sit, qui aliam spem non habent. Fortunati

a Joan. III. 20. b Ibid. c Matth. XIII. 43. d Psalm. LXXVIII. 8.

1. Cyrill. & Orig. 2. M. minio pingitur, quasi hinc Origenes ordiatur. 3. ἐπιφανῆ, vel ἐπιφεγγῆ. & lege ἥλιος.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

εὐτυχείτωσαν ἐν αὐτῷ, καὶ ἐχέτωσαν τὰ νομιζόμενα ἀγαθά. ἡμεῖς δὲ εἰς ἄλλον αἰῶνα βλέπομεν ζωῆς. καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, ἐξῆς τούτῳ τῷ αἰῶνί ἐστιν. οὐχ οἷόν τέ ἐστι τὰ ἀγαθὰ ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι ἔχειν, καὶ ἐν ἐκείνῳ· εἰ γὰρ ἐν τούτῳ ἔχει (τις), ἐκεῖ κολαζόμενος ἀκούσεται· ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου. ἀναγκαίως μέν τοι προστίθεται τό· ἐν ἀνθρώπῳ ποιοῦντι παρανομίαν. τῶν τοιούτων γάρ φησι τὴν μίμησιν παραιτεῖσθαι χρή· καὶ χρήσιμον σφόδρα τοῦ ἀποφοιτᾶν τῷ [1] παραζηλοῦν αὐτούς. εὐοδοῦνται γάρ, ἤτοι τὴν ἐν πράγμασι τοῖς ἰδίοις εὐοδίαν ἔχειν ὑπολαμβάνονται, οὐ ψήφοις ταῖς ἄνωθεν τὸ χρῆμα κερδαίνοντες, ἀλλ' ἐκ τοῦ πλεονεκτεῖν καὶ ἁρπάζειν τὰ ἑτέρων ἔσθ' ὅτε. τὴν οὖν εὐόδωσιν, τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον προκοπὴν λέγει. ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ ἐν δικαιοσύνῃ ζῶντες, ὅταν ἴδωσιν ἑαυτοὺς ἐν πόνοις, τὸν δὲ ἁμαρτωλὸν ἐν πᾶσι πρὸς καιρὸν εὐοδούμενον, ὀργισθέντες τῆς δικαιοσύνης ἀφίστανται, τοῦτο δὲ ἀνοίας τῆς ἐσχάτης· διὰ τοῦτο μακροθυμεῖν διδάσκων ὁ λόγος, καὶ τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ τὸν καρπὸν προσδέχεσθαι, φησί.

A in eo fint, & habento quæ reputantur bona. Nos vero in aliud fæculum vitæ animum intendimus: & fpes noftra poft hoc fæculum porrigitur. Fieri non poteft, ut & in hoc & in illo fæculo bona habeamus. Si enim heic habeat quis, ibi punitus audiet: *Accepifti bona tua in vita tua* [a]. Neceffario tamen adjicitur illud: *In homine faciente prævaricationem*. Horum enim inquit imitationem effe refpuendam, plurimumque prodeffe fi longius recedamus ab æmulandis illis. Profpere enim incedunt, atque adeo in fuis negotiis profperitatem habere reputantur, quum non ex divina fententia opum compendia faciant, fed ex avaritia, & rapientes aliquando quæ aliena funt. Profperitatem igitur nominat profectum in pejus. B Quoniam vero multi in juftitia viventes, ubi cernunt feipfos in afflictionibus, peccatorem contra in omnibus oportune feliciter agentem, indignatione correpti ab juftitia defcifcunt, quod eft extremæ infipientiæ; propterea dum fermo docet oportere nos effe longanimos, ait quoque juftitiæ fructum a Deo effe attendendum.

Στ. η'. Παῦσαι ἀπὸ ὀργῆς, καὶ ἐγκατάλιπε θυμόν.

v. 8. *Define ab ira, & defere iracundiam.*

Ἐπωφελὲς τὸ παράδειγμα, καὶ τοῖς ὑποτεταγμένοις Θεῷ πρεπωδέστατον. χρὴ γάρ φησι, πρᾴους εἶναι, καὶ εὖ μάλα καθεστηκότας, καὶ εὐταξίαν ἔχοντας εἰς νοῦν, ἀγαπῶντάς τε διαπαντὸς τὴν ἀπὸ τῆς μακροθυμίας εὐοδίαν, καὶ τῶν ἐξ ὀργῆς κυμάτων ἀποφοιτᾶν. τῶν γὰρ παθῶν τινα μὲν οὐ πίπτει εἰς πολλούς, ἀλλὰ καὶ οἱ τυχόντες ἀπέβαλον αὐτὰ προκόπτοντες. τὸ γὰρ μιαρὸν τοῦτο πάθος, ἡ ὀργή, ἐκκαίει καὶ τοὺς δοκοῦντας εἶναι φρονίμους, καὶ ταράσσει. οὐ τινὰ μέν, τινὰ δ' οὔ. ἀλλὰ κινδυνεύω λέγειν πάντας ἀνθρώπους πάρεξ τοῦ τελείου, ἐάν που εὑρεθῇ τις τέλειος.

Utile monitum, & iis qui fubjecti funt Deo congruentiffimum. Oportet enim, ait, nos effe manfuetos, optime fibi conftantes, & moderationem in C animo habere: diligere quoque femper provenientem ex longanimitate fucceffum, & ab iracundiæ æftu temperare. Ex affectionibus enim quædam non cadunt in multos, quafdam etiam nonnulli de trivio homines proficientes exuerunt. Exfecrabilis vero ifta paffio, iram inquam, fuccendit & eos qui videntur effe prudentes, atque perturbat: non unum quidem utique, alium vero non; fed audeo dicere omnes prorfus homines præter perfectum, ficubi inveniri poteft, qui fit perfectus.

Στ. θ'. Οἱ δὲ ὑπομένοντες τὸν κύριον, κληρονομήσουσι γῆν.

v. 9. *Suftinentes autem Dominum, hereditabunt terram.*

[2] Ἐπειδὴ εἰώθαμέν πως ἀεὶ τῶν πονηρῶν ἀπανίστασθαι, τῷ τοῦ κολάζεσθαι δέει συνωθούμενοι πρὸς τὸ ἄμεινον, ἐφέσει δὲ τῶν παρὰ Θεοῦ χαρισμάτων συνελαύνεσθαι εἰς τὸ διαζῆν εὐνόμως. διὰ τοῦτο δείξας ὁ ψάλλων ὀλέθριον τῶν πονηρευομένων τὸ τέλος, ἐπάγει· ὅτι οἱ τὸν κύριον ὑπομένοντες, τουτέστιν, οἱ διὰ καρτερίας καὶ ὑπομονῆς τὸν εὐδόκιμον κατορθοῦντες βίον, κληρονομήσουσι γῆν, ἥτις οὐκ ἔστι μέρος ταύτης τῆς γῆς ὑπὸ κατάραν γεγενημένης, ἣν ἐν λύπαις ἐσθίει πάσας τὰς ἡμέρας αὐτοῦ ὁ ἐργαζόμενος αὐτήν. ἀλλὰ γῆν ἐκείνην, τὴν τοῖς ἁγίοις ηὐτρεπισμένην. κλῆρος γὰρ αὐτοῖς ἡ τῶν ἁγίων καλλίπολις, ἡ ἱερά τε καὶ ἄνω, ἧς κληροδότης Θεός. [3] ὥσπερ δέ ἐστιν ὁ σωτὴρ σοφία, λόγος, εἰρήνη καὶ δικαιοσύνη, οὕτως καὶ ὑπομονή. γέγραπται γάρ· καὶ νῦν τίς ἡ ὑπομονή μου; οὐχὶ κύριος; ἀφ' οὗ ἀρύεσθαί ἐστι καὶ λαμβάνειν πάντα, ἃ λέγεται εἶναι κατὰ τὰς γραφὰς ὁ Χριστός. ὡς γὰρ μετοχῇ αὐτοῦ δίκαιοι γινόμεθα καὶ σοφοί, καὶ εἰρηνεύομεν. οὕτως καὶ μετοχῇ αὐτοῦ ὑπομένομεν. ἡσύχαζε οὖν ὑπομένων καὶ ἐκδεχόμενος τὸν Θεόν, μὴ ταραττόμενος τοῖς παροῦσι.

D Quoniam confuevimus quodammodo femper adverfus pravos infurgere, metu pœnæ propellentes eos ad meliorem frugem, quo defiderio donorum Dei cogantur ad bene honofteque vivendum, propterea oftendens pfalmifta pernitiofum pravorum finem, fubinfert: *Suftinentes Dominum*, ideft qui ex fortitudine & patientia laudabilem vitam degunt, *hereditabunt terram*, quæ non eft portio terræ iftius fubjectæ maledicto, de qua in doloribus comedit omnes dies fuos qui colit eam: fed terram illam fanctis præparatam. Hereditas quippe eorum, eft pulcherrima illa civitas, quæ & fancta & fuperior audit, cujus diftributor eft Deus. Sicut autem falE vator eft fapientia, Verbum, pax & juftitia, ita etiam patientia. Scriptum eft enim: *Et nunc, quæ eft patientia mea? Nonne Dominus* [b]? a quo haurire oportet & accipere omnia, quæ Chriftus effe dicitur fecundum fcripturas. Sicuti enim participatione ejus fimus jufti, & fapientes, & pacificis: ita quoque participatione ejus fimus patientes. Quiefce igitur fuftinens & exfpectans Deum, nequaquam rebus præfentibus perturbatus.

Στ. ια'. Οἱ δὲ πρᾳεῖς κληρονομήσουσι γῆν.

v. 11. *Manfueti vero hereditabunt terram.*

Οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου καὶ τινων ἑτέρων, οἰόμενοι τὸν σωτῆρα λέγειν τὰ μὴ εἰρημένα ἐν τοῖς παλαιοῖς γράμμασιν, ἐντεῦθεν ἐλεγχέσθωσαν, ἀκούοντες,

Valentiniani & alii quidam, rati falvatorem dicere, quæ nequaquam in prifcis fcripturis dicta funt, ex hoc loco arguantur, dum audiunt: *Beati man-*

[a] Luc. xvi. 25. [b] Pfalm. xxxviii. 8.

1. An τοῦ. 2. Ms. Cyrillo tribuit.

3. Cyrilli & Origenis. Hinc Origenes videtur ordiri.

SÆCUL. III CIRCA ANN. CHR. 230.

ὅτι μακάριοι πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν· εἴρητο μὲν καὶ πρότερον διὰ Δαβὶδ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος.

A *sueti, quia ipsi hereditabunt terram* [a]: quod antea quoque dictum fuerat per David ab eodem Spiritu.

[1] Οἰκονομικώτερον δὲ λίαν ὁ Δαβὶδ ἀντιπαρεξάγει ταῖς τῶν παρανόμων κολάσεσι τὰ τῶν ἁγίων γέρα. ἀκονᾷ δὲ διὰ τούτων αὐτοὺς εἰς ἔφεσιν ἀνδρείας πνευματικῆς, δι' ἧς ἂν γένοιτο κατορθοῦν πάντα τρόπον ἀρετῆς [2]. ταύτῃ τοί φησιν· Οἱ δὲ πραεῖς κληρονομήσουσι γῆν, τὴν ἄνω δηλαδή. εἰ γάρ ἐστιν ἐν οὐρανοῖς κατὰ Παῦλον Ἱερουσαλὴμ καὶ Σιὼν ὄρος, ἀκόλουθον καὶ γῆν νοεῖν, ἣν κληρονομήσουσιν οἱ νενικηκότες πάθος ὀλέθριον, τὴν ὀργὴν, ἥτις καὶ φρονίμους ἀπόλλυσι. κατ' ἀρετὴν γὰρ ἐνεργεῖν ἐμποδίζονται. κατὰ διάμετρον δέ εἰσιν ἀλλήλοις πρᾳότης καὶ ὀργή. ὅπου γὰρ ὀργὴ, οὐδαμῶς πρᾳότης, καὶ ὅπου πρᾳότης οὐδαμῶς ἐκεῖ ὀργή.

Eximia sapientia valde David impiorum suppliciis e regione opponit sanctorum retributiones. Exacuit vero per hæc illos ad desiderium generositatis spiritualis, qua fiat ut omnem modum virtutis assequi valeant. Propterea dicit: *Mansueti hereditabunt terram*, supernam videlicet. Si enim est in cælis, juxta Paullum, Jerusalem, & mons Sion; consequens est ut ibi etiam terram concipiamus animo, quam hereditate adibunt qui perniciosam passionem vicerint, iracundiam nempe, quæ & prudentes perdit, dum ne ex virtute agant impedimento B est illis. E regione autem inter sese opponuntur mansuetudo & iracundia. Ubi enim iracundia est, nullatenus mansuetudo; & ubi mansuetudo, nullatenus ibi iracundia invenitur.

Στ. ιβ'. Παρατηρήσεται ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν δίκαιον, καὶ βρύξει ἐπ' αὐτὸν τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ.

Στ. ιγ'. Ὁ δὲ κύριος ἐκγελάσεται αὐτὸν, ὅτι προβλέπει, ὅτι ἥξει ἡ ἡμέρα αὐτοῦ.

v. 12. *Observabit peccator justum, & frendebit in eum dentibus suis.*

v. 13. *At Dominus deridebit eum, quia prævidet, quia veniet dies ejus.*

Ἐντεῦθεν μανθάνομεν, ὅτι ὥσπερ πέφυκεν ἐναντίον εἶναι σκότος καὶ φῶς, οὕτω ὁ ἁμαρτωλὸς τῷ δικαίῳ. ἐὰν οὖν ἴδῃς ποτὲ μισούμενον τὸν δίκαιον, μὴ ὄκνει λέγειν περὶ τοῦ μισοῦντος αὐτὸν, ὡς ἐστιν ἁμαρτωλός. οἱ γὰρ φρονοῦντες τὰ κοσμικὰ, καὶ τῇ τοῦ παρόντος βίου τύρβῃ τὸν ἑαυτῶν ἐνδήσαντες νοῦν ἀεί πως ἐπιμεμήνασι τοῖς τὸν ἁγνὸν καὶ ἀπόλεκτον διαβιοῦσι βίον, καὶ ἐχθρὸν ἡγοῦνται τῆς δικαιοσύνης τὸν ἐραστήν.

Ex hoc loco addiscimus, quia quemadmodum natura contrariæ sunt tenebræ & lumen; ita etiam peccator & justus. Si igitur videris umquam odio C habitum justum, ne timeas dicere de eo qui illum odio habet, eum esse peccatorem. Qui enim mundana sapiunt, & turbis hujus vitæ suam ipsorum mentem revinxerunt, semper quodammodo insaniunt adversus eos, qui honestam & electam vitam agunt, hostemque reputant eum, qui justitiam amore prosequitur.

Στ. ιδ'. Ῥομφαίαν ἐσπάσαντο οἱ ἁμαρτωλοὶ, ἐνέτειναν τὸ τόξον αὐτῶν, τοῦ καταβαλεῖν πτωχὸν καὶ πένητα, τοῦ σφάξαι τοὺς εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ.

v. 14. *Gladium extraxerunt peccatores: intenderunt arcum suum, ut profligarent pauperem & egenum; ut jugularent rectos corde.*

Ὥσπερ ἐστὶ πανοπλία Θεοῦ τις, οὕτως ἐστί τις πανοπλία τοῦ διαβόλου, ἣν ὁ αὐτοῦ στρατιώτης ἐνδέδυται. τὸν θώρακα τῆς ἀδικίας, τὴν περικεφαλαίαν τῆς ἀπωλείας, τὸν θυρεὸν τῆς ἀπιστίας, τὴν μάχαιραν τοῦ πονηροῦ πνεύματος, ἣν σπᾶται ἁμαρτωλὸς, οὗ οἱ πόδες ἐπ' ἀδικίαν τρέχουσιν. ἔστι τις ἑτοιμασία τοῦ εὐαγγελίου, ἔστι καὶ ὑπόδημα ἑτοιμότατον εἰς τὴν ἁμαρτίαν. ἐνταῦθα οὖν ῥομφαίαν ἐσπάσαντο, ὅτι πρόχειρον ἔχουσι τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἕτοιμοί εἰσιν ἐπὶ τὸ ποιεῖν αὐτήν. οἱ κρύπτοντες ἐν τῷ κολεῷ τῆς ἁμαρτίας τὴν ῥομφαίαν τοῦ πονηροῦ πνεύματος. βέλος τῶν δικαίων, Χριστός ἐστιν Ἰησοῦς. ἔθηκας ὡς βέλος ἐκλεκτόν. ὁ λόγος τῶν ἁμαρτωλῶν βέλος ἐστίν. ἁμαρτίας ἰὸν ἔχει. τιτρώσκει τὸν μὴ καθωπλισμένον τῷ τῆς πίστεως θυρεῷ. οἴδασιν ὅτι οὐ δύνανται καταβαλεῖν πλούσιον πλουτοῦντα ἐν σοφίᾳ, ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς. διὰ τοῦτο τὴν ἀρχὴν οὐδὲ ἐπιβάλλουσιν αὐτῷ. ἀλλ' ἡ πᾶσα ἐπιβουλὴ, ἔστι κατὰ τοῦ πτωχοῦ· ἐπεὶ λύτρον ψυχῆς ἀνδρὸς ὁ ἴδιος πλοῦτος. πτωχὸς δὲ οὐχ ὑφίσταται ἀπειλήν. καλὸν μὲν οὖν μὴ ἔχειν ῥομφαίαν ἁμαρτίας. δεύτερον δὲ ἔχοντα, μὴ σπᾶσθαι αὐτήν· ἀλλὰ ποιεῖν αὐτὴν ἡσυχάζειν· ἀργοῦσα γὰρ, οὐ μόνον ἰοῦται οὐδὲ ἀμβλύνεται, ἀλλὰ τέλεον ἐξαφανίζεται. καὶ οὐ χρείαν ἔχομεν πυρὸς, ὅπου ἑκάστου τὸ ἔργον δοκιμάζεται, ὃ Πέτρου μὲν οὐχ ἅπτεται, ἀλλ' ἀκούει, κἂν διέλθῃς διὰ πυρὸς, φλὸξ οὐ κατακαύσει σε· ἁμαρτωλῶν δὲ ἅπτεται ἡ λίμνη τοῦ πυρὸς. ὡς ἡ ἐρυθρὰ Αἰγυπτίων οὐ μὴν καὶ Ἑβραίων. ὥσπερ μέντοι ὁ σωτὴρ βέλος ἐκλεκτὸν, καὶ ἀνάλογα

Sicut est quædam armatura Dei, sic est quædam D armatura diaboli, quam miles ejus induit: thoracem injustitiæ, galeam interitus, scutum infidelitatis, gladium maligni spiritus, quem evaginat peccator, cujus pedes ad injustitiam currunt. Est quædam præparatio evangelii, est & calcinamentum paratissimum ad peccatum. Heic igitur gladium extraxerunt: quia in promtu habent peccatum, & parati sunt ad perpetrandum illud: qui occultant in vagina peccati gladium maligni spiritus. Telum justorum est Christus Jesus. *Posuisti tamquam telum electum* [b]. Sermo peccatorum, telum est; peccati venenum habet: vulnerat eum qui non armatur scuto fidei. Sciunt, quia non possunt dejicere divitem ditescentem in sapientia, in operibus bonis. E Propterea omnino neque aggrediuntur illum. Sed totæ insidiæ fiunt contra pauperem: quia *pretium redemtionis animæ hominis, sunt divitiæ propriæ: pauper autem non sustinet minas* [b]. Bonum igitur est, non habere gladium peccati: deinde si quis habeat, ne illum evaginet, sed faciat eum quiescere. Quiescens enim non modo æruginem contrahit, & acie obtunditur, sed prorsus tandem evanescit. Nec opus habemus igne, ubi opus cujusque examinatur: qui Petrum quidem non tangit, sed audit, *Etsi transieris per ipsum, flamma non aduret te* [c]: peccatores vero tangit utique stagnum ignis, sicut Erythræum obruit Ægyptios, & non Hebræos. Quemadmodum tamen salvator telum est electum, & similia salvatori tela sunt

a Isaj. XLIX. 2. b Prov. XIII. 8. c Isai. XLIII. 2.

1. Κυελλ. 2. Περιεχ.

τῷ σωτῆρι βέλη τοῦ Θεοῦ οἱ ἅγιοι τιτρώσκοντες βέλει ἐκλεκτῷ, ἵνα ὁ τετρωμένος λέγῃ· τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ· οὕτως ὁ ἀντίχριστος βέλος τοῦ πονηροῦ. καὶ πάντες οἱ ἁμαρτωλοὶ βέλη τοῦ διαβόλου, οἷς κατὰ τῶν δικαίων χρᾶται. Ἴδε γυναῖκα, καὶ ἐπεβούλευσάν σοι. εἰ μὴ βέλος ἐστὶ πεπυρωμένον, πῦρ ἔχουσα ἐν στόματι, ἵνα λαλήσῃ καὶ καύσῃ σε, ἐν χειρὶ, ἐν ὅλῳ τῷ σώματι, ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ; καὶ ὥσπερ ὁ Θεὸς τίθησι τόξον ἐν τῇ νεφέλῃ, ἵνα παύσῃ χειμῶνα, καὶ μὴ γίνηται κατακλυσμός· οὕτω, κατὰ τὸ ἀντικείμενον, ὁ πονηρὸς χρᾶται τόξῳ, ἵνα παύσῃ γαλήνην ἀπὸ ψυχῆς, καὶ εἰρήνην σβέσῃ, καὶ πόλεμον ἐγείρῃ, καὶ χειμῶνα ποιήσῃ. μήποτε δὲ οἱ πτωχοὶ καὶ πένητες ἀδελφοί εἰσι τῶν εὐθέων τῇ καρδίᾳ; οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, οὓς ζητοῦσι καταβαλεῖν οἱ δαίμονες. ἐὰν ἴδῃς σκανδαλιζόμενον, καὶ ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας κεκρατημένον, βλέπε ὅτι οὗτος ἔσφακται, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ῥεῖ, ὃ ἐκζητεῖ Θεός. ἀπώλετο γὰρ ἡ ζωτικὴ δύναμις αὐτοῦ. ἐκζητεῖ δὲ αὐτὸ ἀπὸ ἀδελφοῦ, καὶ ἀπὸ θηρίου. ἀπὸ πιστοῦ σκανδαλίζοντος, καὶ ἀπὸ ἀλλοτρίου τῆς πίστεως, καὶ ἀπὸ τῆς χειρὸς τοῦ σκοποῦ.

A sancti Dei vulnerantes telo electo, itaut vulneratus dicam, *Vulnerata caritate ego sum* [a]. Ita telum maligni est antichristus, & omnes peccatores tela sunt diaboli, quibus utitur adversus justos. Vide mulierem, & insidiati sunt tibi. An non telum est ignitum, ignem habens in ore, ut loquatur & exurat te, in manu, in toto corpore, in tota anima? Et sicut Deus *ponit arcum in nube* [b], quo compescat procellam, nec fiat diluvium: ita ex contrario, malignus utitur arcu, ut cessare faciat serenitatem ab anima, & pacem exstinguat, bellum excitet, & tempestatem efficiat. Forte autem *pauperes & egeni*, sunt fratres *rectorum corde*, *pauperes spiritu*, quos quærunt profligare dæmones. Si quem B videris scandalizatum, & peccato obnoxium: attende quia is jugulatus est, & sanguis ejus fluit, & requirit Deus. Interiit enim vitalis facultas ejus: *requirit* autem illum Deus *a fratre & bestia* [c]; a fidele scandalizante videlicet, & ab alieno a fide, & *a manu speculatoris* [d].

[1] Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως περιεργότερον εἴρηται. ὁ μέντοι ψάλλων διασαφηνίζει πᾶν τὸ ἤδη ῥηθὲν, τό· κατανοεῖ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν δίκαιόν φημι. καθάπερ γὰρ ἐν πίνακι σαφῶς μηνιῶντα ζωγραφεῖ, καὶ παραταττόμενον εἰσφέρει, καὶ φονῶντα δεικνύει, καὶ ἀπογυμνοῦντα τὸ ξίφος, καὶ ἤδη τοξεύοντα, καὶ τὴν ἀδικίαν αὐτοῦ καθίστησιν ἐναργῆ. σκοποὶ γὰρ τῷ ἁμαρτωλῷ, οὐχ ἕνα τινὰ τῶν ἀδικησάντων αὐτῷ, ἢ κατά τι προσκεκρουκότων, καὶ προφάσεις τοῦ πολέμου δεδωκότων ἀλόγως ἀμύνεσθαι· ἀλλ' ἵνα καταβάλῃ πτωχὸν, τουτέστι τὸν ἐπιεικῆ καὶ μετριόφρονα, καὶ ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ, ὃν καὶ ὁ σωτὴρ πτωχὸν ἔφη τῷ πνεύματι, καὶ τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἄξιον εἶναί φησι. τίς οὖν τοῖς ἁμαρτωλοῖς λόγος πρὸς τοὺς εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ, καὶ τοὺς πτωχοὺς τῷ πνεύματι; παντελῶς οὐδείς. ἠδικήκασι γὰρ ἐκείνους οὐδὲν τὰς ἑαυτῶν ὁδοὺς ἀπευθύνοντας εἰς δικαιοσύνην. ἀκονᾷ δὲ οἶμαι κατ' αὐτῶν τοὺς ὠνομασμένους, μάταιός τις ἁπλῶς, καὶ οὐκ εὐάφορμος φθόνος, ἐκ διαβολικῆς σκαιότητος ἐκκεκαυμένος ἐν αὐτοῖς.

Et hæc quidem fortasse curiose nimis dicta fuerint. Psalmista vero illustrat quidquid jam dictum est, videlicet: *Considerat peccator justum* [e]. Tamquam enim in tabula clare irascentem depingit, inducitque quasi in acie constitutum, & cædes minitatem ostendit, nudantem etiam gladium, jam- C jamque sagittas arcu ejaculantem, & injustitiam ejus evidentem reddit. Scopus enim peccatori propositus, est non unum quempiam eorum qui injuria eum affecerint, vel ex parte offenderint, & speciosos prætextus bello dederint, ulcisci: verum studet prosternere pauperem, idest hominem mansuetum, & sobrie sapientem, ac humilem corde: quem etiam salvator pauperem dixit spiritu, & dignum asseruit regno cælorum. Quam igitur rationem habent peccatores adversum rectos corde, & pauperes spiritu? nullam omnino. Nullatenus enim læserunt illos, vias suas ad justitiam dirigendo. Exacuit porro contra eos vana quædam omnino, nec probabilis invidia famosos hosce homines, ex D diabolica pravitate in ipsis succensa.

Στ. ιέ. Ἡ ῥομφαία αὐτῶν εἰσέλθοι εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν· καὶ τὰ τόξα αὐτῶν συντριβείη.

v. 15. *Gladius eorum ingrediatur in corda eorum: & arcus eorum conterantur.*

Ὥσπερ δὲ ἡ εἰρήνη τοῦ δικαίου εἰς αὐτὸν ἀνακάμπτει· οὕτως ἡ ῥομφαία τοῦ ἀσεβοῦς εἰσέλθοι εἰς καρδίαν αὐτοῦ, ἐὰν τηρῇ ἑαυτὸν ὁ εὐθὺς τῇ καρδίᾳ.

Sicut justi pax in illum redit, ita gladius impii ingrediatur in cor ejus, si observet sese, qui rectus est corde.

Στ. ιϛ'. Κρεῖσσον ὀλίγον τῷ δικαίῳ, ὑπὲρ πλοῦτον ἁμαρτωλῶν πολύν.

v. 16. *Melius est modicum justo, præ divitiis peccatorum multis.*

Ἔχει μὲν οὖν ἡ λέξις αὐτόθεν ὠφέλιμόν τι τοῖς ἀκεραιοτέροις. ἔχει δέ τι καὶ κεκρυμμένως εἰρημένον τοῖς βαθύτερον ἀκούειν τῆς γραφῆς ἐπισταμένοις. τὸ οὖν ἁπλούστερον, τοιοῦτόν ἐστι· βιοπορίζουσι δίκαιοι καὶ ἄδικοι. ἀλλ' οἱ μὲν τοσοῦτον ζητοῦσι τὸ τῆς χρείας, ὅσον τὸ τῆς δικαιοσύνης, καὶ ἢ οὐ πορίζουσιν, ἢ ἄνευ ἀδικίας, χρωννύντες τὸ πορίζόμενον τῇ δικαιοσύνῃ. οἱ δὲ, ὅλως νενεύκασιν ἐπὶ τὸν πορισμὸν, ὅπως πολλὰ κτήσωσιν, οὐ ζητοῦντες εἰ καλῶς κτήσονται. δύο οὖν προκειμένων, τοῦ ὀλίγου λήμματος μετὰ δικαιοσύνης, καὶ τοῦ πολλοῦ μετὰ ἀδικίας· κρεῖσσον ὀλίγον τῷ δικαίῳ ὑπὲρ πλοῦτον ἁμαρτωλῶν πολύν. ἴδωμεν δὲ καὶ τὸ ἀνακεχωρηκός· κρεῖσσόν ἐστι πιστὸν ἰδιώτην εἶναι οὐδὲ ἀνοῖξαι τὸ στόμα δυνάμενον,

A uxori; ut silentio quidem ad fortitudinem stuperet, at vaticinio cognosceret, quod non in hominem, sed Deum sententiam fert. Propterea vero ipse non vidit; vel ut illa non taceret somnium, vel quia illi non credebatur, vel indignus erat, vel ut audiens quæ uxor passa fuerat, compateretur. Non enim modo somnium vidit, sed & multa passa est, & in nocte id ad majorem timorem contigit. Ceterum providentiæ opus illud somnium fuit, de quo quidem non dicitur quid esset, manifestat tamen demonstratum fuisse, non ut Christus non pateretur, sed ut mulier salva fieret. Beata vero hæc, quæ per somnia habuit, ut pateretur, ut non longe graviora pateretur. Quasi autem symbolum ea est ecclesiæ, B quæ quondam Pilato suberat, sed non amplius obnoxia est ei propter fidem in Christum . . . . . mulier enim alienigena erat.

Στιχ. μέ. Ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας, σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐνάτης.

v. 45. *A sexta autem hora, tenebræ fuerunt super omnem terram, usque ad horam nonam.*

[4] Περὶ ταύτης τῆς ἐκλείψεως καὶ ὁ προφήτης Ζαχαρίας εἰπών· ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, φησὶν, οὐκ ἔσται φῶς. καὶ ψῦχος καὶ πάγος ἔσται μίαν ἡμέραν. καὶ ἡ ἡμέρα ἐκείνη γνωστὴ τῷ κυρίῳ. καὶ οὐχ ἡμέρα, καὶ οὐ νὺξ, καὶ πρὸς ἑσπέραν ἔσται φῶς. εἰπὼν δὲ τὸ σκότος, τὸ ἐσκοτίσθαι τοὺς βάλλοντας χεῖρας τῷ φωτί. ὡς γὰρ Αἰγυπτίοις σκότος, καὶ τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ φῶς· οὕτως καὶ νῦν, τῇ μὲν ἐκκλησίᾳ φῶς, τοῖς δὲ Ἰουδαίοις σκότος τριῶν ἡμερῶν, φωτὸς πατρικοῦ, ἀπαυγάσματος Χριστοῦ, ἐκλάμψεως ἁγίου πνεύματος. καὶ ἐπεὶ ἐν τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ γεγένηται ὁ ἄνθρωπος, εἰκὸς δὲ αὐτὸν ἐν τῇ ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσφάλθαι· τάχα διὰ τοῦτο ὁ ὑπὲρ σωτηρίας ἀνθρώπων πάσχων, ὥρᾳ ἕκτῃ ἐκρεμάσθη. τοῦτό ἐστι τὸ σημεῖον, ὅπερ ἔμπροσθεν αἰτοῦσιν ὑπέσχετο δώσειν, λέγων· γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ ἑξῆς. καὶ, ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι. καὶ γὰρ πολλῷ θαυμαστότερον ἐπὶ τοῦ σταυροῦ προσηλωμένου ταῦτα γενέσθαι, ἢ ἐπὶ γῆς βαδίζοντος. οὐ ταύτῃ δὲ μόνον τὸ παράδοξον ἦν, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γέγονεν ὅπερ ἐζήτουν, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ὅπερ οὐδὲ πρότερον συνέβη, ἀλλ' ἐν Αἰγύπτῳ μόνον, ὅτε καὶ τὸ πάσχα ἐτελεῖτο· καὶ γὰρ ἐκεῖνα, τύπος ἦν τούτων. ἵνα γὰρ μὴ εἴπωσιν ἔκλειψιν εἶναι τὸ γεγενημένον, διὰ τοῦτο τῇ ιδʹ. γίνεται, ὅτε ἔκλειψιν συμβῆναι ἀμήχανον: ἐν μέσῃ δὲ ἡμέρᾳ, ἵνα πάντες οἱ τὴν γῆν οἰκοῦντες μάθωσιν, ὅτι πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἡμέρα ἦν. καὶ Φλέγων δέ τις παρ' Ἕλλησιν φιλόσοφος μέμνηται τούτου τοῦ σκότους, ὡς παραδόξως γεγενημένου ἐν τῇ ιδʹ. τῆς σελήνης, ὅτι οὐ πέφυκεν ἔκλειψις γίνεσθαι, ὅτε πολὺ ἀπέχει τὸ τοῦ ἡλίου διάστημα, ὅσον ἀπ' ἀρχῆς τοῦ οὐρανοῦ ἕως τέλους. τότε γὰρ γίνονται ἐκλείψεις, ὅταν πλησιάσωσιν ἀλλήλοις οἱ δύο οὗτοι φωστῆρες. γίνεται γὰρ ἔκλειψις ἡλίου συνοδικῶς ὑποδραμούσης αὐτὸν σελήνης, οὐ πανσελήνῳ, ὅτε διάμετρός ἐστι τῇ σελήνῃ. τοῦτο δὲ γέγονεν, ὡς πενθούσης τῆς κτίσεως ἐπὶ τῷ γεγονότι, καὶ διὰ τοῦτο δηλούσης, ὅτι τῆς παροινίας ταύτης πραχθείσης ἐξ Ἰουδαίων, ἐσκοτίσθη αὐτῶν ὁ νοῦς, καὶ ἀπέστη ἀπ' αὐτῶν ὁ νοητὸς ἥλιος. εἴτε γὰρ αὐτὸν ἐνόμιζον τοῦτο πεποιηκέναι, ἔδει πιστεῦσαι καὶ φοβηθῆναι· εἴτε οὐκ αὐτὸν, ἀλλὰ τὸν πατέρα, καὶ ἐκ τούτου ἔδει κατανυγῆναι. ὀργιζομένου γὰρ ἦν τὸ σκότος ἐκεῖνο, καὶ δεῖγμα τοῦ μέλλοντος λαβεῖν τοὺς θεομάχους τε καὶ μιαιφόνους. διὰ τοῦτο

De hac eclipsi & propheta Zacharias dixit: *In illa die*, inquit, *non erit lux. Et frigus & gelu erit unam diem. Et dies illa nota Domino. Et non dies, & non nox; & ad vesperam erit lux* [a]. Dum dicit *tenebræ*, ostendit obtenebratos fuisse qui in lucem manus injecerant. Sicut enim Ægyptiis fuerunt C tenebræ, at lux filiis Israel: ita & nunc, ecclesiæ quidem est lux; at Judæis sunt tenebræ triduanæ, luminis nempe Paterni, splendoris Christi, fulgoris Spiritus sancti. Et quia die sexta factus est homo, ac verosimile est illum hora sexta fuisse deceptum, propterea fortasse qui pro salute hominum passus est, hora sexta suspensus fuit. Hoc est signum quod antea petentibus se daturum promiserat inquiens: *Generatio prava & adultera signum requirit &c.* [b]. Et, *quando exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum* [c]. Erat quippe longe admirabilius si hæc fierent eo cruci suffixo, quam super terra incedente. Non hac tantum ratione vero stupendum erat, sed quia etiam D de cælo fuit quod quærebant, & *super universam terram*, quod numquam antea contigit; sed in Ægypto dumtaxat, quando & pascha celebrabatur. Illa enim typus erant horum. Ut ne enim dicerent eclipsin fuisse quod acciderat, propterea decima quarta contigit, quando solis deliquium contingere impossibile est. Media item die, ut omnes orbem inhabitantes discerent, ubique terrarum diem fuisse. Quidam etiam Phlegon gentilis philosophus horum tenebrarum mentionem facit, tamquam quæ præter fidem acciderint luna decimaquarta, quando natura non fert ut contingat solis deliquium; quando longe abest solis distantia, quantum ab initio ad terminum cæli. Tunc enim fiunt eclipses, quando E ad se mutuo accedant hæc duo luminaria. Fit enim solis eclipsis luna illum synodice subeunte, non in plenilunio, quando sol e diametro respicit lunam. Hoc porro factum est, ceu ingemiscente creatura ob id quod evenerat, ac propterea ostendente, quod perpetrato hoc contumelioso facinore ab Judæis, obtenebrata est mens illorum, & recessit ab eis sol spiritualis. Sive enim illum reputassent hoc fecisse, & credendum erat illis atque metuendum: sive non illum, sed Patrem; & vel ex hoc compungi debebant. Irascentis erant tenebræ illæ, & specimen ejus quod superventurum erat hisce Dei hostibus & homicidis. Propterea enim post omnium

a Zach. XIV. 6. 7. b Matth. XII. 39. c Joan. VIII. 28.

1. Forte τό.
2. An τοιαύτη.
3. Forte ὡσεί.
4. Subjungitur non adscripto auctoris nomine. Confer edita Orig.

γὰρ μετὰ πάντων τῆς [1] παροινίας τοῦτο γίνεται. ὅτι κόρος ἔλαβεν τῶν σκωμμάτων, καὶ πάντων ἐφθέγξαντο ὅσα ἠθέλησαν.

R insultus istud contigit, postquam saturati sunt opprobriis, & universa effutierunt quæcumque volebant.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

ΚΕΦ. ΚΗ΄.

Στιχ. ιη΄. Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς.

Τὸ ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία καὶ ἑξῆς, εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν νόει. εἰ δὲ καὶ εἰς τὴν θεότητα ...... θεωρεῖν [2], καὶ οὕτω λήψῃ τὸ ἐδόθη μοι ἐξουσία, ἀντὶ τοῦ ἐχωρήθη. ἐδόθη, ἠνέχθη μοι, περὶ τοῦ αὐτεξουσίου ἐπιστεύθην. χώραν ἔσχεν ἡ ζωὴ, πρῶτον μὲν ἐν τοῖς ἄνω, εἶτα νῦν καὶ ἐν τοῖς κάτω, οὓς θαῤῥοῦντες βαπτίσατε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. εἷς ὁ σώζων, μία ἡ σωτηρία. εἷς ὁ ζῶν πατὴρ, ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. εἷς ἐστιν οὐ συναλειφῇ τῶν τριῶν, ἀλλ᾽ οὐσίᾳ μιᾷ. τρεῖς δὲ ὑποστάσεις τέλειαι ἐν πᾶσι, καὶ κατάλληλοι. κατὰ φύσιν ἐγέννησεν ὁ πατὴρ, διόπερ ὁμοούσιος ἐγεννήθη. οὐ σῶμα ὁ Θεὸς, διὰ τοῦτο οὐκ ἀπαρεῦσιν [3] ἢ κίνησιν, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἃ ἐν τοῖς σώμασι θεωρεῖται, ὁ Θεὸς ὁ ἀσώματος ἐγέννησεν. ἐνυπόστατος ἡ γέννησις· ἀπετέχθη ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ὁ υἱός.

CAPUT XXVIII.

v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & super terra.*

Hoc *data est mihi omnis potestas &c.* de humanitate intellige. Quod si etiam de divinitate velis considerare, vel sic accipies illud; *Data est mihi potestas*, pro *concessa est. Data est:* delata est mihi, ex libero arbitrio credita est mihi. Locum habuit vita, primum quiB dem in supernis, deinde nunc & in inferioribus: quos confidentes baptizate in nomine patris, & filii & Spiritus sancti. Unus est qui salvat, una est salus. Unus vivens pater, filius & Spiritus sanctus. Unus est non coitione trium, sed unica essentia: tres vero hypostases perfectæ in omnibus & ad se invicem relatæ. Secundum naturam genuit pater, proptereaque consubstantialis genitus est. Non est corpus Deus: propterea ergo non defluxionem, non motum vel quidpiam hujusmodi, quæ in corporibus cernuntur, Deus incorporeus genuit. Personalis est nativitas. De essentia patris natus est filius.

---

[4] ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ

Εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγέλιον.

ΚΕΦ. Α΄.

Στιχ. α΄. Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἡμῖν πραγμάτων.

Ἐπειδὴ ὑπέρογκον ἦν τὸ ἐπιχείρημα, ἄνθρωπον ὄντα, Θεοῦ διδασκαλίαν καὶ ῥήματα συγγράφειν, εἰκότως ἀπολογεῖται ἐν τῷ προοιμίῳ. ὥσπερ δὲ ἐν τῷ πάλαι λαῷ πολλοὶ προφητείαν ἐπηγγέλλοντο, ἀλλὰ τούτων τινὲς μὲν ἦσαν ψευδοπροφῆται, τινὲς δὲ ἀληθῶς προφῆται· καὶ ἦν χάρισμα διακρίσεις πνευμάτων, ἀφ᾽ οὗ χαρίσματος ἐκρίνετο ὁ ἀληθὴς προφήτης καὶ ὁ ψευδοπροφήτης· οὕτω καὶ νῦν ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ, τὰ εὐαγγέλια πολλοὶ ἠθέλησαν γράψαι. ἀλλ᾽ οἱ δόκιμοι τραπεζῖται οὐ πάντα ἔκριναν, ἀλλά τινα ἐξ αὐτῶν ἐξελέξαντο. τάχα δὲ καὶ τὸ, ἐπεχείρησαν, λεληθυῖαν ἔχει κατηγορίαν τῶν προπετῶς καὶ χωρὶς χαρίσματος ἐλθόντων ἐπὶ τὴν ἀναγραφὴν τῶν εὐαγγελίων. Ματθαῖος γὰρ οὐκ ἐπεχείρησεν, ἀλλ᾽ ἔγραψεν ἐξ ἁγίου κινούμενος πνεύματος. ὁμοίως καὶ Μάρκος, καὶ Ἰωάννης παραπλησίως, καὶ Λουκᾶς. τὸ μέντοι ἐπιγεγραμμένον κατὰ Αἰγυπτίους εὐαγγέλιον, καὶ τὸ ἐπιγεγραμμένον τῶν ιβ΄. εὐαγγέλιον, οἱ συγγράψαντες ἐπεχείρησαν. φέρεται δὲ καὶ τὸ κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον. ἤδη δὲ ἐτόλμησε καὶ Βασιλείδης συγγράψαι κατὰ Βασιλείδην εὐαγγέλιον. πολλοὶ μὲν οὖν ἐπεχείρησαν καὶ τὸ κατὰ Ματθίαν, καὶ ἄλλα πλείονα. ἀλλὰ τὰ τέσσαρα μόνα προκρίνει ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία. οὐχ ἁπλῶς δὲ (εἶπε) πεπιστευμένων, ἀλλὰ πεπληροφορημένων, τὸ ἀπαράθετον τοῖς λεγομένοις μαρτυρῶν. τραχηλίζων δὲ εἶπε, αὐτῶν τὴν αἵρεσιν τῶν κατὰ φαντασίαν λεγόντων τὰ διὰ τοῦ σωτῆρος γεγενῆσθαι, καὶ τὴν σάρκωσιν αὐτοῦ.

ORIGENIS

In Evangelium secundum Lucam.

CAPUT I.

ỷ. 1. *Quoniam multi aggressi sunt reordinare narrationem de rebus, quibus certa est nobis scientia.*

Quoniam ingens erat tentamen, ut qui homo esset Dei doctrinam ac verba conscriberet, jure excusat in proœmio. Quemadmodum autem in veteri populo multi prophetiam profitebantur; D at ex his quidam erant falsi prophetæ, quidam re vera prophetæ; & erat donum discretio spirituum, ex quo dono discernebatur verus propheta & falsus: haud secus & nunc in novo fœdere, evangelia multi scribere voluerunt. At probati nummularii non omnia approbarunt, sed quædam ex ipsis elegerunt. Forte etiam hoc, *aggressi sunt*, latentem habet accusationem eorum, qui temere & sine charismate accesserunt ad scribenda evangelia. Matthæus enim non est aggressus, sed scripsit motus a Spiritu sancto. Similiter & Marcus, & Joannes haud aliter, & Lucas. At quod inscribitur evangelium secundum Ægyptios, & quod item inscribitur evangelium duodenorum, ii qui exaraverunt utique E aggressi sunt. Circumfertur quoque evangelium secundum Thomam. Jam porro ausus est etiam Basilides scribere evangelium secundum Basilidem. Multi præterea aggressi sunt evangelium secundum Matthiam, & alia plura. Sed enim quatuor tantum eligit Dei ecclesia. Non simpliciter autem dicens de rebus creditis, sed de rebus quibus certa est nobis scientia, testimonium perhibet narratis rebus, quo inconcussæ stent certissima veritate. *De rebus* porro dixit, quo jugulat hæresim illorum, qui dicunt phantastice gesta Christi contigisse, immo & incar-

1. Forte τῆς. 2. Ms. γαίνου. 3. Forte [illegible]. 4. Ex Cod. Veneto XXVIII.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

περὶ τῶν πεπληροφορημένων δὲ εἰπὼν, τὴν διάθεσιν αὐτοῦ ἐμφαίνει. πεπληροφόρητο γὰρ, καὶ οὐδὲν ἐδίσταζε, πότερον οὕτως ἔχει, ἢ οὔ· ὅτι δὲ παρὰ τῶν αὐτοψίᾳ θεασαμένων παρέλαβε, σαφῶς ὡμολόγησεν εἰπών· καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. διαβεβαιοῦται δὲ, ὅτι ἄνωθεν παρηκολούθησεν, οὔ τισι τῶν εἰρημένων, ἀλλὰ πᾶσι.

A nationem ejus. Dicens vero, *de quibus certa est nobis scientia*, quo modo animus ejus comparatus esset, ostendit. Certissime enim persuasum habebat, nihilque dubitabat, utrum ita se res haberent, necne. Quod autem ab oculatis testibus didicerit, manifeste confitetur inquiens: *Quemadmodum tradiderunt nobis qui ab initio oculati testes, & ministri fuerunt Verbi* [a]. Confirmatur autem, quia res ab exordio continenti serie attigit, non quasdam modo ex iis quæ dictæ sunt, sed universas.

[1] Ἐν τῇ [illegible] γέγραπται, ὅτι ὁ λαὸς ἑώρακε τὴν φωνὴν τοῦ κυρίου, καίτοιγε φωνὴ οὐ βλέπεται, ἀλλ' ἀκούεται· ἵνα δηλωθῇ παραδόξως, ὅτι ἡ τοῦ Θεοῦ φωνὴ βλέπεται οἷς βλέπεται. ἐν δὲ τῷ εὐαγγελίῳ, οὐχ ἡ φωνὴ βλέπεται, ἀλλ' ὁ κρείττων τῆς φωνῆς λόγος. διὰ τοῦτο, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. εἰ γὰρ τὸ ἑωρακέναι τὸν κύριον κατὰ σῶμα, αὐτόπτην τούτου γενέσθαι ἦν· καὶ Πιλᾶτος αὐτόπτης ἦν τοῦ λόγου, καταδικάζων αὐτόν. καὶ Ἰούδας ὁ προδότης, καὶ πάντες οἱ λέγοντες· σταύρωσον, σταύρωσον αὐτόν. τὸ οὖν εἰδέναι τὸν λόγον, ἐκεῖ ἐνοεῖτο, ὅπου ἔλεγεν ὁ σωτήρ· ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, τὸν πέμψαντά με. καὶ ἀληθῶς δὲ καλὸν μάθημα διδάσκει ἡμᾶς ὁ Λουκᾶς ἐνταῦθα, ὅτι τινῶν μὲν θεωρημάτων τὸ τέλος, ἡ θεωρία ἐστί· τινῶν δὲ θεωρημάτων τὸ τέλος, ἡ πρᾶξίς ἐστι. διὰ γὰρ τοῦ, αὐτόπται, δηλοῖ τὸ θεωρητικόν· διὰ δὲ τοῦ, ὑπηρέται, τὸ πρακτικόν. δύνασαι δὲ καὶ ἑτέρως ἐκλαβεῖν τὸ, ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου· ἤτοι τοῦ διδασκαλικοῦ λόγου, ὃν παρεδίδου ὁ σωτήρ· ἢ καὶ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ λόγου, ᾧ καὶ ἐξυπηρέτησαν παρόντες οἱ μαθηταί.

In Exodo scriptum est, *quia populus vidit vocem Domini* [b], tametsi vox non videatur, sed audiatur. Quo videlicet stupende demonstraretur, quia Dei vox videtur quibus videtur. In evangelio autem, B non vox videtur, at quod voce præstantius est, Verbum. Propterea ait: *Quemadmodum tradiderunt nobis, qui ab initio oculati testes & ministri fuerunt Verbi*. Si enim vidisse Dominum secundum corpus, erat ejus fuisse oculatum testem: & Pilatus oculatus testis fuisset Verbi, qui eum condemnavit, & Judas proditor, & quicumque dicebant, *Crucifige, crucifige eum* [c]. Itaque vidisse Verbum eo loci intelligebatur, ubi dicebat salvator: *Qui vidit me, vidit patrem meum qui misit me* [d]. Ac tacite pulcherrimam doctrinam edocet heic nos Lucas, quia nempe quorumdam præceptorum finis, est ipsamet speculatio, quorumdam vero præceptorum finis est actio. Per illud enim, *oculati* C *ti testes* innuit speculationem, at per *ministri*, actionem & praxin. Potes & aliter accipere illud, *qui ministri fuerunt Verbi*: sive doctrinalis verbi, quod tradebat salvator: vel ipsiusmet Dei Verbi, cui etiam ministraverunt præsentes discipuli.

Τὴν διάθεσιν ἑαυτοῦ ὁ Λουκᾶς ἐμφαίνει. πεπληροφόρητο γὰρ, καὶ ἐν οὐδενὶ ἐδίσταζε, πότερον οὕτως ἔχει, ἢ οὔ. τοῦτο δὲ γίνεται περὶ τοὺς βεβαίως πιστεύοντας. καὶ γὰρ ὁ ἀπόστολος περὶ τῶν βεβαίων φησίν· ἵνα ἦτε ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι τῇ πίστει. οὐδὲν γὰρ οὕτω πληροφορεῖ, ὡς νοῦς καὶ λόγος. ὄψις γὰρ οὐ πληροφορεῖ. ἐπεὶ οὐκ ἀπὸ σημείων καὶ τεράτων ὁρατῶν κρίνεται τὰ πράγματα. ἀλλὰ λόγῳ κρίνεται, ποῖα τ' ἀληθῆ, καὶ ποῖα τὰ ψευδῆ. πραγμάτων δέ φησιν, ἐπειδήπερ οὐ κατὰ φαντασίαν, κατὰ τοὺς τῶν αἱρετικῶν παῖδας, ἐδραματούργησεν Ἰησοῦς τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν. ἀλλὰ τυγχάνων ἀλήθεια, πρὸς ἀλήθειαν ἐνήργησε τὰ πράγματα.

Quo modo sit affectus Lucas ostendit. Certissime enim persuasus erat, & in nullo dubitabat, num sic se res haberet, necne. Hoc autem contingit in iis, qui firmiter credunt. Apostolus enim de iis qui firmi sunt, dicit: *Ut sitis radicati & fundati fide* [e]. Nihil enim adeo certum ac persuasum reddit, ut mens & ratio. Visus enim certum non reddit: quippe quia non ex signis & prodigiis visibilibus res judicantur. Sed ratione judicatur, quæ D sint vera, quæve falsa. *De rebus* autem dicit: quia non phantastice, juxta hæreticos, operatus est Jesus adventum suum in carne. Sed cum veritas esset ipse, in veritate operatus est quæ gessit.

Στιχ. γ'. Καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε.

Στιχ. δ'. Ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν.

Στιχ. ε'. Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας, ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας, ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρὼν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἐλισάβετ.

Στιχ. ς'. Ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

v. 3. *Ordinatim tibi scribere, optime Theophile.*

v. 4. *Ut agnoscas de quibus instructus fuisti sermonibus, veritatem.*

v. 5. *Fuit in diebus Herodis regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & uxor ejus de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabet.*

v. 6. *Erant autem justi ambo coram Deo.*

E

Εἰκὸς ὑπολαμβάνειν, ὅτι Θεοφίλῳ τινὶ ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον, ὃς εἷς ἦν τῶν πεπιστευκότων, οὕτω ζέων τῷ πνεύματι, καὶ ἀπλήστως ἔχων περὶ τὰς τοῦ κυρίου πράξεις τε καὶ λόγους. ὅνπερ ἐποίει ἀσφαλέστερον καὶ τὰ νῦν γραφόμενα. Πάντες ἐὰν τοιοῦτοι ὦμεν, ὡς ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ φιλεῖσθαι, θεόφιλοί ἐσμεν. καὶ οὐκ ἄν τις εἴη θεόφιλος, ἀσθενής. ὥσπερ γὰρ γέγραπται ἐπὶ τοῦ λαοῦ ἐξερχομένου ἐκ τῆς Αἰγύπτου· οὐ ἦν ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν ἀσθενῶν· οὕτως εἴποιμι ἂν, ὅτι πᾶς θεόφιλος κρά-

Par est supponere, quod Theophilo cuidam scripserit evangelium, qui unus fuerit eorum qui crediderunt, qui valde ferveret spiritu, nec umquam satiari posset circa facta & dicta Domini: quem & securum magis reddiderunt, quæ nunc describuntur. Si omnes tales essemus, *qui diligeremur amaremurque a Deo* * Theophili essemus. At nullus esse potest theophilus, qui infirmus sit. Ut enim scriptum est de populo exeunte ab Ægypto: *Non erat in tribubus eorum infirmus* [f]: sic

a Luc. I. 2. b Exod. xx. 18. c Joan. xix. 6. d Joan. xiv. 9. e Coloss. II. 7. f Psalm. civ. 37

1. Ἀνεπι ἀ

* Etymon Theophili.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

πιςός ἐςιν, ἔχων τὸ κράτος καὶ τὴν δύναμιν, τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ λόγου αὐτοῦ. καὶ οὕτως ἐπιγνώσεταί τις περὶ ὧν κατηχήθη λόγων τὴν ἀσφάλειαν, συνεὶς τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου. ἐπαγγέλλεται τοίνυν τῆς γνώσεως τὸ βέβαιον, ἵνα ἅπερ ἐκεῖνος ἀκοῇ παρέλαβε, ταῦτα καὶ γράμμασιν ἐντυγχάνων ἀσφαλέςερον κατέχῃ, καὶ τὴν πίςιν διατηρῇ.

Τὸ εἶναι δίκαιον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ἔπαινός ἐςι τέλειος. αὐτὸς γὰρ ἐπίςαται τὰς καρδίας τῶν ἀνθρώπων μονώτατος. ἐνδέχεται γὰρ κατὰ μὲν τὸ φαινόμενον, δίκαιον εἶναί τινα ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. κατὰ δὲ τὸ κρυπτὸν τῆς καρδίας, μὴ εἶναι τοιοῦτον, ἐμφωλεύοντας κεκτημένος λογισμοὺς πονηρούς. τοιοῦτον καὶ τὸ παρὰ τῷ ἀποςόλῳ· ὧν ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ. οἱ γὰρ ἄνθρωποι οὐκ ἀξίως ἐπαινοῦσι, τὸ φαινόμενον μόνον βλέποντες, ὁ δὲ Θεὸς καὶ τοῦ ψεκτοῦ τὴν κρίσιν, καὶ τοῦ ἐπαινετοῦ τὸν ἔπαινον ἀξίως ποιεῖ.

A dicere non dubitem, omnem theophilum *optimum* * esse, cum habeat fortitudinem & virtutem Dei, ac Verbi ejus. Atque sic agnoscet quis de quibus rebus imbutus fuit veritatem, intelligens sermonem evangelii. Spondet ergo firmissimam cognitionem, ut quæ ille auditu acceperat, hæc etiam literis exarata legens securius retineat, fidemque conservet.

Justum esse coram Deo, laus est absolutissima. Ille enim novit corda hominum singularissimus. Fieri enim potest, ut juxta quod extrinsecus paret, justus quis sit coram hominibus: at vero juxta secretum cordis nequaquam sit talis, quasi in lustris quibusdam latitantes habens pravas cogitationes. Simile est quod occurrit apud apostolum : B *Quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo* [a]. Homines enim nequaquam ut par est laudant, quod paret modo videntes: at Deus & de vituperabili judicium, & de commendabili laudem apposite facit.

Στιχ. ϛ'. Πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ κυρίου ἄμεμπτοι.

Στιχ. ζ'. Καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς τέκνον. καθότι Ελισάβετ ἦν ςεῖρα, καὶ ἀμφότεροι προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ἦσαν.

Στιχ. η'. Εγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν, ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ, ἔναντι τοῦ Θεοῦ,

Στιχ. θ'. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας· ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ κυρίου.

Στιχ. ι'. Καὶ πᾶν τὸ πλῆθος ἦν τοῦ λαοῦ προσευχόμενον ἔξω, τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος.

v. 6. *Incedentes in omnibus præceptis & juribus Domini, inculpati.*

v. 7. *Et non erat ipsis filius: propterea quod Elisabet erat sterilis, & ambo provecti in diebus eorum erant.*

v. 8. *Accidit autem dum sacerdotio fungeretur ipse, in ordine vicis suæ, coram Deo,*

v. 9. *Secundum morem sacerdotii: sortitus est thymiama adolere, ingressus in templum Domini.* C

v. 10. *Et tota multitudo erat populi orans foris, hora thymiamatis.*

Ισως ἐρεῖ τις· διὰ τί πρόκειται τούτοις τὸ, ἄμεμπτοι; ἤρκει γὰρ αὐτοῖς πορεύεσθαι ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς τοῦ Θεοῦ καὶ δικαιώμασιν· εἰ μὴ ἄρα ἐςὶ πορεύεσθαι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς, οὐκ ἀμέμπτως δέ φημὶ δὲ οὖν πρὸς αὐτὸν, ὅτι εἰ μὴ ἦν τοῦτο, οὐκ ἂν ἐλέγετο· δικαίως τὸ δίκαιον διώξεις. ἐπὰν οὖν ποιῶμεν τὰς ἐντολὰς, ὥςε καὶ ἐν τῷ συνειδότι ῥύπον κενοδοξίας, ἢ ἀνθρωπαρεσκείας, ἢ ἑτέρου τινὸς τοιούτου ἔχειν, [1] ποιοῦμεν τὰς ἐντολὰς ἀμέμπτως.

Fortean dicet aliquis : Ut quid appositum est istis illud, *inculpati?* satis enim erat illis *incedere in omnibus viis Dei & juribus*: nisi forte possibile sit incedere in omnibus mandatis, non inculpate tamen. Dico igitur ad hoc, quia si non esset istud, utique non fuisset dictum : *Juste justitiam sectaberis* [b]. Quando igitur exercemus virtutes, sic tamen ut in conscientia habeamus quasdam sordes vanæ gloriæ, aut hominibus placendi, aut alterius alicujus hujusmodi, non eas inculpate exercemus. D

Στιχ. ια'. Ωφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος κυρίου, ἑςὼς ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαςηρίου τοῦ θυμιάματος.

Στιχ. ιβ'. Καὶ ἐταράχθη Ζαχαρίας ἰδὼν, καὶ φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν.

Στιχ. ιγ'. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος· μὴ φοβοῦ Ζαχαρία, διότι εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου, καὶ ἡ γυνή σου Ελισάβετ γεννήσει υἱόν σοι, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ιωάννην.

Στιχ. ιδ'. Καὶ ἔςαι χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις· καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται.

v. 11. *Apparuit autem ei angelus Domini, stans a dextris altaris thymiamatis.*

v. 12. *Et turbatus est Zacharias videns: & timor cecidit in eum.*

v. 13. *Dixit autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, propterea quod exaudita est postulatio tua supplex, & uxor tua Elisabet pariet filium tibi, & vocabis nomen ejus Joannem.*

v. 14. *Et erit gaudium tibi, & exsultatio : & multi de nativitate ejus gaudebunt.*

[2] Διὰ συγκαταβάσεως ὤφθη ἄγγελος τῷ Ζαχαρίᾳ. οὐδὲ γὰρ φθαρτοῦ σώματος ὀφθαλμοῖς δύναταί τις ἰδεῖν ἄφθαρτον σῶμα. ἐκ δεξιῶν δὲ ὤφθη ἑςὼς ὁ ἄγγελος τοῦ θυσιαςηρίου, ὅτι αἴσια αὐτῷ ἔμελλε προαγγεῖλαι. ἐταράχθη δὲ Ζαχαρίας ἰδών. ξενίζουσα γὰρ ἡ ὄψις ἀνθρώπῳ φαινομένη, οὐκ ἔςιν ὑπομονητική. ἀλλ' ὅμως ἐπιςρέφει ἀπὸ τῆς ταραχῆς τὸν Ζαχαρίαν ὁ ἄγγελος, καὶ ἀνακτᾶται αὐτὸν, εἰπών· μὴ φοβοῦ Ζαχαρία.

[3] Ισθι, ὅτι οὐ παντὶ φαίνεται ὁ Θεὸς ἢ οἱ ἄγγελοι, ἀλλὰ τοῖς καθαρὰν ἔχουσι τὴν καρδίαν, καὶ ἀξίοις τοῦ βλέπειν. εὑρίσκεται γὰρ τοῖς μὴ πειράζουσιν αὐτὸν, ἐμφανίζεται δὲ τοῖς μὴ ἀπιςοῦσιν αὐτῷ.

E Per condescensionem apparuit angelus Zachariæ. Neque enim corruptibilis corporis oculis potest quis videre incorruptibile corpus **. Visus est autem angelus, stans a dextris altaris, qui fausta fortunataque illi prænuntiaturus erat. Turbatus est vero Zacharias videns. Cum enim visio homini insueta videtur, haud facile sustinetur. Nihilominus revocat a turbatione Zachariam angelus, animosque ei sufficit inquiens, *Ne timeas Zacharia.*

Scito, quod non omni homini apparet Deus, vel angeli : sed iis qui habent cor mundum, & digni sunt, ut videant : *Invenitur enim iis qui non tentant eum, & apparet iis, qui ei increduli non sunt* [c].

a Rom. II. 29. b Deut. XVI. 20. c Sap. I. 2.

1. Deest οὐ. 2. Ωριγ. 3. Ανεπιγ.

* Cratistos, quasi fortissimum dicas.

** De corpore angelorum vide Petavium.

SAECUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.



Τοῦ αὐτοῦ. Ἐπειδὴ πάντες οἱ ὁρῶντες ἀγγέλους ἐφοβοῦντο, μή πως ὡς μέλλοντες λαβεῖν αὐτῶν τὰς ψυχὰς παρεληλύθασιν, ὡς καὶ ὁ Μανωέ φησι· διὰ τοῦτο λύων αὐτοῦ τὴν ἀγωνίαν ὁ ἄγγελος, εἶπε τό, μὴ φοβοῦ, οὐ γὰρ μόνον οὐ τελευτᾷς, ἔνθα λύπη καὶ δάκρυα, ἀλλὰ καὶ ζῇς καὶ τεκνοποιεῖς, καὶ χαρὰ μεγάλη ἔσται σοι· γεννήσει γάρ σοι υἱὸν ἡ Ἐλισάβετ, οὗ οὐ γέγονε μείζων ἐν γεννητοῖς τῶν γυναικῶν. εἶτά φησιν· καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται. εἰ γὰρ καὶ μὴ πάντες Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ πολλοὶ ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ τοῦ προδρόμου διαγγέλλοντος τὴν τοῦ σωτῆρος ἐπιδημίαν. A

Ejusdem. Quia quotquot videbant angelos, timebant, ne forte advenissent quasi accepturi animas eorum; ut & Manoe dicit: propterea solvens metum ejus angelus ait: *Ne timeas*. Non modo enim non moreris, quo tempore sunt dolor & lacrymæ; verum & vivis, & filium procreas, & gaudium magnum erit tibi. *Pariet enim tibi filium Elisabet*, quo *non fuit major in filiis mulierum* [a]. Deinde ait: *Et multi de nativitate ejus gaudebunt*. Et si enim non omnes Judæi, at multi gavisi sunt ob præsentiam præcursoris annuntiantis salvatoris adventum.

[1] Κατὰ τὴν θεωρίαν, ἡ σιωπὴ τῶν προφητῶν ἐστιν ἐν τῷ πάλαι λαῷ τοῦ Θεοῦ. οὐκέτι γὰρ Θεὸς λαλεῖ αὐτοῖς, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ὁ ἐν ἀρχῇ λόγος B πρὸς ἡμᾶς. καὶ παρ' ἡμῖν οὐ σιωπᾷ, παρ' ἐκείνοις δὲ σεσιώπηκε. διὰ τοῦτο σιωπᾷ ὁ προφήτης Ζαχαρίας· τὸ δὲ διανεύειν [2] μένοντα κωφόν.

Juxta speculationem, silentium prophetarum est in veteri populo Dei. Non amplius enim Deus loquitur illis, sed translatus est sermo qui ab initio erat, in nos. Sed apud nos minime silet, apud eos vero siluit. Propterea silet propheta Zacharias. Quod vero nutibus utitur, indicat mansisse mutum.

Στιχ. κβ'. Ἐξελθὼν δὲ οὐκ ἠδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς, καὶ ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑώρακεν ἐν τῷ ναῷ, καὶ αὐτὸς ἦν διανεύων αὐτοῖς, καὶ διέμενε κωφός.

Στιχ. κγ'. Καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

Στιχ. κδ'. Μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας, συνέλαβεν ἡ Ἐλισάβετ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε, λέγουσα· C

Στιχ. κε'. Ὅτι οὕτως πεποίηκεν ὁ κύριος ἐν ἡμέραις, αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν τὸ ὄνειδός μου ἐν ἀνθρώποις.

Στιχ. κϛ'. Ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ, ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας, ᾗ ὄνομα Ναζαρὲτ,

Στιχ. κζ'. Πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρί, ᾧ ὄνομα Ἰωσὴφ, ἐξ οἴκου Δαβίδ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου Μαριάμ.

v. 22. *Egressus autem non poterat loqui illis, & agnoverunt quod visionem aspexisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & remansit mutus.*

v. 23. *Et fuit, ut impleti sunt dies ministerii ejus, abiit in domum suam.*

v. 24. *Post autem hos dies, concepit Elisabet uxor ejus, & occultabat seipsam menses quinque, dicens:*

v. 25. *Quia sic fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum in hominibus.*

v. 26. *In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazaret,*

v. 27. *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, de domo David: & nomen hujus virginis, Mariam.*

Τί δὲ διένευεν αὐτοῖς; προακούσας ἐράσμιον πρᾶγμα ἑαυτῷ μέλλειν ἔσεσθαι, οὐκ ἔσπευσε πρὸ καιροῦ δραμεῖν, ἀλλ' ἔμεινε πληρῶσαι τὴν λειτουργίαν, διδάσκων, ὅτι δεῖ πάντα δεύτερα ποιεῖσθαι τῆς εἰς D Θεὸν τιμῆς. οἰκονομικώτατα δὲ περιέκρυβεν ἑαυτὴν ἡ Ἐλισάβετ, ἕως οὗ ἐγνώσθη ἡ γαστὴρ αὐτῆς, καὶ ἀναμφίβολον ἦν τὸ πρᾶγμα, ἵνα ἐξ ἀκοῆς μὴ βουλόμενοι πεισθῆναι οἱ ἀκούοντες ταῦτα, τῷ αὐτῷ ἐγκλήματι ὑποπτεύωσιν, ᾧ καὶ Ζαχαρίας·

Quid vero innuebat illis? Cum jam inaudivisset gratam sibi rem obventuram, non festinavit ante tempus præcurrere, sed exspectavit donec ministerium absolveret: docens, quod oporteat omnia secundo loco habere, præ Dei honore. Prudentissimo autem consilio occultavit sese Elisabet, usque dum graviditas ejus patuit, nec ulli suberat res tergiversationi: ut ex auditu nolentes persuaderi qui hæc audiebant, eidem culpæ, qua Zacharias, subjectos sese suspicarentur.

Τὸ ὑπερβατὸν οὕτως ἔχει. ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος πρὸς παρθένον ἐξ οἴκου Δαυίδ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου Μαριάμ, μεμνηστευμένην ἀνδρί, ᾧ ὄνομα Ἰωσήφ. οὐκ ἀπεστάλη δὲ πρὸς Ἰωσὴφ ὁ ἄγγελος. ἐπειδὴ οὐδὲν ἦν κοινὸν τῷ Ἰωσὴφ πρὸς τὴν τοῦ κυρίου γέννησιν. ὡς δὴ ἀρξαμένης τῆς ἁμαρτίας ἀπὸ γυναικὸς, οὕτω καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀπὸ γυναικὸς ἔδει ἄρξασθαι [3]. E

* Hyperbaton, seu sermonis translatio ita se habet: *Missus est angelus ad virginem de domo David, & nomen virginis Mariam, desponsatam viro, cui nomen Joseph*. Non est autem missus ad Joseph angelus, quippe nihil erat commune Josepho cum nativitate Domini: quia scilicet cum cœpisset peccatum a muliere, sic & bona oportebat ut a muliere exordirentur.

Στιχ. λδ'. Εἶπε δὲ Μαριὰμ πρὸς τὸν ἄγγελον· πῶς ἔσται τοῦτο; ἐπεὶ τὸν ἄνδρα οὐ γινώσκω.

Στιχ. λε'. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος, καὶ τὰ ἑξῆς.

v. 34. *Dixit autem Mariam ad angelum: quomodo erit hoc? quoniam virum non cognosco.*

v. 35. *Et respondit angelus &c.*

Τὸ εὗρες χάριν, κοινὸν ἦν. εὗρον γὰρ πρὸ αὐτῆς καὶ ἄλλαι χάριν. τὸ δ' εἰπεῖν, συλλήψῃ, οὐκέτι κοινὸν ἦν, ἀλλ' ἰδιάζον εἰς ἐπαγγελίαν παρθένῳ ξένον πρᾶγμα. εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. διὸ μὴ φοβοῦ. παντὸς γὰρ φόβου ἀφαίρεσις, ἡ τοῦ σωτῆρος ἐπιδημία.

Illud, *invenisti gratiam*, commune erat. Invenere namque ante illam & aliæ gratiam. Quod vero dixit, *concipies*, non amplius commune erat, sed res inusitata, propria ac singularis in promissionem virginis. *Invenisti enim gratiam apud Deum*. Propterea, *ne timeas*. Cujuscumque enim timoris ablatio est, salvatoris adventus.

[a] Luc. VII. 28.

1. Hæc habent schedæ Combefisii, & Macarius Chrysoceph. in Orat. Ms. in ortum S. Joannis. Quidam Codd. etiam Severo tribuunt. Pertinent ad ℣. 22. Vide infra ex Cod. 394.

2. Forte deest σημαίνει.

3. Vide infra ad ℣. 36, in fine.

* Vulgo syntaxis, constructio, ordinatio.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 230.

Στιχ. λϛ'. Καὶ ἰδοὺ ἡ Ἐλισάβετ ἡ συγγενής σου, καὶ τὰ ἑξῆς.

v. 36. *Et ecce Elisabet cognata tua &c.*

[1] Ἤκουσεν ὁ πρόδρομος τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος κινούμενος, τὸν ἀσπασμὸν Μαρίας, ὃν ὑπέλαβεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ὁ Χριστὸς, καὶ ἐσκίρτα ἐν ἀγαλλιάσει ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς μητρὸς, εἰς ἔμφασιν χαρᾶς καὶ προφητείας δήλωσιν. οἱονεὶ γὰρ ἔκτοτε αὐτὸν ἤρξατο προφήτην ποιεῖν ὁ Ἰησοῦς, ἔνδον αὐτῷ παρασχὼν τοῦ μυστηρίου τὴν δήλωσιν. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἔδωκε λαλεῖν τοῖς ἐμβρύοις διὰ τὸ ἄωρον· σπεύδοντι τῷ βαπτιστῇ κηρύξαι τὸν λυτρωτὴν, ἔχρησεν ἡ μήτηρ τοῦ σώματος ὄργανον· οὐ γὰρ πνεύματος ἁγίου πρότερον ἐνεπλήσθη, πρὶν ἐπιστῆναι τὴν κυοφορήσασαν Χριστόν. πρῶτον δὲ τὸ βρέφος ἐπληροῦτο πνεύματος καὶ ἐσκίρτα, καὶ εἶθ' οὕτως τῇ μητρὶ μετεδίδου, καὶ ἀνεβόα προφητικὰ ἡ Ἐλισάβετ, διὰ τὸ κυοφορούμενον ἐν αὐτῇ βρέφος.

Audivit præcursor, motus operatione sancti Spiritus, Mariæ salutationem, quam interpellavit Verbum Dei Christus, & exsultabat in gaudio in utero matris, ad ostendendam gratiam innuendamque prophetiam. Quasi enim ex eo temporis momento cœpit eum prophetam facere Jesus, intrinsecus illi exhibens mysterii declarationem. Quoniam vero datum non est infantibus in utero exsistentibus loqui, propter immaturitatem; festinanti baptistæ annuntiare redemtorem commodavit mater corporis organum. Non enim Spiritu sancto antea repletus est, quam adesset quæ utero gestabat Christum. Prius vero infans repletus est Spiritu, & exsultabat; ac porro deinceps matri communicavit, exclamabatque vaticinia Elisabet, propter infantem, quem in utero gerebat.

Τοῦ αὐτοῦ. Ὁ μὲν λαὸς οὐκ οἶδε τὸν σωτῆρα ποιοῦντα σημεῖα καὶ τέρατα· ὁ δὲ Ἰωάννης ἔτι ἐν τῇ κοιλίᾳ ὢν σκιρτᾷ, ἡνίκα ἦλθεν ἡ μήτηρ Ἰησοῦ. ἰδοὺ γάρ φησιν, ὡς ἐγένετο ὁ ἀσπασμός σου εἰς τὰ ὦτά μου, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν ἀγαλλιάσει ἐν τῇ κοιλίᾳ μου.

Ejusdem. Populus quidem non agnovit salvatorem facientem signa atque prodigia: at Joannes adhuc in utero positus exsultat, quando advenit mater Jesu. *Ecce enim*, inquit, *ut fuit salutatio tua in auribus meis, exsultavit infans in gaudio in utero meo* [a].

[2] Ἔδει τὴν μακαρίαν ταύτην Μαριὰμ, μετὰ τὴν τοῦ Γαβριὴλ ἐπιδημίαν, ἀναβαίνουσαν ἀναβῆναι ἐπὶ τὴν ὀρεινήν. μετὰ σπουδῆς δὲ ἐπορεύετο ἀγομένη ὑπὸ τοῦ ἐν αὐτῇ πνεύματος, ὃ ἐπεληλύθει αὐτῇ, καὶ τῆς δυνάμεως τοῦ ὑψίστου, τῆς ἐπισκιάσης αὐτῇ.

Oportebat, ut beata hæc Mariam, post Gabrielis adventum, ascendendo ascenderet in montanam. Cum festinatione autem proficiscebatur, ducta ab eo, qui in ipsa erat Spiritu, qui supervenerat ei, atque a virtute altissimi obumbrante ei.

[3] Ὥσπερ ἤρξατο ἡ ἁμαρτία ἀπὸ γυναικὸς, καὶ μετὰ τοῦτο ἔφθασεν ἐπὶ τὸν ἄνδρα· οὕτω καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀπὸ τῶν γυναικῶν ἤρξατο, ἵν' ἀπεντραπῶσιν αἱ γυναῖκες τὴν ἀσθένειαν, καὶ τὰ γυναικεῖα ἀποθέμεναι, ζηλώσωσι τοὺς βίους τῶν μακαρίων τούτων.

Quemadmodum cœperat peccatum a muliere, & postea derivavit in virum: sic & bona a mulieribus incepere, ut despicerent mulieres infirmitatem, & quæ muliebria sunt deponentes, æmularentur vitas horum beatorum.

Στιχ. μγ'. Καὶ πόθεν μοι τοῦτο δῆλον, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ, καὶ τὰ ἑξῆς.

v. 43. *Et unde hoc mihi manifestum, ut veniat mater &c.*

Τοῦ αὐτοῦ. Σύμφωνα τῷ υἱῷ φθέγγεται ἡ Ἐλισάβετ, ἀναξίαν ἑαυτὴν τῆς παρουσίας τῆς Θεοτόκου λέγουσα, ὥσπερ καὶ Ἰωάννης τῆς πρὸς τὸν Χριστὸν παραστάσεως. τί γάρ μοί φησι τηλικοῦτον πέπρακται ἀγαθὸν, ἵνα ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου μου ἔλθῃ πρός μέ; μητέρα καλεῖ τὴν ἔτι παρθένον, φθάνουσα προφητικῷ λόγῳ τὴν ἔκβασιν. θεία μὲν οὖν οἰκονομία τὴν μαρτυρίαν ἤγαγε πρὸς τὴν Ἐλισάβετ, ἵνα καὶ ἡ μαρτυρία Ἰωάννου ἐκ μήτρας εἰς τὸν κύριον διὰ τῆς ἰδίας μητρὸς Ἐλισάβετ πληροφορηθῇ, καὶ ἵνα κατὰ τὴν τοῦ ἀγγέλου φωνὴν ὀψομένη τὴν Ἐλισάβετ, καὶ τὸ ἐν αὐτῇ παράδοξον κύημα, διὰ τούτου καὶ τὸ μεῖζον πιστεύσῃ, τουτέστι τὸν ἐξ αὐτῆς φημι τῆς παρθένου ἄσπορον τοκετόν. καὶ συντρέχει πρὸς τὴν πίστιν ταύτην καὶ ὁ λόγος ὁ τῆς Ἐλισάβετ, λεγούσης· καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ κυρίου. βεβαιοτέρα γὰρ πρὸς τὴν πίστιν ἐκ τούτων ἐγίνετο τῶν ῥημάτων ἡ παρθένος, μακαριζομένη ὅτι ἐπίστευσεν, ἀγγέλου τε προσημαίνοντος, καὶ τῆς συγγενίδος παραπλησίως προφητευούσης.

Ejusdem. Consonantia cum filio loquitur Elisabet, indignam se adventu deiparæ dicens; quemadmodum & Joannes indignum se dicebat qui Christo adsisteret. Quodnam enim mihi, ait, tam grande factum est bonum, ut mater Domini mei veniat ad me? Matrem vocat, quæ adhuc virgo erat, anteoccupans prophetico sermone eventum. Divina igitur dispensatio testimonium fecit apud Elisabet, ut etiam testimonium Joannis ex utero de Domino per propriam matrem Elisabetam certissimum evaderet, & ut juxta angeli vocem contuitura * Elisabetam, & stupendam ejus graviditatem, per hoc & quod majus erat crederet, ex semet nempe virgine conceptionem sine semine. Concurrit quoque ad hanc fidem faciendam sermo Elisabet, dicentis: *Et beata, quæ credidisti, quoniam erit perfectio dictis tibi a Domino* [b]. Constantior enim ad credendum ex his verbis facta est virgo, dum beata prædicatur utpote quæ crediderit, tum angelo præsignificante, tum etiam cognata haud aliter vaticinante.

Τοῦ αὐτοῦ. Ἴδωμεν λοιπὸν παρθενικὴν προφητείαν.

Ejusdem. Videamus jam virginalem prophetiam.

Στιχ. μϛ'. Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον.

v. 46. *Magnificat anima mea Dominum.*

Πῶς ἡ ψυχή μου μεγαλύνει τὸν κύριον, κατανοητέον. ἐὰν ἀξίως πολιτευώμεθα κατ' εἰκόνα τοῦ κτί-

Quomodo Anima mea magnificat Dominum, considerandum est. Si ut par est vitam traducamus se-

a Luc. I. 45. b Ibid.

1. Ἀνεπιγ. Confer veterem D. Hieron. interpret. Orig. hom. VII.

* Supple, Maria.

2. Πεγ.

3. Ἀνεπιγ. Vide supra ad calcem ṽ. 27.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

σαντος ἡμᾶς, καὶ ὁμοιωθῶμεν τῷ πρωτοτύπῳ, κατὰ τὸ δυνατὸν, δι' ἀγαθῶν ἔργων, μεγαλύνομεν τὸν κύριον, λόγοις, ἔργοις, νοήμασι. σμικρύνει δέ τις αὐτὸν ἀναλόγως, κατὰ τὴν κακίαν τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτῷ. τῆς οὖν Μαρίας ἡ ψυχὴ ἐμεγάλυνε τὸν κύριον, τὸ δὲ πνεῦμα αὐτῆς ἠγαλλιάσατο ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρι. πρῶτον ἐμεγάλυνεν ἡ ψυχὴ αὐτῆς, εἶτα ἠγαλλιάσατο τὸ πνεῦμα αὐτῆς.

Παρατηρήσασθαι δεῖ ἐν ὅλῃ τῇ παλαιᾷ καὶ τῇ καινῇ γραφῇ, εἴ πού ἐστιν εὑρεῖν ἐπὶ ἁμαρτωλῶν γενέσεως εἰρημένον τό· ἐπλήσθη ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν. οὐκ ἂν γάρ τις εὕροι, ὡς οἶμαι. ἀλλ' ὅπου ὠνόμασται, ὅτι δίκαιός ἐστιν ὁ γεννώμενος. καὶ τοῦτο δὲ καὶ τὰ λοιπά. [1]

Η Ελισάβετ προφῆτις οὖσα, καὶ τὴν γενομένην τῷ ἀνδρὶ ἀποκάλυψιν μὴ ἀκούσασα, τῷ πνεύματι ἁγίῳ τὴν παρὰ τοῦ ἀγγέλου ῥηθεῖσαν προσηγορίαν, καὶ Ιωάννην ἔφασκε τὸ παιδίον ὀνομάζεσθαι. ὡς δὲ καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς ἠξίουν μαθεῖν, καὶ διένευον αὐτῷ ὡς μὴ ἀκούοντι ἢ λαλῆσαι δυναμένῳ· λαβὼν δέλτιον ἔγραψε συμφώνως τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ τοῦ παιδὸς τὴν προσηγορίαν, ὡς πάντας ἐπὶ τούτων ἐκπλήττεσθαι. εἶτά φησιν· ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ. μετὰ τὸ γράψαι δηλονότι ἐν δέλτῳ, ὅτι Ιωάννης ἔσται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ἐλύθη ἡ δεδεμένη φωνή. καὶ ἀπέλαβεν τὴν ἑαυτοῦ γλῶσσαν, οὐκέτι καθὰ πάλαι δεδεμένην τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' εὐλογοῦσαν τὸν Θεὸν, καὶ προφητεύουσαν τὰ ἀναγεγραμμένα.

Περιττόν ἐστι τὸ λέγειν, καὶ τὰ λοιπά.

Ὡς οἶμαι καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν Αβραὰμ, καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ, καὶ ὅλος ὁ χορὸς τῶν ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν καὶ δικαίων, ἀπήλαυσαν τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ. εἰ γὰρ εἰρηνοποίησε διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, τά τε ἐν τῇ γῇ καὶ τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ, κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον, τί ὀκνεῖς παραδέξασθαι, ὅτι καὶ πρὸς τοὺς πατέρας ἡ ἐπισκοπὴ, καὶ τοῦτο ἡ εἰς τὸν ᾅδην αὐτοῦ ἄφιξις ἐπραγματεύσατο διὰ τὸ ἀνεξιχνίαστον αὐτοῦ ἔλεος; τοῦτο δὲ εἰ καὶ νῦν γέγονεν, ἀλλ' ἐκ πάλαι προανεφωνήθη· καὶ ἀδύνατον ἦν μὴ ἐκβῆναι αὐτοὺς λόγους εἰς ἔργον. ὅρκῳ γὰρ ἐβεβαίωσε τὰς ἐπαγγελείας διὰ τὸ ἀπαράβατον, ὅτι πάντως ἔσται. καὶ νῦν οἱ πιστοὶ ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν νοητῶν ἐχθρῶν ῥύονται.

[2] Πολλάκις ῥύονταί τινες, καὶ τὰ λοιπά.

[3] Οὐκ εἰς τὴν τῶν Ιουδαίων συναγωγὴν εἰς Ιεροσόλυμα πρὸς τοὺς ἱερεῖς καὶ γραμματεῖς καὶ Φαρισαίους ἀπέρχεται ὁ ἄγγελος· ἀλλὰ ποιμένας εὑρίσκει ἀγραυλοῦντας, καὶ φυλάσσοντας φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. τούτοις γὰρ εὐαγγελίζεται τοῦ σωτῆρος τὴν γέννησιν. οὗτοι μὲν γὰρ ἄπλαστοι ἦσαν, τὴν παλαιὰν πολιτείαν ζηλοῦντες τῶν πατριαρχῶν. ποιμένες γὰρ ἦσαν καὶ οὗτοι, οἳ καὶ δραμόντες τοῖς ἑτέροις καὶ ἀπήγγελλον. ἐκεῖνοι γὰρ διεφθαρμένοι ὄντες τῷ φθόνῳ, ἔμελλον κρύπτειν τὸ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας μυστήριον.

[4] Μόνος γὰρ οὗτος διήνοιξε μήτραν ἐκ παρθένου τεχθείς. οὐδὲν γὰρ τῆς μήτρας ἐκείνης ἥψατο πρὸ Χριστοῦ. πάντα δὲ τὰ πρωτότοκα, εἰ καὶ πρωτότοκά ἐστιν, ἀλλ' οὐ διανοίγουσιν αὐτὰ πρῶτα τὴν μήτραν, ἀλλ' ὁ σύμβιος.

[5] Μήπως καταλέλοιπεν αὐτούς. ὀδυνόμενοι οὖν ἐζήτουν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ ζητοῦντες αὐτὸν, οὐχ εὗρον ἐν τοῖς συγγενέσιν. ὑπὲρ γὰρ τὴν συγγένειαν αὐτῶν ἦν.

A cundum imaginem ejus qui creavit nos, atque exemplari nostro assimilemur, quantum fieri potest, per bona opera, tunc magnificamus Dominum verbis, operibus, cogitationibus. Extenuat autem illum quis, cum proportione, juxta pravitatem quæ sibi inest. Mariæ igitur anima Dominum magnificabat, & spiritus ejus exsultabat in Deo salutari. Prius magnificabat anima illius, deinde exsultavit spiritus ejus.

Animadvertendum est in tota veteri novaque scriptura, sicubi invenire liceat in peccatricibus generationibus dictum fuisse: *Impletum est tempus pariendi* [a]. Non enim quis invenire poterit, ut arbitror: nisi ubi nominatur, justum esse qui nasci-
B tur. Et hoc vero &c.

Elisabet cum prophetis esset, nec audivisset revelationem viro suo factam; quam Spiritus sanctus per angelum nomenclaturam ediderat, & Joannem vocandum esse puerum, dixit. Ubi autem etiam a patre scire volebant, eique innuebant, quippe non audienti, aut loqui valenti; accipiens tabellam scripsit, uxori suæ concordans, pueri appellationem: usque adeo ut omnes propterea stupore percellerentur. Deinde ait: *Apertum est autem os ejus* [b]. Postquam scilicet in tabella scripserat, quia *nomen ejus erat Joannes*, soluta est vox, quæ ligata fuerat. Et recuperavit linguam suam, non amplius ut antea revinctam incredulitate, sed bene-
C dicentem Deum, & vaticinantem quæ scripta sunt.

Superfluum est dicere &c.

Ut puto, etiam patres nostri Abraham & Isaac & Jacob, totusque chorus sanctorum ejus prophetarum ac justorum, fruiti sunt adventu Christi. Si enim *pacificavit per sanguinem crucis ejus & quæ in terra & quæ in cælo* [c] juxta divum apostolum: quid pigritaris admittere, quod & ad patres facta fuerit visitatio, idque præstiterit ejus ad inferos adventus, propter ininvestigabilem ejus misericordiam? Id porro quamvis nunc acciderit, jam tamen olim in antecessum proclamatum fuerat: ac fieri non poterat, ut effectum non sortirentur hisce sermones. Jurejurando enim confirmavit pro-
D missiones, propter immobilitatem, quia omnino fiet [d]. Et nunc fideles sine timore de manu spiritualium inimicorum liberantur [e].

Sæpe liberantur quidam &c.

Non ad Judæorum synagogam in Jerusalem ad sacerdotes, & scribas & Pharisæos venit angelus: sed *pastores reperit in agro degentes, & custodientes custodias noctis super gregem suum* [f]: hisce enim evangelizat salvatoris nativitatem. Hi namque simplices erant, veterem vivendi rationem quærentes patriarcharum. Pastores siquidem erant & hi, qui etiam currentes aliis quoque annuntiaverunt. Illi namque quippe invidia tabescentes, occultaturi fuissent mundi salutis mysterium.

E

Solus etenim iste aperuit vulvam ex virgine natus. Nihil enim ante Christum vulvam illius tetigerat. Omnia vero primogenita, tametsi primogenita sint, non tamen aperiunt prima vulvam, sed maritus.

Ne forte reliquisset eos. Dolentes igitur quærebant filium Dei: & quærentes ipsum non invenerunt inter cognatos: erat enim supra cognationem eorum.

a Luc. I. 57. b Ibid. ℣. 64. c Coloss. I. 20. d Hebr. VI. 16. 17. e Luc. I. 74. f Luc. II. 8.

1. Hom. IX. circa finem. 2. Ωριγ. 3. Ανεπιγ. 4. Ανεπιγ. 5. Confer Hom. XIX. & infra in cod. 594. ad cap. I. ℣. 63.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 230.

A

Κ Ε Φ. Β'.

[1] Στιχ. μθ'. Οὐκ ᾔδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;

Ως πρὸς ῥητὸν ὁπλισώμεθα, κατὰ τῶν ἀθέων αἱρέσεων λεγουσῶν, ὅτι οὐχ ὁ δημιουργὸς πατὴρ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐδὲ ὁ Θεὸς τοῦ νόμου, οὐδὲ ὁ Θεὸς τοῦ ναοῦ, οὗτός ἐστιν ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ. τῆς γὰρ φωνῆς αὐτοῦ ἀκούοντες οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου, αἰδείσθωσαν, λέγοντος· ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με, εἰ προσίενται τὸ ῥητόν. ἆρα γὰρ οὕτως ἦσαν ἀσύνετοι, ὡς μὴ συνιέναι, ὅτι ἔλεγεν· ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς, ἀντὶ τοῦ· ἐν τῷ ναῷ; ἢ μή ποτέ τι μυστήριον αἰνίττεται· εἴ τις ὑμῶν τοῦ πατρός ἐστιν, ἔχει τὸν Χριστὸν ἐν ἑαυτῷ; μᾶλλον γὰρ τοῦ πατρὸς ὁρῶν ἔμψυχον ναὸν, τὸν καλόν τε καὶ ἀγαθὸν, ἢ τὸν ναὸν ἐκεῖνον· ἐξῆλθε γὰρ ἀπὸ τοῦ ναοῦ ἐκείνου εἰπών. [a] ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν, καὶ ἀπῆλθεν ἐπὶ τὸν ναὸν τοῦ πατρὸς, τὰς ἐκκλησίας τὰς πανταχοῦ.

Caput II.

v. 49. *Non noveratis, quia in iis, quæ patris sunt, oportebat esse me?*

Ut ad verbum armemur adversus impias hæreses, dicentes * patrem Jesu Christi non esse mundi conditorem; neque Deum legis, neque Deum Templi patrem esse Christi. Hanc enim ejus vocem audientes Valentiniani erubescant; ait quippe, *In iis quæ patris mei sunt oportet esse me*: si modo admittunt. Ergone usque adeo erant stolidi, ut non intelligerent quod dixit: *in iis quæ patris*, pro in templo? Aut num mysterium quoppiam innuitur; si quis vestrum patris est, habet Christum in seipso? Potius enim patris putat templum esse animatum hominem probum ac bonum, quam templum illud. Exiit enim de illo templo dicens: *Relinquitur vobis domus vestra* [a], & abiit ad templum patris, ecclesias nempe quæ ubique terrarum sunt.

B

Στιχ. να'. Καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς, καὶ τὰ λοιπά.

v. 51. *Et erat subjectus illis &c.*

[3] Ἐπὶ μὲν τοῦ παρὰ Ἰουδαίοις μόνοις κηρυσσομένου προφητικοῦ, ἀναγράφεται, βασιλείας μόνον Ἰουδαίων. ὅρασις γάρ φησιν, ἣν εἶδεν Ἡσαΐας κατὰ τῆς Ἰουδαίας, καὶ κατὰ τῆς Ἱερουσαλήμ· ἐν βασιλείᾳ Ὀζίου, καὶ Ἰωάθαν καὶ Ἀχὰζ καὶ Ἐζεκίου. καὶ οὐδένα ἄλλον οἶδα βασιλέα ἀναγεγραμμένον ἐν τῷ χρόνῳ τῆς προφητείας, ἢ τὸν τῆς Ἰουδαίας. ἐπί τινων δὲ προφητειῶν καὶ τῶν βασιλέα τοῦ Ἰσραήλ. ὅτε δὲ ἔμελλε τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου Ἰωάννης κηρύσσειν, ἀναγέγραπται οὐχὶ Ἰουδαίας μόνος βασιλεὺς Ἡρώδης, οὐδὲ Ῥωμαίων μόνος Τιβέριος.

C

Quando apud Judæos solos propheticum vaticinium evulgatur, describitur dumtaxat Judæorum regnum. Puta, *Visio*, inquit, *quam vidit Isaias adversus Judæam & adversus Jerusalem in regno Oziæ, & Joathan, & Achaz & Ezeciæ*: [b] nec alium quempiam novi adscriptum regem tempore prophetiæ, præter quam Judææ. In quibusdam vero vaticiniis, etiam regem Israel. At quando Joannes prædicaturus erat mysterium evangelii, describitur non Judææ solus rex Herodes, neque Romanorum solus Tiberius.

Κ Ε Φ. Γ'.

[4] Εἰ μὲν οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν μόνοι ἔμελλον σώζεσθαι, πάντῃ δὲ ἀποκέκλειται ἡ σωτηρία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἤρκει τό, ἐν ἔτει ιε'. τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος. ἐπειδὴ δὲ δεῖ καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος καὶ Ἀβιληνῆς πιστεύειν, διὰ τοῦτο ἀναγράφονται καὶ αὗται αἱ βασιλεῖαι. ἐμνήσθη δὲ καὶ τῶν ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, ἵνα δείξῃ ὅτι ἀπὸ τοῦ καιροῦ, καθ' ὃν ἦλθεν ὁ Ἰωάννης κηρύσσων, ἦσαν οὗτοι ἀρχιερεῖς ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἀρξάμενοι, μείναντες δὲ ἕως τοῦ πάθους τοῦ κυρίου ἐν τῇ ἀρχιερωσύνῃ.

Τοῦ αὐτοῦ. Οὐδέποτε γέγονε ῥῆμα Θεοῦ ἐπί τινα τῶν προφητῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ. ἐπειδὴ δὲ ἔμελλε πολλὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον εἶναι, ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα, διὰ τοῦτο ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην ἐν τῇ ἐρήμῳ. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο ἦν, ἐκ περισσοῦ ἐποίει κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ. καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου· [5] ποῦ γὰρ ἔδει τὸν βαπτιστὴν προέρχεσθαι, ἢ εἰς τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, ἵνα ἐάν τις βούληται μετανοεῖν, εὐθέως εὐπορήσῃ τοῦ ποταμοῦ; καταβαίνων γάρ ἐστιν ὡς ἀληθῶς ὁ ποταμὸς τοῦ Θεοῦ, τὸ ὕδωρ τὸ ἀληθινὸν, τὸ ὕδωρ τὸ σωτήριον. καὶ κηρύσσει, φησὶν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν βάπτισμα. εἰς ἄφεσιν δὲ ἁμαρτιῶν, τίνι; ἢ τῷ μηκέτι ἁμαρτάνοντι. εἶτα τὸν Ἡσαΐαν

D

Caput III.

Si gentiles soli salvandi erant, & prorsus exclusi fuissent a salute filii Israel; satis fuisset illud: *In anno XV. imperii Tiberii Cæsaris.* [c] At quia oportet ut credant & ii qui sunt ex Ituræa, & Trachonitide & Abilina; propterea & hæc regna adscribuntur. Facta est autem mentio etiam pontificum Annæ & Caiphæ, quo ostenderet, quia a tempore quo venit Joannes prædicans, in eo tempore cœperunt esse isti pontifices, qui in pontificatu manserunt usque ad passionem Domini.

Ejusdem. Nondum fuerat verbum Dei ad quempiam prophetarum in deserto. At ubi *plures* esse debebant *filii desertæ, quam ejus quæ habebat virum*, [d] propterea: *Factum est verbum Dei ad Joannem in deserto* [e]. Nisi enim hoc fuisset, incassum egisset prædicans in deserto. *Et venit in omnem circumjacentem regionem Jordanis* [f]. Quo enim debebat prodire baptista, quam in circumjacentem regionem Jordanis, ut si quem vellet pœnitere, statim fluvius in promtu esset? Descendit enim vere flumen Dei, aqua verax, aqua salutaris. *Et prædicat*, ait, *in remissionem peccatorum baptisma.* [g] In remissionem peccatorum, cui? nisi non amplius peccanti. Deinde Isaiam adducit hoc ipsum

E

a Matth. XXIII. 38. b Isaj. I. 1. c Lucæ III. 1. d Isaj. LIV. 1. e Luc. III. 2. f Ibid. ✝. 3. g Ibid.

1. Ωριγεν.
2. Vide Hom. XX.
3. Ωριγ. Vide infra in Cod. 294. ad Cap. III. ✝. 1.
4. Αρισ.
5. Vide infra ad Cap. III. ✝. 3. in Cod. 294.

* Hinc videtur hausisse Photius plura hujusmodi argumenta adversus Paullicianos, sive novos Manichæos, quem vide in tomo superiore nostræ Bibl.

SÆCUL. III CIRCA ANN. CHR. 230.

παρίστησι τοῦτο αὐτὸ βοῶντα ; τί γάρ φησι ; φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. τοῦτο δέ φησιν · ὡς ἂν Ησαΐου αὐτοῦ ἀκούοντος τῶν λόγων Ιωάννου. ἐπίλεκτος γὰρ ἦν εἰς ἀποστολὴν Ιωάννης, καὶ τέλειος προφητῶν. ἐπειδὴ δὲ ὁ Ιωάννης πρόδρομος ἦν τοῦ λόγου, εἰκότως φωνὴ ὠνόμασται, οὐ λόγος. προλαμβάνει γὰρ ἡ φωνὴ τὸν λόγον. τὸ δὲ · ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, τί ἐστιν, εἰ μὴ ἀντὶ τοῦ, ἑτοιμάσθητε πρὸς παραδοχὴν ὧν ἂν βούλοιτο νομοθετεῖν ; εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ, ἀντὶ τοῦ, παύσασθε ποιεῖν τὰ διεστραμμένα.

[1] Φάραγξ ἐστὶ βαθεῖα καὶ κοίλη πᾶς ἄπιστος, ὃς πιστεύσας εἰς Χριστὸν, πληροῦται τῶν τοῦ πνεύματος καρπῶν, τουτέστι τῶν ἀρετῶν. ὄρος δὲ καὶ βουνὸς ταπεινωθεὶς, ἐστὶν ὁ τῶν Ιουδαίων ὑψηλοφρόνων λαός....... [2] ἢ ὄρη καὶ βουνοὶ, αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις, αἳ διὰ τῆς Χριστοῦ ἐπιμελείας ἐταπεινώθησαν. φάραγγες δὲ οἱ ἄνθρωποι, οἳ πεπλήρωνται ἔργοις ἀγαθοῖς.

[3] Τραχὺς ἦν ἡμῶν ὁ βίος, καὶ ἀνώμαλος ὁ λόγος, ἐλθὼν δὲ ὁ κύριος ἡμῶν λεῖα πάντα πεποίηκε. καὶ ἐπὶ μὲν τῶν ἐθνῶν ταῦτα γεγένηται, ἐπὶ δὲ τοῦ λαοῦ καθαρωθέντος, τὸ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται. ὄρος γὰρ ἦν ποτε καὶ βουνός. καθῃρέθησαν δὲ καὶ τεταπείνωνται.

[4] Εἰκότως γεννήματα ἐχιδνῶν πάντας τοὺς ἀπίστους καλεῖ. ὁ γὰρ μὴ καταλιμπάνων τὰ ἐν αὐτῷ ἔθη, οὐ λαμβάνει καλῶς τὸ βάπτισμα. ἀλλ᾽ ἔτι γέννημα ἐχίδνης, ἐν ἑαυτῷ τὸν ἰὸν τῆς πονηρίας ἔχων.

Τοῦ αὐτοῦ. Λίθους ὀνομάζει τοὺς ἐθνικοὺς, τοὺς λιθίνην ἔχοντας καρδίαν, καὶ ἐκ πολλῆς ἀναισθησίας τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα δουλεύοντας, καὶ λίθους προσκυνοῦντας. προφητεύει τοίνυν τὴν καθαίρεσιν ἐκείνου τοῦ λαοῦ, καὶ τὴν κλῆσιν τῶν ἐθνῶν. ἐκείνοις γὰρ αὐχοῦσι τὸν Αβραάμ, φησι · μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, πατέρα ἔχομεν τὸν Αβραάμ. τὰ δέ γε ἔθνη δύνασθαι τὸν Θεὸν ποιῆσαι τέκνα τοῦ Αβραάμ.

Καὶ ἀληθῆ γε ἔλεγεν [1], καὶ οὐκ ἐγκαταλέλειπται. ἀλλ' εὐθὺς ἐξέπιεν, ὡς ἠξίωσε, καὶ παρελήλυθε. καὶ τοῦτό μοι δοκεῖ τὸ παρενεχθὲν ὄξος αὐτῷ γεγονέναι σύμβολον. ὁ γὰρ ἐντροπίας οἶνος διεσήμαινεν ἴσως τὴν ὀξεῖαν αὐτοῦ τροπὴν καὶ μεταβολήν, ἣν κατεδέξατο, ἀντὶ τοῦ πάθους τὴν ἀπάθειαν, καὶ ἀντὶ τοῦ θανάτου τὴν ἀθανασίαν, καὶ ἀντὶ τοῦ κρίνεσθαι τὸ κρίνειν, ἀντὶ τοῦ τυραννεῖσθαι τὸ βασιλεύειν μεταλαβών. ὅ, τε γὰρ σπόγγος, ὡς οἶμαι, τὴν ὅλην δι' ὅλου τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐν αὐτῷ γενομένην ἀνάκρασιν ἐνέφηνε. καὶ ὁ κάλαμος τὸ βασίλειον σκῆπτρον, καὶ τὸν θεῖον νόμον ὑπέφηνεν. ὁ δὲ ὕσσωπος τὴν ζωτικὴν καὶ σωτήριον ἔγερσιν αὐτοῦ, δι' ἧς καὶ ἡμᾶς υγια [2] ἔδειξεν.

Et vera sane dicit, & tamen non fuit derelictus. Sed statim ebibit, ut postulavit, & pertransiit. Atque hujus rei videtur mihi fuisse symbolum, quod porrectum est illi acetum. Mutatum enim vinum innuebat facile promtam illius mutationem atque conversionem quam recepit, pro pas- C sione nempe impassibilitatem, & pro morte immortalitatem, & pro ut judicaretur, judicare; & pro eo ut sibi tyrannice imperaretur, regnare accipiens. Spongia enim, ut existimo, integram omnino sancti Spiritus in eo exstantem attemperationem ostendit: & calamus sceptrum regale, ac divinam legem subindicavit. At hyssopus vivificam salutaremque ejus resurrectionem, per quam & nos incolumitati restitutos reddidit.

Στιχ. μγ'. Ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν.

Στιχ. μδ'. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡς οἱ θρόμβοι [3], οἱ καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν.

v. 43. *Apparuit autem illi angelus e cælo confortans eum.*

v. 44. *Et cum jam esset in agonia intensius orabat. Fuit autem sudor ejus, ut grummi, qui descendunt in terram.* D

Παροιμία λέγεται ἐπὶ τῶν σφόδρα λυπουμένων καὶ ἀγωνιώντων, αἵματος ἵδρωσις. ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν πικρῶς ὀδυρομένων, αἵματα κλαίει. ὅτι ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος εἰπών, οὐ θρόμβους ἱδρῶτος ἀπεφήνατο αἵματος. οὐ γὰρ ἂν καθ' ὁμοιότητα τούτων εἴρηκε γενέσθαι τοὺς ἱδρῶτας. τοῦτο γὰρ ὡσεὶ θρόμβοι παρίστησι. θέλων δὲ μᾶλλον δηλῶσαι, ὡς οὐχὶ λεπταῖς τισι νοτίσι, καὶ οἷον ἐνδείξεως χάριν ἐπιφαινομέναις, τὸ δεσποτικὸν ἐνοτίζετο σῶμα, ἀλλ' ὡς ἀληθῶς ἁδρῶν σταγόνων δίκην ὅλον τοῖς ἱδρῶσι περιεστάζετο, τοὺς τῶν αἱμάτων θρόμβους εἰς εἰκόνα τοῦ γεγενημένου παρείληφεν. ἐδήλου δὲ ἄρα ὥσπερ καὶ διὰ τῆς ἐκτεταμένης προσευχῆς, καὶ τῆς πολλῆς ἀγωνίας, οὕτω καὶ διὰ τῆς τῶν ἱδρώτων παχύτητος, ὡς φύσει καὶ ἀληθῶς, ἀλλ' οὐκ ἐπιδείξει καὶ φαντασίᾳ, ἄνθρωπός τε ἐχρημάτισεν ὁ σωτήρ, καὶ τοῖς φυσικοῖς τῶν ἀνθρώπων καὶ ἀδιαβλήτοις ὑπηρετήσατο πάθεσι. τὸ μέντοι ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχήν μου, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν, ἐν τούτοις δηλοῖ, ἑκούσιον εἶναι τὸ πάθος. καὶ ἔτι, ὡς ἄλλη μὲν ἡ τιθεμένη καὶ λαμβανομένη ψυχή, ἄλλη δὲ ἡ τιθεῖσα καὶ λαμβάνουσα θεότης. (ἄλλην δὲ καὶ ἄλλην ἔφη, οὐκ εἰς δύο πρόσωπα διαιρῶν, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων δεικνὺς τὸ διάφορον [4].) Καὶ ὥσπερ σαρκὶ

Proverbialis loquutio est de iis qui vehementissime dolent & colluctantur, *Sanguinis sudor*: & de iis qui amare queruntur, *Sanguines flet*. Dicens, *ut grummi sanguinis*, non grummos sudoris ostendit sanguinis. Non enim ad instar horum dixisset fuisse sudores. Hoc enim, *ut grummi*, significat. Quin potius volens ostendere, quod non tenuibus quibusdam guttulis, quasique ad indicium modo apparentibus dominicum corpus perstillaverit: sed quod vere uberiorum guttarum instar totum sudoribus perfundebatur, sanguinis grummos ad repræsentandam rei imaginem assumsit. Osten- E debatur porro quemadmodum etiam per intensissimam orationem, & multam agoniam, ita etiam per sudorum crassitiem, quia naturaliter & reipsa, non vero specietenus & phantastice, homo erat salvator, & naturalibus hominum inculpatis tamen inserviebat passionibus. Nihilominus illud: *Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum serumsere eam* [d], in his ostendit, voluntariam esse passionem: præterea, quod alia quidem sit posita & sumta anima, alia vero ponens & sumens divinitas. (Aliam atque aliam dixit, non in duas personas dispescens, sed duarum naturarum indicans discrimen.) Et quemadmodum

a Matth. XXVI. 39. *b* Joan. XVIII. 11. *c* Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. *d* Joan. X. 18.

1. Confer Theophyl. in Marcum. 2. Forte ὑγιασμένους. 3. Deest αἵματος, ut patet ex sequentibus. 4. Quæ ( ) inclusimus, verba habentur auctoris catenæ.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 254.

τὸν θάνατον ὑπομείνας ἑκὼν, ἐν αὐτῇ τὴν ἀφθαρσίαν ἐφύτευσεν, οὕτω καὶ τὸ τῆς δουλείας [1] βουλήσει προσηκάμενος πάθος, αὐτῇ τὸ θάρσος καὶ τὴν ἀνδρείαν ἐνέσπειρεν, ἐξ ἧς τοὺς πιστεύοντας εἰς αὐτὸν πρὸς τοὺς τοῦ μαρτυρίου μεγάλους ἄθλους ἐνεύρωσε. ταύτῃ τοι καὶ θρόμβοι ἱδρῶτος αὐτοῦ παραδόξως οἷα σταγόνες αἵματος ἀπέῤῥεον, ἵνα τῆς ἡμετέρας φύσεως ὥσπερ ἀναξηράνῃ καὶ ἐξοικίσῃ τὴν τῆς δειλίας πηγήν. ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτο ἦν ὡς ἐν μυστηρίῳ πραττόμενον, οὐδὲ εἰ [2] σφόδρα δειλότατός τις καὶ ἀγεννέστατος ὑπῆρχεν, αἵματος ἔμελλεν νοτίσιν ἐξ ἀγωνίας μόνον ὥσπερ ἰκμάσιν ἱδρῶτος παρὰ φύσιν ὑγραίνεσθαι.

A carne mortem sponte sustinens, in ipsa incorruptilitatem plantavit: sic etiam voluntate timoris tristitiæque passionem admittens, per eam insevit constantiam fortitudinemque, qua credentes in ipsum, ad martyrii magna certamina corroboravit. Propterea etiam grummi sudoris ejus stupendum in modum quasi guttæ sanguinis defluebant, ut nostræ naturæ quodammodo arefaceret & extruderet ignaviæ fontem. Nam si hoc tamquam mysterio factum non fuisset; ne si quidem ignavissimus meticulosissimusque fuisset, sanguinis stillis ex agonia dumtaxat, tamquam guttis sudoris, contra naturam perfundendus fuisset.

Τοιοῦτόν ἐστι κἀκεῖνο τὸ εἰρημένον, ὡς ἄγγελος ἦν παρεστηκὼς τῷ σωτῆρι, καὶ ἐνισχύων αὐτόν. καὶ B τοῦτο γὰρ τῆς περὶ ἡμᾶς ἕνεκεν οἰκονομίας ἐπράττετο. τῶν γὰρ ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγώνων οἱ ἀθλεῖν μέλλοντες τοὺς ἱεροὺς ἄθλους, ἀγγέλους ἐξ οὐρανοῦ ἐπικουροῦντας αὐτοῖς ἔχουσι. τάχα δὲ τό· πάτερ, παρένεγκε τὸ ποτήριον, οὐχ ὡς δεδιὼς τὸν θάνατον ἔφησεν, ἀλλ' ἵνα διὰ τούτων προσκαλέσηται τὸν διάβολον πῆξαι αὐτῷ τὸν σταυρόν. ῥήμασι δολεροῖς ἠπάτησεν ἐκεῖνος τὸν Ἀδάμ· ῥήμασι θεϊκοῖς ἀπατηθήτω ὁ δολερός. ἀλλ' οὐδὲ ἄλλο θέλημα τοῦ υἱοῦ καὶ ἄλλο τοῦ πατρός. ὁ γὰρ θέλων ὃ θέλει ὁ πατὴρ, εὑρίσκεται ἔχων τὸ θέλημα τοῦ πατρός. σχήματι οὖν λέγει, μὴ τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ σόν. οὐ γὰρ θέ- C λει αὐτὸ παρενεχθῆναι, ἀλλὰ τῷ βουλήματι τοῦ πατρὸς ἀναπέμπει τὸ ἐκ τοῦ πάθους κατόρθωμα, ὡς ἀρχὴν τιμῶν τὸν πατέρα. εἰ γὰρ γνώμην τὴν διάθεσιν καλοῦσιν οἱ πατέρες· γίνεται δὲ διάθεσις πρὸς τὸ κρυβὲν ἐμφρόνως ὡς ἀπὸ τῆς βουλεύσεως· πῶς φασί τινες τὸν κύριον, τὸν ὑπὲρ ταῦτα πάντα, θέλημα φέρειν γνωμικόν; ἢ δῆλον ἐξ ἀλογίας.

Tale est & illud quod dicitur, quia angelus adstiterat salvatori, & confortabat eum. Etiam istud enim dispensationis nostræ gratiæ fiebat. Qui enim pro religione subituri sunt quasi sacra agonum certamina, angelos habent de cælo opem ferentes ipsis. Facile etiam illud: *Pater, transfer calicem*, [a] non tamquam metuens mortem dixit, sed ut per hæc provocaret diabolum, ut figeret sibi crucem. Verbis dolosis fefellit ille Adam: verbis divinis decipiatur fraudulentus. Sed non est alia voluntas filii, & alia patris. Qui enim vult quod vult pater, invenitur habere voluntatem patris. Per figuram igitur dicit, *non mea, sed tua*; non enim vult calicem transferri, sed voluntati patris defert perfectum passionis officium, tamquam principium patrem honorans. Si enim sententiam vocant patres animi affectionem, contingit vero affectio ad id quod occultum est prudenter tamquam a consilio: quomodo dicunt quidam Dominum qui super hæc omnia est, voluntatem ferre sententiosam? Certe ut patet, ex rationis defectu.

Στιχ. με'. Καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τῆς προσευχῆς, ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς, εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύπης.

v. 45. *Et surgens ab oratione, veniens ad discipulos, invenit eos dormientes a tristitia.*

Στιχ. μϛ'. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τί καθεύδετε; ἀναστάντες προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν.

v. 46. *Et dixit eis: Quid dormitis? surgentes orate, ut non intretis in tentationem.*

D

Καὶ γὰρ ἀδύνατον, μάλιστα μὲν ἴσως παντὶ ἀνθρώπῳ, τὸ παντελῶς ἄγευστον χαλεποῦ τινος διαμεῖναι· ὅλος γάρ φησιν ὁ κόσμος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. καὶ, τὸ πλέον τῶν ἡμερῶν τοῦ ἀνθρώπου, κόπος καὶ πόνος. ἀλλὰ τί διενήνοχεν, ἴσως ἐρεῖς, τὸ πειρασθῆναι, καὶ τὸ εἰς πειρασμὸν ἐμπεσεῖν, ἤτοι εἰσελθεῖν; ὁ μὲν γὰρ ἡττηθεὶς ὑπὸ τοῦ πονηροῦ· ἡττηθήσεται δὲ εἴπερ μὴ ἀγωνίζοιτο, ὑπερασπίζει δὲ αὐτοῦ καὶ ὁ Θεός· εἰς πειρασμὸν εἰσῆλθε, καὶ ἔστιν ἐν αὐτῷ, καὶ ὑπ' αὐτὸν, ὥσπερ ἀχθεὶς αἰχμάλωτος. ὁ δὲ ἀντισχὼν καὶ ὑπομείνας, πειρᾶται μὲν οὗτος, οὐ μὴν εἰς πειρασμὸν εἰσῆλθεν, ἤτοι ἐνέπεσεν. ἀνήχθη γὰρ ὁ Ἰησοῦς ὑπὸ τοῦ πνεύματος οὐκ E εἰς πειρασμὸν εἰσελθεῖν, ἀλλὰ πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου. καὶ ὁ Ἀβραὰμ οὐκ εἰς πειρασμὸν εἰσῆλθεν, ἀλλ' οὐδὲ εἰς πειρασμὸν αὐτὸν ἤγεν ὁ Θεὸς, ἀλλὰ ἐπείραζεν. οὐκ ἐνέβαλε δὲ αὐτὸν εἰς πειρασμόν. καὶ αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἐπείραζε τοὺς μαθητάς. ὁ μὲν γὰρ πονηρὸς πειράζων, εἰς τοὺς πειρασμοὺς καθέλκει, οἷα πειραστὴς κακῶν. ὁ δὲ Θεὸς πειράζων τοὺς πειρασμοὺς περιφέρει, ὡς ἀπείραστος κακῶν. ὁ γὰρ Θεὸς, φησιν, ἀπείραστός ἐστι κακῶν. ὁ μὲν γὰρ διάβολος ἐπ' ὄλεθρον ἕλκων βιάζεται, ὁ δὲ Θεὸς ἐπὶ σωτηρίας γυμνάζων χειραγωγεῖ.

Impossibile enim est, præsertim fortasse omni homini, manere prorsus inexpertum rei alicujus molestioris. *Totus*, enim ait, *mundus in maligno positus est* [b]. Et, *Pars maxima dierum hominis labor & molestia* [c]. At dices fortasse, quid differunt tentari, & in tentationem incidere vel ingredi? Qui victus est a maligno; vincetur autem, si non pugnet, & protegat eum Deus; is in tentationem incidit, & in tentationem intravit, & est in ea, & sub ipsa, tamquam ductus captivus. At qui resistit & sustinet, tentatur ille quidem, non tamen in tentationem intravit vel incidit. Elevatus est enim Jesus a spiritu, non ut in tentationem intraret, sed *ut tentaretur a diabolo* [d]. Nec Abraham in tentationem intravit, sed neque in tentationem induxit eum Deus, sed tentavit; non impulit autem eum in tentationem. Quin & Dominus ipse tentabat discipulos. Malignus tentans, in tentationes attrahit, quippe tentator malorum. Deus vero tentans, tentationes affert ut intentabilis malorum. *Deus* enim, inquit, *intentabilis est malorum* [e]. Diabolus in interitum trahens vim adhibet: at Deus in salute exercens manuducit.

Στιχ. μζ'. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ ὄχλος, καὶ ὁ

v. 47. *Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui di-*

a Marc. xiv. 36. b I. Joan. V. 19. c Psalm. lxxxix. 10. d Matth. iv. 1. e Jacob. I. 13.

1. Forte δειλίας. 2. εἰ,

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 254.

λεγόμενος Ἰούδας, εἷς τῶν δώδεκα, προσήρχετο αὐτοὺς, καὶ ἤγγισε τῷ Ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτόν.

Στιχ. μή. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· Ἰούδα, φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως;

cebatur Judas, unus de duodecim, accessit ad eos, & appropinquavit Jesu, osculans eum.

v. 48. *Jesus vero ait illi: Juda, osculo filium hominis tradis?*

Βαβαὶ τῆς ἀνεξικακίας τοῦ δεσπότου, τοῦ καὶ φιλήσαντος τὸν προδότην, καὶ τοῦ φιλήματος ἁπαλώτερα ῥήματα φθεγξαμένου. οὐ γὰρ εἶπεν· ὦ μιαρὲ καὶ παμμίαρε καὶ προδότα, ταύτας ἡμῖν ἀποδίδως τὰς ἀμοιβὰς τῆς τοσαύτης εὐεργεσίας; ἀλλὰ πῶς; [1] Ἰούδα, τὸ κύριον ὄνομα τιθεὶς, ὃ μᾶλλον ταλανίζοντος ἦν καὶ ἀνακαλοῦντος, ἢ ὀργιζομένου. καὶ οὐκ εἶπε· τὸν διδάσκαλόν σου, τὸν δεσπότην, τὸν εὐεργέτην. ἀλλὰ, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τουτέστι τὸν ἥμερον, τὸν πρᾶον. εἰ γὰρ μὴ διδάσκαλος ἦν, μηδὲ δεσπότης, μηδὲ εὐεργέτης· τὸν οὕτω ἀπλάστως, τὸν οὕτω ἡμέρως πρὸς σὲ διακείμενον, ὡς ἐν τῷ καιρῷ τῆς προδοσίας σε φιλεῖν, καὶ ταῦτα τοῦ φιλήματος συμβόλου τῆς προδοσίας ὄντος, τοῦτον παραδίδως; εὐλογητὸς εἶ κύριε· πόσης ἀνεξικακίας, πόσης ταπεινοφροσύνης ὑπόδειγμα ἡμῖν γέγονας; οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦ μὴ ἀφίστασθαι τῆς πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς συμβουλῆς, κἂν μηδὲν πλέον ἐκ τῶν ἡμετέρων ῥημάτων γίνηται, ὑπόδειγμα τοῦτο πεποίηκεν ὁ δεσπότης.

Oh tolerantiam Domini, qui & osculatus est proditorem, & osculo moliora protulit verba! Non enim dixit: O sceleste, & scelestissime & proditor! hascine nobis vices rependis tanti beneficii? Sed quomodo ait? *Juda*, proprium nomen usurpans, quod miserantis erat potius & revocantis, quam succensentis. Et non dixit: Magistrum tuum, Dominum, benefactorem, sed, filium hominis, idest, mansuetum, mitem. Si enim magister non fuissem, nec Dominus, nec benefactor; hominem tam sincere, tam mansuete erga te affectum, ut in tempore proditionis te ipse osculatus fuerim, & quidem cum osculum symbolum proditionis esset, hunc inquam prodidisses? Benedictus es Domine! quantæ tollerantiæ, quantæ humilitatis exemplum nobis fuisti! quin & ut ne deseramus consilium erga fratres, tametsi nihil amplius ex nostris verbis contingat, hoc ipsum exemplar edidit Dominus.

[2] Καθάπερ γὰρ τὰ ἀνίατα τῶν τραυμάτων, οὐδὲ τοῖς αὐστηροῖς τῶν φαρμάκων, οὐδὲ τοῖς γλυκαίνειν αὐτὰ δυναμένοις [3], ὅτι καὶ ψυχὴ, ἐπειδὰν ἅπαξ αἰχμάλωτος γένηται, καὶ ἑαυτὴν ἐπιδῷ ὁπουοῦν [4] πλημμελήματι, καὶ μὴ βούληται τὸ ἑαυτῆς συμφέρον συνιδεῖν, κἂν μυρία τις ἐνηχῇς, οὐδὲν κερδαίνει. ἀλλὰ καθάπερ νεκρὰς ἀκοὰς κεκτημένη, οὐδεμίαν ἀπὸ τῆς παραινέσεως δέχεται τὴν ὠφέλειαν. οὐκ ἐπειδὴ μὴ δύναται, ἀλλ' ἐπειδὴ μὴ βούλεται. [5] τοῦτο καὶ ἐπὶ τοῦ Ἰούδα γέγονεν. ὁ δὲ Χριστὸς καὶ ταῦτα πάντα προειδὼς, οὐ διέλιπεν ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους τὰ παρ' ἑαυτοῦ πάντα ἐπιδεικνύμενος. ἃ καὶ ἡμᾶς εἰδότας ῥυθμίζειν χρὴ τοὺς ἠμελημένους διαπαντὸς, κἂν μηδὲν οὐκ τῆς συμβουλῆς γίνηται κέρδος.

Quemadmodum enim vulnera incurabilia, neque austerioribus pharmacis, neque dulcioribus sanari possunt: ita etiam anima, ubi semel captivata fuerit, seipsamque tradiderit cuicumque flagitio, nec velit quod sibi prosit attendere; quamvis infinita quis auribus ejus insonet, nihil profuit. Sed perinde atque mortuos auditus haberet, nullum ex admonitione recipit emolumentum: non quia non potest, sed quia non vult. Hoc & in Juda contigit. Christus tamen quamvis hæc omnia præsciret, non omisit ab initio ad finem exhibere quæcumque ex seipso erant. Quæ & nos scientes, oportet ut corrigamus semper qui negligentes sunt, quamvis nullum ex consilio nostro emolumentum sequatur.

III.

[6] Οὐκ ἀλλότριος ὁ υἱὸς τῆς φύσεως τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ὁμοφυής τε καὶ ὁμοούσιος.

Quod non sit alienus filius a natura patris, sed connaturalis & consubstantialis.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ.

Καὶ φυτὸν ἀπὸ ῥίζης ἀνελθὸν, ἕτερον μὲν ἐστι τοῦ ὅθεν ἐβλάστησεν. ἔστι δὲ ἐκείνῳ ὁμοφυές. καὶ ποταμὸς ἀπὸ πηγῆς ῥέων, ἕτερον μέν ἐστι παρ' αὐτήν. μήτε γὰρ ποταμὸν πηγὴν, μήτε τὴν πηγὴν ποταμὸν λέγεσθαι· ἓν δὲ ἀμφότερα ὑπάρχειν ὁμολογοῦμεν κατὰ τὴν φύσιν, καὶ ὁμοούσια. καὶ τὴν μὲν πηγὴν, οἱονεὶ πατέρα νοεῖσθαι, τὸν δὲ ποταμὸν εἶναι, τὸ ἐκ τῆς πηγῆς γεννώμενον.

DIONYSII ALEXANDRINI.

Planta ex radice germinans, alia quidem est ab eo unde germinavit, est tamen illi connaturalis. Fluvius item a fonte fluens, aliud est ab eo. Neque enim vel fluvium fontem, neque fontem fluvium dici fas est. Unum vero utraque esse confitemur secundum naturam, & consubstantialia: fontemque quasi patrem mente concipi, fluvium vero esse quod ex fonte nascitur.

1. Confer Chrysostomum.
2. Confer Chrysostomum.
3. Deest ἰαθῆναι δύναται, vel quid simile & legendum videtur ὥσπερ, pro ὅτι.
4. Forte ὁτιῳοῦν.
5. Confer Chrysost. Conc. I. de Lazaro, I. 714.
6. Ex Panoplia Euthymii Zigabeni in Cod. Ms. XIX. Nanianæ Biblioth. Confer nostræ Bibl. tom. III, p. 497. a.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ
ΤΟΥ
ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΥ

Ex Cod. Ms. 168. Cl. viri Mitarelli Cat. in Matthæum.

S. GREGORII
THAUMATURGI
FRAGMENTUM

In illud Matth. VI. 22. 23.

Στιχ. κβ'. Ὁ λύχνος τοῦ σώματος, ἐστιν ὁ ὀφθαλ- A
μός. ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται. ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου σκοτεινὸν ἔσται.

Στιχ. κγ'. Εἰ δὲ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον;

Ἁπλοῦς ὀφθαλμὸς, ἡ ἀνυπόκριτός ἐστιν ἀγάπη, δι' ἧς ὅταν τὸ σῶμα φωτίζηται, τὰ αὐτὰ τοῖς ἔσωθεν νοουμένοις, καὶ διὰ τῶν ἔξωθεν μερῶν προφέρουσα· ὁ δὲ πονηρὸς ὀφθαλμός ἐστιν ἡ προσποίητος ἀγάπη, ἥτις καὶ ὑπόκρισις καλεῖται. δι' ἧς ἅπαν τὸ σῶμα σκοτίζεται τοῦ ἀνθρώπου. ἄξια μὲν σκότους πράγματα ἐννοούμενον [1] ἔσωθεν· διὰ δὲ τῶν ἔξωθεν μερῶν, φωτὸς εἶναι δοκοῦντα προφέρον ῥή- B
ματα. λύκοι γάρ εἰσιν ὡς ἀληθῶς, προβάτων περιβεβλημένοι δοράς· οἱ τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τῆς παροψίδος μόνον πλύνοντες, καὶ οὐκ εἰδότες, ὅτι ἐὰν μὴ τὸ ἔσωθεν τούτων καθαρισθῇ, οὐδὲ τὸ ἔξωθεν καθαρὸν δύναται γενέσθαι. διόπερ τούτους σαφῶς ἐλέγχων, φησὶν ὁ σωτήρ· ὅτι εἰ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος· τὸ σκότος, πόσον. τουτέστιν· εἰ ἡ δοκοῦσά σοι ἀγάπη εἶναι φῶς, διὰ τὴν ἐν σοὶ κεκρυμμένην ὑπόκρισιν σκότους ἄξιόν ἐστιν ἔργον, τί τὰ προφανῆ σου παραπτώματα;

A ℣. 22. *Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex sit, totum corpus tuum lucidum erit. Sin autem oculus tuus malus sit, totum corpus tuum tenebricosum erit.*

v. 23. *Quod si lumen, quod in te, obscuritas est; obscuritas ipsa quanta?*

Simplex oculus, est sincera caritas, per quam totum cum corpus illuminatur, haud aliter internos cogitatus profert, quam per externas corporis partes. Oculus malus, est caritas simulata, quæ etiam hypocrisis audit: per quam corpus universum hominis tenebrescit. Equidem digna tenebris opera, interiorem hominem cogitamus, sed per
B exteriora membra, ejusmodi verba proferentem, quæ lucis esse videantur. Lupi enim sunt revera, induti ovina pelle: qui externa poculi & lancis dumtaxat abluentes, non vident, quod nisi horum interna mundentur, ne externa quidem munda esse possunt. Propterea hos manifeste coarguens, ait Salvator: *Si lumen, quod in te, tenebræ; tenebræ ipsæ, quantæ* [a]? Id est; si quæ tibi videtur caritas lumen esse, propter latentem in te hypocrisin opus est tenebris dignum: quid erunt tua manifesta scelera?

a Matth. vi. 23.

1. Forte ἐννοούμενον τὸν, & mox προφέροντα.

[1] ΜΗΝ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΣ

[2] ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ

ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΜΦΙΛΟΥ

εἰς τὸν βίον τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Σιλβέστρου πάπα Ῥώμης, καὶ εἰς τὸν ἐν ἁγίοις βασιλέα Κωνσταντῖνον τὸν μέγαν.

MENSE JANUARIO

COMMENTATIO

EUSEBII PAMPHILI

de vita sancti patris nostri Silvestri papæ Romani, & de sancto imperatore Constantino Magno.

Τὰ δὲ λοιπὰ τὰ λεχθέντα τε καὶ γενόμενα A παρίημι συμμετρίας χάριν, μή πως τῷ πλήθει τῶν λεγομένων ἀποκναίειν δόξω τοὺς ἐντυγχάνοντας. εἰσὶ δέ τινα, ἅπερ παραλιπεῖν οὐκ ἀναγκαῖον. ἀπαιτεῖ γὰρ ἡ ἱστορία ἐπὶ Ἑλένην ἡμᾶς τὴν τοῦ βασιλέως μητέρα βαδίσαι τῷ λόγῳ. αὕτη τοίνυν ἡ μακαρία καὶ ἁγία Ἑλένη ἐν τῇ Βιθυνίᾳ μετὰ τῶν ἐγκόνων αὐτῆς Κωνσταντίου καὶ Κώνσταντος τῶν αὐγούστων διατρίβουσα, καὶ τῶν Ἰουδαίων αὐτῇ ἐντυγχανόντων περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς Κωνσταντίνου, τοιαῦτα διὰ γραμμάτων διεπέμψατο αὐτῷ.

„ Cetera sive quæ dicta, sive quæ gesta sunt, „ prætereo, ne nimis longus sim: ne forte „ copia dictorum videar molestiam fastidiumque „ creare lectoribus. Sunt tamen quædam quæ ne- „ cesse est non præterire. Postulat enim historia, „ ut ad Helenam imperatoris matrem oratio no- „ stra veniat. Hæc igitur beata sanctaque Helena „ in Bithynia cum filiis suis Constantio & Con- „ stante Augustis degens, cum Judæi apud illam „ supplicassent pro filio suo Constantino, hæc per „ literas ad illum misit. "

ΕΠΙΣΤΟΛΗ

Νικητῇ, τροπαιούχῳ, αἰωνίῳ, αὐγούστῳ, Κωνσταντίνῳ υἱῷ Ἑλένη, αἰωνία, αὐγοῦστα,

Τὴν ἀλήθειαν ὁ σοφὸς οὐκ ἀπωθεῖται λογισμός, οὔτε μὴν ἡ ὀρθὴ πίστις δυνήσεταί ποτε ζημίαν τινὰ ὑπομεῖναι. τῇ θείᾳ τοίνυν φιλανθρωπίᾳ ἐπιγραπτέον τὸ ἀξιωθῆναί σε τῆς τῶν εἰδώλων ἀποστῆναι ματαιότητος, τῇ πλάνῃ δὲ λογιστέον τὸ πιστεῦσαί σε Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον Θεὸν εἶναι ἀληθινόν, καὶ τοῦτον ἐν οὐρανοῖς υἱὸν Θεοῦ ὑπάρχειν. ὃς Ἰουδαῖος γενόμενος, καὶ ἐπὶ μαγείαις κατακριθεὶς, καὶ ἀποφάσει σταυροῦ καταδικασθεὶς ἀπέθανε. τῇ δὲ εὐσεβείᾳ τῇ σῇ, τούτου χάριν ἡ ὑγεία παρεσχέθη, διὰ τὸ πρῶτόν σε ἐν βασιλεῦσι τοῖς εἰδώλοις ἀποτάξασθαι. ὁ γὰρ ἀληθὴς καὶ αἰώνιος Θεὸς δεῖξαι βουλόμενος ἐκείνους, οὓς ἀπηρνήσω μὴ, εἶναι Θεοὺς ἀληθεῖς, ἐχαρίσατό σοι τὴν ὑγείαν, ἵνα ἀποθέμενος πάντα τὸν τῶν εἰδώλων φόβον, εἰδέναι ἔχοις, ὡς οὔτε ὑγείαν παρασχεῖν ἐξαμενιζόμενοι δύνωνται, οὔτε μὴν ἀφελέσθαι ἀπεχθανόμενοι. ταύτης τῆς δυσιδαιμονίας τὴν πλάνην καταλιμπάνουσαν τὴν σὴν εὐσέβειαν κατέλιπεν ἡ ἀῤῥωστία. νῦν δὲ πρὸς τὸν παντοκράτορα Θεὸν ἐπανιόντα καταλήψεται δύναμις, ἡττηθῆναι μηδέ ποτε δυναμένη. ὃν ἀρξάμενος σέβειν, ἐγκρατὴς γενήσῃ τῆς τοῦ Δαβὶδ βασιλείας, καὶ τοῦ σοφωτάτου Σολομῶντος. ἔσονται γὰρ μετὰ σοῦ οἱ προφῆται, οἷς ἐλάλησεν ὁ Θεὸς, καὶ πάντα ὅσα ἂν δι' αὐτῶν αἰτήσῃ, λήψῃ. ἔῤῥωσο σεβάσμιε δέσποτα, αἰώνιε, αὔγουστε, καὶ υἱὲ τιμιώτατε αἰσίαις ἀποβάσεσι θάλλων.

Δεξάμενος τοίνυν τὴν ἐπιστολὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ ὁ βασιλεὺς Κωνσταντῖνος, καὶ ἀναγνοὺς, καὶ μαθὼν

EPISTOLA

B *Victori, triumphatori, æterno, augusto, Constantino filio Helena, æterna, augusta.*

Veritatem sapiens ratio non repudiat, nec sane recta fides poterit umquam damnum sustinere. Divinæ igitur bonitati acceptum ferendum, quod dignus habitus fueris qui ab idolorum vanitate recederes: at errori tribuendum, quod credideris Jesum Nazarenum Deum esse verum, atque hunc in cælis filium Dei esse: qui cum esset Judæus & propter maleficia damnatus, etiam sententia subeundæ cruci addictus oppetiit. Tuæ vero pietati ideo sanitas concessa fuit, quia primus inter imperatores idolis nuncium remisisti. C Verus enim & æternus Deus ostendere volens, eos quos abnegasti, nequaquam esse veros Deos, indulsit tibi sanitatem, quo deposito omni idolorum metu, intelligere posses, quia nec exorati salutem conferre possunt, neque illam exacerbati auferre. Hujus superstitionis errorem deserentem pietatem tuam infirmitas deseruit. Jam porro ad omnipotentem Deum revertentem te virtus assequetur, quæ numquam superari queat. Quam colere incipiens, Davidicum regnum obtinebis & sapientissimi Salomonis. Futuri sunt enim tecum prophetæ, quibus loquutus est Deus, & quæcumque per illos postulaveris, obtinebis. Vale domine venerande, æterne, auguste, & fili honoratissime felicibus eventibus florens.

„ Accepta igitur suæ matris epistola, Imperator „ Constantinus, eaque lecta, cum probe intelle-

1. Ex Ms. Naniano XVII. G. pag. 8.

2. Hic titulus est recentiori charactere.

ἀκριβῶς εἶναι τὴν τῶν Ἰουδαίων σκαιωρίαν, ἐπὶ τῷ A τῆς μητρὸς αὐτοῦ δελεασμῷ, ἔγραψε ταύτην διὰ γραμμάτων, ἔχων τὸν τύπον οὕτως.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ

Δεσποίνῃ αἰωνίᾳ, αὐγούστῃ, Ἑλένῃ μητρὶ Κωνσταντῖνος υἱὸς, αἰώνιος, αὔγουστος.

Ο τοὺς σύμπαντας αἰῶνας πρυτανεύων Θεὸς, ὁ κυβερνῶν καὶ διακρατῶν καὶ ζωοποιῶν πάντας ἡμᾶς· διὰ μὲν τῆς αὐτοῦ δυνάμεως ζωὴν καὶ πνοὴν παρέχει τοῖς σύμπασι, τοῖς δὲ βασιλεῦσι τῆς ἀνθρωπότητος τὸ δίκαιον νέμειν προστάξαι κατηξίωσεν. ὅσῳ οὖν ὑπέρτερον τόπον ἐν τοῖς ἀνθρώποις κατέχωμεν, B τοσοῦτον ταῖς τῶν ἀνθρώπων ἐκδεχόμεθα προσδοκίαις. τοιγαροῦν πάντων ἀνθρώπων οἱ ὀφθαλμοὶ, πάντων αἱ διάνοιαι, πάντων αἱ βουλαὶ, τὸ ἡμῖν δόξαν θέλουσι, καὶ τὸ ἡμῖν ἀβούλητον ἀποσείονται. διάτοι τοῦτο, δέσποινα αἰωνία, αὐγούστα, οὐ μόνον ἀνεπίληπτον, ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐπαινετὸν ὀφείλει ὑπάρχειν ἡμῶν τὸ βούλημα, καὶ ἀληθῶς μὴ εἶναι καλὸν πᾶν, ὃ μὴ βουλώμεθα. ταῦτα δὲ ἅπερ εἴρηκα, ἐν ταῖς ἡμετέραις ἀπόκειται διοικήσεσι. Θεὸν δὲ νοῆσαι, ὑπὲρ τὴν ἡμετέραν ἐστὶ διάνοιαν.

Διὸ δὴ σχολαζέτω τῆς ἡμετέρας αὐθαδείας ἡ τόλμη, παρήτωσαν δὲ μᾶλλον ἐπιτοαυτὸ οἱ τῶν Ἰουδαίων ἐπίσκοποι, ἡμῶν ἀκροωμένων, καὶ περὶ τούτων διαβαλλέτωσαν εἰς ἀλλήλους, ἵνα ταῖς αὐτῶν δικαιολογίαις C δυνηθῶμεν τὸ σαφὲς καὶ ἀληθὲς τῆς ὀρθῆς ἐπιγνῶναι πίστεως. οὕτως γὰρ ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν δυνήσονται καὶ ἑαυτοὺς καὶ ἡμᾶς περὶ τῆς ἀληθείας πληροφορῆσαι, καὶ πάντα δὲ τὸν κόσμον ἐπὶ τὴν ὀρθὴν καὶ βεβαίαν προτρέψασθαι πίστιν. ἔῤῥωσο δέσποινα μήτηρ, αἰωνία, αὐγούστα, αἰσίαις ἐκβάσεσι θάλλουσα.

„ xiſſet eſſe Judæorum vafritiem, quæ decipere ni-
„ teretur parentem ſuam, per literas reſpondit in
„ hæc verba.

EPISTOLA

Dominæ æternæ, auguſtæ, Helenæ matri, Conſtantinus filius, æternus, auguſtus.

Qui omnium ſæculorum moderator eſt Deus, qui gubernat, & imperat, & vivificat omnes nos; per virtutem quidem ſuam vitam & reſpirationem largitur cunctis, principibus vero dignatus eſt mandare, ut hominibus jura ſua tribuerent. Quanto igitur ſublimiorem locum inter homines obtinemus, tantum humana in nos intenditur ſpes. Itaque omnium hominum oculi, omnium animi, omnium voluntates, quod nobis viſum, fieri volunt, quodque nobis non arridet, evitant. Propterea, domina, æterna, auguſta, non ſolum irreprehenſibilem, verum etiam commendabilem oportet eſſe voluntatem noſtram, ac revera nihil eſſe honeſtum, quod non velimus. Quæ autem dixi, in noſtris poſita ſunt diſpoſitionibus. At Deum cognoſcere, ſupra aciem mentis noſtræ eſt.

Quamobrem quieſcat noſtræ temeritatis audacia. Conveniant vero potius in unum Judæorum inſpectores, nobis ipſis audientibus, atque de his diſputent inter ſe, ut eorum cavillificationibus argumentiſque valeamus evidentiam & veritatem agnoſcere rectæ fidei. Ita enim ex ſanctis ſcripturis poterimus & illi & nos de veritate fieri certiores, univerſumque orbem ad rectam firmamque fidem exhortari. Vale, domina, mater, æterna, auguſta, felicibus florida eventibus.

Sæcul. IV.
circa
Ann. Chr.
360.

[1] ΒΙΟΣ καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑ
ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ
ΟΝΟΥΦΡΙΟΥ

Εὐλόγησον δέσποτα.

VITA ET ACTA
SANCTI PATRIS NOSTRI
ONUPHRII.

Jube domne benedicere.

ΕΝ μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος Παφνούτιος σπουδὴν ἐποιησάμην εἰς τὴν ἐσωτέραν γενέσθαι ἔρημον, καὶ ἰδεῖν εἰ ἔστιν ἄλλος ἀδελφὸς ἐνδότερόν μου μοναχὸς δουλεύων τῷ Κυρίῳ. καὶ ἀναστὰς ἐπορευόμην. ταύτης δὲ ἀπαρξαμένης τῆς ὁδοῦ, ἐβαστασάμεθα αὐτοῦ ὀλίγους ἄρτους, καὶ ὕδωρ μικρὸς, ἅπερ ἄχρι τεσσάρων ἤρκεσάν μοι ἡμερῶν. τῶν δὲ ἐλθόντων, καὶ τοῦ δαπανήματος πληρωθέντος, ἐθλίβην περὶ τὴν τροφὴν στενούμενος. καὶ ἀθέως χάριτι Θεοῦ δύναμιν ἔλαβον, καὶ τὸν θάνατον ἐνώπιόν μου ἔχων, ἐπορεύθην ἐπὶ ἄλλας τέσσαρας ἡμέρας καὶ νύκτας, οὐ γευσάμενος ἄρτου καὶ ὕδατος. ὥστε ἐκ τῆς ἀσιτίας καὶ τοῦ κόπου ῥίψαι ἐμαυτὸν ἐπὶ τὴν γῆν ὡσεὶ νεκρόν. ὅτε ἴδον ἔνδοξον ἄνδρα ἐλθόντα, καὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τὰ χείλη ἐπιτιθέντα. καὶ παραχρῆμα ἐνεδυναμώθην, ὥστε μήτε πεινᾶσαι μήτε διψῆσαι. ἀναστάντα δὲ στῆναί με. ἰδὼν δὲ τὴν μεγάλην ταύτην ὀπτασίαν φοβερὰν, πάλιν ἐπορεύθην προθύμως εἰς τὴν ἐσωτέραν πάλιν ἔρημον. δεκαέπτα δὲ ἁπλῶς πληρωθεισῶν ἡμερῶν τῆς ἐμῆς ὁδοιπορίας [2], ἐθεασάμην πόρρωθεν ἄνδρα σφόδρα τῷ εἴδει φοβερὸν ἐρχόμενον, δασὺν ὄντα ταῖς θριξὶν, καὶ τὸ ταύταις σῶμα ἐσκεπασμένον ὡσεὶ θηρίον. ἦν γὰρ ἀπὸ ἐσθεῖτο [3], καὶ φύλλων βοτάνης περὶ ὀσφὴν αὐτοῦ περιεζωσμένος.

A I. Quadam die ego minimus Paphnutius studiose volui in interiorem deserti partem penetrare, & videre si quis alius est frater monachus abditiori quam ego loco serviens Domino. Itaque surgens iter institui. Hoc igitur cœpto itinere, mecum tuli ibi paucos panes, & aquam pusillam, quæ ad quatuor dies suffecerunt mihi. His elapsis, consumtisque quæ mecum attuleram, angebar cibi inopia. At repente Dei gratia vires recuperavi, relictaque coram me morte, iter confeci quatuor adhuc dies & noctes, non gustato pane & aqua. Propterea ob inediam & laborem projeci me in terram tamquam mortuum: quum ecce cerno gloriosum hominem adventantem, manumque B suam labiis imponentem. Et confestim roboratus fui usque adeo, ut nec esurirem nec sitirem, & assurgens starem. Cum vero magnam hanc atque terribilem visionem contuitus fuissem, iterum profectus sum alacriter in interiorem eremum. Postquam septemdecim admodum transissent itineris mei dies, vidi procul hominem terribilem valde aspectu adventantem, hirsutum pillis, iisque coopertum corpus quasi bellua. Erat enim sine veste, & foliis herbæ circa ilia circumcinctus.


Τούτου δὲ φθάσαντος ἐγγύς μου, σύμφοβος γενόμενος, ἀνέβην ἐπὶ τὸ περίγειον τοῦ ὄρους, πάνυ δειλιάσας, νομίσας ἀνθρωποκτόνον εἶναι αὐτόν. αὐτὸς δὲ φθάσας ὑποκάτω τοῦ περιγείου ἐκείνου, ἔρριξεν [4] ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν σκιάν. ἦν γὰρ θλιβόμενος διὰ τὴν τοῦ γήρους καὶ τῆς τροφῆς στένωσιν, καὶ τὸν κόπον, ὃν ὑπέμεινεν ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐκείνῃ. καὶ ἀναβλέψας ἐπὶ τὸ ὄρος, καὶ θεασάμενός με, ἐφώνησε λέγων· κάτελθε πρὸς μὲ, ἄνθρωπε ἁγιώτατε. κἀγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὁμοιοπαθής σου, μένων ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ διὰ τὸν Θεόν. ἐγὼ δὲ ἀκούσας ταῦτα, προθύμως κατελθὼν πρὸς αὐτὸν, ἔρριψα ἐμαυτὸν ἐπὶ τὴν γῆν πρὸς τοῖς ποσὶν αὐτοῦ. ὃς δὲ ἔφη· ἀνάστα υἱέ μου. καὶ σὺ γὰρ δοῦλος εἶ Θεοῦ, καὶ φίλος τῶν ἁγίων. καὶ ἀναστὰς, ἠξιώθην καθῆσαι ἐνώπιον αὐτοῦ. παρεκάλεσα δὲ αὐτὸν πολλὰ, εἰπεῖν μοι τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ δεῖξαί μοι τὰ ἔργα αὐτοῦ. αὐτὸς δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπέ μοι·

II. Eo ad me propere appropinquante, magno ego timore correptus, ascendi ad terræ proxima montis, C perterritus admodum, reputans eum esse homicidam aliquem. At ille subiens ima illius montani verticis projecit sese ad umbram. Erat enim confectus senectute & inedia, æstu & labore, quæ sustinebat in illa eremo. Suspiciens vero in montem, cum me vidisset, vocavit dicens: Descende ad me, homo sanctissime: ego quoque homo sum iisdem atque tu obnoxius affectionibus, qui hoc desertum incolo propter Deum. Ego cum hæc audissem, alacriter descendens ad illum, projeci me in terram ad pedes ejus. Ait vero ille: Surge fili mi. Tu quoque enim servus es Dei, & amicus sanctorum. Exsurgens ergo, postulavi coram illo sedere. Oravi quoque illum etiam atque etiam, D ut diceret mihi nomen suum, ostenderetque vitæ suæ rationem. Qui respondens ait mihi:

Ὀνούφριος ὄνομά μοι. καὶ ἰδοὺ ἑξήκοντα ἔτη ἔχω ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ περιπατῶν ἐν τοῖς ὥραισιν [5] ὡς θηρίον, καὶ ἐκ τῶν βοτανῶν καὶ καρπῶν τῆς ἐρήμου ταύτης τρεφόμενος, ἄνθρωπον παντελῶς ἐν σαρκὶ

III. Onuphrius est mihi nomen. Et ecce sexagesimus annus est, ex quo in hac eremo ambulo in montibus quasi fera, & herbis fructibusque hujus deserti nutritus, hominem omnino in carne co-

1 Ex Cod. LV Naniano.
2. In Cod. δυπ.δ΄ας.
3. Forte ἀνὰ ἐσθῆτος.
4. ἔρριψεν.
5. Forte ὄρεσιν.



γνωριζόμενόν μοι οὐχ ἑωρακὼς, εἰ μή σε. καὶ μένων οἴκουν [1] γὰρ πρώην ἐν ἁγίῳ μοναστηρίῳ τῆς Θηβαίων χώρας ἐπιλεγομένῳ τοῦ Ερμοπολείτου, ὅπερ πληροῦται ὑπὸ ἀδελφῶν τὸν ἀριθμὸν ἑκατὸν, ὁμοπίστων καὶ ὁμοψύχων, κοινῆς ἐσθιόντων πάντων ἐν ἀγάπῃ τραπέζης, καὶ πρήρης [2] εἰρηνικῇ ἀνατρεφομένων ζωῇ, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ μεγάλῃ ἀσκούντων καὶ δοξαζόντων τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ ἀγαθότητα. ἔτι οὖν ἐν ἡλικίᾳ διάγων, καὶ παραδεχόμενος [3] τὴν φιλοθεΐαν ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ τὴν εἰλικρινῆ πίστιν, καὶ τὸν κανόνα τῆς εὐλαβείας. διδασκόμενος δὲ ἤκουσα τῶν ἁγίων γερόντων, ὅτι ἔλεγον περὶ τοῦ θαυμαστοῦ καὶ θεοσεβοῦς πατρὸς ἡμῶν Ηλιοῦ, ὅπως ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐνεδυναμώθη διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ ἐγκρατείας, ἣν [4] ἐν τῇ ἐρήμῳ ὑπήνεγκεν. καὶ πάλιν περὶ τοῦ ἐνδόξου καὶ βαπτιστοῦ Ιωάννου, καθ' ὃν οὐ γέγονε πώποτέ τις τῶν ἀνθρώπων, καὶ περιὼν ἐπέστη ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἕως τῆς ἡμέρας τοῦ φανεροῦσθαι αὐτὸν τῷ Ισραήλ.

A gnitum mihi non vidi præter te. Prius quidem incola degi in venerabili monasterio regionis Thebæorum, quod vocabatur Hermopolitæ, quod centum admodum fratribus frequentatur, ejusdem fidei & animi, qui communi mensa in caritate omnes utentes, pleneque in pacifica enutriti vita, & tranquillitate magna exercentes sese, glorificant domini nostri Jesu Christi bonitatem. Cum igitur juventute adhuc pollerem, Deique amorem edoctus a sanctis patribus & sinceram fidem & regulas pietatis essem: audivissemque inter erudiendum a sanctis senibus, qui loquebantur de admirabili ac pientissimo patre nostro Elia, quomodo divinitus roboratus B fuerit per patientiam & constantiam, quam in deserto præ se tulit: itemque de glorioso & baptista Joanne, similem cujus non fuit quis umquam hominum, qui & circumiens in deserto mansit, usque in diem, qua manifestatus est Israeli.


Ταῦτα οὖν ἀκηκοὼς, ἐπυθόμην παρ' αὐτῶν, τί οὖν; οἱ ἐν τῇ ἐρήμῳ οἰκοῦντες, μείζονες ἡμῶν εἰσιν πρὸς Θεόν; αὐτοὶ ἀποκριθέντες μοι, εἶπον· ναὶ τέκνον. μείζονες ἡμῶν ὑπάρχουσιν. ἡμεῖς γὰρ καθ' ἑκάστην ἀλλήλους ὁρῶμεν, καὶ κοινῶς τὰς συνάξεις ἡμῶν ποιούμεθα μετ' εὐφροσύνης. καὶ ἡνίκα πεινάσωμεν, τὴν τροφὴν ἑτοίμην εὑρίσκομεν. ὁμοίως δὲ καὶ εἰ διψήσωμεν, ὕδωρ ἔχομεν. καὶ εἰ συμβῇ τινα ἡμῶν ἐν ἀδυναμίᾳ συλληφθῆναι, παραμυθεῖται ὑπὸ τῶν ἑτέρων διὰ τὸ κοινῶς διάγειν ἡμᾶς. εἰ δὲ καὶ βρώσιμόν τι ἐπιθυμήσωμεν, ἀλλήλοις τοῦτο διακονοῦμεν διὰ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. οἱ δὲ οἰκοῦντες ἐν τῇ ἐρήμῳ, τούτων πάντων ἐκτός εἰσι. πόθεν γὰρ αὐτοῖς ταῦτα; εἰ δὲ καὶ θλίψις αὐτοὺς ἐπέλθῃ ποτὲ, ἢ πόλεμος, ποῦ ἐρύσουσιν ἄνθρωπον μεταβάλλαι τὸν νοῦν, ἢ παραμυθήσασθαι δυνάμενον, ἢ καὶ τροφῆς λιπούσης αὐτοῖς, οὐκ εὔκολον. αὐτοῖς γὰρ ὡσαύτως δὲ καὶ δίψης καταλαβούσης, ὕδωρ οὐκ ἔστιν αὐτοῖς. τότε δὲ μάλιστα πλέον κοπιοῦνται ἀδελφοὶ, ὅτι καὶ τὴν περὶ Θεὸν δουλείαν ἐπὶ πλέον ἀσπάζονται, καὶ τῇ ἀσκήσει ἑαυτοὺς παραδιδοῦσι, τήν τε πεῖναν καὶ τὴν δίψαν ὑπενεγκεῖν προθυμούμενοι, καὶ τοὺς κρυπτομένους τοῦ μισοκάλου πολέμους νικῆσαι καταγωνιζόμενοι, καὶ πᾶσαν τὴν στενὴν ὁδὸν ἐν κυρίῳ διάγοντες, εἰς τὸ μηδαμῶς ἡττηθῆναι τὴν ψυχὴν τῇ τοῦ ἐναντίου μανίᾳ. σπουδὴ γάρ ἐστιν αὐτῷ ἀεὶ τοῖς τὰ τοιαῦτα ἐπιθυμοῦσιν παρεμπόδιον γίνεσθαι, πινάζειν [5] αὐτοὺς, ὅπως τοῦ ἀγαθοῦ ἀποκόψαι σκοποῦ, καὶ μὴ ἐπιμεῖναι τῇ ἀσκήσει, καὶ τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ μεγαλοδωρεᾶς τυχεῖν, ὅτι ἐκ τοῦ σώματος ἐξέρχονται. ἐπειδὴ τοὺς ὑπομένοντας ταῦτα καὶ καρτεροῦντας σωφρόνως ἐν τῇ ἀσκήσει, ἡ τοῦ ἀγαθοῦ κυρίου ἡμῶν καταλαμβάνει εὐσπλαγχνία πρὸς ἀνταπόδοσιν, ὧν διὰ Θεὸν ὑπέμειναν θλίψεων, καὶ ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀγγέλων στελλομένων πρὸς αὐτοὺς διακονοῦνται τὴν τροφὴν, καὶ ὕδωρ ἐκ τῆς πέτρας κομίζονται, ἥ τις γὰρ [6] Χριστός, καθάπερ ὁ προφήτης Ησαΐας διδάσκει, λέγων· ὅτι οἱ ὑπομένοντες τὸν κύριον ἀλλάξουσιν ἰσχὺν, πετροφυοῦντες ὡσεὶ ἀετοὶ περιπατήσουσι, καὶ οὐ πεινάσουσι, δραμοῦνται, καὶ οὐ κοπιάσουσι. καὶ πάλιν λέγει· ὅτι ἐὰν διψήσωσιν, φέρεται ὕδωρ ἐκ τῆς πέτρας, καὶ γίνονται αὐτοῖς ε [7] βοτάνια γλυκεῖα ἐν τῷ στόματι ὑπὲρ μέλι. εἰ δὲ καὶ συμβῇ αὐτοῖς πόνον γενέσθαι, ἢ πόλεμον τοῦ ἀντικειμένου, διαναστάντες τὰς χεῖρας ἐκτείνοντες τῷ κυρίῳ ἡμῶν προσεύχονται, καὶ εὐθὺς ἡ ἐξ αὐτοῦ ἄνωθεν αὐτοῖς στέλλεται βοήθεια. σκορπίζονται πάντες

IV. Hæc inquam cum audissem, sciscitatus sum ab eis: Quid ergo? qui in eremo degunt, majores nobis sunt apud Deum? ipsi respondentes mihi dixerunt: Næ, fili, majores nobis sunt. Nos enim quotidie alius alium videmus, & communiter cum lætitia cœtus nostros agimus. Si quando esurimus, paratam escam invenimus: itemque si laboramus C siti, aqua præsto est: si quem nostrum contingat languore corripi, solantur alii, ex eo quod communiter nos vivimus. Si quid ad vescendum desideramus, mutuo id suppeditamus ob Dei amorem. At qui deserta colunt, his omnibus carent. Unde enim isthæc illis præsto esse possunt? Immo si qua angustia eos corripiat umquam, vel bellum; unde comparare sibi possint hominem, qui vel alio mentem flectere queat, vel consolari, si etiam solus cibus illi desit, nequaquam facile est. Illis enim pariter, siti urgente, aqua deficit. Tunc autem maxime laborant fratres, quando magis amplectuntur divinum servitium, seseque exercitationi D dedunt: famem sitimque perpeti alacriter parati, & occulta bonum perosi dæmonis bella vincere satagunt, ac universam angustam viam in Domino emetientes, enituntur ut in nullo prorsus animus vincatur hostis furore. Studet enim ille semper impedimento fieri iis qui rebus hujusmodi vacant, eosque tentare, ut de bono proposito divertat, nec in exercitatione perseverent, atque munificentissima Dei dona consequantur, quando de corpore exeunt. Siquidem eos qui sustinent hæc & in exercitatione prudenter perseverant, misericordia benigni Domini nostri ad remunerationem suscipit afflictionum, quas propter Deum sustinuerunt: atque a sanctis angelis missis ad eos ministerium perci-E piunt cibi, & aquam de petra obtinent, quæ Christus est, sicut docet Isaias propheta dicens: *Qui sustinent Dominum, mutabunt fortitudinem; petris inhærentes, ut aquilæ ambulabunt, & non sitient: current, & non laborabunt* [a]. Et iterum dixit: Si sitient, affertur aqua de petra, & fiunt eis herbæ dulces in ore super mel. Quodsi etiam contingat ut molestia aliqua affligentur, vel bello adversarii, surgentes & manus ad Dominum nostrum extendentes orant, & confestim demittitur cælitus auxilium ejus ipsis. Dissipantur omnes tentationes

[a] Isai. XL. 31.

1. Pro οἴκων. 2. Sic. Forte πλήρεις ἐν εἰρ. 3. Cod [illegible] 4. Ms. εἰς. 5. πειράζειν. 6. Legendum ἐστί. 7. τα.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 360.



οἱ πειρασμοὶ ἀπ' αὐτῶν διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν ὀρθῆς A καὶ καθαρᾶς καρδίας αὐτῶν. οὐκ ἤκουσταί σοι, τέκνον, τὰ ἐν τῇ γραφῇ φερόμενα, ὅτι Θεὸς οὐ καταλείπει πτωχὸν εἰς αἰῶνας; καὶ πάλιν λέγει· εἰσακούσεται αὐτῶν ὁ κύριος, ἐκ τῆς θλίψεως αὐτῶν ἐξελεῖται αὐτούς. ὁ γὰρ Θεὸς ἑκάστῳ δίδωσι κατὰ τὸν κόπον, ὃν ὑπέμεινεν δι' αὐτοῦ. μακάριος οὖν γὰρ ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. οἱ ἄγγελοι διακονοῦσιν αὐτῷ, καὶ ποιοῦσιν ἀγάλλεσθαι αὐτόν, καὶ ἐνδυναμοῦσιν αὐτὸν ἐκ πάσης ὥρας ἐν τῷ σώματι ὄντα.

ab ipsis propter rectum purumque cor eorum ad Dominum. An non audisti, fili, quæ in scripturis habentur, quod scilicet non deserit Deus pauperem in æternum? Et iterum dicit: *Exaudiet illos Dominus, ex angustia eorum eripiet eos* [a]. Deus enim tribuit cuique secundum laborem, quem propter illum sustinuit. Beatus igitur quicumque facit voluntatem Dei super terra! Angeli ministrant ei, efficiuntque ut lætetur, & roborant illum omni hora in corpore degentem adhuc.

Ταῦτα δὲ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῷ μοναστηρίῳ μου διδαχθεὶς ὁ ἐλάχιστος Ονούφριος, μέλιτος ποῖον [1] γλυκύτατα τὴν καρδίαν καὶ τὴν ψυχὴν πληρωθεὶς, μεγάλης ᾐσθόμην ἐν ἑαυτῷ διορθώσεως, B ὥστε ἐν ἄλλῳ τινὶ κόσμῳ τὸν ἐμὸν μεταχθῆναι λογισμόν. καὶ προθύμως ἀναστὰς ἐν νυκτὶ, ἔλαβον ὀλίγους ἄρτους καὶ κόκκους μοι πρὸς τροφὴν ἄχρι ἡμερῶν τεσσάρων. καὶ ὁδηγούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ οἰκονομίαν ἐξῆλθον, δυσωπῶν αὐτὸν γνωρίσαι μοι ἔνθα βούλεται οἰκεῖν μοναχόν. ἐξερχόμενος δὲ τοῦ μοναστηρίου κατὰ τὴν νύκτα ἐκείνην, ἦλθον εἰς τὴν ὁδὸν τοῦ ὄρους εἰσελθεῖν ἐν τῇ ἐρήμῳ βουλόμενος. καὶ ὁρῶ φῶς ἐναντίον μου, καὶ τοῦτο εἰδὼς ἐφοβήθην σφόδρα, ὥστε βουλεύσασθαί με ὑποστρέψαι, καὶ τὸν τόπον καταλαβεῖν, ἐν ᾧ πρώην ἐτύγχανον. καὶ πάλιν καὶ [2] τὸ πρότερον οἰκεῖν. ἀλλὰ τῆς περὶ τὰ μείζονα ἐν κυρίῳ προκοπῆς κατὰ τὴν αὐτοῦ πρόνοιαν καὶ τοῦτο τεκμήριον γέγονέ μοι. C ἰδοὺ γὰρ φοβηθέντος μου, ἔνδοξός τίς ἐστιν ἔμπροσθέν μου, καὶ ἐγγίσας μοι· μὴ φοβηθῇς. ἐγώ εἰμι ὁ ἄγγελος, ὁ συμπορευόμενός σοι ἐκ νέας ἡλικίας. ἡ γὰρ οἰκονομία αὕτη, ἣν ἠξίωσέν σοι ὁ Θεὸς περιπατῆσαι, τελεία ἐστί σοι.

V. Hæc a sanctis patribus monasterii mei cum fuissem edoctus ego minimus Onuphrius, quasi melis dulcedine repletus cor & animam, magnam sensi in me renovationem, perinde ac si in novum mundum mea fuisset translata cogitatio. Quamobrem statim exsurgens nocte illa, accepi paucos panes & grana quædam in nutrimentum ad dies quatuor. Et deductus a Deo secundum Dei ipsius providam dispensationem egressus sum, deprecatus eum ut indicaret mihi ubi vellet solitarium habitare me. Itaque monasterio egressus nocte illa, ingressus sum viam montis, volens penetrare eremum. At video e regione lumen, quod intuitus expavi vehementer, adeo ut de revertendo cogitarem, & repetendo loco, ubi prius degebam, & iterum juxta priorem consuetudinem inibi habitare. At enim & hoc mihi indicium fuit majoris in Domino profectus, secundum providentiam illius. Ecce enim metuente me, vir quidam gloriosus adstat mihi, & appropinquans ad me, Ne timeas, ait. Ego sum angelus, qui tecum incedo ab ineunte ætate tua. Hujusmodi enim gerendæ vitæ ratio, secundum quam Deus voluit ut incedas, perfecta est.

Καὶ ταῦτα λαλήσας μοι, καὶ περιεπάτησεν μετ' ἐμοῦ, καὶ ἦλθεν ἄχρι μιλίων ἓξ ἢ ἑπτά. σπήλαιον δὲ σεμνὸν ἑωρακὼς, γέγονα πλησίον αὐτοῦ, γνῶναι βουλόμενος εἰ ἔχει ἄνθρωπον ἐν ἑαυτῷ· καὶ φθάσας εἰς τὴν θύραν, ἐκραύγασα τὸ εὐλόγησον, κατὰ τὸ ἔθος τῶν φιλοχρίστων ἀδελφῶν. καὶ ἴδον ἄνδρα ἁγιώτατον, γηραλέον, καλὸν τὸ εἶδος σφόδρα, μεγάλης χάριτος πεπληρωμένον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. D θεασάμενος δὲ αὐτὸν, ἔρριψα ἐμαυτὸν παραχρῆμα ἐπὶ τὴν γῆν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ προσεκύνησα αὐτόν. αὐτὸς δὲ τῇ χειρὶ ἐγείρας, ἐσπάσατό με, λέγων· σὺ εἶ ὁ ἀδελφὸς Ονούφριος, ὁ συνεργός μοι ἐν κυρίῳ. εἴσελθε τέκνον. ὁ Θεὸς συμπράξῃ σοι, καὶ διαμείνας [3] ἀγαθὰ, ὡς ἐκλήθης, πληρῶν αὐτοῦ ἔργα κατὰ τὸν αὐτοῦ νόμον. εἰσελθὼν δὲ ἐκάθησα, σὺν αὐτῷ ἐπὶ ὀλίγας ἡμέρας, ὅσιόν τι παρ' αὐτοῦ μαθεῖν ἔργον. ὅπερ καὶ γέγονε. τὰς γὰρ τῶν ἐρημιτῶν ἐδίδαξέν μοι πολιτείας. αὐτὸς δὲ γνοὺς ὅτι τὸ πνεῦμά μου διέλαμψεν εἰς τὸ μαθεῖν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔργον, καὶ τοῖς κρυπτομένοις ἀντιστῆναι πολέμοις τοῦ ἀντικειμένου, καὶ τὸν φόβον, ὃν ἔχει, λέγει μοι· ἀνάστηθι τέκνον. ἀπαγάγω σε εἰς ἄλλο σπήλαιον ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ ἐρήμῳ, E εἰς τὸ οἰκεῖν σε μόνον ἐν αὐτῷ, καὶ κόπον ὑπόμενε. ἐπὶ τοῦτο γὰρ ἀπέσταλκέν σε ὁ Θεὸς ἐν τῇ οἰκονομίᾳ ταύτῃ, ἵνα τὴν ἐνδοτέραν οἰκήσῃς ἔρημον.

VI. Cum hæc mihi loquutus fuisset, & ambulavit mecum, & incessit millia passuum sex aut septem. Cum vidissem autem antrum venerabile, appropinquavi ei, scire volens, num quem haberet hominem in se. Et accedens ad ostium, clamavi *Benedic*, juxta morem diligentium Christum fratrum. Et vidi hominem sanctissimum, longævum ætate, pulcrum aspectu valde, magna gratia plenam habens faciem. Cum illum fuissem conspicatus, projeci me statim in terram ad pedes ejus, & adoravi eum. Ipse vero manu excitans, traxit me inquiens: Tu es frater Onuphrius, cooperator meus in Domino. Ingredere fili. Deus tibi opem ferat, perseveresque bene, sicut vocatus es, adimplens opera ejus secundum legem ipsius. Ingressus igitur permansi cum illo paucos quosdam dies, ut sanctum aliquod opus ab eo addiscerem. Quod & contigit. Edocuit enim me eremiticam vivendi rationem. Cum autem intellexisset affulxisse spiritum meum, ut addiscerem domini nostri Jesu Christi opus, & resisterem occultis adversarii bellis, timorem etiam quem habet, dicit: Surge fili, ducam te in antrum aliud in interiore deserti parte, quo solus habites ibi, & laborem sustine. Ad hoc enim vocavit se Deus ad hanc vitæ rationem, ut interiorem eremum incoleres.

Ταῦτα δέ μοι συμβουλεύσας, ἐπορεύθη σὺν ἐμοὶ εἰς τὴν ἐσωτέραν ἔρημον, ἐπὶ ἡμέρας τέσσαρας. καὶ τῇ ε. ἡμέρᾳ ἐπὶ ἐπ [4] μοι καλυβίῳ μικρῷ, οὗ ἦν πλησίον φῆναξ [5]. καὶ ἀποκριθεὶς μοι ὁ ἁγιώτατος ἀνὴρ, λέγει. οὗτός ἐστιν ὁ τόπος, ὁ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ πρὸς οἴκησιν εὐτρεπήσθη σοι.

VII. Cum hæc mihi consuluisset, profectus est mecum in penitiorem eremi regionem, per dies quatuor. Quinta vero die veni ad parvum tuguriolum, prope quod erat palma. Et alloquutus me vir sanctissimus, ait: Hic est locus, qui ex Dei

a Psalm. xc. 15.

1. Forte οἷον. 2. Forte κατά.
3. Forte διαμείνας, vel διαμείναις.
4. Forte ἐπέστη μοι καλύβιον μικρόν.
5. Forte φοίνιξ.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 360.

ἔμεινεν δὲ ἐν αὐτῷ σὺν ἐμοὶ ἡμέρας τριάκοντα τὰ [1] καταδιδάσκων με ἔργα. καὶ μετὰ τὰς λ΄. ἡμέρας συνταξάμενός μοι, ἐπορεύθη ἀπ᾽ ἐμοῦ, καὶ ἐξ ἐκείνου ἅπαξ καθ᾽ ἕνα ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὑπηντῶμεν ἀλλήλοις, ἕως τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ τοῦ σώματος ἐξῆλθεν. καταλαβόντος δὲ αὐτοῦ τὸν τόπον ἐν ᾧ ᾤκουν [2], ἀνεπαύσατο. καὶ κατεθέμην τὸ λείψανον αὐτοῦ πλησίον τῆς ἐμῆς καλύβης.

A dispensatione præparatus est tibi ad habitandum. Mansit vero ibi mecum dies triginta, edocens me opera. Et post xxx. dies cum mecum conversatus fuisset, recessit a me. Ex eo tempore semel quotannis occurrimus invicem, usque in diem, qua de corpore exiit: qua cum pervenisset ad locum incolatus mei mortuus est, & deposui corpus ejus prope tugurium meum.

Ὡς δὲ ταῦτα πάντα ἀφηγήσατό μοι, ἠρώτησα ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος Παφνούτιος, λέγων· πάτερ ἀγαθὲ, πολὺν κόπον ὑπέμεινας; καὶ λέγει μοι ὁ μακάριος γέρων· πίστευε, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, τοσοῦτον ὑπέστην κόπον, ὥστε ἀφελπίσαι με [3] ἑαυτὸν πολλάκις μέχρι θανάτου, τῆς τε πείνης καὶ δίψης ἐπικειμένης μοι. ἅμα δὲ καὶ τοῦ πυρὸς τοῦ καύματος τῆς ἡμέρας, καὶ ψυχροῦ ἀέρος τῆς νυκτὸς, καὶ ἐβάφη ἡ σὰρξ ἐκ τῆς δρόσου τοῦ οὐρανοῦ. ὁ δὲ ἀγαθὸς Θεὸς εἰδὼς ταῦτα ὑπενεγκόντα με, καὶ τὸν ἀγῶνα τῆς νηστείας, καὶ ὡς δέδωκα τὴν ψυχήν μου εἰς ἄσκησιν, ἐκέλευσε τῷ ἁγίῳ ἀγγέλῳ αὐτοῦ οἰκονομῆσαί μοι καὶ φέρειν πρὸς μὲ τὴν καθημερινὴν τροφὴν, καὶ ὕδωρ ἐν μέτρῳ διὰ τὸν στηριγμόν μου τοῦ σώματός μου. καὶ ἡ φοῖνιξ ἐκβάλλει μοι δώδεκα [4] σπάθειν τοῦ ἐτούτους, ὡστείνεκα μήναν μίαν. καὶ ταῦτα ἐσθιόντος μου μετὰ καὶ τῶν βοτανῶν τῆς ἐρήμου, γίνεταί μοι κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ οἰκονομίαν γλυκέα μέλιτος πλέον. γέγραπται γάρ· οὐκ ἐπ᾽ ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ἐν παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ. ἐὰν οὖν ποιῇς, ἀδελφὲ Παφνούτιε, τὸ θέλημα τοῦ κυρίου ἡμῶν, ἕξεις τὴν αὐτοῦ οἰκονομίαν. λέγει γὰρ ἐν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ εὐαγγελίῳ· μὴ μεριμνήσητε τῇ ψυχῇ τί φάγετε, ἢ τί πίετε· μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν τί ἐνδύσεσθε. ὁ γὰρ κύριος καὶ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, οἶδεν ὧν χρείαν ἔχετε πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν. αἰτήσατε οὖν πρῶτον τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

VIII. Postquam hæc omnia narravit mihi, interrogavi ego minimus Paphnutius, dicens: Pater bone, multos labores exhausisti? Et respondit mihi beatus senex: Crede, dilecte frater, tantum laborem sustinui, ut sæpe animos desponderim usB que ad mortem, urgente me fame & siti, simulque igneo æstu diei, & frigido aere noctis: & intincta erat caro mea rore cæli. At bonus Deus qui vidit talia sustinentem me, & certamen jejunii, & quemadmodum dederim animam meam in exercitationem, præcepit sancto angelo suo ut ministraret mihi, afferretque ad me cibum quotidianum, & aquam in mensura ad sustentandum corpus meum. Et palma progerminat mihi duodecim termites singulos singulis mensibus anni. Hæc cum comedam una cum herbis deserti, fiunt mihi ex Dei dispensatione dulciora mele. Scriptum est enim: *Non in pane solo vivet homo, sed in omni verbo procedente de ore Dei* [a]. Si feceris igitur, frater Paphnuti, voC luntatem Domini nostri, frueris providentia illius. Dicit enim in sancto evangelio suo: *Ne solliciti sitis animæ, quid manducabitis, vel quid bibetis: neque corpori vestro, quid induemini. Dominus enim & pater vester, qui est in cælis, novit quibus opus habeatis, antequam vos rogetis eum. Rogate igitur primum regnum illius, & hæc omnia adjicientur vobis* [b].

Ταῦτα ἀκούσας παρὰ τοῦ δικαίου Ὀνουφρίου, ἐθαύμασα, καὶ εἶπον αὐτῷ, πάτερ ἀγαθὲ, πόθεν κοινωνεῖς ἐν σαββάτῳ, ἢ κυριακῇ; αὐτὸς δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπέ μοι· ἑκάστῳ σαββάτῳ καὶ κυριακῇ ἄγγελος κυρίου ἀγαθὸς γίνεται πρὸς μὲ, καὶ τὴν ἄχραντον διακονεῖ μοι κοινωνίαν. οὐκ ἐμοὶ μόνον ταῦτα μεταδιδοὺς, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἐρήμῳ οἰκοῦσιν διὰ Θεὸν, τοῖς μὴ ὁρῶσιν ἄνθρωπον, καὶ εὐφροσύνης πληροῖ ἅπαντας. ἐὰν δέ τις ἐξ αὐτῶν ἐπιθυμήσῃ ἄνθρωπον εἰδεῖν, ἀναβαίνει αὐτὸν ὁ ἄγγελος εἰς τὸν οὐρανὸν, τοῦ θεωρῆσαι τοὺς ἁγίους, καὶ ἀσπάσασθαι αὐτούς. καὶ λάμπει ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ὡς τὸ φῶς, καὶ χαίρει ἐν τῷ πνεύματι, καὶ σφόδρα εὐφραίνεται καὶ ἀγάλλεται, τῶν ἀγαθῶν ἀξιούμενος, τῶν μὴ λειπόντων εἰς αἰῶνας. ὥστε αὐτὸν ἐπιλαθέσθαι τοῦ κόπου, οὗ ἐν τῇ ἐρήμῳ ὑπέμεινεν. μετὰ δὲ ταῦτα εἰς τὸν ἴδιον ἐπιστρέφων τόπον, μένει ἐν εὐφροσύνῃ, ἐπὶ πολλοὺς ἀσκῶν χρόνους, λογιζόμενος εἰς ἕτερον μεταληλυθέναι κόσμον, τὴν μεγάλην ἐκείνην ἀξιωθεὶς ἰδεῖν δωρεὰν, καὶ μηδαμῶς κόσμον εἶναι μεμνημένος.

A participes faciam affectus. Propter hoc oro vos omnes & precor, omni studio & animi propensione adeste: domum quisque suam evacuet, ut videamus Dominum nostrum in præsepi positum fasciis involutum, spectaculum sane venerandum & præter hominum fidem. Qua enim justificatione uti poterimus, qua venia, quando ipse quidem de cælis propter nos descendit, at nos ne e domo quidem ad illum venimus? quando Magi, homines barbari & extranei, a Perside currunt, ut ipsum conspiciant in præsepi positum; tu vero ne parvum quidem spatium pateris, ut beata hac visione fruaris? Si enim cum fide accesserimus, omnino ipsum visuri sumus in præsepi reclinatum. Hæc enim mensa vi- B ces præsepis gerit. Heic enim jacet corpus Dominicum, non fasciis involutum quemadmodum tunc, sed undique sancto Spiritu circumamictum. Norunt initiati quæ dicamus. Magi ergo dumtaxat adoraverunt: at tu, si cum pura accesseris conscientia, ipsimet sibi accipere concedemus, & domum abire. Accede ergo & tu munera offerens, non ejusmodi, qualia illi, sed longe venerabiliora. Obtulerunt illi aurum: offer tu sobrietatem & virtutem. Obtulerunt illi thus: offer tu preces mundas, thymiamata spiritualia. Obtulerunt illi myrrham: offer tu humilitatem, cor humiliatum & misericordiam. Si cum hujusmodi donis accesseris, sine timore multo frueris sacrata hac mensa. Ego enim propterea hosce C nunc sermones instituo, quoniam novi, quia omnino multi per illam diem accedent, seseque prosternent spirituali huic hostiæ. Ne igitur in malum, neque in judicium animæ nostræ hoc faciamus, sed in salutem, hinc jam protestor & precor, ut omni modo nos ipsos mundantes, tunc domum accedamus ad sacra mysteria.

Καὶ μή μοι λεγέτω τις· αἰσχύνης γέμω, ἁμαρτημάτων ἔχω τὸ συνειδὸς πεπληρωμένον, φορτίον ἐπιφέρομαι βαρύτατον· ἱκανὴ γὰρ τῶν πέντε ἡμερῶν τούτων ἡ προθεσμία, ἐὰν νήφῃς καὶ προσέχῃς, καὶ ἀγρυπνῇς, τὸ πολὺ τῶν ἁμαρτημάτων ὑποτεμνεῖσθαι. μὴ γὰρ ὅτι βραχὺς ὁ χρόνος ἴδῃς [3], ἀλλ' ἐκεῖνο σκόπησον, ὅτι φιλάνθρωπος ὁ δεσπότης. ἐπεὶ καὶ Νινευῖται ἐν τρισὶν ἡμέραις τοσαύτην ὀργὴν ἀπεκρούσαντο, καὶ οὐδὲν ἐνεπόδισεν ἡ τοῦ καιροῦ στενοχωρία· ἀλλ' ἴσχυσεν ἡ τῆς ψυχῆς προθυμία τῆς φιλανθρωπίας ἐπιλαβομένη τοῦ δεσπότου τὸ πᾶν ἐργάσασθαι. καὶ ἡ πόρνη δὲ ἐν βραχείᾳ καιροῦ ῥοπῇ, προσελθοῦσα τῷ Χριστῷ, τὰ ὀνείδη πάντα ἀπενίψατο. καὶ τῶν Ἰουδαίων ἐγκαλούντων, ὅτι προσήκατο καὶ μετέδωκεν αὐτῇ παῤῥησίας τοσαύτης ὁ Χριστός· τοὺς μὲν ἐπεστόμισεν, ἐκείνην δὲ πάντων ἀπαλλάξας τῶν κακῶν, καὶ τῆς σπουδῆς ἀποδεξάμενος, οὕτως ἀπέπεμψεν. τί δή ποτε; ὅτι μετὰ θερμῆς διανοίας, καὶ πεπυρωμένης ψυχῆς καὶ ζεούσης προσῆλθε πίστεως, καὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν ἐκείνων ἥψατο ποδῶν, τοὺς βοστρύχους λύσασα, πηγὰς δακρύων ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἀφιεῖσα, τὸ μύρον κενώσασα. δι' ὧν γὰρ ἐγοήτευσε τοὺς ἀνθρώπους, διὰ τούτων τὰ φάρμακα τῆς μετανοίας κατεσκεύασεν. δι' ὧν ἀνεπτέρωσε τὰς τῶν ἀκολάστων ὄψεις, διὰ τούτων ἐδάκρυσεν· διὰ τῶν πλοκάμων, δι' ὧν εἰς ἁμαρτίαν πολλοὺς ἐπεσκέλισεν [4], διὰ τούτων τοὺς πόδας ἀπέμαξε τοῦ Χριστοῦ· διὰ τοῦ μύρου, δι' οὗ πολλοὺς ἐδελέασε, διὰ τούτου τοὺς πόδας ἐκείνου ἤλειψε. καὶ σὺ τοίνυν, δι' ὧν

III. Nec mihi quisquam dicat: Plenus sum turpitudinis: peccatorum plenam habeo conscientiam: D sarcinam traho gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum terminus, si evigiles, si attendas, si satagas, ut multitudo peccatorum succidatur. Neque enim attendas temporis brevitatem, sed illud considera, quoniam *benignus est Dominus*. Quoniam etiam Ninivitæ in tribus diebus tantam iram depulerunt, nihilque prorsus impedimento fuit temporis angustia. Sed potuit animæ affectus, benignitatem Domini consequutus, rem universam transigere. Meretrix quoque brevissimo temporis momento, ad Christum accedens, turpitudines omnes absterfit; & Judæis culpantibus, quod admitteret eam eique indulgeret tantam loquendi libertatem Christus, eos quidem ad silentium coegit, il- E lam vero a malis omnibus liberans, ejusque accepto studio, tunc demum dimisit. Quid ita? Quoniam ferventi animo, ignitoque spiritu & ardenti accessit fide, illosque sacrosanctos tetigit pedes, solutis capillis, fontes lacrymarum ab oculis emittens, & unguentum effundens. Per quæ enim fascinaverat homines, per eadem remedia pœnitentiæ composuit: per quæ hinc inde in se ipsam converterat intemperantium hominum aspectus, per eadem lacrymata est: per quos crines in peccatum plurimos supplantaverat, per eosdem pedes absterfit Christi: per unguentum, per quod multos inescaverat, per idem illius unxit pedes. Et tu ergo per quæ exacerbasti

1. *In Matthæo* ἡμᾶς, *errore forte typogr.*
2. Ms. παραγενώμεθα.

3. *Nil est cur Matthæus* εἴπῃς *legendum putet.*
4. Ms. ἐπεσκέλισεν.

παρώξυνας τὸν Θεὸν, διὰ τούτων ἵλεων ποίησον πάλιν. παρώξυνας αὐτὸν διὰ χρημάτων ἁρπαγῆς; διὰ τούτων αὐτὸν κατάλλαξον, καὶ τὰ ἁρπαγέντα ἀποδοὺς τοῖς ἠδικημένοις, καὶ ἕτερα τούτοις προσθεὶς, εἰπὲ κατὰ τὸν Ζακχαῖον· ἀποδώσω τετραπλάσια ὧν ἥρπασα πάντων. παρώξυνας διὰ γλώσσης καὶ λοιδορίας ὕβρισας πολλούς; ἐξιλέωσαι διὰ γλώσσης πάλιν, εὐχὰς καθαρὰς ἀναπέμπων, εὐλογῶν τοὺς λοιδοροῦντας, ἐγκωμιάζων τοὺς κακῶς λέγοντας, χάριν ὁμολογῶν τοῖς ἀδικοῦσιν. ταῦτα οὐχ ἡμερῶν δεῖται, οὐδὲ ἐνιαυτῶν πολλῶν, ἀλλὰ προαιρέσεως μόνης, καὶ ἐν μιᾷ κατορθοῦν [1] ἡμέρᾳ. ἀπόστηθι τῆς πονηρίας, ἐπιλαβοῦ τῆς ἀρετῆς, παῦσαι τῆς κακίας, καὶ ὑπόσχου μηκέτι αὐτὰ ποιεῖν, καὶ ἀρκεῖ τοῦτο εἰς ἀπολογίαν. ἐγὼ διαμαρτύρομαι καὶ ἐγγυῶμαι, ὅτι τῶν ἁμαρτανόντων ἡμῶν ἕκαστος, ἂν ἀποστὰς τῶν προτέρων κακῶν ὑπόσχηται τῷ Θεῷ μετὰ ἀληθείας μηκέτι τῶν αὐτῶν ἅψασθαι, οὐδὲν ἕτερον ὁ Θεὸς ζητήσει πρὸς ἀπολογίαν μείζονα. φιλάνθρωπος γάρ ἐστι, καὶ καθάπερ ἡ ὠδίνουσα ἐπιθυμεῖ τεκεῖν, οὕτω καὶ αὐτὸς ἐπιθυμεῖ τὸν ἔλεον τὸν αὐτοῦ ἐκχεῖν.

A Deum, per eadem propitium iterum fac. Exacerbasti eum per facultatum rapinam? per has tibi illum concilia, & ablata restituens iis qui injuriam passi sunt, atque alia his adjiciens, dic cum Zachæo; *Reddam quadruplicia eorum omnium quæ rapui*. Exacerbasti per linguam & contumeliam multos conviciatus? Placa illum per linguam rursus, mundas preces fundens, benedicens contumelia affectus, laudans maledicentes, gratias agens iis qui te injuria afficiunt. Hæc non multos dies postulant, nec annos; sed propositum dumtaxat, & una tantum die hæc officia præstari possunt. Recede a malo, sectare virtutem, quiesce a malitia, & pollicere te nequaquam ea amplius facturum, idque ad B purgationem tui satis est. Testor ego & spondeo, quia nostrum quisque qui peccavimus, si a vitiis prioribus recedens promittat Deo cum veritate, nequaquam fore ut hujusmodi peccata amplius perpetret, nihil aliud Deus postulabit ad justificationem majorem. Benignus est enim, & ut mulier parturiens parere desiderat, sic & ipse concupiscit misericordiam suam effundere.

Ἀλλ' αἱ ἁμαρτίαι αἱ ἡμέτεραι διακόπτουσιν. ἀνέλωμεν τοίνυν τὸ τειχίον, καὶ ἐντεῦθεν ἤδη τῆς ἑορτῆς ἀρξόμεθα, τὰς πέντε ἡμέρας ταύτας πᾶσιν ἀποταξάμενοι. ἐῤῥέτω δικαστήρια, οἰμωζέτω βιωτικὰ πράγματα καὶ συμβόλαια καὶ συναλλάγματα, τὴν ψυχήν μου βούλομαι σῶσαι. τί ὠφελεῖται ἄνθρωπος, ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδάνῃ, τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ; ἐξῆλθον ἀπὸ Περσίδος οἱ Μάγοι· ἔξελθε σὺ τῶν βιωτικῶν πραγμάτων, καὶ πρὸς τὸν Ἰησοῦν ὅδευσον. οὐκ ἔστι πολὺ τὸ μέσον, ἂν ἐθέλωμεν. οὐ γὰρ πέλαγος ἀνάγκη διαπερᾶσαι, οὐδὲ ὀρῶν ὑπερβῆναι κορυφὰς, ἀλλ' οἴκοι καθήμενον, εὐλάβειαν ἐπιδεικνύμενον, καὶ πολλὴν τὴν κατάνυξιν, ἔστιν ἅπαν καταλῦσαι τὸ τειχίον, ἀνελεῖν τὰ κωλύματα, συστεῖλαι τῆς ὁδοῦ τὸ μῆκος. Θεὸς γὰρ ἐγγίζων ἐγώ εἰμί φησι, καὶ οὐ Θεὸς πόῤῥω. καὶ· ἐγγὺς Κύριος πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ. νῦν δὲ εἰς τοσοῦτον ἀνοίας, καὶ καταφρονήσεως πολλοὶ τῶν πιστῶν ἐληλάκασιν, ὡς καὶ μυρίων γέμοντες κακῶν, καὶ μηδεμίαν ὅλως ἐπιμέλειαν ἑαυτῶν ποιούμενοι, ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν, ἐν ταῖς ἑορταῖς τῇ τραπέζῃ προσιέναι ταύτῃ, οὐκ εἰδότες, ὅτι καιρὸς κοινωνίας, οὐχ ἑορτὴ καὶ πανήγυρις, ἀλλὰ συνειδὸς καθαρὸν καὶ βίος ἐγκλημάτων ἀπηλλαγμένος. καὶ καθάπερ τὸν οὐδὲν ἑαυτῷ συνειδότα φαῦλον καθεκάστην δεῖ προσιέναι τὴν ἡμέραν, οὕτω τὸν ἐν ἁμαρτήμασι προκατειλημμένον καὶ μὴ μετανοοῦντα, οὐδὲ ἐν ἑορτῇ προσιέναι ἀσφαλές. οὐ γὰρ δὴ τὸ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ προσελθεῖν ἀπαλλάττει τῶν ἐγκλημάτων ἡμᾶς, ἂν ἀναξίως προσίωμεν· ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο μειζόνως καταδικάζει, ὅτι ἅπαξ προσιόντες, οὐδέ ποτε καθαρῶς πρόσιμεν.

IV. Sed peccata nostra impedimento sunt. Auferamus ergo maceriam, & hinc jam hoc festum celebrare incipiemus. Per quinque hos dies ab omnibus abstineamus. Sileant tribunalia, quiescant vitæ hujus negotia, contractus, & commercia: animam C meam salvam facere volo. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* [a]? Egressi sunt e Perside Magi: egredere tu de hujus vitæ negotiis, & ad Jesum iter suscipe. Non est magna intercapedo, si velimus. Nec enim necesse est pelagus transire, nec montium conscendere vertices: sed domi manendo, pietatem præ se ferendo multamque compunctionem, licet universam dissolvere maceriam, tollere impedimentum, contrahere itineris longitudinem. *Deus enim propinquus ego sum*, inquit, *& non Deus dissitus* [b]. Itemque: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* [c]. Jam vero multi fideles eo dementiæ & contemtus devenerunt, ut quavis D infinitis scateant malis, & nullam omnino curam sui faciant, inconsulte & temere in solemnitatibus ad hanc mensam accedant, non attendentes, quod tempus communionis, non sit festum & solemnitas, sed conscientia pura & vita a criminibus immunis. Et quemadmodum eum, qui nullius sibi conscius est culpæ, quotidie accedere oportet: sic qui in peccatis præoccupatus est, nec pœnitet, ne in festivitate quidem securus accedit. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos a sceleribus, si indigne accedamus: quinimmo hoc ipsum majorem infert reatum; quia semel accedentes, numquam accedimus pure.

Διὰ τοῦτο παρακαλῶ πάντας ὑμᾶς, μὴ ἁπλῶς διὰ τὴν τῆς ἑορτῆς ἀνάγκην τῶν θείων ἅπτεσθαι μυστηρίων. ἀλλ' εἴποτε μέλλοιτε τῆς ἁγίας ταύτης μεθέξειν προσφορᾶς, πρὸ πολλῶν ἡμερῶν διακαθαίρειν διὰ μετανοίας καὶ εὐχῆς καὶ ἐλεημοσύνης, καὶ τῆς περὶ τὰ πνευματικὰ σχολῆς. πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον, τῶν μὲν σωματικῶν τοσαύτην ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν, ὥστε ἑορτῆς προαγούσης, πρὸ πολλῶν ἡμερῶν καὶ ἱμάτιον ἐκ τῶν κιβωτίων τὸ κάλλιστον ἀνελομένους προευτρεπίζειν, καὶ ὑποδήματα ὠνεῖσθαι, καὶ τραπέζῃ δαψιλεστέρᾳ πολλοὺς πάντοθεν προσεπινοεῖν πόρους, καὶ παντὶ τρόπῳ φαιδρύνειν ἑαυτὸν καὶ καλλωπίζειν· τῆς ψυχῆς δὲ ἠμελημένης, ῥυπώσης, αὐχμώσης, λιμῷ διαφθειρομένης, ἀκαθάρτου μενού-

E V. Propter hoc precor vos omnes, non temere propter festi necessitatem divina contingere mysteria. Verum si quando participaturi estis sanctæ hujus oblationis, ante plures dies expurgate vos per pœnitentiam & preces, & pia opera, ac rebus spiritualibus vacando. Quomodo enim non turpe fuerit, corporearum quidem rerum tantam gerere curam, adeo ut festo advenante, ante plures dies, pulcherrimum quodque vestimentum ab arcis educentes præparemus; & calceos emamus, & pro mensa lautiore multos undique conqueramus proventus, nosque ipsos omni modo exhilaremus & ornare satagamus: anima vero neglecta, sordescente, turpi, fame pereunte, impura manente, ejus nullam ha-

a Matth. xvi. 26. b Jerem. xxiii. 23. c Psalm. cxliv. 18.

[1]. Forte deest δύνασαι.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 395.

στης, μηδένα ποιεῖσθαι λόγον. ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα καλλωπίζοντα εἰσάγειν ἐνταῦθα, ἐκείνην δὲ γυμνὴν καὶ ἀσχημονοῦσαν· καίτοι τοῦτο μὲν ὁ σύνδουλος ὁρᾷ, καὶ βλάβος οὐδέν, κἂν ὁπωσοῦν διακείμενον ᾖ· ἐκείνην δὲ ὁ δεσπότης, καὶ μεγίστην ἐπάγει κόλασιν τῆς ἀμελείας; οὐκ ἴστε, ὅτι πυρὸς αὕτη γέμει ἡ τράπεζα πνευματικοῦ, καὶ καθάπερ αἱ πηγαὶ φύσιν ὕδατος ἀναβλύζουσιν, οὕτω καὶ αὕτη φλόγα τινὰ ἔχει ἄρρητον; μὴ τοίνυν προσέλθῃς καλάμην ἔχων, μὴ ξύλα καὶ χόρτον, ἵνα μὴ πλείονα τὸν ἐμπρησμὸν ἐργάσῃ, καὶ κατακαύσῃς τὴν μεταλαμβάνουσαν ψυχήν, ἀλλ' ἔχων λίθους τιμίους, χρυσόν, ἄργυρον, ἵνα καθαρωτέραν ποιήσῃς τὴν ὕλην, ἵνα πολλὴν λαβὼν τὴν εὐπορίαν ἀπέλθῃς. εἴτι πονηρόν, ἐξόρισον, φυγάδευσον ἀπὸ τῆς ψυχῆς. ἔχει τις ἐχθρόν, καὶ τὰ μεγάλα ἠδίκηται; καταλυέτω τὴν ἔχθραν; καταστελλέτω τὴν διάνοιαν φλεγμαίνουσαν, οἰδοῦσαν, ἵνα μηδεὶς ἔνδον θόρυβος ᾖ μηδὲ ταραχή. βασιλέα γὰρ ὑποδέχεσθαι μέλλεις διὰ τῆς κοινωνίας, βασιλέως δὲ ἐπιβαίνοντος τῇ ψυχῇ, πολλὴν εἶναι δεῖ τὴν γαλήνην, πολλὴν τὴν ἡσυχίαν, βαθεῖαν τῶν λογισμῶν τὴν εἰρήνην. ἀλλὰ μεγάλα ἠδίκησαι, καὶ οὐ φέρεις ἀφεῖναι τὴν ὀργήν. τί τοίνυν σαυτὸν πολλῷ μείζονα ἀδικεῖς καὶ χαλεπώτερα; οὐ γὰρ τοιαῦτά σε διαθήσεται ὁ ἐχθρός, ὅπερ ἂν ποιῇ, οἷα σὺ σαυτόν, μὴ καταλλαττόμενος πρὸς ἐκεῖνον [1]· ἀλλὰ τοὺς τοῦ Θεοῦ καταπατῶν νόμους ὕβρισέ σε ἐκεῖνος; διὰ τοῦτο οὖν σὺ τὸν Θεὸν ὑβρίζεις, εἰπέ μοι; τὸ γὰρ μὴ καταλλάττεσθαι τῷ λελυπηκότι, οὐκ ἐκεῖνόν ἐστιν ἀμυνομένου τοσοῦτον, ὅσον τὸν Θεὸν ὑβρίζοντος, τὸν ταῦτα νομοθετήσαντα. μὴ τοίνυν πρὸς τὸν σύνδουλον ἴδῃς, μηδὲ πρὸς τὸ μέγεθος τῶν ἀδικημάτων ἐκείνου, ἀλλὰ τὸν Θεὸν καὶ τὸν ἐκείνου φόβον εἰς νοῦν βαλλόμενος, ἐκεῖνο σκόπησον, ὅτι ὅσο [2] ἂν μείζονα πάσχῃς βίαν κατὰ ψυχὴν μετὰ μυρία κακὰ ἀναγκαζόμενος καταλλάττεσθαι τῷ πεποιηκότι κακῶς, τοσοῦτο πλείονος ἀπολαύσῃ τιμῆς παρὰ τοῦ πάντα κελεύσαντος Θεοῦ. καὶ καθάπερ αὐτὸν μετὰ πολλῆς ὑποδέχῃ τῆς τιμῆς ἐνταῦθα, οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς μετὰ πολλῆς ὑποδέξεταί σε τῆς δόξης ἐκεῖ, μυριοπλασίους ἀποδιδούς σοι τῆς ὑπακοῆς ταύτης τὰς ἀμοιβάς. ὧν γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ πατρὶ ἅμα τῷ ἁγίῳ πνεύματι δόξα, τιμή, κράτος, νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

A beamus rationem? At enim ornatum huc corpus afferre, animam vero nudam atque ſordeſcentem, quamvis corpus quidem conſervus videat, nec ullum conſequatur incommodum, licet utcumque comparatum ſit, animam vero videat Dominus, & maximam interat pœnam negligentiæ? Neſcitis, quia hæc menſa igne plena eſt ſpirituali, & quemadmodum fontes naturalem aquam effundunt, ſic & hæc flammam quamdam habet ineffabilem? Ne igitur accedas calamum habens, non ligna, non fœnum, ne incendium majus efficias, comburaſque animam quæ iſta menſa participat: ſed habens lapides pretioſos, aurum, argentum, ut puriorem efficias illam materiam, ut multa inde accepta utilitate recedas. Si B quid malum, extermina, expelle ab anima. Habet quis inimicum, magnamque paſſus eſt injuriam? diſſolvat inimicitiam, compeſcat ardentem animum & tumentem, ut nullus intus tumultus ſit neque turbatio. Regem enim ſuſcepturus es per communionem: rege autem animam ingrediente, multam adeſſe oportet ſerenitatem, multam quietem, profundam cogitationum pacem. At enim magna injuria affectus es, nec fers dimittere iram. Cur ergo teipſum multo majori afficis injuria & longe graviori? Nec enim quidquid feciſſet hoſtis, te eo modo affeciſſet, quo teipſum tu, dum cum illo conciliari non pateris. Sed divinas conculcans leges ille conviciatus eſt tibi. Ergone tu propterea Deo C conviciaris, dic mihi? non enim conciliari cum eo qui injuriam attulit, non ſic eſt illum ulciſci, ut Deum conviciari, qui hanc legem tulit. Ne igitur conſervum attendas, nec magnitudinem injuriarum ejus, ſed Deum Deique timorem in animum inducens, illud conſidera, quod quanto majorem perfers vim animo poſt infinita mala dum cogeris conciliari cum eo qui te male habuit, tanto majori frueris honore a Deo qui omnia mandavit. Et quemadmodum illum cum multo honore ſuſcipis heic, ita ſane & ipſe ibi cum multa te ſuſcipiet gloria, infinitas reddens tibi hujus obedientiæ vices. Quarum utinam omnes nos contingat participes fieri, gratia & benignitate Domini noſtri Jeſu D Chriſti, cum quo Patri ſimul cum ſancto Spiritu ſit gloria, honor, imperium, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Confer Chryſoſt. orationem, ὅτι τὸν ἑαυτὸν μὴ ἀδικοῦντα οὐδεὶς παραβλάψαι δύναται. Quod ſibi non nocenti nemo obeſſe poteſt &c.

2. Lege ὅσῳ, & mox τοσούτῳ.

[1] ΣΕΒΗΡΙΑΝΟΥ
ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΓΑΒΑΛΩΝ
ΛΟΓΟΣ
εἰς τὰ θεοφάνια.

SEVERIANI
GABALORUM EPISCOPI
ORATIO
in Dei apparitionem.

Ἀνοιγέσθω σήμερον πᾶν στόμα πρὸς θεολογίαν, καὶ ἀνυμνείτω πᾶς λόγος τὸν ἐξ οὐρανῶν ἐπιλάμψαντα Θεὸν λόγον· πᾶν στόμα λαλείτω, πᾶσα γλῶσσα φθεγγέσθω, πᾶσα ψυχὴ χορευέτω, πᾶσα ἡ γῆ ψαλλέτω. σήμερον λόγοι φωτὸς ἐν ἡμέρᾳ φωτὸς τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς καταλάμπουσιν. συμφωνείτω τοῖς ἐπουρανίοις τὰ ἐπίγεια· ὑμνείτω μετὰ τῶν ὑπερκοσμίων δυνάμεων τὰ ἐν τῷ κόσμῳ φαινόμενα. ἀληθείας γὰρ ἐπιφανείσης καὶ βασιλέως ἐπουρανίου, πάντας δεῖ συνδραμεῖν εἰς κοινὴν τοῦ δεσπότου τῶν ἁπάντων ὁμολογίαν. Χριστοῦ παρουσία, ἀληθινοῦ φωτὸς ἐπιδημία. Χριστοῦ παρουσία, τῆς οἰκουμένης πάσης εὐεργεσία. Χριστοῦ παρουσία, τοῦ παντὸς κόσμου ἐλευθερία. Χριστὸς ἀνυμνεῖται, καὶ κόσμος ἁγιάζεται. Χριστὸς κηρύττεται, καὶ ἡ οἰκουμένη φωτίζεται. Χριστὸς περιαγγέλλεται, καὶ πᾶσα ψυχὴ τὸν οὐράνιον πόθον ἐνδύεται. ἐγγυᾶταί μου τὸν λόγον ἡ πεῖρα τῶν πραγμάτων.

A I. Aperiatur hodie omne os ad loquendum de Deo, & laudet omnis oratio eum qui de cælis affulsit Deus Verbum: omne os loquatur, omnis lingua pronunciet, omnis anima choreas agat, psallat omnis terra. Hodie sermones lucis in die lucis filios lucis illustrant. Consonent cælestibus terrena: hymnum dicant cum virtutibus supra orbem positis ea quæ in orbe visuntur. Apparente enim veritate, idest cælesti rege, oportet universos conspirare in communem Domini universorum confessionem. Christi est adventus, veri luminis est præsentia. Christi adventus, orbis totius beneficium: Christi præsentia, totius & mundi liberatio. Christus laudatur, & mundus sanctificatur: B Christus prædicatur, & totus orbis illuminatur. Christus circumenunciatur, & omnis anima cælestе desiderium induit. Vadem mei sermonis sese rerum præbet experientia.

Ὅρα γάρ μοι τὴν θεοπρεπῆ ταύτην τῆς ἐκκλησίας κατάστασιν, ὅρα τοῦ οὐρανίου πόθου τὴν ἄσβεστον λαμπάδα· ὅρα τοῦ σώματος τὴν φύσιν συνακμάζουσαν τῇ τῶν ἀγγέλων λειτουργίᾳ. ἄνθρωποι ἀπὸ γῆς ὄντες, καὶ γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἀποστρεφόμενοι, τοῖς οὐρανίοις συναμιλλῶνται νόμοις. ἠρνήσαντο τοῦ σώματος τὴν φύσιν, ἐδέξαντο τῶν ἀγγέλων τὴν λειτουργίαν, τοιαύτη γὰρ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. πολιτεύεται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, τάξιν δὲ ἔχει οὐρανίων πραγμάτων [2]. τί ἔργον τῶν ἐν οὐρανοῖς ἀγγέλων; τὸ τῷ Θεῷ λειτουργεῖν. τί ἔργον τῶν ἐπὶ γῆς ὁσίων; τὸ τὸν Θεὸν ἀνυμνεῖν. ὧν τοίνυν ὁμότιμος ἡ λειτουργία, ὁμότιμος καὶ ἡ ἀξία. διὰ τοῦτο ὁ μακάριος Δαβὶδ τὴν πνευματικὴν ἀνακρουόμενος λύραν, καὶ τὸν σωτήριον τῆς θεολογίας ἀνακηρύττων ὕμνον ἔλεγε, ὡς ἀρτίως ὑπεψάλλομεν· ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων ἐπίστρεψον ἡμᾶς, καὶ ἐπίφανον τὸ πρόσωπόν σου, καὶ σωθησόμεθα.

II. Attende tu mihi enim hanc Deo utique dignam Ecclesiæ constitutionem: attende cælestis desiderii inextinguibilem lampadem: attende corporis naturam cum angelico ministerio una clarescentem. Homines qui de terra sunt, & terram incolunt, morosi ceteroquin, jam cum cælestibus certant institutis: abnegarunt corporis naturam, susceperunt angelicum ministerium. Hujusmodi est enim ecclesia Dei. Municipatum quidem habet in terra, C sed ordinem servat cælestium operum. Quodnam opus est in cælis angelorum? Deo ministrare. Et quodnam opus sanctorum in terra? Deum laudibus efferre. Quorum ergo pari dignitate censetur ministerium, pari etiam dignitate censendum est meritum. Propterea beatus David spiritualem pulsans lyram, & salutarem evulgans divinitatis hymnum, dicebat, sicut nuper psallebamus: *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvabimur* [a].

Οὐδέπω ἀπήντησεν ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης, καὶ οἱ πρόδρομοι τῆς βασιλείας ἐκήρυττον λέγοντες· ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ πρόσχες. εἰπέ, ὦ προφῆτα, τηλαυγῶς, ὃ λέγεις. σαφήνισον, ὃ κηρύττεις. ὁποῖον ποιμένα λέγεις; πολλοὶ γὰρ ἐποίμαινον. Μωϋσῆς ποιμὴν ἦν, Ἀαρὼν ποιμὴν ἦν. ἐποίμανας γάρ, φησι, τὸν λαόν σου ἐν χειρὶ Μωϋσῆ καὶ Ἀαρών. ποιμὴν ἦν καὶ ὁ Δαβίδ. ἐξελέξατο γάρ, φησιν,

III. Nondum occurrerat rex gloriæ, & præcursores regni prædicabant, dicentes: *Qui pascis Israel attende* [b]. Dic, o propheta, dilucide quod ais: de- D clara quod prædicas. Quem pastorem dicis? multi enim pascebant. Moyses pastor erat, Aaron pastor erat. *Pavisti enim*, inquit, *populum tuum in manu Moysis & Aaron* [c]. Pastor quoque erat David: *Elegit enim*, inquit, *servum suum pascere Jacob*

a Psalm. LXXIX. 4. b Ibid. ℣. 2. c Psalm. LXXVI. 21.

1. Ex Cod Mosq. 27 in 4 Biblioth. SS. Synodi. 2. Forte σχημάτων.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 400.

τὸν δοῦλον αὐτοῦ ποιμαίνειν Ἰακὼβ τὸν δοῦλον αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ, τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ. τί τοίνυν τῇ προσηγορίᾳ τοῦ ποιμένος κρύπτεις τὴν ἀξίαν τοῦ καταγγελλομένου; διόρισαι σαφῶς, ὃ λέγεις. διακρινεῖ καὶ ἀσυγχύτῳ χρῆσαι τῇ φωνῇ τοῦ κηρύγματος. λέγεις, ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ πρόσχες. ὁ ὁδηγῶν ὡσεὶ πρόβατον τὸν Ἰωσήφ. ὁ δὲ ποιμὴν, οὐδέπω κηρύττει τοῦ μηνυομένου τὴν ἀξίαν διὰ τὴν πρὸς ἄλλους ποιμένας ὁμωνυμίαν.

A servum suum, & Israel hereditatem suam [a]. Cur ergo appellatione pastoris occultas dignitatem enuntiati? Defini manifeste, quod ais: clara & inconfusa utere præconii voce. Dicis, *Qui pascis Israel attende; qui ducis velut ovem Joseph* [b]. At pastor necdum manifestam facit ejus qui innuitur dignitatem, propter communionem nominis cum ceteris pastoribus.

Τί οὖν; οὐδέπω ἐνόησας τὴν ἀξίαν, φησίν; σαφηνίζω σοι τὴν ἀλήθειαν. ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ ἐμφάνηθι, ἐξέγειρον τὴν δυναστείαν σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ σῶσαι ἡμᾶς. ὁρᾷς πῶς ἅπασαν ἐγύμνωσεν τοῦ προφητευομένου τὴν ἀξίαν; ὁρᾷς, πῶς τῷ βασιλικῷ καὶ ὑπερκοσμίῳ θρόνῳ τὸν βασιλέα τῆς δόξης ἀπήγγειλεν ἐποχεῖσθαι τὸ νῦν; ὅθεν καὶ ὁ σωτὴρ ἐπιβεβαιῶν τοῦ προφήτου τὴν πρόῤῥησιν, βοᾷ διὰ τῆς εὐαγγελικῆς χάριτος· ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. ἐπειδὴ γὰρ ὡς ἄνθρωποι, φησὶν, λογικοὶ τὸν Θεὸν οὐκ ἐπέγνωτε, κἂν ὡς ἄλογα πρόβατα τὸν ποιμένα γνωρίσατε.

IV. Quid ergo? necdum intellexisti, inquit, dignitatem? manifesto tibi veritatem. *Qui sedes super Cherubim appare: excita potentatum tuum, & veni ad* B *salvandum nos* [c]? Viden' quomodo universam explicaverit prophetati dignitatem? Viden' quomodo regio & mundanis rebus sublimiori throno gloriæ regem nunc invectum nuntiaverit? Quapropter salvator quoque confirmans prophetæ præditionem, clamat per evangelicam gratiam: *Ego sum pastor bonus* [d]. Quia enim, inquit, tamquam homines ratione prædìti Deum non agnovistis; saltem tamquam irrationales oves pastorem agnoscite.

Βουλόμενος δὲ ὁ προφήτης καὶ τὸν καρπὸν ἐπιδεῖξαι τῆς τοῦ ποιμένος ἐπιδημίας· ἐξέγειρον, φησιν, τὴν δυναστείαν σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ σῶσαι ἡμᾶς. ἡ γὰρ τοῦ σωτῆρος ἐπιφάνεια πηγὴ πάσης εὐεργεσίας. ἐπεφάνη τοίνυν ὁ λυτρωτὴς πάσης τῆς οἰκουμένης, πάντα ἀναλαβὼν εἰς ἑαυτὸν διὰ τὴν αὐτῷ πρέπουσαν ἀγαθότητα. ἐπειδὴ γὰρ εἶδεν πάντα τὰ ἐν ἀνθρώποις διαπεσόντα, καὶ τὴν ἱερωσύνην, ἣν δέδωκεν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ τὴν προφητείαν, καὶ πάντα τὰ ἐξαίρετα, αὐτὸς ἀνακαινίζει δι᾽ ἑαυτοῦ τὰ ἑαυτοῦ δῶρα. καὶ πῶς; ἄκουε.

V. Volens autem propheta etiam fructum ostendere adventus hujus pastoris: *Excita*, dixit, *potentatum tuum, & veni ad salvandum nos* [e]. Apparitio enim salvatoris, fons totius est beneficii. Apparuit C itaque redemtor orbis universi, omnia suscipiens in se, propter congruentem sibi bonitatem. Cum enim vidisset, omnia quæ in hominibus sunt corruisse, & sacerdotium quod dederat Israeli, & prophetiam, & omnes prærogativas: ipse renovat per se ipsum dona sua. Quomodo vero? Audi.

Ἐγένετο προφήτης, ἐπειδὴ ἐνοθεύθη ἡ προφητεία παρὰ τῶν ἀναξίων, καθὼς γέγραπται· προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμέ. γίνεται ἀπόστολος κατὰ τὸ εἰρημένον, κατανοήσατε τὸν ἀρχιερέα καὶ ἀπόστολον τῆς κλήσεως ἡμῶν Ἰησοῦν. γίνεται καὶ ἱερεὺς, καθά φησιν ὁ ὑμνογράφος· σὺ εἶ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. γίνεται καὶ διάκονος, ὥς φησιν ὁ γενναῖος Παῦλος· λέγω γὰρ Χριστὸν διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, εἰς τὸ πληρῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων. διὰ πάσης οὖν ὁδεύει τάξεως. γίνεται πάλιν καὶ ἀναγνώστης. λαβὼν γὰρ τὸν Ἡσαΐαν ἀνεγίνωσκεν, ὡς δείκνυσι τὸ εὐαγγέλιον, ἵνα καὶ τοῦ προφήτου τὰς φωνὰς βεβαιώσῃ, καὶ τῆς ἐκκλησίας τοὺς βαθμοὺς τιμήσῃ. ἐγένετο καὶ βασιλεὺς, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, ὥς φησιν ὁ Ναθαναὴλ· σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ.

VI. Factus est propheta, postquam adulterata est prophetia ab indignis, juxta quod scriptum est: *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus noster ex fratribus vestris, sicut me* [f]. Effectus est apostolus, secundum quod dictum est: *Considerate pontificem & apostolum vocationis nostræ Jesum* [g]. Ef- D fectus est etiam sacerdos sicut ait hymnographus: *Tu es sacerdos in sæculum secundum ordinem Melchisedec* [h]. Effectus est quoque diaconus, ut inquit generosus Paullus: *Dico enim Christum diaconum factum fuisse circumcisionis pro veritate Dei, ad complendas promissiones patrum* [i]. Per omnem igitur transit ordinem. Effectus est pariter etiam Lector. *Accipiens enim Isaiam legebat* [k], sicut declarat evangelium, quo etiam prophetæ confirmaret voces, & honoraret gradus ecclesiasticos. Fuit & rex, *Rex regum* [l]; ut inquit Nathanael: *Tu es filius Dei; tu es rex Israel* [m].

Ἀλλ᾽ ἐρεῖ τις ἴσως τῶν περιεστώτων, τί οὖν πρὸς ἐμὲ τὸν λαϊκὸν, εἰ προφητείαν καὶ ἀποστολὴν, καὶ ἀρχιερωσύνην ἐνεδύσατο; τί πρὸς ἐμὲ τὸν ἐν λαϊκῇ τάξει κατειλεγμένον; μάλιστα μὲν διὰ πάντας ἀνθρώπους γέγονεν ἄνθρωπος ὁ φιλάνθρωπος. εἰ δὲ βούλει αὐτὸν καὶ λαϊκοῦ τάξιν ὑπερχόμενον ἰδεῖν διὰ σὲ, ἀνάκρινον παρὰ σὲ [1] αὐτῷ καὶ σκόπησον τὰ ῥηθησόμενα. ὁμολογουμένως ὁ βαπτίζων οὐκ ἐν χώρᾳ ἐστὶν τοῦ ἱερέως, ὁ δὲ βαπτιζόμενος, οὐκ ἐν τάξει τοῦ λαϊκοῦ καθέστηκεν; ὅρα οὖν Ἰωάννην ἐν τάξει ἱερέως βαπτίζοντα, καὶ τὸν Χριστὸν ἐν λαϊκῷ τάγματι βαπτιζόμενον. σήμερον γὰρ, ἀδελφοὶ, σήμερον τὴν διὰ τῶν ὑδάτων ὑπῆλθεν οἰκονομίαν. οὐκ ἐκ τῶν ὑδάτων ἁγιαζόμενος, ἀλλὰ τοῖς ὕδασιν τὸν ἁγιασμὸν παρεχόμενος. Ἰωάννης ἐπλήρου τὸ σχῆμα

E VII. Sed dicit fortasse quispiam circumstantium: quid igitur ad me hominem sæcularem, si prophetiam, & apostolatum & pontificatum Christus induit? quid ad me in sæculari statu positum? Maxime vero propter omnes homines factus est homo humanissimus ille. Ac si vis videre illum laicalem statum obeuntem propter te, reputa tecum & considera quæ jam dicenda sunt. Sine controversia qui baptizat nonne in ordine est sacerdotali, qui vero baptizatur, nonne in laicali gradu constitutus est? Attende igitur Joannem in gradu sacerdotis baptizantem, & Christum in laicali statu baptizatum. Hodie namque, fratres, hodie dispensationem subivit aquarum: non ex aquis sanctificatus, sed aquis sanctificationem indens. Joannes vicem ge-

a Psalm LXXVII. 71. b Psalm. LXXIX. 2. c Ibid. d Joan. X. 11. e Psalm. LXXIX. 2. f Deut. XVIII. 15. g Hebr. III. 1. h Psalm. CIX. 4. i Rom. XV. 8. k Luc. IV. 17. l I. Tim. VI. 15. m I. Joan. I. 50.

1. Forte σοὶ, ex errore typogr.

τὸ ἱερατικὸν, προσέρχεται ὁ λυτρωτὴς τῆς οἰκουμένης τῷ βαπτίζοντι, ὁ φωτίζων ἐν πνεύματι, ὁ βασιλεὺς τῷ προδρόμῳ, ὁ Θεὸς τῷ προφήτῃ. Ἰωάννης, ἀδελφοὶ, οὐκ ἠγνόησεν τὴν ἀξίαν διὰ τὴν οἰκονομίαν. οὐκ ἔσφαλεν αὐτὸν τὸ σχῆμα τοῦ σώματος. οὐκ ἠπάτησεν αὐτὸν ἡ φαινομένη σάρξ, ἀλλὰ περιέλαμψεν αὐτὸν ἡ κρυπτομένη δύναμις, ἣν καὶ τοῖς ἀγνοοῦσιν ἐκήρυττεν. λύχνος γὰρ ἦν ἅγιος ὁ θαυμάσιος. λύχνος, περὶ οὗ, ἡτοίμασα λύχνον τῷ Χριστῷ μου, διὰ τοῦ προφήτου προείρηται. λύχνος δὲ ὁ Ἰωάννης προσηγόρευται, οὐκ ἐπειδὴ τῷ Θεῷ λόγῳ, τῷ φωτὶ τῆς ἀληθείας, χρεία ἦν τῆς ἀπὸ τοῦ λύχνου προσθήκης. ἥλιος γὰρ ἦν δικαιοσύνης. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τὸν ἐν σαρκὶ κρυπτόμενον κύριον ἐγνώριζεν, ὡς ἐν νυκτὶ, τῇ Ἰουδαϊκῇ καταστάσει, τὸν λύχνον ἀπαστράπτων τοῦ θείου λόγου. καλεῖται οὖν λύχνος εἰκότως.

Καὶ ὁρᾶτε τὸ θαυμαστὸν, ἀδελφοί. ὅτε παρῆλθεν ἐπὶ τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν ὁ πρὸς ἡμᾶς ἐπιδημήσας δεσπότης, ἄνθρωπος διὰ φιλανθρωπίαν γενόμενος, καὶ ἦν ξένον θαῦμα, ὅτι Θεὸς ἐν ἀνθρώποις, ἐν δούλοις ὁ δεσπότης, μετὰ τῶν ποιημάτων ὁ ποιητὴς, ὁ ἁγιάζων μετὰ τῶν ἁγιαζομένων· τότε ὁ Ἰωάννης κηρύττει τὴν ἀξίαν, καὶ ἦν ἰδεῖν ξένον θαῦμα. ἦν ἰδεῖν τὸν λύχνον δεχόμενον τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης Ἰησοῦν. τὸν γὰρ ἁπάντων λυτρωτὴν κύριον ὁ λυτρώσεως δεόμενος ἄνθρωπος ἐβάπτιζεν, οὐ τόλμῃ προσαχθεὶς, ἀλλὰ προστάγματι δουλωθείς. τότε δὴ τότε συνέδραμον δύο προφητικαὶ φωναί· φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ φωνὴ κυρίου ἐπὶ τῶν ὑδάτων. ὁ κήρυξ τῆς ἀληθείας ἐβόα, καὶ ὁ Θεὸς τῆς δόξης ἐβρόντα. καὶ ἦν ἐκεῖ ἡ προσκυνητὴ τριὰς τὴν αὐτῆς δόξαν ἀστράπτουσα· πατὴρ ἄνωθεν τὸν υἱὸν κηρύττων, υἱὸς κάτωθεν τὴν οἰκονομίαν πληρῶν, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπισφραγίζον τὴν θεοπρεπῆ μυσταγωγίαν. καὶ φωνὴ τοσαύτη γίνεται μαρτυροῦντος ἄνωθεν τοῦ πατρὸς τῷ ἑαυτοῦ μονογενεῖ, ὡς σχισθῆναι ἄνωθεν τοὺς οὐρανούς. ἀναβαίνοντος γάρ, φησι, τοῦ Ἰησοῦ ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ἐσχίσθησαν οἱ οὐρανοί. οὐ γὰρ ἤνεγκαν τὴν φωνὴν τῆς τοσαύτης μαρτυρίας, φρίξαντες τὴν ἔνθεον οἰκονομίαν.

Ἀλλ᾽ ὅρα τὸ θαυμαστόν. ἡ φωνὴ αὕτη τοὺς οὐρανοὺς ἔσχισεν, καὶ αἱρετικοὺς οὐκ ἐφόβησεν. οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητὸς, αὐτοῦ ἀκούετε. ἐπειδὴ προέλαβεν νόμος κηρύττων, καὶ προφῆται εὐαγγελιζόμενοι, ἵνα μή τις τῇ προτέρᾳ καταστάσει τῆς Ἰουδαϊκῆς λατρείας ἑπόμενος, ἀπώσηται τὸν ζυγὸν τῆς εὐαγγελικῆς χάριτος, ἡ θεία φωνὴ διέκρινεν τὸ οἰκετικὸν ἀπὸ τῶν δεσποτικῶν ἀξιωμάτων. αὐτοῦ ἀκούετε, δηλονότι, τοῦ Χριστοῦ. πλήρωμα γὰρ νόμου Χριστὸς, πλήρωμα τῶν ἀγαθῶν Χριστός. εἰ γὰρ καὶ προέλαβον ἐν τῷ νόμῳ τῷ Μωσαϊκῷ αἱ εὐλογίαι, ἀλλ᾽ οὐκ ἦσαν ἐντελεῖς, ἐκδεχόμεναι τὸν κύριον ἡμῶν, περὶ οὗ φησιν ὁ Παῦλος, πλήρωμα νόμου Χριστός. καὶ θέλεις, ἐκ πράγματος ἐναργοῦς παραστήσω σοι τὴν ἀλήθειαν ἔγγυον τῶν εἰρημένων; πρόσεχε ἀκριβῶς. κελεύει Μωϋσῆς ὁ νομοθέτης μερισθῆναι τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ τὰς μὲν ἓξ φυλὰς ἐπὶ τὸ ὄρος ἀνάγει τὸ Γηβὰλ, τὰς δὲ ἑτέρας ἓξ εἰς τὸ ὄρος τὸ Γαριζεὶν, καὶ κελεύει τὰς μὲν εὐλογεῖν, τὰς δὲ καταρᾶσθαι. εὐλογεῖν μὲν τοὺς κατορθοῦντας τὸν νόμον, καταρᾶσθαι δὲ τοὺς παραβαίνοντας. τί οὖν; ἐπὶ μὲν τῶν καταρῶν ἁπασῶν ἦν ἐπαγόμενον ἐπισφράγισμα, ἐροῦσι γὰρ οἱ Λευΐ-

rebat sacerdotis: accedit redemtor orbis ad baptizantem, is qui illustrat in spiritu, rex ipse ad præcursorem, Deus ipse ad prophetam. Joannes, fratres, non ignorabat dignitatem propter dispensationem: non fefellit eum habitus corporis: non decepit eum apparens caro: quin potius illustravit eum occulta virtus, quam ignorantibus quoque prædicabat. Lucerna quippe sancta erat vir ille admirandus: lucerna de qua, *Paravi lucernam Christo meo* [a] per prophetam prædictum fuerat. Lucerna vero Joannes prænominatus est; non quia Deo Verbo, lumini inquam veritatis, opus esset accessione lucernæ: Sol enim erat justitiæ: at quia occultatum in carne Dominum, cognitum faciebat, tamquam in nocte, Judaicæ reipublicæ, lucernam illuminans Verbi divini. Vocatur igitur lucerna merito.

VIII. Videte porro rem mirabilem fratres. Quando processit ad incarnationis dispensationem Dominus qui nobiscum conversatus est, homo propter benignissimam humanitatem factus, eratque stupendum miraculum, Deum versari inter homines, cum servis dominum, cum creaturis creatorem, sanctificatorem cum sanctificatis: tunc Joannes prædicat illius dignitatem, licebatque videre prodigium supra omnem opinionem; licebat inquam videre lucernam suscipientem solem justitiæ Jesum. Universorum enim redemtorem Dominum, qui redemtione indigebat homo baptizabat, non temerario ausu rem aggressus, sed mandato subserviens. Tunc enim vero, tunc concurrerunt duæ propheticæ voces: *Vox clamantis in deserto* [b] & *Vox Domini super aquas* [c]. Præco veritatis clamabat, & *Deus majestatis intonuit* [d]: eratque ibi adoranda Trinitas, quæ gloriam suam affulgere faciebat. Pater supra filium prædicans, filius infra dispensationem implens, Spiritus sanctus, quasi sigillo suo confirmans Deo dignam institutionem. Et usque adeo magna facta est vox, patre desuper unigenito suo testimonium perhibente, ut aperti fuerint cæli desuper. *Ascendente* enim ait, *Jesu de aqua*, *scissi sunt cæli* [e]. Non enim tulerunt vocem tanti testimonii, horrentes divinam dispensationem.

IX. Sed adverte prodigium. Ea vox cælos scidit, & hæreticos non perculit: *Hic est filius meus dilectus, ipsi auscultate* [f]. Quia præoccupaverat lex edicens, & prophetæ evangelizantes, ne quis sequutus priorem Judaici cultus institutionem, repelleret evangelicæ gratiæ jugum: divina vox distinxit herilem a famuli dignitatibus. *Ipsi auscultate*, Christo videlicet. *Plenitudo enim legis Christus* [g], plenitudo bonorum Christus. Etsi enim præcesserunt in lege Mosaica benedictiones, at non erant perfectæ, exspectantes Dominum nostrum: de quo Paullus ait: *Plenitudo legis Christus*. Vin' ex re manifesta exhibeam sibi veritatem vadem dictorum? Attende diligenter. Jubet Moyses legislator dividi duodecim tribus Israel: & sex quidem tribus in montem ducit Gebal, reliquas vero sex, in Garizin montem, mandatque ut aliæ benedicant, aliæ maledicant. Benedicant legis observatores, transgressores maledicant. Quid ergo? In omnibus maledictionibus indutum erat veluti quoddam sigillum: *dicent enim Levitæ*, *Maledictus qui deserue-*

[a] Psalm. CXXXI. 17. [b] Isaj. XL. 3. [c] Psalm. XXVIII. 3. [d] Ibid. [e] Matth. III. 16. [f] Ibid. ℣. 18. II. Petr. I. 17. [g] Rom. XIII. 10.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 400.

ται, ἐπικατάρατος ὁ ἐγκαταλιμπάνων τὸν νόμον, καὶ ἐρεῖ πᾶς ὁ λαὸς ἀμήν. ἐπικατάρατος ὁ δουλεύων θεοῖς ἀλλοτρίοις, καὶ ἐρεῖ πᾶς ὁ λαὸς ἀμήν. καὶ ἐφ' ἑκάστῃ ἐντολῇ ἐπίκειται τὸ ἀμὴν τοῖς παραβαίνουσι. ἐπὶ δὲ ταῖς εὐλογίαις ἐροῦσι, φησὶν, οἱ Λευῖται, εὐλογημένος ὁ φυλάσσων τὸν νόμον κυρίου, εὐλογημένος ἐν ἀγρῷ, εὐλογημένος ἐν πόλει, καὶ οὐδαμοῦ τὸ ἀμὴν ἐν οὐδεμιᾷ τῶν εὐλογιῶν. τί οὖν αἱ κατάραι λαμβάνουσι τὸ ἐπισφράγισμα, αἱ δὲ εὐλογίαι οὐ δέχονται τὴν σφραγῖδα; τί βούλεται τὸ σύνθημα; τί ἑρμηνεύει τὸ αἴνιγμα; τῶν ἀποφάσεων πληρωτὴς ἦν ὁ νόμος, τῶν δὲ εὐλογιῶν βεβαιωτὴς Ἰησοῦς. ἐπειδὴ δὲ ἔδει τὰ μὲν τοῦ νόμου ἴδια δοθῆναι τῷ νόμῳ, τὸ δὲ τῆς εὐαγγελικῆς χάριτος φυλαχθῆναι τῇ χάριτι, ἔμειναν αἱ εὐλογίαι, τὴν τοῦ ἀμὴν προσθήκην τὸ λοιπὸν ἐπιζητοῦσαι.

Ἵνα δὲ μὴ δόξῃ τις βεβιασμένον εἶναι τὸν λόγον, ἀλλὰ μᾶλλον ἐξ αὐτῆς τῆς ἀληθείας μεμαρτυρημένον, ἄκουε Παύλου λέγοντος· ὁ γὰρ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν. ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ ἐν αὐτῷ, τὸ ναί· καὶ δι' αὐτοῦ, τὸ ἀμὴν πρὸς δόξαν τῷ Θεῷ. ἐντεῦθέν ἐστιν νοῆσαι πάλιν τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου, ὅτι νεκροὺς ἡμᾶς ὄντας τοῖς παραπτώμασιν καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ἡμῶν, συνεζωοποίησεν ἐν αὐτῷ, χαρισάμενος ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα ἡμῶν, ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, ὃ ἦν ἡμῖν ὑπεναντίον. ποῖον χειρόγραφον, ἔχεις τούτου τὴν ἀπόδειξιν. ὅτε γὰρ ὑπηγόρευσε τὰς κατάρας ὁ νόμος, τὸ ἀμὴν τοῦ λαοῦ ὑπογραφὴ ἦν τῶν ἀκουόντων. Ἰησοῦς γὰρ ἦν τὸ πλήρωμα τῶν εὐλογιῶν, ὁ ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου φανεὶς, ὁ τὴν προφητείαν Ἠσαΐου εἰς ἑαυτὸν πληρώσας. ἔλεγεν γὰρ Ἠσαΐας, ἀγαλλιάσθω τὰ ἔρημα τοῦ Ἰορδάνου, ὅτι ἡ δόξα Λιβάνου ἐδόθη αὐτῇ, καὶ ἡ τιμὴ τοῦ Καρμήλου. τὸ ῥῆμα ἀσαφές. σαφηνίζεται διὰ τῆς χάριτος.

Λίβανον καλεῖ ἡ γραφὴ τὴν Ἱερουσαλὴμ τὸ τηνικαῦτα· καὶ μὴ νομίσῃς βεβιασμένον εἶναι τὸν λόγον. Ἰεζεκιὴλ μαρτυρεῖ περὶ τοῦ Ναβουχοδονόσωρ τοῦ βασιλέως. ἔλεγε γάρ· ὁ ἀετὸς ὁ μέγας ὁ μεγαλοπτέρυγος, ὁ ἐκτεταμένος ταῖς πτέρυξιν, καὶ πλήρης ὀνύχων, ἦλθεν εἰς τὸν Λίβανον, καὶ ἔλαβεν τὰ ἐκλεκτὰ τῆς κέδρου τοῦ Λιβάνου, καὶ ἀπήγαγεν εἰς Βαβυλῶνα. τὰ δὲ ἐκλεκτὰ τίνα ἦν; ἐπειδὴ Σεδεκίαν δήσας ἀπήγαγεν τὸν βασιλέα καὶ τὸν Ἰωακεὶμ καὶ τοὺς ἀρχιερεῖς, ταῦτα ἦν τὰ ἐκλεκτὰ τοῦ Λιβάνου. καὶ ἀπήγαγεν εἰς Βαβυλῶνα. τί οὖν ἐστιν τὸ, καὶ ἡ δόξα τοῦ Λιβάνου ἐδόθη αὐτῇ; ἐπειδὴ ἱερωσύνη τῆς Ἱερουσαλὴμ καὶ ἡ προφητεία πᾶσα μετέβη εἰς τὸν Ἰωάννην, καὶ πᾶσα ἡ Ἱεροσόλυμα, καταλιποῦσα τὸ θυσιαστήριον, ἐξήρχετο ἐπὶ τὸ λαβεῖν τὸ βάπτισμα Ἰωάννου, προλαβὼν ὁ προφήτης λέγει περὶ τῆς ἐρήμου τοῦ Ἰορδάνου· ἡ δόξα τοῦ Λιβάνου ἐδόθη αὐτῇ, καὶ ἡ τιμὴ τοῦ Καρμήλου. καὶ τίς ἡ τιμή; ἄκουε, ὡς ἐν παραδρομῇ. Ἡλίας ἦν ὁ προφήτης ἡ τιμὴ τοῦ Καρμήλου. Ἡλίας γὰρ ἦν ἐν τῷ Καρμήλῳ. ἐπεὶ οὖν προῆλθεν Ἰωάννης ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἡλίου, διὰ τοῦτό φησιν ἐδόθη ἡ τιμὴ τοῦ Καρμήλου τῇ ἐρήμῳ, περὶ οὗ φησιν ὁ σωτήρ· καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἡλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. ἐπεὶ οὖν, ποτὲ μὲν Ἡλίας ᾤκει τὸν Κάρμηλον, νῦν δὲ Ἰωάννης τὴν ἔρημον, εἰκότως φησὶν, ἡ δόξα τοῦ Λιβάνου ἐδόθη αὐτῇ, καὶ ἡ τιμὴ τοῦ Καρμήλου.

Νῦν δὲ, ἀδελφοὶ, ἡ δόξα ἐκείνη οὐ τὴν ἔρημον

vit legem; & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui colit deos alienos; & dicet omnis populus, Amen [a]. Atque in quoque præcepto impendet *Amen* transgressoribus. In benedictionibus vero ait, dicent Levitæ: *Benedictus qui custodit legem Domini; benedictus in agro, benedictus in civitate* [b], & nuspiam in ulla benedictione *Amen* comparet. Cur igitur maledictiones sigillum suscipiunt, benedictiones vero non item? Quid sibi vult hoc symbolum, quid innuit hoc ænigma? Lex sententias exsecutioni mandabat, benedictionum autem confirmator est Christus. Et quia oportebat quæ legis sunt propria legi asserere, & quod proprium est evangelicæ gratiæ, gratiæ reservari: propterea remanserunt benedictiones deinceps exspectantes *Amen*.

X. Ac ne cui coactus videatur sermo noster, quin potius ex ipsamet veritate testimonium habere, audi Paullum dicentem: *Dominus autem noster Jesus Christus non fuit utique & minime; sed utique in ipso fuit. Quotquot enim sunt pollicitationes Dei in illo, ipsum utique; & per illum, ipsum Amen; ad gloriam Deo* [c]. Hinc licet intelligere iterum quod dictum ab Apostolo fuit, *Quia cum mortui essemus peccatis & præputio carnis nostræ, convivificavit in illo, indulgens nobis omnia peccata nostra, obliterans contrarium nobis chirographum, quod adversabatur nobis* [d]. Cujusmodi chirographum? Hinc habes rei demonstrationem. Quando enim recensuit lex maledictiones, ipsum populi amen, subscriptio quædam erat audientium. Jesus quippe erat plenitudo benedictionum, qui in Jordane apparuit, qui prophetiam Isaiæ in seipso complevit. Dixit enim Isaias: *Exsultent deserta Jordanis, quia gloria Libani data est ei, & honor Carmeli* [e]. Dictum quidem obscurum, quod tamen per gratiam declaratur.

XI. Libanum vocat scriptura illius temporis Jerusalem. Neque existimes coactam esse hanc sententiam. Ezechiel testatur de Nabuchodonosor rege. Dixit enim: *Aquila magna magnarum alarum, quæ alas expansas habet & plena est unguium, venit in Libanum, & accepit electa cedrorum Libani, & adduxit in Babylonem* [f]. Quid vero electa sunt? Quandoquidem vinctum Sedeciam regem abduxit, & Joakim & pontifices: hæc erant electa Libani, quæ Babylonem adduxit. Quid est ergo illud: *Et gloria Libani data est ei?* Quia sacerdotium Jerusalem & prophetia universa in Joannem emigraverat, & tota Hierosolyma, relicto altari, exibat ad accipiendum baptisma Joannis; anteoccupat propheta loqui de deserto Jordanis, inquiens: *Gloria Libani data est ei, & honor Carmeli*. Quis vero honor? Audi veluti in transitu. Helias propheta erat honor Carmeli: erat quippe in Carmelo Helias. Quia igitur prodiit Joannes *in spiritu & virtute Heliæ* [g]: propterea dicit datum eremo honorem Carmeli: de quo inquit salvator: *Et si vultis suscipere, ipse est Helias qui venturus est* [h]. Quia igitur aliquando Helias Carmelum incolebat, nunc vero eremum Joannes; propterea merito dicit: *Gloria Libani data est ei, & honor Carmeli.*

XII. Nunc vero, fratres, gloria illa non solum

a Deut. XXVII. 26. 15. b Deut. XXVIII. 1. 3. c II. Cor. I. 19. 20. d Coloss. II. 13. 14.
e Isaj. XXXV. 1. 2. f Ezech. XVII. 3. 4. g Luc. I. 17. h Matth. XI. 14.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 400.

μόνην ἐπλήρωσεν, ἀλλὰ καὶ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν. σήμερον γὰρ πανταχοῦ τῆς γῆς ὕμνοι καὶ θεολογίαι. ἀπὸ ἑσπέρας μέχρι τῆς δεῦρο ἑστήκασιν ἄνθρωποι, καὶ ὕμνοις τὸν ὕπνον ἐνίκησαν, καὶ ἡ χάρις ἐδείκνυτο, καὶ ἡ φύσις οὐκ ἠλέγχετο. καὶ μάλα εἰκότως. ὥσπερ γὰρ σίδηρος, πυρὶ προσομιλήσας, ὃ μὲν ἦν, οὐκέτι φαίνεται, ὃ δὲ οὐκ ἦν, ἐπενδύεται, οὐ τὴν φύσιν ἀποτιθέμενος, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὴν φύσιν τὴν λαμπρότητα δεξάμενος· οὕτως καὶ ἡμεῖς καταξιωθέντες τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἠρνησάμεθα τοῦ σώματος τὴν ἀσθένειαν, καὶ ἐνεδυσάμεθα τοῦ πνεύματος τὴν ἐνέργειαν. ἕστηκεν ἡ ἐκκλησία διόλου λάμπουσα, καὶ πληροῦται ἐπ᾽ αὐτῇ τό· ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωῒ ἡμέρα μία. οὐκ εἶχεν ἡ νὺξ σκότος, τῇ θεολογίᾳ φωτιζόμενος [1]. οὐκ εἶχεν ἡ νὺξ σκότος. τῷ γὰρ θείῳ λόγῳ κατελάμπετο κατὰ τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ Δαβίδ· καὶ νὺξ φωτισμὸς ἐν τῇ τρυφῇ μου, ὅτι σκότος οὐ σκοτισθήσεται ἀπὸ σοῦ, καὶ νὺξ ὡς ἡμέρα φωτισθήσεται· τοσοῦτον φῶς, τοσοῦτον κάλλος περιαστράπτει τὴν ἐκκλησίαν. γένοιτο δὲ ἡμᾶς, ἀδελφοί, θείᾳ χάριτι πάντοτε καταλαμπομένους τῷ παναγίῳ Θεῷ δόξαν ἀναπέμπειν ᾧ πρέπει δόξα καὶ τιμὴ εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν·

eremum implevit, sed & orbem terrarum universum. Hodie enim ubique terrarum hymni & sermones de Deo: a vespere ad hanc usque horam steterunt homines, & hymnis somnum vicerunt: gratia apparebat, & natura non arguebatur. Ac merito sane. Quemadmodum enim ferrum quod diu in igne fuit, quod quidem erat non amplius apparet, & quod non erat induit; non naturam exuens, sed ad naturam splendorem accipiens: sic etiam nos digni effecti sancto Spiritu, abnegavimus corporis imbecillitatem, & induimus spiritus efficaciam. Stetit ecclesia per omnia fulgens, impleturque in ea illud: *Fuit vespera, & fuit mane dies una* [a]. Non habebat nox * obscuritatem, assiduo illustrata sermone de Deo. Non habebat obscuritatem: divino enim Verbo illustrabatur, juxta quod a Davide dictum est: *Et nox illuminatio in voluptate mea; quia tenebræ non tenebrescent a te, & nox sicut dies illuminabitur* [b]. Tanta lux, tanta pulcritudo circumfulget ecclesiæ. Contingat autem nos, fratres, divina gratia semper illustratos sanctissimo Deo gloriam reddere, quem decet gloria & honor in sæcula, Amen.

a Gen. I. 5. b Psalm. CXXXVIII. 11. 12.


1. φωτιζομένη· puto legendum, vel φωτιζόμενον.

* Videntur vigilasse a vespere ad multam jam diem veteres in festo epiphaniæ.





[1] ΚΥΡΙΛΛΟΥ
ΤΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ
ΕΠΙΣΤΟΛΗ
ΠΡΟΣ
ΕΥΣΕΒΙΟΝ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΝ.



CYRILLI
ALEXANDRINI
EPISTOLA
AD
EUSEBIUM PRESBYTERUM.

ΤΗ'ν μὲν παρὰ τῆς σῆς εὐλαβείας ἐπιστολὴν ἀνέγνων. ὁρῶν δὲ λελυπημένην, ὡς ἂν τῆς εἰρήνης τῶν ἐκκλησιῶν συντεθείσης οὐ κατὰ λόγον· ἐτεκμηράμην μὲν, ὅτι ἐξ ἀγάπης κεκίνηται τὸ σὸν ἐπιεικὲς, οὐ μὴν ἔοικεν ἀκριβῶς εἰδέναι τὰ δόξαντα. περιφέρουσι μὲν γὰρ, ὡς μανθάνω, τινὲς ἐπιστολὰς ὡς πρὸς μὲ γραφείσας παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου καὶ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου Ἰωάννου. εἰκὸς δὲ αὐτὰς ἢ πεπλασμένας εἶναι, ἢ καὶ προσθήκας ἔχειν, τὰς τοῖς φρονοῦσι τὰ Νεστορίου καθ' ἡδονήν. ἐγὼ γὰρ κατὰ τὸ δόξαν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐν τῇ Ἐφεσίων μητροπόλει, οὐ πρότερον αὐτῷ τὴν κοινωνίαν ἀποδέδωκα, εἰ μὴ ἀνεθεμάτισεν ἐγγράφως τὰ Νεστορίου δόγματα, καὶ ὡμολόγησεν ἔχειν αὐτὸν καθῃρημένον, καὶ συνέθετο τῇ χειροτονίᾳ τοῦ εὐλαβεστάτου καὶ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου Μαξιμιανοῦ. κεκμηκότος δὲ μυρία τοῦ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Ἐμεσηνῶν Παύλου παρὰ τῶν καθῃρημένων, Ἑλλαδίου τέ φημι καὶ Εὐθηρίου καὶ Δωροθέου καὶ Ἱμερίου, καὶ παρακαλοῦντος μετὰ τῆς εἰρήνης τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ τὴν κατ' αὐτοὺς ὑπόθεσιν τύπον σχεῖν, ἔφην ἀποκρίτως, ὅτι οὐδένα τῶν καθῃρημένων ἐγὼ ποιοῦμαι λόγον. ἀλλ' ἐν τούτῳ δεῖ μένειν αὐτοὺς τῷ σχήματι, ἐν ᾧ καὶ σύνεισι. συγκεχώρηκα δὲ τὴν εἰς ἐμὲ γενομένην παρ' αὐτῶν ὕβριν. οὐ γὰρ ἦν ἀκόλουθον, ταύτης ἕνεκα καὶ μόνης τῆς αἰτίας, εἰς διχόνοιαν τέμνεσθαι τὰς ἐκκλησίας, τοῦ ἀναγκαιοτέρου πρὸς πέρας ἀγομένου· φημὶ δὴ, τοῦ ἀναθεματισθῆναι τὰ Νεστορίου, καὶ ὁμολογηθῆναι τὴν καθαίρεσιν αὐτοῦ τοὺς οὐκ ἀνασχομένους πάλαι τοῦτο ποιῆσαι.

A I. Legi literas reverentiæ tuæ. Quam cum dolere intellexissem, ut si pax ecclesiarum aliter atque ratio postulat composita fuerit: reputavi ex caritate quidem mansuetudinem tuam fuisse commotam, nec tamen videbatur probe agnovisse quæ fuerant constituta. Circumferunt enim, ut didici, nonnulli epistolas, tamquam ad me datas a reverentissimo piissimoque episcopo Joanne. Verosimile tamen est eas vel fictitias esse, vel assumenta quædam habere cum Nestorio sentientibus admodum grata. Ego enim secundum quod visum est sanctæ synodo in Ephesiorum metropoli, non prius illi communionem reddidi, quam de scripto anathematizaverit Nestorii dogmata, & confessus fuerit B quod illum pro deposito habeat, consenseritque ordinationi reverentissimi piissimique episcopi Maximiani. Cum vero infinita passus fuisset piissimus Emesenorum episcopus Paullus ab iis qui depositi fuerant, Helladio inquam & Eutherio & Dorotheo & Himerio, rogaretque ut una cum pace ecclesiarum hypothesis secundum illos exemplar haberet: respondendo dixi, me nullam rationem eorum habere qui depositi fuerant: sed in eo habitu oportere illos manere, in quo etiam omnes sunt. Indulsi nihilominus contumelias, quibus in me usi sunt. Nec enim consequens erat, hac dumtaxat de caussa in contrarias sententias scindi ecclesias, dum C quod maxime necessarium erat, ad finem jam fuerat perductum; videlicet ut anathematizarentur Nestorii placita, & agnoscerent approbarentque depositionem illius ii, qui jamdudum hoc facere detrectabant.

Ὡμολόγησαν δὲ ἐγγράφως, ὅτι Θεοτόκος ἐστὶν ἡ ἁγία παρθένος, καὶ ὅτι αὐτὸς ὁ πρὸ παντὸς αἰῶνος γεννηθεὶς ἐκ τοῦ πατρὸς υἱὸς μονογενὴς, ἐπ' ἐσχάτοις τοῦ αἰῶνος καιροῖς ἐγεννήθη κατὰ σάρκα ἐκ γυναικός· καὶ ὅτι ἓν τοῦ υἱοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ ὅτι τὰς ἀποστολικὰς καὶ εὐαγγελικὰς φωνὰς ἐφαρμόζουσιν οἱ θεολόγοι· τὰς μὲν τῇ θεότητι αὐτοῦ, τὰς δὲ τῇ ἀνθρωπότητι πάλιν αὐτοῦ. Νεστόριος μὲν γὰρ διαιρῶν εἰς δύο τὸν ἕνα υἱὸν καὶ Χριστὸν καὶ κύριον, ἄνθρωπον ἰδικῶς ἐτίθη καὶ κατὰ μόνας υἱόν. καὶ τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον, ἰδικῶς, καὶ κατὰ μόνας ἕτερον υἱόν. καὶ ἔφασκεν, ὅτι αἱ μὲν τῶν φωνῶν τοῦ ἀνθρώπου εἰσίν· αἱ δὲ, τοῦ Θεοῦ λόγου. ἡ δὲ ὀρθῶς περὶ Χριστοῦ γνῶσις, οὐχ οὕτως ἔχει. ἕνα γὰρ ἴσμεν υἱὸν καὶ Χριστὸν καὶ κύριον, τὸν αὐτὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον. καὶ αὐτοῦ φαμεν εἶναι καὶ τὴν θεότητα, αὐτοῦ δὲ ὁ-

